


FRANCISCI
HENRIQUEZ DE VILLACORTA
DOCTORIS MEDICI,
A CUBICULO REGALI
PHILIPPI IV. ET CAROLI II.
ARCHIATRI,

In Insigni Theologorum Cœnobio Medicâ togâ olim illustrati, nunc verò in Complutensi Academia Doctoris Primarij, necnon in Facultate Medica Primarij Professoris,

LAUREÆ DOCTORALIS MEDICÆ COMPLUTENSIS

TOMUS TERTIUS.

QUO CONTINENTUR

- TRACTATUS De Methodo medendi.
- De Alimentorum facultatibus.
- De Alimentorum facultatibus in particulari.
- De victûs ratione in morbis acutis.
- De Balneorum natura & usu.
- De Prognosticis & de Arte præno scendi.
- De Crisibus, & diebus decretoriis.
- De Facultatibus.
- De Venenis.
- De Locis affectis Resolutiones Theoricæ.
- Disputatio Apologetica de sanguinis missione ex talo.

Pro eo certamine quod vocatur

ALPHONSINA.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.





LUGDUNI,
Sumptib. ANISSONIORUM & JOAN. POSUEL.

M. DC. LXXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



NOBIL. STRENUO, MAGNIFICO, ATQUE EXCELL.

DOMINO, PATRONOQUE MEO D.D.

JOANN. FRANCISCO DE LA CERDA ENRIQVEZ AFAN DE RIVERA.

DUCI AUGUSTOBRIGÆ, SEGOBRIGÆ, Cardona Flavij Atuensis, & Lerma: Marchioni Danij, Comares, & Pallars, Tartesii, Cogolludo, atque Compluti: Comiti Emporiarum, Pradas, & Sanctæ Gadeæ, Eldanæ, & Buendia. Civitatis, & Junonis Promontorij: Vice-Comiti Villarmur: Domino perunico Maximo Civitatum Solsona, Lucenti, & Baroniæ Entença, Arbeca, Iuneda, Driola, Vegueria, & Segarra: Præfecto Majori Castellæ, & VVandaliæ, hujusque Notario Majori, Equiti Aurei Agni, eximię nobilitatis insignis: Præfecto Cubiculi Regij summo, Excelsioris Regij Senatus à consiliis. Et nunc Consilij Indiarum Præsidi, &c.

D. O. C. C.

DOCT. FRANCISC. HENRIQVEZ DE VILLACORTA Archiater olim Magni PHILIPPI IV. nunc CAROLI II. Hispaniarum, & Indiarum Regis Potentissimi, &c.



UEMADMODUM veteres illi Medici Apollini tanquam primo Archiatro suarum lucubrationum consecrabant monumenta, & Triumphantes Romani Imperatores Jovi suo Pheretrio, & Capitolino hostium spolia, & imagines, armáque cum ingenti voto dicabant: Sic ego (Princeps Excellentissime) diù nuper multúmque cogitabam, meum, cuinam Patrocinatori hæc mea quoque spolia, & hoc votivum animi mei opus ex obscuris taciturnitatis latebris egredi cupiens, communem, placidámque exoptans lucem, magnúmque quæritans Patronum, appendere, & consecrare possim, vel debeam; atque etiam sub cujus bonis auspiciis securo pede, manúque munita tertium meorum Operum Tomum edere valeam? Sed esse magnam Mæcenatum illustriúmque Virorum copiam quis diffitebitur? nemo quidem, imò & ego fateor. Verùm nobilissima tui animi indoles ad id me impulit, ut nullum tibi summo Præfecto & Fautori mihi & Socius à nostro Rege concesso præferre debeam, neque audeam difficillimum enim existimo reperire alium sub cujus tutela hoc

meum Opus in lucem prodeat ſecuriùs. Ergo (ô Princeps generoſiſſime) tuo excelſo nomine, tuóque præclariſſimo patrocinio toto Orbe noto, totâ Hiſpaniâ celeberrimo frontiſpicium hujus Operis condecorare permittere digneris obſecro. Ita enim cum Horatio geſtiens decantabo;

Mæcenas atavis, edite Regibus,
O & præſidium & dulce decus meum.

Tutelarium laudes ſuorum, progenitorum facta, propriáque, virtutes, famam, gloriam, nomen, & ſapientiam alij poſteritati mandant, & meritò; Poſſunt equidem illa, & verbis exprimi, & calamo exarari: At verò (Princeps Amantiſſime) tuarum laudum cumulum, magnitudinémque virtutum, famæ, gloriæ, nominis, ſapientiæ, & eruditionis, & tuorum Anteceſſorum cùm infinita ſint, nec verbis; neque certis terminis circumſcribi queunt. Tot támque præclara geſta quomodò intra anguſtiſſimos terminos arctiſſimáque pomeria concludi erit poſſibile? ergo id ad me eo prætermittetur conſilio, quod meas ad tantum onus ſubeundum impares eſſe vires cognoverim. Illud dixiſſe ſatis eſto,

Nam quæ ramoſa numerabis in ilice frondes,
Nec quot apes Hyblæ, nec quot in Alpe feræ,
Nec mihi tot laudum genera hîc comprendere fas ſit,
Centeno quamvis glorier ore loqui.

Garrula ſatis ſilentij vox; nam ſi rem in me reciperem tantam, tanquam difficilem Provinciam aggrederer, ne mihi contingeret timerem, (Magnanime Heros) quod pauperi illi (ſi fabuloſa jactare licet) qui unico ſolum munere gaudens, Iovi tantum tentabat offerre, Deorum aggrediens fanum, ſed humana mens pauperem impellebat, ut priùs ſingulorum veneraretur altare. Templi igitur luſtrat magnitudinem, hîc Martis admiratur arma, ibi Iani providentiam intuetur, aut Neptuni remigia colit, atque omnium denique indagatâ facinorum profunditate, qui primo limine donum Iovi debitum judicabat, dubium jam maximè, cuinam illud offerat proſpice quæritantem, & quod Iovi dicare tentaverat munus, cunctis Deorum conſecrat Aris. Hæc moliebatur pauperis acumen, fortaſſis quidem ficta, ſed in præſentiarum mihi meritò mutuanda. Tuæ enim Celſitudini undequaque venuſtarum virtutum condecoratum affluentia Templum mens ingreſſu penetrans, tantæ magnanimitati laudẽ dirigere revolvens, decoris ſtirpis veneratur claritatẽ, humanitatis intuetur nitorem, prudentiæ colit majeſtatem, ut quæ primò reverentiæ cultu illam magnanimitati debitam proclamabat, deſpectis reliquis, non linguâ (uti dixi) non calamo æquandis virtutibus, cuinam incultam offerat loquelam hæſitat, & balbutit, inopiſque exemplum ſequens, omnibus ſimul voluntatem offerens, maximam conſequitur piaculi conſuetudinem. Vale Auguſtiſſime Princeps, in longum vale.

Huncque tuo fœtum prælustri ſydere natum
Suſcipe, conde, fove: Suſcipe, prome, fave.



AD BENIGNUM LECTOREM
PRÆFATIO.



Ccipe, Candidissime Lector, Laureæ nostræ Doctoralis tertium, quem promisimus Tomum, quo ultima exercitatio (quæ Alphonsina nominatur) expleta omninò est; Opus quidem utilissimum pro morborum medela: sciesque jam non solum Principum Medicinæ sacraria, mentem aperire, sed etiam an ea vera sint, discernere, si nostris Operibus te totum dederis, atque diligenter, & indefessâ curâ vacaveris. Et cùm plures Philosophiæ, ac Medicinæ studiosos viros, illorum desiderio flagrantes viderem, typis excudenda, diligenter curavi, nec tanto bono Sapientium desiderium orbari volui, ut uberioribus fructibus in publicos usus, & exercitationes publicas, quas Complutensis nostra Academia dicavit, redundaturis, frui semper, atque fœliciter possis. Et quidem ob hanc piam, & christianissimam causam, nos tot noctium evigilatis, emensisque laboribus, exhaustis lucernarum fuliginibus, dierúmque sudore assiduo, in publicam posteriorum utilitatem, hæc promere pergimus, & ut nihil intactum pro nostra Laurea relinquamus, tibi libenter offero Tractatum de Alimentorum facultatibus, ut possis selectiora alimenta pro corporis alimonia offerre: de Victûs ratione, ut ritè modum alendi ægrotantibus, absque injuria aliqua præcipias: de Methodo medendi, ut Galenica, & priscorum dogmata, in medendis affectionibus instituas: De Crisibus, & dicbus decretoriis, ut motus speciales naturæ & morborum judicia varia contempleris: De locis affectis Theoricæ resolutiones pro tyronibus, ut innumerabiles hostes debellare queas: De Venenis, ut horribilia eorum accidentia devastare intendas: De Balneis, ut ipsorum usum satis antiquum, & utilissimum valde pro sanitate tuenda, & pluribus extirpandis morbis studiosis suadeas. Et tandem ut controversiam celebrem circa sanguinis missionem ex talo in viris, & gravidis nostro sæculo denuò machinatam dirimere, citra plura homicidia possis, & vulgarem, & nefariam opinionem ab ignorantiæ tenebris excludas. Precor ergo libenter, ut si quæ defectuosa videantur suppleas, (Lector amice) aut errata corrigas; id certè grato animo feram; non enim detrahit, qui verum profert, ut corripiat, sed qui falsum imponit, ut dedecoret. Vale.

CLARISS.

CLARISSIMO VIRO AC PRÆSTANTISSIMO

NOSTRI SÆCULI PHILOSOPHO

D. FRANCISCO HENRIQUEZ DE VILLACORTA,

Doctori Medicinæ olim Complutensi Primario, Catholici Hispaniarum Regis Caroli Secundi Cubiculario Medico, Rationalis Medicinæ Archonti, immortalitatis Candidato.

SUUS OBSERVANTISS. D. JOANNES DE TORRALVA in Universitate Complutensi Medicinæ Professor, Vespertinæ Cathedræ Moderator.

S. D.



IRAMUR passim egregia Artificum Opera, jam pyramidum moles certantes cœlo, opulentiæ barbaricæ ostentationem efferentes, jam labyrinrhos, inexplicabilesque nodos. Taceo Tarentini [a] columbam, metalla mugientia, æneos angues Boëthij insibilantes, & id genus alia argumenta, quæ meritò apud Erasmum ociosa miracula nuncupantut.[b] *Parva quidem hæc sunt* (ut crisim Cassiodori libem) *quibus cælum imitari fas est.* Enimverò quum ea sit mortalium conditio, ut nominis immortalirati impensiùs quisque, quàm communi utilitati consulere videatur, pluta etiam ingenia, & quidem eorum, qui hæc mechanica despicientes super æthera scandunt, propriæ famæ duntaxat, ut Serviles illi, non minùs prospexêre: hinc Græcorum signa ad insaniam usque legimus in marmoribus. [c] Septuaginta tria millia tribuuntur Rhodiis, nec pauciora Athenis, & Olympiæ. [d] At Romæ compertum est tantam fuisse statuarum copiam, ut alter adesse lapideus populus diceretur. Quotum plerosque hominum impunè dixerim populares lapides inter marmora nobiles, inter Philosophos non benè merenres.

Iam dulciter ad aures vibrant verba illa tua (Clariss. Vir) quibus in præfatione satis compta secundi Voluminis lectoris animum accendis. *Absit* (inquis) *posteritatis anhelitus.* Quibus nedum famam indipiscis, sed veram prorsus immortalitatis gloriam, juxta illud apophthegma Agesilai Magni omnium fotibus appingendum, qui sciscitanti quonam pacto apud homines gloriam obtineret, respondisse fertur: *Si dicas optima, facias autem pulcherrima.* Verba oprima sunt opportunus sermo, ut comprobat Salomon in Provetbiis. [e] *Lætatur* (inquit) *homo in sententia oris sui, & sermo opportunus est optimus.* Nôrunt Larini significationis vim, quæ maximam præse ferat utilitatem, & commodum; [f] opportunus enim Ob præpositionem, & nomen portus elementa habet, quòd navigantibus sint portus utilissimi, optatissimíque; unde opportunus sermo ille perindè ac oprimus habetur, qui sese totum in utilitatem, doctrinámque diffundit, vacuum verò vel è saxis tedire perspicuum est, quem nec rerusa capiunt, quando fœcundum gratitudo hominum, ménsque discipulorum fidelirer in ævum servat. Optima profectò verba modularis, famæ contemnis strepitum, totámque navas operam in opportunitatem legentium. Iam verò quænam facis? Nonne & pulcbertima? studiis semper à juventutis flore, usque ad maturiorem autumnum traditus, nunc jam pulcherrimos parirer ac uberrimos ingenij tui partus in bonum publicum edis, in quibus (non augeo rem) tot nullius ad huc stylo libata controversias in lucis novæ theatrum educis, ut non sciam, utrùm in interpretando singularem artem, an in respondendo plusquam mortale acumen obstupescam. Accedunt tesetata sacramenta hucusque in penitiori archivo Hippocratis, & Aristotelis recondita, quædámque in penetralibus naturæ indagandis, velut ingenij fulgetra quibus legentium mentes excutis, ac ditigis in centrum veritatis.

[a] Petr. Crinit. de hon. discip. lib. 17. c. 12.
[b] Cassiod. in var. apud Crinit. ubi sup.
[c] Rodigin. lect. antiq. lib. 29. cap. 13.
[d] Idem ibidem.
[e] Proverb. cap. 15.
[f] Passerat. Diction. lat.

tatis. Austerulas Medicinæ materias adeò metaphysicæ subtilitatibus exornas, adeò concinnas inclytis Syrenum spoliis, ut meritò mihi oculos per cuncta accuratissimè circumferenti non semel illud Statij summa admiratio obtulerit usurpandum : [g] *Cælóne peractum fluxit opus?* [h] *At quod Deus magne, quantúmque Opus illud est* (ut Claudiani præconium Tibi potiùs adaptandum appareat) *materiâ clausum, declamatione conspicuum, obstructum propositione, disputatione reseratum, & quanquàm propter hamata syllogismorum puncta tribulosum, vernantis tamen eloquij flore mollitum, quodque pretiosius est, tota illa dictio sic cæsuratim subcincta, quòd profluens, quam rebus amplam, strictamque sententiis, sentias plus docere, quàm dicere.* Verùm quia non arbitrum ago, sat sit de Opere, sine, ut propriùs loquar, de hoc Cimeliarchio tuo, quasi persunctoriè dicere omnia simul elogia complecti, quorum arduam censuit Plinius dignitatem: [i] *Vetustis* siquidem *novitatem* dat, *novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & natura sua omnia.*

[g] Stat. 1. Syl. [h] Sidon. lib. 4. cap. 3. [i] C. Plin. præfat. ad Vespas.

Manus admoveram huic Operi, & non [k] *ex commodo*, ut alibi Seneca Lucillo suo, nec quasi saltu folia delibavi, sed ex ocio, atque eruditionis studio primum, & secundum Volumen perlegeram, quo factum est, ut tertium affatim desiderarem. Votis annuisti: optatò jam tertius advenit hujus mirabilis Serti nexus, qui quàm ingentem de se expectationem concitârat optimè fovit, ac vicit, ut quæ *præconium* habuissent [l] *sigillatim distributa, haberent juncta miraculum.* Plenior Tibi gloria, quàm Livio ex priori Volumine accreverat, & illustrissimus ille Historiographus, sibi adblanditum esse, ut Romani nominis gloriam prosequeretur, operisque sui causam egisse, scribere non erubuit. Te verò, Magister Optime, discipulorum tuorum causam egisse non ambigo, sententiam Plinij Iunioris laudabiliter insequentem. [m] *Equidem ita sentio* (inquit ille) *peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus victis utilitatem juvandi prætulerunt gratia placendi.* Novimus & magna opera imperfecta mansisse, vel morte invidente arti nascenti, vel ita jubente Numine, ut quo nemo perficere deinceps posset, eò longiùs divulgaretur Artificis præstantia. Accidisse id legimus Apelli ex Venere, quam Cois inchoavit, eam siquidem imperfectam nemo usque adhuc potuit ad præscripta lineamenta perficere. Verùm & hoc quoque neglexisti paucissimorum trophæum, quòd veriùs, si in primo, vel secundo Libro sisteres, obtineres. Quis enim perficeret opus? Quis tertium tuæ Laureæ nexum implicaret? Quis tuam circumduceret, aut clauderet periodum, vel eximiam illam Callitechniam tuam feliciùs æmularetur?

[k] Senec. epist. 46. [l] Cassiod. 4. Var. epist. 4. [m] Plin. præf. ad Vesp. [n] Idem ibidem.

Idcircò Te, quem nec philautia tenuit, nec nominis insigne præconium, & amicorum preces, & laureandorum progressus movêre, ut incepto Operi colophonem adderes, quo nec minimam certè partem tuorum in discipulos meritorum referri continget, ob quos edocendos asperum sanè doctrinæ tramitem complanâsti, nè quid pedem in palæstris offenderet. Hoc unum verò ex tam multis oculos eruditos in admirationem rapiet, quòd tam, multa tamque implexa homo occupatus absolveris, & præsertim quum medium tempus distentum, impeditúmque quà officiis maximis, quà conservatione, & conversatione principum hæc viderint Te dictasse, quod acris [o] profectò ingenij, incredibilis studij, summæque vigilantiæ præclarum argumentum est apud Plinium in suo avunculo peritissimo, & mihi quidem inexhaustæ legendi aviditatis indicium est hominem in Regum curia victitantem, non modò libros legere, sed & volumina edere omni eruditione majora. Non cessat Tullius usque modo, ex eo qnod Cato in curia legeret, ipsius studium amplificare. [p] *Erat* (inquit) *in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat........ quippe......... qui in ipsa curia soleret legere.*

[o] C. Plin. ubi supr. [p] Cicero de finib. a.

Porrò ad Cleanthis lucernam hoc Opus extructum esse nec ingratitudo inficiabitur, quum luce clarius sit Auctorem nostrum medium tempus, scilicet, dies, officiosiùs quidem, quàm alibi Plinius, in Hispaniarum curia communi saluti jam diù impendisse; & quod totum ferè tempus in Catholici Regis nostri Caroli II. valetudinem impensiùs consecraverit, unde non immeritò, sed æquiùs longè Doctorem nostrum decent verba illa Plinij apud nostræ Facultatis Professores, præcipuéque apud Candidandos usurpare. [q] *Homines sumus, & officiis occupati, succissivisque temporibus ista curamus, id est nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis: dies vobis impendimus, cum somno valetudinem computamus, vel hoc solo*

[q] C. Plin. præf. ad Vespas.

præmio contenti, quod dum ista (at ait M. Varro) musinamur pluribus horis, vivimus. Vivit ecquidem ille, dum pro eorum eruditione laborat, quorum horas vocare licet eas, quibus lauream artificiosè contexit, ut triumphali lauro, & agonismate inclyto coronentur.

Operis jam inscriptionem indigitavimus *Laureæ Complutensis* nomine insignitur, quæ Autoris sui tempora, tanquam alterius Apollinis in æternum cinget triplici amænissimo circumligata nexu, id est, triplici hoc Volumine totam Universi, Artisque harmoniam ternario numero complectente. Memoratu dignum est Æsculapium nusquam ante lauro coronatum esse, donec ex fonte sui nominis triplex ejus arboris ramus erumperet, quod factum esse arbitror, vel, ut pro tribus Medicinæ generibus triplici serto donaretur, vel prorsùs, ut ex tunc Doctori nostro triplicem pro triplici Volumine coronam prætexeret. Est etiam laurus sibi quidem sterilis, *sed* terræ fœcundissima; *terra*, siquidem [ait Plinius] *quando vomere laureato proscinditur feracior est*, in quo herclè Magisterij laudem æmulatur, satiant siquidem Magistrorum spem non proprij quidem fructus, sed discipulorum profectus: unde aptiùs in posterum Complutum nostrum, etsi aliàs laudabilis divitiarum Campus, Laureâ istâ excultum non curabit novales Athenarum agros, quàm sulcus Æypti Libyæ arenas. Laurum item vaticam arborem observo, idcircò, apud Eustathium (ut ait Rodiginus) Daphne nuncupatur, quòd musicæ intentionem præseferat, sive cum intentione canere. Igitur ex crepantis modo eventus rerum veteres aucupabantur, ut si abundé perindè ac sonantiùs crepuisset, felicitatem portendi, si verò tacita deflagrâsset, inauspicatissimum arbitrarentur: primum comprobat Tibullus.

C. Rodig lect. antiq. lib. 21. cap. 9
Caussin. in Symbolis.
Plin. in Nat. hist. lib 18. cap. 2.
C. Rodig lect. antiq. lib. 19. cap. 11.
Idem lib. 5. cap. 7.

Laurus ubi bona signa dedit: gaudete Coloni.

Secundum vero Propercius.

Et tacet extincto laurus adusta foco.

Triumphalem Tuam Laurum (Clariss. Vir) Compluti audivimus faustissimè crepitantem, non quidem livoris igne, qui statim magnitudine splendoris extingueretur, sed eo prorsus, quem tanquam in hædera suppliciter sese adglutinante, atque foliis se lauri veluti protegente contra fulmina (talia sunt argumentorum tela in Palæstriten jaculata) addiscendi amor accendit in eis, qui pro corollis decertârunt in hac nostra jam feraciori arena. Gratulor ergo nostræ Facultatis Athletis; quòd tam bona signa dederit, quódque tam prospera, secundáque in certaminis litterarij eventibus nostra Daphne cecinerit; postquam enim illam perlegerint, resonat subtiliùs ac resonantiùs Medicinæ palæstra, *nemo* siquidem *tam obscurus fuit* (ut de Pliniano Opere Erasmus loquitur) *quin illustres esse cœperit, posteaquam huic operi manum admovit*, quod nemini contigit evulvere, quem non reddiderit eloquentem. Dignus igitur es (Præclarissime Vir) ut Spem Medicæ doctrinæ te appellem, ut alibi Cicero Virgilium Latinæ doctrinæ Spem ex Bucolico poëmate nuncupavit; quin imò & intellectum nostri Complutensis Athenæi, ut sui Plato non semel Aristotelem dixit; & ut paucis absolvam, utque bonâ gratiâ digrediar, libuit Plinij verba, quibus M. Tullium effert, paucis mutatis transcribere. *Salve primus omnium Parens palæstræ appellande. Primus in Medicina arena triumphum, linguaque scholastica Lauream meritæ. Complutensiúmque Laurearum Parens, atque* (ut Dictator Cæsar de Cicerone scripsit) *omnium triumphorum Lauream adepte majorem, quantò plus est ingenij terminos in tantum promovisse, quàm imperij.*

Plin. nat. hist. lib. 16. cap. 40.
Teritur ergo lignum ligno, ignique concipit atteritu... Sed nihil hedera præstantius, quæ teratur Lauro, Laurumque teratur.
Erasm. in epist. ad Daniel. Lutzum.
Plin. nat. hist. lib 7. cap 30.

Tandem Te enixè deprecor, ut, quam concipimus spem, foveas: tria siquidem ista volumina me præsentire faciunt plurimorum faustissimam non minùs utilium sobolem, quàm assiduus labor, perennéque studium tuum desiderantibus omnibus promittit. *Laboriosa* namque Lia magnam sibi post Levi natum, prosapiam pollicetur, *nunc quoque* (dicens) *copulabitur mihi maritus meus*; cujus rationem reddit: *Eo quod pepererim ei tres filios.* Liberi mentis libri sunt, jam tres, eosque nobilissimos procreâsti; undè nullo modo ambigendum videtur, quin multos alios jam ferè parturire videâre; quo pacto fiet, ut posteritatem, quam in ætate gloriæ, annísque palmæ contemnis, in libris tuis, atque in discipulis longiorem, pulchrioremque meritò nanciscêre. Ita Superi sospitent, quorum fidem pro tuo Phœnicis ævo Complutensis hæc Palæstra, egóque enixiùs comprecamur. Vale.

Genes. 29.

DOCTOR

DOCTOR MICHAEL PEREZ DE ALMANZA

MEDICUS REGIUS SAPIENTISS. D. DOCTORI

FRANCISCO HENRIQUEZ DE VILLACORTA

OLIM PHILIPPI IV. NUNC VERO CAROLI II. Archiatri Meritissimi.

ISOCRATES ille magnus Dioclem Regem hortari sæpè solebat, ut animi memoriam immortalem, sempiternámque relinqueret, juxta illud Salustij, *Omnes homines qui sese student præstare cæteris animantibus, summâ ope niti decet, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.* Cui quidem consilio genius tuus, vel ab ipsa adolescentia, adeò subscripsit, ut nihil magis, quàm æternitati consulere cogitaveris, & ut hæc veritas manifesta omnibus appareat, legant & attento animo percipiant Primum, & Secundum Tomum hujus Laureæ Complutensis, in quibus summa eruditione ad mentem Hippocratis, & Galeni totam Apollineam Facultatem amplectens: nunc verò, ut Opus ad summam perfectionem deducas in hoc tertio & ultimo Tomo, in quo alacritatem ingenij, summum laborem, ac eruditionem patefacis, nostræque Apollineæ Facultatis complementum, unde Agatho apud Platonem in convivio; *Ne me adeò theatri studiosum, ejusque favori debitum putes, ut ignorem prudenti viro paucorum Sapientum magis, quàm multorum insipientum judicium*, quod de te, Sapientissime Doctor, dicere possum, Plautus in Trimemmo, *Sapientia ætas condimentum est: sapieni ætati cibus*, Dicant omnes nationes cum Horatio, *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* Lectorem delectando, pariterque monendo. Vale ex nostro Musæo 4. Augusti 1678.

CLARISSIM. ET OMNI MAJOREM ERUDITIONE DOCTOREM

DOMIN. FRANCISCUM HENRIQUEZ DE VILLACORTA,

CAROLI SECUNDI UTRIUSQUE ORBIS REGIS Potentissimi Cubicularium Medicum, olim Complutensis Gymnasij primarium Professorem emeritum, in Consummatissimam Complutensis Laureolæ editionem, ejus adictissimus discipulus, & ex corde affectus Don Antonius de Ascarraga, & Sagredo, ejusdem Caroli Secundi Regis Medicus, sic lubens alloquitur.

INCHOATUM, jam dudum, & ardenti expetitum desiderio Opus undique consequimur absolutum, dum postremam Laureolæ tuæ cunctis profecturæ corollam, mirabili textam structurâ maturè imponis; Opus ædepol si quid aliud, & jucundissimum, & utilissimum; quid enim in Apollinis sinu jam latens tentavimus, quod opera tua in luminis oras non eruant? dispersa namque, vel in variis implantata viridariis, quasi velata, recedebat Medicina (consenescere dixeris) quæ in tuis amænissimis viretis, politiori culta culturâ, fecundisque irrigata rivulis rejuvenescit iterum, atque ut meliùs oculis fiat obvia, hujus Laureolæ lauro, exurgit viridanti cinctis temporibus: hic enim florida naturæ depingitur compago, hîc activa frondescit temperies, hîc successiva, etsi labilis, rerum ætas manu deprehenditur, hîc Corporis describuntur partes, hîc animi exhilarant actus, atque animantium omnium propalatur origo, dum vividus per, omnia magistrali spatiaris spiritu: solùm morbi Herculeâ veluti clavâ jacent debellati simulque venenorum nefanda caterva, crisimâ Censurâ procul abit exterminata;

mar

marcescunt penitùs dum securiori virgâ Phœbeâ fundis,instituis,impertirisque decreta.

Gloriemur igitur, quod tanti Magistri fruamur laboribus, & quod tanto Argonautâ ductore, vastissimum Medicinæ pelagus, etsi anteà vorticibus sæviens, deinceps jam securè navigare queamus.Iterum,& iterum præclarissimo gratulemur Viro,qui dum continuis suis, & communi Aulicorum saluti, vacat indesinenter curis, otium temnens, & quietem, nobis tam facilem miniméque aclivem sternit viam, cunctis mortalibus profuturam: si ergo suos venerabatur antiquitas Heroes, & ex partis victoriis, eorum propriis redimebant frontem Coronis;quid mirum nos, immò non impari jure, universus Literarum Orbis, post tot studiosa certamina, post tot Academica discrimina, post tot támque gloriosa tibi, & reliquis parta trophæa, quod propriam tuis jungamus comis Laurum? tuúmque nomen in astra feramus? ibitque indubiè.

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas,
Dum rotat astra polus, feriunt dum litora venti.

DOCTOR JOANNES AMBROSIUS DE CUEVAS *in Complutensi Universitate Primarius olim Medicinæ Professor; nunc autem Caroli Secundi Hispaniarum Regis Cubicularius Medicus, Socio suo Doctori* D. FRANCISCO HENRIQUES DE VILLACORTA *Salutem plurimam Dicit.*



ARistoteles (referente Laërtio lib 3. cap. 1.) illud amicis, & discipulis inter differendum frequenter solitus erat ingerere. *Visum scilicet accipere lumen à circumfuso aere, animam autem à disciplinis liberalibus.* Tibi ergo charissimo Socio maximas, plurimásque gratias referre debet insignis, inclytáque mater Academia nostra: quod animæ filiorum suorum, mentesque à doctrinis, disciplinisque tuis lumen acceperint. Unde illis non parum utilitatis humanóque generi salutis consequendum censeo. Libri namque tui omni doctrinâ, eruditione, & disciplinâ referti, ubi cum veritate subtilitas,cum multitudine singularitas,& claritas cum brevitate præpollent.Signa quidem præclari ingenij laborisque perennis: & tibi commune adagium adaptari potest. *Apertæ Musarum Januæ*; siquidem dum adhuc adolescens, & discipulus esses, cathedram, & locum inter Magistros, & provectos viros adeptus es. Hinc itaque tibi,Libroque tuo illud Theophrasti ominari possum: *Virum* (aiebat ille) *eruditione præclarum, ubique invenire patriam, & in alienis locis nunquam peregrinum esse.* Refert Brusonius lib. 3. cap. 31. Absque metu igitur exteras nationes Liber adire poterit tuus, tanquam in propriam patriam; ibi enim & fratres, & amicos reperiet, atque cognatos, viros scilicet Philosophos,disciplinarum cupidos. Perge igitur laborans,& scribens. Democritus enim ajebat: *eruditionis radices esse quidem satis amaras, fructum autem dulcissimum.* Tuam exindè vitam felicem cum Socrate dicere licebit: rogatus enim ille, quid in vita suavissimum esset, respondit, *disciplina & virtus, & rerum incognitarum historia.* Vale igitur, & iterum Vale.

CLARISSIMO

CLARISSIMO VIRO NOSTRO ÆVO CELEBERRIMO


DOMINO FRANCISCO HENRIQVEZ DE VILLACORTA,

Doctori Primario Complutensi, Regis Catholici Caro li Secundi Cubiculario Medico.

D. JOANNES DE PERIVANEZ DEL POZO DOCTOR Complutensis Academiæ, & Vespertinus Cathedrarius Caroli Secundi Hispaniarum Regis Medicus Cubicularius.

DOCTAM faciem tertiâ jam fronte inscriptam perlegi perfectam ab eruditissimo Viro Complutensis Academiæ Primario Moderatore, dignissimo Interprete, subtilissimo Cathedræ directore, efficacissimo argumenti gubernaculo, in Aula Regia experto, Augustæ valetudinis Custode (sed hoc unum dicant, doctissimo Doctore D. Francisco Henriquez de Villa-Corta, omnia dixi; cùm vitum dixi; quid ampliùs; nihil certè; nam satis nomen ad encomium, cætera supersunt, dum sua fama buccinatur. Prospero Hispano Principe ægrotante, quin Regalis Medicorum congressus, & prævia eorum dispositio Augustam quietaret mentem Magnus Philipous Quartus splendore, & istius fama expertæ probitatis persuasus, eum à Complutensi Cathedra, & doctina publica cum maximo Scholasticorum, Academiæque clamore, necnon totius Reipublicæ luctu amovit, ad Regiam vocavit, provida benignitate excepit, & ante Insigniorum Medicinæ oculos quasi in triumphum prætervectum, distantibus cœterorum sententiis ad emissorium exequendum ejusopinionem secura fide selegit, Principisque valetudinem scientiæ suæ commissit. Opus fuit Prospero salutare, Philippo gratum, & omnibus utile; quid nunc agam nescio in ejus elogiis subsistere, timoris; progredi, temeritatis est: sed sit casus pro Consilio; summissos oculos in paginas sublevavi, nova in eis eruditionis lux effulget, quæ propositum meum facit invictum, quæ provocare in omnium scientiarum Magistrum compellit; quem priùs verebar amicum, ut Laurum fœliciùs adipiscantur, tractatum elaborar; quis unquam Lauream fulguris amicam, fulgure conspexit, nisi his in paginis concordiam speciosam suscepit exornatam; Scriptoris gloriam prædicare vellent fructuosam lectionem offerentis, universali applausu, & commendatione dignam. Sed quod non mentis viribus, arte, & industria conficere queo. Selectissima Scriptorum Consulta, præclaráque Medicorum exempla hoc Volumine convocata videntur, unáque jam lectio in promptu suggerit, quod multiplex anteà laboriosè præstabat. Non jam meis, date locum, gloriosis vocibus, quæ Auctoris elogia fideliùs, atque efficaciùs personabunt. Ad ea propero, *si nihil est, quod magis sanitatem impedit*, (juxta illud Senecæ) *quàm remediorum crebra mutatio*, ita ut, epistola 40. sequentia proferat. *Remedia non prosunt, nisi immorentur*, cognitio curationis in eo non vagatur, propriâ potiùs scientiâ quàm accidenti Medicinam disponit, taliter ut confestim salutaris videatur effectus; est expertus, providens, & omni practicâ præditus, modo quo Latinorum Princeps Cicero de officiis depingit; Ait enim; *Neque Medici, neque Imperatores, neque Oratores quamvis artis præcepta perceperint, quicquam laude dignum sine usu, & exercitatione consequi possent:* Nam ut Plinius Senior ait, lib. 28. *Medicina præcipuè efficacissimus Magister, Usus.* Teste enim Augustino lib. 22. de civitate Dei, cap. 22. *Morborum genera non omnia in Medicorum libris sunt comprehensa:* Quod antiquitùs Medicorum Princeps Cornelius Celsus lib. 1. c. 2. dixerat per se quentia verba: *Rariùs, sed aliquando tamen morbus quoque ipse novus est, quem non incidere manifestè falsum est, cùm ætate nostra quædam, ex naturalibus partibus, carne prolapsa, & arente intra paucas horas expiraverit, sic ut nec nobilissimi Medici, neque genus mali, neq; remedium invenerint:* Plures morbos novos tradit Langius ex variis Auctoribus in suis Epistolis. Iam hoc volumine cuncta inveniuntur, quæ tunc silere potuerunt. Vive diù erudite Magister, Haud dubio, te conspiciente Galeno, libro, si quis optimus Medicus,

cus, ita loquebatur: *Certè nos* (inquit) *primum studium debemus in Philosophia consumere, si veri Hippocratis æmuli esse volumus; quòd si fecerimus, nihil impedit, quo minùs, illo meliores efficiamur, nedum, similes, si cognitis quæ ab ipso bene dicta sunt, cætera, quæ Artis desunt, ipsi inveniamus.* Patet jam dictum: Nam si Hippocrates Philosophia Regale desiderium provocavit, honores, divitiasque promeruit, ut ex Epistola, Artaxercis (Regum Regis) directa Istanidi Helespontì Præfecto, his verbis constat: *Hippocratis Medici Coi ab Æsculapio originem ducentis gloria Artis ad me pervenit; dato igitur ipsi de auro quantum voluerit, & reliqua abundè quibus opus habet, & ipsum ad nos mittito, nam optimatibus Persarum æqualis erit. Et si quis alius bonus Vir est in Europa, cum Domus Regis amicum facito, nil divitiis parcens: Viros autem invenire, qui Consilio præstent, non est facile. Vale.* Quid ergo mirum, quod Magnus Philippus Quartus Hispaniarum Rex, te Virum doctissimum amore quæsisset; Vive (iterum tefero) erudite Magister; triplici enim labore, paucis diebus unius Seculi occupasti incertum reddendo, discipulusne an Præceptor esses laudabilior: nam te vidit Academia discipulum erudientem, Magistrum, plura adhuc discere optantem: tali peritiâ tali studio flagrasti: hodie jam si tibi denegatur diù vivere, hæc volumina relinquis, quibus te vixisse testeris. Et cùm libri vivi sint Magistri, teste Plinio Juniore, libr. 2. tu per hoc, immortalis Præceptor & posteris permansurus es. Sed quid progredior, si forsan quæris censuram, applausum invenies; ad Operis approbationem, Opus sufficit. Vale.



DOCTOR SEBASTIANVS XARROSSO ANATOMIÆ Cathedram regens in Complutensi Academia, in Tomum tertium Laureæ Complutensis.

FÆLICI quidem adventu ad meas pervenit manus liber inscriptus *Laureæ Doctoralis Medicæ Complutensis Tomus tertius*, Autore *D. D. D. Francisco Henriquez de Villa-Corta*, ante in celeberrima Complutensi Academia Cathedrarum Vespertinæ, ac Primariæ Moderatore, postmodum *Philipi Quarti*, & nunc tandem *Caroli Secundi* Medico: Illum ergo cùm legerim, quem laudem ignoro, cui gratuler nescio. Dum enim librum laudibus cupio exornare, Autor mihi ob oculos obversatur laudandus; quem dum encomiis extollere incipio, liber sese offert laude dignissimus, meritisque de comparanda sibi laude *certatim pugnat uterque*. Dum autem Autori gratulari volo, Complutensis Academia sibi debitas de hoc triumpho exposcit laudes; húncque tertium etiam Lauream Complutensem appellari cupit, primum, & secundum, ab eodem Autore scriptum, æmulantem; ait enim ex ipsa talem doctrinam haustam in ipsam redundare debere. Nec mihi non gratulari possum, qui ex hoc libro doctrinæ perenni fonte rivos haud breves exhaurio: amœnissimo sapientiæ horto fructus uberrimos colligo. Ab his autem omnibus me credo expeditum: si librum ob Autorem, & ob doctrinam, quâ ille ditissimus est, laudibus afficiam maximis; si Autorem ob sapientiam, quâ pollet maximâ, & propter librum, cujus nos facit participes, gratiis prosequar innumeris, si ipsi de libro, huic de Autore, atque de utroque Complutensi Academiæ, & mihi demum lætitia ingenti congratuler: Et igitur Autor qui in hac celeberrima toto Orbe Academia in divina Medicæ Artis Facultate præstantissimus extitit Doctor, tot Cathedrarum Moderator, cujus industria, ac labore infirmi penè innumeri ad firmam utique valetudinem sunt revocati, testis sit hæc Academia, testis Regia Curia, inqua Divinus adest Apollo, ut Principum, Magnatum, & nostri tandem *Regis Caroli Secundi* vitas conservet, salutem tueatur, ac valetudini indulgeat verè hujus Sæculi Galenus. Nec hac industriâ in Orbis utilitatem contentus, duos anteà ediderat libros, quos laudare aliorum fuit munus, ac pensum uti credo, jucundum; ipsorum doctrinâ inde in hac Academia, ut clarior, firmior, & tutior eligitur defensando Autores semper encomiis resonantibus, ac de ipso illa Ecclesiastici verba cap. 38. prolata clamantibus. *Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatum collaudabitur.* Hujus ergo tam docti. Autoris prodit in lucem tertius liber. Et si, ut ait Seneca, *Oratio hominis vultus est*, &

Plato

Plato, *Liber est anima scribentis*: quis hic liber, aut potiùs dixissem, quis hic vultus? quæ hæc anima, quæ eis potentiis adeo præclaris ornatur, quæ tam subtilem, claram, ac firmam doctrinam elegerint: amplectantur, atque retineant. Hic liber, qui tali animâ fungitur, vel qui potiùs talis est anima non Medici liber, sed liber *Medicus* est, æstimandus. In eo theorica elucet præsertim maxima, subtilis, & ad discipulorum maxime acta: ejus Magistri nos discipulos fieri oportet, ut Magistri eâ fiamus: nullus enim Medicæ Artis Magister tutò esse potest, qui hujus libri renuat esse discipulus: in illo praxis non parum traditur, cujus adeo opus est hoc tempore, ut non possim non mirari divinæ providentiæ erga homines curam providentem, ut, quâ tempestate plurimi novi morbi homines fatigant, quorum notitia atque Medicina erat prorsùs incognita. Medicus in hoc libro paretur, qui huic calamitati occurrat. Eâ autem claritate hæc subtilis doctrina in hoc libro traditur, quæ discipulos allicit, eâ reliquorum sententias Autor efficaciâ refutat, & modestiâ, quâ falsas esse demonstrat, quâ eas mordacibus pungat aculeis. Quid plura? Qui novit Autorem, audiat librum, esse ejus animam, qui Auctorem ignorat, librum oculis percurrat, ut Autoris animam perscrutetur. Hunc ergo librum ego præsertim æstimo, de eo mihi gratulor, & Autori ob ipsum quàm maximas ago gratias, eo quod existimem mihi, & aliis, quamplurimum profuturum. Vale Complutensis Scholæ splendor & gloria, & me ut soles ama. Compluti 15. Octobris Anno 1678.

Tuus Amantissimus Discipulus,

DOCTOR SEBASTIANUS XAROSSO



VIRO CLARISSIMO DOMINO

DOCT. FRANCISCO HENRIQVEZ DE VILLACORTA,

OLIM IN COMPLVTENSI ACADEMIA APOLLINEÆ Facultatis dignissimo Primario, posteà Regis Magni Philippi IV. ac ejus Amantissimi filij Caroli II. meritissimo Archiatro.

UNIVERSI fama in summa laude te collocet. (Venerande Magister) siquidem scriptis magna emolumenta suscipient. *Magna laus est, & grata hominibus unum hominem in ea laborare scientia quæ sit omnibus profutura*, inquit Cicer. Nulli magis quàm nostro Doctori: nam toto animo, ac vigilantia sua ingeniosissima opera prælo mandavit anno 1670. ultimam Philosophiæ partem, utpote prima Medicinæ rudimenta, aliáque quam plurima theoremata pro Laurea Doctorali Medica, uno atque altero libro, vestigia nostræ Academiæ sectitantem, ardente animo, maximáque utilitate nobis largivit, non propiolucro, sed nostra æstimatione, & honore, quia Medicina *libera est, & Deorum munus*. Audi Ausonium hoc disticho.

Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ,
Officiumque meum cum pietate fuit.

Iterum, atque iterum famam invoco, alta voce acclamo cum Homero lib. 1. Odysseæ vers. 270. *Medicus unusquisque peritus supra omnes homines.* Igitur sapientia, & utilitate aliorum tertium librum ex tenebris Principum Medicorum in lucem extulis, ut pro coronide tanti honoris, laurique Doctoris Apollineæ Facultatis summa solicitudine, maximáque claritate meritò fruamur, ut Vegetius lib. 3. de re militari cap. 26. prædicat, nam *occasio in prælio, amplius solet juvare quàm virtus.*

O stupendum luminis ingenium. O miraculum naturæ, meritò invidiæ cruciamur tormentis, ut Horatius loquitur lib. 1. epist. ad Lolium.

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

Et Silius Italicus lib. 17. de Bello Punico hoc epigramma pronunciat.

é *O dirum*

O dirum exitium mortalibus, O nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia.

Quam dementiam procul à te eliminet (Clarissime Doctor) immò tanquam alterum Æsculapium in Arte quotquot stant Apollinea Doctores te aspiciant, atque venerentur, dignusque sis laude, gloriâ, atque omni honore, non minùs ac Podalyrius, ut refert Ovid. 9. de Arte amandi.

Quantus apud Danaos Podalyrius Arte medendi.
Æchi des dextrâ, pectore Nestor erat.

Vale.

Tuæ admirandæ doctrinæ observantissimus.

DOCTOR JOANNES CARRILLO.

NOs el Licenciado Don Alonso Rico y Villaroel Consultor del Santo Officio de la Inquisicion, dignidad de Capellan mayor en la santa Iglesia magistral de San Justo, y Pastor de la Villa de Alcala de Henares, y Vicario desta Villa de Madrid, damos licencia (porlo que a nos toca) paraque se Imprima el libro intitulado *tercero tomo de la Laurea Doctoral Medica Complutense*, compuesto por el Doctor Don Francisco Enriquez, Medico de Camara de su Magestad atento de nuestro mandado esta visto y examinado y no tiene cosa contra nuestra santa fee Catolica, y buenos costumbres. Dada en la Villa de Madrid, à treinta y un dias del mes de Agosto de 1678.

D. ALONSO RICO Y VILLAROEL.

Por su mandado
FRANCISCO NAVARRETE.

POr mandado del Señor D. Alonso Rico villa Roel Vicario en esta Villa de Madrid y su partido he visto el libro intitulado *tercer tomo de la Laurea Doctoral Medica Complutense* que à compuesto el Doctor Francisco Enriquez de Villacorta, Medico de Camera del Rey nuestro Señor y no hallo en el cosa que sea contra nuestra Santa fee Catolica, ny contra las buenas costumbres, antes me parece sera de mucha utilidad y provecho, para el bien comun y los Professores de la Facultad de Medicina y en especial de los estudiantes Medicos de la Universidad de Alcala à cuio provecho lo ordena principalmente su Author, y asi convendra se le de la licencia que pretende para imprimirlo, este es mi parecer, Madrid y Agosto 29 de 1678.

DOCTOR. JOAN. AMBROSIO DECUEVAS.

M.P.S.

M. P. S.

POR mandado de V. A. he visto el tercero tomo de la Laurea Complutense, que contiene los tradados *de Alimentorum facultatibus, de Victûs ratione, de Methodo medendi, de Crisibus, de Diebus decretoriis, De Balneis, de Locis affectis, de Venenis, de Sanguinis Missione ex talo in viris, & gravidis, lue venerea, & de Facultatibus naturalibus.* Su Author el Doctor Don Francisco Henriquez de Villacorta, Medico de Camara de S. M. Al precepto de V. A. debo el ser el primero en reconocer este Thesoro, y al Author el averle descuvierto y sacado de las intrincadas y profundas minas de Hipocrates. No me ha echo nouedad en el libro, lo que con singularidad ha manifestado tantos años en las Cathedras, y en las repetidas Iuntas, que con el Author he tenido; y Puede, aunque no lo confiessen ni la embidia ni ignorancia, proclamar hablando con los Hespañoles, lo que Hypocrates con los Griegos de Thesalia sobre el ara de Minerva *epistola ad aram consistentis: O Vos multi, & multarum urbium habitatores in magna dignitate constituti communi nomine Thessali, omnibus hominibus amara necessitas incumbit, ut quæ à fatis statuta sunt, ferant; quapropter ego nunc cedens olea ramulis coronatus, ad Minerva aram suplex consisto. Quis sim, ignorantibus dicere oportet: Hypocrates, ô Viri, Medicus Cous, cognoscitis me ô plebs nam profectò vos estis viri mihi familiares, inter quos, ut verum dicam, inter plerosque vestrûm, & in multis urbibus vestris cognitus sum, ut in summa dicam: At verò nomen meum longè ulteriùs, quàm forma mea aspectus processit.* Conocido por grande es este Author y con toda estimacion del general beneficio, que haze, dignissimo de que V. A. le de la licencia, que supplica, pues no contiene cossa contra nuestra Sagrada Religion: Madrid y Agosto 30. *de* 1678.

DOCTOR JUAN DE CHASSARRI ASCONA.

PRIVILEGIO DEL REY CATOLICO.

EL REY.

POR QUANTO por parte de vos el Dotor Don Francisco Henriquez de Villa Corta nuestro Medico de camara se nos hiço relaçion teniades acavado el tercer Tomo de Vuestras Obras que se intitulavà, *La Laurea Doctoral Medica Complutense*, y paraque la pudiesedes imprimir en Leon de Francia, donde estavan impresos los dos primeros Tomos: y nos pedirieis y suplicasteis nos serviesemos de daros licencia nuestra para la dicha impresion ô como la nuestra Magestad fuese y visto por los del nuestro consejo, y como por nuestro mandado se hicieron las diligencias, que por la pregmatica por nos ultimamẽte hecha sobre la impresion de los libros se dispone, fue acordado que deviamos mãdar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha raçon y nos lo hemos tenido por bien. Por laqual os damos licencia y facultad paraque por tiempo de dies años primeros siguientes que corran y se quentan desde el dia de la data della en adelante. Vos ô la persona que vuestro poder tuviere y no otra alguna podais imprimir y vender el dicho libro de que de suso se haçe mençiō por el original que va rubricado de Diego de Vrueña Navamuel nuestro Secretario de Camara uno de los que resieden en el Cōsejo en estos reinos de Castilla cōque antes que se venda los traigais antes los de juntamente con el original paraque se vea si la dicha impresion esta conforme al original ô traigais feé en publica forma de como por el corrector nombrado se vió y corregió dicha impresion por el original y mandamos al Impresor que asi imprimiese el dicho libro no imprima el principio ni primer pliego ni entregue mas que un solo cuerpo con su original al autor ô persona a cuja costa se imprimiere y para efecto de la dicha correccion asta què antes y primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro consejo y estandolo y no en otra manera puedā imprimir el dicho Principio y primer pliego y segūdo donde se ponga esta nuestra cedula y la aprobaçion que cerca dello se hizo por nuestro mandado y la tassa y erratas. Pena de caer y incurrir en las penas contenidas en las leyes y pregmaticas destos nuestros Reinos que subre ello disponen y mandamos que ninguna persona sin vuestra licencia pueda imprimir el dicho libro y si lo hiçiere a ya perdido y pierda todos y qualesquiera libros, moldes y aparexos que dellos tuviere y mas incurra en pena de cinquanta mil maravedis, la tercia parte para la nuestra camara, y la otra tercia parte para el que lo sentenciare y la otra tercia parte para el denunciador, y mandamos a los del nuestru consejo, Prezidente y Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguasiles de la nuestra Casa y Corte y Chācillerias y todos los Corregidores, Asistentes, Guvernadores, Alcades Majores y ordinarios y otros jueces y Iusticias qualesquier de todas las Ciudades, Villas y lugares d'estos nuestros Reinos y señorios que cada uno en su jurisdicion os guarden y cumplan esta nuestra cedula y contra lo en ella contenido no vayan ni pasen ni consientan yr ni passar en manera alguna pena de la nuestra Merced, y de dies mill maravedis para la nuestra Camara. Dada en Madrid à nueve dias del mes de Septiembre de mil seiscientos, y settenta, y ocho años.

YO EL REY

Por mandado del Rey nuestro Señor
Don Ignigo Fernandez del Campo.

Y dicho Don Francisco Henriquez de Villa Corta ha cedido dicho Privilegio à FLORIAN ANISSON, Veçino desta Villa de Madrid paraque en su nombre le pueda imprimir y vender en estos Reinos de Castilla y Leon, y no otra persona alguna, como consta de la escritura otorgada el dicho 16. de dicho mes de Septiembre ante de un escrivano de el numero desta Villa de Madrid.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAUTUM est autoritate Regis, ne quis in Regno suo, aliisve suæ ditioni subjectis locis, intra decem proximos annos, Librum qui sic inscribitur, *Francisci Henriquez Opera Medica*, absque LAURENTII ANISSON, Bibliopolæ Lugdunensis, permissu imprimat, aut divendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secus fecerit, mulctâ indictâ, prout fusiùs in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis 19. Septembris 1667. *Signatum* TESSIER

Desiit Prælum primæ editionis Tomi tertij, die 7. Junij 1680.

IN



INDEX

Tractatuum, Capitum, Sectionum, & Quæstionum hujus Tomi Tertij.



TRACTATUS

De Methodo Medendi.

Disputatio

De Consuetudine.



TRACTATUS

De Alimentorum facultatibus in communi.



TRACTATUS

De Alimentorum facultatibus in particulari.

V. De



TRACTATUS

De victûs ratione in morbis acutis.

SECTIO I.

De ratione victûs absolutè.

SECTIO II.

De victûs ratione in statu sanitatis.

SECTIO III.

De Potu.



TRACTATUS

De Balneorum natura & usu

SECTIO I.

De Balneo Sanorum.

SECTIO II.

De Balneo ægrotantium.

TRA



TRATATUS

De Prognosticis, & de Arte prænoscendi.



TRACTATUS

De Crisibus, & Diebus Decretoriis.

SECTIO I.

De Crisibus.

SECTIO II.

De Diebus Decretoriis, &c.



TRACTATUS

De Facultatibus.



TRACTATVS

De Venenis.



DE LOCIS AFFECTIS

Resolutiones Theoricæ.

DISPUTATIO I.

De morbis per consensum, & aut sympathiam.

Index Tractatuum, Capitum,

DISPUTATIO II.

De his quæ ad naturam, & usum musculorum pertinent.

DISPUTATIO III.

De differentiis dolorum.

DISPUTATIO IV.

De somno & vigilia.

DISPUTATIO V.

De capitis dolore.

DISPUTATIO VI.

De læsione memoriæ.

DISPUTATIO VII.

De deliriorum natura.

DISPUTATIO VIII.

De Phrenitide.

III. De

DISPUTATIO IX.

De abiis Tumoribus cerebri.

DISPUTATIO X.

De Lethargo.

DISPUTATIO XI.

De Typhomania, seu vigili comate.

DISPUTATIO XII.

De Caro.

DISPUTATIO XIII.

De Catoche & Catalepsi.

DISPUTATIO XIV.

De Melancholia Morbo.

DISPUTATIO XV.

De Mania & speciebus ejus.

DISPUTATIO XVI.

De Incubo.

Index Tractatuum, Capitum,

DISPUTATIO XVII.

De Vertigine.

DISPUTATIO XVIII.

De Epilepsia.

DISPUTATIO XIX.

De Apoplexia.

DISPUTATIO XX.

De Paralysi.

DISPUTATIO XXI.

De Convulsione.

DISPUTATIO XXII.

De Tremore.



DE AFFECTIBVS Oculorum.

DISPVTATIO XXIII.

De affectibus tunicæ adnatæ.

DISPU

DISPVTATIO XXIV.

De affectibus tunicæ corneæ.

DISPVTATIO XXV.

De morbis tunicæ uveæ.

DISPUTATIO XXVI.

De affectibus oculorum qui visionem lædunt ratione humorum oculi.

DISPUTATIO XXVII.

De his quæ contingunt vitio spirituum, circa læsionem visionis.

DISPUTATIO XXVIII.

De læsione visionis quæ contingit vitio nervorum opticorum.

DISPUTATIO XXIX.

De affectibus qui oculis contingunt propter musculos quibus moventur.

DISPUTATIO XXX.

De affectibus aurium.

DISPUTATIO XXXI.

De vitiis narium.

DISPUTATIO XXXII.

De morbis faciei.

DISPUTATIO XXXIII.

De affectibus Linguæ.

DISPUTATIO XXXIV.

De Ore.

DISPUTATIO XXXV.

De Angina.

DISPUTATIO XXXVI.

De vocis natura.

DISPUTATIO XXXVII.

De his quæ spectant ad respirationem.

DISPUTATIO XXXVIII.

De vitiis pulmonis.

DISPUTATIO XXXIX.

De Tussi.

DISPUTATIO XL.

De Peripneumonia.

DISPUTATIO XLI.

De sanguinis sputo & rejectatione.

DISPUTATIO XLII.

De Phthisi.

DISPUTATIO XLIII.

De affectu quem passus est Antipater Medicus.

DISPU

DISPUTATIO XLIV.

De Empyemate.

DISPUTATIO XLV.

De Plevritide.

DISPUTATIO XLVI.

De quibuſdam quæ ad cor ſpectant.

DISPUTATIO XLVII.

De Cordis Palpitatione.

DISPUTATIO XLVIII.

De Cordis Tremore.

DISPUTATIO XLIX.

De ſyncope.

DISPUTATIO L.

De vitiis œſophagi aut gulæ.

DISPUTATIO LI.

De his quæ ſpectant ad ventriculum.

DISPUTATIO LII.

De fame & ſiti naturalibus.

DISPUTATIO LIII.

In qua continentur vitia, quæ circa læſam apperentiam ventriculi contingunt.

DISPUTATIO LIV.

De his quæ pertinent ad facultatem expultricem ventriculi.

DISPUTATIO LV.

De his quæ pertinent ad coctionem ventriculi.

DISPUTATIO LVI.

De his quæ spectant ad effectus intestinorum.

DISPUTATIO LVII.

De quibusdam doloribus intestinorum.

DISPUTATIO LVIII.

De lumbricis intestinorum.

DISPUTATIO LIX.

De vitiis hepatis quæ ad distemperiem referuntur.

DISPUTATIO LX.

De vitiis compositionis jecoris.

DISPUTATIO LXI.

De affectibus vesicæ fellis.

DISPUTATIO LXII.

De vitiis lienis.

DISPUTATIO LXIII.

De lapide renum & vesicæ.

DISPUTATIO LXIV.

De symptomatibus contingentibus circa urinæ excretionem.

DISPUTATIO LXV.

De his quæ pertinent ad vesicam urinæ.

DISPUTATIO LXVI.

Quæ continet plura pertinentia ad instrumentum generationis.

DISPUTATIO LXVII.

De his quæ ad uterum spectant.

DISPUTATIO LXVIII.

De his quæ spectant ad virginitatem fœminarum.


DISPUTATIO LXIX.


De his quæ circa sanguinem menstruum sunt.

DISPUTATIO APOLOGETICA

De sanguinis missione ex talo.

II. De





TRACTATUS DE METHODO MEDENDI.

CAPUT PRIMUM.

De Sectis ad methodum Medendi Machinatis.

Totum Medici officium dirigitur in sanitatis tutelam, quam non dubiè consequitur, præeavendo morbos, ipsos propulsando, necnon sanitatem incolumem conservando, & tandem neutram dispositionem reducendo. Et cum nil sit difficilius, sicut neque excellentius in arte medica, quam cuiusque morbi auxilia percallere; ad eorum inventionem variæ fuerunt Medicorum Sectæ pro morborum medela, & sanitatis tutela; de illis loquitur Gal. *lib. de optim. sect. ad Trasibulum.*

Prima dicitur Empirica, seu experimentalis, ex eo quòd Medici Empirici, seu experimentatores, ad morborum medelam sola observatione, seu experientia utebantur; posthabita indicatione, citra causæ morbificæ cognitionem, & investigationem, & cæca cognitione de corporis naturali temperie, & de actionibus naturalibus, necnon etiam de recessu ab statu naturali, evacuationem solùm intuentes: sive à natura factam, sive fortuitò evenientem: quippe si in ægrotantis utilitatem accidebat, id semper observando, imitabantur; econtra vero si in perniciem tendebat, ipsam fugiebant evacuationem.

Secunda Secta erat Methodicorum Medicorum, qui solam rationem generalem morborum esse necessariam ad curationem existimabant, & nihil curabant de peculiaribus, & specificis differentiis morborum, nec de partis affectæ cognitione; omittebant etiam causarum, & facultatum naturalium indagationem, & omnium rerum, quæ ad veram, & legitimam medelam sunt necessariæ.

Altera, & Principalior Secta firmior, & securior ad morborum curationem est, quæ dicitur Rationalis, quæ nec sistit in experimento solo, sicut Empirica; neque in cognitione solius affectus, sicut Methodica; sed ultrà progrediendo, experimentum contemplat, ratiocinio adjunctum, affectus etiam cognitionem exquisitissimè inquirit, necnó etiam causam morbificam adamussim penetrat; varias etiam & specificas differentias, totius corporis naturam, cuiuslibet membri particularis officium, seu functionem; regionum, ætatum, sexuum differentias, & omnes, quantumvis minimas circunstantias ad extirpandos morbos, & tutelam sanitatis investigat; ita ut ex his omnibus Rationalis secta componatur: itaque Rationalis Medicus non curat ex libello, aut Commentario, sed ut in re quavis exercitata id quód ratio dictat, operatur; nec solo experimento, nec sola affectus cognitione; sed ratiocinio, & verà indicatione firmissimè ductus. Hanc sectam colimus ipsam assequi intendimus tanquam veriorem, & utiliorem; rejicientes primas duas tanquam falsas, & inutiles, ne dicam indignas nostræ artis.

Igitur Medicus Rationalis, ut artem, seu methodum curandi adimpleat, priùs affectum, quem nostra patitur natura debet dignoscere, deinde illius causas, tum externas, seu percatharticas, tum etiam internas, tam antecedentes, quam conjunctas, oportet, ut perpendat: item etiam partem affectam debet percallere, & tandem ad auxiliorum inventionem accedere debet per legitimos scopos, & indicationes, ut morbi sævitiam legitimè, & methodicè debellare queat. En igitur via, cui incipimus insistere; accessimus vero ad scribendum hunc tractatum, non quidem refutandi cupiditate; sed solo bono animo, in gratiam, atque utilitatem nostræ Complutensis, atque Amantissimæ, & semper Venerandæ scholæ; necnon ut studiosi facilè Lauream Doctoralem, & citra fastidiosum laborem assequantur; utinam ex voto id fiat. Sed tempus instat ut ad promissa properemus.

CAPUT II.

De modo, quo Medicus debeat operari circa rationalem Methodum.

Constat ex dictis Medicum rationalem, ut proprium munus adimpleat, debere priùs agnoscere morbum, & eius causas, necnon partem affectam, & omnes circunstantias requisitas ad rationalem sectam, seu methodum attinentes; in præsentiarum vero valdè necessarium judico, adducere aliquas regulas, & præcepta

præcepta dogmatica, quibus Medicus facilè possit agnoscere & prævidere ea omnia, quæ ad curationem esse necessaria proposuimus.

Et ut suo ordine procedamus, tanquam certum supponendum est, corpus humanum quatuor habere affectiones, seu statns diversos, juxta quorum diversitatem in Medico rationali diversa sint officia seu munera. Primus est status salutis simpliciter, qui conservationem expostulat, in quem Galenus de valetud. tuend. opusculum construxit: Secundus status qui in corpore humano reperitur, dicitur *salutis ut nunc*, per quem vivens licet actu sanum appareat, non tamen simpliciter & absolutè tale est, quia paratum est ægrotare ratione dispositionis, quâ gaudet, & hujusmodi status præcautionem exposcit. Tertius status dicitur morbosus in viventi qui curationem indicat. Quartus & ultimus dicitur status neuter, per quem vivens, neque omninò cessat ab operibus consuetis, neque ea perficit, sicut in statu salutis perfectæ, & simpliciter; & talis dispositio reductionem desiderat. Undè Medici officia erunt quatuor, nempe conservare pro statu salutis simpliciter, præcavere pro statu salutis ut nunc; curare pro statu morboso, & reficere pro statu, seu dispositione neutrâ, seu reducere talia corpora ad statum salutis de quibus omnibus agit Galenus lib. artis Medicinal. cap. 4.

Magis strictè loquitur Galenus circa hanc rem lib. 2. art. Medic. cap. 99. ubi solùm triplex munus seu officium Medici proponit: nempe conservationem salutis, curationem morbi, & præcautionem, seu præservationem circa illa corpora, quæ neutrâ dispositione laborant, in quibus opera naturalia non fiunt ea perfectione, & integritate, sicut in statu perfectæ sanitatis, neque ita sensibiliter læsæ, sicut in statu morboso: quid ergo de sanis corporibus ut *nunc*, dicemus, forsan diversum statum à tribus enumeratis constituunt? Videtur quidem posse reduci hujusmodi corporis dispositionem ad statum sanitatis; quoniam in corporibus sanis ut *nunc*, nulla apparet læsio sensibilis, sicut in corporibus neutris, in quibus licet non sit ita sensibilis læsio, quæ cogat ab operibus consuetis cessare (quod olim in morbosis fit) tamen in ipsis læsio sensibilis est: atque adeo cum vitia insensibilia solâ conservatione & usu eorum, quæ ad sanitatis tutelam pertinent, emendentur, seu reducantur; si toto rigore medico loquamur corpora sana ut nunc, minimè diversum statum constituunt, nec peculiare medici officium à conservatione requirunt, nisi forsan reluceat aliqua actionum læsio sensibilis, in quo eventu corpora neutra dicentur potius quam sana ot *nunc*; quapropter diversitas sanitatis simpliciter, & sanitatis ut *nunc* intra eamdem speciem debet reputari, solâ differentiâ secundum magis, & minùs, quæ minimè variat speciem medicam juxta communem consensum, & solum per convenientem usum sex rerum non naturalium hujusmodi corpora sana conservantur, aut eorum insensibilia vitia emendantur, nobis non advertentibus, quin ulla præcautio aut præservatio medici adhibeatur. Ita Gal. lib. de opt. sect. ad Trasibulum cap. 17.

Contra hanc Galeni doctrinam militat argumentum: nam ad artem nostram, quæ corpori humano tuendo, dicata est, pertinet tanquam proprium munus corrigere omnia vitia quæ corpori humano in quolibet statu accidere possunt, qualia sunt vitia, quæ in convalescentibus, & senio constitutis corporibus experimur, de quorum reductione sermonem instituens Galenus lib. art. medic. cap. ult. ait, *quæ autem reficit atque instaurat, in convalescentibus & senibus locum habet*: tunc sic. Officium reficiendi, & restaurandi, quod à convalescentibus, & senio confectis exposcitur, non attinet ad conservationem; quippe hæc solùm ad conservationem corporis in eodem statu dirigitur; & convalescentes, & senes renutritionem & restaurationem expostulant. Insuper neque ad partem curatoriam reduci potest: quandoquidem certum est, nec senes neque convalescentes morbo aliquo premi. Denique neque in his præcautio habet locum, cum nullus ipsis immineat morbus, ratione præcisivâ talis status, in quem præcautoria ars debeat occupari tanquam in morbum futurum & imminentem; etenim refectio & instauratio, quæ senibus, & convalescentibus debetur, solùm est reductio ad perfectiorem statum intra sanitatis gradum; cum ergo neque sit curatio, neque præcautio; neque conservatio: infertur non dubiè construendum esse alterum statum ultra tria enumerata à Galeno in quem Medicus specialiter pugnat.

Respondeo, renutritionem, convalescentium, & refectionem senum, ad conservationem pertinere; quia competit corporibus sanis, intra eamdem speciem sanitatis constitutis, secundum majorem aut minorem perfectionem; itaque senes & convalescentes per renutritionem, & restaurationem ad perfectiorem gradum sanitatis reducuntur; proindeque Medicus quando intendit reficere, & restaurare agit in corpora intra statum sanitatis constituta, & sic tale munus ad conservationem sine dubio reducitur, alterando corpus intra genus, seu speciem sanitatis, solùm secundum majorem, aut minorem perfectionem diversam: Audite precor Galenum lib. art. med. cap. 86. hæc omnia expressè dictantem. *Quoniam ad universum sanitatis genus referentes, non ad eas quæ secundum speciem differentias, quæcunque sanos conservant, conservativa omnia vocamus, sive præter id quod sanitatem conservat, ad melius totam traducant temperaturam, sive pristinum tantummodò habitum tueantur.* Quibus aureis profectò verbis rem à nobis explicatam clarè absolvit, ut superflua sit qualibet expositio.

Neque obstat quod Avicenna fen. 2. lib. 1. doct. 1. cap. 2. sermonem instituens de statu sanitatis, morbosæ & neutræ dispositionis, dixerit, quòd quando non est sanitas in ultimo, neque morbus in ultimo, est dispositio neutra: quemadmodum corpora senum & convalescentium, ubi videtur reducere ad præcautionem Medici statum convalescentis, & senum, non ad conservationem. Non inquam obstat, nam senes minimè dicuntur proclives, nec parati ad morbum, ratione suæ naturalis temperiei, & si cum illa non operentur ita perfectè sicut adolescentes, neque reduci possunt ad perfectam & absolutam temperiem, cum ea sit acquisita à causis naturalibus, & inevitabiliter operantibus: quare senum reductio impossibilis est: sicut neque humiditatis deperditæ reparatio. Rationem tetigimus nostro primo

primo tomo tractatum de ætatibus proprio capite, ex quo constat artem præcautoriam, ut non incidant in morbos imminentes ex vi suæ naturalis & ætativæ temperiei, impertinentem esse; cum ipsi sint in suo statu naturali, & sanitate pro illa ætate debitâ constituti, ac proindè hac ratione neuttam dispositionem tenuant.

De convalescentibus rigorosa significatione acceptis dixit Galenus lib. ad Trasib. cap. 7. esse sanos in affectione & non in habitu, & lib. art. medic. docuit, quod in illis parvus est sanguis, sed optimus, nec non inopia est spirituum vitalium, & animalium, viresque in ipsis imbecilles cernuntur, quare egent refectione, moderato & selecto alimento ad virium restaurationem; cum autem totum hoc sit intra genus sanitatis magis, aut minus perfectæ, ut supra insinuavimus; constat solam conservativam artem in illis habere locum, & minimè præcautoriam; at si loquamur de aliquibus convalescentibus qui stricto jure non sunt tales, in quibus forsan morborum reliquiæ perseverant, ratione quarum neque ultimò sani, neque ultimò morbosi dicuntur, quia aliquantulum læsas edunt operationes; in his locum habet re verâ præcautio & præservatio, ut illam præternaturalem dispositionem demamus, à quà imminet periculum incidendi in morbosam dispositionem. Cæterum si convalescentes velimus vocare neutros, quia non ita perfectè operantur, sicut sani perfecti, neque ita depravatè, sicut morbosi, quæstio de nomine est; quippe in illis solùm instaurationem & spirituum acquisitionem, medio optimo, & moderato alimento debet Medicus intendere, quod etsi præcautio in victu possit dici, sicut & in senibus, tamen quia defectus ille sanguinis, seu humiditatis non sit præternaturalis, neque in senibus, neque in convalescenibus minimè habet locum præservatio, aut præcautio rigorosa, quæ frequenter fit per aliquam evacuationem; unde status convalescentiæ, & senum rationabilius reducitur ad artem conservativam ut supra monuimus.

Rogabis: si convalescentibus & in senio constitutis convenit conservatio, quia corpora sana sunt, aut saltem pro sanis reputantur, & hoc fit mediâ nutritione, & restauratione, quam præcautionem in victu larga significatione possumus vocare, cur extenuatio, seu gradus ille siccitatis in convalescentibus restaurabilis est, & in senibus inevitabilis & irrestaurabilis undequaque censetur ab omnibus, etiamsi uterque status ad artem refectoriam, seu restauratoriam spectet.

Respondeo extenuationem, seu siccitatem posse accidere solùm per defectum sanguinis, quæ prima humiditas vocatur, & talis est exsiccatio & extenuatio in convalescentibus, quæ facilè reparatur, & minimè est in ipsis præternaturalis, neque constituit vivens in statu præternaturali; & insuper talis reparatio fit ex sanguine, seu substantiâ perfectiori quàm sit deperdita, ut pote deperditur à morbo, seu tempore morbi, & restauratur tempore sanitatis, seu convalescentiæ in quo est virtus firmior, & temperies accedens ad naturalem. Vlteriùs in viventi comparatur siccitas per defectum secundæ humiditatis aut tertiæ, & talis extenuatio & siccitas est morbosa & præternaturalis, & constituit primam & secundam speciem hæcticæ febris quæ sæpè, etsi difficilè curantur per restaurationem humidæ substantiæ, tandem est alia extenuatio seu siccitas ex consumptione partium solidarum quæ constituit tertiam speciem febris hæcticæ, quam Galenus vocat marasmum, & talis incurabilis est, & membrorum solidorum substantia omnino irrestaurabilis: siccitas autem senilis hujus generis est, ac proinde etsi mors naturalis & senilis ætas per artem modo possibili aliquantulum prolongetur per medicamenta humida substantifica; tamen ejus absoluta reparatio impossibilis est omninò, & senilis ætas evitari non potest, sicut neque mors naturalis, ut latè citato loco docuimus, ex quo constat restaurationem in senibus esse impossibilem; in convalescentibus omnino facilem, etsi uterque status ad refectoriam seu reparatoriam artem spectet.

Addimus etiam id quod verissimum est, nempe, quod cum vivens à principio in finẽ exsiccetur à causis naturalibus, & inevitabiliter operantibus, nunquam vivens, neque in statu pueritiæ, neque adolescentiæ, neque in qualibet ætate, in qua sit convalescens ex aliquo morbo, potest acquirere per nutritionem æqualem substantiam humidam, cum ea, quam perdidit (loquor de resolutione membrorum, seu partium solidarum, successione cujus fiunt ætates, & tandem accidit mors naturalis, sive fiat a causis naturalibus & inevitabiliter operantibus solùm, sive etiam à causis præternaturalibus juvantibus etiam ad citiorem resolutionem partium solidarum, à quibus citius succedunt ætates, & celeriùs mors advenit per defectum humidi, ratione siccitatis summæ ut accidit in Marasmo) ratio est: quia membra nostra commutant alimentum, assimilando, & alterando illud per qualitates, quas actu habent; sed partes, seu totum vivens à principio in finem exsiccatur, Galeno authore millies id dictante, per resolutionem humidi factam continuò, & perenniter, tum à nostro calido innato, & influxo, tum etiam à causis externis, quæ omnes citiùs agunt, quia intimiùs supponuntur applicatæ: ergo assimilatio quæ fit per alimentum, seu per nutritionem mediâ dispositione, seu temperamento efficientis comparatur: ergo cum à principio in finem temperies viventis sit siccior; seu minus humida, assimilatio etiam, & restitutio, quæ continuò fit mediâ nutritione terminabitur ad acquisitionem substantiæ siccioris, seu minus humidæ, quam erat substantia resoluta. Fulcitur discursus: nam facultas nutritiva operatur medio temperamento naturali partium: ergo alterat, & disponit alimentum pro nutritione medio calore, & siccitate (ut strictiùs luquar) remissiori humiditate, ac per consequens assimilatio fit etiam in substantia denuo reposita secundum qualitates primas, per quas fuit disposita pars alimenti convertenda in substantiam aliti; unde si à principio exsiccatur vivens continuò usque ad finem) etiamsi continuò nutriatur, non poterit reparari substantia æque humida cum deperdita. Præterquam quod nullum agens potest producere in passo æqualem, seu totam intensionem, quam in se habet, Philosopho præcone, ergo licet partes viventis remanentes, essent æque humidæ cum deperditis; nihilominus non poterunt conducere ad reparationem substantiæ æque humidæ.

Ex his deducitur: posse restaurari siccitatem

contractam in primâ & secundâ specie febris hæcticæ; nam consumptio humidi fit à calore præternaturali, reparatio vero fit à calore naturali, & humiditate; unde fit, quod abolito calore præternaturali, cum maneat temperamentum naturale illæsum medio quo fit restauratio humidæ substantiæ deperditæ in primâ & secundâ specie, quæ sola pars non est, sed ros, aut gluten, & insuper solidæ partes illæsæ perseverant, optimè intelligitur, quod possit restitui substantia æquè humida saltim ad sensum in dictis speciebus febris hæcticæ. At vero exiccatio, quæ fit per ætates, accidit per deperditionem calidi innati, & humidi radicalis, à quibus fit reparatio per nutritionem; unde fit, quod quantumvis alimentum applicetur humidum nunquam possit reponi efficiens ejusdem efficaciæ, & sic est inevitabilis naturalis mors, & successio ætatum; in hæcticis tamen removetur probibens, videlicet calor febrilis, non tamen omnino evertitur naturale temperamentum, nec calor nativus, nisi in tertiâ, & quartâ specie febris hæcticæ, quo etiam fit, ut siccitas contracta per has species sit irreparabilis, secus, quæ contrahitur per primas: & adhuc talis siccitas reparatur solum ad sensum Medici: nam siccitas, quæ adquiritur tempore primæ & secundæ speciei hæcticæ febris, vi causarum naturalium, & inevitabilium, etiam irreparabilis est in primâ, & secundâ specie; tamen quia ad sensum constat reparari id quod resolvitur à calore febrili; inde nascitur, quod absolutè dicatur restituta illa humiditas sensibilis deperdita in primis speciebus hæcticæ febris. Hæc dicta sunt nostro 1. *tom. disput.* 6. *de morte naturali*, c. 2. f. 53. in præsenti tamen ea reposui, ut præ manibus habeâtur ea volumina devoluâtur.

Sed objicies ex Galeno *lib. de optim. sect. ad Trasib. cap.* 25. ubi videtur docere curationem non esse propriam solius morbi, sed etiam causæ appropriari: perpendite verba. *Iam vero ex his etiam remediis, quæ adhibueris, curationem non à morbis; sed à causis indicari percipies, propterea quod remedia non effectis sed efficientibus adversantur.* Ex quibus verbis clarè infertur non solum morbis deberi curationem, sed causis; quandoquidem est certum in doctrinâ Galeni Medicum præcautoriâ arte uti ad causarum ablationem, quæ morbos creare possunt.

Resp. interdum complicari morbum factum, & causam, quæ futurum morbum minatur; & tunc morbus indicat curationem, & causa indicat præcautionem; & in hoc casu Gal. utitur nomine curationis, quæ comprehendit ablationem morbi, & ipsius causæ secus quando adest morbus factus, & causa, quæ morbum peperit abest: nam tunc solum debetur curatio; sicut quando causa adest, quæ nondum morbũ committit, ut Plethora, solum debetur præcautio; nunquã tamen Gal. utitur nomine curationis, quando sola est præsens causa, quæ nondum morbum factum creat, sed quando est complicatio morbi facti, & causæ nõdum facientis, sed minantis morbum: tunc enim cum mixta sit indicatio, non est peccatum in locutione, sumere indicationem curativam à causa; totum quod Gal. per aurea verba expressit 2. Aph. cõm. 22. *quoscumq;* morbos, qui ex repletione fiunt evacuatio *curat. &c.* in cujus textus expositione sic loquitur. *Vbi causa, quæ morbum peperit, abest, ibi tum sola facti morbi, & ejus symptomatum curatio restat: ubi contra, causa exempli gratia Plethora, quæ inest in corpore, morbum nondum committit, ejusmodi tum causæ remotio, ad eam artis partem referenda est, quæ à providendo dicta est; quando verò morbum jam facit, id tum quodammodo mixtum est; de morbo siquidem, quantum faciendum restat, id ne fiat providere oportet, quantum vero jam factum est, propriâ indiget curatione.* Quibus verbis totam rem mirifice comprehendit, & apprimè notificat, morbis deberi propriam curationem, causis verò præcautionem. *Vnde fit* (prosequitur Galen.) *quoniam ista, ex ea artis parte, quæ ne morbi fiant, providet, & ea, quæ morbos curat, mixta sunt, proprio hisce significandis, ut careamus nomine, propterea Medici alias, aliter appellant.* Ex his planè colligitur propter carentiam nominum, Medicos interdum consuevisse vocare curationem eam artem, quâ evacuatur causa morbifica cum potiùs præcautionem, seu providentiam rectiùs vocarent, si Galenicos rigorosò stilo imitari vellent. Neq; aliud voluit significare Gal. quam quod ubi causæ indicatio, & ea quæ morbi est simul jungitur, potissima sit, quæ à causa proficiscitur, quæ quidem, si & præcautoria sit, curatrix tamen dici meretur, quia præsentis morbi est indicatio.

Cæterum si prima Gal. verba perpendamus, videtur Medici officium esse corrigere, & mitigare symptomata, quâ mitigationem ad curatoriam artem attinere fatetur, per illa verba. *Vbi causa quæ morbũ peperit abest, ibi tum sola facti morbi, & ejus symptomatum curatio restat.* Vnde infertur non solum artem curatoriam versari circa morbos, verum etiam circa sympeomata. Porrò dubiolum propositum scrupulo caret, nam symptomata ex se illico evanescunt, curato, seu ablato morbo, & sic nullâ ex se indicant curationẽ, quatenus symptomata sunt, præter eam, quam exposcit morbus, à quo ipsa dependent, & sic meritò Galenus dictavit, morbum factum, cujus nulla est causa præsens, solâ curationem ipsius indicare, & symptomatum, quæ ipsum sequuntur, quæ eadem est; quod minimè opponitur his, quæ supea dicta sunt pro munere Medici. Attamẽ quia plura sæpe sunt symptomata, quæ convertuor ad se Medici attentionem, ex eo quod habeant rationẽ causæ debilitantis vires, & augentis morbũ, & tum quidem talium symptomatum mitigatio ad partem præcautoriâ sine dubio attinent, per cujus providentiam, nec morbus augetur, nec vires languescunt.

Tandem est in Medico alterum munus magni momenti, ne dicam divinum, nempe præsagium in morbis circa salutem, aut mortem ægrotantis, nec non etiam circa longitudinem aut brevitatem morbi, & circa accidentia, quæ ipsi interdum supervenire solent, quod etiam ad præcautionem spectat; quippè sine dubio conducit ad futuros morbos imminentes cohibendos.

Nec me latet Argenterium *l. de off. Medici* 11. munera Medici sextario numero comprehendisse, ex eò quod tot judicat Medici officia, quot corpus potest pati dispositiones præter naturam, quippè Medici institutum est, corpus ad naturalẽ dispositionem reducere; unde cum sanâ utitur dispositione corpus, in eadem conservari desiderat, si verò præternaturali statu apprehẽditur, mutari. Expẽdere tamen oportet causam; nam hæc aut morbũ minatur; & tunc præcautionem expostulat, aut actu morbũ causat, & curari exposcit. Rursus: quia in morbis sæpe evenire solent symptomata, ipsa mitigare, & corrigere opus est, & tãdẽ corpus, aut

ex

ex morbo convalescit, aut senectote dilabitur; in quo statu refectionem expostulat, cum hac tamen differentiâ, quod convalescentes ad primum statum per refectionẽ restituũtur; senes vero in codẽ conservantur, rationẽ supra tetigimus. En sex medici officia, nimirum conservate, mutare, præcavere, curare, mitigare, & reficere, quæ quidem variantur juxta corporis variã dispositionem; ita ut medicus diversimodè operetur pro diverso corporis affectu: totum ita esse libenter fatemur & solo oumeto officiorum discordamos ab Argenterio: quia sub quatuor à nobis numeratis, cætera comprehenduntur? hoc autem minimè rationalem methodum, nec medici obligationem pervertit.

His præmunitus Rationalis Medicus curationem perficiet conditionibus ab Hyppoc. adductis, nempe si citò, tutè, & jucundè occurrat morbis; citò fiet, non prætermissâ operaodi occasione in morbis acutis valde necessariâ, tutò si quando cessandum est, cessamus, & quando operandum est, operamur, tum debito auxilio, tum etiam quantitate, occasione, viâ, & ordine convenienti. Iucundè cum sine molestia ægrotantis omnia hæc exercentur, nisi forsan morbi acuties, & accidentium sævitia cogat Medicum operari citra hanc conditionem.

CAPVT III.

De natura, & quidditate Methodi Medendi.

CERTUM quidem inter omnes est Methodum medendi esse partem Medicinæ maximè necessariam, quâ per indicationes auxilia inveniuntur; illius primus inventor fuit vetustissimus, & semper colendus Hyppocr. ita Galenus 7. lib. method. cap.2. refert per sequentia verba. *Nam cum ab Hippocrate discesseris, qui nobis omnium salutarium preceptorum semina prebuit, reliquorum certè nemo vel conatus est genus hoc morbi, methodo curare. Postnlant autem, & qua Hippocrates ipse reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminent commodè, tum augeant, tum perficiant.* Hanc eamdem veritatem plane fatetur, lib. 5. meth. cap. 10. ubi reprehendens audaciam eorum, qoi se methodicos vocarunt. Prosequitur sic. *Qui (si quid mihi, qui neque ad gratiam quicquam, nec ad odium loqui soleam, est credendum) quum omnium ipsi medicorum maxime à methodo sint alieni, damnant (quatenus saltem scribunt) non solùm reliquos veteres, sed etiam ipsum omnis nobis methodi authorem Hippocratem.* Plane ergo fatetur Galenus artis medeodi primum authorem fuisse Hippocratem, neque ob id negare debemus rationales Medici, quantum insudaverit Galenus in reprehendendis Empiricorum erroribus, nec noo etiam in investigandia præceptis, & regulis generalibus, & particularibus adducendis pro rationali methodo.

Methodus ergo medendi, & curatio morborum parum inter se differunt: siquidem methodus medendi, nihil est aliud quam rationalis via, qua Medicus in curatione morborum debet incedere, & hac medendi methodo, quæ per indicationes progreditur, Medici dogmatici à reliquis sectis distioguotur, ut supra ostensum est: sic Galenus 4. lib. method. cap. 4. postquam Thesalij errores circa olcera curanda reprehendit; loquitur. *Quare hoc est methodo curare, quod nos facimus; veteres imitantes, si modo Methodum esse oportet, nnam quamdam universalem viam, qua omnium particularium sit communis.* Idem repetit. 1. lib. method. cap. 4. obi postquam reprehendit Medicos Empiricos, qui solâ experientiâ, & non methodo, quæ ratione nititur, agebant, nec non etiam summopere commendans, ne confundant experientiam cum rationali methodo, ipsam miscendo sic prosequitur. *Ergo methodo quippiam inquirere, invenireque ex adverso opponitur ei, quod est fortuitò, temeréque reperire. Est autem id cum via quadam, & ordine: ita ut in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum, & tertium, & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps; quoad demum ad ipsum quod ab initio est propositum, sit perventum.* Ea his clarè intelligitur methodum esse viam; seu rationem, quâ intellectus per discursum assequitur quâ ratione se debeat habere in morborum medelâ; sic à principio usque ad finem examinando, quid suo ordine faciendum est, exactè agnoscit, totum quod fit si Medicus rationalis generalibus præceptis sit instructus, ut deinde ad particulares morborum differentias, & species descendat; quæ commonem habent rationem sive geoericam, sive specificam, quam priùs cognosci est necesse, ut deiode exactè peculiares differentias per exercitationem percalleamus. Perpendite circa hanc rem Galeni verb. lib. 9. meth. cap. 6. sic fantis. *Pro comperto habentes non licere ullius artis scientiam nancisci, nisi, & methodum quandam habueris per universalia vocata theoremata, & in particularibus te exemplis exercueris, cum neque fieri possit, ut sine multiplici in agris singulatim exercitatione, quod ex usu fit facias, nec sine universalium cognitione probè exercitatio procedat, quippe cum in universalibus methodus, in particularibus exercitatio consistat.* Nihil clariùs; itaque qui finem cujuslibet artis consequi parat, duobus dictis instrumentis uti debet, nempe in universalibus theoremaris, methodo; in particularibua exercitatione. Ex hia planè deducitur necessitas methodi medeodi, non solum pro curandis, seu profligandis morbis, verum etiam pro ipsorum præcautione, & sanitatis tutelâ, seu conservatione.

Videtur tamen medendi methodum esse superfluam & præcipuè artem præcavendi, & conservandi sanitatem; quippe si esset necessaria, non esset utile uti quocumque alimento, aut quacumque aquâ homines in statu salubri, ut dictavit Hippocr. lib. de aëre & aquis: imò potiùs semper homines deberent eligere salubriorem potum, & selectiorem cibum, ot sanitas conservaretur, & ut non inciderent in morbos, juxta præcepia talis artis; atqui hoc non ita accidit; quippe Hippocrates 2. Aph. texr. 50. docet oportere aliquando ad insueta pertransire; quem sequitur Celsus prædicana homines per salutem nullis legibus debere adstringi: ergo videtur superfluam omnino esse artem servaodi sanitatem, & præcavendi. Confirmatur assumptum: etenim oatura ab intrioseco priocipio habet producere id qood sibi est debitum, & natorale, ut patet io reductione aquæ ad suam naturalem frigiditatem, quod in brotis per naturalem instinctum significavit Gal. 10. lib. meth. cap. 10. agens de utilitate balneorum per sequentia verba. *Ita verò, & rusi faciunt, ubi quod bal-*

nea non sunt, in stagna vel flumina seipsos conjiciunt, nullo medici suasu, sed ipsa gubernante corpus naturâ, ad id quod conducat impulsi. Qua eadem etiam ratione carentibus animalibus instinctum inseris ad eorum, quæ offendunt contraria. Siquidem ea quoq; ubi æstu vexantur, frigidâ se lavant, sicuti etiam ubi frigore urgentur, calida cubilia sibi inveniunt. Eodem contrarietatis studio etiam cum esuriunt, comedunt, & cum sitiunt bibunt: reliquáque omnia natura impulsu obeunt. Hinc disces superfluam esse curandi artem; quandoquidem homines nullo Medici suasu, nec ipsius præceptione, ad id quod conducit impellantur, ipsa gubernante naturâ; & id non solum in rationalibus accidere est notum, verum etiam in brutis, quæ solo instinctu naturali eligunt quod sibi est conveniens, & fugiunt quod est nocivum: frustra ergo est Medici imperium & inutilia ejus dogmata videntur.

Insuper etiam validatur assumptum: nam morbi omnes sunt contra naturam viventis, ut clamat morbi definitio, supra à nobis adducta, primo tomo; sed quodlibet ens ex se valet producere quidquid sibi est naturale, & debitum, sicut etiam propulsare quod sibi est præternaturale, & violentum, seu morbosum: ergo frustranea videtur methodus medendi, quandoquidem totum negotium est opus naturæ. In cujus rei confirmationem adducitur experimentum de morbo in solutâ unitate, & in amissione carnis, in quibus unio partium amissarum, & recuperatio carnis, est opus solius naturæ, quæ in se babet principium reductionis ad statum naturalem, hoc autem præstat, pellendo quidquid morbosum est: ergo supervacanea prorsua videtur ars curativa.

Nec valet si respondeas, quod quando morbus dependet à causa naturali conservante, indiget auxilio Medici ad ablationem causæ, quâ præsente, neutiquam potest à solâ naturâ superari morbus, proindeque necessaria est ars curativa: non inquam valet: quoniam Galenus lib. art. medicin. cap. 89. docuit *non alio modo mederi morbos, quam per alterationem causæ, & ipsius ablationem.* Perpendite verba: *esto enim si ita contigerit in humoribus putrescentibus accendi febrem; indicatio est in hujusmodi, evacuatio, atque alteratio.* Tunc sic: sed evacuatio, & alteratio sunt operationes ipsius naturæ; quippe ipsa alterat materiam morbificam, concoquit, & corrigit, & ulteriùs à facultate propriâ expellente eamdem materiam extra corpus propulsat, ut passim in morborum indicatione videmus: ergo sola natura conservat sanitatem, & morbis medetur: non ergo necessaria est medendi methodus.

Hæc non obstant; ut necessitatem hujus præclaræ artis & scientiæ seu methodi rationalis, negemus: hanc conclusionem notificavit Galenus 1. de sanit. tuend. cap. 1. per sequentia verba: *Sicuti si impatibile nobis, neque ulli affectioni obnoxium corpus esset, nullam desideraret artem, quæ ejus tutela praesset; cum verò numerosissimis affectibus expositum sit, certam sibi deposcit artem, quæ & omnia ejus incommoda perspicere, & ipsum ab iis tueri possit.* Constat ex his, Galenum expresse fateri necessitatem hujus artis, seu methodi medendi. Et ratione idem ostenditur; nam corpus nostrum à causis externis, & internis inevitabiliter operantibus continuò alteratur: ex quibus Galenus dogma sempiternæ passionis arguebat; sed ex tali continuâ, & perenni alteratione, necessariò oriuntur morbi, & tandem mors: ergo ars præcavendi talem alterationem, & curandi alterationem, seu distemperiem jam factam, erit simpliciter necessaria. Quâ ratione Galen. 7. de sanitat. tuend. cap. 6. tenet, nullum periturum ante debitam senectutem, neque aliquo laboraturum morbo, qui præcepta artis conservativæ servaverit: non ergo sufficit ipsa natura, ut se solâ valeat debellare côtra morborum insidias, neque ut possit sanitatem incolumem reddere toto vitæ periodo, usque ad naturalem & necessariam mortem, quæ à causis inevitabilibus celebratur, ut latè nostro primo tomo docuimus, tract. de morte naturali.

Vlterius admisso fundamento contrariæ assertionis; suadetur conclusio nam & si in quolibet ente sit à principio intrinseco virtus producendi quidquid est sibi debitum, & naturale, ut constat in reductione aquæ ad propriam, & debitam frigiditatem, nihilominus certissimum est, quod si non removeatur causa calefaciens aquam, minime poterit ipsa se reducere ad suam frigiditatem: ergo ut se moveatur causa calefaciens virtus aliqua altioris virtutis erit necessaria; ut inde ab ipso intrinseco principio aqua se reducat; sic ergo similiter eo ipso quod quis corripiatur aliquo morbo, licet habeat principium intrinsecum suæ reductionis, nihilominus, si non sit ars medendi, quæ mediis auxiliis superioris efficaciæ removeat causam conservantem, & producentem talem morbum, neutiquam poterit ab ipsa natura fieri reductio ad naturalem temperiem: ergo etsi natura sit morborum medicatrix, quatenus in se habet principium effectivum reductionis: nihilominus indiget adjutorio artis medicæ, ut per auxilia ab ea machinata, & inventa, auferantur impedimenta omnia, quæ habent rationem causæ conservantis, ut deinceps natura possit se reducere ad naturalem statum, ac proinde semper apparet necessitas methodi medendi, & præcavendi, nec non etiam conservandi nostra corpora, Vt omnia munera medici adimpleantur; totum quod præstat Medicus rationalis, quatenus præbet regulas ad operandum, tum ad auferendum quidquid præter naturam est, medio victu & auxiliis contrariis per se, vel per accidens morbo, aut ejus causæ, tum ad conservandum quod secundũ naturam est, similibus medicamentis, ita Galenus dictavit 2. lib meth. ubi docet servari, & custodiri sanitatem, servato debito temperamento, numero, & figura partium; idem tenet 1. de sanit. tuend. c. 2. ad sanitatis etiam tutelam valde conducit impedire causarum evitabilium & inevitabilium actionem modo possibili, propinato alimento temperato, & idoneo ad reparationem substantificam partium, quæ continuò dissipantur.

His servatis, bene stat, & componitur, ut interdum oporteat ad insueta pertransire, quippe aliud est quod ars medendi sit necessaria, ut satis constat ex dictis, aliud verò quod vivens debeat adstringi exquisitissimè regulis artis, quod non est certum, neque conveniens, etenim cum insueta molesta magis sint, quam consueta, ut Hippocrates docuit 2. aph. tex. 50. quem sequitur in expositione Galenus, si quis regulis artis adstrictus ita sit ut nunquam ab arte recedat, alterabitur sine dubio valde per quemcumque recessum, & periclitabitur vivens, ita Hippocratus text. 49. 2. section. citati aphoris. per sequentia verba, *qui consueti sunt solitos labores ferre, etiamsi invalidi sint, aut senes insuetis quamvis robustis,*

bustis , & juvenibus faciliùs consueta ferunt exercitia. Ex his deducitur utile esse ab arte recedere , & quacumque aquâ ; aut alimento uti , ut natura omnibus assueta melius ferat ea, quæ communiter offeruntur, quam si eis non esset assueta : est enim difficilè valdè omnia artis præcepta observare , & ut non facilè lædamur, ad insueta opportet pertransire, quod non tollit necessitatem artis medendi.

Animadversione tamen dignum est id , quod docet Avicenna *fen.3.l.1.doct.2.c.7.*scilicet,plures homines lædi alimentis ex propriâ naturâ utilibus , aut propter indispositionem subjecti , aut propter antipathiam, seu contrarietatem , quam habent cum talibus hominibus , econtra verò accidit propter sympathiam , seu simbolizationem bene se habere alimentis ex sua natura noxiis : huic doctrinæ consonat Hipp.2.aph.38. sic *parum deterior potus , & cibus , suavior tamen,melioribus & minus suavibus est præferendus* , quod accidit , sive ratione consuetudinis , sive propter specialem analogiam inter talia alimenta , & tale vivens : quâ ratione oportet si possibile fuerit peculiares naturas agnoscere : iuxta illud Hipp.1. de morb. part.3.text.1. sic fantis , *morbos dignoscimus ex communi omnium naturâ & cuiusque propriâ edocti :* hoc autem fit ex propriis signis manifestum.

Ex his argumenta in contrarium adducta facilè solvuntur : nam etsi verum sit plures homines conservari sine arte speciali medendi,non tamen sine præceptis naturali instinctu adquisitis ; aut fortasse quia ita robusta est natura , ut plura vitia superet, quod non tollit necessitatem nostræ artis , ex quo constat solutio ad primum argumentum. Ad 2. dicimus optimum esse consilium non assuefieri strictè legibus artis , ut ita non lædatur sentibiliter vivens à quolibet errore ; quippè difficilè est semper artis præcepta observare. Hoc autem non tollit necessitatem methodi medendi. Ad 3. dicimus , quod licet natura habeat producere , & conservare quod est debitum ; accidit sæpe ; ita ab excrementis gravari , ut nec coquere , neque expellere possit, quæ coquenda , & expellenda sunt , & sic indiget auxiliis artis, ut à contrariis liberetur.

Huius methodi medendi triplicem sortem assignavit Gal. lib.art. medic. cap.1. Prima dicitur resolutiva ; 2. compositiva ; & 3. diffinitiva. Methodus resolutiva dicitur : quia proposito fine , quem assequi intendimus ; omnes eius partes resolvimus , donec ad prima principia ; quæ irresolubilia sunt deveniamus. Hanc methodum tanquam securiorem , firmiorem , & principaliorem Rationales Medici exercere debent , si adequatam morborum curationem invenire cupiunt , sequentes Galenum,qui per omnes libros methodi , tali fuit usus methodo , & præcipuè 11. lib.cap.10. quem per otium legatis obsecro, ubi brevem & satis compendiosam doctrinam,& methodo resolutiva procedendo,ait, febrem putridam pendere à putredine tanquam ab immediata causa ; insuper tenet , putredinem oriri prohibita ventilatione ; & ulterius ventilationem prohibitam ab obstructione procedere ; & tandem obstructionem ab humorum crassitie , sive lentore , aut ob eorumdem multitudinem causari. Vnde qui curare febrem intendit resolutiva methodo procedere debet , usque ad ultimam , & irresolubilem causam , crassitiem videlicet,lentorem,aut humorum multitudinem , quam primó demere , & auferre Medicus debet ; ut Methodice curet febrem: itaque quod primum est in intentione Medici (Hoc est febris curatio) ultimum est in executione ; & quod ultimum est in serie causarum, est primum in executione peragendum:itaque ut curatio optimè perficiatur , & procedat; morbum ipsum non solùm sub generica ratione debemus agnoscere ; sed usque ad infimas differentias ; ipsum debemus subdividere , ut exinde auxilia necessaria adhibeamus , quæ immediaté pugnent contra specialissimam & infimam morbi speciem , & ipsius ultimam , & irresolubilem causam. Hanc methodum Gal. valdè extollit 1. lib. de art. cur. ad Glauc. cap.1. dicens. *Hic solus quantùm humanis permittitur viribus medendo non errabit.* Loquitur de Medico ; qui hac methodo utitur ; ad extirpandos morbos.

Compositiva methodus à componendo dicitur quia incipit à primis principiis , seu elementis ; usque ad finem ; itaque sicut resolutiva methodus est à compositis ad simplicia procedere; sic compositiva est à simplicibus incipere , & in composita terminari. Tandem definitiva methodus ea dicitur in qua generali propositâ definitione eius artis , quam docere intendimus per ipsam methodum tanquam per quædam capita omnes eius partes explicantur , ita ut non claudatur opus , donec omnia ad talem artem spectantia saltim in generali , sint explicata; Hanc methodum observavit Galen.lib.art.medicin. & quidem brevis est , & compendiosa , ne forsan ea , quæ semel comprehenduntur oblibioni mandentur.

CAPVT IV.

De Natura Indicationis.

OMNEM *medendi methodum per indicationem fieri* dictavit Galenus lib.2.meth.cap. 7. & immediatè prosequitur. *Quippe quidquid ab experientia sejunctum est , id totum indicatio nominatur.* Cum ergo institutum sit rationalem medendi methodum docere iuxta Galeni vestigia , meritò naturam indicationis indagandam suscipimus ut ipsa mediâ , salutis conservationem, & morborum propulsationem assequamur. in limine tamen capitis citati naturam indicationis ostendit per sequentia verba:*quippe ipsam sequentis,sive agendi insinuationem indicationem dicimus:*quasi diceret indicatio est agendorũ insinuatio.Hoc est cognitio eorum,quæ agenda sunt pro sanitatis tutela , & morborum propulsatione.

Specialiùs autem idem Author lib. de optimâ sect. ad Trasib.cap.11. indicationis conditionem, & naturam explanavit per sequentia verba , *est igitur indicatio juvantis comprehensio simul cum comprehensione nocentis adveniens , sine observatione , aut ratiocinio :* circa prima definitionis adductæ verba , communis expositio est , per comprehensionem juvantis intelligendam esse cognitionem auxilij , seu remedij , quòd opponitur , & contrariatur morbo ; talis autem cognitio oritur necessariò ex verâ, & legitimâ notitiâ morbi, quem debellare intendimus & insuper per comprehensionem nocentis, esse intelli-

gendos affectus præter naturam, qui sui ablationem indicant; & licèt ab aliquibus Authoribus non exprestentur; censeo per comprehensionem nocentis non solùm significari morbi cognitionem, verùm etiam causæ morbificæ, & symptomatum quæ subsequuntur murbum; quippè, & si ablato morbo, auferantur, plura tamen sunt, quæ habent rationem augentis morbum, & debilitantis vires, quæ non dubiè convertunt ad se curationem, & sui ablationem, seu mitigationem expostulant; unde non solùm indicatio, seu comprehensio nocentis, sumitur à morbo, qui immediatè & per se primò lædit actiones; verùm etiam à causa morbi, & dictis symptomatibus, quæ etiam lædunt: ergo comprehensio nocentis omnes affectus præter naturam importat, & involuit, ut jure optimo Medicus rationalis per eorum cognitionem auxilia machinetur contraria, ipsaque applicet, ut quidquid præter naturam corpus afficiat, & sanitatem vitiat, debellare possit. Ex his clarè infertur indicationem duo involucre in suo conceptu formali, & objectum indicans sui remotionem, seu ablationem; & Medici cognitionem seu comprehensionem talis objecti, ratione cuius movetur ad inquisitionem, & applicationem auxilij, seu remedij juvantis. Vnde objectum ex se non est indicatio, sed cognitio, seu Medici comprehensio, quæ terminatur in objectum, quòd indicat sui ablationem.

Cæterùm in hac re minimè est taxandus Argenterius qui lib. 2. de Medic. offic. cap. 3. tenet per comprehensionem nocentis esse intelligenda, quæ sunt morbo similia, sicut per comprehensionem juvantis, quæ sunt morbo contraria, qua ratione in febricitante, ab ipsa febre indicantur auxilia frigida, quæ ipsi contrariantur tanquam juvantia, & necessaria etiam est comprehensio calidorum auxiliorum tanquam nocentium, ut fugiantur, quippè omnia, quæ se habent ex parte morbi, & ipsi similia sunt, fugienda tanquam inimica, & adversa: ergo ad rectam morborum curationem, non solùm requiritur cognitio, seu comprehensio auxilij contrarij, à quo debellandus est morbus; verùm & notitia seu comprehensio similis est necessaria, à quo sine dubio augeri potest, aut conservari morbus, & per consequens per comprehensionem nocentis non solùm in indicatione debemus intelligere cognitionem morbi, causæ, & symptomatum, sed omnium quæ se habent ex parte morbi, qualia sunt similia, & coadjuvantia morbum, ut saltim præeautione utatur Medicus fugiendo ab illis. Vnde Rationalis Medicus, qui indicatione verâ, legitimâ nititur, non solùm debet comprehendere auxilia iuvantia, verùm etiam ea omnia, quæ nocere possunt, & se habent ex parte morbi; quæ similia sunt; meritò ergo in curatione febris, frigida adhibemus auxilia tanquam juvantia, & contraria morbo, & à calidis remediis fugimus, & ea vitamus tanquam similia morbo, & nocentia, non ergo doctrina Argenterij omninò est reprobanda, quandoquidem nulla est ratio, quæ contra ipsam militet.

In cuius rei confirmationem audite Gal. de opt. sect. ad Trasib. cap. 5. ubi sermonem instituens de diversarum artium officiis, de arte medica pronuntiat esse inter eas, quæ faciunt, & cōservant; & antecedentibus Verbis, ait: *Non enim tanquam inutile refutandum est, quòd ad conservationem non conducit, sed diligenter perquirendum, num quippiam ad eius, quòd non est, productionem conferat.* Ex his deducitur contra quemdam Neotericum nostræ scholæ, & in favorem Argenterij, quòd licèt ea quæ sunt similia morbo, & nocere possunt, actu non sint; nihilominus eorum comprehensio sit necessaria ex parte indicationis; *quippe eius, quod non est, productionem, confert.* Saltim impediendo, & vitando actionem eorum, quæ similia sunt morbo, quatenus morbum augere possunt, aut conservare, si non vitentur. Clariùs tamen in fine capitis Argenterij doctrinæ adductæ favet per sequentia verba. *Siquidem nobis apta effi.ere cognoscentes, modo ipsa nocentia summoventes, sanitatem acquirimus; modo ea devitantes, ipsam præsentem conservamus.* Ergo devitantes ea, quæ nocere possunt, sanitatem conservamus; cum igitur Medici Rationalis principalis finis, sit sanitatis conservatio, in quam præcipua indicatio dirigitur, & ea consequatur, devitando ea, quæ nocent, sequitur profectò comprehensionem eorum, quæ nocere possunt esse necessariam pro indicatione, quia sanitas conservatur, vitando omnia ea, quæ se habent ex parte morbi, & ipsi sunt similia, quæ licet non auferantur, quia non sunt præsentia, sicut morbus, & causa, nihilominus impeditur eorum actio fugiendo ab illis, quod sufficit ad indicationem complendam, & ut meritò possimus pronuntiare eorum actionem aufferri, quippe eam impedire, aufferri suo modo est.

Cæterùm ut clariùs constet natura indicationis, perpendenda sunt ultima definitionis verba, in quibus nos monet Galenus indicationem omninò excludere observationem, seu experientiam, de qua sic loquitur cap. 10. de opt. sect. ad Trasib. *At experientia, est eius quod sæpiùs & eodem modo visum est; observatio atque memoria, idem verò est observatio, & experientia.* Et immediatè post, alterum curationis modum proponit, quem etiam excludit indicatio vera, & dicitur Analogismus. Sic autem describitur a Gal. *Analogismus autem est comparatio, & perceptio causarum juvantium per similitudines*, qua ratione sermonem faciens capite antecedenti de Analogismo ait. *Mespilum igitur quoniam gustabilem qualitatē Cotonei saporis similem habeat dysentericus exhibetur.* Ex his deducitur Medicum operantem per solam legitimam, & veram indicationem; neque moveri ab eo, quod observatione, aut experientiâ, sæpiùs, & eodem modo visum est; neque ex cognitione causarum juvantium per similitudinem, sed præcise curationem moliri ex comprehensione juvantis, simul cum comprehensione nocentis, quin attendat ad observationem, seu experientiam, neque ad Analogismum. In quo videtur taxandus Galen. quandoquidem in definitione indicationis non expressit *sine Analogismo*, quemadmodum dixit sine *observatione*, & *ratiocinio*. Certè de utroque modo curationis eadem currit ratio; sed forsan in definitione indicationis tacuit illa verba *sine Analogismo.* Quia virtualiter sub experientiâ continentur, quippè quidam observationis modus est Analogismus, aut quia molestiam verborum fugere voluit, in definitione, quæ brevis oratio debet esse, iuxta Philosophi doctrinam; quandoquidem in ipso capite post aductam definitionem indicationis, de Analogismo descriptionem adduxit.

duxit. Sed tempus est ut ad ultima verba adductæ definitionis properemus, videlicet *sine ratiocinio.*

Videtur tamen indicationem minimè posse excludere ratiocinium sive discursum, quandoquidem cognitio morbi, & ipsius causæ sæpè sit ita occulta, & accidentium varietate involuta ut titubet mens, & nisi ex præmissis aliquid inferat, & conjecturam faciat, omninò ignoret morbi naturam & ipsius causam; ideoque meritò oraculum Hipocrates in limine suarum sententiarum valdè conjecturalem esse artem nostram medicam prædicavit. Si ergo conjectura est necessaria ad adipiscendam artem medicam, & præcipuum ejus instrumentum est indicatio; quâ ratione intelligibile est comprehensionem nocentis, nomine cujus saltim morbi, & causæ cognitionem intelligimus, & comprehensionem juvantis, nomine cujus auxiliorum juvantium virtutem prænoscimus posse fieri citta raciocinium aut discursum?

Circa hanc difficultatem socius noster supracitatus in suis manuscriptis exponere intendit Galeni verba, & acerrimè intendit, Galenum solùm negasse discursum, seu ratiocinium formale in definitione indicationis, minimè verò discursum virtualem, sine quo natura indicationis intelligi non potest: Vnde licet indicatio excludat discursum formalem, minimè verò discursum virtualem excludere potest, & haoc esse Galeni mentem insinuat.

Porrò si quis caput. 10. libri de opt. sect. ad Trasibulum, attentè legat, videbit sanè valde sinistram esse expositionem à nostro socio adductam, & omninò extra Galeni mentem, nam adducens utilitatem observationis, & analogismi, & accedens ad utilitatem quæ capitur ab indicatione, sequentia verba adducit. *Quemadmodum igitur sensus evidentium aliqua per seipsa percipiunt, ut album & atrum, nonnulla adhibita observatione, ut ea quæ per notas dignoscuntur: ita & juvantia quædam per indicationem patefiunt, simul enim cum indicationibus obvia sunt, nulliusque cogitationis ope indigent.* Ex his clarè deducitur indicationem omnem prorsùs cogitationem excludere non solùm formalem, sed & virtualem: aliàs non diceret nullius cogitationis ope indigere indicationem, si forsan esset necessaria cogitatio virtualis, seu discursus virtualis; cum terminus negativus omnium exclusionem importet in sillogisticâ doctrinâ. Et quod majoris admirationis est in hac re, quod socius noster adducat verba Galeni nuper relata, ut probet non excludere ratiocinium virtuale in definitione indicationis: quod omninò esse extra rem apertè demonstrant Galeni sequentia verba, nam postquam de indicatione dixerit, nullius cogitationis ope indigere, sic prosequitur. *Hanc enim ob causam, & animantia ratione carentia æstum, algorem, semelque omnia nocere valentia, quoad ejus fieri potest, vitare conantur, simul videlicet eo quod juvat se se offerente. Paxillo enim, aut aliquo alio in membrum defixo, nullus cogitatione præmissa revellit. Quare quod in apertissimis, & sine controversiâ concessis reperitur, id nimirum, & in perceptis ex indicatione contigerit. Quædam igitur proportio indicationi, cum sensui, intellectuique manifestis intercedit.* Ecce Galeni verba licet prolixa apertè declarant, quod quemadmodum bruta ratione carentia nocentia vitare conantur, & suo naturali instinctu, quod juvat prosequuntur: sic Medicus in morborum medelâ indicatione operans juvantia agnoscit & applicat nullâ cogitatione præmissa, tanquam in re manifestâ sensui & intellectui, ergo ex Galeni verbis nullo modo colligi potest, necessarium esse discursum virtualem in indicatione, quippe in apertissimis, & sine controversiâ concessis omnis ratiocinatio est superflua: si ergo idem accidit & reperitur in indicatione, quod in apertissimis & sine controversiâ concessis, ut planè Galeni verba testificâtur, infertur evidenter indicationem virtualem discursum omninò excludere tanquam res manifestissima, & sine controversiâ concessa.

Sic nobis videtur dicendum quod licet ad cognitionem morbi, & suæ causæ necessarius sit discursus, & ratiocinatio sive virtualis sive formalis, ratione cujus ex accidentibus tanquam ex præmissis deveniamus in cognitionem morbi, & causæ morbificæ, quandoquidem sæpè dubia sit morbi præcognitio ob accidẽtium quæ ipsum sequuntur confusionem & similitudinem cum altero, ut falleret Galenum ipsum, qui 2. lib. de loc. affect. cap. 3. planè fatetur dolorem colicum à pituitâ vitreâ ortum ita vehementem, ut videretur in intimo ventre terebro perforari, esse nephriticum seu renalem, eo quòd occuparet illud spatium per quod à renibus ad vesicam ureteras scimus extendi. En Galenum Medicum & Philosophum eximium, in hoc morbo proprio ita deceptum; signum profectò testificans hos morbos distinguere esse valdè laboriosum; & quidem sine dubio fateri debemus Galenum usum fuisse acuratissimo discursu & ratiocinio, ut naturam morbi quo crudeliter premebatur, dignosceret, ut inde per veram indicationem medelam institueret; quod plerumque doctissimis viris accidit, ut ad morbi & causæ cognitionem deveniant: liquidum ergo manet necessarium esse discursum sive formalem, sive virtualem, ad cognitionem indicantis, seu morbi, quo cognito illico absque ratiocinio manifestè pullulat indicatio, seu comprehensio rei juvantis, supposit à comprehensione rei nocentis seu indicantis, ad quam nullo modo potuit negare Galenus esse necessarium ratiocinium, ut ex ipsius historiâ relatâ constat. Vnde infertur indicationem importare in suo intrinseco conceptu comprehensionem juvantis auxilij sine discursu nec virtuali, tanquam in re manifestâ & evidenti, suppositâ comprehensione nocentis, quæ aliàs per discursum supponitur acquisita, quo benè stat ut verificetur de indicatione, ut sit comprehensio juvantis, simul cum comprehensione nocentis sine observatione & ratiocinio. Itaque certum est juxta mentem Galeni non esse necessarium discursum, ut auxilia indicata cognoscantur, eo ipso quod naturam morbi, seu indicantis comprehendamus; totum quod videtur docere Galenus lib. ad Trasibul. cap. 10. citato supra, per illa verba, *quando enim cum nocentibus juvantia pariter occurrant, tunc neque observatione neque analogismo utendum, quandoquidem ipsa nocentia quid expediat, manifestent.* Hoc autem fit sine ratiocinio, quod in re manifestâ supervacaneum omninò est, unde licet supponatur ad cognitionem morbi & ejus causæ, eo ipso quod notoria est absque ullo discursu pullulat comprehensio juvantis auxilij, quæ simul adest cum comprehensione nocentis, etsi antecedenter cognitio

gnirio nocentis medio in cursu indagatur. Si autem Argentetinum sequamur quatenus per comprehensionem nocentis exponit Galenum in ordine ad materiam medicinalem per comprehensionem seu cognitionem rei quæ nocere potest; clariùs constat comprehensionem juvantis fieri sine discursu ullo & proinde comprehensionem nocentis ità fieri, cognito juvanti, quippe in febre refrigeratio, sine discursu agnoscitur conveniens, & calefactio disconveniens; clariùs tamen pro nostra resolutione Gal. cap. 11. lib. citat. ad Trasib. postquam adduxerit definitionem indicationis supra adductam, sic loquitur, intendens clariùs describere indicationem. *Indicatio est quando rebus percipiendis simul, & quod confert, percipitur absque demonstratione & observatione*. Ex quibus verbis patet quod in indicatione solùm percipitur, quod cõfert absque demonstratione & experientiis. Vudè illud verbum *absque ratiocinio* in rigore solùm appellat suprà *comprehensionem juvantis*, quæ fit sine demonstratione, supposità comprehensione nocentis, seu indicantis, aut morbi, quæ sine dubio acquiritur per discursum, qui antecedit ante morbi cognitionem juxta ea quæ nuper dicebamus in nostra expositione, quæ valdè consonat cum mente Galeni.

Denique ex his deducitur quod quando Medicũ latet morbi & causæ legitima cognitio, debet confugere ad observationem, seu experientiam, quæ est memoria illius quod sæpè visum est, & hac ratione posuit Galenus exemplum in usu pro stupore dentium. Cæterum quia interdum se offert curatio morbi ignoti & insoliti, cujus nulla est observatio aut experientia in ordine ad auxilia juvantia; tunc necessitas cogit ut recurramus ad ultimum instrumentum curationis, quod dicitur Analogismus, & definitur à Galeno cap. 11. citato, ex eo quod sit *comparatio & perceptio causarum juvantium per similitudinem*. Hac ratione, ignorato dolore renali seu nephritico, per similitudinem utimur auxiliis, quæ in colico dolore conferunt, & quando ignotus erat morbus Gallicus, quia symptomata ipsius assimilabantur scabiei malignæ, quæ hydrargiro extirpabantur eodem remedio pro extirpando morbo gallico utebantur Medici, & talis curatio jure optimo complebatur per analogismum.

CAPUT V.

Quæ sint præcipua indicantia in curatione.

VArius quidem videtur Galenus circa numerum indicantium; nam lib. 9. meth. cap. 14. expresè tenet tria esse indicantia, ex eo quòd tres indicationes ab ipsis solùm sumantur, perpendite verba, quæ in limine capitis adducit. *Medicatoriæ indicationes à morbo ipso sumuntur, a corporis temperamento & tertiò ab ambiente nos aere, quodsi alia quædam antea sint posita, vel postea, non hæ modo, verumetiam alia dicentur, omnes tamen ex his in partes diductis nata videbuntur.* Ex his clarè deducitur tria tantum esse præcipua indicantia, nempè morbus, natura, seu temperies, & aër nos ambiens; à quibus tres indicationes medicatoriæ præcipuè desumuntur, & si forsan alia præter hæc indicantia sunt posita, aut ponenda, non quidem sunt præcipua, sed ad tria præcipua enumerata sunt reducẽda tanquam membra ipsorum hæc est Galeni mens: clariùs tamen ipsam declarant verba, quæ adducit circa medium capitis citati, sic ait, *hæc itaq; tria illa prima sunt quæ curationem indicant, nempe ambiens ipse cum geminis corporis sive affectionibus, sive constitutionibus libitum est appellasse, una naturali, altera quæ præter naturam sit, quæ sanè morbus est.* Expresè ergo fatetur tria esse præcipua indicantia, morbum scilicet, naturam, & aërem ambientem, & consequenter solùm esse tres indicationes; dictavit immediatè post sic, *non posse plura esse genera indicationum, quæ ad medendum pertineant, quam tria, quæ modo diximus ex ipsa rerum substantia scire licet, nam morbus & sanitas corporis sunt affectus, ille se tollendum, hæc se tuendam indicans, ambiens vero is est sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest.* Ergo ex his sanitas, morbus, & aër ambiens sunt præcipua & prima indicantia.

Capite vero 15. sequenti sanitatem & morbum tanquam duo præcipua indicantia numeravit. Audite verba. *Iam primas quoque illas tres, quas memoravimus fieri potest, ut redigas ad pauciores, sicut duo eorum quæ curationem indicent, omnino capita sint, nempè præsens affectus quem morbum nominamus, & qui prius fuit, quem sanitatem & naturalem habitum diximus.* Ecce tres indicationes supra adductas reducit ad duas, quæ correspondent solùm duobus indicantibus, nempe sanitati & morbo. Vlteriùs capite citato immediatè post adducta verba, unam solam indicationem sub generali nomine adducit, quam explicat per contrarietatem, sic, *neque enim aliud est ipsa sanatio, quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio, cùm autem contrarij hi affectus sint, necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio, atque ita rursus una sola erit curationum maximè generalis indicatio nempè contrarietas.* Licèt ergo colligere solùm esse unum indicans, cui correspondeat una generalis indicatio contrarietatis reciproca, quâ fit eorum alterius in alterum translatio.

Pro clariori intelligentia & propositæ controversiæ resolutione, primo notandum est: indicans & scopum idem esse, & utrumque significare id à quo sumitur indicatio: ità sentit Valles. noster lib. meth. cap. 5. ubi de scopo, seu indicante ait esse illud in quod oculos mentis intendimus, quatenus cognitis his, quæ secundum naturam sunt, intendimus ea conservare, & quæ contra naturam sunt auferre, qua ratione ea, quæ indicant ad remedij cognitionem faciunt, suppositis artis præceptis, quibus docemur similia similibus conservari, & contrariis curari contraria; Vnde similia auxilia iodicata dicuntur, sumpta ab indicante indicatione, ad cognitionem, & applicationem similium, totum quod notificavit Galen. lib. 10. meth. cap. 1. per sequentia Verba. *Tres primi scopi sunt, qui in propositis febribus agendorum indicationem nobis præbent.* Vbi expresè scopus indicantia nominat, & auxilia, seu remedia indicata, cum teneat esse quæ præbent agendorum indicatio-

nem

nem. Vlteriùs advertendum eſt: alia eſſe indicantia abſolutè; alia verò prima, & præcipua indicantia: abſolutè indicantia dicuntur quæcumque ſunt reſpicienda, ut artifex operetur, quatenus à quolibet eorum ſumit agendorum indicationem, ita ut pro quolibet, hoc aut illud fiat, prout comprehendit operari aut non operari, ſive quieſcere, iuxta illud Hipp.6.epid. ſect.2.text.19. dicentis: *Contraria paulatim factâ acceſſione adhibenda ſunt, & interquieſcendum,* quapropter indicantia abſolutè dicuntur omnia illa, quæ præbent indicationem operandi, aut non operandi, ſeu quieſcendi, ſive pro conſervatione, ſive pro deſtructione, hoc eſt, aut in ſtatu ſalutis, aut morbi, totum quod habet locum tum in præcautoria indicatione, tum etiam in conſervativa.

Indicantia prima, & præcipua dicuntur ea, quæ per ſe, & immediatè, id quod faciendum eſt, indicant, interventu quorum cætera alia indicant; itaque in hoc diſtinguntur indicantia prima, & præcipua ab aliis, quæ ſecundariò & ratione alterius indicant, quod prima indicantia ex ſe, & citra alterius interventionem, hoc aut illud auxilium poſtulant, at minùs præcipua, & ſecunda indicantia, non quidem per ſe ſed potiùs ratione primi indicantis indicant, ac proinde ſub indicantibus primis comprehenduntur, aut ad ipſa reducuntur.

His poſitis primò certum eſt plura indicantia abſolutè reperiri, quatenus plura ſunt, quæ ſine dubio, hoc aut illud faciendum eſſe demonſtrant, ſic morbus, eius cauſa, virtus, temperamentum, conſuetudo, ætas, regio, aër, tempus anni, & morbi tempus; ex quibus enumeratis morbus & ipſius cauſa, auxilium pro ipſorum ablatione indicant, offerendum: tempus morbi occaſionem, demonſtrat, ratione cujus interdum convenit operari, & aliquando quieſcere oportet: ſic Hipp. 1. aph. tex.11. in acceſſionibus abſtinere prædicat, quem ſequitur Galenus in expoſitione, & 9.meth.cap.14. Reliqua enumerata, dum pro morbo faciunt, & ex parte illius ſe habent, expulſionem indicant; exterum ſi ex parte naturæ ſe habeant ſui conſervationem indicant, ita Hipp. dictavit 1.aph.text.2. in quo ſermonem inſtituens de ſpontaneis evacuationibus, monet inſpicere oportere, & tempus, & regionem, & ætatem, &c. Vbi ex ipſis indicationem ſumo, ſaltim ad humorum peccantium cognitionem, ut in expoſitione, citati textus docet Galenus, & ratione ſuadetur hæc concluſio: nam indicans dicitur, id, à quo ſumitur indicatio agendorum; ſed ex quolibet ex dictis, ſumitur indicatio operandi, aut non operandi hoc aut illud: ergo omnia ea, quæ ſunt enumerata abſolutè dicuntur indicantia.

Difficultas tamen maior reſtat circa numerum eorum, quæ prima, & præcipua indicantia dicuntur, ea ſcilicet, quæ primò, & per ſe indicant, & ad quem omnia alia, quæ abſolutè, & ſecundariò indicant, redducuntur. In hac lite Doctiſſimus noſtræ ſcholæ Recentior, & Anteceſſor noſter in ſuis manuſcriptis docuit tria eſſe prima, & præcipua indicantia, morbum, cauſam morbi, & naturam: quem ſequitur in omnibus alter Socius noſter etiam in manuſcriptis. Hanc concluſionem ſuadere conantur ex Galen.9. lib. meth. cap.9. Vbi de diaria febre loquens ait. *A ſola ipſa febre indicationem ſumi, minimè verò à cauſa, neque à viribus; quia neque illa adeſt, neque vires patiuntur.* Vnde infert tria eſſe prima, & præcipua indicantia, quorum primùm eſt febris ipſa diaria; alia duo omiſit, nempè cauſam, & vires, quoniam cauſa non erat præſens, neque vires in diaria febre depopulantur: ſentit ergo abſolutè tria eſſe præcipua indicantia, videlicet; cauſam, morbum, & vires. Clarius tamen idem teſtificatur Gal. lib.10.meth.cap.1. loquens de putrida febre, per ſequentia Verba. *Ita ſit ut tres primi ſcopi ſint, qui in propoſitis iam ob putredinem febribus agendorum indicationem nobis præbeant, una febris ipſa, altera effectrix eius cauſa, tertia vis ipſa naturalis.* Nihil clariùs pro hac concluſione videtur adduci iuxta Galeni mentem. Ratione etiam intenduot ſuadere idem aſſumptum: quoniam prima, & præcipua indicantia dicuntur, quæ per ſe primò manifeſtant ea, quæ agenda ſunt; ſed in quolibet morbo curando tria ſunt; quæ primo debent conſiderari, nempè morbi ipſius natura, eius cauſa, & ſubiectum, ſeu vires; ergo in morborum medicatione, tria ſunt indicantia prima, ad quæ reſpicere debet Medicus, ut ritè operetur, nempè ad morbum; ad eius cauſam, & ad vires, quorum duo prima debellari poſtulant: tertium verò conſervationem expoſcit.

Hoc placitum ſugillare intendit Magiſter meus in ſuis manuſcriptis, quoniam Galenus locis citatis, minimè intendit numerare iodicantia diverſa, prout diſtincta ſunt, aut iodiſtincta in ratione generica indicandi; ſed numerat ea quæ in febribus reperiuntur, ſive ſub eadem ratione indicent, ſive ſub diverſa; neque agit ſpecialiter Galenus de numero iodicantium; ſed de illis, quæ in febribus ſe offerunt, & alia plura adduceit.9. meth. cap.9. per ſequentia Verba. *Conferre præterea ad auxiliorum inventionem diximus, tum ipſam corporis temperiem, unà cum conſuetudine, tum regionem, tum anni tempus, tum cœli ſtatum, in quibus verò morbis, egregius aliquis in una parte animalis affectus ſubſiſtreret, velut ex aduſtione in capite; à parte quoque ipſa, aliquam faciendorum indicationem ſumi:* Ergo Galenus alia indicantia in febribus aſſignavit præter morbum cauſam, & naturam; hoc ipſum docuit Galenus lib.10.meth.cap.1.cit. ſic, *itaque in diariis, faciendorum indicationem, ex ipſa febre maximè capiemus: ſed cum illa naturam, & ætatem, & conſuetudinem, præterea anni tempus, Cœli ſtatum, & regionem, & vires ſimul expendentes.* Ecce quomodo Galenus non ſolùm tria indicantia proponit, verùm & plura alia in febris curatione; & quòd magis eſt, inter regionem, anni tempus, & Cœli ſtatum, enomerat vires; non ergo ſpecialiter de numero iodicantium loquitur Galenus dictis in locis, cum plura alia indicantia, quæ non ſunt prima in curatione febrium enumeret.

Vlteriùs ſugillare intendit hoc placitum. Quia Galenus naturam dixit eſſe unum præcipuum indicans, quo conſervationem expoſcit, ex quo indicante, & morbo, & cauſa tria præcipua iodicantia componit hæc opinio: reſtat raioen aliud indicans nempe vires: quod ſi ſub natura comprehendere velint Authores citati. Stat Galen.9. meth.cap.9. citato in quo vires minimè indicara docet, & naturam numerat indicantem. Certè in hoc loco Magiſter meus frivolè impugnat contrariorum ſententiam, primò quia non adducit naturam

natutam indicantem & de viribus tantùm loquitur, indicatione sumptâ ad curationem febris diariæ, in qua nec vires indicare docet, neque causam. Verba perpendite: *De viribus tamen vel causa, quæ affectum creet, in eo libro nihil est dictum: propterea quod nec vires in diariis febribus, egregiam ullam providentiam requirant, utpote quæ omnino validæ sint, neque affectus ullus in vera diaria subsit, qui eam vel gignat, vel augeat.* Ex his ergo solùm colligere licet non negasse absolutè indicationem esse sumendam à viribus, quæ absque dubio sub natura comprehenduntur, juxta Galeni, & omnium opinionem; sed solùm in curatione legitimæ, & veræ diariæ febris, in qua, quia vires non habentur, minimè præbent peculiarem indicationem; & hoc ipsum de causa prædicavit: quia præsens nulla est; quæ ablationem expostulet: inutiliter ergo arguit contra adductam opinionem. Nec potest negari Galenum lib. 10. meth. cap. 1. citato, inter indicantia omnia vocasse prima, & præcipua, morbum, causam, & naturam; etsi expresè in eo capite de numero indicantium non agat: ergo sinistrè impugnat adductam opinionem. Rationem etiam, qua id probant inculcate intendit, ex eo quod etsi in curatione quacumque debeamus considerate causam, morbum, & subjectum, non tollit quominùs alia debeamus considerate, à quibus etiam sumitur indicatio, ut ex superioribus Galeni testimoniis constat: ergo ex eo quod in qualibet curatione sit consideranda causa, & ejus effectus, seu morbus, & subjectum: exinde non concluditur optimè esse tria indicantia, quandoquidem & sub paucioribus possunt comprehendi, ut ipse Galenus testificatur; quemadmodum etiam alia plura indicantia, etiam ad pauciora reducuntur.

Verior sententia est prima; & præcipua indicantia tantùm esse duo; morbum scilicet, & naturã, quæ à Galeno explicantur sub nomine contrarietatis cap. 15. citato supra libro 9. method. sub uno generali nomine, seu unica generali indicatione, quæ sine dubio duo indicantia præcipua, & prima continet nuper explicata; quippe ex his, quæ primò, & per se indicant, aliud conservari exposcit, qualis est sanitas, quam explicat nomine naturæ; aliud auferri indicat, qualis est morbus: unde sub nomine contrarietatis duo indicantia specialia comprehendit, ad quæ omnia alia indicantia reducuntur: quia aut ex parte naturæ sunt, aut ex parte morbi, & consequenter aut indicabunt secundariò conservationem, aut expulsionem. Contrarietas autem juxta Galeni mentem principaliter indicat: quia morbus non potest indicare remedium, quin ab ipsâ naturâ, quale sit, & quantum determinetur: quippe ex ipsa recessus à naturali statu cognoscitur & per consequens morbus ipse patefit:

Probatur conclusio ex Gal. cap. 15. cit. lib. 9. meth. in quo postquam proposuit indicationes curativas juxta diversas divisiones indicantium sic ait: *jam primas quoque illas indicationes quas memoravimus, fieri potest ut redigas ad pauciores, ita ut duo eorum scoporum, qui curationem indicent omnino capita sint, nempe præsens affectus, quem morbum nominamus, & qui prius fuit, quem sanitatem, & naturalem habitum diximus.* Quibus verbis manifeste docet duo esse prima indicantia, quæ immediatè quid faciendum sit demonstrant, nempe morbus, & natura; & talia indicantia nomine contrarietatis explicuit. Ratione etiam suadetur hæc conclusio, nam omne indicans, aut petit sui ablationem, aut sui conservationem, sed natura est, quæ primò, & principaliter petit sui conservationem; & morbus primò, & principaliter sui ablationem: cætera autem, quæ indicant, si ex parte naturæ se habeant, ratione naturæ exposcunt conservationem, si ex parte morbi se teneant, expulsionem indicant, ratione morbi: ergo duo prima, & præcipua indicantia solum sunt natura, & morbus, cum ex his duobus sumatur præcipua, & prima indicatio, seu comprehensio juvantium, & nocentium; & si quæ sunt aliæ indicationes agendorum, sub his sine dubio comprehenduntur. In cujus rei confirmationem stat Gal. cap. 14. lib. 9. meth. in quo intendens docere solùm naturam, & morbum solùm indicare immediatè, sic ait. *Siquidem corporis temperies, quæ illo tempore fuit, quo ægrotare id capit, quæ quoad invenienda remedia est utilis ex natura, ætate, consuetudine, & ambiente nos aere ortum habet, ambiens verò ipse ejusdem est redditus; tum propter regionem ipsam, tum anni tempus, tum Cœli statum; affectus verò nequaquam in causas diduci est aptus, sed in differentias.* Quibus verbis expresè docet non solùm naturam, & morbum tantùm esse duo prima indicantia, verùm etiam reliqua enumerata, interventu ipsius temperamenti, sive naturæ, quod idem est, indicare, quatenus natura, seu temperies naturalis, ex illo quod ex se expostulat pars, & ex ætate, & consuetudine, & aëre talis resultat; ad quem etiam regionem, Cœli statum, & anni tempus reducit; cùm dicat aërem talem esse per ea; ergo interventu naturæ omnia hæc ultimò enumerata indicant; quod verum tenet, dum juxta naturalem cursum causarum agunt, nullam violentiam sensibilem inferentem, etenim cum ex parte morbi se habent interventu ipsius naturæ indicant. Vnde ex hoc Galeni testimonio non intendimus probare aërem non indicare: contrarium enim ex Galeno constat, sed quod asserimus est, aërem, & reliqua medio temperamento producto indicare, cum asserat ex ipsis ortum habere temperiem indicantem remedia; inter quæ aër habet specialem prærogativam, ut inter indicantia specialiter à Galeno adducatur, ut infra latiùs constabit. Liquidò ergo fit juxta Galeni mentem duo prima, & præcipua indicantia esse morbum & naturam; reliqua verò indicantia ratione istorum, & secundariò solum indicant.

Ratione suadetur hoc ipsum: quia omnia indicantia aut conducunt pro naturali statu viventis, aut pro morboso; sed in utroque casu indicant interventu naturæ, aut morbi: ergo non per se, sed medio morbo, & ratione naturæ indicant: major est manifesta, nam si alia indicantia numerata citra naturam, & morbum, nullam immutationem causant, nihil indicant; ergo indicant quatenus ex ipsis resultat aliquid, quod pro bene, aut malè operari conducit; si ad bene operandum conducit, quod productum est, rationem habet naturæ; si ad malè operandum facit, rationem morbi comitatur: ergo in utroque casu ratione morbi, aut naturæ indicant; & minimè per se: ac per consequens duo solùm erunt prima indicantia dicta; ex quo infertur nomine naturæ comprehendere Gal. omnia illa, quæ pro statu naturali viventis conducunt, & nomine

mine morbi etiam illa omnia, quæ ad malè operati diſponunt,& ex parte morbi ſe habent,qualia ſunt plura ex dictis, quæ interdum ſe habent ex parte naturæ, & quandoque ex parte morbi, & ſic ſecundario indicant.

Inſuper etiam præcipua concluſio ſuadetur, nempè quod ſolùm ſint duo præcipua, & prima indicantia,ſanitas ſcilicet,quæ nomen arripit naturæ,& morbus.Nam ex omnibus affectionibus, quæ ſunt præter naturã, ſolùm morbus ſedit per ſe primo operationes:reliqua verò medio morbo id faciunt:rurſus inter ea,quæ ſe habent ex parte naturæ,ſeu ſanitatis,ſolùm hæc perficit operationes per ſe primò, reliqua verò ſecundariò & ratione naturæ,ſeu ſanitatis:ergo ſolùm natura indicat primariò,& per ſe,ſuam conſervationem,& morbus ſuam expulſionem:cum ergo reliqua indicantia numerata, aut ſe habeant ex parte naturæ aut ex parte morbi ſolùm ſecundariò indicabunt ratione naturæ, aut ratione morbi; ac per conſeqnens ſolùm erunt duo prima, & præcipua indicantia, natura,& morbus.

De cauſa morbi Socius noſter cum altero anteceſſore & primario etiam noſtræ ſcholæ complutenſis intendit ſuadere eſſe primum & præcipuum indicans diſtinctũ à morbo,& à natura;ex eo quod ſub nna ex duabus affectionibus cõprehendatur à Gal.l.9.meth.c.14.ſæpiùs cit.ubi enumerans prima indicantia,duplicem, ſeu geminam corporis affectionem aſſignavit,alteram naturalẽ, alteram præter naturã:ex quo inferunt, quod cũ cauſa morbi ſit affectio præter naturã,ipſam virtualiter comprehendere Gal. nomine affectionis præter naturam.Cæterùm,quia ipſa cauſa realiter diſtinguitur à morbo, & ab ipſo ſeparabilis eſt, iudicant Recentiores iſti, primam, & præcipuam indicationem præbere, diverſam prorſus à morbo:ac proinde eſſe primum indicãs cauſam morbi acerrimè renent.Porrò diſtinctionem,& ſeparationem cauſæ à morbo probant ex eo; quod ſi febris hectica originetur ab humorali, ſeparata humorali f.bre,permanet hectica;& ulteriùs addũt,quod plurimæ ſũt cauſæ,quæ licèt actu morbũ non efficiant,tamen eas removemus,ne in poſterum morbum producant,quod præcautoriè ſit, ideóque iudicant diverſam indicationem ſumi à cauſa, quam à morbo:quo etiam argumento excludunt ſymptomata ab indicantibus.

Hæc tamen fuodamenta frivola prorſus mihi videntur,primò: nam Gal.c.14.cit. poſtquam de affectione præternaturali loquitur, ait, *qua ſanè morbus eſt*. Vbi nollam prorſus mentionem fecit de cauſa: ergo minimè illam comprehendit ſub affectione præternaturali:ac proinde ſi aliunde id non ſuadeant ex Gal.teſtimonio nihil deducitur in favorem ſuæ aſſertionis. Vlteriùs quod cauſa diſtinguatur realiter à morbo nullns poteſt dnbitare, ſicut neq; quod indicet ſui ablationem; probare autem debebãt indicare ſui ablationem primò,& per ſe independenter à morbo cuius eſt cauſa:Hoc autem ex nullo conſtat. Inſuper etiã, quod cauſa ſeparetur à morbo inintelligibile eſt, quippè ſi cauſat læſionem medio morbo id fieri debet,cum cauſa non lædat per ſe primò,ſed mediante morbo,ut latè noſtro 1.tom.docuimus.

Nec fundamentum quod adducunt ad probandam ſeparationem cauſæ à morbo de febre hectica, quæ ab humorali originetur, alicuius eſt momenti;nam licèr plerumq; febris hectica cauſetur ab humorali, abſeute febre humorali, ſeu putrida;hectica, quæ perſeverat habet ſuam cauſã,quæ ratione morbi indicat ablationem, & minimè per ſe independẽter à morbo;ſi autem perſeveret febris humoralis complicata cum hectica, abſq; dubio habet putrida febris cauſam, quæ nõ eſt ſeparata à febre,quã cauſat,& ſic indicat eius ablationem,non per ſe primò,ſed ratione morbi, cuius eſt cauſa;& ſi forſan fovet hecticam febrẽ, quam primò cauſavit, non indicat per ſe primò, neque ratione hecticæ,neque ratione putridæ febris; quippe id nulla ratione probant.Neque ultimum de præcautione,aliquid urget; nam licèt ſæpiùs removeamus cauſam, quæ actu nõ cauſat morbum, ne in poſterum morbum producat, & hoc fiat præcautoriè; tamen talis remotio fit ratione morbi,qui timetur, ſi hæc cauſa non auferatur,quæ in poſterum cauſatura eſt morbum:ergo talis depoſitio, ſeu remotio cauſæ,eſt ſine dubio propter morbum, qui timetur futurum, qui eſt primò & per ſe indicans in hac curatione præcautoria,unde in tali caſu, cauſa non primò, & per ſe indicat remotionem,ſed ratione morbi, quem cauſatura eſt: ergo omnia Recentiorum fundamenta frivola ſunt.

Denique quia Gal. loc.cit.meth.cap.14.ſpecialiter de primis indicantibus agit, & tamen nullam facit mentionem de cauſa morbi, ſed ſolùm de natura,morbo, & aëre nos ambiente,ut legẽti planè conſtabit:ergo nõ eſt fundamentum,cur adſtruamus cauſam morbi tanquam primum indicans;præcipuè cum indicet ſui ablationem cauſaliter,minimè verò formaliter, ſicut morbus, qui eſt primùm indicans:Præterquam quòd:ſi forſan aliquis audeat fateri;cauſam morbi eſſe primum indicans; neceſſe eſt,quod fateatur alterum primum indicans,nempè cauſam ſanitatis. Probatur ſequela, ſiquidem ita ſe habet cauſa morbi cum ipſo morbo, ſicut cauſa ſanitatis cum ipſa ſanitate, ut per ſe conſtat: ergo ſi cauſa morbi eſt primùm indicans,ſicut ipſe morbus; etiam cauſa ſanitatis erit primum indicans ſui conſervationem expoſcens, ſicut ipſa ſanitas; æqua enim videtur utriuſque ratio; atqui neque Galenus neque ullus hucuſque ex ſcriptoribus numeravit cauſam ſanitatis inter prima, & præcipua indicantia: ergo neque cauſam morbi pro primo indicanti debemus reputare.

Nec valet ſi Reſpondeat aliquis cum Recentioribus citatis, alias eſſe cauſas efficientes ſanitatis, quas ſalubres vocavit Galenus lib. art.medicin. c.84. quæ auxilia potiùs medica dicuntur, & ſanitatem cauſant, quatenùs morbum tollunt, & tales cauſæ potius dicuntur indicata, quam indicantia. Alias autem eſſe cauſas merè conſervantes ſanitatis, quæ ſunt omnes res non naturales, quæ quia removent cauſas alterantes inſenſibiliter, & corrumpentes, aut eorum vitia corrigunt, conſervatrices dicuntur, & huiuſmodi cauſæ potiùs etiam ſunt indicatæ, quam indicantes; Cæterum quia præter has cauſas ſanitatis, ſunt aliæ internæ cauſæ ut ſanguis, & aliæ humiditates, quæ reſpectu ſanitatis, & corporis noſtri potiùs habent rationem materiæ,quàm cauſæ efficientis;ideò tanquam diſtincta indicantia à ſanitate nequeunt enumerari; nec aliquid per modum efficientis producunt, cum ab ipſa ſanitate ſeparabilia non ſint, ita diſtincta indicantia ab ipſa ſanitate nunquam valebunt conſtituere.

Hæc tamen ſolutio in pluribus claudicat;nam

chimerica videtur distinctio causæ efficientis, à causa conservante; etenim conservatio est continuata productio; juxta Philosophi doctrinam, & sic causa conservans efficiēs est. Pręterea etiam: quia auxilia, quę indicantur à morbo, pro ejus expulsione, non dicūtur causæ efficiētes, respectu sanitatis, quia verè ipsam neque causant, neque conservant; sed solùm removent prohibens, quatum actio solùm influit in morbi expulsionem non in positivam sanitatis custodiam. Vlteriùs non solùm causa efficiens morbum, verùm quæ ipsum morbum conservat est primum indicans in opinione Recentiotum, quippe utraque causa est prętet naturam, & indicat ablationem, ut per se patet in qualibet causa efficiente putridam febrem, & conservante ipsam, quin ultrà agat, & procedat, augendo febrem, & putredinem intendendo; sed solùm conservando effectum, quem prima causa produxit; in quo eventu necessario debent fateri causam efficientem, & conservantem ipsius febris indicare sine dubio sui ablationem; quia inter affectus præternaturales numerantur: Ergo simili etiam ratione causæ efficientes, & conservantes sanitatis indicare debent sui conservationem, quia ex parte sanitatis se habent tanquam res naturales. Vnde si causa morbi est primum indicans distinctum à morbo, etiam causa sanitatis erit primum iodicans distinctum à sanitate.

Denique quia si sanguis, & humiditas habent aliquam efficientiam pro sanitate, ut ipsi fatentur, etsi inseparabilis non sit hic influxus à sanitate (quod concedere, semper renuam) tamen negare non possunt isti Authores distingui ab ipsa sanitate, ac per consequens, tanquam indicans diversum debet reputari causa sanitatis ab ipsa sanitate. Neque capere possum, quâ ratione res naturales absolutè dicantur causæ conservantes sanitatis, cum certum sit interdum se habere res non naturales ex parte sanitatis, & interdum ex parte morbi: ideoque non naturales dicuntur: ergo nō minùs sunt causę conservantes sanitatis, quam morbi; frustranea ergo & chimerica est talis distinctio causarum.

Occasio jam instat, ut quid de aëre nos ambiente dicamus, quandoquidem Galenus ore pleno inter indicantia prima ipsum numeravit: certè aer ità necessarius est, ut Gal. 14. cap. lib. 9. meth. de ipso sic loquatur *ambiens verò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, hic igitur, causa sine qua non obtinet rationem.* Aurea profectò verba, quæ ambientis aëris necessitatem clarè testificantur, adeo ut inter res non naturales aër primatum teneat, qui interdum se habet ex parte naturæ, & sanitatis, & rationem juvantis obtinet; interdum verò ex parte morbi, rationem participat nocentis; ipse enim perpetuò nos alterat, in se recipiens qualitates ex temporum mutationibus, & sic indicat conservationem, quando ex parte sanitatis se habet, & expulsionem, quando ornatur qualitatibus, pro morbo conducentibus; & hac ratione, quia perpetuò indicat in nobis, indicationem esse sumendam ab ipso prædicavit Galenus: & quia talis indicatio necessariò, & semper indicat: tum in statu naturali, tum in statu morboso, Galenus inter prima indicantia, hoc est inter morbum, & naturam, ambientem aerem numeravit; non quidem quia propriè sit primum indicans, sed quia perpetuò indicat, & sine ipso neque tolli morbus, nec teneri sanitas potest: indicat ergo aut ratione naturæ, aut ratione morbi, & sic in rigore non est primum indicans, & hac ratione solùm Galenus 10. lib. meth. cap. 1. prima indicantia solum esse duo testificavit, quia cætera omnia ad ipsa reducuntur; Aër vero inter omnes res non naturales habet illam specialem prærogativam, præter alias plures, quas habet, nempe deservire ad respirationem, & transpirationem, & ad spirituum regenerationem; quid plura, si nemo tanta? ergo mirum non est si ab ipsa perpetuò indicatio sumatur. Quæ quia simpliciter, & summè necessaria, poterit habere primatiam indicantis aër nos ambiens in suo genere, quin hæc propositio opponatur nostræ assertioni, nec ipsius veritatem possit obscurare.

Ex his facilè deducitur quòd licet in curatione febris putridæ indicatio prima ordine executionis, seu resolutivâ methodo sumatur à causa; tamen indicatio hæc dicitur in tali ordine executionis, quæ vero sumitur à morbo est prima ordine intentionis, & perfectionis: quia Medicus primò, & principaliter intendit debellare morbum, & conservare sanitatem; quare indicantia prima, & præcipua in intentione, & perfectione sunt morbus, & natura: minimè verò causa morbi. Ex quo constat solutio ad argumētū contrariæ sententię desumptū ex Galeni testimonio.

In calce hujus controversiæ Recentiores supra citati proponunt tres conditiones, quas indicantia habere debent: prima est quod indicans debet esse notius intellectui, quàm indicatum auxilium, seu remedium; rationem adducunt: quia cognitio indicati, seu remedij oritur ex cognitione indicantis: ergo hujus cognitio non solùm est prior, sed debet esse clarior. Hanc doctrinam stabilire intendunt ex Gal. 1. meth. cap. 15. ubi docet solum morborum numerum prius esse cognoscendum ad ipsorum curationem, & lib. 2. cap. 6. idem tenet. Ex quibus locis minimè colligitur quod indicans sit notius indicato, sed quod priùs debet agnosci, ut ex ipso pateat indicati remedij cognitio, & solùm id probat ratio adducta, & ex his, quæ adduximus in definitione indicationis; potiùs constat ad cognitionem indicati, seu morbi discursum, & rationem esse necessariam; at verò ipso cognito, indicationē auxilij ita esse claram; ut absque ratiocinio, seu discursu pateat. Ac proinde censeo nullius momēti esse hanc cōditionē, nam eo ipso quod morbus est cognitus. clarè, & absque ratiocinio agnoscimus indicatum, quin cōferat ad curationē, neq; inventionē remedij, quòd sit clarius, seu notius indicans, quam indicatū, sed quod priùs cognoscatur indicans, etiāsi æqualiter, quoad claritatem notescant, ut per se patet.

Secundam conditionem, quam adducunt ex parte indicantis est. Quòd unum tātū indicare unum remedium valeat; ita Galenus lib. de optim. sect. ad Tras. lib. cap. 44. per sequentia verba *absurdum est asserere unū & idem diversa indicare.* Ratione etiam suadere intendunt, indicātis hujus proprietatem; etenim quidquid indicat pro sua natura indicat, sed natura indicantis est una, sive secundū genus, sive secundum speciem subalternam, aut infimam ergo indicatū etiā debet esse unum; consequētiam probant: quia indicans, & indicatū sunt cōtraria, sed uni unum contrariatur: ergo si indicans est unum, indicatum debet esse unum.

Hanc proprietatem intendit inculcare noster Primarius, & Magister ex definitione indicatio-

nis adductæ Gal. cap. 11. libri de opt. sect. ad Trasib. ubi tenet indicationem esse comprehensioné juvantis, simul cum comprehensione nocentis, ubi per juvantia intelligit auxilia, & per nocentia, ea quæ opponuntur sanitati, iuxta Argenterij opinionem. Ex quo deducit unum indicans duo indicare, & comprehensionem medicamenti juvantis, & lædẽtis, ut sic Medicus meliùs agnoscat, quod auxilium sit applicandum, & à quo fugiendum per eamdem indicationem: ergò unum indicans plura indicat, alterum quidem prosequendum, alterum verò fugiendum.

Re tamen verâ Doctor iste sinistrè impugnat Recentiores citatos; quia ipsi asserunt, nomine comprehensionis nocentis in definitione adducta à Gal. solùm esse intelligendum morbum, & minimè medicaměta nocentia contra Argenterium, ut ex supradictis constat: ergo in opinione ipsorum, unum indicás solùm unum indicat auxiliũ; per quòd aufertur morbus. Præterquã quòd etiã si per comprehensionem nocentis intelligamus ea medicamenta, quæ nocẽt, & se habent ex parte morbi, ut ab illis fugiamus, ut nos supra docuimus, inde non infertur unũ plura indicare; quippe eadem est indicatio, quã prosequimur, auxiliũ conveniens ad expulsioné morbi, & quã fugimus ab illis, quæ se habent ex parte morbi, & ipsum coadjuvant; utpote per eamdem comprehensioné, seu cognitioné, per quã percipimus frigida auxilia cõvenire pro febris extinctione, per ipsammet fugimus à calidis omnibus, sive medicamẽtis, sive alimentis, quæ pro febris conservatione faciunt: ergo ex hac parte unum indicans unum tantùm indicare valet. Cæterùm quod displicet est, quod adducunt Recentiores de contrarietate indicãtis cum indicato, etenim licèt sit verùm quando est morbus, neutiquam tamen valet quando indicãs est sanitas, quippe hæc indicat suam conservationem, quæ fieri debet per similia, ut Gal. per libros methodi passim docet, minimè verò per contraria; ergo absolutè indicans, & indicatum non contrariantur, ac proinde non valet argumentum uni unum contrariatur.

Vera tamẽ est indicati proprietas adducta, quãdo indicans est simplex, nam tunc indicatum debet esse unum, ut quando morbus est calidus, solùm indicat unũ auxilium, frigidũ scilicet; attamẽ si morbus sit compositus ex calida, & sicca intemperie, sine dubio indicabit auxiliũ compositũ, videlicet frigidum, & humidum; itaque ad proportionem indicantis debet esse indicatũ auxilium; & similiter attendendũ est in curatione ad id quod per se indicat morb⁹, & ad id quod indicat ratione causæ; nam tunc evacuatoriũ indicat auxilium ratione causæ, & attemperatoriũ per suã contrarietatem ratione sui, iuxta illud Avicennæ de curandis febribus putridis: & quandoq; curatio harũ febriũ convertitur ad partem febris, & tunc est necessaria refrigeratio, & quandoq; convertitur ad partem materiei, seu causæ, & tunc est necessariũ, quod evacuetur, & digeratur. Consonat Gal. l. 10. meth. c. 1. per hæc verba, *fieri tamen aliquãdo potest, ut ea sit febris magnitudo, quæ præsentẽ perniciem, nisi occurras afferat, quo casu oportebit, hac prius summota, deinde ad causam accedere.* Hęc Augeniano consulebat Gal. quãdoquidem complicatæ occurrunt indicationes, seu cõpositæ, quibus diversis auxiliis, per diversa tẽpora succurrere debemus, iuxta maiorem, aut minorem urgentiam; liquidũ ergo, & inconcussum manet, quod quando indicans est unum, & simplex unum tantùm indicat remedium, quando verò indicans est compositũ; unũ indicás cõpositũ plura indicat auxilia exequẽda, exequẽda: & quãdo plures affectus ab unica causa procedũt, tunc ratione causæ, una erit indicatio, quia una est causa communis, quâ depositã; morbi deponuntur; & hac ratione verum semper est, quòd indicans unum, tantùm unum indicat.

Tertia proprietas, quæ requiritur in indicante, est quod sit præsens, ita Gal. significare videtur 4. l. meth. c. 3. ubi intendés docere externas, seu procatharticas causas non indicare in curatione, sic loquitur. *Nam (ut breviter dicã) à nullo eorum quæ adhuc non permanent, indicatio sumi, eius, quod ex usu sit potest:* nihil clariùs. Ratione etiã validatur hæc proprietas, quippè indicans, & indicatum ad invicem referuntur, ad cõservationem, aut expulsionem; sed quod præsens non est, neque potest auferri, neque conservari: ergo indicás necessariò debet esse præsens, & hoc non solùm esse verum affirmant in curatione, sed etiam in præcautione.

Videtur tamẽ hanc doctrinam non esse veram, siquidem in præcautione, auxilium exercetur propter indicans absẽs. Respondebis tunc remedium non indicari à morbo futuro, etsi propter ipsum fiat, sed à causa præsente, ab humore scilicet, aut dispositione aliquã in corpore existente, ratione cuius remedium indicatur debitũ; quippe ratione talis humoris aut dispositionis morbus timetur, & veluti in causa virtualiter existit.

Tamen contra hanc solutioné militat ratio ex quotidiano experimento desumpta: nam quando quis intendit facere longum iter etiãsi temperatissimus sit, & perfectè sanus absq; ullo vitio, qualitativo, aut quantitativo in humoribus, ipsos vacuat sanguinem mittendo, aut refrigerantibus auxiliis utitur, ne forsan per exercitium itineris viciotur, itaque in casu adducto certũ est ex vi horum auxiliorum, humores extrahũtur, ab esse naturali, & debito viventi pro illo statu, in quo supponimus vivẽs esse perfectè sanum, & omnes humores in æquilibrio debito, sed in tali casu, nec morbus est præsens, utpote curatio est præcautoria, & insuper neq; in corpore, neque in humoribus ullum est vestigium malæ dispositionis, à qua sumatur indicatio mittẽdi sanguinem aut refrigerãdi; & tamẽ pręcautoria est curatio: ergo in illa minimè est necessariũ quod indicás sit pręsẽs.

Altiùs etiam idem premitur assumptum, in indicatione conservativa, in qua non est necessariũ, quod indicans sit præsens: nam Gal. l. 8. meth. c. 9. docet conservationem medicã esse de genere artis correctivæ, in qua vitia, aliquo modo insensibilia, tolluntur usu similium rei petenti, seu indicanti suam conservationem; sed tunc non est præsens, quod talia auxilia similia indicat: ergo. Minor probatur: quia sui conservationem indicat naturalis temperies, quæ aliquo modo immutata est, per actionem causarum inevitabiliũ, pro cuius cõservatione, ars de correctivarum genere datur, quæ conservativa dicitur, sed ex parte qua correctiva est conservatio, deficientem naturalem temperiẽ, seu immutatam aliquantulum, significat, quæ non est præsens, eâ ex parte, quâ deficit, aut est immutata: ergo tunc indicat quod non est pręsens. Nec valet si Respondeant talẽ immutationem, sive defectum esse insensibilem, & sic se habere tanquã si non esset, & solùm indicare naturalem temperiem, quæ est præsens suam conservationem.

Nam contrà instatur solutio, quoniam etsi naturalis temperies manifestè sit immutata, suam conservationem indicat, sive per usum verè simi-

lium,ut sit in conservatione vera, sive per usum contrariorum rei præternaturam,ratione quorum illud,quod secundum naturam deficiebat,comparatur,& adquiritur,quod sit per curationem, aut reductionem;sed ea quæ fiunt in tali eventu,sunt indicata, & à morbo illa exposcente ad sui ablationẽ,& à temperamento illa petente,ad sui conservationem,) seu adquisitionem:ergo verificatur quod indicat,quod est absens,non solum in conservatione,sed etiam in curatione.Probatur cõsequentia : quia quando mittimus sanguinem ad ablationem morbi, ab ipso Indicari dicimus, etsi immediatè à causa indicetur:ergo quando ad auferendam intemperiem calidam frigida propinamus debemus dicere indicari à temperamento partis,etiamsi à morbo indicetur immediatè,quia media eius ablatione,pars propriam adquirit tẽperiem.Consonat.Gal.c.15.cit.suprà, ubi assignãs duo prima indicantia,& præcipua:ait : *Alius scopus est præsens affectus,quem morbum nominamus,& qui prius fuit,quem sanitatem dicimus*:ergo scopus seu indicatio dicitur a Gal.sanitas,deficiens,à qua indicatio sumitur:non ergo est necessarium,quod sit præsens indicans.

Præterea nam pars calida ex propria natura calidiora indicat remedia, sive præcautotiã curatione,sive legitimã; ita Gal. docet cap.13. lib.t. meth. & idem de frigida parte in ordine ad frigidiora remedia est intelligendum, indicatione sumpta à temperamento naturali partis, sed in quocumque morbo, temperamentũ naturale partis,non est præsens, cum supponatur ablatum ab ipso morbo : ergo quod non est præsens,indicat sive præcautoriè,sive curatoriè.Nec valet si Respondeas temperamentum naturale partis,non indicare per se,sed ut signum. Nam contra instatur solutio;nam in morbo calido,ipse morbus frigida petit,& etsi ea ex parte,qua calida indicat, pars calida per se indicet,& non ratione morbi; cum conducat ex se ad inventionem remedij:confirmat hoc ipsum indicatio, quæ à viribus sumitur; siquidem vires semper sui conservationem indicant,sive sint integræ sive diminutæ;quo casu cũ remedium non indicent,sed alimentum, non est indicatum,quòd à morbo possit indicari;sed à viribus absentibus,necessariò sumitur indicatio:ergo nõ requiritur quod indicatum sit præsens licèt frequenter,& ut in plurimum,in vera,& legitima curatione morborum, præsentia indicantis sit necessaria, & hac ratione intelligendus est Gal. pro contraria parte adductus, & Authores qui contrariam tuentur opinionem.

CAPVT VI.

Vtrùm omnia indicantia indicent curatoriè.

CONSTAT ex dictis,quæ sint prima, & præcipua indicantia, à quibus præcipuè desumuntur indicationes,& indicata,seu auxilia inveniuntur,sive pro morbis profligandis, sive pro conservatione naturæ;cõstat etiam, inter indicationes alteram diei curativam,alteram conservativam,seu vitalem, & tandem alteram præcautoriam,quibus correspondent curatio, conservatio, & præcautio.Litigium ergo præsens de omnibus indicantibus procedit,an scilicet omnia indicent curatoriè,aut ex illis aliqua sint,quæ indicẽt præcautoriè,nonnulla verò conservationem expostulent?Hanc doctrinam insinuavit Gal.9. lib.meth. cap.13.& 14.& 15.necnon etiam lib. de opt.sect. ad Trasib.c.13.ubi ait. *Prima igitur omnium indicatio,est quæ a virtute sumitur;verùm non sic prima, ut quæ curationem doceat, cum ex numero curatriciũ indicationum non sit.* Et c.14. eiusdem lib sic loquitur. *Medicatoriæ indicationes à morbo ipso sumuntur,à corporis temperamento,& ab ambiente nos aere.* Sub dictis autem comprehendit immediatè, quæ à consuetudine, ætate,naturà, & ab aliis desumuntur:ergo ex Gal.mente constat, inter indicationes alias dici curativas,aliàs minimè,quę tales dicuntur ab scopis curatoriè, aut non curatoriè indicantibus,& consequenter deducitur iuxta ipsius mentem,vires nõ indicare curatoriè, morbum verò,& quæ ex parte ipsius se habent curatoriè indicare, de quo litigiũ procedit;An omnia indicãtia rigorosè, & legitimè curatoriè indicẽt.

Recentior nostræ scholæ olim Primarius, & Socius noster, quem sequitur Alter Socius citatus, in suis manuscriptis, qui tria tantùm esse præcipua indicantia dixerunt, causam, morbum, & vires, in præsenti controversia firmiter tenent, solùm morbum indicare curatoriè, causam morbi præcautoriè, & vires vitaliter solùm sui custodiam indicare. Et quidem quòd solus morbus indicet curatoriè intendunt probare ex Gal.3.lib.meth.c.1.ubi ait. *Absurdum est dicere, aliud esse quòd curetur & aliud quod curationẽ indicet.* Sed quòd curatur est solùm morbus : ergo ipse solus est, qui curationem indicat:Eamdẽ doctrinam intendunt suadere ex Gal.lib.9. meth. c. 15.Vbi describens sanationem,seu curationem,sic loquitur. *Sanatio est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio.* Vnde infertur quod transitus, seu mutatio ab affectu vitioso, seu morbo ad naturalem habitum, seu sanitatem, est sanatio, seu curatio: ergo solùm morbus indicat curationem, cum ipse solus habeat oppositionem formalem, & immediatam & per se, cum sanitate, quam expellit, & a qua ipse morbus propulsatur; quia per formalem contrarietatem incompossibiles sunt in eodem subjecto. Denique idem assertum corroborari potest ex eodem Gal.lib.3.meth.cap.9. ubi ait, *quod prima quidem medicationis indicatio à solo sumatur affectu; remedia tamen inde inveniri non posse, nisi priùs ad corporum elementa sit ascensum, & ægri temperamentum perpensum, non corporis modo universi, sed etiam afflictæ particulæ, cum hoc quoque ambientis temperie æstimatà; qua utique cùm ad præsentes status, tùm verò regiones extenditur.* Ex quibus verbis duo colligere licet,primùm est indicationem primam curatoriam, seu medicatricem, à solo morbo, seu affectu desumi; & per consequens solùm morbum indicare curatoriè. Secundùm quod infertur est, non solùm morbum, sed alia plura enumerata ad inventionem remedij esse consideranda;quare licèt solus morbus indicet curationem,non à solo morbo sumitur indicatio pro inventione remediorum, sed alia plura veniunt consideranda;ut natura ægrotantis, pars affecta, consuetudo, aer ambiens, anni tempus, & Cœli status, quæ non indicant curatoriè, sed solùm se habent ut signum indicantis, quoniam non curantur, & solùm ad cognitionem recessus à naturali statu conducunt.

Idem de temporibus morborum affirmant, videlicet, neutiquam indicare ex se curatoriè, nisi ut signum, quatenus significant indicans, & quatenus impediunt, aut permittunt id, quod faciendum

ciendum est; hoc autem non est indicare curatoriè, quia virtus, etsi impediat, aut permittat remedium exercendum, non indicat curatoriè; ergo neque tēpora morborum indicant curatoriè; quippe ex se, neque conservationem sui, neque ablationem indicant; ac per consequens non possunt indicare curatoriè, sed solùm ostendunt intentionem,& prohibent remedij applicationē.

De causa morbi asserunt non indicare curatoriè, sed præcautoriè, quia ex eius ablatione non inducitur immediatè sanitas, sed ex ablatione morbi,cū ablatio causæ solùm respiciat, morbum deficere in futurum, præterquam quòd, cū possit perseverare morbus, ablatā causā; ideo diversam esse indicationem à causa desumptam docent. Socius tamen noster non solùm tenet hanc doctrinam esse veram in causa antecedenti morborum, cujus indicatio est præcautoria, in omnium Medicorum consensu; Verùm in causa coniunctā;de qua etiam tenaciter affirmat,solùm præcautoriè indicare; quia eius ablatio Impedit, & præcavet solùm futurum morbum, & minimè præsentem.Instatur tamē ab aliquibus hæc assertio,de causa continente,aut coniunctā morbi,Etenim eius ablatio curatio est,nō præcautio, quippe tota morbi sublatio pendet, à remotione causæ coniunctæ; seu continentis; adeo ut morbus nullo alio auxilio indigeat ad sui curationem, & ablationem,præter illud, quo indiget causa:ergo non solùm ablatio morbi, verùm etiam causæ ablatio,& depositio curatio est.

Futilem iudicat hanc argumentationem Socius citatus; nam sola propria vera, & formalis curatio est immediata adquisitio sanitatis, sed per ablationem causæ morbificæ, sive antecedentis, sive coniunctæ aut continentis, immediatè, & formaliter non adquiritur sanitas, utpotè sanitas, quæ adquiritur, & inducenda est, nullam immediatam, & formalem oppositionem habet cum causa morbi, sed solùm cum ipso morbo, cum quo habet immediatam oppositionem,quasi contradictoriam: ergo sublatio cuiuslibet causæ coniunctæ, non est vera curatio, sed solùm præcautio.Nec Valet si ulterius Respondeat aliquis, præcautionem respicere morbum futurum,at verò causæ coniunctæ,seu continentis ablationem, minimè respicere futurum morbum, sed potiùs præsentem, ac proinde non esse præcautionem causæ coniunctæ depositionem, sed potiùs curationem. Non inquam videtur urgere assumptum præfatum argumentum, nam licèt causa coniuncta, respiciat morbum præsentem, quem actu causat;tamen per ablationem talis causæ conamur impedire durationem futuram morbi,quā sublatā statim morbum oppositis remediis exterminamus.Vnde ad præcautionē per accidens est,quòd morbus sit præsens,vel non, quia solùm respicit ablationem morbi futuram;& idem dicendum iudicat de causa continente,nam per ablationē illius,non tollitur morbus,quia talis causa non habet oppositionem formalem cum morbo, quippe in obstructione impediente influxum, expellitur morbus per communicationem influxus, & non. per ablationem causę.Hęc est opinio nostri Socij.

Contra hanc doctrinam militant plura: nam causa continens morbi solùm respicit morbum præsentem:ergo eius ablatio potiùs dicitur curatio,quam præcautio.Sic Gal.4.lib.meth.cap.3.per hæc verba.*Quippe rei præsentis est curatio,eius autem,quod futurum est, providentia*;Sed per ablationem causæ continentis tollitur morbus præsens: ut ipse fatetur: ergo est curatio talis ablatio, & minimè se habet per accidens præsentia morbi: nam etsi causa continens non opponatur sanitati formaliter, & per se primò, nihilominus eius ablatio est ablatio morbi;quia talis est conditionis causa continens,ut ipsā positā, ponatur morbus, & ipsā ablatā auferatur:ergo indicatio, quæ sumitur à depositione causæ continentis est vera curatio:quia est ablatio immediata morbi præsentis,ex qua pullulat sanitas:ergo licèt causa continens non habeat oppositionem formalem cum sanitate,illā saltim habet virtualem:quia ab ipsa dependet morbus in fieri,& conservari,sicut lux à luminoso.Neque illud de obstructione impediēte communicationem influxus,aliquid valet:nam si ipsa est causa continens morbi,eā sublatā statim tollitur morbus,& influxus communicatur partibus infrà obstructionem existentibus:ergo tollitur morbus per sublationem causæ continentis, ac per consequens,talis causæ ablatio curatio est, & non præcautio.

Neque valet evasio supra adducta,nempè,quod ablatio causæ continentis est præcautio,quatenus impedit durationem futuram morbi,si nō demeremus talem causam;& ea ex parte, qua respicit, & impedit futurā durationem dicitur præcautio. Nam contra sic urgeo solutionē:quia præcipuum opus causæ cōtinentis morbi versatur circa morbum præsentem, ut fatetur Doctor citatus: ergo potiori ratione ablatio talis causæ dicitur curatio, quàm præcautio.

Tandē premo altiùs prædictā evasionē:oīs ablatio formalis morbi,est vera curatio, & ab eo sumitur indicatio curationis, ut inconcusū est apud omnes Medicos. Rursus introductio sanitatis est ablatio formalis morbi immediata: quippe sanitas,& morbus formaliter opponuntur;sed sanitas non,solòm tollit morbum præsentem, sed impedit ne amplius duret: ergo talis ablatio morbi, quæ fit per formalē, & primariam oppositionem cum sanitate,esset præcautio, & non curatio, & idem de morbo respectu sanitatis currit argumentum. Constat autem ablationem formalem morbi esse veram & legitimam curationem, & non præcautionem præcisè,ea ex parte, qua respicit introductionem sanitatis, tanquam formam immediatè oppositam,oppositione formali,& primariā, quin ullo modo respiciamus ad causam continentem, à qua immediatè dependet morbus in fieri, & conservari:ergo chimetica est illa evasio, de impeditione durationis morbi, si non demeremus eius causam continentem. Denique premo assumptum: nam expulsio morbi secum affert in suo conceptu formali privationem durationis morbi, pro immediata temporis differentia:ergo ablatio causæ continentis,à qua pendet morbus in fieri,& conservari,non poterit dici præcautio:quoniam ipsa ablatio morbi formaliter considerata, sine respectu ad causam, secum affert, in suo conceptu formali pro differentia temporis, immediatè subsequenda,non esse durationis morbi. Chimetica ergo est indicatio præcautoria,quæ sumitur ex ablatione causæ continentis morbum. Nec Gal.4. meth. cap. 3. & 9. meth.cap.14.neque 11. meth. cap. 1. aliquid probat pro Socio nostro: nam locis citatis minimè de causa continente nec verbum adducit, ut legenti constabit, sed de antecedenti: de qua quid dicendum sit infrà constabit.

Præcipuè tamen urget discursus noster ex eo quod docet Gal. 11. meth. cap. 2. citato, in hecticis, & diariis febribus, solùm reperiri veram, & propriam curationem, in putridis autem febribus, quia habent causam, earum curatio prophilactica dicitur; idest præcautoria, à Gal. Hoc argumento utitur Socius noster. Quo supposito ex hac doctrina manifestè infero, in hecticis, & diariis febribus, esse præcautionem: nam si non auferatur ipsarũ calor, durabit sine dubio utraq; febris dicta, pro differentia tẽporis immediata: ergo ablatio hecticæ, & diariæ febris non est curatio, sed præcautio: patet Consequentia: nam ablatio causæ continentis morbi cuiuslibet dicitur præcautio à nostro socio: quia respicit durationem futuram morbi si non demeretur causa; sed etiamsi non demeretur calor febrilis in diaria, & hectica duraret sine dubio, pro immediata temporis differentiã: ergo ablatio talium febrium non erit curatio, ut Gal. tenet, sed præcautio. Ruit ergo talis doctrina nostri Doctoris.

Magister noster in suis manuscriptis priùs quàm præsentem controversiam dirimat, supponit tanquam necessarium investigare, quid sit curatoriè indicare, ut inde clariùs pateat, quæ sint indicantia, quæ verè, & legitimè curatoriè indicent, & primò refert Recentioris nostræ scholæ Primarij supra citati opinionem asserẽtem, curatoriè indicare solùm dici, quòd curationem indicat, & inde infert solum morbum curari, cum solùm ipse morbus curationem indicet, in cuius comprobationem supra adduximus fundamenta.

Contra hanc doctrinam plura adducit Magister. Primò: quia morbus non curatur, sed solùm vivens est, quod curatur, quippè solùm vivens transit ab statu præternaturali ad naturalem habitum: ergo ob hanc rationem, quia morbus non curatur, non debemus dicere indicare curationem, & proinde, neque curatoriè indicare. Deinde: quia non minus transit vivens ab statu præter naturam ad naturalem per ablationem causæ, & symptomatum, quam per ablationem morbi: ergo non solùm morbus indicat curatoriè. Antecedens probat: præcipuè de symptomate, de quo est maior difficultas: nam etsi morbus, & causa auferantur, si permaneat symptoma, nentiquam permanet vivens in statu naturali, quippè perseverat symptoma, à quo afficitur præter naturam, ergo transitus à symptomate in statum naturalem est vera curatio, sicut transitus à morbo in statum naturalem, quã ratione Gal. cap. 15. lib. 10. meth. prædicavit curationem esse mutationem affectus vitiosi in naturalem habitum. Vbi videtur comprehendere mutationem non solùm à morbo, verum etiam à causa, & symptomate, utpotè ratione omnium redditur vivens in statu præternaturam, & ablatis omnibus transit vivens ab affectu vitioso in naturalem habitum. Cæterùm quòd possit perseverare symptoma absente morbo, & ablatã causã probat, nam ablatã obstructione faciente morbum Regium, permanet symptoma, nempe color vitiatus, in toto corpore, à quo vivens redditur præternaturam: ergo symptoma indicat sine dubio curatoriè, sicut morbus; & causa; quoniam per eius ablationem transit vivens ab affectu vitioso, in naturalẽ habitum; ac proinde non solùm morbus indicat curatoriè, verum & causa, & symptoma. Et infert quod morbus non curatur, sed solùm vivens: ex eo quod Galen. cap. 15. cit. docet quod curatio, seu sanatio non est aliud, quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalẽ habitum mutatio; ex quo infert: ergo solùm curatur, seu sanatur, quod mutatur; atqui solùm vivens mutatur: ergo solùm vivens curatur; ac per consequens solùm vivens prout in statu præter naturam est, curationem indicat; quatenus ablationem illius, quod est præternaturam expostulat, & conservationem eius, quod est naturale, seu secundum naturam; & hac ratione neque morbum curatoriè indicare, cum morbus non curetur neque sanetur, sed solùm vivens per ablationem morbi, causæ, & symptomatis, & cuiuslibet affectus, qui se habeat ex parte morbi, & valeat vivens denominare, seu constituere in statu præter naturam.

Concludit Magister: quod indicare curatoriè nihil est aliud quam conducere ad determinationem remedij, & ad inventionem ipsius; & consequenter omnia, quæ adhoc faciunt, curatoriè indicare. Et Ratione suadere conatur assumptum: nam id propriè curatoriè indicat, quod ex se conducit, ut curatio exsequatur, neque enim apparet aliud caput, unde possimus devenire in curatione indicantis curatorij; sed morbus, causa, symptoma, temperamentum, ætas, consuetudo, aër, regio, anni tempus, Cœli status conducunt ad inventioné remedij, & determinationem eius, ita ut sumptã eorũ indicatione, curatio perfectè, & debitomodo exequatur: ergo omnia dicta curatoriè indicant; & quidem de morbo, causa, & symptomate ex dictis manifestè videtur constare, cum ab illis sumatur indicatio ad ioventioné, & determinationem remedij; & de tẽporibus ipsius morbi, idem probare intendit, ex eo quod tempora sint partes morbi; testificante Gal. 1. aphor. tom. 12. ergo si morbus curatoriè indicat: tempora seu partes morbi etiam debẽt indicare curatoriè; ita Gal. 9. meth. cap. 14. ubi tenet ex quatuor febris temporibus occasionem auxiliorum desumi; totum quod habet locum, etiamsi tempora morborum per causæ mutationem accipiantur, ratione cujus ipse morbus immutatur; nam adhuc ratione mutationis causæ diversæ, diversa indicant auxilia, nempè coocoquentia, in principio febrium, quod per cruditatem constituitur, & in principio inflammationis, quæ fit per fluxionem, repellentibus medicinis utimur, & in declinatione ipsius inflammationis resolventia indicantur medicamenta: ergo tempora morbi diversa, diversa indicant remedia, & ad inventionem, & determinationem ipsorum conducunt, ac per consequens, indicabunt curatoriè.

Vlteriùs de temperamento, & aëre, & reliquis supra enumeratis probat indicare curatoriè; ex eodem fundamento: quia præcisè ratione temperamenti, sive à natura, sive ab ætate, sive à consuetudine, sive ab aëre diversum remedium aut medicamentum applicatur ac applicatur, ratione eiusdem morbi, si tale temperamentum non esset in parte. Gal. authore l. 7. met. c. 13. ergo omnia dicta indicant curatoriè, cum ad inventioné, & determinationem remedij conducant; Probat consequentiã: nam si temperamentũ partis (nomine cuius quoque eius indicantia sunt intelligenda) non indicaret ex se curatoriè, minimè ratione ipsius immutaretur auxiliũ indicatum à morbo; atqui sæpe pars ratione suorum accidentium diversum exposcit auxilium: ergo temperamentum partis indicat curatoriè. De aëre etiam tanquam indubi

indubitatum asserit indicare curatoriè, cum ipsum attemperare conemur, quando ex parte morbi se habet; quia vices gerit causæ foventis morbum; de cuius peculiati necessitate, & prærogativa inter omoes res non naturales, fusiùs supra egimus ex Galeni doctrina.

De virtute asserit oon indicare curatoriè: quia minimè conducit ad ioventionē, neque ad determinationem remedij, sed solùm permittere auxilium à morbo indicatum, aut non permittere, quod non est indicare, quippe à virtute ipsa, nullum insinuatur auxiliū; at vero à temperaoento, à consnetudine, ab ætate, ab aëre, à causa & symptomate insinuatur speciale temedium, seu auxilium, quod à quolibet ex dictis indicatur, & sic cutatoriè indicant, sicut & tempora morbi, quoniam sunt partes ipsius morbi, speciale remedium indicant, aut prohibent, aut peruitunt; quapropter conducere ad inventionem, aut determinationem auxilij, dicendum est, & per consequens curatoriè indicare, saltim ratione morbi, quà partes sunt ex quibus morbus constat.

Verior tamē sentētia est morbū primò, & per se & principaliter iodicare curatoriè, quia sicut primò, & per se, & principaliter lædit operationes, sic primò, & per se conducit ad inventiooem remedij, seu auxilij, quo petit sui ablationem, & licet morbus non curetur, ut notavit noster Magister, tamen vivens curatur ratione morbi, quo ptemitur, & cum morbus indicet, & petat auxilium primò, & per se, morbus est primarium & principale indicans curatoriom, cæterum causa morbi licet indicit curarorię, quia ad inventionem remedij conducit, & ad ipsius determinationem; tamen ratione morbi indicat ablationem, quia ipsa oon lædit per se primò, sed ratione motbi, & sic ejus indicatio curativa est veluti secundaria, quippe ejus læsio non est immediata, sed ratinne motbi, quem causat; & licet methodo tesolutivâ incipiamus ab indicatione causæ, pro cutatione morbi; tamen hæc primatia, seu dignitas solùm est dignitas ordinis in curatione, minimè verò dignitas perfectionis, nam hæc solùm reperitur in morbo; quippe solus morbus ptimariò & principaliter indicat ablationem, licèt id coosequamur, incipiendo ab indicariooe causæ, quæ non primariò indicat ablationem prioritate perfectionis, sed solùm prioritate ordiois, & sic inconcussum manet, solùm primariò morbum, & per se indicare curatoriè.

Sit secuoda conclusio: omnia quæ se habent ex parte morbi, ratione quorum vivens redditur præternaturam, qualia suot supra assigoata indicare curatoriè; non quidem primò, & per se, sed secundariò, & mediatè; nam ea omnia conducunt ad inventionem, seu determinationem remedij, & exposcunt sui ablationem, non quidem per se primò, sed ratione morbi; hoc est quatenus se habent ex parte morbi, & hac ratione sui ablationem expostulant, & ad auxilij inventionem, & determinationem conducunt, quatenus ex vi illorū redditur vivens præternaturam, & per ablationē ipsorum reducitur ad naturalem habituo, etsi curatoriè indicant, non per se primò, sed ratione morbi, qui primò indicat ablationem, & est primum, & principale indicans curatoriū. Hanc doctrinā expresit Gal. l. 3. met. c. 9. per sequētia verba. *Quòd prima quidem medicationis indicatio à solo sumatur affectu, remedia tamen inde inveniri nō posse, nisi priùs, ad corporum elementa sit ascensum; & ægri temperamentum perpensum, non corporis modò universi, sed etiam affecta particula, cum hoc quoque ambientis temperie æstimatâ, quæ utiq; cum ad præsentes status, tum verò regiones extenditur.* Quibus verbis mirificè totam rem exploravit. Cum expressè doceat primam indicationem medicationis sumi à motbo; teliqua verò conducere ad inventionem remedij; ita ut ex omnibus enumeratis compleatur perfecta curatio; ex quo clarè infertur; ea omnia curatoriè indicare, tamen minimè primò, & per se, sed ratione morbi, quippe ea sola indicatio cutativa, quæ ab eo sumitur est præstātior, quam reliquæ omnes indicationes, & quæ à causa etiam desumitur; etenim omoea ordinantur in morbi ablationem, tanquam io finem principalem; utpotè in methodo curativâ, in gratiam motbi administrantur omoia auxilia: ergo cum finis sit præstantior, quam ea omnia, quæ in ipsum diriguntur, constat planè indicationem curativā sumptā à morbo esse primariā, & præcipuā ordine intentionis, & perfectionis: nā ordine executionis in methodo resolutivâ, indicatio, quę sumitur à sublatione causæ, est ptior, ut supra insinuavimus.

Videtur tamen ex dictis virtutem indicare curatoriè, etenim virtus conducit ad inventionē remedij, & indicat esse exhibendum, aut non, sicut etiam tempus motbi id facit, etenim in summo vigore esse quiescendum docet summus Dictator, & in priocipio siquid videtur, moveodum: ergo virtus etiam indicat curatoriè; in cuius confirmationem audite Gal. l. 9. meth. cap. 13. sic fantem, de modo quo virtus conservari debeat. *Conservari* (inquit) *corrigendo quod alteratum, aut inanitum est.* Ex quo videtur inferri virtutem iodicare, remedium in curatione. Probatur assumptum: nam ideo morbus indicat curatoriè, indicādo sui ablationem, quia iodicat id, quo est tollendus; sed virtus indicando suam cōservationem, indicat eam, corrigendo alterationem: ergo indicat correctionem, ac per consequens, indicat id, quo est facienda correctio: ergo indicat curatoriè.

Respondetur virtutem neutiquam conducere ad inventionem remedij, sed tantùm permittere auxilium à morbo indicatum, aut non permittere, quod oon est indicare; quippe à virtute ipsa nullum insinuatur remediū; cæterum à temperamento, à consuetudine, ab ætate, ab aëre, à causa, & symptomate, insinuantūr remedia specialia, & sic ea omnia curatoriè indicant, non tamen primariò, & per se primò, sicut morbus; tempus etiam morbi quatenus pars eius est; non solùm permittit, aut prohibet, verùm etiam iodicat speciale remedium, & præcipuè io morbis fluxionis, nam in principio, repellentia indicantur, in declinatione resolventia medicamenta solùm conveniunt, precisè ratione temporis diversi ipsius morbi, etenim morbus ex se unum exposcit remedium; diversificantur verò, per diversitatē temporis ipsius morbi. Ad confirmationem dicimus rectè dixisse Gal. virtutē nō indicare curatoriè, quia remediū non indicat; licèt verū sit, virtutē indicare in curatione, quoniā in ipsa indicat, & petit suam conservationē, & quāvis conservatio consequatur per auxilia, minimè indicatur auxiliū aliquod à virtute, sed ab illo quo virtus permanet, aut destruitur, quod est indicari remediū à morbo, pro cōservatione naturæ: quoniam ratione motbi, destruitur virt⁹, & sic quādo morb⁹ adest, indicatur remediū ab illo, pro conservatione virtutis, virtus ergo ex

se,& per se solùm indicat suam conservationem; quæ licet consequatur, alterando, & corrigendo (ut aiebat Galenus)tamē ipsa virtus minimè indicat remedia alterantia,& corrigētia, sed solùm morbus, etsi secundariò ex eorum applicatione sequatur virtutis conservatio.

Ex dictis deducitur indicationem sumptā à viribus, quæ vitalis dicitur, esse inter omnes præstantiorem: ratio est,nā illa est præstantior indicatio,à qua vita dependet,sed à viribus pendet vita: Ergo ea est præstantior indicatio.Suadetur assumptū:nam si aliquem morbum exterminare intendimus, qui evacuationem expostulet, & vires extremè debiles cernantur; tunc nihil erit operandū pro sublatione morbi, quousque vires aliqualiter robustæ appareant, ita ut possint permittere evacuationem. Quapropter vires oculo dextero esse inspiciendas dictavit Galenus, morbum vero oculo sinistro; ubi videtur præferre indicationē sumptam à viribus;& deinde secundo loco esse considerandā, eam quæ à morbo desumitur, utpote inter omnes res præternaturales, primum locum tenet morbus,deinde ejus causa, & postea omnia ea, quæ se habent ex parte morbi, juxta cujuslibet efficaciam in lædendo; & hinc disces optimè componi doctrinā Magistri cū nostra assertione,quippe non negamus,omnia ea,quæ sunt præter naturam,indicare curatoriē,sed libenter id fatemur,quia conducunt ad inventionē,& determinationem remedij;Cæterum quod addimus, id negare nemo potest, videlicet,primariam,& præcipuam indicationem curatoriā desumi à morbo. Quibus, omnibus admissis, nullum restat solvere argumentū, quod nostræ conclusioni opponatur.

CAPUT VII.

An Generalis indicatio in curandis morbis sit sola contrarietas.

EX dictis constat cum Galeni doctrina quam capite 5. antecedenti adduximus. Dùm de indicationibus egimus,unam esse communem indicationem, & generalem in morbis curandis, nempe contrarietatem. Perpendite Galeni verba, quæ in hunc locum oportet iterum transferre, ut clariùs, quid in præsenti litigio dicendum sit appareat; sic loquitur lib. 9. method.cap.15. neque enim aliud est ipsa sanatio,quam presentis in corpore,vitiosi *affectus in naturalem habitum mutatio: cum autem contrarij hi affectus sint, necesse est per contraria fiat, eorum alterius, in alterum translatio. Atque ita rursus una sola erit curationum maximè generalis indicatio,nempe contrarietas.* Ex quibus ultimis verbis litigium oritur inter Authores, & jure optimo dubitatur; An per contrarietatem à Galeno insinuatam, sit intelligenda contrarietas inter morbum,& sanitatem,ratione cujus indicatio curativa sumatur,an verò contrarietas desumi debeat ex oppositione auxilij, seu remedij, quo morbus exterminatur,ita ut generalis morborum curandorum indicatio desumi debeat ex contrarietate, quam importat remedium, cum morbo qui exterminatur.

In qua difficultate Argenterius lib. 2. de Medici officijs cap. 5. Galeni doctrinam adductam acerrimè impugnare conatur, ex ipsius doctrina Galeni,quam adducit lib. 3. meth. cap. 1. ubi ait, *quod absurdum est dicere,aliud esse,quod curationem indicat, & aliud quod curatur.* Ex quo infert sic: quod curatur nō est contrarietas,sed morbus ergo contrarietas nihil poterit indicare in curatione morborum: confirmatur ex natura indicationis, quam superioribus capitibus explicavimus,quippe ipsa est cognitio rei juvantis cum comprehensione nocentis; sed ex contrarietate minimè infertur, quod juvat, nec quod nocet. Quippe contrarietas, nec similia, nec dissimilia expostulat, ergo contrarietas nihil indicat in morbis.

Secundò Galeni doctrinam debellare intendit ex eo quodquodlibet indicans, aut indicat sui ablationem,aut sui conservationem; sed contrarietas neque indicare potest sui ablationem, cum non sit morbus; neque sui conservationem,cum non sit secundum naturam viventis: Ergo nihil indicat in morborum curatione: Confirmatur à simili,nam à causa externa seu procatharctica nulla sumitur indicatio curativa juxta Galeni mentem quoniam nullo indiget auxilio ad sui ablationem: Ergo nihil valebit indicare in morborum curatione.

Tandem suadere intendit idem assumptum; quia unum, & idem prorsus invariatum, minimè potest esse indicans,& indicatum:sed contrarietas est indicata: Ergo non potest indicare in curandis morbis. Major constat: ex eo quod idem in quantum idem non potest esse morbus, & auxilium morbi: Minor probatur quia per contrarietatem debemus intelligere oppositionem cum morbo: Ergo contrarietas minimè potest habere rationem indicantis: sed potiùs rationem indicati:seu auxilij, quo morbus debellatur.

Socius noster supra citans in præsenti difficultate asserit cum altero Recentiori, & Primario nostræ scholæ,olim nostri Archiatri,quod Galenus per contrarietatem minimè intelligit oppositionem inter morbum,& ipsius auxilium,aut remedium,quo morbus exterminatur,sed potiùs intelligit oppositionem, quæ versatur inter affectū secundum naturam,& præter naturam,hoc est inter sanitatem,& morbum,ex qua contrarietate indicat desumi curativam indicationem in morbis. Cujus ratio est: quia cum prædicti affectus sint contrarij,necesse est ut fiat eorum alterius in alterum mutatio,seu translatio in curatione,à morbo videlicet veluti à termino à quo,versus sanitatem, tanquam in terminum ad quem,vel è contra,à sanitate in morbum: Ergo quando Galenus infert dari unam communem, & generalem indicationem curativam in morbis, quæ est contrarietas, per contrarietatem intelligit eam, quæ versatur inter affectū secundum naturam, & præter naturam,hoc est inter sanitatem, & morbum,& hanc intelligere remedio, seu auxilio contrario. Probat, & confirmat assumptum;nam si morbus non esset forma opposita sanitati,minime esset auferendus: Ergo ex contrarietate,& oppositione,quam habet cum sanitate oritur,quod sit auferendus morbus; qua ratione Galenus lib. de constit. art. Medicæ cap. 12. asserit. medendi methodum & sanorum & ægrotantium corporum habere principium.

Hæc tamen doctrina non videtur mihi vera,neque juxta Galeni mentem: nam indicatio curativa,quæ ex contrarietate desumitur, debet cōprehendi sub definitione indicationis, supra adductæ à Galeno lib. de optim. sect. ad Trasib. quæ est comprehensio juvantis, simul cū comprehensione nocentis;ubi per comprehensionem juvanti intelligimus

intelligimus, cum communi Medicorum consensu, comprehensionem auxilij, quo debellatur, & exterminatur morbus qui tanquam nocens debet comprehendi; sed tale auxilium exterminat morbum, solùm per contrarietatem, quam importat cum ipso: Ergo indicatio, seu comprehensio jubantis, ad debellandum & curandum morbum, debet potiùs desumi ex contrarietate remedij cũ morbo, quam ex oppositione morbi cum sanitate.

Suadetur assumptum nam licet inconcussum sit apud omnes sanitatem, & morbum contrariari, tamen non curatur morbus per contrarietatem, quam importat cum sanitate; sed ipsâ suppositâ contrarietate, per auxilium, quod morbo opponitur; & hac ratione indicatio curativa morbi; & comprehensio ipsius morbi, tanquam nocentis, & comprehensio sui contrarij, videlicet remedij tanquam juvantis, & habentis oppositionem, & contrarietatem cum morbo, ideoque morbus curatur per auxilium oppositum, cujus cognitio, seu comprehensio est indicatio curativa morbi, minimè verò comprehensio sanitatis est indicatio ad curandum morbum, licet supponatur sanitas, tanquam morbo contraria, seu opposita dispositio, aut forma: Ergo indicatio, quæ desumitur ex contrarietate ad curandum morbum, formaliter, & præcipue debet desumi ex contrarietate rei juvantis, hoc est auxilij seu remedij morbo oppositi; non verò ex contrarietate, quam importat morbus cum sanitate, licet hæc supponatur, ut morbus exposcat sui ablationem tanquã oppositus sanitati: Ex quo clarè intelligitur, quàm futilis sit ratio ultima, quam adducit socius noster, ut suadeat proprium placitum. Nam etsi verum sit, quod non curaretur, neque esset auferendus morbos, si non esset forma opposita sanitati; tamen non aufertur, nec curatur per oppositionem, seu contrarietatem cum sanitate; sed per contrarietatem remedij seu auxilij cum morbo, à quo exterminatur, cujus cognitio est indicatio curativa morbi: quia est comprehensio juvantis: Ergo indicatio curativa morborum, per contrarietatem, quam importat remedium exterminativum morbi cum ipso morbo, debet desumi.

Neque prima ratio nostri socij aliquid probat, nam supposita contrarietate morbi cum sanitate, necesse est in curatione morbi, ut fiat eorum alterius in alterum mutatio, seu translatio, à morbo videlicet tanquam à termino à quo, in sanitatem tanquam in terminum ad quem; & è contra; hoc enim est certissimum: Sed inquiro, à quo fit hæc translatio, seu transmutatio eorum alterius in alterum? certè ratione medicamenti, seu auxilij, quod opponitur, & contrariatur morbo, cujus cognitio est comprehensio juvantis, quæ est indicatio curativa morbi, cujus cognitio est comprehensio nocentis: Ergo contrarietas, quam importat indicatio curativa morborum potiùs desumitur ex contrarietate remedij cum morbo, quàm ex contrarietate morbi cum sanitate, licet ratione curationis debeat esse transitus à morbo in sanitatem, & è contra, tanquam à termino à quo, in terminum ad quem.

Et hoc voluit Galenus lib. 9. method. cap. 15. citato ex quo litigium fuit ortum, perpendite, precor, verba supra relata. *Neque enim aliud est ipsa sanatio* (inquit Galenus) *quàm præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio.* Tunc sic: talis mutatio in naturalem habitum est curatio morbi: sed hæc fit per auxilium applicatum morbo contrarium: Ergo indicatio curativa morbi, potiùs debet desumi ex contrarietate remedij cum morbo, quàm ex contrarietate morbi cum sanitate; etenim ratione auxilij exterminantis morbum fit reductio corporis in naturalẽ habitum tanquam per formam, & minimè ratione alterius contrarietatis. Prosequitur Galenus *cum autem contrary hi affectus sint, necesse est per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio.* Expende obsecro attento animo hæc verba: etenim si per contraria fit translatio morbi in sanitatem, & è contra, contrarietas talis debet compensari inter auxilium, & morbum, ratione cujus fit mutatio, seu translatio eorum alterius in alterum, hoc est ab statu morboso, seu præternaturali, in statum salubrem, seu naturalem. Patet assumptum, siquidem licet sanitas, & morbus sint contrarij affectus, minimè fit eorum alterius in alterum translatio, ratione talis contrarietatis, sed potiùs ipsa contrarietas retardat translationem unius in alterum, id est sanationem, & curationem: Ergo si indicatio curativa fit, ratione contrarietatis, per quam fit eorum alterius in alterum translatio; manifestè deducitur, hoc præstari ab auxilio, morbo opposito; unde jure optimo concludit Galenus loco citato, *atque ita rursus una solu erit curationum maximè generalis indicatio, nempe contrarietas.* Ex quo infertur clarissimè nostrã expositionem esse juxta Galeni mentem, & magis genuinam, & rationi magis consonam, ut constat ex rationibus à nobis adductis.

Insuper hanc eamdem doctrinam illustravit Galenus lib. artis medicinal. cap. 89. ubi asserit. Curationem unam communissimam, ac præcipuã habere intentionem, ob id, quod est dispositioni auferendæ contrarium: sed contrarium dispositionis auferendæ est auxilium, à quo morbus propulsatur, & curatur: Ergo contrarietas in curativa indicatione morbi, debet desumi à remedio, respectu morbi, & minimè à sanitate respectu morbi. Idem testificatur Galenus lib. de constit. art. Med. cap. 12. ubi ait, quod omnium curandorum morborum communissimus, & generalissimus scopus, seu indicatio est contrarium, juxta illud Hippoc. commune dogma: contraria contrarijs remedio esse; ubi de contrarietate auxiliorum cum morbis in indicatione curativa ipsorum loquitur, ut ex contextu patet. Neque alicujus est momenti expositio hujus loci à nostro socio, qui tenet Galenum nõ agere ex professo semper, de curativis indicationibus; quippe hoc est gratis dictum, quandoquidem in ipsius Galeni monumentis expressum est, dum de scopis communibus & generalibus loquitur: igitur præcipua contrarietas in curativa indicatione debet desumi ex remedio respectu morbi, quippe ratione illius exterminatur morbus, & fit translatio ab statu morboso, in statum sanitatis, & talis translatio, sanatio dicitur à Galeno. Si ergo sanatio fit per contrarietatem auxilij cum morbo, & minimè per contrarietatem sanitatis cum morbo, licet hæc contrarietas supponatur ad curationem; tamen sanatio, & curatio solum fit per alteram contrarietatem, quam importat remedium cum morbo, ut jure optimo, verificetur, indicationis curativæ definitio, quæ est comprehensio juvantis simul cum comprehensione nocentis, ut latè suprà explicavimus.

Neque valet si respondeas, quod morbi sublatio oritur ex oppositione & contrarietate, quam importat

portat

portat morbus cum sanitate, quippe si hæc non esset, minimè exposceret morbus sui ablationem, & sic contrarietas inter morbum, & sanitatem est prima, à qua sumi debet curativa indicatio in morbis. Non inquam valet hæc solutio, quam forsan machinavit noster Socius: nam licet verum sit, quod supponatur contrarietas inter morbum, & sanitatem, quæ si non esset, neque esset morbus, qui exposceret curationem, quoniam morbus refertur ad sanitatem: tamen minimè curatur morbus per illam contrarietatem, licet præsupponatur ad curationem sed potiùs per remedium seu auxilium contrarium, & oppositum morbo: Ergo potiori jure indicatio curativa morbi desumi debet ex contrarietate cum remedio, seu auxilio morbo opposito, à quo immediatè fit translatio morbosi status in sanitatem, quam ex contrarietate morbi cum sanitate, quæ solùm præsupponitur ad curationem, minimè autem per ipsam fit curatio morbi formaliter, sed præsuppositivè & quasi materialiter. Et confirmatur: nàm si per possibile aut impossibile daretur morbus lædens operationes viventis, quin daretur sanitas opposita morbo, sine dubio morbus exposceret curationem, per sui contrarium, hoc est per remedium morbo oppositum: Ergo curativa indicatio formaliter, & immediatè desumitur ex contrarietate remedij cum morbo; & minimè ex contrarietate morbi cum sanitate.

Solum restat dissolvere Argenterij argumenta, quæ nullius roboris sunt. Ad primum dicimus adinissa Galeni doctrinâ lib 3. meth. cap. 1. citato, ubi tenet idem esse quod curatur, & quod curationem indicat, tamen contrarietas non curatur in abstracto, sed morbus curatur per contrarietatem, quæ importat remedium cum ipso morbo; & hac ratione intelligitur, quòd communis indicatio curativa morbi sumitur ex contrarietate, non quia curetur contrarietas, sed vivens morbosum, per contrarietatem auxilij debellantis morbum. Ad confirmationem dicimus optimè cum hac doctrina intelligi definitionem indicationis, quippe ex dicta contrarietate comprehenditur juvans, & nocens, ut per se patet.

Ad secundum constat ex dictis: nam licet contrarietas in abstracto non indicet sui conservationem, neque ablationem: tamen morbus indicat sui ablationem per contrarietatem, quam importat auxilium cum morbo. Neque argumentum à simili de causa externa aliquid probat contra nos, quoniam causa externa nullo indiget auxilio ad sui ablationem; at morbus ratione contrarietatis, quam importat cum remedio, indiget ipso ad sui ablationem. Ad ultimum patet solutio: nam licet unum, & idem prorsus invariatum non possit esse indicans, & indicatum; tamen hoc non verificatur in curativa indicatione, quæ sumitur ex contrarietate remedij cum morbo; nam morbus, quia habet oppositionem cum remedio, & contrarietatem, indicat remedium; & insuper remedium ipsum, quia contrariatur cum morbo, est indicatum à morbo: Ergo minimè verificatur in nostra oppinione, quod idem & unum prorsus invariatum sit indicans, & indicatum, quia per reciprocam & alternativam contrarietatem, quæ versatur inter morbum, & remedium, quo debellatur morbus, unum est indicans, & alterum est indicatum; unde licet contrarietas sit una, & reciproca; tamen subjectum talis contrarietatis est diversum, alterum ubi subjectatur forma morbi; & alterum ubi subjectatur forma remedij, & hac ratione unum est indicans, & alterum indicatum, sub ratione unius contrarietatis reciprocæ, & alternativæ: unde clarè intelligitur, quod indicatio, sit comprehensio nocentis si referatur ad morbum; & etiam sit comprehensio juvantis, si referatur ad auxilium, seu remedium, quod contrariatur morbo. Quibus attento animo pensitatis, constat clarè Argenterij placitum nullius esse momenti.

Restat tamen examinare quâ ratione, aër curationem valeat indicare, cum inter præcipua indicantia à Galeno adducatur, ut supra monuimus; & insuper etiam restat explicare, quomodo aër sub generali indicatione curativa contrarietatis comprehendatur: & ratio difficultatis oritur perfectò ex eo quòd aër potiùs sit materia remedij quo plurimi morbi exterminantur, aut saltim minuuntur; & ob hanc rationem potiùs habeat rationem indicati, quam indicantis: si ergo à Galeno inter præcipua indicantia numeratur aër ambiens, minimè poterit habere rationem remedij, seu indicati: quoniam unū & idem non potest esse indicans, & indicatum.

Licet plura de aëre suprà diximus; nihilominus in præsenti litigio, aliqua addemus, ut omninò absolutum, maneat juxta Galeni doctrinam, quam ut veram admittimus. Videtur tamen ex aere minimè posse sumi indicationem curativam in morbis, neque posse comprehendi sub generali indicatione contrarietatis: siquidem aër frequenter est materia remedij, quo utimur in morborum medela, aërem varijs modis præparando, & alterando, ut sit auxilium, seu remedium in morbis. Si ergo est indicatum minimè poterit esse indicans, quia impossibile apparet, quod unum, & idem possit esse morbus, & ipsius morbi remedium: & sic etiam apparet difficillimum, quòd unum, & idem sit indicans, & indicatum; cum ergo aër sit materia remedij minimè poterit indicare ipsum remedium.

Insuper etiam Galeni doctrina claudicare videtur, nam licet sine aëris consideratione, nec tolli morbus possit, nec sanitas conservari, & hac ratione dicatur à Galeno causa, seu conditio sine qua non, ut supra notavimus, ideoque ab aëre sumi indicationem curativam dictavit Galenus, & inter tres præcipuos scopos, aërem numeravit; nihilominùs, ob eamdem rationem, ex omnibus alijs rebus non naturalibus, quæ necessario nos alterant, & continuò ab ipsis patitur vivens, deberet sumi indicativa curatio; totum quod videtur docuisse Galenus lib. art. medic. cap. 85. ubi nos monet, non minùs esse necessariam continuam passionem in viventi, ex cibo, & potu, ex somno, & vigilia, & ex motu, & quiete, quam ex aere, ita ut sine ipsis, nec morbus possit auferri, nec sanitas conservari; Ergo quemadmodum ex aëre docet Galenus sumi indicationem curativam, ita de omnibus rebus non naturalibus, idem debebat asserere; unde defectuosus, in enarrandis curativis indicantibus præcipuis fuit, aut aër non est indicans in curatione.

Socius noster citatus in præsenti dubiolo tenet, aërem nullatenus habere rationem indicantis in curatione morborum, quia cum non sit aliud quod curatur, & aliud quod curationem indicat; & aër minimè curetur, infert necessario, quod aër non possit esse indicans in curatione; addit etiam insuper, quod quando aër habet

temperiem

temperiem morbo contrariam, est materia remedij, si tamen habet temperiem morbo similem non est indicans ut signum, sed solum ut causa quoniam quod indicat, ut signum, nihil pro sui ablatione indicat, sed solàm ablationem, quæ à morbo per se indicatur; & cum quando aër habet temperiem similem morbo, fit veluti causa, à qua fovetur morbus; sequitur, quod tunc aër non indicet, ut signum, sed ut causa morbi, sui ablationem.

Nos tamen in præsenti controversia asserimus aërem quandoque se habere ex parte naturæ, seu sanitatis, & interdum ex parte morbi, juxta temperiem, seu alterationem, quam mendicat ex regione, aut cœli statu, aut anni tempore: unde quando habet temperiem morbo contrariam, & similem pro conservatione naturæ habet rationem remedij, seu indicati: Cæterum si habeat temperiem morbo similem, habet rationem verè indicantis in curatione, & sicut omnia ea, quæ se habent ex parte morbi verè in curatione indicant, quoniam sui ablationem expostulant; etiamsi morbus solùm primò, & per se indicet sui ablationem; causa verò secundariò; quia non immediatè, & primariò lædit. Unde quando aër habet temperiem similem morbo, indicat ut signum sui attemperationem: Ergo indicat sui ablationem, hoc est expulsionem caloris tanquam lædentis. quia hujus modi intemperies fovet febrem, seu morbum; & sic neque morbus curatur, sed subjectum morbo apprehensum, & tamen morbus indicans est primarius in curatione: Ergo etiamsi aër non curetur, nihilominus erit indicans in curatione ut signũ: ut pote indicat aliquid pro sui ablatione, hoc est pro ablatione intemperiei foventis morbum, qua præditum est, & cum possit talis intemperies perseverare, adhuc ablata causa interna morbi, quæ sine dubio exposceret sui ablationem; firmiter censeo aërem calidum præter naturam indicare ut signum in curatione febris; quoniam aliquid pro sui ablatione indicat, & licet primariò indicetur à febre; nihilominus non tollit, quod indicetur ab aëre, quia talis intemperies ex parte morbi ita se habet, ut jure optimo morbosa possit nominari, etiamsi habeat alteram considerationem causæ morbificæ, quatenus subjectatur in aëre; & hac ratione non est dubium, quin indicet in curatione, tanquam causa morbi sui ablationem secundariò, ut suprà latiùs probavimus. Præterquam quòd inseparabile est in aëre habente similem temperiem cum morbo indicare ut signũ ipsius morbi, & indicari ut causam morbi: nam quomodolibet quis concipiat aërem calidum in febris curatione, semper attendere debet Medicus Rationalis ad applicandum auxilium, quod opponatur aëri calido, ipsum attemperando, independenter ab indicatione curativa, quæ debetur causæ morbificæ: Ergo etiam si aër calidus non consideretur, ut causa febris, sed ut signum petit sui ablationem; quod sufficiens est, ut aër sit verum indicans in curatione, quando habet similem temperiem cum morbo, & etiam quando consideratur ut causa morbi. Si tamen temperiem habeat aër contrariam morbo, sine dubio habet rationem remedij & indicati; totum quod satis clarè manifestavit Galenus 9. lib. method. cap. 14. per sequentia verba: *Sanè ambiens si contrariam morbo temperiem habet, è præsidiorum numero unus est, sin similem ægritudinalium causarum unus est, ergo ut diximus* (concludit Galenus) *ambiens rationem modo materiæ sanantis, modo causæ morbum foventis habet.* Hinc disces, quod cum febris exposcat refrigerationem & humectationem pro sui ablatione, si aër sit frigidus, & humidus, habebit sine dubio rationem sanantis, seu remedij, seu indicati; at vero si aër sit calidus inter causas febris est numerandus, quoniam ipsam fovet, aut auget, & sic tunc indicat in curatione, sui ablationem; quemadmodum quælibet alia causa febris, seu morbi, eâ ratione, quâ suprà docuimus.

Solum restat solvere dubiola in contrarium posita. Ad primum dicimus, nullum esse inconveniens, quod unum, & idem per diversos respectus habeat rationem indicantis, & indicati, & cum aër interdum habeat temperiem similem morbo, & quandoque similem naturæ; nihil mirum quod si habeat temperiem calidam, & morbus sit febris; tunc habet rationem indicantis, quippe tunc se habet ex parte febris, ipsam fovendo, & habet rationem causæ, & sic indicat sui ablationem, seu attemperationem: Cæterum si habet aër temperiem morbo contrariam, & similem naturæ, tunc quidem aër habebit rationem auxilij, seu remedij, quo propulsatur morbus; unde licet aër sit unus secundum substantiam, tamen juxta varias alterationes, quas patitur, per variam temperiem, quam participat, modo habet rationem sanantis, modo verò rationem augentis morbum, & sic interdum est indicans, & interdum indicatum.

Secundum argumentũ adductum solvitur si dicamus, diversam rationem militare de aëre, ac de reliquis rebus non naturalibus: nam ab aëre continuò, & necessariò nos alteramur, imò inevitabiliter, & continuò aërem inspiramus, & expiramus citra voluntatis arbitrium, & hac ratione solus aër habet rationem conditionis sine quâ, nec potest debellari morbus, nec recuperari sanitas; at omnes aliæ res non naturales, minimè sunt simpliciter necessariæ pro vitæ conservatione, nec pro morborum expulsione: quippe plures sunt morbi, qui sine cibo, aut potu, somno, aut vigiliâ, motu, aut quiete, medentur, & mitigantur, nec continuò utimur cibo, aut potu, vigiliâ, aut somno, sed pro voluntatis arbitrio, ex quo planè infertur, aëris alterationem esse omninò inevitabilem, secus verò eam alterationem, quæ ab alijs rebus non naturalibus fit. Merito ergo aër habet specialem dignitatem & prærogativam, in curandis, morbis, & in conservatione sanitatis, quare ab eo sumi indicationem specialiorem in curatione dictavit Galenus.

CAPUT VIII.

Utrum tempora morbi indicent in curatione.



CAPITE sexto superiori aliqua de temporibus morborum tetigimus, dum de indicantibus incuratione egimus; quia tamen obiter ibi hanc rem proposuimus, specialiter in hoc capite examinare oportet an à temporibus morborum sumatur curativa indicatio. Et ut certa ab incertis separemus, supponendum est

est non esse sermonem de tempore morbi secundum physicam considerationem, secundum quam in suo intrinseco conceptu solùm dicit esse numerum motus, secundum priùs, & posteriùs, & hac ratione certum est nihil in curatione indicare. Ulterius etiam advertendum est tempus morbi posse accipi, & considerari pro tota morbi constitutione, seu duratione, in qua acceptione longitudinem, aut brevitatem morbi significat, quæ speciale auxilium ultra id quod morbus exposcit absolutè, minimè indicat; sed solùm Medici considerationem ad servandas vires, ut possint perdurare usque ad morbi solutionem, quæ ex vi auxiliorum à natura consequitur, sic Galenus 4. method. cap. 5. de ulcerum diuturnorum curatione loquitur, *ac signum quidem vitiosi succi est ipsa ulcerum diuturnitas, inventio autem ejus quod expedit, non ex diuturnitate, sed ex succi vitio suggeritur.* Et tandem est notandum morborum tempora non esse consideranda per dies plures, aut pauciores, sed ratione diversarum mutationum sensibilium, quæ in morbis reperiuntur, tum in ordine ad accidentia, tum etiam in ordine ad mutationem causæ morbificæ, & hac ratione in morbis quatuor tempora distinguimus, quæ sunt principium, augmentum, summus vigor, & declinatio, ex quibus tota morbi curatio, seu constitutio completur.

His ergo prælibatis litigium est utrum à temporibus morborum in hac ultima consideratione pensitatis, sumatur vera curativa indicatio, ratione diversæ mutationis, quam in ipsis patitur morbifica causa, nec non etiam ratione accidentium, quæ ad ipsam causæ variationem, seu alterationem sequuntur, in morbis materialibus, sub quibus etiam comprehendimus morbos, qui à fluxione dependent, & inter tumores, seu inflammationes, numerantur: de quibus omnibus procedit, præsens controversia, an scilicet à diversis morborum temporibus sumatur vera curativa indicatio.

In qua difficultate Socius noster suprà citatus in suis manuscriptis asserit, minimè à temporibus morborum sumi indicativam curationem. Hanc conclusionem suadere intendit, unico, & suo videri efficaci fundamento: nam quodlibet indicans debet indicare, aut sui conservationem, aut sui ablationem, sed morborum tempora neutrum indicant: Ergo absolute non indicant in morborum curatione: minorem probat per partes, & primò quod morbi tempora non indicent sui conservationem, ex co patet, quod sint præter naturam respectu viventis, sed quidquid præter naturam est minimè potest postulare sui conservationem; Ergo: secundam partem assumpti in quo stat tota difficultas intendit validare sic; quoniam tempora morbi non indicant sui ablationem, quippe hoc debet fieri per contrarium: sed nihil contrarium applicamus in curatione respectu temporum morbi: Ergo neutiquam sui ablationem possunt indicare. Secundam minorem probat; quia tempora ipsa, cum sint quædam motiones causarum, aut ipsius morbi, ad has auferendas nunquam directè & per se primò, auxilia, seu remedia applicamus, neque illa, quid faciendum sit unquam docent; solum enim possunt esse effectus, aut signa eorundem, quare ut signa tantùm valebunt demonstrare ea quæ facienda sunt, aut quid fieri non expediat impedire, id tamen quod impedit nequaquam dici potest indicare; siquidem vires languidæ impediunt sanguinis missionem; & ex eo minimè dicuntur indicare sanguinis missionem, ac per consequens licet morborum tempora aliquando impediant remediorum executionem; non tamen ob hanc rationem dicuntur indicare auxilia, seu remedia: his clauditur totum fundamentum nostri Socij.

Verior opinio est, tempora morbi verè, & propriè indicare curationem; quam capite 6. hujus tractatus insinuavimus; & specialiter in præsenti eam validare conabimur; tum ex impugnatione contrarij fundamenti, tum etiam peculiaribus rationibus desumptis ex Antiquorum monumentis. Et primò validatur nostra assertio ex Hipp. 2. aphor. text. 29. per illa verba *incipientibus morbis, si quid tibi videtur movendum move, &c.* Cæterum ut argumenti nostri robur agnoscas, perpende obsecro Galeni verba in expositione aphorismi citati. *Aliorum ergo morborum in quibus salutis agri sit spes aliqua, per initia danda est opera, ut majora adhibeantur remedia, nam de his morbis dicebat Hippocrates, si quid movendum videatur, move. Præcipua autem in his remedia sunt, maximè quidem phlebotomia, nonnunquam verò expurgatio, quorum neutrum in vigore venit usurpandum.* Ex his planè constat, juxta Hippocratis decretum, principium morborum indicare remedium, quippe ipsum conducit ad inventionem remedij, & ad determinationem ipsius, hoc autem indicare curatoriæ est; cum autem præcipua remedia, quæ in arte medica exercentur, sint sanguinis missio, & expurgatio, quibus morbi exterminantur, & ipsorum medela consequitor, & hujusmodi auxilia specificentur à Galeno in principiis morborum exercenda, videtur sine dubio, tempora morbi indicare in curatione.

Si respondeas sanguinis missionem, aut expurgationem, quæ in principijs morborum exerceri debent, non indicari ab ipso tempore morbi, sed potiùs ab ipso morbo, qui expostulat unum, aut alterum remedium. Contra instatur solutio: quia principium morbi, seu ipsius primum tempus, est pars morbi prima: Ergo tempus illud morbi, indicat ablationem, ut pars integrans morbum, & connotans ipsum morbum, ea occasione in qua debemus uti auxilijs majoribus ad exterminationem morbi: Ergo quod tempus morbi sit occasio idonea, in qua exerceri debet remedium, tutò, & securiùs, non tollit quod à tempore morbi sumatur indicatio curativa pro ipsius medela, juxta morbi correspondentiam ad suum principium. Confirmatur assumptum; quia ita se habet morbus cum suis quatuor temporibus, ex quibus componitur, seu tota ipsius constitutio integratur, sicut totum quodlibet physicum, cum suis partibus, ex quibus componitur, seu integratur; sed quodlibet compositum physicum, & naturale, non distinguitur à suis partibus simul sumptis, & unitis: Ergo quidquid verificatur de toto, verificabitur de omnibus partibus; sed morbus constituitur ex quatuor temporibus, tanquam ex partibus integrantibus ipsum: Ergo si à morbo sumitur curativa indicatio, etiam ab omnibus temporibus morbi, debet desumi, & à quolibet tempore, cui correspondet pars morbi; quæ non dubiè est præter naturam viventi, & exposcit

ablationem

ablationem per auxilia correspondentia tali tempori morbi: Ergo est verum dicere morbum in principio indicare, aut sanguinis missionem, aut expurgationem, pro sui exterminatione, & non in summo vigore, in quo oportet quiescere: Ergo à tempore morbi sumitur indicatio ad inventionem, & determinationem auxilij: Quippe occasio idonea in tempore aliquo, seu parte morbi, non distinguitur ab ipso morbo, prout in tali tempore; sed morbus quando est in principio indicat curatoriè: Ergo prout est in principio indicat curatoriè; sed prout est in principio connotat tempus in sua intrinseca entitate: Ergo à morbo prout in principio indicatur auxilium magnum: ac perconsequens à tempore morbi indicatur curatio morbi, prout in tali tempore est constitutus morbus.

Fulcitur ulterius idem assumptum: quia tempora morbi constituuntur per mutationem diversam causæ morbificæ; sed indicatio, quæ desumitur à causa morbi, est curativa, ut supra monuimus, & probavimus juxta communem Medicorum consensum: Ergo indicatio, quæ desumitur à temporibus morborum est curativa propriè, & in rigore: patet ultima consequentia tempora morborum involvunt necessario mutationem, & alterationem causæ morbificæ, juxta cujus diversitatem diversa tempora cernuntur in morbis materialibus, ut inconcussum apud omnes est: Ergo tempora morbi intrinsicè important variam mutationem talis causæ morbificæ; sed per variam motationem talis causæ variantur remedia: Ergo tempora morbi movent Medici considerationem, ut modo hæc auxilia, interdum alia exerceantur, & quandoque ab omoibus cesset; sed hoc est conducere ad inventionem, & determinationem remedij: Ergo à temporibus morborum sumitur indicatio curativa.

Premitur discursus; nam morbus semper est unus, & indicat sui ablationem primariò; & unum exposcit remedium: ideoque ab ipso sumitur prima, & præcipua curativa indicatio; sed non semper & in omni tempore indicat remedium: sed solum in principio: Ergo morbus prout in principio exposcit remedium; ac perconsequens principium morbi indicat remedium, & determinat remedium; cum reduplicatio illa prout in principio connotet tempus tale morbi formaliter, à quo determinatur remedium: Ergo principium morbi indicat curatoriè.

Clarius tamen premitur assumptum, in morbis pendentibus à fluxione, seu inflammationibus; in quibus in principio morbi repellentia auxilia indicantur: in augmento repellentia simul, & resolventia, & tandem in declinatione solùm resolventibus utimur; sed talis variatio, in remedijs localibus solum desumitur ab ipsis temporibus morbi, & non absolutè ab ipso morbo, sed prout est in principio, aut augmento, aut declinatione: Ergo tempora morbi indicant curatoriè; quippe ab ipsis devenimus in cognitionem auxilij, quod debetur, ad exterminationem morbi, & ipsius causæ, ut per se patet.

Cæterum ad fugiendam vim nostri fundamenti, nec non etiam ad dissolvendas rationes, quæ pro nostra opinione militant, Socius noster supra citatus distinguit in morbis materialibus tempora ipsa morbi, & tempora auxiliorum; nam tempora morbi sunt motiones quædam causarum efficientium morbos, quæ cum sint quatuor, quatuor etiam erunt tempora morbi, quæ communiter ab omnibus referuntur; Tempora verò auxiliorum dicuntur, quæ ad ipsorum applicationem sunt opportuna, & tunc opportuna indicantur, quando adsunt postulantia, & nullum est prohibens: Porrò quod istæ duæ temporum differentiæ inter se distinguantur, & separentur, intendit suadere ex Galeno quia juxta Hippocratis doctrinam secunda sect. aphor. citat. in aliquo tempore morbi auxilia applicamus, & in altero cessare expedit, sic in principio morbi aut venam secamus, aut expurgamus; in summo autem rigore, seu statu morbi quietem potiùs commendamus & ab omni auxilio cessamus: Ergo tempora morbi sine temporibus auxiliorum inveniuntur, ac proinde hujusmodi tempora distinguntur.

Ulterius idem assumptum fulcire intendit, quia multoties dantur plura tempora auxiliorum sine aliquo tempore morbi; imo & absque aliquo morbo; quando videlicet sanguinem mittimus, aut expurgamus præcautionis gratiâ: in quo eventu est tempus auxiliorum nullo existente morbo. Et tandem probat idem assumptum, ex eo quod in unico tempore morbi sint plura tempora auxiliorum, utpote in eodem principio multoties sanguinem mittimus, & expurgamus, & è contra in duobus, aut pluribus temporibus morbi, est unicum tempus auxilij, quando scilicet in principio, & augmento solùm sanguinem mittimus: Ergo si in unico morbi tempore sunt plura tempora auxiliorum, & in pluribus morbi temporibus est unicum tempus auxilij, planè hæc tempora inter se distinguntur, ita ut aliud sit tempus morbi, & aliud tempus auxilij.

His ita prælibatis concludit, & asserit tempora auxiliorum non esse indicantia, neque ex ipsis aliquid utile posse demonstrari, atque adeò tempora auxiliorum potius rationem remedij, & indicati habere, quoniam sub ejusdem idoneò usu continentur: etenim tempora auxiliorum desumuntur ex presentia postulantis, & absentia prohibentis, & cum ex ipsis temporibus in cognitionem remedij devenianms; ideo rationem habent indicati, & non indicantis; quare tempora auxiliorum indicata sunt, & minimè indicantia.

Porrò licet admittamus distinctionem formalem inter tempora morborum, & tempora auxiliorum, ut Galenus insinuavit; & quia morborum tempora præcisè constituuntur per diversam mutationem, & alterationem causæ morbificæ, ut supra monuimus: & tempora auxiliorum solùm per opportunitatem ad exhibitionem remediorum, seu ad ipsorum executionem; totum quod desumitur ex præsentia postulantis, & absentia prohibentis, quod quid diversum est à mutatione diversa, & alteratione causæ morbificæ. Nihilominus superfluam judico hanc distinctionem, ut probet ex temporibus morborum nullam sumi indicativam curationem: quippe tempora ipsa diversa indicant, & expostulant auxilia, ut supra probavimus, & hoc independenter ab opportunitate auxilij, cum exhibitio ipsius dependeat ex absentia probibentis. Ergo distinctio inter tempora morbi, & auxiliorum minimè probat, neque conducit ad suadendum à temporibus morborum non sumi indicationem curativam.

Neque ex rationibus, quas adducit Socius colligitur distinctio inter talia tempora, siquidem tempora morbi sunt tempora auxiliandi, sive cessandi ab auxilio, quæ cessatio reputatur tanquam auxilium medicum, etiamsi privativum sit; quo fit, ut nullum tempus morbi detur sine auxilio sive privativo, sive positivo; & cum tempora sint quatuor; in principio, & augmento sanguinem mittimus, imò, & in statu ad mitigandum incendium, sæpe venam secamus & potionibus frigidis utimur; & in declinatione expurgamus: ergo nullum datur tempus morbi, quod non sit tempus auxiliandi, sive per sanguinis missionem, sive per expurgationem, sive cessando à remediis: quippè majoris artis est cessare dum expedit quàm facere opportuna dictante nostro Vallesio; & interdum nullum est majus medicamentum, quàm nullo uti medicamento Auctore Galeno: ergo non separantur tempora morbi à temporibus auxiliorum. Neque dantur tempora morbi absolutè, sine temporibus auxiliorum; etsi in aliquo tempore morbi aliqua adhibeantur remedia, quæ in alio tempore non adhibentur, aut non ita securè ad ministrantur.

Ulteriùs ex eo quòd in præcautione aliqua adhibeantur remedia, non sequitur sine morbo adhiberi, & sine aliquo ipsius tempore; quia licèt non sit morbus actualis, est morbus imminens, quòd sufficit, ut in ejus principio adhibeamus auxilia, quæ præcautoria dicuntur, in ordine ad exterminandum morbum imminentem, qui exposcit auxilia in principio; hoc est eo ipso quòd timetur, & imminet. Neque ex eo quòd in unicu tempore morbi, hoc est in principio, sæpè sanguinem mittimus, & interdum expurgamus, & in pluribus temporibus morbi, hoc est in principio, & augmento unico utimur auxilio, nempe venæ sectione; infertur distinctio inter alia tempora: nam tunc est unicum tempus auxiliandi, sive per sanguinis missionem, sive per expurgationem. Et similiter, est tempus sanguinem mittendi, sive in principio morbi, sive in augmento; ex quo constat non dari tempus morbi sine auxilio sive simili, seu dissimili, quòd non arguit distinctionem. Non ergo ex argumentis socij colligitur distinctio inter tempora morbi, & tempora auxiliorum.

Insuper quod minùs placet est id, quod asserit de temporibus auxiliorum, nempe, quòd potius sint indicata & habeant rationem remedij, seu auxilij, etenim priusquam adhibeatur auxilium pro morbo exterminando, intelligitur tempus opportunum auxiliandi: ergo tempus opportunum potius se habet ex parte indicantis, quam indicati; quippe tempus opportunum est occasio præceps, ut exerceatur remedium non ipsum remedium, quòd est indicatum à morbo, & ab ejus causa: occasio verò minimè habet rationem remedij, quandoquidem per occasionem nentiquam exterminatur morbus, sed per auxilium, etsi occasio dispositivè conducat, ut remedium tutius exhibeatur, quòd commune est etiam temporibus aliquibus morbi, in quibus tuto exercentur remedia; & non ideo tempora morbi sunt indicata, sed potius habent rationem indicantis in curatione, ut suprà ostendimus.

Quare in hac re auderem dicere, quòd licèt tempora morbi, à temporibus auxiliorum formaliter distinguantur ut supra insinuavi; attamen realiter non distingui, mihi persuadeo; ex eo quòd tempus morbi realiter est tempus auxiliandi, sive per sanguinis missionem, sive per expurgationem, juxta diversam mutationem causæ à qua tempora diversa morbi desumuntur, sive per motum peculiarem causæ morbificæ, ratione cujus is augetur; sive per nimiam ejus copiam à natura insuperabilem. Qua ratione in principio morborum utiliter sæpè numero expurgamus, crudà omnino existente materiâ: ergo realiter loquendo tempus morbi est tempus auxiliandi, & pro diverso tempore morbi diversa auxilia exercemus, juxta alterationem, seu motum materiæ, sive ipsius copiæ, ratione quorum tempora ipsa morbi dicuntur opportuna, ad executionem remediorum, seu ad cessationem ipsorum (quod suo modò operari opportune est) non ergo realiter distinguntur prædicta tempora, neque ex eo quod in aliquo tempore morbi complicetur alter affectus, qui contraindicet remedium, aut ipsum non permittat, tollit quo minùs ipsum tempus morbi ex se sit tempus auxiliandi, quippe accidentale valde est, quòd sit contraindicans aut prohibens remedium, quod aliàs exerceretur tutò, si impedimentum abesset. Ergo ex se tempus morbi est occasio opportuna auxiliandi hoc aut altero auxilio, prout indicatum fuerit vel à morbo, vel à causa, aut ab ipso tempore morbi.

Ratio verò in contrarium adducta nullius roboris est, siquidem tempora morbi sunt præternaturam, & hac ratione sui ablationem ex postulare debent, non quidem per auxilia contraria tempori, præcisè quatenus tali, sed per auxilia contraria morbo, prout in tali tempore; Vnde quando applicamus auxilium aliquod in principio morbi, (exempli gratiâ) hujusmodi auxilium non contrariatur tempori, sed aut morbo ipsi, aut causæ morbificæ prout in tali tempore, quod præstat opportunitatem, & securitatem, ut exerceatur; imò & indicat tale tempus morbi tale remedium; quoniam conducit ad ejus inventionem, & determinationem; quin ob hanc rationem requiritur contrarietas cum tempore ipso, præcisè quatenus tempus est, sed quatenus connotat morbum, tanquam principale indicans in curatione, & cum tempora morbi sint partes integrantes morbum, & per consequens sint præter naturam viventis, indicant curatoriè, quatenus se habent ex parte morbi, & sic per auxilia opposita morbo simul exterminantur, etiamsi non habeant immediatam, & legitimam contrarietatem cum auxiliis medicis.

CAPUT IX.

De natura coindicantium impedientium, contraindicantium, & correpugnantium, in curatione.

DE natura indicationis, quæ primum locum obtinet in morborum medela, latè egimus, superioribus capitibus; cæterum quia ad morborum exactam curationem, alia plura intersunt, ex quibus perficitur curatio, tum coadjuvando, tum etiam impediendo, quæ omnia

nia cordatus Medicus ad unguem expendere debet; ideò de omnibus in presenti capite agendum est, ut completam adquiramus notitiam pro auxiliorum exhibitione: siquidem in affectibus, & in laborantium corporibus, contraria frequenter se offerunt, quorum, quæ potiora, & digniora sunt, & ad indicandum validiora eligenda, ab eisque sumptâ indicatione aliis non neglectis, omne licèt aggredi officium.

Interreà verò, quæ conferunt cum prima, & præcipua indicatione, ad inventionem utilis, & adæquati remedij, alia dicuntur coindicantia, alia contraindicantia, alia correpugnantia, & tandem alia dicuntur impedientia executionem auxilij utilis, & convenientis; quorum omnium naturam in præsenti capite brevi calamo describere est necesse. Et à coindicatione initium sumentes; dicimus ipsam ex parte indicationis se tenere, & re verâ esse causam, quæ indicationis principalis, & primæ vim & efficaciam auget; exempli gratiâ si quis plenitudine prematur, ea sine dubio sanguinis missionem exposcit, & indicat; cæterum si cum plenitudine, conjungatur corporis habitus robustus, vim auget plenitudini indicanti venæ sectionem: & hac ratione coindicare tale auxilium dicitur; Vlteriùs etiam præcedens victus ratio indicationi adductæ consentit, veluti siquis moderato deditus exercitio, plurimo utatur alimento, coindicat sanguinis missionem, augendo vim primæ indicationis.

Sunt etiam ex parte coindicationis aliæ plures causæ, quæ licèt non coindicent toto rigore sanguinis missionem, ipsam tamen tolleratu faciliorem efficiunt, hujus generis sunt ætas, quæ etsi sua sponte venæ sectionem non exposcat, ipsam tamen facilius ferre efficit, si florens sit, anni etiam tempus, cœli status, & regionis conditio idem præstant beneficium: eiusdem generis est consuetudo; quæ licèt non indicet in rigore auxilium; tamen ex assuetudine facit, ut quæ graviora sunt faciliùs ferat natura; quapropter dum omnia hæc ad sanguinem mittendum, aut alia conducentia ad quodvis auxilium exequendum in unum coeunt, sine dubio profuturum esse, & tuto fieri posse commonstrant; si autem unum, aut plura deficiunt; tantò magis pertimescere æquum esse, quantò plura ex dictis defuerint; ut si quis egeat evacuatione, habitu corporis existente gracili, vitâ parcâ, & laboriosa, suspicari opportet vacuationem non ita profuturam, præsertim si fiat per sanguinis missionem, etsi affectus ex plenitudine procedat; etenim vitæ parsimoniæ, & corporis habitui aliquid semper est condonandum; aut saltim si affectus plurimum urgeat, non quidem detrahendum quantum expostulat, sed parum infra subsistendum.

Coindicantia primò, & per se, sed simul cum alio indicare, tenet Socius noster supracitatus. Rationem adducit; nam si ea, quæ coindicant, seorsim, & non simul cum alio inveniantur absolutè indicantia essent; adducit exemplum in ætate puerili, quæ victum humidum tanquam similem indicat, & si simul cum febre coniungatur coindicans dicitur, quia simul cum febre, quę sicca passio est per se primò talem victum expostulat, unde infert coindicantia per se primò indicare, etsi simul cum alio indicent.

Fallitur tamen Socius, licèt in re parvi momenti; nam coindicare supponit necessariò aliam primam indicationem pro famosiori: ergo coindicatio in suo conceptu formali, non indicat primò, & per se, sed consequenter ad aliam primam. Itaque in febre, quam medicare incipimus victus humidus convenit indicatione primâ, & principali desumptâ à febre, quæ si conjungatur cum ætate puerili, ipsa ætas, quæ ex sua natura humida est, auget vim indicantis primi: ergo licèt puerilis ætas absolutè indicet victum humidum tanquam similem pro sui conservatione, non tamen in dicto casu primò, & per se indicat; quia si febris coniungatur cum alia qualibet ætate, semper imperandus est victus humidus, qui omnibus febricitantibus competit, ex Hipp. decreto; ac per consequens prima, & præcipua indicatio pro exhibitione victus humidi, semper desumitur à febre, tanquam à primo indicante; unde ætas puerilis tunc auget vim primæ indicationis, non tamen primò indicat, sed coindicat, quod non est primò indicare; etenim, qui curat febrem, primò, & principaliter impetat victum; & auxilium petitum à febre, tanquam à præcipuo indicanti; secundariò verò respicit ætatem augentem vim primi indicantis, & sic coindicatio in suo conceptu formali, non indicat primò, & principaliter, licèt verè indicet in curatione.

De contraindicatione existimant plures ex Neotericis nihil aliud esse quàm impedimentum eius, quod ab indicatione monstratur; ita ut si alicui accidat morbus ex plenitudine, natura causæ indicat sine dubio evacuationem, virtus tamen debilis, auxilium tale impedit; quod quidem impedimentum] contraindicationem appellant. Falluntur tamen apertè; siquidem aliud est revera contraindicare, & aliud quidem impedire: nam contraindicatio non est id, quòd impedit, sed potiùs est id, quod contrarium iubet ei, quod ab indicatione monstratur: itaque si adsit indicatio mittendi sanguinem; contraindicatio legitima, & vera erit, quæ repletionem alimenti, seu refectionem indicat: quippe contraria sunt replere, & vacuare. Vnde tota contraindicationis natura, in eo stat, quod omninò contrarium est ei, quod ab indicatione proponitur; ut si indicatio refrigerationem proponat, contraindicatio excalfactionem, & sic militat ratio de aliis, inter quæ est vera contrarietas; at inter vacuationem & virtutem nulla versatur contrarietas, licèt virtus evacuationem impediat, ex quo licet colligere, contraindicare aliud esse, quàm impedire, ut ex dictis clarissimè constat.

Correpugnantia dicuntur ea omnia, quæ vim augent & efficaciam contra indicationis, & quæ è directo opponuntur coindicantibus, nam si quis eo affectu corripiatur, qui expurgans medicamentum expostulet; mox contraindicatio erit ad huiusmodi evacuationem, si sudor dissipans tale corpus obsederit; cui etiam vim contra indicandi auget ventriculi natura, qui adeò assumptis medicamentis horret, ut nulla modo admittere queat, quæ tamen ventriculi conditio minimè contrariatur evacuationi, quæ fit per expurgans medicamentum, sed ei correpugnat, & vim auget contraindicationis, cui etiam correpugnantiæ plura alia addere opportet, quæ licèt verè non correpugnent, se tamen ex parte contraindicationis tenent; ut

anni tempus, iuxta illod Hipp. sub cane, & ante canem medicationes difficiles, & illud etiam eiusdem Authoris, sana habentes corpota, medicationes difficile fetunt, quæ umnia etiamsi sua sponte non contraindicent, modum tamen quendam observant in cotrepugnantia, quæ licèt non augeant vim conttaindicationis, moderantur tamen vacuationem ipsam, nam licèt anni tempus nihil habear, quod vacuationi repugnet: ponit tamen naturæ certum quendam modum cuius ratione, plus, aut minus vacuare decet: etenim si quævis vacuatio pro naturæ viribns fieri debet, & has quidem anni tempus, quodammodo augeat, tunc tempus coindicare dicitur; aut minuit, & eo tempore correpugnat: ex quibus manifestè constat, quid proprie sit contraindicatio, & qua ratione eius vires augeat correpugnantia; & inter ea, quæ licèt videantur correpugnare; rigotose quidem & verè non correpugnant, sed quantitatem metiuntut vacuationis.

Ex dictis licèt colligere valdè differre inter se contraindicantia, & impedientia, quippe contraindicantia verè, & proprie aliquid indicant; cætetùm quia id ipsum, quod indicant, oppositum est respectu altetius, quod ab alio indicaote exposeitur, ideò dicuntut conttaindicantia, & pet ablationem altetius indicantis fiunt propria, & positiva indicantia; ea verò dicuntur impedientia, quæ ex se nibil indicant, nec aliquid eorum, quæ facienda sunt demoostrant, sed solùm impediunt, quæ ab indicante facienda demonstrantur: sic accidit, quoties est plenitudo, aut humotum redundantia, sanguinis missionem exposcens, & indicans; si forsan vires debiles appareant, quæ tale auxilium fetre oon permittant, dicuntur sanè impedientia, minimè verò contraindicantia, è contra verò si vires validæ appareant, permittuor venæ sectionem, non tamen ipsam coindicant; quapropter diversum valdè est impedire, à contraindicare, & permittere à coindicare.

Galenus tamen lib. r. de ratione vict. text. 45. videtur cootrarium docere per sequentia verba. *Hoc enim loco, remediorum indicationem à corporis affectione accipiet, simulque vires considerabit, non ut quæ usum remediorum unquam indicent, sed ut quæ, contraindicent, atque interdum probibeant.* Ex quibus Verbis videtur Galenum affirmare vires conttaindicare remediorum executionem. Cæterùm Galenus minimè fatetur veram contraindicationem reperiri in virium defectu ad remedij executionem; quippè in ipso contextu, vires minimè usum remediorum uoquam iodicare fatetur; cum ergo contraindicare, sit verè indicare, ut supra monnimus, deducitur infallibiliter vires nunquam contraindicare, nec contraindicantia dici, nisi largâ, & impropriâ significatione, in qua confundantur contraindicantia cum impedientibus, ut forsan aliqui Recentiores voluere; in qua significatione forsan etiam loquitur Galenus lib. de sanguinis missione cap. 13. pet sequentia verba. *Morbi itaque magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi sanguinis scopi: ille quidem quæ facienda sunt indicans, vires tamen prohibentes id quod contraindicare iuniorum Medicorum quidam appellant.* Ex his clarè infettur Galenus non sensisse vires contraindicare sed solùm impedire, & talem vocem contraindicationis in viribus tribuisse junioribus aliquibus Medicis, qui imptopriè loquebantur de contraindicatione, & sinistrè.

CAPUT X.

De natura Indicatorum, & de recto eorum usu.

CERTUM apud omnes est, & ex dictis superioribus capitibus constat, morbum esse præcipuum Indicans in curatione, qui exposcit, & indicat sui ablationem, sicut vires, & natura sui conservationem; ablatio autem morbi consequitur non dubiè mediis auxiliis, quæ morbo opponuntur: talia verò auxilia, seu remedia, quia indicantur à morbo, indicata dicuntur, quorum naturam, & usum debitum inpresentiarum declarare est necesse, ut completam notitiam pro medela morborum comparemos.

Auxilium igitur, quod corpori ad motum prodest, jure optimo dicitur tale, & rationem habet indicati, quia in subsidium naturæ applicatur, ita Galenus 1 r. method. cap. 1. loquitur, *ac propterea cum proficit, vocant auxilium sicut profectò omnis materia, quæ quomodolibet corpus alterat, quo tempore juvat, auxilium dicitur.* Cætetùm si fortasse materia quæ corpus alterat non juvat revera, & in actu secundò, non vocabitur auxilium; sed potiùs habebit rationem causæ nocentis: sæpe tamen accidit, ut materia alterans nostrum corpus, non exterminet morbum, quia potentior, & validior sit morbus, aut ipsius causa, io quo eventu, ex se illa materia erit auxiliatrix in actu primo, non tamen habebit rationem causæ nocentis, sed oon valentis propulsare morbum.

Notat tamen Socius noster supra citatus in hac difficultate; diversum quid valde esse remedium, & materiam eiusdem remedij, quoniam remedium, seu auxilium est illud quod agendum proponitur, taliter, quod ex cognitione rei, quæ indicat remedium, inveniatur: & cum re illa, quæ indiget auxilio, sit una: consequenter remedium, seu auxilium erit unum: quippe unum indicans solùm unum potest indicare auxilium, & solùm erit unum iodicatum. At verò materia remedij solùm est subjectum in quo remedium indicatum inest; & cum subjecta in quibus remedium inest, sint plura, ita, & materia remediotum multiplex est, exempli gratiâ siquis corripiatur morbo calido in secundo gradu, auxilium debet esse frigidum in secundo gradu, & cum hoc frigidum possit subjectari in cichoria, lactuca, & solano, infert quod materia remedij est multiplex; & auxilium, seu remedium solùm est unum, quod pertinet ad methodum medendi, & necessariò oritur ex comprehensione indicantis, seu morbi.

Re tamen verâ licèt remedium, seu auxilium in diversis subjectis inhæreat, tamen semper est unum genericè, & materia medicinalis seu remedij debet dici una, quoniam non dicitur materia

teria remedij cichoria, aut lactuca ratione subjecti in quo inest qualitas frigida, sed ratione frigiditatis, quæ genericè est una, etsi habeat diversa inhæsionis subjecta; etenim albedo semper est una, etsi inhæreat in pariete, aut papiro, aut quavis alia entitate alba, itaque materia remedij solùm dicitur ratione qualitatis, quæ est auxiliatrix, minimè verò ratione subjecti in quo inhæret, etenim hæc sola est differentia valdè accidentalis, & materialis, non verò formalis, atque adeò iudico remedium, & materiam ipsius formaliter non differre; & hac ratione optimè intelligitur, quod etsi qualitas frigida sit subjectata, aut inhæreat in lactuca, cichoria, & solano; nihilominus sit una in genere, & in specie, in genere qualitatis, etiamsi diversificetur mixtum, quod componit, aut eius intensio varietur, ratione formæ mixti, quæ petit ex sua natura majorem aut minorem frigiditatem; unde cum indicans sit calidum, & unum, indicatum etiam est unum nempè frigidum, etsi inhæreat in diversis subjectis.

Itaque cognitio morbi, & omnium rerum, quæ in ipso considerantur ordinatur ad rectum remediorum usum, hoc est ad rectam applicationem materiæ medicinalis; ea verò, quæ rationem remediorum habent, dicuntur indicata, & hæc non distinguntur à materia medicinali, si formaliter accipiatur, iuxta oppositionem, quam importat cum indicante; & similiter quidquid sub dispositione Medici est, in ordine ad prædictum finem consequendum pro auxiliorum usu debito, ita Galenus lib. art. Medicio. cap.86. per hæc verba *rectè siquidem causarum utetur materia, qui naturales earum potentias agnoverat.* Et prosequitur. sic, *atque ut simpliciter dicam, omnium, quæ corpori afferuntur, materiam quis nesciens, atque potentias, salubribus utetur causis.* Constat ergo ex his materiam medicinalem afferri corporibus, & applicari tanquam auxilium pro debellandis morbis: ergo determinatum remedium ex materia medicinali mendicatur, quatenus ipsa continet formaliter auxilium, sive sit venæ sectio, sive expurgatio, sive sudoriferum, sive vomitorium, sive alterativum, sive potiones, sive serapia, sive ignis, aut ferrum. Sic omnia remedia, sive auxilia habent rationem materiæ medicinalis, quatenus sunt instrumenta; quibus Medicus proprium finem consequitur. Vnde materia medicinalis dicitur indicatum, seu remedium in actu secundo; cum corporibus applicata prodest; hoc est cum ritè administratur, & debitè, sumptâ verâ indicatione præcipuâ ex cognitione morbi, qui primum & præcipuum indicans est, necnon etiam omnium, quæ ex parte morbi se habent; quæ omnia ad inventionem, seu usum remedij, seu indicati necessariò conducunt.

Vniversa autem remediorum materia, quaternariò clauditur numero, si Galeno credere debemus lib. de const. art. Medic. cap.14. ubi ea, quæ offeruntur, adducit, quæ efficiunt, deinde quæ evacuant, & tandem, quæ extrinsecus offeruntur. lib. tamen de sanit. tuend. cap. ult. ea omnia sigillatim explicat clariùs, ubi sub *offerendis* intelligit cibum, & potum & ea omnia medicamenta, quæ intro sumuntur, & aërem attractum; insuper *per efficientia* intelligit omnes motus corporis, & animi; quales sunt frictiones, & exercitationes corporis, item etiam somnum, & vigilias, venerem etiam, & negotiorum solicitudinem, iram denique, & gaudium. Item *per foris incidentia* comprehendit quæcumque extrinsecùs administrantur, talis est aër externus, qui nos ambit, perfusiones omnes, unguenta, cataplasmata, & epithemata, atque fomentationes; tandem per evacuantia intelligit omne genus excrementorum, qualia sunt sudores, & dejectiones, & urina, quæ licèt interdum habeant rationem causæ morbificæ, dum scilicet in corpore præter naturam retinentur, attamen quia in multorum morborum curatione; eis utimur, possunt contineri sub materia medicinali. Nec me latet Galenum pronunciasse, quod materia, quæ ab excrementis desumitur in rigore non constituit quartum genus distinctum à tribus assignatis; quoniam ad intra assumuntur; aut ad extra applicantur; quare materia medica tribus primis propositis sufficienter contineri affirmat, & hac ratione primâ de ratione vict. comm. 6. materiam medicam in tres partes medicinæ practicæ dividit, in Dieticam scilicet, Pharmaceuticam, & Chirurgicam, quæ sub tribus partibus supra adductis jure optimo comprehenduntur.

Notare tamen licèt id, quod Galenus monet, lib. 1. de art. cur. ad Glauc. cap. 1. nempè universalem remediorum methodum, & rectum usum consistere in qualitate, quantitate, utendi modo & tempore, aut occasione, in qua exerceri auxilia convenit; ubi per qualitatem remedij intelligit naturam, & speciem auxilij; etenim, quid agendum sit in qualibet curatione, ex natuta, & specie morbi indicantis colligitur: nam differentia, quæ supra genus morbi, speciem morbi constituit, ad modum qualitatis se habet; & ita qualitas auxilij, eiusdem est differentia, quâ in esse talis naturæ constituitur: & sic cum natura indicatis possit esse generica subalterna, aut infima, sic similiter qualitas rei indicatæ poterit esse, aut generica, aut subalterna, aut infima, & hac ratione optimè intelligitur quòd morbus secundum rationem genericam solùm ex postulat auxilium, quo extermineur; tamen cum ratio illa præter naturam in morbo indicante sit differentia addita supra rationem indicantis ut sic, quæ communis est morbo, & naturæ: ita ratio remedij, quædam differentia est, superaddita supra rationem rei indicatæ ut sic, & quia deinde descendimus ad morbos in distemperie, solutâ unitate, & malâ compositione, quæ rationem differentiæ additæ in aliis speciebus subalternis ex parte indicantium constituunt, ita ex parte remedij, & rei indicatæ, alia differentia est assignanda, quâ in specie subalterna constituatur, & hæc vocatur qualitas eiusdem remedij; & hoc modo de aliis infimis differentiis superadditis, quæ species infimas morborum constituunt, philosophare debemus, in auxiliis applicandis. Vnde disces qualitatem remedij minimè sumi pro qualitate prædicamentali, quæ tertium prædicamentum constituit, sed pro differentia quadam, seu specie, aut forma cuiuslibet rei, quam Philosophus qualitatem vocavit. 5. suæ metaphysicæ. cap. de qualitate, & in hoc sensu loquitur Galenus 1. section. aphorm. comment. 2. Vbi explicans, quid per qualia intelligat Hypp. in evacuationibus; docet intelligere eam humoris speciem,

speciem, quam evacoare intendimus, juxta speciem, & ideam morbi, & causæ morbificæ, sive sit pituita, sive bilis, aut melancholia, cujus peccatum in qualitate evacuare, & corrigere intendimus, quapropter per qualitatem, juxta Galeni mentem debemus intelligere differentiam constituentem rem in esse talis naturæ, & specie, ac per consequens non solùm morbi, qui consistuot in intemperie, qualitatem remedii indicant, sed etiam morbi alterius speciei.

Insuper per quantitatem remedii debemus intelligere quantùm sit agendum, quantitas verò remedii mensurari debet ex recessu morbi à naturali statu, ita ut auxilium debeat applicari juxta intensionem, aut extensionem recessus à naturali statu, & hac ratione dicitur proportionatum remedium cum morho, ita ut quemadmodum recessus à naturali statu in morbo, indicat speciem remedii, ita à quantitate, seu intensione ipsius recessus, auxilii quantitas indicatur; totum quod deducitur ex cognitione naturalis status in viventi, siquidem tantus est morbus seu ejus intensio est tanta, quantus est recessus ab statu naturali: ita Galenus notificavit 9.meth.cap.14. ubi agens de remedio quod febri quatenus tali debeatur, ait, *humectatio, refrigeratioque remedia sunt, & ad hoc veluti ad finem omne medentis consilium dirigitur: ita ut nihil sit quod praterea ad curationem desideretur, nisi ut materia inveniantur, qua huic proposito sunt idonea, materia vero inventa ut opportunum tempus, ex quatuor febris temporibus captes, quantitatem vero ex conferendo cum naturali habitu morbum, quippe quantum is à naturali habitu recessit, tantum opus est agrum refrigeres, & humectes.* Quibus verbis satis clare & sententiosè quantitatem remedij exploravit, ex comparatione ipsius cum naturali habitu. Ad huc ergo particularem ægrotantis naturam callere est necessum; hoc autem non est facile, sed admodum difficile ipsam ad unguem examinare, ut remedij quantitatem indivisibiter metiamur; quare Galenus 3. lib. method. cap. 3. in ulcerum cavorum curatione, curiosè satis notificavit difficultatem mensuræ in quantitate remedij, cum recessu à naturali statu, per sequentia verba. *Sed quod dici, nec scribi, nec omnino percipi potest, id quantitas in quoque est, nam in ulceribus humor, & sordes dici possunt, quantitas in neutro dici potest.* Quare ex his jure optimo colligimus longum scrutinium & ratiocinationem valdè maturam esse necessariam ex libris methodi & de temperamentis depromptam, ut ad legitimam & ad proportionatam remedij quantitatem & mensuram accedamus.

Modum etiam utendi in remediorum applicatione discere est necessè, ut curatio ritè & commodè fiat; siquidem oportet ut cognoscat Medicus an semel, an bis aut ter sit evacuandum, an paulatim, an celeriter operandom; totum quod ex cognitione motus morbi; & ipsius naturæ indicantis patebit; nec non etiam ex cognitione impedientis, & virtutis permittentis, repetitam auxiliorum applicationem, sive ea sint vacuantia, sive alterantia; itaque oportet, ut postulans, & indicans remedium præ oculis habeatur, & quod vires permittant paulatinam, aut repetitam auxiliorum applicationem seu usum, & tandem quòd nullum sit impedimentum, quod prohibeat auxilij applicationem.

Occasionem ad applicationem remedij oportet arripere, etenim tempus conveniens dicitur, in quo debemus operari, occasio verò pars determinata temporis ad operandum dicitur, ità Hipocrates lib. de præcept. per hæc verba, *tempus est in quo, occasio est: occasio in qua tempus non multum.* Sic tempus operandi dicitur principium morborum, de quibus Hypocrates 2. aphor. tex. 29. loquitur, per illa satis vulgaria verba. *In principiis morborum si quid tibi videtur, move.* Non tamen quælibet pars temporis in quo possumus operari occasio dicitur, sed determinata pars; quippe in ipsis temporibus dantur occasiones, in quibus ab auxiliis abstineri oportet; idéóque jure optimo dixit, occasionem utendi auxiliis esse, *in quâ tempus non multum.* De quâ etiam sermonem instituens oraculum nostrum 1. aph. tex. 1. dixit esse præcipitem.

Ex his colligitur, eademmet auxilia lædere, aut prodesse, ratione temporis in quo applicantur, sive sit tempus morbi universale, sive particulare; de universali constat ex Hypp. tex. 29. cit. per hæc verba, *cum morbi consistunt & vigent, melius est quietem facere.* De particularibus temporibus etiã Hypp. est testis dum tex. 11. docet, *in accessionibus abstinere oportet.* In cujus tex. expositione Galenus excludit imminens accessionis tempus, sic, *nimirum neque cum jam adsunt paroxismi, aut jam sunt adfuturi cibum, prabeas*: igitur occasio, seu opportunum tempus, magni momenti est, ad usum auxiliorum, ex antiquorum opinione; cæterum cognitio temporis opportuni, seu occasionis ad operandum, sine dubio constabit ex signis tempora particularia & universalia morbi ostendentibus; etenim certum est extra tempora particularia morborum esse operandum, ac proinde in principio, augmento, aut declinatione universali debet Medicus auxiliari pro morborum medela, quorum cognitio monstrabit, quando operandum oporteat. Vbi notare expedit Mercatum sine fundamento affirmasse occasionem includi sub quantitate, aut qualitate auxiliorum, quippe quantitas, aut qualitas, ex ipsa morbi essentiâ, aut natura causæ morbificæ desumitur, ut superiùs docuimus: occasio autem desumitur non dubiè ex motu seu tempore morbi, ergo diversificantur valdè, ita ut potiùs ipsa occasio conducat ad qualitatem aut quantitatem medicamenti, & non econtra; siquidem ratione occasionis hoc aut illud applicamus auxilium; & minimè ratione remedij est occasio operandi; placitum ergo Mercati sustinendum in hac re non est.

CAPVT XI.

Quibus medicamentis debeat fieri conservatio.

GAlenus 8. lib. meth. c. 9. intendens docere regulas, quas debet Medicus observare, quando oppositæ indicationes reperiuntur, nos monet ea quæ secundum naturam sunt, esse conservanda similibus, quæ verò præter naturam sunt; auferenda per contraria, ad quod naturam, consuetudinem, temperiem ægrotantis, regionis, & temporis cosiderandam esse tenet, ut

facta

facta cum morbo comparatione operetur pro urgentiori, altero non neglecto. Hinc dubium propoſitum inveſtigandum proponitur, ut Galeni doctrina incolumis maneat, an ſcilicet conſervatio debeat fieri medicinis ſimilibus, ut Galenus in cap. cit. notificat.

Ratio tamen difficultatis ſtatim ſe offert, quia vera & legitima conſervatio fit uſu rerum non naturalium teſte Galeno capite 84. artis medicin. ſed res non naturales neceſſariò alterant, & immutant corpus, ego conſervatio potiùs fit rebus alterantibus, & immutantibus, ac per conſequens per contraria fit & non per ſimilia auxilia conſervatio: minor ſuadetur, quippe vivens per actionem rerum non naturalium mortem patitur naturalem, ut latè tomo noſtro 1. documus tract. de ætatibus & de morte naturali: & hac ratione Galenus 1. de ſanit. tuend. dogma ſempiternæ paſſionis in noſtro corpore fatetur, quia continuò & ſemper à cauſis naturaliter & inevitabiliter operantibus patitur. Confirmatur aſſumptum ex Galeno cap. 84. cit. ſuprà in art. medicinali, ubi tenet artem conſervandi corpora eſſe de correctivarum genere, ſed correctio minimè fit ſimilibus medicinis, ſed potiùs contrariis, cum certum ſit ea quæ ſunt ſimilia, nentiquam poſſe agere in omnino ſimilia, ut tota Philoſophorum ſchola ſuadet; ergo conſervatio potiùs diſſimilibus, & contrariis auxiliis celebratur, & non ſimilibus medicamentis.

Vlteriùs premitur diſcurſus, nam per uſum ſimilium incidit vivens in ſimiles, & præternaturales paſſiones, ex eo quòd faciliùs ſit incidere in morbos ſimiles: ergo non debet fieri conſervatio per ſimilia: antecedens probatur ex noſtris principiis: ſiquidem non alia de causâ unum corpus eſt altero calidius, niſi quia plures partes habet, talis temperiei calidæ, ſed per uſum alimentorum ſimilium neceſſariò debet acquirere tale corpus plures partes calidas de novo acquiſitas per nutritionem: ergo reſultabit calidius quam erat in ſtatu naturali, ergo conſervatio non poterit fieri per ſimilia, cum hæc ducant ipſum in ſtatum præternaturalem: conſonat Galenus lib. art. medicin. cap. 23. ubi tenet oculos lædi à cauſis ſimilibus, & juvari à contrariis, ex quo indubie infertur conſervationem non poſſe fieri ſimilibus auxiliis, ſi verum eſt per ſimilia oculos lædi.

Vera tamen eſt Galeni ſententia, quæ tenet conſervationem debere celebrari per ſimilia, ita etiam fatetur lib. 7. meth. cap. 13. vbi docet, calidioribus naturis calidiora deberi auxilia, ſicut, & frigidioribus frigidiora, ut propria partis temperies conſervetur. Sed ut Galeni doctrina clariùs pateat, advertendum eſt: dupliciter intelligi conſervationem apud Authores, primo in rigore philoſophico, quatenus conducit ad permanentiam rei in eodem eſſe, & ſtatu, ac erat antea, & hac ratione corpus conſervatur, in hac, aut illa poſitione per conſervationem præſentiæ productæ permotum; & lumen conſervatur à luminoſo in eadem intenſione, & permanentia, in quo caſo concedenda eſt actio conſervativa ſine immutatione, quæ dicitur à Philoſophis continuata productio, & forſan in hoc ſenſu loquitur Galenus cap. 17. de optima ſecta, dum tenet non pertinere ad artem medicam, conſervativam artem.

Secundo modo accipitur conſervatio non in omni rigore phyſico, ſed prout ad medicam artē ſpectat, quatenus Medici officij eſt conſervare corpus in ſtatu ſalutis, quin ad aliquod vitium inclinet, & de hac arte prædicavit Galenus eſſe de correctivarum genere; quia cum corpus noſtrum neceſſariò, & inevitabiliter operantibus ab ipſis immutari eſt neceſſe, & ſic conſervatio debet conſequi per ablationem immutationis factæ à cauſis inevitabiliter operantibus, ac per conſequens fieri debet à medicamentis aliquantulum alterantibus, & ſolùm in tali caſu habet locum conſervativa ars Medica, prout à curatione, aut reductione differt, quia cum curatio dirigatur ad exterminandum morbum, neceſſariò importat actionem cauſarum evitabiliter operantium, & alterantium, ſicut reductio etiam petit evitabilem actionem auferentem neutram diſpoſitionem, dum natura extremè lapſa non eſt; quippe hæc ex ſe reductionem deſiderat, & à cauſis inevitabiliter operantibus, & alterantibus immutatur ſufficienter, pro reductione, aut curatione.

De hac conſervatione in ſenſu à nobis explicatò docet Noſter Primari Coll. & cū ipſo Neotericus noſtræ ſcholæ Complutenſis in ſuis manuſcriptis non debere fieri ſimilibus ret conſervandæ; quia cum de correctivarum genere ſit talis ars, eius actio debet celebrari per medicamenta diſſimilia, quatenus vitia aliqua inſenſibilia corrigit, ut corpus in ſtatu naturali permaneat, modo poſſibili, non in totum, nam aliàs, actio cauſarum inevitabilium poſſet impediri, & conſequenter mors naturalis evitabilis eſſet; dicuntur tamen inſenſibilia vitia, reſpectu eorum, quæ conſtituunt morbum, & neutram diſpoſitionem, quæ valde ſenſibilia ſunt, quod non tollit, quò minus, ea vitia, quæ emendantur in conſervatione ſint verè ſenſibilia, & manifeſtè talia, quippe non caderent ſub Medici diſciplina, ſi omnino inſenſibilia eſſent; non tamen ita ſenſibilia ſunt, ſicut vitia, quæ morbum conſtituunt, ratione quorum vivens cogitur ab operibus conſuetis ceſſare; cæterum vitia, quæ ad neutram diſpoſitionem attinent, læſionem etiam ſatis ſenſibilem cauſant, non tamen ita inſignem, ut cogant vivens ab operibus aſſuetis vacare, etſi ad morbum aliquantulum accedant.

Porro vitia, quæ in ſtatu conſervationis contemplantur, ita ad veram ſanitatem accedunt, ut ſenſibilem læſionem non inducant, ſed potiùs ratiocinio indagantur, quatenus conſtat corpus expoſitum eſſe ad actionem cauſarum, neceſſariò, & inevitabiliter alterantium, quibus occurrere eſt neceſſum, & ſufficit vitium tale, quomodolibet eſſe ſenſibile, etſi aliqua licet parva immutatio non poſſit negari; inquit ergo recentior huiuſmodi vitia eſſe inſenſibilia, quoniam non indigent medico auxilio, ad eorum exterminationem; imò potiùs ſolo uſu rerum non naturalium auferuntur, veluti ſi plures morbi non eſſent, qui uſu debito rerum non naturalium, non auferantur, & veluti uſus talium rerum, non ſit remediorum uſus, quæ medico ſubjiciuntur. Et cum hac doctrina intendunt componere Galenum dicentem conſervationem debere fieri per ſimilia rei deficienti, & reſolutæ; minimè verò per ſimilia reſpectu ſubjecti quod perſeverat.

Hæc tamen interpretatio valdè ſiniſtra eſt, & rationi adverſa: nam ſi hoc modo eſſet intelligendus

gendus Galenus, etiam curatio deberet fieri per similia rei ablatæ, quippe in utroque casu conatur Medicus tollere alienum, & producere quod debitum est. Et forsan prævidens hanc difficultatem Noster Prim. Coll. & per solutionem adductâ non satisfieti planè doctrinæ à Galeoo adductæ, inquit posse intelligi per similia fieri conservationem, quatenus vitia, quæ cotriguntut in ipsa conservatione ferè insensibilia sunt, & sic corriguntur per auxilia ferè insensibilitet contraria, quæ dicuotur similia in otdine ad Medicum. Hæc tamen solutio non minùs claudicat, quàm præcedens: nam correctio, quæ conservatio dicitur attinet ad Medicum, ac proinde sensibilis debet esse, & per medicamenta contraria præstari debet, & minimè per similia quoad sensum Medici, seu quoad ipsius cognitionem.

In præsenti litigio diceudum nobis videtur, non solùm conservationem physicam, quæ vera est conservatio, verùm etiam medicam conservationem debere fieri per similia omni rigore talia, sicut & curationem per contraria, ut Galenus docuit: dicuntur tamen similia omni rigore talia, quæ in qualitate, & gradu, seu intensione sunt similia: ita Galenus c. & libro supta citato per hæc verba. *Dictum namque est, quod secundum naturam est, similia semper postulare, quod præternaturam contraria; siquidem quod naturaliter se habet custodire, quod præternaturam est, tollere oportet*: quibus verbis manifestè docet similia debere esse talia rei, seu temperamento ipsa petenti; contraria verò morbo ipsa expostulanti; ob rationem ab ipso insinuatam, quoniam quæ secundum naturam sunt conservari, morbosa & ptæternaturam exterminari postulant: debet ergò intelligi per similia ipsi rei conservationem petenti, & per conttaria rei suam desttuctionem desideranti, minimè verò rei resolutæ, sive deficienti, ut cum nostro Prim. Coll. Recentior citatus insinuavit: Etenim hac ratione conttaria dispositioni resultanti sunt; & eodem modo morbus etiam similia desiderat. Ratio hujus asserti est: nam ea, quæ sunt omnino similia ipsi temperiei debitæ valent pro conservatione ejus, & pro correctione vitii, quod nec est morbus, nec dispositio neutra, sed temperies, quæ est debita, & non apparet considerabiliter mutata, quæ petit conservationem: Ergò omnioo similibus debet fieri conservatio. Major est certa: etenim ideo conservatio intenditur, quia noo constat de sensibili, seu considerabili vitio pro qoo sufficit agens valens debitam dispositionem teproducere, aut ejus actionem conservare, quale est omnino simile: minor constat: ergò & consequentia.

Vlteriùs namque similitudo, aut contrarietas debet desumi respectu rei talia petentis; sed res similia exposcens ad suam conservationem, & permanentiam, pront in subjecto iodicat, sicut & entitas contraria suam destructionem expostulat: Ergo illa fieri debet per omnino similia, & hæc per omnino contraria: & forsan hac ratione intelligendus Galenus cap. 63. art. medicin. dum inquit: *Malæ temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculus occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam contraria non verò similia appetunt, quemadmodum naturales.* Quippe verbis adductis naturalem tempericm similia petere ad sui conservationem denotat, præter naturalem verò ad sui corruptionem, prout in subjecto, contraria.

Confirmat hanc veritatem Veiga in expositione textus Gal. cit. & Vall. lib. 5. cont. cap. 7. & id significasse Galenum arbitratur. 1. de caus. sympth. cap. 7. dum tenet vitiosum succum excitate appetentiam; ut oaturalis affectus efficit appetitum similis, hoc est naturalis, & boni, ita succus vitiosus excitat appetitum similis, hoc est vitiosi, & pravi: rationem adducunt: quia si ad contraria esset appetitus, osu illorum sanaretur affectio, quippe adhibentur contraria, quibus quilibet morbus curatur; consequens autem est contra experimentum: ergo usu similium fit conservatio rei natotalis, & ptæternaturalis; & hac ratione, qui exusto humore abundant appetunt carbones, qoi melancholico citra ustionem, terram, & qui redundantem habent salsum humorem salsa desiderant, & tandem, qui crassos, & pituitosos homorem habent, gipsum appetunt: ergo semper appetitus similia appetit, & minimè contraria, quoniam usu similium nulla sentitur noxa; & non dubiè ventriculus molestiâ afficeretur, si essent contraria dispositioni, quâ laborant. Unde clarè infertur non solùm in appetitu animali, verùm etiam in oaturali tempetie urgere argumentum: etenim semper est verum à similibus coonservatiooem fieri, & minime à contrarijs, & in hoc sensu loquitur Gal. cap. 63. cit. artis Medicin. quidquid noster P. C. asserat disput. 52. de loc. affect. cap. 3. dum de fame Canina sermonem instituit.

Ex dictis onerusum non erit argumenta in contrarium adducta solvere: ad primum constat: quod res non naturales pro ratione indicantis applicantur, ita ut sensibiliter alterent pro morbo, & neurtâ dispositione, quippe ipsis cōtrariantur; quando verò utimur rebus non oaturalibus pto conservatione maiori similitudine possibili id faciunt. Ad secundum dicimus, conservationem per correctiourm fieri, diversimodè tamen ac curatio, & reductio fit; & ideo ad hæc requituntur contraria: at verò ad conservationem sufficiunt similia, & ut impediant actionem contrariorum, & ut ad reproductionem (ut ita loquar) similis conducant, si forsan aliquid fere insensibile producendum sit: quia licet qualitates naturales primæ ex se conserveutur, actio tamen contrarij corrumpentis debet impediri.

Dices sicut vitia, quæ reperiuntur in corpore conservationem suam petente, sufficienter auferuntur per omnino similia, cur etiam vitia constituentia morbum, & neutram dispositionem non auferuntur per similia? Ulterius etiam videtur similia, quæ applicantut, esse rei deficienti, minimè autem rei existenti, aut perseveranti; cum per vitium, quod habet tale corpus, quale fuerit, non sit in suo statu naturali; & consequenter medicamentum, quod applicatur simile pro re naturali erit simile rei deficienti, non existenti. Resp. ad primum, quòd ad vitium parvum, & fere insensibile, sufficit excessus, quem habet medicamentum simile rei naturali, si verò vitium iam morbum constituat, propter majorem resistentiam sui maiorem desiderat activitatem, & sic non sufficiunt similia naturæ pro tali curatione, præterquam quòd cum medicamenta sumantur ratione indicantis, dum res coonservationem expostulat, inconsiderabile

habet

habet vitium, aut ferè insensibile, & sic pro re secundùm naturam desideratur medicamen. Cæterum quando curationem expostulat, est pro re, seo vitio ablationem exposcentis, & ad hoc est necessarium contrarium corrumpens ideoque conservatio fit per similia, & curatio per contraria.

Ad secundùm dicimus, quòd cùm vitium inconsiderabile sit, non respicitur res naturalis tanquam defectuosa; sed ut præsens conservationem petens, & sic remedium est simile rei conservationem petenti, minimè autem rei deficienti: præterquàm quòd non dicitur simile, aut contrarium remedium rei existenti, vel deficienti, sed rei indicanti, ratione cuius rectè dicitur simile omnino indicari ab entitate conservationem petente, quæ est secundùm naturam, contrarium verò ab illa, quæ præternaturam est, sive existat, sive secus. Ad tertium argumentum supra adductum Respondetur, non loqui de naturis extremè lapsis quippe ipsis non debetur conservatio, ut infrà constabit, sed potiùs reductio; illæ verò naturæ, quæ conservationem petunt non læduntur similibus, qualitate, & gradu, neque adquisitio partium eiusdem intensionis facit intemperatium vivens, etsi calidius dicatur, quia non ultrà temperiem requisitam, resultat calidius intensivè, sed solùm extensivè, per adquisitionem partium eiusdem temperiei, ut latè tractatu nostro de ætatibus docuimus.

CAPVT XII.

Quæ Natura est conservanda, quando, & quomodo.

EX dictis constat iuxta Gal. doctrinam suprà adductam, ea quæ secundùm naturam sunt, esse conservanda, quæ verò præter naturam esse auferenda; & per consequens etiam ex dictis constat, quòd conservatio debeat fieri per similia, & curatio per contraria; totum quòd unanimiter Authores communiter defendunt tamquam receptum in antiquorum monumentis: Restat tamen in præsentiarum explicare, quæ sint secundùm naturam, quæ conservari debeant, quomodo, & quando. Ad cuius rei examen, notandum est plura dici secundùm naturam, quæ ut talia non respiciuntur, ut ætates plures, mors naturalis, & temperamenta, quæ in aliquibus reperiuntur corporibus à propria natura, seu ex generationis principijs mendicata, aut forsan ex consuetudine, quæ altera natura dicitur à Gal. ut infrà constabit latiùs; dubitamus ergo quæ sint secundum naturam, quæ conservationem expostulent. Et ratio dubitandi est, qoia nihil dicitur in rigore, & propriè magis secundùm naturam, quàm temperies debita corpori temperato, quale est corpus constitutum in statu adolescentiæ, in quà, & ipsum est temperatum ad iustitiam; & omnes eius partes gaudent debita, & naturali temperie, sed Gal. docet. 9. de compos. medicam. secundùm loc. cap. 8. in ulceribus ani, & pudendorum non esse utendum medicamentis humidis etiam si tales partes sint humidæ propriâ naturâ: ergo adhuc in his, quæ sunt toto rigore secundùm naturam non debet fieri conservatio; & per consequès multò minùs in alijs, quæ dicuntur secundū naturam, & ut talia non habentur, qualia sunt suprà enumerata. Confirmatur hoc ipsum in natura calida & sicca ex propria formatione; dum incidit in febrem ardentem in quo eventu minimè debemus uti calidis auxilijs, ratione naturalis temperiei corporis febricitantis, ergo non sunt conservanda omnia ea, quæ sunt secundùm naturam.

Cæterùm pro solutione præsentis controversiæ advertendum est, quòd licet plura sint, & dicantur secundùm naturam, ut nostro tractatu de ætatibus docuimus, illa magis propriæ, & in rigore secundùm naturam sunt, quæ ad rectè esse & operari viventis conducunt; quā ratione temperamentum ad iustitiam iuxta Gal. decretum in arte medicinali omnino secundùm naturam toto rigore appellatur; unde omnia ea, quæ absolutè ad perfectè operari conducunt secundùm naturam dicuntur, dummodò collectivè ad omnia opera perfectè eliciendo conducant modò possibili: etenim si aliqua sit temperies, quæ divisivè ad aliquòd opus patrandum perfectè conducat, secundùm quid, & non absolute dicitur secundùm naturam talis temperies. Ratio est manifesta nam temperies ad iustitiam, quæ in adolescentia relucet, conducit, ut principalia omnia opera viventis celebrentur in quadam moderatione, & perfectione possibili; & si temperies aliqua in altera ætate, aut natura in temperata conducat ad aliquod opus peculiare patrandum in aliqua maiori perfectione, exempli gratiâ, coctio in pueritia uberior fit quam in alia ætate, & similiter augmentum; non tamen opera principalia ita perfectè fiunt, sicut in adolescentia, in qua omnia perfectè fiunt modo possibili; quapropter illa temperies absolutè, & simpliciter dicitur secundùm naturam, reliquæ verò temperies, quæ ad aliquod opus perfectè patrandum conducunt solùm dicuntur secundùm naturam, non quidem simpliciter, & absolutè sed solùm secundum quid.

His prælibatis. Nobis dicendum est, ea quæ secundùm naturam sunt omnino absolutè, & simpliciter esse conservanda, nisi forsan aliquod fortius indicans reperiatur, quod nos cogat ad contrarium; ut quando ratione morbi, qui timetur non utimur similibus auxilijs ad conservationem naturalis temperiei in ulceribus pudendi, sed potius contrarijs medicamentis, ne talia ulcera fiant putrida, & deterioris naturæ; quapropter cogitur medicus operari contra partis naturalem temperiem, & iure optimo utitur siccioribus auxilijs ad impediendam putredinem, quæ rationabiliter timetur, si applicaremus in talibus ulceribus humida medicamenta. Cæterum ea quæ dicuntur secundùm naturam non simpliciter, sed secundùm quid, non debent conservari, & curari usu similium, sive dicantur talia ex principijs generationis, sive ex consuetudine, ratione cuius pars quælibet aut vivens comparaverit talem temperiem, quippe ratione illius recedit vivens ab his, quæ ad melius operari conducunt; quā ratione minimè debet dici talis temperies absolutè secundum naturam, & omnino, sed solum secundùm

cundum quid; imò potius ut docet Galenus 9. capit. lib. 8. method. dicitur præter naturam aut contra naturam: unde non exposcit conservari similibus, sed aufferri contrariis; hujus generis sunt naturæ intemperatæ, neutram constituentes dispositionem, quæ minimè similibus debent conservari; sed potius aufferri per contraria auxilia.

Cæterùm contra hanc doctrinam instare possimus, etenim pueritia intemperatam naturam constituit in quocumque subjecto; sed si reduceretur traheret subjectum ad mortem: ergo natura intemperata non est reducenda; Major est certa, cum in pueritia non sit temperamentum adolescentiæ, quod est perfectius, ut toties clamat Galenus: minor ex eo probatur: quia si reduceretur puer ad temperamentum adolescentiæ, sine dubio esset proximior morti: ergo natura intemperata, seu illa, quæ dicitur secundum quid naturalis, aut secundum naturam, conservari debet similibus, & minimè debet aufferri per contraria. Vlteriùs quia natura & consuetudo intemperata est reducenda, juxta Galeni doctrinam capite nuper citato, & cap. 86. art. Medicinal. cum à negotiis non est distracta, neque laborat morbo: ergo non ex eo quòd intemperies sit indicat reductionem, imo videtur, quod aliqua quæ non sunt secundum naturam debent conservari.

Ad primum respondetur quod licet temperamentum pueritiæ ex se reductionem indicaret, nihilominus propter principale opus, scilicet propter augmentum, quo tantùm indiget vivens, & ad quod facit naturale pueritiæ temperamentum debet conservari, etiamsi constituat vivens intemperatum, utpote præstantius est illud opus omnibus aliis, cum sine illo nullum vivens possit pervenire ad perfectius operari, onde temperies pueritiæ est conservanda, & minimè auferenda per contraria auxilia.

Sed instabis: Ergò licebit omnes ad ætatem pueritiæ reducere: quia saltim sic à morte distabit magis vivens. Respondetur quod cum pueritiæ temperies propter augmentum sit simpliciter ad operari necessaria, cum jam est adquisita, illius nulla est necessitas, & sic reductio adolescentiæ ad ipsam, esset extrahere vivens à temperie requisita pro perfectiori operatione, & cum in ordine ad hoc sit constitutum vivens, minimè debet reduci à temperie adolescentiæ in qua perfectiùs operatur, ad temperiem pueritiæ, in qua non ita perfectè operatur, licet ad augmentum magis conducat, præterquam quòd talis reductio esset pro morbo conducens, ad quem excessiva humiditas facit, & sic vivens non debet reduci ab adolescentia ad pueritiæ temperiem.

Circa secundum argumentum noster Prim. C. quem ferè in totum sequimus fuit socius noster antecessor, inquit naturam intemperatam esse reducendam non solùm per salutem, sed etiam per morbos, & in omni eventu. Cujus ratio est: quia ideo per salutem est reducenda natura intemperata (idem est intelligendum de ætate, & consuetudine) quia ex se in morbum inclinat, & ad incidendum in morbos disponit, sed idem periculum est etiam si negotiis distractum sit vivens, aut morbo laboret. Ergò: minorem probat; quia per suas qualitates, & usum similium inclinat natura in similes morbos: ergò in quocumque statu in ipsos inclinat; ac proinde in quocumque eventu est reducenda natura intemperata. Vlteriùs, nam morbus, aut distractio possunt facere contra consuetudinem: ergò in tali casu minimè impediunt reductionem. Deinde: quia ratio propter quam non esse reducendam naturam intemperatam per morbum docet Galenus, est quia natura defatigata labefactabitur per contraria, & insueta auxilia, sed quando reductio est ad melius, potiùs debet roborari, quam labefactari: Ergò potiùs erit reducenda, quam conservanda: quippe natura optimo temperamento servatur; sed per reductionem optimum temperamentum inducitur, & contrarium corrumpitur: ergo potiùs est reducenda, quàm conservanda semper, præcipuè cum ipsa distractio in negotiis possit ad robustiorem facultatem conducere; quando scilicet natura frigida est, & humida, nam tunc distractio, & exercitium consumens excrementitias substantias robustiorem reddit facultatem. Confirmatur ex Gal. lib. artis med. cap. 23. ubi sermonem faciens de oculorum temperie, sic loquitur. *A similibus sua temperatura causis facilè offenduntur, juvantur autem à modico contrariorum usu.* Quibus verbis videtur ostendere minimè labefactari naturam per usum contrariorum reducentium ad naturalem temperiem, cum asserat *contrariorum usu* juvari. Nec valet solutio, quam adducit noster Prim. C. loquendo de partibus, quæ debent conservari, ubi inquit oculos juvari contrariorum usu, quia sunt partes plurimum lapsæ. Non inquam valet: quia si ob hanc rationem usu contrariorum juvantur: ergo etiam pars distemperata, quæ lapsa est, etiam juvabitur per contraria reducentia: Præterquam quòd solutio est contra Galenum qui in ipso capite post adducta verba prosequitur sic. *Hoc quidem commune in omni cujuscunque partis temperatura cognitione, oportet meminisse*: ergo non solùm de parte lapsa, sed de omni parte est intelligendum juvari usu contrariorum, cum dicat *hoc quidem commune in cognitione temperatura cujuscumque partis.* Tandem urgeri potest assumptum: quoniam si in distractione non est reducenda natura, quia non poterat Medici præcepta observare, neque erat conservanda, sed potest conservari: ergo & reduci potest.

His non obstantibus vera est doctrina Galeni asserentis intemperatam naturam & consuetudinem non esse reducendam in morbo, aut distractione, nisi ipsa consuetudo, aut distemperies in morbum trahas. Hæc conclusio desumitur ex Galeno 5 de sanit. tuend. cap. 11. & cap. 86. art. Medicin. & ex capit. 9. cit. ubi sequentia adducit verba. *Satius arbitror cum planè valent, non cum ægrotant, vel de se queruntur, victus illis rationem mutare.* Vbi loquitur expressè de intemperatis naturis, & id quem de consuetudine est intelligendum cum altera seu ascititia natura sit, ut ætas, & omnia naturalia, quod etiam in hominibus occupatis esse verum notificavit cap. 86. art. medic. per sequentia verba. *Hominem autem necessariis occupationibus distractum in eodem præstat habitu conservare*: ergo huiusmodi naturæ sunt conservandæ ex doctrina Gal. per morbos & in distractione: cuius rationem assignavit in hoc capite per sequentia verba: *Gaudent enim natura assuetis semper.* Et capite 86. artic.

artis. med. sic dictavit. *Neque enim natura patitur eas , quæ subitò fiunt alterationes.* Quibus verbis docet : ita molestum esse naturæ insuetis uti ut ab ipsis labefactetur, & lædatur ; econtra verò consuetis; per quæ intelligenda sunt , non solùm illa , quæ verè consueta sunt , ita ut damnum , aut utilitas pendeat ex legitima vatiatione et usuctudinis , sed etiam ex vatiatione illius quod pro natura tequiritur ; nam cum non alia de causa insueta sint vitaoda , nisi quia naturam adquisitam mutant, ea quæ contra naturam verum sunt , ita molesta sunt , ut insueta , neque aliter quàm insuetis potest vera natura mutari : nam si consueta estent pro natura consuetudinis sine dubio , facerent : hanc doctrioam forsan artipuit Galenus ex Hipp. a. de vict. rat. text.a. ubi expressè iubet esse respiciendam victus rationem per salutem hominum, ut id quod exercendum sit , in morbis discamus ; ipsamque debere servari in morbis docet sic. *Quod autem vitiosam victus rationem , quæ nunquam variat, longè tutius sit observare quàm subitò vel ad meliorem transire facile intelligitur* , & paucis interpositis rationem reddit sic , *si subitò consuetudinem mutaverit, noxam imbecillitatemque contrahit* : docet ergo Hippocr. naturam labefactari & pati per variationem consuetodinis , seu retum non conducentium pro ipsa, aut pro natura, & iuxta hanc doctrinam locutus fuit text. 50. per hæc verba. *Consueta etsi deteriora insuetis minùs molestare solent.* Et 1. sect.text. 17. docet *aliquid esse condonandum ætati , & consuetudini.*

Ex his deducitur pro nostra conclusione ratio fundamentalis , ea quæ mutant naturam seu consuetudinem sunt valdè molesta : ergo non sunt exhibenda per morbos , neque in distractione. Probatur consequentia : nam in tali casu natura molestatur à morbis , aut occupationibus, sed non est addendus labori labor , neque molestiæ molestia : ergo minimè sunt adhibeoda,quæ mutant consuctudinem, aut naturam.

Huic difficultati intendunt satisfacere adversarij cum doctrina adducta in 3. argumento dicentes neutiquam labefactari , aut molestari naturam insuetis , sed potiùs roborari , cum io melius, & perfectius temperamentum inclinet. Hæc evasio habet contta se universam doctrinam Hipp. & Galeni unâ voce dicentium , molesta esse insueta , & omnes alternationes subitas quales sunt , quæ naturam mutare valent , quippe ideò insueta sunt , quia nunquam erant exhibita , & quia propinata erant quæ pro natura conducebant ; ac per consequens repeote , & subitò propinabaotur insueta, & sic cum molestia, iuxta illud Hipp.2. aphor. text. 51. *Plurimùm & repente vacuare periculosum : omne enim nimium naturæ inimicum.* Vlterius solutio adducta habet etiam contra se experimentum,quo constat ipsam reductionem ad naturalem statum , quia subitò fit , esse molestam , & dolorosam , ut quando duo digiti , seu duo membra , quæ separata esse exposcunt , si præternaturam uniantur , ut trahantur , aut reducantur in suum statum naturalem per divisionem , molestiam , & dolorem pariuntur , quâ etiam ratione in calefactione digitorum frigidorum iuxta ignem si ad naturalem temperiem reducantur dolore , & molestiâ reducuotur , utpote illa alteratio , est valde molesta, quia subito fit : ergo etiam alteratio quæ fit à medicamentis iosuetis erit molesta naturæ , quia subitò celebratur : & ob hanc rationem Galenus dolorem causare docet , non solùm violentam sensationem cum Philosopho in defioitione doloris , sed etiam naturalem reductionem violenter factam , sic fatur 12. method.cap.7. videtur enim corpora non solùm cum in naturalem habitum confestim aguntur tristem sensationem sentire , sed etiam in ipso ad naturalem statum reditu , nisi cum paulatim aguntur : meritò ergo debent iudicari molesta, ea quæ sunt insueta , unde non sunt exhibeuda , dum morbus aut distractio molestant.

Ad argumenta : Resp. quod licet natura , & consuetudo intemperata ad morbos similes sit disposita , ratione cuius reductio est facienda per salutem , non tamen per morbos , aut in distractione ; & ratio disparitatis est , quia cum sint molesta ea quibus fieri debet reductio , & per salutē non patiatur natura , optimè poterit ferre illam violentam alterationem;minimè verò cum aliunde molestata , aut labefactata est , quippe deterius est iudicandum naturam lapsam ulteriùs labefactare , quàm ipsam io sua dispositione relinquere ; nisi forsan talis sit intemperies , ut extremè lapsa sit , aut in morbum proclivis;nam tunc propter malum quod imminet proximè,adhuc naturale temperamentum non est servandum , ut Galenus notat.

Ad secundum dicimus , quod quando morbus , aut distractio contra naturam , aut consuetudinem intemperatam reperitur , fortiùs debemus contra morbum pugnare , quia arguit potentiorem causam , etsi aliquid eius utile iudicetur , ut tale in fine relinquatur ; quia potius pro natura temperata conducit , & per salutem sit, cum iam excedens sit ablatum;neutiquam tamen est propinandum medicamen conducens pro morbo contra consuetudinem , tum propter molestiam tum quia in contrarium incideremus lapsum.

Fortius argumentum est Tertium : cui Respondetur naturam labefactari insuetis etiamsi pro meliori temperie conducant , & sic oon esse exhibenda ; Ad probationem dicimus , quod licet natura optimum temperamentum exposcat, & ipso roboretur ; tameo alteratione insuetâ molestatur magis , quàm roboratur , temperamento perfectiori adquisitu , & sic dum ipsa labefactata est , non est ulteriùs molestanda,ac per consequens per morbos non est reducenda ; si verù morbus , aut distractio potiùs contra intemperatam naturam faciant , adhuc uti non debemus insuetis propter doctrioam , & rationem adductam.

Ad ultimum constat non prohiberi reductionem absolutè in occupatis , quia non possunt observare artis præcepta , sed propter molestiam ab insuetis causatam , quam debemus fugere;ad quod accedit non posse observare præcepta, quæ debent adimpleri in totum , ut consequatur reductio , non tamen ut coonservatio fiat , sufficit enim ad hoc non agere contta ipsam.

Sed dices ; natura intemperata taliter est producta suâ temperie , ut enim altera malè se habeat ; ergo adhuc per salutem non est reducenda : antecedens suadetur : nam quælibet forma habet producere , & conservare in se temperiem, quam expostulat , sed prædicta forma illam produxit in se : ergo quia ipsam exposcit ; quippe ad eandem temperiem reducitur, si immutetur:ergo malè

malè se habebit si reducatur. Deinde nam si insueta sunt reducenda, quia sunt molesta, semper sunt reouenda; ac per consequens nec per salutem est facienda reductio.

Proposito dubio nostræ scholæ Doctissimus Recentior, & antecessor noster satisfacere intendit, dicendo non habere vim si asseramus animas esse ejusdem perfectionis individualis, siquidem in tali casu temperies, quæ est perfectior pro ona, pro omnibus debet esse talis, cum supponamus esse ejusdem perfectionis: unde illa, quæ ab hac temperie recedit, sine dubio reductionem desiderabit. Cæterum si teneamus animas esse diversæ perfectionis individualis (inquit Doctor citatus) quod etsi argumentum propositum habeat vim, nihilominus reductionem esse utilem, ut natura non incidat in morbos similes, & ut opera, ad quæ non concurrit anima, perfectius fiant.

Hæc tamen doctrina omni ex parte non est vera, nam etsi fateamur animas esse ejusdem perfectionis individualis, certum est juxta Philosophi doctrinam, individuum esse cujus collectio proprietatum, quæ in uno reperitur, in alio reperiri non potest: ergo ratione hujus collectionis diversæ, poterit quodlibet individuum diversam exposcere temperiem, & sic argumentum propositum habet vim, etiamsi ejusdem perfectionis animæ censeantur, aut concedendum est vi hujus argumenti animas perfectione differre; quo adhuc admisso solutio adducta est nulla; Etenim affirmare reductionem convenire ne incidat natura in morbos similes, probat adhuc in natura temperata convenire; aut si in ea non est tale periculum, quippe distat ab omnibus (quia temperata) æqualiter; idem debet affirmari de intemperata, quoniam respectu ejus temperata debet dici, cum sit temperies, quam forma expostulat. Neque illud quod adducit de operibus ad quæ non concurrit anima, aliquid valet: quia cum temperies sit conveniens pro illa forma, debet esse pro operibus omnibus ipsi convenientibus, ita ut pauca sint & parvæ utilitatis alia opera, quâ ratione pro illis non sit attendenda temperies, sed pro principalioribus & propriis operationibus.

Nihilominus nobis videtur dicendum reductionem convenire naturæ intemperatæ per salutem: quia cum operationes ex se petant determinatam temperiem, ut omnes collectivè rectè eliciantur, etsi ratione particularis formæ aliqua sit specialis temperies, si ab illa, quam operationes petunt, recedat, reducenda est, quoniam vivens propter operari est productum, & sic reductio, quæ ad perfectiùs operari facit, quærenda est, etsi à temperie, quam exposcit forma illa retrahatur.

Sed objicies illico si forma propter propriam perfectionem individualem petit illam determinatam temperiem: ergo erit ad perfectiùs operari ipsius, ac per consequens ejus reductio minimè erit ad perfectiùs operari ordinata; etenim ex se aliàs non habebit perfectiùs operari ex propria temperie. Respondeo animam habere operari plura in corpore, dependenter à dispositione ejus; ratione cujus quomodocumque se habeat in perfectione anima diversimodè operatur propter diversam dispositionem: totum quod planè constat in actibus animæ vegetativæ, & pluribus operationibus ad sensitivum gradum attinentibus; Vlteriùs etiam valet plura operari, quæ licet aliquam dependentiam habeant à dispositione; magis tamen sequuntur activitatem animæ, quam dispositionis corporis in ordine ad quas habet locum animæ perfectio; tales sunt in nobis operationes, quæ veluti discursum sequuntur, idest cum ex una propositione aliam intellectus deducit, & indagat magis aut minùs pro ratione perfectionis, quomodo etiam in aliis est concedendum, etsi à nobis non cognoscantur, & hac ratione bene stat, quod licet animæ perfectione differant, si intemperata sit aliqua natura in ordine ad operari reductionem desiderat.

Inquires: cur illam temperiem produxit natura, & ad ipsam reducatur si auferatur, si utilius esset ei, aliam temperiem producere; quod constat ex his quæ diximus de morte naturali loquentes in nostro tomo primo, ubi ostendimus quòd cum forma petat partes correspondentes diversis elementis ad suam conservationem; qualibet temperie in parte existente conservatur, dummodo in alia parte distincta sit, quippe quælibet pro uno, aut altero elemento conducit, & sic illam conservare valet, quam producit, utpote quælibet est ei naturalis, quod petit; habere tamen hanc aut illam pendet ex activitate agentis, quod ad talem productionem facit, & disponit in ordine ad materiam ex qua, hoc est ratione seminis, & sanguinis, à quibus pueritia dicitur calida & humida ex Galeni & Avicennæ mente. Ad secundum jam diximus molestiam medicamentorum esse minorem, quam utilitatem reductionis per salutem: quia tunc natura non existit labefactata.

Restat tamen scire, quomodo Galenus ad conservationem commendet omnes res non naturales: nam ut inquit cap. 85. artis medicin. si aër à temperie requisita non recedit, omnes aliæ res in mediocritate quadam debent adhiberi; si verò aër à tali temperie deficiat, quinque aliæ res non naturales contrariam debent intendere; per quod debet intelligi, quòd cum conservatio est molienda, si aër non recedit à temperie requisita, reliquæ res non naturales sunt applicandæ in quadam mediocritate, ita ut nulla sit in excessu, sed ita ut nec motus calefaciat, nec quies infrigidet, nec vigilia exsiccet, nec somnus humectet, & sic dereliquis, sed tali vicissitudine, ut adveniens corrigat, quod præcedens potuit inducere.

Difficilius tamen est cur dum aër à temperie requisita recedit omnes aliæ res non naturales pro contraria parte sint adhibendæ? Etenim videtur quod si una res non naturalis qualis est aër distemperatur, per alteram oppositæ virtutis corrigatur. Respondetur quod cum aër continuo immutet corpus, & agat in ipsum, & nulla ex aliis rebus continuo applicata sit, sed una aut altera per vicissitudinem, necessum est ut pro continua alteratione aëris omnes aliæ res non naturales in contrarium applicentur, ut ita una, aut altera existente, etiam sit continua pro contraria parte alteratio.

CAPVT

CAPUT XIII.

Vtrum causa, quæ abest indicet in Curatione.

Licat de indicatione, quæ sumitur à causa aliqua dicta sunt in præcedentibus capitibus: placuit in præsenti specialiùs de hac re agere; desumpta ratione debuandi ex Gal. lib. 8. method. cap. 1. ubi docuit causam morbi sui ablationem indicare, dum adest in curatione morbi; dum vero deficit nullam ab ipsa indicationem sumi, quòd quidem exemplo vulneris facti ab ense testificat. 4. lib. meth. ubi docet causam auferendam esse, si præsens sit, si autem sit absens nihil indicare; & idem est intelligendum, si ab humore causetur ulcus. Unde plenè infertur nullam præbere indicationem curativam causam absentem.

Tamen contra hanc receptam doctrinam: aliqua se offerunt, quæ ipsum turbare videntur; tiam causa absens non indicat, quoniam non est; sed etiam temperamentum naturale non est, & tamen indicat in curatione: ergo & causa quæ abest, & minimè subsistit poterit indicare in curatione. Confirmatur nam morbus qui timetur non est, & tamen indicationem præbet medico: ergo & si causa externa non existat, poterit nihilominus indicare in curatione: ulterius fulcitur assumptum: nam ætas & consuetudo interventu temperamenti indicant authore Gal. 9. lib. meth. quia per ea incognitionem temperamenti devenit medicus, sed etiam per causam externam, quæ non subsistit sæpè devenimus in cognitionem morbi: ergo indicat in curatione ipsius. Denique corroboratur eadem pars, si quidem non alia de causa virtus indicat, nisi quia per ipsam devenimus in determinationem remedij: ergo indicat in morborum medela, minor suadetur: nam per causam externam devenimus in cognitionem affectus, quando scilicet est constipatio à refrigeratione, aut si fuerit venenum à morsu canis rabidi; sed per cognitionem affectus devenimus in cognitionem remedij, & ipsius determinationem: ergo per cognitionem causæ externæ, atsi absit devenimus in cognitionem & determinationem remedij, & per consequens indicabit causa quæ non subsistit.

Vera tamen est Gal. sententia, quæ asserit causam absentem minimè indicare in curatione morborum. Ratio est: quia ea quæ sunt præter naturam indicant sui ablationem, sed causa morbi ut talis, est præter naturam: ergo sui ablationem indicat; sed quando abest, est ablata: ergo minimè poterit indicare. Ex quo firmissimo fundamento facile erit, ea quæ in contrarium sunt adducta dissolvere. Ad primum & ipsius confirmationem Resp. esse disparem rationem rigorosa significatione si sint secundùm naturam, suam conservationem de præsenti & de futuro indicant; quæ verò præter naturam sunt sui ablationem de præsenti, & de futuro; unde quando temperamentum naturale non est, sive tale sit à principio, sive ex ætate, sive ex consuetudine, quomodocumque conservationem exposcat suam existentiam desiderat, ac per consequens indicabit, quando non est, ut quando est: Cæterum causa morbi cùm sui desideret ablationem, dum non existit nihil indicat, quoniam iam est ablata, & solùm sui ablationem poterit indicare; morbus autem qui timetur, licet absit, indicat tamen; quia cùm non solùm indicet quidquid præter naturam est de præsenti, sed etiam de futuro, dum timetur indicat auferri in futurum.

Sed dices: res naturalis dum adest, indicat sui conservationem etsi existat: ergo causa præter naturam, etsi non existat, indicabit conservationem illius non existentis. Resp. quòd cùm fuerit timor regressus talis causæ indicabit præcautoriè, ut indicat morbus futurus qui timetur: difficultas tamen solùm procedit de indicatione curatoria, quam iure optimo negamus ob rationem adductam.

Ad secundum constat consuetudinem, & ætatem accipi, aut ratione actuum facientium consuetudinem, & numeri annorum constituentium ætatem, aut ratione termini, seu temperamenti resultantis ex vi actuum, seu ex numero annorum; primo modo acceptâ consuetudine, aut ætate, impropriè accipiuntur, & sic non per se, sed ratione temperamenti indicant; cæterum si accipiantur ut debent accipi, pro temperamento adquisito per se indicant, iuxta dictam doctrinam; causa verò ratione morbi, quatenus morbus id petit, non causa ipsa; etsi negari non possit, conducere ad cognitionem affectus, quòd non est indicare causam, sed affectum ipsum: quo tertium dubium solutum manet.

Difficilius tamen est: an causa sive interna, sive externa dum adest, indicet: nam eadem est doctrina Gal. circa prædictas causas; tum in hoc primo capite tum etiam lib. de curandi ration. per sang. miss. cap. 7. & 8. necnon etiam, 13. meth. & in comm. aphor. 23. lib. 1. dum docere intendit, quæ evacutio sit exercenda pro morbi curatione. Vbi inquit. *Inspicere autem oportet, an expurgatio, vel sanguinis missio conveniat.* Quasi diceret debere indicationem sumi à causa dum est præsens, ut pote ratione illius determinari debet remedium; neque alia de causa Gal. ipse lib. de optim. sect. docuit. Omnem indicationem in morbis non de sumi à solis morbis, cùm sæpè numero ratione causæ auxilium diversificetur in eodem affectu, & è contra in diversis morbis, idem exerceteur auxilium, ratione identitatis causæ: ergo dum causa est præsens ab ipsa sine dubio sumitur indicatio.

Contra adductam doctrinam stat ipse Gal. qui. 3. lib. meth. cap. 1. docet absurdum esse asserere, aliud esse quòd curatur, & aliud, quòd curationem indicat; sed solùm morbus curatur, & non ipsius causa, is ergo indicat curationem, & non causa. Confirmatur; etenim omne ens naturale suam appetit conservationem, sed causa est talis naturæ: ergo non indicat sui ablationem: quòd est necessarium in curatione. Denique quia Gal. 4. meth. cap. 3. docet indicationem à causa desumptam præcautoriam esse, si rigorosè loquamur: ergo causa non indicat curatoriè.

Vera tamen est Gal. doctrina, quæ docet indicationem tam à causa quæ adest, quàm à morbo debere sumi in curatione, & ratio est efficax: nam curatio est transitus ab statu præter naturam ad statum naturalem, per ablationem illius

quod est præter naturam, sed talis transitus non fit sine ablatione causæ: ergo causa indicat in curatione: consequentia est legitima, quia curatio fit ablatis his, quæ auferri indicant, & conservatis, quæ indicant conservari: ergo cum causa præter naturam, ut morbus fine dubio indicabit sui ablationem, sicut morbus in curatione, ac proinde non solùm morbus sed ipsius causa indicat in curatione.

Ex his facilè quæ in contrarium sunt adducta dissoluuntur: ad primum communis solutio est: rectè dixisse Galenum, esse tamen intelligendum, quatenus solus morbus curatur, curationem indicat; causam verò minimè indicare curationem, cum ipsa non curetur; indicare tamen in curatione: quia ipsa ad inventionem auxilij conducit; quemadmodum virtus non indicat curatoriè, quia non indicat remedium; indicat tamen in curatione, quoniam ad determinationem remedij conducit. Tamen contra instari potest: quia non minùs curatur causa, quàm morbus: ergo si causa non indicat curationem, nec morbus ipsam indicabit; antecedens probatur; quia ideò morbus curatur, quoniam sanitas adquiritur per ablationem morbi: sed etiam adquiritur per ablationem causæ: ergo causa indicat curationem sicut morbus; etenim non est magis præter naturam morbus ipse, quàm sua causa: ergo sicut fit curatio per ablationem morbi: quia est transitus ab statu præter naturam ad statum naturalem per ablationem illius, quod est præter naturam: etiam per ablationem causæ erit curatio: ac per consequens cum indicet curationem, id quod præter naturam est, & sui ablationem indicet, non magis indicabit morbus, quam eius causa, nec magis curabitur morbus, quam causa.

Instabis non esse curationem in rigore ablationem causæ morbificæ: quia per talem ablationem non fit transitus ab statu præter naturam, ad statum naturalem, cum status præter naturam constituatur per formam talem statum constituentem, per morbum scilicet: causa verò non est forma talem statum constituens; præcipuè cum per talem ablationem non adquiratur status naturalis: quia permanet morbus; at per ablationem morbi adquiritur immediatè, & in rigore status naturalis, & sic talis transitus adquisitus per ablationem morbi est rigorosa curatio; non verò ita fit per ablationem causæ, & consequenter causa minimè indicabit curationem, nec curabitur, sed solùm morbus.

Contrà tamen instatur solutio hæc: quia licèt dici non possit curatio completa ablatio causæ solius, quia non importat ablationem totius constituentis statum præter naturam; nihilominus causæ ablatio debet dici curatio, ut est curatio ablatio morbi: etenim non minùs per ablationem solius morbi manet corpus in statu præter naturam, manente causa, aut symptomate, quàm si per ablationem solius causæ morbus perseverer: ergo sicut illa non est completa curatio, sic nec ablatio solius morbi, erit completa curatio; & consequenter sicut hoc non obstante, curatur morbus, & indicat curationem, sic & causa morbi indicabit curationem: antecedens probatur: quia corpus in statu præter naturam dicitur per aliquid præter naturam, quod in ipso perseverat, etsi non sit forma inhærens, ut probabiliter dicitur vivens morbosum solùm per aliquid intra ipsum existēs etiamsi non inhæreat: ergo quamvis morbus auferatur, si causa, aut symptoma maneat, in statu præter naturam erit vivens, & per consequens curatio erit completa, quando fiat transitus completus ab statu præter naturam in statum naturalem per ablationem totalem illius, quod est præter naturam; ac proinde etiam erit curatio partialis, quando per ablationem alicuius præter naturam fit transitus in statum naturalem partialem: Vnde si morbus curatur, etiam causa ipsius morbi curabitur, & indicabit curationem.

Alij tamen morbum curari docent, & per consequens indicare curationem aiunt, & causam solùm indicare præcautoriè tenent, & minimè curatoriè; & sic rectè Galenum docere, dum inquit absurdum esse aliud curari, & aliud curationem indicare, cùm morbus solùm curetur, & curationem indicet, causam autem nec curari, nec curationem indicare, sed solùm præcautoriè. Assumptum suadere intendunt: quoniam causa, adhuc coniuncta, & continens, sui ablationem indicans, non indicat ex se, & præcisè transitum ad statum naturalem; etenim præcisè ex se solùm indicat ablationem sui, inter quam ablationem, & consequutionem sanitatis, mediat ablatio morbi: ergo non indicat curationem, sed præcautionem. Probant: nam per ablationem causæ præcisè, solùm consequitur, quod morbus in posterum non sit duraturus, non verò immediata ipsius sublatio: ergo ablatio causæ præcautionem morbi futuri solum importat ex se, minimè verò curationem. Huic doctrinæ consonat Galenus 4. meth. cap. 3. dicens ad providentiam pertinere indicationem causæ, id est ad præcautionem; ratione cuius idem Aubert 11. meth. cap. 2. in solis febribus diariis, & hecticis veram curationem repetiri docet, in putridis autem præcautionem, quoniam à causa indicante pendent.

Tamen contra hoc stat; quia licèt veritatem habere possit, respectu causæ, quæ in posterum morbum causare valeat, minimè tamen respectu illius quæ actu morbum causat, præcipuè si continens sit huiusmodi causa, ut si aliquis morbus in fieri & conservari à causa dependeat, quo in casu sanitatis inductio, & recuperatio ab ablatione causæ necessariò depender, quæ actu causat morbum; & quamvis non dependeat morbus in conservari à causa, eius ablatio curatio est, cum nulla consideratione habita in posterum, solùm per ablationem morbi præsentis contra causam operemur, quod est pro curatione, & non pro præcautione: neque interest non opponi sanitatem, & causam directè, & formaliter, ita ut ex ablatione eius sanitas inducatur immediatè, nam cum curatio sit transitus ille in statum naturalem, per ablationem totius rei præter naturam, quidquid ad sanitatis actualem consequutionem facit, curatio est; Vnde quæ hoc modo indicant, curatoriè indicant, seu curationem indicant, ac per consequens, ut morbus curatur, sic & causa.

Nobis tamen videtur dicendum, si rigorosa locutione utamur, nec morbum curari, nec causam, sed solùm vivens; modo quo superiùs insinuavimus: Ratio est nam curatio est transitus ab statu præter naturam ad naturalem, illud solùm curatur, quod curationem recipit, & subje-

ctum

ctum eius est; sed solùm vivens est quòd transit ab statu præternaturali ad statum sanitatis: minime verò morbus, nec causa: ergo solùm vivens est, quòd curatur. Probatur: nam si morbus aut causa curationem suscipiunt, in se formam recipient aliquam, per quam curari dicantur, quòd est falsum, cùm solùm vivens actionem illam, seu formam recipiat, & non morbus; ipse tamen, aut causa agunt, & patiuntur à medicamento, subiectum verò actionis, & reactionis vivens est: ergo morbus non curatur, sed solùm vivens, si rigoroso sermoni verborum accingamur; licèt certum sit ut suprà insinuavimus vivens curari per ablationem formæ præternaturalis; ipsum formaliter constituentem in esse morbosi; & hac ratione optimè intelligitur Galeni locus adductus, dum ait absurdum esse dicere aliud esse, quòd curatur, & aliud quòd indicat curationem; nam vivens ipsum pro ut afficitur aliquo præter naturam, morbo scilicet, tanquam formâ, curari, & indicare curationem, & non aliter. At morbus ipse ex se & eius causa & omnia illa, quæ sunt præter naturam, & secundùm naturam, dicuntur indicare in curatione, modo explicato; non tamen indicare curationem, seu curari, quia ratione eorum curationem indicat vivens, & omnia illa ad inventionem, & determinationem remedij conducunt, & sic in curatione indicant, non curationem, quia non curantur, sed solùm vivens ratione ipsorum curatur, & recipit actionem illam, seu formam. Largâ tamen, & non tam rigorosa significatione curationem indicare diximus, quatenus conducunt ad inventionem, & determinationem auxilij; unde rectè Gal. docet idem esse quòd curatur & quòd indicat curationem, vivens scilicet, quia ratione alicuius præter naturam quo constat, curationem indicat, & curatur.

Ad ea, quæ intendebant suadere causam præcautoriè indicare: Resp. id non esse perpetuo verum: nam licet ipsa præcautoriè indicet, quando pro ablatione morbi futuri remedium indicat; tamen quando pro ablatione morbi præsentis indicat auxilium, curatoriè toto rigore indicat, seu in ipsa curatione, & non in præcautione indicat, differunt autem in rigore, indicatio curativa, & præcautio: quia illa pro ablatione morbi actualis, ista verò pro ablatione morbi futuri, aut imminentis conducit; dum tamen Gal. ad providentiam pertinere indicationem causæ pronunciavit, non negat, indicare curatoriè ipsam causam, seu in curatione indicare; sed docet nullo alio modo præcautionem fieri, quàm indicatione sumptâ à causa, & hac ratione etiam in putridis reperitur vera præcautio, quia de ipsis docuit Gal. pendere à causa auxilio medico indigente; non ita diarias, aut hecticas febres, & sic in his curatio vera invenitur: hoc fiet manifestum si Galenum consulamus 2. aph. text. 22. dicentem contra aliquos, qui solùm præcautoriè indicare dicebant de causa, quos delitos appellabat & hæc pro hac controversia sufficiant, cum etiam suprà hanc difficultatem, licet obiter, tetigimus.

CAPVT XIV.

Vtrùm ad faciliorem refrigerationem aquæ sit dispositio calefactio ipsius.

CUM animus sit in hoc nostro tractatu Gal. doctrinam examinare, quàm in libris de methodo medendi copioso calamo adducit, ansam dedit dubitandi, ut propositam litem controvertamur. Lib. 7. meth. cap. 4. ubi sermonem instituens Gal. circa curationem imbecillitatis ventriculi ait, *Verùm ratio me docuit octo imbecilli ventriculi curationes. Vidisti igitur, & tu quosdam uno die, vel potius hora, frigidâ potione levatos: quorum alijs non aquam modo dedi fontanam recentem, sed etiam quæ nive esset refrigerata; veluti Romæ praeparare solent, calfacientes scilicet prius, &c.* Ex quibus ultimis verbis clarè videtur constare Galenum admittere præparationem seu calefactionem priùs factam in aqua, ut faciliùs, & meliùs nive refrigeraretur ut more erat apud Romanos, quos sine dubio forsan experimentum hûc præparationis modum in aqua, ut facilius nive refrigeraretur monstravit; unde venit in mentem meam hoc dubiolum controvertere curiositatis gratiâ, ut quisque nostro sæculo Romanorum usum imitari cogatur, si velit citiùs & meliùs, aquam nive refrigerare pro gustu, aut necessitate.

Hunc præparationis modum in aqua adducit Plinius lib. 31. Histor. natural. cap. 3. sed contra ipsum militat ratio philosophica nam per intensiorem calorem in aqua, maior, & intensior inducitur in aqua resistentia, tum activa, tum etiam passiva ut possit impedire actionem frigiditatis a nive inducendæ: ergo potiùs caliditas in aqua est impedimentum ut meliùs, & faciliùs à nive refrigeretur; quam præparatio adfrigefactionem. Cui obiectioni Respondere possumus pro Gal. admittente Romanum usum; intense esse calefaciendam aquam ut meliùs refrigeretur: ratio est: quia calefactio in aqua, non requiritur, neque est necessaria propter ipsum calorem, sed potiùs propter qualitatem quamdam, seu modum substantiæ resultantem ex ipso calore in in aqua, tenuitatem scilicet: ratione cuius faciliùs patitur aqua, & sit aptior ut alteretur à frigiditate nivis, unde quo intensior inducitur calor in aqua, maior resultat in ipsa tenuitas, & maior ad patiendum alterationem dispositio, ratione cuius citiùs, & meliùs refrigeratur.

Instabis contra hanc solutionem: nam tenuitas resultat vitalis caloris, & crassities erat vi frigiditatis præexistentis, sed ut aqua refrigeretur intensè, debet priùs remissè refrigerari, ita ut auferatur calor ille, à quo procedebat tenuitas, & inducatur frigiditas, à qua crassities resultabat: ergo ante intensam frigefactionem erit jam inductum frigus pro crassitie; ac per consequens calefactio antecedens inepta erit, & superflua, ut aqua meliùs refrigeretur, imo potiùs indispositio, cum per ipsam inducatur aliquid expellendum priùs, & refrigerationi resistens. Resp. quod licet precisè ratione primarum qualitatum aliquid inducatur resistens frigefactioni, quando aqua calefit; tamen ratione qualitatis secundæ, tenuitatis scilicet, aliquid inducitur conducens ad faciliùs patiendum, & ut facilius alteretur aqua à frigiditate nivis quippe quòd tenuitatem habet, facilius alteratur, quàm si esset densum.

Ad probationem Resp. quod si eo gradu, & brevitate, ac inducitur prima qualitas, resultaret secunda, & eadem brevitate ac amittitur prima, amitteretur secunda, valeret argumentum: tamen cum experientia doceat, aquam non attenuari illico, ac calefit; nec statim ac calor amittitur, amittit tenuitatem; hinc est quod calefactio sit necessaria, & conveniens: quia postquam tenuitas resultavit, etsi auferatur, aut remittatur calor, permanet per aliquod tempus tenuitas quæ sufficit ut faciliùs ab agente refrigeranti alteretur, priusquam densitas inducatur, quod debet intelligi ratione resistentiæ, nam si hæc deficiat, nequit dubitari, non produci faciliùs in uno passo, quam in alio aliquam qualitatem cum omnis alteratio in instanti fiat, secluso contrario.

Cæterùm an raritas, aut densitas ratione pororum accidat, explicant Philosophi, declarantes, qua ratione corpus maiorem dimensionem adquirat, sine additione quantitatis, & sine partium separatione quando minorem comparat quantitatem sine penetratione, neque ablatione quantitatis; nam licèt plures ratione pororum evenire veline eo modo quo celeritas in motu, ratione morularum, non tamen omnes ita accidere fatentur; sed in ipsa substantia corporis modum quemdam concedunt, seu qualitatem quandam fingunt, per quam corpus maiorem, aut minorem dimensionem comparat; qua etiam ratione aquam sine poris raram posse fieri recipiunt, & sic ad faciliùs patiendum præparari; quod probabiliter potest defensari, sicut etiam quod celeritas in motu fiat ratione morularum, cum Vallesio nostro, aut ratione qualitatis cuiusdam cum communi opinione, quo bene componitur non esse negandos poros in aqua, ut quidam nostræ scholæ recentior acriter tenet, cum experientia doceat, Pisces in aqua audire, & soni speciem nullo modo posse communicari quam per porositates.

Difficilius tamen est explicare qua ratione corpora poros habentia, per rarefactionem habeant poros majores: econtra vero per condensationem: Et quidem ratio contrarium suadere videtur: quippe dum corpus condensatur ideo est, quia partes uniuntur inter se magis, sed si inter se magis uniuntur pars terminativa versus porum debet retrahi à profundirate ipsius pori, & sic de altera: ergo necessario fiet porus major, & sic de cæteris: ac per consequens per condensationem pori fiunt majores, quod est contra experientiam, quâ constat febrē excitari ex constipatione cutis, impediente per occlusionem pororum ventilationem; quâ ratione laxantibus auxiliis celebratur curatio, dictante Gal. quem sequuntur communiter Medici omnes. In cujus Veritatis confirmationem clamat experimentum quotidianum nam corium foraminibus plenum, quale est *cribrum* si soli exponatur per exsiccationem, taliter condensantur partes, ut foramina fiant majora, seu ampliora, si autem humectetur, & rarescat, foramina apparent minora: ergo rarefactio potiùs ad angustiam pororum facit, quatenùs conducit ot partes inter se separentur, ot cavitates replcantur: econtra verò densitas, quæ partes separari facit à profunditate.

Difficultati propositæ satisfacere conatur nostræ scholæ Recentior quidam in suis manuscriptis dicendo: verùm tenere propositum argumentum: si dum pars condensatur una non traheret alteram versus se; attamen in nobis dum corpus condensatur, una pars secum alteram trahat; hinc est quod ad occlusionem pororum conducat, & consequenter io curatione conveniunt auxilia relaxantia, ut partes, quæ tractæ erant ab aliis separentur, & sic pori fiunt maiores. Et non explicat cur ita non fiat in cribro, in quo docet experientia per condensationem foramina resultare maiora, & non est cur, si partes trahunt alias per condensationem, ita non fiat in cribro, cum tractio illa non fiat à facultate aliqua corporis, sed præcisè per densitatem. Tamen quidquid sit de hoc, adducta solutio non videtur sufficiens. Primò quia non apparet intelligibilis unitio illa maior partium inter se per condensationem: quia nulla est maior unitio, quam illa, quæ per indivisibile fit, & ipsa præcesserit iam in ipsis partibus. Et licèt dicta solutio haberet locum in condensatione, minimè constat, quà ratione per rarefactionem pori fiant maiores, quoniam si partes erant unitæ, non apparet ratio, quæ suadeat recedere per rarefactionem à loco in quo sunt.

Difficilè tamen videtur in bona philosophia rarefactionem, & condensationem sine poris fieri, sicut & celeritatem, & tarditatem motus sine morulis, quod magis intelligibile apparet; quippè capere non possum, qua ratione uniantur magis, quæ iam unita sunt, neque quomodo separentur ea, quæ non dividuntur. Sic placuit in hac re asserere per condensationem partes adquirere minorem dimensionem quatenus cavitates, quæ erant distensæ, aut separatæ corporibus aliis tenuibus plenæ, aufferuntur, per unionem, seu coniunctionem partium inter se se ratione condensationis, vi tamen rarefactionis denuò fiunt, partibus in antecedentem locum retractis, ratione cuius maiorem dimensionem adquirit tale corpus, quam antea; cum hac tamen diversitate, quod corpus dum condensatur ab ultimis eius superficiebus retrahitur versus profunditatem sui, quod est uniri versos porositates; seu coniungi; dum verò rarescit versus ultimas superficies, à profunditate extenditur, & sic fiunt cavitates maiores, & separantur. Ratio huius est: quia cum condensatio sit veluti unitio partium inter se se, & rarefactio econtra, in ono casu versus profunditatem fit retractio ab ultimis superficiebus, & in rarefactione econtra à profunditate in superficies extimas. Et hinc constat quomodo in cribro per condensationem foramina appareant maiora; nempè quia foramina illa constituunt superficies ultimas, respectu cuiuslibet partis illius cribri, & sic per condensationem, quælibet pars retrahitur versus porositates suas à superficie ultima, & consequenter pori fiunt minores, & foramina maiora, nisi forsan tanta sit condensatio, ut totum cribrum corrugetur, & in tali casu etiam foramina fient minora, quia licet ipsa ultimas superficies habeant illius corij per aliquas partes, cum verò per alias continuum sit corium ipsum, necesse est, quod existente densitate magna, ut versus profunditatem uniantur, totum corium corrogetur, ut patet agente igne, quod etiam ostendit non retrahi versus foramina: nam si ita accideret, non esset corrugatio, sed est versus ipsas partes inter se se, & cum in foramine non dentur partes,

quæ

quæ uniantur, corrugatio est necessaria, fit hoc præcipuè, etsi foramina non præcesserint facta per artem in ipso corio, quia ab ipso igne vehementer alterante necessum est plures partes resolvi; & consequenter per condensationem magnam resultabit corrugatio; hoc autem non ita accidit, sole agente quia non ita intensè alteratur corium, & ipsius partes sicut ab igne.

Si Respondeas corrugationem fieri in igne, quia inæqualiter resolvit, ratione inæqualis alterationis, quapropter aliquæ partes retrahuntur, non ita alteratæ; at verò cum in sole fiat æqualiter alteratio in toto corio, non est maior ratio, cur una retrahatur versus alteram, quam econtra, & ideò non est corrugatio. Tamen contra hanc solutionem instatur, quoniam experientia contrarium docet: nam vidimus corium in igne æqualiter injectum, & citharæ chordam corrugari, quin ignis, seu eius calor applicetur magis secundum unam partem quam secundum alteram; & sæpè sole vehementer æstuante, seu alterante corium, ipsum corrugare: non ergo stat corrugatio in casibus adductis in æqualitate, aut in inæqualitate alterationis, sed potiùs in intensione, aut remissione ipsius alterationis.

Contra adductam doctrinam se offert illud commune experimentum de fractione vasis, dum repletum aqua, & ita omninò clausum est, ut minimè possit ingredi aër, apposito ad intensam frigiditatem, quæ valeat aquam condensare, ut quotidie hyeme contingit, nam in tali eventu si per unionem aquæ versus porositates fieret condensatio, corpora replentia cavitates illas, deberent replere cavitatem derelictam ab aqua & quamvis corpora illa etiam condensarentur: idem currit argumentum de aliis corporibus in porositatibus eorum existentibus: ergo non debebat frangi vas ad ingressum aëris propter replendum vacuum. Vlterius contra adductam doctrinam urgeo: nam sicut ab ultimis superficiebus versus profunditatem retrahitur corpus in condensatione, debebat etiam retrahi à superficie constituente, seu terminante porositatem versus profunditatem: quippe etiam illa est ultima quoad illam partem: ergo non debebat resultare minor in condensatione.

Ad primum argumentum adductum Resp. minimè frangi vas propter ingressum, seu ad ingressum aëris; neque ut aliqui censent, quia erat incompossibilis dispositio, tam intensa frigiditas, pro esse, seu conservari ipsius vasis, nam si ita esset, secundum omnes partes in minimas divideretur vas, sed ideò est, quia etiam vas debet condensari, & sic ut partes, magis versus porositates coniungantur, necesse est, quòd aliquæ separentur, cum non sint omni ex parte ultimæ, quæ cedant, & ita necessaria est fractio per partem aptiorem, seu minus resistentẽ. Ad secundum dicimus, non dici ultimas superficies, nisi illas, quæ ad sensum sunt tales, verè terminantes corpus; cæterùm, quæ in porositatibus inveniuntur, cum pori sint de natura corporis in sua profunditate, & veluti partes corporis iudicentur, hinc est, quòd non dicantur rigorosa, & propriâ, atque acceptâ communi significatione superficies terminantes, neque ab ipsis ad partes ipsas fit condensatio, quia nulla est maior unio inter partes ipsas.

CAPUT XV.

De dubiolis incidentibus circa Galeni doctrinam.

GALENVS in hoc cap.4. lib.7. meth. de adstringentibus auxiliis, ita laudabiliter loquitur, circa aliquas partes, ut morbo adhuc renuente adstringentibus utatur; sic in declinatione inflammationis ventriculi, & hepatis, etsi inflammatio solùm resoluentia medicamenta expostulet, & adstringentia renuat, tenet expresè Galenus non esse applicanda resolventia præsidia, sine adstringentibus, cap.13. lib. huius 7. indicatione sumptâ à parte; quâ ratione idem Author cap.95. art. Medicin. tenet partes roborari per usum adstringentium, idem docet lib.11. meth. cap.16. necnon etiam 13. cap.15. quibus in locis modum curandi partes inflammatas addocens, inquit, & ad expulsionem succorum, adstringentia conducere, & ad roborandam partem.

His præjactis, & in doctrina Galeni in concusse stabilitis, pullulat dubiolum; quâ ratione in distemperie ventriculi calidâ curanda, prohibet omninò adstringentia capit. 4. lib. 7. supra citato, ubi sequentia verba adducit, *Vetui autem absinthium, & quidquid adstringeret.* Quibus verbis videtur inconstantem esse Galenum, dum ratione partis, generaliter commendat adstringentia medicamenta, ratione corroborationis, quâ pollent. Et ratio difficultatis in eo stat; quia si adstringentia utilitatem habent; nunquam maiorem, quam in distemperie calida, sive ventriculi, sive cuiuslibet alterius membri, in qua potiùs laxitas præter naturam pollet, quæ adstringentia desiderat; atqui in ipsa calida distemperie, prohibet adstringentia: ergo non sunt utilia. In cuius rei confirmationem possumus adducere Galenum ipsum lib. de opt. sect. ad Trasib. cap.45. ubi reprehendit Medicos Empyricos, qui per adstringentia, partem minùs patibilem, & robustiorem reddi affirmabant; qua ratione cap.50. ridiculum esse partem roborari per adstringentia docuit; & ratio id videtur suadere, nam ut cap.4. huius lib. docuit Galenus, robur partis in optimo temperamento, & optima conformatione consistit: ergo quidquid sit de auxiliis adstringentibus, robur partis servatur, optimo temperamento, & conformatione optimâ servatis: & minimè per adstringentium usum.

Verius tamen mihi videtur adstringentia auxilia habere vim roborandi partem, ut cap.95. art. medicin. docuit Gal. ipse, non solùm quoad expultricis facultatis actionem, ut in hoc capite docuit, sed etiam quoad retentricem, ut 3. de sympt. causis cap.3. notificavit, quod verum est etiam quoad omnes facultates: ratio est manifesta, non solùm propter inæqualis adstrictionis, & siccitatis gradum pro una, aut altera facultate requisitum, & propter applicationem adstringentium secundum diversas partes; ut censet noster Prim. Col. qui tenet in partibus externis applicatis adstringentibus auxiliis roborari facultatem; si verò pars inanita sit, & versus omnem dimensionem adhibeantur adstringentia, augeri retentionem affirmat. Hoc tamen

non videtur esse verum, sed quocumque tempore, & in quocumque statu adstringentia applicentur, omnem facultatem roborant, saltim in ordine ad operandum, (cum ipsæ facultates magis, & minùs non suscipiant) & sic ad perfectiùs operandum conducunt per unionem partium inter se: quapropter dictavit Philosophus. 3. de partib. animal.cap.6. virtutem unitam fortiorem esse, se ipsa dispersa; sed per adstrictionem omnes partes uniuntur magis, seu appropinquantur: ergo & facultates ipsarum fortiores erunt in ordine ad operandum. Nec Galenus contrarium docuit, lib. de opt. sect. sed reprehendit illos, qui per adstringentia curabant, & ideo censebant partes minus patibiles reddi per ipsa adstringentia medicamenta; non tamen roborari ad expulsionem; & eum experientia ostendat, enam ad expulsionem juvare; eos reprehendit, ne forsan intelligeretur robur partium consistere in adstrictione; & ulteriùs mooet, ridiculum esse affirmare robur partium in astrictione consistere; aliàs senum corpora, robustiora essent, quia magis adstricta sunt, quod est contra experientiam. quippe robur consistit in optimo temperamento, & optimo spiritu, ad quorum conservationem, auxilia adstringentia conducunt, & sic ad perfectiùs operari, & in ordine ad effectum robustiora reddunt membra.

Cæterum dum Galenus in hoc cap.4. vetuit adstringentia, in calida distemperie? Respondent aliqui, id fieri, ne siccitas inducatur, quæ cum calore partis causabit majorem extenuationem, cum siccitas sit lima caloris. Hæc tamen solutio invalida est, & opponitur Gal. ipsi, qui cap.8. ejusdem lib. cit. in distemperie calida, & sicca utitur adstringentibus: non ergo ob hanc rationem, sunt prohibenda in calida ventriculi distemperie. Alter nostræ scholæ recentior in hac re, solvere, seu limitare Galeni dictum intendit; dicendo Galenum non prohibere omnia adstringentia in calida ventriculi distemperie, sed solùm ea, quæ vehementer sunt talia, ne in marasmum trahantur partes, per nimiam auxiliorum siccitatem cum calore partis conjunctam. Colligit hanc solutionem, ex eo quòd in calida, & sicca intemperie remisse adstringentia concessit Galenus ad robur partis servandum, & quia calida intemperies laxitatem inducit in parte, cui adstrictio, & frigefactio est utilis; hanc etiam solutionem insinuavit Noster Col. super hoc caput: quærens cur in sicca intemperie etiam Galenus adstringentibus non utebatur.

Doctissimus noster Socius in Cæsaraugustana universitate olim vespertinam cathedram regens in suo tomo super 8. libros Galeni de method. in expositione lib.7. cap.4. fol.18. super verba supra citata Galeni, dum calidam ventriculi intemperiem curare intendit, per illa verba *vetui autem absinthium, & quidquid adstringeret:* Intendens exponere doctrinam adductam, juxta genuinum sensum Galeni, tenet, illius verba ut jacent, tenenda esse: nam quamvis omnis imbecillitas virium, caloris nativi defectus sit, non tamen semper talis nativus calor dissipatus ex partium laxitate, aut nimia pororum raritate deficit; sed interdum etiam suffocatus; quo in casu non solum adstringentia non postulat, verum econtra dilatationem partium, ac pororum raritatem proclamat, eo quòd oppressus, nimisque coarctatus, vel ab humorum multitudine, vel ab eorum crassitie, sive aliâ quacumque causa densante, obstruente, aut aliter porositates occludente, suffocatur; hæc sunt verba hujus Doctoris, quibus adductis concludit, solùm in debilitate caloris nativi per suffocationem prohibere Gal. usum absinthii, & adstringentium, minimè verò quando aliter dissipatur, & solvitur calor nativus.

Licet tamen adducta expositio (utpote tanti Authoris) acutissima sit, & possit habere locum, quoad causam mediatam suffocantem, obstruentem, condensantem, aut aliter ingressum aëris frigidi impedientem, pro ventilatione, & conservatione caloris nativi, cui opponitur adstringentium applicatio; minimè tamen potest habere locum quoad causam immediatam suffocationis; nam latè nostro 2. tomo de pulsib. demonstravimus juxta mentem Galeni, & rationibus efficacissimis suffocationem fieri à calore dissipante calorem nativum, & ipsam flammam, imo a calore ipsius flammæ celebrari tanquam à causa efficienti, supposito impedimento aeris frigidi ingredientis pro conservatione; quo supposito si ad causam immediatam suffocationis attendamus, conveniunt adstringentia auxilia, quæ dissipationem, & dissolutionem prohibeant, quemadmodum convenire fatetur in qualibet dissipatione caloris; dummodo non fiat per suffocationem modo explicato. Verumtamen adducta expositio non videtur genuina, & legitima pro mente Galeni, nam absolutè, & absque ulla limitatione in ventriculi calida distemperie vetuit absinthium, & quidquid adstringeret, quin de calida intemperie, seu debilitate ventriculi, aut nativi caloris, quæ fit mediâ suffocatione, fecerit mentionem: ergo gratis videtur adducta expositio.

Militat etiam contra hujus Doctoris assertum, quod in aliis casibus in quibus debilis redditur calor nativus propter exsolutionem, non est necessarius usus adstringentium pro corroboratione partis, ut exsolutio impediatur, ut ipse planè clamat, & fatetur. Quare in hac re libenter censeo, arbitrorque Galeni doctrinam absolutè esse intelligendam: Nempe quòd in omni intemperie calida ventriculi jure optimo prohibuit absinthium, & quidquid adstringeret: ratio est manifesta; quandoquidem ipse pro curatione talis intemperiei adducit aquam frigidam, interdum nive refrigeratam, ut supra monuimus, quo habito unâ die, imo, & horâ unâ, fatetur curasse ægrotantes. Quo præhabito sic formo rationem, in tutelam firmissimæ doctrinæ Galeni: nam intensa frigiditas aquæ valet unire partes; ipsasque coarctare, seu condensare pro corroboratione, & impedimento exhalationis, seu resolutionis, quam intensa caliditas laxando partem, ipsamque attenuando, & rarefaciendo causat: ergo alia adstringentia superflua videntur: quandoquidem aqua frigida impedit resolutionem, & ipsa sola sufficit pro medela intemperiei calidæ. Et insuper alia adstringentia ad exsiccationem majorem, quàm expediret, conducerent: omnia ergo alia sunt vitanda, quippe intensè frigida auxilia complent utramque indicationem.

Cæterum in sicca intemperie potiùs laxantia conveniunt & sic jure optimo etiam adstringentia prohibet; at in calida & sicca intemperie aliqua moderatè adstringentia applicanda sunt; etenim cum medela frigidis, & humidis auxiliis sit procuranda, non potest fieri ita frigidis, ut exsiccent,

ficcent, ſed frigidis humectantibus; ſed quæ talia ſunt, non nniunt partes: ergo neceſſaria eſt aliqua adſtrictio in calida & ſicca diſtemperie, per moderata auxilia adſtringentia. Sed iuſtabis in ſicca intemperie adſtrictio non eſt neceſſaria: quoniam à ſiccitate morboſa, ſupponitur pars adſtricta præter naturam: ergo idem dicendum in calida, & ſicca intemperie. Reſpondeo diſparem eſſe rationem: quia in ſicca & calida intemperie ratione caloris inducitur laxitas, & rarītas quæ ad reſolutionem maximè diſponunt, & adſtringentia expoſtulat; at in ſicca ſola intemperie, cum non ſit calor laxans, neque aliquid ad reſolutionem conducens nulla eſt adſtringentium neceſſitas; ex quo Gal. doctrina manet inconcuſſa.

Circa caput quintum lib. cit. animadverſione dignum eſt, quod Galenus docet: nempè tempus calefaciendi, & infrigidandi eſſe quodammodo par; periculum verò impar. Hæc autem propoſitio, quoad omnes partes, quas continet difficilis appatet. Primò: quia ſpecies ſunt ſicut numeri in perfectione, iuxta communem Philoſophorum conſenſum, & hac ratione calor eſt perfectior frigore; ſed quod perfectius eſt in ordine ad operari eſt tale: ergo & calor; ſed hic non dicitur perfectior: quia pluſquam frigus in intenſione agat: ergo quia citiùs operatur; ac per conſequens tempus calefaciendi, & infrigidandi neutiquam poteſt eſſe par. Porrò quod periculum non ſit impar probatur: quoniam periculum debet procedere ratione intenſionis, magnitudinis, aut motis morbi; ſed non eſt aliquid in frigore ratione cuius ſit impar periculum: ergo ruit aſſertum Galeni: minor probatur nam cæteris paribus in intenſione, & parte affecta non debet judicari major morbus, in quo unus gradus caloris, quàm in quo unus frigiditatis excedit, aut econtra, cum ſit æqualis à naturali ſtatu receſſus, & ratione talis exceſſus magnitudo morbi eſt compenſanda. Vlteriùs, nec mos, aut malignitas morbi debet indicari maior per exceſſum unius, quam alterius qualitatis ex primis, quippè ſolùm immutatio eſt in una ex conſtituentibus temperiem, & non eſt ratio cur deterius ſit temperamentum naturale vexari per unam, quam per alteram qualitatem earum.

Pro prima ratione dubitandi communis ſolutio deducitur ex litera textus, in qua Galenus non docet tempus alterationis per calorem & frigus eſſe par abſolutè; ſed quodammodo par, quaſi diceret, etſi calefactio ratione perfectionis caloris aliquantulum citiùs fiat, tamen utraque alteratio quodammodo par eſt, id eſt, ferè eodem tempore celebratur: præcipuè cum inter humiditatem, & ſiccitatem ſit maior differentia. Contra inſtatur: quia licet hæc ſolutio ſit vera in alteratione facta cum reſiſtentia contrarij, in communiſſima ſententia, non tamen eſt unde conſtet citiùs fieri calefactionem frigefactione, adhuc reſiſtente contrario. Vrgeo eandem ſolutionem: nam ſi calefactio, aut frigefactio ſine contrario celebrentur reſiſtente, in inſtanti fiunt, ſed in unico inſtanti non eſt inæqualitas: ergo alteratio ab utraque qualitate ſaltim quatenus eſt ex ſe non ſit tempore impari; Doctor, & Sorius noſter Cæſaraugustinus citatus; in commentariis de methodo medendi fol. 56. in expoſitione huius text. tenet calorem, & frigiditatem in elementis, & cum in ſummo adſunt; eſſe inæqualis activitatis ac operationis; in mixtis verò de quibus loquitur magiſter Galenus quodammodo pares eſſe docet, atque ideò tempus caloris, ac frigoris quoad alterationem par quodammodo eſt; hoc eſt, aut eſt par, aut parum in tempore agendi diſtant huiuſmodi qualitates; & hac ratione exponit Galeni verba adducta circa calorem, & frigiditatem.

Hæc tamen expoſitio claudicare videtur: nam calor, & frigiditas ex eo quod ſubjectentur in elemento proprio, aut in mixtis, minimè mutant ſpeciem, ſed ſolùm diverſificantur ſecundum maiorem, aut minorem intenſionem, hæc autem in mixtis, etſi remiſſior ſit, nihilominus ſi in intenſione æquali conſideretur utraque qualitas, tempus in agendo erit etiam impar, & inæqualis activitatis; quippè ſi in elementis, conſideratâ caliditate, & frigiditate in ſummâ & æquâ intenſione, activitas eſt inæqualis quoniam calor activior eſt; ſic ſervatâ eadem proportione, & intenſione prædictarum qualitatum in mixtis, activitas erit inæqualis, & tempus alterationis impar; ruit ergo ſolutio à noſtro Socio adducta in defenſionem doctrinæ Galeni.

Circa ſecundum dubium, communis etiam ſolutio eſt magis lædi partem viventis à frigiditate, quam à calore cæteris paribus; quia frigiditas eſt qualitas magis violenta reſpectu viventis ex eo quod vita in calore conſiſtit; & ſic magis læditur vivens à frigore, quia directè contrariatur principio vitæ, quam à calore, qui ex ſe ad vitæ cuſtodiam conducit, hoc ipſum poteſt fulciri in communi Medicorum opinione aſſerentium, venenum conſtitui per qualitatem manifeſtam frigidam, Galeno authore 3. de ſimpl. medic. facult. cap. 23. & non per calorem; quia frigus principio vitæ opponitur directè, & minimè calor, quod ipſum in expoſitione docuit noſter Valleſius. Hæc tamen ſolutio non videtur firma; quoniam ex ea non manet ſolutum argumentum adductum probans non minùs vitiari temperamentum per unam, quàm per alteram qualitatem cæteris paribus; itaur gratis dicatur deterius eſſe alterari per frigus, quam per calorem, etſi unum venenum dicatur, & non alterum.

Reſpondere tamen poſſumus cùm doctrina, quàm cap. 13. huius lib. adducit Recentior noſtræ ſcholæ; nempè, quòd ſi ſolùm attendamus ad ipſam temperamenti mutationem, currit argumentum; at verò quia ſubiectum quodlibet, circa qualitatem excedentem, quam petit, maiorem latitudinem habet; hinc eſt quòd vivens cum expoſcat calorem excedentem, habet maiorem latitudinem verſus calorem, & conſequenter, quòd minùs lædatur à calore; quia alteratur intra latitudinem requiſitam, quòd non eſt nocivum; ſi autem per frigiditatem excedẽtem alteretur, cùm verſus ipſam minorem habeat latitudinem vivens, neceſſe eſt ut magis lædatur, & conſequenter periculum erit maius, ſi alteretur à frigore, quàm à calore, ut Gal. notificat. Hæc ſolutio ſupponit quòd eſt probandum, id ſcilicet de quò eſt difficultas; & licet verum eſſet non ſatisfacit dubio, quia ſupponit maiorem latitudinem habere vivens verſus qualitatem excedentem quàm expoſcit, quàm verſus aliàm, quod non probat: militat etiam contra ſuppoſitum ipſum argumentum oſtendens vivens tale temperamentum expoſcens, ipſum expoſtulare

determinatum ex talibus qualitatibus, ita ut non magis unam, quàm alteram qualitatem desideret ex his quæ componunt temperamentum requisitum, nec maiorem latitudinem obtineat versus unam quàm versus alteram: potiùs enim constat oppositum, cùm experientia doceat opera perfectiora petentia perfectiorem temperiem, minorem latitudinem habere circa qualitates proprias, quàm imperfectiora, & quæ minus perfectam temperiem exposcunt; quippe illæ operationes minori lapsu deficiunt, quàm imperfectæ: ergo ex eo quòd vivens petat calorem excedentem non sequitur maiorem latitudinem habere versus unam quàm versus alteram qualitatem. Et adhuc quamvis hoc esset verum non sequitur periculum esse impar inter calorem, & frigiditatem, quia hæc deterior qualitas sit; nam si minùs læditur pars à calore, quia calorem exposcit, etiam pars, quæ frigiditatem postulat, deberet lædi minùs a frigore; etenim sicut illa habet latitudinem versus calorem; ob eandem rationem hæc versus frigiditatem debet habere latitudinem: ergo non esset deterior alteratio à frigiditate absolutè, sed pro ratione partis alteratæ. Præterea: quia si hoc ita esset, cùm Gal. ageret de curatione ventriculi, & alterationes sint periculosæ propter partes vicinas, deterior deberet esse calefactio, respectu earum: quia plures sunt frigidæ ex propria natura, quæ iuxta hoc placitum maiorem latitudinem debebant habere versus frigiditatem; si quidem sunt plures partes membranosæ, & nervosæ, quæ frigidæ sunt, & usu frigidorum læduntur, ut docet Gal. 9 meth. cap. 5. adducens læsiones, quæ ex potione frigidæ fuerunt secutæ: ergo non ex eo quòd vivens exposcat maiorem calorem, latitudinem maiorem habet versus ipsum, nec ob hanc rationem debet lædi magis à frigore, quàm à calore, ac per consequens æquale debet esse periculum in utraque alteratione.

Nihilominus doctrina Gal. vera est, & intelligenda, non quatenus frigefactio absolutè sit deterior; sed ex eo quòd interdum frigefactio, & quandoque calefactio sit deterior pro ratione partis vicinæ, ut constat ex his, quæ cap. 13. huius libri dictat Gal. ostendens à temperie partis sumi indicationem, ita ut calidiora sint exhibenda medicamenta pro parte calida, & frigidiora pro frigida: ergo non læditur pars absolutè magis à frigiditate, quàm à calore. Periculum tamen est impar absolutè, in calefactione, aut à frigefactione ut notificavit Galenus: quoniam partes unam, aut alteram petunt temperiem, & sic unam, aut alteram naturam habent & cum alteratione, quà maximè læduntur, patiantur magis, quàm per contrariam, hinc oritur, quòd periculum sit impar. Dixit tamen esse impar: quia per frigiditatem partes possunt contrahere non levem alterationem: non quia alteratio à frigore absolutè deterior sit, ut tenent Recentiores interpretes, nec hoc voluit Gal. sed quia agebat de curatione ventriculi, & cum periculum esset ratione affectus, quem poterant contrahere partes vicinæ & hæc à frigore paterentur magis: quia membranosæ, & nervosæ sunt, iuxta illud Hipp. 5. aph. text. 18. *Frigidum inimicum ossibus, dentibus, & nervis, &c.* Hinc est quòd dixerit periculum impar: quia partes illæ vicinæ à frigiditate patiebantur magis, seu deteriùs, minimè verò: quia alteratio à frigore ex se, & absolutè deterior sit, nam dum iuxta partes ex sua natura calidas, debet fieri medicatio, ut si fiat iuxta hepar deterior erit calefactio: quoniam magis patitur hepar à calore, aut quia faciliùs est incidere in morbos similes, ut tenet cum Gal. Vall. noster 1. de simpl. medicam. facul. cap. 3. quòd verius est; aut quia aliquas peculiares alterationes ferant meliùs, & aliquas deteriùs: ergo periculum impar est in calore, aut frigore, non quia semper deterior sit alteratio à frigore, sed interdum ab una, & interdum ab altera qualitate: dixit autem à frigore, quia in tali curatione partes vicinæ nervosæ, & frigidæ cùm sint, à frigore magis læduntur. Præterea quia ipse Gal. 10. lib. meth. cap. 10. agens de hecticorum curatione inquit meliùs esse hecticum in marasmum frigidum trahere, quam sub hectica desinere: verba sunt sequentia: *Itaque curare hos quoque cum putrefactione expedit, ac in alterum transferre marasmum, quem jam nominare senium ex morbo insuevimus: licebit enim his, non tantùm plures dies, verùm etiam menses vivere.* Tunc sic: sed si absolutè esset deterior, & periculosior alteratio facta à frigore, non esset utile hecticos ad frigidum marasmum mutare: ergo adhuc absolutè periculosior est alteratio à calore, à quo acutiores, & periculosiores morbi causantur, quàm à frigiditate: debet ergo intelligi Gal. præcise ratione damni, quod partibus vicinis communicatur, quod erit deterius, prout pars est aptior, ut alteretur ab una, aut altera qualitate, ratione cuius periculum impar est, & cùm partes proximæ ventriculo aptiores sint ut à frigiditate alterentur, hinc oritur quòd dixerit Gal. deteriorem noxam sequi ex alteratione à frigore facta; non verò quia de qualibet parte absolutè hoc possit intelligi.

Insuper dictavit Gal. inter humiditatem, & siccitatem curandam tempus esse impar, & securitas par. Contra quod militat ea, quæ dicta sunt de calore, & frigiditate: nam sicut inter ipsas duas qualitates datur diversitas specifica, & hoc non obstante tempus est quodammodo par, & securitas impar, pro diversitate partis patiendæ iuxta Gal. normam sic debebat philosophari, inter humiditatem, & siccitatem; nec apparet ratio cur plus temporis ad humectandum requiratur, cùm inter ipsas imperfectior, seu minùs activa qualitas iudicetur à Philosophis siccitas.

Communis solutio in eo stat, quòd per siccam intemperiem curandam non debet intelligi ex Gal. pars siccitate tantummodò affecta, nam si hoc ita esset argumentum haberet vim; sed potiùs per siccam intemperiem, debet intelligi pars sicca ex defectu substantiæ naturalis humectantis, iuxta diversas siccitatis species à Gal. adductas; unde cùm talis siccitas sit medicanda per repositionem humidæ resolutæ, & talis repositio difficulter fiat, & pluribus transmutationibus intermedijs celebretur: hinc est quòd humida temperies difficile inducatur, quæ valeat siccam intemperiem auferre: At verò humida intemperies cùm eveniat per aliquam substantiam præter naturam existentem, quæ valeat humectare, & eius curatio per consumptionem talis substantiæ fiat; inde oritur, quòd faciliùs, & brevius possit curari humida intemperies, quam

sicca,

sicca, quoniam faciliùs vi medicamentorum substantia aliqua resolvitur, quam alia humida naturalis adqoiritur, etenim hoc plures in nobis supponit alterationes, & transmutationes, quæ tardiùs fiunt, quàm resolutio, quæ nollas transmutationes supponit, & sic brevius fit, ac per consequens tempus humectandi, & exsiccandi est impar; periculum vero est, urpote medicamenta pro his intemperiebus curandis parum activa sunt, & sic remisè possunt alrerare, & immutare partes vicinas.

Hæc tamen solutio non videtur cohærere cum doctrina adducta Galeni: nam cum loquatur de intemperiebus curandis, de ipsis debebat loqui æqualiter, & sic cum de frigida, & calida sermonem instituit per alterationem à frigiditate, & à calore medicari tenet, & dum de aliis profert tardiùs curari, minimè fatetur, id esse per transmutationes mediantes, sed quia minùs activæ sunt. Verba Galeni perpendite. *Facillima ad curandum alterationes sunt, quæ ex calido & frigido consistunt, propterea quod maximè activis qualitatibus corriguntur. Ægrius curantur quæ in humido, siccoque habentur, quod imbecillibus, & (ut sic dicam) magis materialibus qualitatibus eorum curatio perficitur*: ergo est iotelligendus Galenos de intemperiebus, prout significant partes contraria remperie affectas, & prout debent per alterationem contrariam curari; sad hoc modo occeptâ Galeni doctrinâ habet vim argumentum ostendens idem esse philosophandum de humiditate, & siccitate, ac de aliis duabus primis qualitatibus: ergo sicut in illis tempus est quodammodo par, & periculum impar; idem debet haberi, & in humiditate, & siccitate. Præterea: nam si intemperies sicca difficiliùs, & tardiùs curatur, qaia consistit in defectu substantiæ, & propterea tardiùs celebrantur transmutationes requisitæ ad rehumectationem; sequitur etiam periculum esse impar, inter humiditatem, & siccitatem, quemadmodum est inter calorem, & frigiditatem. Probatur assumptum: nam in his periculum est impar; quia aliqua qualiras potest propter aptitudinem partis, intensiùs alterare partes vicinas; sed etiam medicamenta exhibenda pro humida, aut sicca intemperie, possunt, & debent inæquali periculo alterare: ergo: minor probatur, quippe tunc est impar securitas, cum effectus productus à medicamento in partibus vicinis, pro intemperie humida curanda, est periculosior, quàm quæ à medicamento pro intemperie sicca curanda inducitur: ergo periculum est impar. Vltima mioor soadetur: nam medicamentum pro humida intemperie curanda est exsiccans, & resolvens substantiam humidam, medicamentum verò pro intemperie sicca delenda est humectans substantificè; sed deterius est partes vicinas exsiccari, & resolvi humidum ipsarum, quippe hoc tandem iosanabile redditur authore Galeno cap. 5. quàm partes vicinas humectari sive substantificè, sive qualitativè, utpote hoc potest mederi: ergo securitas non est par in curatione humidæ, aut siccæ intemperiei, si intelligitur per siccam intemperiem, pars sicca per defectum partium humidarum, & humida per excessum.

Veriùs tamen dicendum videtur, in omnibus intemperiebus curandis eodem modo esse intelligendum de partibus sicca intemperie affectis, ac calida, aut frigida, & de medicamentis pro ipsis; verum tamen est calorem, & frigiditatem ferè æquali tempore agere, securitate tamen inæquali; econtra humiditatem, & siccitatem: de securitate inæquali caloris & frigoris dictum est; de securitate æquali humiditatis, & siccitatis constat, cum parum activæ sint hujusmodi qualitates, & remissè valeant alterare; unde non est periculum considerabile, in utraque alteratione, quod non posset intelligi de medicamentis pro resolutione facienda conducentibus ad exsiccandum, si sicca intemperies in defectu partium deberet consistere. De paritate temporis est major difficultas; nam si ratione diversitatis specificæ eveniat diversitas, & hoc deberet intelligi ratione resistentiæ, ita ut cum ipsa citiùs ageret calor, non ita frigus, etsi parvâ diversitate, propter quod quodammodo pari tempore agunt; idem deberet currere, de aliis duabus qualitatibus, & ita quòd breviùs ageret humiditas, quia perfectior, quod est contra Galenum. Vlterius: nam si ratione diversitatis specificæ esset, ex eo quod passum contrariam qualitatem haberet, aut secus, non tolleret id, quod de intrinseca perfectione habebat, quælibet qualitas; sed sic est, quod deficienti contrario omnis alteratio fit in instanti: ergo produci breviùs, aut tardiùs non oritur ab intrinseca perfectione sed ex alio capite rimari debet intrinseca, & diversa perfectio, cum ipsa nunquam debeant privari. Totum hoc perit solutionem illius communis difficoltatis à Philosophis positæ, & à Galeno adductæ in hoc capite; scilicet unde eveniat, perfectiores esse calidam & frigidam intemperiem & faciliùs curari, quia magis activæ qualitates sunt, id est cur minùs activæ, itaut passivæ qualitates appellentur, & tardiùs auferantur: nam si ratione diversitatis specificæ eveniret, tardiùs deberet operari imperfectior; quod non constat, cum omnis alteratio fiat in instanti, dum nullum adest contrarium; & defectus contrarii non tollat diversitatem specificam earum, & perfectionem à tali diversitate procedentem. Respondetur imperfectionem, aut perfectionem majorem non stare penes id, quod una celeriùs alterâ operetur, existente contrario, nam hoc non constat, & gratis dictum apparet, & hoc si de natura qualitatis esset, semper esset: constat ergo perfectiorem esse qualitatem, quia plus sui producere valet in passo. Imperfectior verò quia non potest tantam intensionem producere, quod experimento constat, plus scilicet caloris produci ab agente summè calido, quàm à frigido intensiori, cum non possit perseverare manus juxta ignem, & possit juxta quodlibet agens frigidum, aut cum minori molestia: ergo est quia perfectior qualitas plus valet agere; humiditas vero, & siccitas ita imperfectiores sunt in agendo, non quidem quia tardiùs, sed quia ita remisè agunt, ut nunquam videatur summa, aut vehemens humectatio facta ab aliquo agente humido; nec vehemens exsiccatio ab aliquo agente absolutè sicco, ni forsan calidum sit; quod ita verum judicat Noster Vall. 5. de simpl. med. facult. cap. ult. ut asserat calidum, & frigidum, posse ut quatuor esse talia, quia possunt vehementer alterare; humidum vero, & siccum non ita; quippe non possunt vehementer alterare; illa vero nisi summè calida fiat id facere nequeunt: ergo imperfectior est qualitas, quia in minori intensione, potest alterare

quàm

quàm alia five fit contrarium, five fecùs; non quia tardiùs. Favet huic fententiæ Galenus cap. cit. in quo poftquam dixit, quæ fint, hoc, aut illo gradu talia, inquit, neque effe fummè ficca, nifi ucant; id eft non dari ficca, quæ fummè exficcent, nifi tatione caloris utentis exficcatio accidat, ac per confequens calidam, & frigidam intempetiem faciliùs curari; quia activæ magis funt tales qualitates; difficiliùs verò humidam, & ficcam, quoniam minùs activæ funt humiditas, & ficcitas, id eft, quia remifsè valdè agunt ex propria natuta, periculumq; eft impar, in illis in quibus eft magna alteratio; non verò in aliis, quippe patum activæ funt; tempus etiam eft par in calore, & frigiditate proptee minimam in agendo differentiam; impar verò in humiditate, & ficcitate; non præcisè, quia ad productionem fui effectus fit diverfitas, fed quia ut confequatue, funt neceffatiæ tranfmutationes plures ad humectandum; cuius tatio in eo ftat: quia licet exficcatio per humiditatis productionem auferatur, cum non poffit talis productio fieri, nifi reponatur altera fubftantia humectans, per cuius defectum refultavit; hinc eft quod exficcatio non poffit curari nifi mediis tranfmutationibus conducentibus ad generationem illius fubftantiæ refolutæ humectantis: dixi humectantis five humidam fubftantiam repacantis, quia cum tales qualitates remifsè activæ fint, non poffunt alio modo humidam reddere partem vehementer, nifi per multitudinem pattium humidarum; ideoque quatuor humiditates mediare ad nutritionem recipiunt unanimiter Medici cum Avec. quia illæ fubftantiæ humiditatem naturalem confervant, & fic fpecies diverfas ficcitatis, per diverfam humiditatum confumptionem explicat Gal. cap. 6. lib. citati.

Sed dices: ergo curatio humidæ intemperiei, & ficcæ debet celebrari medicamentis conducentibus ad reparationem per ficca, & ad refolutionem per humida; ac pee confequens fecuritas non erit in curatione par. Refpond. hoc non effe neceffarium per fe ad exficcarionem; nam licet ad exficcationem præter naturã hoc requiratur, quia maior eft neceffatia alteratio, quam non valet facere ficcitas per fe; ad humiditatem præter naturam aufetendam fufficiant medicamenta per fe exficcantia, ut docuit Galenus c. 9. & talia auxilia refolvere non valent; ac pet confequens curatio æqualis ficcitatis eft per fe in humida, & ficca intemperie. De aliis ficcitatis gradibus agit Galenus: cæterum quia in noftro tractatu de febribus, de illis egimus, in opere præfenti dicta fufficiunt.

Nec omittam id quod de vino docet Galenus (etfi de ipfius differentiis, & tempetie dixerimus tract. noftro de aliment. facult.) propter fpeciale dubiolum, quod fe offert: an fcilicet in Senibus utilius fit ipfum vinum propinare merum, an potiùs aquà dilutum, dedit occafionem dubitandi Galenus in hoc cap. 7. lib. 7. ubi de vino loquitur, & firmiter tenet vinum vetus convenire frigidæ, & ficcæ intempetiei, & eò antiquius, quò frigidior fuerit paes, ita ut amarum non fit, nam tale immodice deficcat; confonat idẽ Autb. 4. de fimpl. med. fac. ubi docet, vina, quò antiqiora, eò effe calidiora, & quò magis talia, amata, & fic quamvis antiquum vinum commendat, non tamen itaut amarum fit.

Recentior tamen noftræ fcholæ, circa hanc rem afferit, quod cum vinum merum facultatem tequirat robuftam, folùm in ætatibus in quibus poffit commutari exhibendum effe docet; fenibus verò aquà dilutum effe propinandum; & adhuc fi vinum merum fit exhibendum facultatem non debilem tequitete air, alias non commutabitur, fed potiùs corrumpetur, & exficcare valebit, & corpus excrementis teplebit; quare ipfum aquà dilutum præbete utilius iudicat, in Senibus, & debilibus corporibus, quippe fic faciliùs commutatur, & commoda à Galeno adducta fequuntue ex commutatione ipfius, quia & calefacere valebit, & materiam pro fpiritibus generandis præftabit.

Tamen etfi negare non poffimus, vinum aquà dilutum plurihus convenire, plufquam merum; non tamen caret difficultate cur merum vinum non fit exhibendum cuilibet, & quare aquà dilutum convenire poffit, quibus merum non eft utile. Recentior citatus convenire aquà dilutum fenibus, & non merum inquit: quia cum imbecillis fit eorum victus, non valent vinum merum commutare. Cæterùm contra hanc doctrinam ftat Galenus, qui exprefsè 7. cap. fic ait. vinum autem eligendum femper eft antiquum, eòque antiquius, quò maior fuerit frigiditas: ergo fi defiderat, & confulit antiquius pro maiori frigiditate debellanda, & corrigenda, non oportebit ipfum propinare dilutum: in cuius confirmationem perpendite verba, quæ adducit idem Author. 5. de fanit. tuend. cap. 5. *fanè vinum, ut Pueris eft alienißimum; ita Senibus eft aptißimum: efto autem id ex eis qua calidioris natura funt.* Et inferiùs adducens regulas eligendi vinum, ait, *fit fubftantia tenuißimum, & colore flavum: calidißimum autem, fi colorem fpectas, flavum eft:* ergo de fententia Galeni fenibus vinum aqua dilutum exhibendum non eft, cum calidiffimum defideret; totum quod magis explicat, dum refert utilitates, propter quas exhibendum eft, fic ait: *Vinum igitur illud maximum commodum Senibus prabet: quia omnia eorum membra calefacit, & per urinas, ferum fanguinis expurgat:* & infrà dum vinum album commendat, eft, quando cibus ante Balneum præceffit, fi fuerit fitis locu aquæ ad diftributionem eius, totum quod tranftulit. Av. fol. 3. lib. 1. doc. 4. cap. 3. quo in loco ut etiam tenent in expofitione Iacobus, & Geotilis, vinum calidius pro fenibus commendat, ac per confequens minimè dilutum, aquofum verò cum folùm diftributionis fit neceffitas.

Ratione etiam fuaderi poteft hoc affumptum: nam vinum poteft exhiberi, ut calorem partibus communicet, ut medicamentum, & ut alimentum. Primum meliùs fit per vinum merum, qum meliùs completur indicatio: ulteriùs ut alimentum etiam magis conducit merum vinum, quia in fubftantiam calidiorem tranfmutatur.

Si refpondeas non poffe converti in fenibus, quia ipforum calor non valebit alterare vinum merum. Contra inftatur folutio: quia ipfum antiquum; & quo maior eft frigiditas ventriculi, antiquum commendat Galenus: ergo iudicat, non obftare calorem vini, ut poffit commutari, & converti à fenibus. Nec valet fi ulterius Refpondeas: propinari tunc à Galeno ad calefaciendum & minimè pro nutrimento. Nam contra inftatur: quia Galenus, docet ventriculum effe calefaciendum, ita ut calor in qualitate non intendatur, fed temperamentum fervetur, & fubftan-

sia

tia augetur, quod vino & aliis auxiliis, seu medicamentis fieri fatetur: ergo vinum antiquum quod exhibet, est ut nutriat, & ut substantiam calidam augeat. Audite Galenum, cap. 7. *Et calefacere ventriculum, ita ut in qualitate calorem non intendat, sed quàm maximè naturale eius temperamentum tuearis, ac substantiam inaugeas; efficit hoc invicta simul cum dictis, maximè vinum.* Ex quo patet vinum merum in frigida intemperie posse converti: præcipuè cum negari non possit, saltem secundum partes secundum quas est in potentia, posse alterari, & transmutari: ergo vinum merum adhuc senibus est utile dummodo ratione morbi non sit aliqua contraindicatio.

Præterea; nam si vinum merum non potest coqui, neque est utile senibus, neque aquâ dilutum erit utile; probatur: nam per admixtionem cum aqua, non tollitur calor naturalis vini: ergo si calor ipsius impedit, alterari à senibus, ita ut non convertatur; etiam si vinum aquâ diluatur, non poterit alterari, neque converti; etenim mixtio cum aqua solùm facit ipsum vinum alterari à frigiditate aquæ; sed talis alteratio non tollit incapacitatem, quam habet vinum, ut possit alterari suprà suam intensionem: ergo si merum non potest converti, neque aquâ dilutum; minor probatur: nam vinum non convertebatur merum, quia calor viventis non valebat suprà calorem vini sufficienter agere, victoriosa actione; sed quamvis ab aqua refrigeratum sit vinum, nihilominùs calor noster non poterit agere ultrà id, quòd antea agebat in vinum; atqui antea ipsum non valebat commutare: ergo nec postea: suadetur minor: nam id quòd producitur à viventi in vino aquâ diluto, est id, quòd fuit ab aqua ablatum; sed id est debitum ex propria natura, & propria forma vino: ergo illud minimè conducit ad conversionem; suprà intensionem debitam non potest vivens agere, ita ut commutet: ergo si antea non potest, numquàm poterit; aut semper poterit, ac per consequens, si vinum merum non convenit senibus, neque dilutum convenit; & si dilutum commutatur, merum etiam commutatur; & cum ex alia parte vinum antiquum Gal. concedat, merum etiam concedendum est, ut utile; tamen in parva quantitate, aut moderata, ut suffocare non valeat imbecillum calorem viventis; ita enim calor nativus conservabitur, & spirituum fiet nova generatio, ut vivens possit perfectè suas elicere functiones. Aliter enim sic loquitur Vall. Noster, lib. de Sacra Philosophia. Iam verò nihil arbitror stultius quàm senibus vinum meracum abundanter propinare; corpus enim replet crudutatibus, innumeros parit morbos, & mortem properat.

CAPUT XVI.

Quomodo se debeat Habere Medicus cum Plures incurrunt indicationes in curatione morborum.

SI perpendamus Galenum lib. 7. meth. cap. 12. inveniemos normam, quàm debet Medicus observare, cum plures se offerunt indicationes, in morborum medela: verba Gal. sunt sequentia; *Respiciendum esse an aliquod ex aliquo immineat periculum, quod vocat urgere, & quod alterius sit causa, & quod ante aliud auferri non possit, nam urgentiori est occurrendum; sin minus causæ, si autem aliquod ante aliud nequit curari, ad id quod ordo dictat.* Quibus verbis videtur primò urgentiori, secundò causæ, 3. conditioni esse occurrendum: dicitur conditio sine qua non, id quod impedit alterum, ante ipsum auferri; non tamen est ita, neque hoc nos docet Gal. nam per illa verba; *ad id quod ordo dictat est respiciendum.* Manifestè explicat, si unum ante aliud non potest auferri, ad id quòd ordo dictat est respiciendum; id est auferendum est priùs id quòd impedit tolli alterum, seu ante alterum tolli petit; si atendamus, primò urgentiori est occurrendum, & deinde causæ: pro cuius intelligantia in ipso ventriculo posuit exemplum Galenus: dicens, si humor à capite in ventriculo fluat, & intemperiem causet, & humor præterea imbibatur in tali causa: non dubitat intemperiem esse præcipuum indicans sui ablationem, per ablationem causæ id est per ablationem vitij capitis talem fluxionem causantis: nam inquit, *Vbi aliud efficiens est, aliud quod ab eo efficitur, ipsa causa est spectanda.* Si autem supponamus maximam esse quantitatem humoris in ventriculo contenti: & deinde ab ipso humore contento, morsum excitari, syncopen, aut animi deliquium, ante ablationem talis accidentis, nulla potest fieri medicatio; quippe viribus deficientibus nihil fit, & sic primò accidentibus illis occurrere debemus, id enim ordo dictat, ut id auferatur priùs, sine quo alterum auferri non potest; præterea urgentiori, ut tandem deveniamos ad causam; vocat urgentius Galenus, quòd maximum est inter indicantia, & cum dixerit sopponẽdum esse maximam humoris quantitatem; illam dixit urgere; et ipsa imminuta, à causæ ablatione curatio perficiatur, pro qua non est intelligenda causa immediata tantùm, sed causæ omnes, quæ talis effectus sunt; nam cum sanari non possit, quin eius causa auferatur, si illa ab altera dependeat, neque tolli poterit, quin etiam altera auferatur, & sic de cæteris, donec in primam illius generis deveniamos.

Porrò ut id quod urget percalleamus, (inquit Gal.) cognoscendam esse magnitudinem morbi nam ab ipsa sumi urgentiam censet. Sic ait, *atque in esse curationis consilio quod ab urgente initiatur, affectus magnitudo perpendenda est*; quo ordine curationem esse incipiendam ab urgentiori docet; id est à maiori morbo, pro quo non est intelligendum, ita ut ab illo morbo debeamus incipere curationem, ut remedia directè cum ipso opponantur: hoc enim non est ita; nam pluries in vanom, & præter rationem operaremur; sed incipere ab ipso; est incipere ab eius ablatione, eo modo, ac auferri petit ipse, vel per causæ ablationem. Ideoque inquit Gal. dum aliquid ante aliud curari non licet, ad id quod ordo dictat est respiciendum; quod fiet manifestum, si attendamus quòd Galenus, ut explicet, quid urgeat magis, postquàm à magnitudine morbi sumi urgentiam docuit, loquens de intemperia regulariter auferenda in primo casu, sic postea loquitur. *In huiusmodi explicationali dignitate, maior est intemperies*, & infrà adducens quòd urget, & quod ante aliud medicari ex postulat, inquit: *Constas igitur primum esse adhibendum*

adhibendam curam, ut ei quod vires resolvit occurratur; deinde quoniam omnium maximum, propria essentia ratione hoc fingimus, utique ad id primum te verteris; ubi id mediocriter se habuerit, ac nec vires ampliùs habent, nec plurimùm vitiosi succi in ventriculo sit, tunc nimirum ad causam accedes. Quibus verbis manifestè docet urgentiam majorem sumi à magnitudine majori affectus complicati, cui primò occurrendum, si non sit aliud, quod ante ipsum afferri expostulet; & his deficientibus causæ morbificæ occurrere debemus; ex quo patet, propriæ rationem conditionis habere, quando auferri ante alia exposcunt (aliàs non consequeretur sanitas), rationem verò urgentis, alter affectus habet, quando si regularem curationem spectamus, priùs potest interficere, aut cum periculo lædere; curationem vero regularem habet morbus, indicatione sumptâ à causa, cum nullum accidens auferri priùs petit, neque alter affectus est periculum minans, ante causæ ablationem.

Dubitant circa hanc rem cum Argenterio Recentiores, an hujusmodi curationes adductæ à Galeno differant inter se, etenim videtur curationem regularem factam à sublatione causæ morbificæ, esse à conditione sine qua non, cum sine illa non possit morbus auferri, quod idem de urgentiori dici potest: ergo una est curatio. Præterea quoniam regularis curatio debet nominari illa, quæ secundum regulas artis celebratur, sed quæ ab urgentiori incipit, aut à conditione, etiam fit secundum regulas artis quippe ita fieri expostulat quælibet: ergo omnis debet nominari curatio regularis.

Vera tamen est Galeni doctrina, quæ docet, diversas esse curationes ab ipso supra adductas; nam regularis, & methodica curatio est illa morbi ablatio, quæ per ablationem causæ celebratur: ergo ex propria natura, morbus, qui curari exposcit ablationem causæ indicat, dummodo à causa dependeat; Vnde ille est modus regularis, & primus in cujusque morbi curatione, qui per ablationem causæ fit; at verò morbus, qui aliter curatur, non medetur regulariter, sed præter communem ordinem, & naturalem, & talis curatio dicitur coacta, sive sit ratione urgentiæ, sive ratione conditionis sine qua non; sunt tamen hæ duæ curationes diversæ, prout illa, quæ ratione urgentiæ fit, periculum respicit præcisè ab affectu urgente, quæ verò à conditione, non periculum conditionis per se, sed ipsius morbi, quem intendimus curare, impedimentum respicit; finge igitur (exempli gratiâ) ulcus cum inflammatione, aut sordibus, & fluxu sanguinis existens: tunc sic, ulcus ipsum est quod curandum proponitur, quod si aliis accidentibus non est complicatum, præcisè ratione illius, aut unio, aut generatio carnis intenderetur, si à nulla causa procederet; sin minus à sublatione causæ inciperet curatio regularis; cum verò fluxio sanguinis cum inflammatione, aut sordibus est, tunc inflammatio, & sordes, ulceris curationem impediunt; quia neque unitio, neque carnis generatio, illis existentibus, potest consequi: debet ergò conditio hæc prius auferri. Si tamen sanguinis fluxus perseveret, vires cadunt, & urget priùs ipsas restaurare, ne vivens pereat antequam curatio perficiatur: ergo hujusmodi Indicationes à Galeno assignatæ differunt modo explicato.

Ex dictis ergo examinare oportet, quæ sit illa, quæ majorem vim obtineat, & priorem locum semper in curatione habeat; etenim hucusque & ab urgentiori esse incipiendum, dictum jam est, & à conditione, & videtur semper à conditione esse incipiendum, quippe conditio est sine qua non, quia sine illius ablatione, nequit celebrari curatio: ergo ab illa semper debemus incipere. Ex alia vero parte, quod urget est à quo instat, seu imminet periculum: ergo ab urgentiori debet initiari curatio. Præterea; nam docet Galenus urgentiam esse sumendam, ex morbi magnitudine, sed magnitudo est triplex Galeno ipso authore: ergo restat examinare, à qua magnitudine sit incipiendum, cum ipsa sit quod magis urget in morbis. Si respondeas à majori, seu intensiori magnitudine sumi urgentiam. Instatur solutio, nam in primis restat scire, quæ sit major ex tribus; & adhuc restat examinare, si ratione alicujus conjuncti, aut ex se sint æquales, à qua ex illis sit incipiendum, seu, quæ sit, quæ magis urget.

Respondeo principali dubio curationem semper incipiendam esse à conditione, si conditio sit, respectu illius, quod urget; si autem respectu illius, quod urget, non sit conditio, urgentiori est occurrendum priùs, & deinde conditioni, quæ respectu affectus principalis est talis: cujus ratio est manifesta; nam si id quod magis urget periculum demonstrat, ei est occurrendum; si tamen ipsum non possit afferri sine ablatione conditionis, prius est auferenda conditio; etenim quoad hoc eodem modo se habet, ac si alterius affectus conditio consideretur; ut in febre aliqua si talis detur urgentia, quòd judicemus, quòd si medicamentum expurgans ante coctionem non propinetur, vivens non possit coctionem peragere; tunc igitur urgentiæ ratione, medicamentum expurgans exhibemus; si tamen alicui existat durities, & inobedientia ventris, conditio quædam est, sine qua nõ potest exerceri purgatio: nam quamvis medicamentum expurgans exhibeatur, frustabitur ejus effectus; debemus ergo primo occurrere conditioni, per medicamentum alvum emolliens scilicet per clysterẽ, postea urgentiæ, & tandem affectui principali per sublationem causæ. Si verò conditio non sit respectu urgentiæ, sed principalis affectus, ut quando cum ulcere reperitur inflammatio, seu sanguinis fluxus; primò fluxui sanguinis urgenti debemus occurrere, deinde inflammationi, & tandem ulceri: ex quo prima difficultas soluta manet.

Ad secundùm dicimus, illam magnitudinem morbi exposcere priùs curationem, ex qua majus periculum immineat, quod est contingens in quacumque magnitudine, si autem æqualiter urgeant, aut una est causa alterius, vel ad invicem sunt causæ, vel nulla; si primum accidat, illi, quæ rationem causæ habeat, est priùs occurrendum si alterum ex dictis accidat, mixta debent applicari auxilia, ut pro ambobus occurramus.

Circa solutionem eorum, quæ adducta sunt, ostendentia non esse diversas curationes adductas à Galeno: Respondent Recentiores nostræ scholæ cum Prim. C. in suis manuscriptis: esse diversas curationes: quia conditio aufertur, ut alter morbus curetur, non quidem per se, aut indicatione sui: quod verò urget, indicatione sui, & per se aufertur, non ut alter affectus curetur.

Funda

Fundamentum est : nam sæpè numeto utitut Medicus medicinis pro auferendo affectu urgente, quòd noceat, pro principali affectu : ergo curatio ab ntgentiuri, non est, ut alter affectus sanetur, sed pro se ; curationem verò à conditione differre à tegulari curatione, quia illa non fit per ablationem influentis in affectum ; regularis vetò maximè. Hæc solutio etsi quoad hoc ultimum vetitatem habeat aliquam, si intelligatur non solùm de vero influxu, in genere causæ efficientis ; sed etiam occasionaliter, quatenus occasio est, ut alter affectus oriatur; ut debilitas ventriculi occasio est doloris capitis ; at quidquid sit de hoc in distinctione adducta, inter curatiooem factam ab ntgenti, aut à condirione, noo solvunt difficultatem : nam omne quod prærer naturam est, sui ablarionem petit per se; sed quælibet conditio pro qua operatur in curatione est præter naturam:ergo indicat sui ablationem per se, etsi necessaria sit, ut morbus curetur, quod idem debet teneri de urgenti : nam si indicat curatiouem per se, quia quid præternaturam, cum mortis periculo est, etiam ejus ablatio est necessaria, ut alter motbus curetur : ergo similes curationes sunt. Neque hoc quod est lædi morbum pluries per medicamenta exhibita, propter urgentiam, probat curari magis per se, quod urget, quàm conditio, ut de sevo hircino, in dysenteria applicato docuit Galenus lib. 12, meth. cap. 1. pro doloris ntgentia, etsi cum ulceris nocumento ; nam in nostto capite 12 agens Gal. de conditione impediente saoationem ulcetis, de phlegmone scilicet, in quo aliquando medicamenta exhibita pro condirione præsenti affectui, interdum lædunt, debet esse cum inflammatio impedit curationem ulceris;quia quæ inflammationem tandé tollunt; resolventia sunt, & ipsum ulcus laxant, & adhuc tepellentia,quæ in principio applicantur frigida,inimica sunt ulcetibus.Auth.Hipp.5.Aphor. text. 20. ergo ea quæ pro cooditione ponuntur etiam possunt taliter esse pro ipsa, ut morbus post habeatur ; & adhuc in cutatione regulari, hoc etiam apparer, quòd sæpè medicamentum pro causa propinatum pro morbi curatione, morbo per se noceat, etsi per accidens pro sit, ut prodest id quod pro condirione, aut urgentia ponitur per ablationem eorum ; ergo hæc ex parte curationis minimè differunt. Suadetur antecedens, dum medicamentum calidum ad evacuationem, seu resolutionem humoris calidi, morbum calidum causantis præbemus. Differunt ergo huius modi curationes, quatenus regularis medicário fit per naturalem modum auferendi effectum ; coacta verò non ita, hæ autem differunt, quatenus, ut dictum est, indicatione sui solùm curatur quod urget ; Conditio verò etsi per se petat auferri, ut auferretur, si sola esset satietas,non indicatione sui præcise,sed ratione periculi, quod imminet morbo ex ipsa, si non auferatur. Unde infertur, quod licet optimum consilium sit operari pro vrgentiori, altero non neglecto, interdum tamen ita pro urgentiori operari expedit, ut alterum negligatur: sic fecit Gal. lib. 12. meth. cap. 1. incuratione doloris in disenteria, quando hircinum sevum jussit applicari, cuius verba sunt sequentia. *Atque id est contra symptoma instare, morbo ad id tempus neglecto* : Quod etiam in convulsione ex punctura procedente fit, dum nervum scindimus, & adhuc in nostto capite, dum phlegmonis curationem in ulcere adducit ; ergo pto urgentiori, aut pro conditione operari expedit, interdum altero neglecto, cum verò altero non neglecto dictavit Gal. esse operandum 4. meth. cap.9. debet intelligi saltim quoad tempus subsequens, atque ideo cap. 1. lib. 12. dixit *morbo ad id tempus neglecto*.

Cœterùm cum ex morbi magnitudine, debeat indagari utgentia restat examinare, qua ratione morbus dicatur magnus. Gal. enim in hoc capite tres esse motbos magnos dictactavit ; unum ex propria essentia, alterùm ex læsæ actionis præstantia, & tandem tertium ex facultate nostrum corpus gubernante; lib tamen meth. 4. cap.6.etiam tripatrtum dedit magnum morbum, unum ex propria essentia, alterum ex principatu partis, & tandem tertium ex malignitate, seu cacoetia ; quibus verbis videtur diversa membra aduxisse ; etenim lib. 4. adducit morbum magnum ex malignitate, & lib. 7. adducit alium ex principatu pattis. Pro cùjus intelligentia notare expedit : motbum magnum ex cacoetia idem esse, ac læsæ actionis præstantia; si quidem non esset magnus, nisi præstantem læderet actionem ; morbum vetò ex principatu partis, idem esse ac motbum ex facultate nostrum corpus gubernante ; si quidem facultates gubernantes corpus in partibus principibus resident, & sic idem significatur, sive ratione partis, sive ratione facultatis magnitudo morbi constituatur, ac per consequens eadem membra morbi magni, in utroque casu nattavit Galenus.

Dices morbum magnum ex præstantia actionis læsæ, idem est cum morbo magno ex facultate nostrum corpus gubetnante, quippe non est alia actio præstans, seu excellens, præter illas, quæ à facultatibus gubernantibus celebrantur : ergo non differunt. Ulteriùs nam etiam morbus magnus ex propria essentia est talis propter læsionem magnam, quam præstat ; sed non est læsio magna, quin actio aliqua princeps lædatur: ergo non differt hæc magoitudo morbi ab alijs.

Pro prima dubitatione nostræ scholæ Recentior in suis manu scriptis duplicé tantùm magnitudinem morbi concedit eum Nostro Patr. Gal. aliam quidem ex propria essentia desumptam ; aliam quidem ex principatu pattis seu ex facultate gubernante, sivè eius actione læsa, cum non sit diversum principium magnitudinis in aliquo ex tribus à Galeno enumeratis;quoniam illa, quæ accidit ratione partis, propter læsionem, quam præstat in ipsa talis dicitur, & non est alia læsio in parte, & facultate, quàm in actione, & sic idem principium magnitudinis est, etsi per diversa nomina significetur ; & quidem hoc poterat corroborare Recentior citatus ex Gal.l.8.meth.c.9.in quo, solum duplicem magnitudinem in morbo adduxit per sequentia verba. *Porrò nihil in contrarijs indicationibus tam conveniat expendi, quàm magnitudinem eorum, quæ ad indicationem coierunt, quam duplicem esse ostendimus. Alteram, quæ ex ipsorum, quæ indicantur dignitatibus, censeatur. Alteram, quæ ex ipsorum proprijs substantijs, spectatur.* Ergo ex Gal. mente duplex tantùm motbi magnitudo est adstruenda ; altera ex propria essentia ; altera verò ex dignitate actionis læsæ, sive partis,sive facultatis guberoantis. Vnde satisfacit secundo argumento : dicens motbum ex propria essentia

magnum differre ab alio, quia cum magnitudo sumatur propter magnam læsionem, & possit esse magna læsio, eo solùm qoia morbus sit in parte principe, quæ non esset, si in ipsa non firmaretur, hinc est quod talis magnitudo debeat esse diversa.

Veriùs tamen est triplicem morbi magnitudinem esse distinguendā iuxta Gal. expressam doctrinam loco cit. differunt tamen: quia morbus ex propria essentia magnus dicitur, qui ex se talis est ubicumque repetiatur ut si magna caloris iotensio sit in pede, magnum constituet morbum non quidem propter præstantiam actionis læsæ; sed propter præstantem læsionem, quam causat: quippe cum magna sit intemperies, magnā debet facere læsionem in parte, in qua stabulatur. Dum vero magnus est morbus propter præstantiam actionis læsæ, aliquid peculiare importat in actione, ratione cuius præstans, aut excellens dicatur, & ratione cuius talis morbus magnus dicatur, sine quo forsan magnitudo non esset; ut vulnus in oculo, aut brachio, magnus erit morbus, si visionem, aut opera manus impediat, sin minùs contra: quia videre, & operari in manibus, & pedibus præstans actio dicitur, quā etiam ratione malignus morbus, quia ad aliquam præstantem actionem lædendam conducit, magnus dicitur; posuit exemplum Gal. in ulcere articulorum, quibus plura, & prava sequuntur accidentia: Verba perpendite. *Quin etiam cachexie statim fieri, quæcumque in articulis accepta vulnera sunt, id quoque omnes fere sciunt.* Quibus verbis manifeste docet, dici morbum magnum, & cachexie, etsi pars princeps, aut facultas, aut actio eius non lædatur, ut constet alium esse morbum magnum, ratione ipsius partis principis affectæ: ut cordis intemperies, aut cerebri major censetur, quàm si in altera existeret parte. Notare tamen oportet nomine partis principis, & facultatis gubernantis corpus, non debere intelligi præcise partes, quæ communiter principes appellantur, sed etiam alias, quæ ad conservationem viventis deserviunt, etiam si in toto rigore non appellentur principes, quia licet cum aliqua mediatione ad conservationem viventis conducunt, ratione cuius aliquomodo possunt partes principes nominari ita Gal. cap. 6. lib. 4. meth. in quo adducens exempla morborum magnorum, sic ait. Utique in capitis, ventrisque vulneribus *præstantiam læsæ indicans partis.* Quibus verbis ventrem, & caput æqualiter morbum constituere magnū dictavit propter præstātiā partis.

Dices morbus malignus, seu febris maligna talis est, propter magnam læsionem, quam experimur in facultatibus, præcipuè vitalibus, & animalibus: ergo est morbus magnus propter partem principem, seu eius facultatem, aut actionem læsam, & minimè propter alteram actionem præstantem. Præterea qoia morbus ex præstantia actionis læsæ, omnem actionem partis principis comprehendit: ergo non debet adduci, ut distinctus à morbo ex principatu partis. Ad 1. Resp. quod licet ita se habeat febris maligna; tamen cum alios morbos malignos concessisset Gal. afficientes alias partes, ut vulnera adducta & quæ corruptionem ossis habent, ideò morbum diversum numeravit, qui ex malignitate constituitur, ab altero, ratione partis principis, seu facultatis nostrum gubernantis corpus. Ad 2. constat quod licèt actio partis principis, præstans possit nominari, diversam magnitudinem constituit ratione partis principis: quia aliquid peculiare indicat magnitudo ratione partis principis in ordine ad Medici operari, quod non indicat magnitudo ratione præstantiæ actionis: quia cum sit læsio in parte, à qua vitæ periculum imminet, quod in alia læsione non ita se habet; diversimodè considerari debet talis magnitudo, & minimè sub eodem membro est numeranda.

CAPUT XVII.

De cognitione Partis affectæ in morbis.

PARTIS affectæ cognitionem valde esse necessariam in morbis docuit Gal. ex professo lib. 1. & 2. de loc. aff. in quibus specialem adducit doctrinā, quā per omnium poterit legere, & perlegere, qui certam, & legitimam medelam in morbis desiderat; hanc indicationem à parte affecta desumptā principaliorē vocat Gal. & quoad nostrum attinet institutum l. 7. meth. cap. 13. quantùm expediat particulam affectam dignoscere, iterùm dictavit sic, indicatio partis ex quinque eius accidentibus desumitur, nempe ex temperamento, ex actione, ex figura, ex situ, & ex sensu, quatenus ratione cuiuslibet ex dictis diversum indicatū, hoc est auxilium diversum est exhibendum, seu applicandum; etenim ratione temperamenti diversum temperamentum convenit parti calidæ, quàm frigidæ & sic de cæteris. Ulteriùs ratione officij seu actionis partis diversum auxilium aut medicamentum adhibetur, ventriculo aut jecori inflammato, quàm pedibus, & diversimodè celebratur evacuatio, siquidem pedes quamcumq; permittunt evacuationem, & resolutionem, aliæ verò partes non ita: quia pro toto alimentum præstant, & ob hanc rationem semper desiderant adstringentia auxilia, ne earū actio debiliùs fiat, item ex figura in ordine ad evacuationem indicationem sumi docet Gal. quia ex ipsa pēdet, cum hac aut illa regione communionem habere, & etiam medicamentum diversa figura dispensatur. Ulteriùs ex situ partis, non solùm regio per quam medicamentum est applicandum cōstat, verum & quale debeat esse medicamentum indicatur; nam ex profunditate partis vehementiora indicantur auxilia, ne in transitu, remissiora quàm expedit, reddantur, quod etiam in ordine ad partes propinquas debet intelligi, ne ipsæ lædantur à medicamentorum usu, ut quando instrumenta vocis, & respirationis læsa sunt, in curatione calidæ ventriculi intemperiei, ratione situs partis remissioribus frigidis uti debemus, quam expediret. Ex sensu quoque partis tandem sumi indicationem constat, quatenus ratione sensibilitatis partis, mitiora, aut fortiora sunt applicanda remedia, ut si morbus afficiat oculos, aut partem aliquam nervosam, mite, & blandum debet esse medicamentum, forte verò, aut acre in ossibus.

Ex dictis circa indicationem desumptam à temperamento partis pullulat dubium ex verbis adductis à Gal. cap. 13. cit. nempe, *quæcumque calidiores natura partes, ex frigore laborant, hæ & liberaliùs, & diutiùs calefieri postulant, sicut quæ frigidiores naturà sunt, si ex calore laborent, refrigerari, & sic de reliquis. Et paulò inferiùs prosequitur sic. Contra verò pars, quæ calidior naturà est, si calido morbo ægrotat, exiguà, brevisque temporis refrigeratione eget, sicut quæ frigidior est calefactione; siquidem parvus est in ejusmodi in id quod præternaturam est lapsus; quare & rursus in id quod secundùm naturam est reditus;*

redditus, unde etiam minus periclitantur quicumque cognato naturæ suæ morbo laborant. Quæ verba cum difficilia valde sint, ad arma provocant authores & ratio difficultatis illico se offert: quia curatio æqualibus contrarijs debet fieri; sed supponit Galenus in morbum æqualem incidere partem, sive calidam, sive frigidam: ergo æqualibus auxilis debet mederi, in utroque casu, ac per consequens malè inquit Galenus dicens liberaliùs & diutiùs alterandam partem dum contrario laborat morbo, quàm dum simili.

Respondebis non supponere æqualitatem morbi; cum dicat reddens rationem liberaliùs, & diutiùs esse alterandam; in morbo dissimili, exiguâ tamen alteratione in simili, quia parvus est lapsus præter naturam in hoc; magnus verò in altero: ergo videtur supponere inæqualitatem morbi. Contra tamen instatur solutio. Nam agendo de indicatione sumpta à parte, sit talem differentiam sumi penes hoc quòd contrarius sit, vel similis naturali temperiei morbus; ergo intensio qualitatum debet esse eadem, ac proinde æqualis, & sic æqualis debet esse alteratio pro reductione. Secundo quia ratio à Galeno adducta, id non ostendit, nam tenet fortiora esse adhibenda remedia in morbo dissimili: quia maior est lapsus, remissiora verò in simili, quia minor est. Tamen contra hoc, & in confirmationem dicti: militat ratio: nam si solùm fuit facta diversitas in similitudine, cætera debent esse paria: ergo æqualis debet esse intensio qualitatum vitians naturalem temperiem in utroque casu; sed æqualis intensio causat æqualem recessum à naturali statu: nam per intensionẽ additam recedit: ergo æqualis est morbus ac per consequens, æqualia debent applicari remedia.

In confirmationem huius assumpti Recentiores nostræ scholæ adducunt alia, nempe: quia sequeretur in sene febricitante æquali febre cum juvene, intensiora debere applicari refrigerantia in sene quòd est contra communem usum Medicorum. Idem probat exemplum pituitosi, & biliosi corporis febricitantis, in quibus juxta talem doctrinam frigidiora sunt exhibenda auxilia pro pituitoso, quòd ita non fit: ergo non est sustinenda hæc doctrina. Pro quo etiam facit quòd in ulceribus pudendorum, & ani humidiora medicamenta applicari debent, quàm in alijs partibus, seu minùs sicca, quia partes humidæ sunt, & humido morbo laborant, & juxta Galeni mentem. 4. meth. & 9. de comp. medic. secundùm loc. cap. 8. ficciora medicamenta, quàm in alijs partibus ficcioribus sunt exhibenda, quia ratione similitudinis morbi cum parte, non sunt adhibenda remissiora auxilia. Tandem premitur assumptum: nam sequitur, quòd eo passu quo difficiliùs alteratur membrum præter naturam, faciliùs trahi in statum naturalem, ut constat quando corpus grave extrahitur à suo centro: ergo cùm faciliùs in morbum similem incidat pars difficiliùs debebat curari, & consequenter fortiora peteret medicamenta, quod est contra Galenum.

Circa huius difficultatis solutionem Doctor quidam Primarius nostræ scholæ complutensis in suis manuscriptis inquit doctrinam Galeni veram esse, & esse intelligendam supposita morbi æqualitate, solùm facta differentia, in similitudine, aut dissimititudine cum qualitate excedenti secundùm naturam partis, in quo omnes conveniunt. Vlteriùs inquit medicamenta fortiora indicati à parte in morbo dissimili, quia quælibet pars maiorem latitudinem habet versus qualitatem excedentem, quam exposcit ex propria natura, quàm versus contrariam, & sic dum laborat simili morbo per duos gradus excedentes minori morbo laborat, ratione latitudinis sanitatis, quàm habet pars circa illam qualitatem, ac quando per duos gradus contrariæ qualitatis laborat: quia cum versus illam, nullam habeat sanitatis latitudinem, omne additum nocivum judicatur, & sic intensiora sunt adhibenda remedia pro morbo dissimili, quàm pro simili: quia saltim respectu illius, quod est intra latitudinem sanitatis pars non indicat remedium contra morbum, & hinc evenit, magis congruere morbum similem, quam dissimilem, unde infertur indicationem fortioris, aut remissioris medicamẽti, non pendere, aut sumi ex majoritate, aut minoritate morbi, cum supponatur æqualis in entitate; sed ex natura partis habentis, hanc, aut illã latitudinem, ratione cuius deterior est morbus dissimilis, & fortiora indicat remedia. Inquit ulteriùs Doctor citat. ratione causæ partem indicare fortiora auxilia in morbo dissimili, quàm in simili: quoniam intensior causa est necessaria ut dissimilis morbus causetur propter majorem resistentiam intensioris qualitatis partis ad qualitatem contrariam, quàm ad similem; etenim cum pars calida habeat intensiorem calorem magis resistere valebit frigiditati, quàm calori: quid ergo mirum, quod pro ratione causæ indicet vehementiora remedia morbus similis, quàm dissimilis, sive causa evacuationem, sive alterationem expostulet. Vnde infert, quod si morbus consideretur per se, sine ordine ad causam, non indicabit plus morbus similis, quã dissimilis; Neq; hac ex parte plus indicabit unus quàm alter, nec pars in uno, ac in alio ratione eius; quia intensio qualitatis extrahens partem ab statu naturali, una est in utroq; casu, & sic doctrinam Gal. esse exponendam censet, de parte ratione causæ indicante fortiora remedia in uno ac in alio casu. Tandem concludit, quòd cum pars quando dissimili morbo afficitur, sic curanda medicamentis similibus, pro sua temperie fortiora fert medicamenta, nam cum habeat maiorem latitudinem versus talem qualitatem, & auxilia, quibus debet fieri curatio, illius naturæ sint, minor erit timor, ut ipsis perficiatur medela, & cum minori dispendio, & minori læsione, quàm quando pro simili morbo medicamentis contrarijs suæ temperiei, & morbo medicatur, quia cum minorem latitudinem habeat, magis læditur pars per ipsa; & cõsequenter recte Gal. inquit, partẽ indicata fortiora medicamẽta in morbo dissimili, remissiora verò in simili; quia major est lapsus in illo, in quo est minor latitudo, quã in eo in quo est major cũ æquali qualitatũ intẽsione.

Ex dictis impugnat Vallesium dicentem intelligi Galenum quatenus morbus est æqualis in intensione graduum, non verò in recessu naturæ, ut si supponamus calidum ut unum, & frigidum ut unum incidere in febrem ut tria: in tali casu erit in utroque calor ut tria, & æqualis febris, non verò æqualis morbus, quoniam in calido morbus est per duos gradus caloris additos, in frigido autem per quatuor, ratione cuius in morbo simili remissiora sufficiunt medicamenta pro duobus gradibus caloris additis in dissimili verò fortiora requiruntur auxilia pro quatuor gradibus

bus addiris, & sic recte Galenus inquit parvum esse lapsum in simili morbo, e contra vero in dissimili. Hanc doctrinam impugnat Doctor citatus quia esset ridicula assertio affirmare fortiora indicari medicamenta in morbo dissimili quia est maior mobus; remissiora in simili, quia est minor; quippe non poterat dubitari, à majoritate morbi majora, & à minoritate morbi minora indicari remedia: Galenus autem solùm posuit differentiam in similitudine, aut dissimilitudine cæteris paribus: non ergo erat supponenda diversitas in intensione morbi.

Præterea Recentior alter nostræ scholæ Vallesium nostrum impugnat, qoia cum morbus, & intemperies talis sit, qualis est recessus à naturali statu, non potest esse intemperies æqualis, quin recessus à naturali statu, æqualis etiam sit, cum ab eodem sumatur uniuscuiusque ratio: unde si in uno est lapsus per quatuor gradus caloris, in altero per duos, non supponitur morbus æqualis, aut intemperies æqualis, ut supponere debemus juxta Galeni mentem.

Pro solutione litis propositæ, advertendum primò est non esse dubium, an calidioribus partibus calidiora medicamenta, frigidioribus frigidiora debeantur; nam hoc indubitanter recipiendum est, cum ex se ea quæ secundùm naturam sunt sint conservanda, & quæ præternaturam sunt, sint auferenda: & cum temperies naturalis si calida sit, calidis debeat conservari auxilijs, & contrarietas in ordine ad id, quod præternaturam invenitur, sit attendenda, hinc est, quòd pro parte calida calidiora debent esse remedia in quolibet morbo, quâ pro parte frigida.

Difficultas solùm stat circa propositionem Gal. dictantis intensiora esse pro morbo dissimili exhibenda remedia, & diutiùs esse operandum, quàm pro morbo simili cæteris paribus existentibus, quâ ratione periculosiorem morbum dissimilem esse censet. Præterea advertendum est Gal. doctrinam debere intelligi suppositâ æqualitate morbi, solùm factâ diversitate aut differentiâ in similitudine, aut dissimilitudine, ita Gal. 2. aphor. in expositione text. 34. sentire videtur, super illa verba, *minùs periculosè ægrotant, quorum naturæ, ætati, vel consuetudini* lege *tempori familiaris est morbus*: nam si ratione inæqualitatis morbi, auxilia deberent esse inæqualia, nihil erat notandum ratione indicationis à parte desumptæ ut optimè notavit Recentior suprà citatus: debet ergo, ut ratione partis talis indicatio sumatur, non aliunde esse sumenda diversitas remediorum nisi ratione partis, & consequenter æqualitas debet esse in omnibus alijs, solùm differentiâ existente, in similitudioe, aut dissimilitudine; cum quo potest verùm tenere Vallesius noster capite ultimo controv. dum docet esse æqualitatem intensionis graduum, cum inæqualitate in ratione morbi, ratione cujus fortiora remedia in morbo dissimili debeantur ratiooe partis 1. Quia ipse Gal. in hoc capite reddens rationem, inquit, parvum esse lapsum in morbo simili, magnum in dissimili; ergo supposita æqualitate qualitatum, solùm ratione similitudinis, aut dissimilitudinis cum parte poterat esse indicatio diversorum remediorum: quoniam ratione similitudinis judicabat minorem esse lapsum in tali morbo, ac in parte dissimili: hoc manifestavit Gal. text. 34. sup. cit. in quo agens contra Dyoclem inquit, febrem ardentem factam in hyeme esse deteriorem, quàm in æstate, & consequenter fortiora indicare auxilia ratione temporis; quod idem est ratione temperiei partis: ergo supponit febrem esse ejusdem iorensionis, in utroque tempore: quippe non esset febris ardens, si tantùm diceret calorem excedentem temperiem partis ab humore: ergo importat peculiarem intensionem calor constituens ardentem febrem, qui etiam in parte calida, aut in æstate febrem ardentem constitueret, ac per consequens, æqualitatem morbi constituit, ratione intensionis graduum, quæ per plures gradus ultra naturales debet constitui in parte, aut tempore frigido, quam in calido, ut voluit Vallesius.

Nec urget hanc doctrinam Recentiorum argutiæ; etenim non esset tunc ratione morbi diversi, sumenda indicatio, sed præcise ratione similitudinis partis; siquidem ex ea oritur quod maior intensio qualitatum sit oecessaria ad constituendum eumdem morbum, in parte dissimili, quàm in simili. Et quamvis morbus constituatur per recessum, non potest negari, quod esset recessus ante tantam inteosionem; tamen oon erit morbus æqualis, cum alio existente in parte simili: ut calidum in 1. & frigidum in 1. non haberent eamdem febrem, peoeseo quòd in utroque duo gradus caloris producerentur; nam in calido esset febris ardeos, quia erat sufficiens intensio ex calore addito, & præexistenti ad ipsam; in frigido mioimè, si deficiebat calor ut duo; esset tamen febris remissior, quia non potest dubitari calorem illum præternaturam esse; at cum noo sit æqualis cum alia, non est illa, de qua est facienda comparatio, si quidem debeot esse cætera paria: esset quidem morbus dissimilis, remissior tamen, quàm similis io propria entitate, & inter morbos inæquales rectè potest esse deterior similis morbus, ut si tertiana simplex esset in sene, febris tamen ardens in juvene, quòd ex Hyppocrate potest deduci tex. 14. 1. aphor. dum inqui *in senibus parum calidi innati inest, atque ideo febres acutæ similiter non fiunt, frigidum enim eorum est corpus.* Quibus verbis non negat senes corripi febre, sed non corripi febribus similiter acutis, quia frigidum corpus difficile alteratur in taota intensione, ut febris resultet acuta.

Sed dices, dum in utroque subjecto diverso duo gradus caloris producuntur, est morbus in eadem intensione, quia in utroque sunt solùm duo gradus præter naturam: ergo lapsus est idem, ac per consequens æqualis, sed morbo existente æquali, ratione similitudinis, aut dissimilitudinis cum parte, sunt exhibenda medicamenta diversa: ergo non est spectanda æqualitas in gradibus. Suadetur assumptum: nam morbus debet dici æqualis per id quod est præter naturam, & non per id, quod secundùm naturam; sed quando duo gradus præter naturam prodocuntur in utroque est æqualitas in ipsis, & quando est æqualitas in omnibus gradibus, est inæqualitas in illo, quod est præter naturam ergo quando duo gradus producuntur est æqualitas in morbo, ac per consequens in ipso est intelligenda Gal. doctrina; contra quàm militant ea, quæ adducta sunt.

Resp. quod licet negari non possit, recessum à naturali statu fieri per duos gradus in utroque casu adductо, quod est causaliter esse æqualem, & cum dispositio, quâ constituitur morbus sit omne illud, per quod actiones læduntur, seu partes

præter naturam se habent, & dispositio præter naturam, exempli gratia in alimento usto, sit per tantam intensionem caloris, hinc est quòd nõ dicatur morbus æqualis perditas illos gradus caloris, sed per omnes, qui in subjecto sunt, & cum non sit æqualis intensio in uno, ac alio, non est æqualis morbo; hoc intelliges faciliùs & clariùs, si rationem febris in utroque calore addito scilicet, & præexistenti constituas, ut latè nostro tractatu de febribus docuimus, & quamvis solùm in calore addito febrem quis constituat, & idem sit excessus non erit æqualis morbus in esse morbi, quoniam æqualitas non debet sumi præcise per ipsum numerum graduum additorum, sed potiùs per entitatem perfectivam eorum, si forsan in ipsis admittatur, vel per entitatem ejusdem naturæ ad constituendam talem dispositionem, id est penes hoc quod sit in utroque tertius, vel quartus gradus; si quidem non sunt, nisi talem constituit dispositionem ad talem morbum, ratione cujus æqualitas constituitur, ex quo intelligitur faciliùs Gal. doctrina, quàm super aphoris. 34. sect. 2. adducunt omnes Authores asserentes faciliùs esse incidere in morbos similes, quàm in dissimiles, quòd est, in morbum æquales similem, faciliùs incidit vivens, quàm in dissimilem, quia minùs qualitatis est producendum ut in similem morbum incidat æqualem dissimili; nam si non intelligeretur hoc modo, quis dubitat posse vivens incidere in morbum dissimilem remissum, priùs quam in similem intensum, quòd est facta comparatione gradus ad gradum; activitas est ad producendum unum gradum similem, quàm dissimilem, cum supponamus causam ad utrumque sufficientem; & eadem est resistentia formalis, cum sit gradus ad gradum; de activa etiam resistentia, etiam est æqualitas, quia cum resistant gradus, qui sunt in actu, respectu passi, sicut sunt in agente excessus per æquales gradus, similiter est in passo.

Tota hæc doctrina adducta est, ut cognoscamus quanto fundamento loquutus fuit Vall. Nos autem Gal. doctrinam utroq; modo posse intelligi censemus; & adhuc facta comparatione unius gradus similis, ad alterum dissimilem. Asserimus fortiora medicamenta indicari à parte, morbo dissimili affecta; quàm simili; & ut clariùs procedamus in hac assertione notare oportet, minimè esse verum partem habere maiorem latitudinem circa qualitatem, quam habet excedentem, quam circa alteram; nam pars ita exposcit temperamentum unum, ut qualitates omnes, ex quibus conflatur in gradu determinato petat, nam aliàs plura ex postularet temperamenta, cum per variationem cujuslibet ipsa mutentur: ergo non potest non exposcere omnes qualitates ejus, æquali determinatione, ac per consequens, non potest habere maiorem latitudinem versus unam, quàm versus alteram.

Confirmatur assumptum ex communi doctrina, quàm ex Galeno admittunt communiter Medici lib. art. medic. cap. 8. scilicet corpus temperatum resistere collectivè plusquàm intemperatum causis morbum inducentibus; distemperatum divisivè, ut nostro tomo primo latè docuimus; & hoc autem accidit, quia omnibus causis æqualiter resistit corpus temperatum, distemperatum verò aliquibus plus, aliis autem minus, sed si corpora, aut partes haberent majorem latitudinem versus qualitatẽ, quàm ex postulât excedentẽ, minimè resisteret æqualiter omnibus causis morbosis, quippe minus resisteret causæ inducẽti morbũ dissimilem, ut pote non habet latitudinem versus illam qualitatem, & quælibet introductio qualitatis sit nociva; non verò quælibet introductio qualitatis similis. Ex quo etiam videtur colligi faciliùs esse incidere corpus in morbum dissimilem, quod est falsum.

Hoc ipsum impugnat Recentior alter nostræ scholæ ex eo, quòd asserit Hippocrates quasdam naturas ad æstatem, alias ad hyemem meliùs se habere; in cujus textus expositione, Galenus de calidis, & siccis, & frigidis, & humidis intellexit, si quidem ipsæ intemperatæ cum sint, non possunt non benè se habere in contrariis temporibus; quippe ratione propriæ intemperiei ad morbos sunt dispositæ: & cum doctrina adducta sit intelligenda de corporibus temperatis, quæ in medio morborum sunt, ad nullum inclinantia. Hoc argumentum posthabendum est, & aliis adductis prædictum placitum est refellendum. Ulteriùs nam ipse asserit contra Vallesium non debere sumi æqualitatem morborũ, per æqualitatem in intensione graduum siquidem esset asserere, majorem morbum, maiora exposcere auxilia, sed idem sequitur ex sua doctrina: ergo non est sustinenda: nam fatetur ratione maioris latitudinis, quàm habet pars versus qualitatem excedentem non esse tantùm lapsum in simili morbo, ac in dissimili: ergo fatetur esse remissiorem morbum; etenim illa ex parte, quæ tangit, aut implet latitudinem qualitas producta non est nociva: ergo neque morbus, ac per consequens minor morbus est similis, quàm dissimilis, ut pote duo gradus in utroque subjecto, respectu dissimilis sunt nocivi secundùm totos; in simili autem non sunt, nisi prout excedunt latitudinem: ergo jam ratione diversitatis morbi, fatetur diversa remedia, & minimè ratione indicationis à parte.

Communis magis, & recepta doctrina est, partem in morbo simili indicare remedia remissiora, ut signum, ratione verò causæ fortiora in morbo dissimili, quatenus pars non potest in morbum dissimilem trahi, seu incidere, nisi magna fuerit causa; quia solùm ipsa valebit vincere resistentiam qualitatis intensæ partis; at ut in morbum similem incidat, debilior causa sufficit, quia remissior est qualitas contraria resistens; unde evenit, facilius incidere in morbos similes, quàm in dissimiles, & consequenter, pars, non per se, sed ut signum indicat fortiora medicamenta in morbo dissimili, quàm in simili: quia in illo vehementiorem esse causam significat; & in hoc debiliorem: quòd probant 1. quia alio modo non apparet intelligibilis Galeni doctrina, cum morbus in utroque casu æqualis sit, & sic per se æqualia indicat remedia: ergo si fortiora remedia exhibenda in morbo dissimili, ratione causæ deberent applicari. Hoc ipsum suaderi potest ex Arist. 4. sect. problem. quæst. 28. ubi inquirens, cur per hyemem minus quàm per æstatem, sed perniciosiùs ægrotetur: Respondent quia morbi in æstate ex parva causa accidunt, in hyeme ex magna: idem testificat Galenus 2. aph. 34. reprehendens. Dyodem contra Hipp. dicentem magis periclitari in morbo simili: ubi sequentia dictavit verba. *Putant febrem ardentem, in hyberno tempore, faciliùs sanari, quàm in æstate, non advertentes quòd vehemens dis-*

vehemens dispositio causa est, ut febris ardens hyeme fiat, nec facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset. Quibus verbis periculum maius in causæ vehementiam reduxit: ergo pars in morbo dissimili indicat vehementiora auxilia ut signum, id est quatenus significat ab intensiori & fortiori causa pati, in tali casu. Qua etiam doctrina 2. de præsag. expulsf. cap. 4. pulsum intermittentem minùs periculosum esse dictavit in sene, quam in Iuvene: quoniam facultas debilis à debiliori causa pati potest, & in sene cum debilior sit facultas, debiliorem causam significat, robustiorem autem in Iuvene; & ob hanc rationem, illi qui rarò morbis corripiuntur periclitantur magis, dum laborant morbo: quia cum valdè resistant causis morbosis, dum vincuntur magnam fuisse causam significat. Et tandem hoc assertum confirmatur ex Avicen. F.2. lib.1. doct.1. cap.8. ubi reddens rationem cur deterior sit morbus dissimilis, quàm similis, sic ait: *non enim accidit, nisi propter causæ ipsius magnitudinem.* Ex quibus omnibus tandem colligunt, quod si morbus per se consideretur, sine ordine ad causam, non indicabit pars fortiora remedia in dissimili, quàm in simili: quia æqualis cum sit morbus idem indicat auxilium in utroque casu, secùs verò ratione causæ, & hoc voluit docere Galenus cap. citato.

Hæc assertio nunquam mihi placere potuit; quia Galenus nullo ordine habito ad causam, absolutè loquendo, de indicatione sumpta à temperamento partis, inquit, fortiora indicari remedia in morbo dissimili, quàm in simili: non ergo limitanda est Galeni doctrina in morbis pendentibus à causa; quippe si hæc limitatio locum haberet, falsò testificaret Galenus dum dictat, partes calidas dum frigido morbo laborant, diutiùs esse calefaciendas; cum non esset ita faciendum, si morbus non penderet à causa: ergo cum Galenus solum facta differentia in similitudine, aut dissimilitudine firmiter hoc teneat, minimè potest, nec debet admitti limitatio dicta. In cuius rei confirmationem ipse Galenus infra agens de indicatione sumpta ab actione partis, ait debere considerari, an actio pluribus serviat partibus, vel non in ordine ad evacuationem faciendam, si morbus ab humoribus dependeat, secùs si ab ipsis non pendeat: ergo si talem differentiam assignavit: in indicatione sumpta ab actione, id debebat dictare in indicatione à temperamento sumpta. Præterea nam Galenus agit in hoc capite de methodo curandi, sumpta indicatione à parte, & hoc modo inquit quinque sumi ab ipsa parte indicationes, aliam à temperamento &c. Sed si indicatio sumeretur à causa, seu ratione ipsius, minimè diceret indicatio sumpta à parte; sed potiùs à causa: ergo non esset indicatio partis. Minor suadetur: nam indicare partem, ut signum, non est indicare remedium ipsam partem, sed significare indicans auxilium: ergo non est indicatio sumpta à parte. Suadetur antecedens à simili: nam, eo quod pulsus significet ratione suarum differentiarum, magnum esse calorem intensa refrigerantia exposcentem, minimè dicimus pulsum indicare refrigerantia illa auxilia; sed calorem; pulsum verò dicimus significare calorem: ergo cum Galenus loquatur de indicatione sumpta à temperamento partis, non loquitur de temperamento indicante, ut signum, sed ut verum indicans, ratione morbi dissimilis, aut similis, & non per se.

Vlteriùs: aliæ indicationes partis adductæ à Galeno sumuntur ex aliquo accidenti eorum, quæ sunt in ipsa parte naturaliter, ita ut ipsa medicamenta indicentur à morbo taliter morigerata, aut fortiora, aut remissiora, aut huius, aut illius naturæ, ratione accidentis partis; ergo indicatione sumpta à temperie partis, ratione ipsius debet esse differentia medicamenti, & non ratione causæ; quippe sive morbus sit similis sive dissimilis, si causa eius sit potentior, potentiora indicat remedia quam si sit debilior: ergo indicati fortiora auxilia in morbo dissimili ratione causæ, non est indicare partem; sed causam. Tandem nam ut supra dicebant Recentiores contra Vallesium diversa remedia non debent indicari ab inæquali morbo: quia esset dicere maiorem morbum maiora remedia indicare, minorem minora, quod esset ridiculum; sed hoc idem sequitur; si indicatione sumpta à maioritate causæ, remedia diversificarentur, indicatione sumpta à parte: ergo minor probatur nam esset dicere, pars, in dissimili morbo, fortiora indicat auxilia ratione causæ id est: quia est causa fortior, sive intensior indicans: ergo esset dicere, causa fortior fortiora indicat remedia, remissior remissiora, ac per consequens, sicut non debet affirmari, ratione inæqualitatis morbi, auxilia indicari inæqualia; non debemus dicere, ratione inæqualitatis causæ, ipsa inæqualia auxilia indicari; sed potiùs ex se partem in morbo dissimili fortiora exposcere remedia, econtra verò in simili.

Socius noster Cæsaraugustanus citatus, in huius textus expositione, propositionem Galeni addnctam obiter, & currenti calamo exposuit suo tomo cit sup. fol.60. §.219. omittens hanc spinosam litem, quæ in varias semitas doctissimos Recentiores Complutenses divisit, & properans ad practica præcepta, quæ solito ingenio, & mira eruditione explanat.

Nobis verò placet in hac re Galeni doctrina, quæ docet partem indicare fortiora remedia, dum dissimili morbo laborat, quam dum simili, ex se, & sine ordine ad causam; eum quo non ncgo ratione causæ etiam fortiora remedia indicari in morbo dissimili; tamen hoc non esset indicare partem, sed causam. Itaque quod asserimus est, ipsam partem præcisè ratione similitudinis, aut dissimilitudinis morbi, diversa indicare intensione auxilia, nullo ordine habito ad causam: quod probant rationes immediatè adductæ, & ipse Galenus, qui expresè sic ait, *atque ita quidem à temperamento laborantis partis auxiliorum indicatio sumitur*: ergo iuxta eius mentem & genuinam verborum expositionem, ipsa pars ratione sui temperamenti talem præstat indicationem, & non ratione alterius. Præterea quia indicatione sumpta à temperamento partis Galenus docuit calidioribus partibus, calidiora deberi remedia, frigidioribus frigidiora, in quocumque morbo partis, sed in tali casu non sunt frigidiora pro parte frigida, & calidiora pro calida, ratione alicuius alterius, quàm ipsius temperamenti, ipsa pro sua conservatione petentis: ergo cum Galenus docuit indicatione sumpta à temperamento partis intensiora esse adhibenda remedia in morbo dissimili, ratione ipsius temperamenti, & non alterius rei debet intelli-

gi.

gi. Hoc placitum posse sustineri docet Antonius Musa super aphorism. 34. lib. secundi.

Tota difficultas quæstionis stat in solutione argimentorum, pro qua supponenda est doctrina quædam, ab omnibus medicis recepta, nempe quod, licet verum sit partem talem petere temperamentum determinatum, ita ut per quemcumque recessum ab statu naturali recedat, & morbosa reddatur & aliquæ operationes lædantur in ipsa; nihilominus verum est in ordine ad operationes, ita se habere partes quaslibet, ut per recessum unum in aliquo gradu aliquod opus perfectiùs fiat, etsi alia lædantur opera, & econtra; ita ut licet pars in suo esse nullam latitudinem sanitatis obtineat, magis versus unam, quam versus alteram qualitatem, ut ostensum est, in ordine ad opera versus unam qualitatem, maiorem latitudinem habet pro opere talem qualitatem postulante, quàm versus aliam, & sic de cæteris. Suadetur primum, ex eo quod pars una cum sit, unam petit temperiem determinatam, quæ pro omnibus suis operibus sufficiat, ita ut per quemcumque recessum privetur temperie requisita, & consequentur pro aliquo opere deficiat; est enim præter naturam parti: ergo morbosa; & consequentur aliquod lædet opus. Vlteriùs supponendum est, quod licet quodlibet opus petat temperamentum ex omnibus conflatum qualitatibus, ratione cuius Avicen. agendo de facultatibus naturalibus F. 1. lib. 1. doc. 6. cap. 3. dixit, *his quatuor virtutibus naturalibus quatuor primæ serviunt qualitates:* non tamen ita est intelligendum, ut una qualitas sola pro uno opere, & alia pro alio conducat, sed omnes pro quolibet, tali differentia, ut temperamentum cum excessu talis qualitatis, ad unum, & cum excessu alteriùs ad alterum conducat opus; sic pro retentione, calor & siccitas excedens, facit, pro expulsione verò non ita; pro coctione calor, & humiditas, ut ipse Avicen. docuit loco cit.

Sed Dices, talis temperies est determinate petita à parte illa, quia debita: ergo pro omnibus operibus debita; ac proinde pro omnibus operibus deficiet, dum quomodolibet immutatur. Talis objectio petit comprobationem secundæ partis nostræ suppositionis; & est quòd licet verè dicenda sit pars morbosa, quia privatur temperie requisita per quemcumque recessum, ratione cuius, aliquod opus læditur, non tamen omnia debent lædi pro quibus illa temperies conducebat, sed illud, quod minorem latitudinem habet versus talem qualitatem. Suadetur ìtea Gal. lib. art. medicin. cap. 62. & 63. in quibus expressè docet, quod si ventriculus versus calorem immutetur, magis coquere, quàm appetere valet; si autem versus frigus, magis appetere quàm coquere: dixerat cap. 51. corpus temperatum omnia opera moderatè exercere: ergo quodlibet opus talem latitudinem habet, ut aucta qualitate, quã specialiter postulat, perfectiùs fiat, quàm si diminuatur; ac per consequens maiorem latitudinem habet, versus illam tale opus, quàm versus aliam, etsi pars quocumque recessu præter naturam reddatur. Quod confirmat actus memorandi, qui perfectiùs fit quoad retentionem specierum, naturali temperie immutatâ, versus siccitatem, quam exposcit, quàm versus humiditatem; econtra verò quoad receptionem, perceptionem, seu apprehensionem rerum, ut constat ex cap. 12. art. medic. quâ ratione deteriori ingenio constare dicimus illos, qui perfectiori gaudent memoriâ: ergo pars distemperata, & præter naturam per recessum alicuius qualitatis, perfectiùs poterit aliquod elicere opus, aliud verò imperfectiùs.

Tandem supponendum est: partem illam petere qualitatem illam excedentem ex propria natura, quæ conducit specialiter pro operibus principalibus eius, pro quibus fuit instituta, reliquas verò in remissiori gradu, sic ossa frigiditatem, & siccitatem habent maiorem, pulmo & cerebrum humiditatem; Cor calorem, & sic de cæteris, quia ossa consistentiam debebant habere, pulmo, & cerebrum motum, cor generationem spirituum vitalium; & tandem tota cutis temperata debet esse; quia ad perceptionem qualitatum in mediocritate debet habere temperiem. Sunt ergo omnes partes affectæ proprio temperamento in tali proportione, ut qualitas, quæ conducit pro opere principaliori; eius sic excedens: hac etiam ratione influxus communicatus à corde calidus, & humidus est, quia pro operibus principalibus vitæ, pro quibus fuit concessus tale temperamentum conducit: ex quo deducitur quod quando pars simili morbo laborat, cum habeat recessum versus qualitatem pro principaliori opere conducentem, non ita lædatur neque ita efficax auxilium exposcat, quam si dissimili morbo corripiatur. Ratio est, nam licet negari non possit morbum esse æqualem in se, & partem præter naturaliter existere, & opera lædi aliqua, in utroque casu, quando dissimili morbo laborat, læduntur opera minùs principalia partis, quia principalia cum qualitatem excedentem expostulent, & versus illam habeant latitudinem maiorem, potiùs perficiuntur, & quoad illa non se habet pars morbosa, etiamsi absolutè dicatur morbosa, quia recedit à temperie requisita, & consequenter opera imperfectiora pro illa parte læduntur, quia versus talem qualitatem, non habent latitudinem; quippe potiùs oppositam petebant; & sic licet quatenus morbo laborat lædatur, & auxilium exposcat; tamen quia morbus est quoad opera minùs principalia, potiùs pro principalibus salus minùs labefactatur, & remissiora petit remedia. Cum verò pars dissimili morbo afficitur, etsi quoad opera minùs principalia, minor sit læsio, quia est versus qualitatem, quam expostulant, cum sit recessus à qualitate, quam exposcunt opera principalia, specialiter magis læditur pars, & efficaciora desiderat remedia: ut docet Galenos. Ex quo etiam constat, quomodo cognatus magis dicatur morbus similis naturæ, ætati; & consuetudini; aut tempori, quia non nocet operibus principalibus, cum morbus similis sit intra latitudinem temperiei requisitæ pro ipsis; econtra verò dissimilis si cognatus magis; & consequenter ob eandem rationem minùs periclitantur ægroti, in morbis similibus, quia conducunt ad læsionem operum minùs principalium.

Sed dices. iuxta Hipp. doctrinam loco supr. cit. aph. 34. non solùm dictavit minùs periclitari morbum congruentem naturæ, ætati, & consuetudini; sed tempori etiam; atqui morbus congruens tempori, non potest esse talis, quin conducat ad læsionem operum minùs principalium eius, cum non habeat opera propter quæ dicatur: Quippe si aliquis incidat in febrem

 hyeme,

hyeme, & vere, solùm ratiooe temporis, magis periclitatur hyeme, quia non congruit ipsi, & non ratione operum cum eius non sint, nec ratione latitudinis qualitaris naturalis, cum sint eadem, quippe cætera debent esse paria: ergo non stat congruentia in latitudine qualitatum, neque in ordine ad partem, neque in ordine ad actiones, sed propter causam, ratione cuius magis periclitari in morbo dissimili docuit Galenus ac per consequens propter eandem rationem, fortiora debent esse remedia; suadetur, nam docens hoc ita debere fieri, reddit rationem dicens, *siquidem minor est lapsus in morbo simili, unde minus periclitantur, qui cognato morbo laborant.* Quibos verbis docet ob eandem rationem remissiora debere esse remedia in morbo simili, & minùs periclitari. Respond. esse philosophandum æqualiter in morbo simili naturæ, aut tempori, etsi in utroque casu, ratione operum non sit, nam sicut in morbo simuli naturæ propter rationem adductam, minor sit lapsus, & minùs sit periculum, remissioraque debeant esse remedia in morbo tempori congruente, cæteris paribus, minor est lapsus, quia minùs recedit ab eo, quod pro illo tempore debetur sicut minus recedit calidus io morbo calido, ab illo, quod talis natura petit; cum quo non potest negari etiam minorem arguere causam morbum similem; at ex se minùs periculosus dicitur, & magis congruens.

Ex quo patet solutio ad argumenta probantia ratione causæ maiora deberi remedia in morbo dissimili, quod licet verùm sit, talem morbum maiorem causam arguere, & propter ipsam maius exhiberi remedium, etiam morbus ex se id indicat solùm; tamen Galenus & Avicen. non intendunt docere esse maiorem morbum ob majorem causam; sed intendunt convincere, seu demonstrare, ita esse ratione causæ, quia notum magis est, non quia ex se non sit morbus deterior dissimilis, quam similis.

Ad argumenta Respondetur ad primum, quod licet morbos sit æqualis in intensione, cum non noceat operibus principalioribus partis dissimilis, non exposcit, ita brevem reductionem, neque ita intensa remedia, nam meliùs est tardiùs reduci in meliorem temperiem, cum læsio non est in operibus præcipuis, quàm cũ periculo operari, incidendi in contrarium lapsum, qui ad læsionem operum præcipuorum faciat, & ex alia parte medicamẽtis cõtra naturã partis opus erit, secus verò dum morbus dissimilis est. Ad secundũ iam constat, quod licet sit æqualis intensio qualitatum liberaliùs est operandum in morbo dissimili, quàm in simili. Ad ea quæ in confirmationem sunt adducta, dicunt communiter non esse intelligendum dum natura est multum lapsa; nam in illa oon est observanda doctrina Galeni, sed in aliis, si aliquid non obstet; propter quod in sene etsi frigidiora debeantur, quam in iuvene febricitanti, non ita sunt exhibenda, quia virium obstat defectus. Quæ solutio sic intellecta non est admittenda; oam licet verùm sit, pluries non servari hanc Galeni doctrinam, non est quia pars sempee id non indicet, sed quia aliud contrarium indicans reperitor, propeer quod est operandum, & hoc præceptum perturbat. Nam quis dubitat ea quæ secundum naturam sunt servari debere? & nihilominus, cum adest nervi punctura, seu fluxio sanguinis ex arteria, ne convulsio, aut mors ex sanguine evacuato accidat, arteriam, & venam scindimus: sic similiter, etsi pectus, & partes eius emollientia ad motum respirationis exposcant, dum adest sanguinis excreatio, ne ex tali evacuatione maiora mala, & mors sequatur, adstringentibus utitur Galenus 5. lib. meth. c. 8. ergo optimè componitur, partem aliquid indicare, & contrarium exerceri: sic in exemplis pro contraria parte adductis, quamvis verum sit, doctrinam esse servandam, in natura temperata; quia illa æqualiter à morbis distat, non altera. Nihilominus in natura omni est servanda, nisi sit contrarium indicans urgentius; cum autem natura pluries sive ratione temporis, sive ratiooe ætatis, sive ratione alicuius coniuncti excrementorum, seu humorum, pars aliqua, etsi ex se temperata sit, ad aliquem morbum sit disposita. Hinc est quod quamvis indicatione temperiei partis talia remedia conveniant, non tamen exhibeantur ratione morbi, qui timetur, urgentioris. Unde in forma Respond. in homioe bilioso febricitanti, etsi minus frigida conveniant ratione propriæ temperiei; tamen propter periculum quod imminet ex adhibitione talium auxiliorum, id est propter febrem ardentem, seu hecticam, quæ iure optimo timentur, frigidiora sunt proponenda auxilia, quàm in homine pituitoso, in quo talis morbus non est timendus & virium defectus ipsa prohibet: sic similiter in pudendorum ulceribus, quamvis humidiora medicamenta indicatione temperiei partis conveniant; tamen non sunt adhibenda, non quidem quia lapsa, aut non lapsa sit; sed quia imminet periculum aliquod maius ex talium exhibitione; sic ratione illius, quod imminet, & non ratiooe lapsæ naturæ, medicamenta sicciora talibus partibus sunt applicanda; & idem dicendum si nervus intemperie sicca laboret, quæ similis est; & quidem hanc solutionem insinuavi in nostra Academia Complutensi in ultima, & publica disputatione pro laurea doctorali consequenda socio nostro magnis vociferationibus arguenti; quam nunquam capere potuit, convictus suo videri, ex eo quod excreebatur, minimè verò ex eo quod ratione partis indicabatur, quod quàm diversum sit, & alieoum à veritate poterit quivis agnoscere, sed ad rem oostram redeamus.

Sed Dices: ratione naturæ multum lapsæ imminet periculum, quippè est timenda propter hoc partium corruptio. Tamen facilè diluitur arguties hæc, quoniam temperies illa est debita pro operibus illius partis: ergo naturalis est iudicanda; si verò corruptio timetur est, vel propter excrementorum imbibitionem, quæ præter naturam sunt, vel propter humiditatis excessum à medicamentis productum: non ergo lapsus oaturæ hoc præstat; sed morbus qui timetur est in causa, ut indicatio à parte desumpta posthabeatur. Quis enim dubitare potest, sæpe numero indicationem morbi futuri, aut præsentis propter maiorem, & urgentiorem indicationem partis superari. Quo manet soluta difficultas altera, quærens, quæ sit indicatio maior, quæ à parte desumitur, aut quæ a morbo? nam cum semper operandum sit pro urgentiori, interdum urget magis morbus, seu accidens præsens, aut futurum, quia periculosius, quàm urgeat conservatio partis, ut constat in rejectatione sanguinis ex pectore, exemplo supra adducto; aliquando verò contrarium accidit ut in ventriculo inflammato,

niato, qui semper adstringentia auxilia exposcit, & funt adhibenda, etiamsi morbus resoluentia indicet medicamenta, quia magis urget, & periculosius est, ventriculum relaxati, & eius actionem ita necessariam pro toto impediri aliquantulum; quàm ipsam partem inflammatâ temanere, quod debet intelligi utraque indicatione cognita; quidquid clament Recent. citati; nam licet tot, & tam utiles partis indicationes adducat Galenus, non ideò præstantiores sunt, indicatione morbi, cum sæpe ipsæ posthabeantur propter morbi maiorem urgentiam. Si verò una aut altera indicatio ignoretur, præstantiorem esse morbi indicationem aiunt prædicti Recentiores, quia cognito morbo, quale debeat esse remedium dignoscimus, etsi ad ultimam speciem eius non possimus descendere, quod non potest colligi morbo ignorato, etsi partis indicatio habeatur.

Sed contra hanc solutionem insurgo: cognitâ morbi essentiâ, videlicet distemperie calida in parte, ignoratâ eius temperie, non potest fieri curatio: ergo non potest agnoscere Medicus quantus sit recessus, & sic poterit partem in contrarium lapsum trahere, aut ipsam cum morbo relinquere; si verò temperies partis agnoscatur, & eius indicatione operetur medicus, ignoratâ essentiâ morbi, exhibitis auxiliis pro conservatione temperiei eius; operabitur necessariò contra morbum; etenim medicamentum, quod pro temperie partis conducit, non potest, non opponi cuicumque recessui, quem habeat, siquidem remissum remittit intensum; in optima philosophia: ergo medicamentum, quod est conducens pro temperie partis, si morbus sit similis, erit remissum respectu morbi, & valebit per contrariam qualitatem adimplentem latitudinem, intensum morbum remittere, si verò morbus dissimilis fuerit, per qualitatem intensiorem, qua assimilatur parti, morbo opponetur, ac per consequens, una, aut alterâ indicatione ignoratâ præstantior est indicatio partis.

Ad ultimam objectionem Respondetur, quòd dum resistentia ad incidendum in statum præter naturam est propter principium reductionis verum est, quod cum faciliùs sit retractio ab statu naturali in præter naturam, difficiliùs fit retrocessus, & econtra; ut in casibus dictis lapidis extracti à suo centro, aut virgæ tractæ à rectitudine sua, cum autem resistentia non est reductionis principium, non est ita: quia aliud est, quod resistit extractioni ab statu naturali, gradus scilicet præexistentes; aliud verò est, quod facit reductionem, scilicet forma ipsa, aut medicamenta cum resistentia causæ. At in aliis casibus exempli gratiâ, dum resistit gravitas ad extractionem; ad reductionem nihil resistit; dum verò morbus temperamenti inducitur, resistunt qualitates præexistentes ad reductionem inducti & aliquando causæ, & sic ratione illius, quod resistit, stat facilitas, aut difficultas, non ratione facilitatis incidendi, aut non incidendi.

Sed adhuc videtur, argumenta adducta contra latitudinem concessam à Recentiori in parte, militare contra nostram conclusionem. Primum probat, partem non habere latitudinem maiorem versus unam, quam versus alteram qualitatem; quod est verum non tamen inde sequitur, ita esse philosophandum de actione, nam pars petit illam temperiem pro omnibus suis actionibus, quia cum una debeat esse, non potest esse, quæ magis pro quolibet opere faciat, est tamen; quæ pro omnibus in quodam moderamine; actiones autem cum ex se diversas temperies exposcant, hoc est quod quælibet latitudinem habeat versus aliquam qualitatem, quam specialiter petit, quam non habet pars, quæ pro omnibus simul debet temperari. Ad confirmationem dicimus: Corpus temperatum cum pro omnibus operibus tale sit, determinationem habere, non tamen ita actiones ipsas divisive sumptas, ob rationem dictam; & sic bene stat non habere majorem latitudinem in una, quam in altera qualitate ad incidendum in morbum; habere tamen in ordine ad opera divisivè, quod non tollit absolutè per quemcumque recessum æqualiter incidere in morbum, corpus temperatum, etsi minùs periculosus indicetur, prout conducit ad læsionem operum minus principalium, aut ecôtra. Ex hac doctrina constat non incidere faciliùs in morbum dissimilem, cum non sit major latitudo in esse præter naturam, aut secundum naturam in una, quam in altera qualitate, etsi quoad opera divisivè sit: quod non tollit esse id, quod inducitur præter naturam. Cæterum ut clariùs constet hæc doctrina in sequenti controversia latiùs examinabitur.

CAPUT XVIII.

Dubium Vltimum incidens, utrùm sit faciliùs incidere, in morbum similem, quàm in dissimilem.

Litigium hoc apud Recentiores nostræ scholæ celebre est, & plures affirmant: non esse faciliùs incidere in morbum similem: quia difficiliùs est invenire causam tam intensam, ut supra intensionem corporis sit; faciliùs verò contrarium videtur; sed ut incidant corpora, in morbos similes, causæ debent esse supra suam intensionem tales: ergo difficiliùs est incidere in morbos similes, quam in dissimiles. Hoc argumentum habet contra se communem solutionem, nempe in tali comparatione cætera debent esse paria, excepto illo in quo fit comparatio; & cum comparatio sit solùm inter similitudinem, aut dissimilitudinem morbi, ita ut cætera sint paria, debet supponi causa, quæ valeat utrumque corpus alterare, solùm differentiâ in similitudine, aut dissimilitudine positâ. Aliud adducitur argumentum probans saltim non incidere faciliùs unum corpus, quam alterum in morbum; nam supposita causa æqualiter valente alterare corpus v.g. per duos gradus caloris, non apparet ratio cur unum faciliùs altero alteretur: ergo non incidit corpus in morbum similem, quam in dissimilem faciliùs: antecedens suadetur: nam causa habet vim agendi in utroque casu per duos gradus caloris: ergo ex parte agentis, æqualis est activitas, quia supponimus excessum solùm esse per duos gradus; ex parte etiam passi æqualis est resistentia, etenim formalis resistentia æqualis est in utroque cum sit per incompossibilitatem formalem gradus ad gradum: de activa etiam resistentia idem videtur dicendum: nam resistentia activa mensuratur per activitatem passi, sed sicut per duos gradus qualitatis

qualitatis agit agens, quia per ipsos est in actu respectu passi; per eosdem contrariæ qualitatis debeat reagere passum, quia solùm per ipsos est in actu, respectu agentis, quod est passum: ergo resistentia activa,& formalis est æqualis in utroque casu. Suadetur nam si passum sit calidum ut unum, aut frigidum ut unum, causa calefaciens debet esse calida ut tria, respectu calidi ut unum; & calida ut unum respectu frigidi ut unum; sed æqualiter distat calidum ut unum à calido ut tria,ac frigidum ut unum à calido ut unum; tam per intensionem agentis, quàm per qualitates passi; quibus fit resistentia formalis, & activa: ergo æqualiter utrumque alterabitur corpus.

Communis tamen, & magis recepta est opinio, quæ tenet faciliùs esse incidere in morbos similes, quam in dissimiles,sic Galenus 1. de simpl. med. facult. loquitur, dum sermonem facit de temperamento aquæ: *Igitur temperato admota plusculo tempore, ipsum omnino refrigerabit, intemperato quidem citius refrigerabit, id quod frigidius natura fuerit, tardius verò quod calidius.* Quibus verbis deducitur facilius esse alterari, & incidere in similem morbum, quam in dissimilem. Hanc doctrinam recipit Vallef. noster in com. tex. cit. & Iacob. de Fotlivio super aphor. 34. lib. 2. In cujus expositione Recentiores nostræ scholæ citati asserunt, facilius esse incidere in morbos similes, quam in dissimiles: quia si gradus diversæ perfectionis sunt, ut morbus similis inducatur, gradus perfectior agit, & imperfectior resistit, quippe ad hoc quod calefiat calidum ut unum, agit sextus gradus caloris, & resistit tertius frigoris; & ut incalescat frigidum ut unum agit quartus gradus caloris, & resistit quintus frigiditatis: ergo citiùs calefit corpus calidum, quàm frigidum. Cæterum si ejusdem perfectionis supponatur gradus, cum omnes ad agendum concurrant, plures sunt gradus, qui concurrunt, ut corpus calidum ut unum iocalelescat; etenim sunt sex gradus caloris, & minus resistunt, quippe sunt tres frigiditatis in resistentia activa; nam formalis æqualis est. Porrò ut frigidum ut unum incalescat, agit calor ut quatuor, & resistit frigiditas ut quinque activè: ergo minor est activitas & major est resistentia pro morbo dissimili: econtra vero pro simili; ac per consequens facilius est incidere in morbos similes, quàm in dissimiles.

Recentior quidam olim in nostra schola Primarius super F. 1. lib.4. Av. agens de præparatis ad febrem, inquit faciliùs esse incidere in morbos similes, quàm in dissimiles; quia ut frigidum ut unum incidat in febrem, debet venire ad eandem intensionem, ad quam devenit calidum ut unum, sed magis distat frigidum ut unum à calore ut tria v.g.quàm calidum ut unum à calore ut tria: ergo faciliùs est producere id, quod deficit in calido ut unum, quàm id quod deficit in frigido ut unum. Majorem propositionē nititur suadere Doctor citatus sic: quia ut senex incidat in febrem,in majorem calorem devenit, quàm in statu naturali habet juvenis,quippe differentiæ pulsus id ostendunt clarissimè: ergo est quia senex pervenit ad caliditatem juvenis, & aliquid plus, ut incidat in febrem; sed faciliùs est produci parum illud, quod deficit juveni; quàm totum illud, quod deficit seni, ut ad tantam intensionem deveniat: ergo faciliùs est incidere in morbum similem, quàm in dissimilem. Idem premit assumptum, exemplo humorum febrem causantium, etenim humor frigidus non causat febrem,nisi supra calorem naturalem cordis invalescat; sed magis distat humor frigidus à tanta intensione,quàm calidus: ergo difficilius in dissimilem distemperiem incider, quàm in similem.

Cæterum doctrina adducta minimè satisfacit pro solutione litis propositæ, & sic non est admitttenda: quia incidit in id, quod contra Vallef. impugnat iste Doctor: nam super hoc caput inquit, non esse admittendam Vallesij doctrinam: quia non supponit cætera paria, & super caput de præparatis ad febrem dicit, differentiam esse, quia plus est producendum in corpore dissimili, quàm in simili: ergo incidit in id, quod impugnat; nam cum debeant esse cætera paria excepto illo, in quo fit comparatio, & difficultas sit quod sit faciliùs incidere, in similem, aut dissimilem morbum, morbus debet esse æqualis, solùm differentiâ positâ in similitudine: cum ergo hoc non supponat,incidit in foveam, quam fecit, & sic dubium debet intelligi; si corpus frigidum ut unum,& calidum ut unum sit alteratum per duos gradus caloris,ita ut calidum dicatur ut tria calidum, & frigidum dicatur calidum ut unum; quia in tali casu est æqualis recessus per duos scilicet gradus. Præterea: quia nemo dubitabit talem esse inter qualitates differentiam, ut magis resistat, quæ minùs activa est: ergo licet gradus perfectione differant, & ad morbum similem agat perfectior, quàm ad dissimilem, & resistat imperfectior; & sic major sit activitas, cum magis resistivus dicatur, quòminus activus sit, & hic sit, quo resistit prò morbo simili; hinc est, ut quod excedit de activitate in simili morbo inducendo, suppleatur de resistentia facienda à gradu imperfectiori, & quod deficit de activitate in morbo dissimili inducendo cum gradu imperfectiori, suppleatur de resistentia contrarii,quæ est minor; ac per consequens, æqualis erit hac ex parte utriusque morbi productio.

Insuper nam si adhuc gradus æqualis perfectionis dicantur, non celebratur faciliùs una alteratio, quàm altera. Suadetur: quippe omne agens agit secundùm id, quod est in actu respectu passi; sed in casibus dictis solùm per duos gradus est in actu respectu passi: ergo æqualis erit activitas,& resistentia; & consequenter productio erit æqualis. Prædicto ratiocinio communis solutio est, quod gradus cum ejusdem perfectionis sunt, omnes ad agendum concurrunt, & sic cum plures gradus reperiantur in causa inducente morbum similem, quàm dissimilem, etsi solùm per duos gradus utraque excedat passum, fortior actio reperitur per morbo simili, & fortior resistentia pro dissimili: quia plures gradus sunt resistentes. Tamen contra instatur solutio adducta: nam gradus quatuor, verbi gratiâ, caloris, neutiquam possunt producere quintum, etsi ejusdem perfectionis sint,ergo quia non possunt ipsi attingere quintum gradum; sed si per productionem alterius gradus caloris supra quatuor in agente non ponitur major perfectio in quatuor præexistentibus, neque additur ejus virtus:ergo si ipsi antea non poterant tangere productionem quinti gradus; neque postea, ac per consequens non poterunt simul cum quinto ad productionem quinti conducere, cum simulta-

neitas

neitas nihil ponat in ipsis: si ergo non possunt conducere ad productionem quinti simul cum quinto: ergo quantvis plures gradus reperiantur in causa pro morbo simili, cum solùm agant illi qui sentiuntur exuperantes, & sint ut duo, in uttoque casu æqualis erit activitas, & æqualis resistentia, ac proinde non erit facilius in morbum similem incidere, quàm in dissimilem.

Nobis tamen videtur veram esse Galeni doctrinam, aliterque esse à dubiis liberandam. Pro quibus advertendum est, non esse dubium tantùm distare corpus calidum ut unum, à calido ut tria, quantùm distat frigidum ut unum à calido ut unum. Neque est dubium unum gradum agens activè, & formaliter per alterum in compossibilem impediri, & consequenter æqualem esse resistentiam in uttoque casu. Est tamen differentia, quod cum in omnium productione reperiatur agens,& passum, & consequenter actio, & reactio, illud habeat rationem agentis, pro quo tandem victoria manet, & illud est, quod actionem victoriosam valet elicere. Illud autem dicitur passum, quod tandem victum manet; quod pendet ex eo quòd talis,aut tanta sit qualitatum intensio in uno, quod supposita reactione valeat adhuc passum vincere; ad quod non solùm requiritur excessus ad agendum, sed quòd talis sit, quòd valeat victoriam ferre, quod fit per qualitates in majori gradu existentes: sic dum calidum ut unum alteratur à calido ut tria, nihil mirum, quod facilè fiat alteratio: quia major qualitatum intensio in calore adest, & minor in frigore resistente, & sic quamvis sit actio, & reactio victoria pro calido debet resultare, nam faciliùs est tandem frigus remissum vinci, quam calorem intensum. Dum verò frigidû ut unum est per calidum ut unum calfaciendum, cum tanta sit intensio qualitatum in agente per calorem,quanta in passo per frigiditatem, fit quod non sit major ratio, ut actio victoriosa pro uno, quam pro altero resultet, & sic difficiliùs consequetur victoria, nisi virtus agentis magis intendatur, ac per consequens ideò difficiliùs est, incidere in morbum dissimilem; quia supposita continuâ actione & reactione, interdum unum vincens, jam aliud victum resultat, quod non fiet dum agens intensionem majorem habet. Ex quo manet solutum argumentum difficile: nempe quòd licet actio fiat per duos gradus, & resistentia per eosdem in uttoque casu, cum ad morbum similem inducendum major qualitatum intensio sit in agente, & minor in passo resistente, fit quod per continuam actionem, & reactionem, tandem vincatur id, quod remissius est, & reductione facta in agente remotâ qualitate contrariâ, quasi agens fortius, & victoriosum resultet. Dum verò morbus dissimilis est inducendus major intensio, aut æqualis qualitatis resistentis est in passo, quàm in agente qualitatis agentis; & sic ferè ad invicem vincuntur; unde evenit quod tardiùs actio victoriosa pro agente resultet, nisi virtus addatur, seu augeatur, & sic difficiliùs erit alteratio in dissimilem qualitatem. Sed de his satis, quia magis ad Philosophum, quam ad Medicum spectant, & ad reliqua properemus, ut tractatui nostro finem imponamus.



DISPVTATIO
DE CONSVETVDINE.

CVM Galenus toties repetat ratione consuetudinis diversimodè debere operari Medicum in quacumque curatione; itaut summoperè eam commendet, ut videre est per omnes libros Methodi, præcipuè in 9. cap. 6. & super libros aphorismor. & de victus ratione, & quotiescumque aliquid agendum disponit; eius naturam examinare apparet necessarium,quod ut consequamur primò de eius essentia caput instituemus.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit consuetudo.

UT quæstio intelligatur: advertendum est consuetudinem dupliciter sumi: primò pro multitudine actuum præcisè, qua ratione ex eo quòd quis pluries uteretur hoc, vel illo alimento dicimus habere consuetudinem illius, sicut ex eo quod quis pluries medicamento purgetur, vel sanguine evacuetur, habere talis evacuationis consuetudinem dicimus, propter quam aptiorem resultare hominem ad similes actus eliciendos dicimus, nullo in subjecto accidenti resultante, ut Peramatus cap.19. de temperamentis voluit. Qua ratione Consuetudinem definivit dicens. *Est natura ad opus ex actibus inclinatio.* Quibus verbis manifestè docet consuetudinem non constitui per aliquod accidens ratione actuum in viventi productum ad facilè operari conducens, sed pro multitudine actuum formaliter ad id facilitante ex se, ita ut ipsa naturæ inclinatio, sit effectus ostendens actus à quibus processit; consuetudinem constituentes. Nam nemo negabit, quod ipsa facilitas operandi sequatur consuetudinem, & cum nihil aliud facilitas sit, quam naturæ inclinatio, ideò tanquam per effectum, consuetudo per inclinationem vel facilitatem naturæ ad opus ex actibus, definitur. Qua ratione Galenus in hoc capite nullo alio meliùs temperiem cognosci docet, quàm ex consuetudine: ergo sentit diversum quid esse consuetudinem ipsam à termino per eam resultante. Et consequenter in fine capit.16. lib.9. docuit *ætatem, & consuetudinem interventu temperamenti indicare*: quibus verbis docet diversum quid esse consuetudinem à termino resultante per ipsam, ac per consequens consuetudo pro multitudine actuum potest accipi.

Secundò accipitur consuetudo pro termino, vel qualitate quadam ratione actuum producta ad facilè operari conducente, siquidem eomodo ac per multitudinem actuum, generari qualitatem aliquam habitum appellatam, docuit Philosoph. cap.8. prædicamentorum, propriè ad actus interiores pertinentem, vel ad facilè operari conducentem; ita per longum alimentorum usum circa facultates naturales, & per usum circa aliquas facultates, qualitas quædam resultat

rat in subjecto consuetudinem constituens in communi Medicorum doctrina. Peramato excepto, cujus ratione aptior ad operandum similem actum ulteriùs resultat facultas, sicut de vero habitu diximus, quam veritatem manifestavit Galenus 2. aphor. 50. qui reddens rationem cur consueta minùs molestare soleant, sic ait. *Cibus, ac potus naturam adventitiam efficiunt*, per quæ verba manifestè demonstrat consuetudinem constitui per terminum, vel qualitatem quamdam resultantem usu rerum, adscititiam naturam dictam, ex eo quod usu rerum acquiratur, vel adveniat, qua etiam ratione, & lib. de consuetudine per totum, & pluribus aliis in locis ostendere conatur Gal. alimenta consueta esse meliora, quia familiaria sunt temperiei usu rerum resultanti, vel ex propria natura existenti; nam ut docet præcipuè cap. 2. quia familiaria propriæ naturæ fuerint assueta, nam contraria, nec appetuntur, nec ipsis benè se habet vivens.

Ex dictis facilè intelligitur quomodo dissueta, etsi meliora, sunt posthabenda, ut docet 2. aphor. 50. Galenus, & 2. Acutor. à text. 21. ad 34. in quibus ex professo ostendit non solùm esse præferenda consueta, etsi minùs bona alimenta verùm & vitiosam victus rationem, quod ex eo est, quia natura ad familiaria alimenta appetenda inclinatur, & consequenter illa sunt consueta, alia verò contraria, & quamvis per artem quis ad prava alimenta assuescat, cum natura specialis acquiratur ex eorum usu, quæ adventitia dicitur à Galeno, hinc est, ut adhuc talia alimenta assueta utiliora sint judicanda, quia familiaria illi naturæ adventitiæ, & consequenter lædere non valent, maximè tamen insueta.

Sed Dices si natura inducit ad appetendum familiare, & hinc est quod consueta familiaria sunt, non poterit verificari consueta esse deteriora: nam ut Galenus docet cap. 2. de consuetudine, alimenta meliora sunt familiaria: sed appetunt hæc: ergo insueta sunt meliora. Nec valet Respondere loqui de consuetudine comparata, non ex eo in quod inclinat natura, sed per artem, quæ depravata, & ad alimenta prava esse potest; nam etiam hæc consuetudo cum dicat specialem naturam acquisitam, respectu cujus familiare, & simile est alimentum consuetum, non poterit verificari de ipso deterius esse, & esse præferendum ratione consuetudinis.

Probatur alimentum optimum appellari, non solùm propter optimum succum, quem habet præstare, sed etiam propter aptitudinem, quàm habet ex se ad conversionem, & propter alia accidentia alimentosa, vel quæ debentur ut alimentum est; & sic cum bonitas hæc absolutè sit accipienda respectu subjecti temperati, hinc est, quod alimentum, quod respectu ejus est omni ex parte optimum, & absolutè dicitur tale, respectu consuetudinis non debeat esse optimum, quia potest consuetudo esse diversa, & sic illud erit præferendum, quod consuetum, idest, quod familiare, respectu illius naturæ specialis. Qua etiam ratione cap. citat. Galenus docet esse plures homines, quibus propter specialem naturam familiare est vinum, alios quibus una caro, & alios quibus altera, & ècontra, itant propter propriam cujuslibet animantis naturam sive ab intrinseco, sive ab extrinseco comparatam proveniat alia esse alimenta unius, alia alterius animati propria. Qua etiam ratione 3. de alimentis 27. docet familiaritatem substantiæ voluptate judicari.

Difficultas tamen est in quo formalis ratio consuetudinis sita sit: An in usu rerum; an in termino ex usu rerum resultante? & videtur veram, & formalem consuetudinis rationem in ipso rerum usu consistere, non verò in termino, vel qualitate resultante. Quod videtur docere Galenus cap. 16. cit. dum dixit & temperiem corporis cognosci melius ex consuetudine, quàm ex alio signo; & ipsam consuetudinem interventu temperamenti indicare, quod magis manifestavit 4. de sanit. tuend. cap. 9. per hæc verba. *Porro consuetudinem, ut quæ adscititiam generet naturam, mutare, noxium est*, docet ergo consuetudinem in usu rerum formaliter consistere, cum ipsa usus sit, qui adscititiam naturam faciat, ut comm. 50. aph. 2. docuit: quomodo etiam loquitur semper, dum de consuetudine agit, cum per consuetudinem corpus immutari fateatur, tam lib. de consuetudin. quàm 2. de motu muscul. & pluribus aliis in locis.

Hæc etiam ratione probatur 1. quia potest quis duobus contrariis assuefieri; sed non possunt esse in uno subjecto duæ temperies oppositæ: ergo non consistit consuetudo in termino producto. Major etsi non adducatur à Galeno 2. aphor. 50. constat experientiâ, quâ rebus calidis aliquibus & aliquibus aliis frigidis corpora assuefieri videmus; minor est certa cum de ratione contrariorum sit adinvicem expelli: ergo & consequentia.

Secundò quia si tres homines habeant idem temperamentum, alter ex propria natura, alter usu calidorum remittentium ejus frigus; & alter usu frigidorum ejus calorem remittentium, habebunt eumdem terminum productum, & non habebunt eamdem consuetudinem: ergo non consistit in termino, vel in temperamento resultante, sed in usu rerum; major patet, quia primus nullam habebit consuetudinem ex propria natura temperatus, & malè se habebit aliis. Secundus homo habebit consuetudinem calidorum, quibus benè se habebit, & aliis malè, èconta verò tertius: ergo: & hac etiam ratione, ut diversa indicantia temperamentum, & consuetudinem adducit Galenus.

Tertiò quia si consuetudo consisteret in termino producto, vel in temperamento resultante usu rerum, sequeretur, quod nulla sumeretur indicatio consuetudinis; sed tantùm à termino indicationem esse sumendam, cum solùm ratione ejus sit diversificandum remedium, non ratione usus rerum: sed sic est, quod ratione consuetudinis diversa applicantur medicamenta, & alimenta, quàm ipsum temperamentum expostulat: ut in casibus dictis: ergo consuetudo non consistit in temperamento resultante usu rerum, ac per consequens, nec habet rationem naturæ. Quod confirmatur quia natura ad operari conducit; consuetudo ad facilè operari: ergo differunt, ut docuit Philosoph. 7. ethicor. 10. ostendens facilius curari incontinentes ex consuetudine, quàm qui tales ex natura sunt: ergo consuetudo non est natura.

Non tamen magis consentaneum veritati videtur consuetudinem consistere in qualitate quadam usu rerum comparata; vel in adscititia natura, quàm in aliquo alio. Primò, quia non alio modo per habitum redditur intellectus aptior

ad

ad operandum, quàm facultas motiva per consuetudinem redditur aptior ad suos actus eliciendos. Sed habitus ex doctrina Philosophi,est qualitas quædam ex actibus producta ad facilè operari conducens: ergo & consuetudo erit qualitas ex actibus producta ad facilè operari suæ facultatis conducens. Vocatur enim habitus in intellectu, quod respectu aliarum formarum magis materialium dicitur consuetudo.

Secundò, quia consuetudo indicat sive per salutem, sive per morbos sui conservationem per similia, ut Hippocrates docet. 2. acut. citat. & 2. aphor. & Gal. in comment. & in his libris methodi: sed si consuetudo formaliter non consisteret in aliquo resultante usu rerum, non posset sui conservationem indicare: ergo in qualitate resultante consistit. Minor probatur, quia si nihil esset in corpore consuetudinem constituens, non esset quod indicaret sui conservationem, nec esset cui assimilaretur medicamentum: præterquam quod usus rerum dum non fuerit propter terminum productum necessarius, non est ad quid requiratur propter se: ergo consuetudo in aliqua qualitate usu rerum resultante consistit.

Totam hanc doctrinam ostendit Galenus capit. 2. de consuetudine dicens acquiri similitudinem quandam alimentorum usu inter ipsa & vivens, ratione cujus meliùs se haber vivens alimentis consuetis, quàm aliis: sed similitudo fundatur in qualitate quadam: ergo usu alimentorum acquiritur qualitas, ratione cujus meliùs se habet vivens circa alimenta consueta: ac per consequens consuetudo in qualitate quadam usu rerum acquisita consistit. Patet nam id dicitur consuetudo, quod ad facilè operari facultatum conducit: sed qualitas illa ad hoc conducit, ut Galenus docuit loco citato, & quarto de simplicibus decimo tertio, cum sit similitudinis fundamentum: ergo in illa consistit consuetudo. Confirmatur, quia facultas, quæ antea non operabatur, ita promptè, per usum illius, quod ad ipsam pertinet faciliùs, vel commodiùs operatur: sed non potest diversimodè operari nisi aliquo modo immutetur: ergo per aliquid in ipsa; vel in ipso subjecto productum: patet: quia si usus rerum nihil ponit, vel tollit de facultate, seu de dispositione ad ejus operari: eadem numero se habebit facultas ac antea; sed diversimodè se habet, cum diversimodè operetur: ergo ponit aliquid usus, ac per consequens illud habebit rationem consuetudinis cum sit aliquid usu rerum productum ad facilè operari conducens.

Ex dictis, & ex quotidiana experientia constat consuetudinem dari, per ipsamque promptiùs se habere vivens in ordine ad opera consueta, & in ordine ad alimenta consueta, ratione cujus utiliora judicantur à Galeno consueta, quàm dissueta, quidquid sit de bonitate intrinseca rei, & sic periculosa judicatur consuetudinis mutatio: ut cap.9. de sanit. tuend. dixit Galenus.Definitur autem consuetudo rectè: si dicamos *esse quid ex actibus resultans ad faciliùs operari conducens*: non dixi esse qualitatem, vel dispositionem, quia plura sunt, quæ rationem consuetudinis habent, ut dicemus: & omni rigore qualitates non sunt.

Ad argumenta Respondetur ad Gal. quod ipse utrùmque confundit; ex eo quod idem significetur quoad esse medicinale: sive usus rerum, sive terminus productus formaliter consuetudo dicatur, & per usum rerum intelligatur, quod verum consuetudinem constituit tanquam in causa ostendente terminum. At verò lib.de Consuetudine cum ex professo de ipsa agat, explicuit aliquid per diversos actus in ipso viventi produci, ratione cujus aptius ad operandum circa consueta manebit vivens, cum quo docuit in illo rationem formalem consuetudinis consistere.

Prima ratio petit; quomodo possit quis duobus contrariis assuefieri, quod constabit infra. Dum dicemus,quomodo adquiratur consuetudo. Ad secundum dicimus temperamentum absolutè tale non constituere consuetudinem: sed temperamentum tale ex actibus, ratione cujus, qui ipsum à propria natura habet, habet naturam, non consuetudinem; habet tamen banc; qui ipsum ex actibus habet; quod talem constituit consuetudinem, quale ipsum fuerit, cum ordine ad actus, per quos fuit productum, & sic, qui usu frigidorum acquisivit temperamentum, diversam habet consuetudinem ab alio usu calidorum idem comparante, propter diversum ordinem, quem dicit tale temperamentum ad actus diversos, & sic tanquam diversum indicans dicitur natura, & consuetudo; & sic consuetudo altera natura dicitur. Quo constat solutum tertium argumentum: ideo sit quod faciliùs curentur incontinentes ex consuetudine, quàm ex natura, quia illa, etsi alteram naturam constituat, non potest esse ita universalis, ut quæ à principio intrinseco in toto orta est.

CAPUT II.

An ex actionibus frequentibus adquiratur consuetudo in vegetativis facultatibus.

PRo cujus explicatione supponendum, quod consuetudo duobus modis dicitur. 1. pro frequentiori rerum usu, ut quando quis simili alimento sæpissimè fruitur, & hac significatione in præsenti, nomine consuetudinis non utimur. 2. modo accipitur pro eo quod remanet, transacto rerum usu, illud enim revera consuetudo appellatur,& propriè, ut colligitur ex Arist. 2. lib. Ethicor.cap.10. ubi dicit ex frequenti rerum usu consuetudinem acquiri: appellat ergo consuetudinem illud, quod distinguitur ab usu rerum, & hac significatione vertitur in dubium, an ex actionibus procedentibus ab anima vegetativa adquiratur consuetudo.

Et pro parte negativa potest esse hoc argumentum: ea quæ operantur secundum naturam non possunt assuetudinem comparare, sed facultates vegetativæ animæ operantur secundum naturam: ergo non comparant consuetudinem ex actibus. Major est certa patet enim inductione: quia lapis quantumvis sæpissimè deorsum moveatur; cæteris omnibus eodem modo se habentibus: eodem modo movetur: similiter ignis quantumvis sæpissimè calefaciat, eodem modo se habet semper: & ratio hujus est, quia facultates naturales operantur secundum ultimum potentiæ, juxta

proportiònem agentis ad id quod patitur : atque adeo in illis non potest reperiri promptiùs, aut faciliùs agere : Probatur minor : quia facultates vegetativæ operantur mediis qualitatibus elementorum, ut instrumentis : ergo operantur secundum ultimum potentiæ.

Obiter tamen advertendum est, omnes Medicos comprobasse non posse assuescere ex eo quod dictum est ab Arist. 2.Ethicor.cap.1.nihil ex his, quæ secundum naturam sunt aliter assuescere : quo testimonio, ut constat non dixit Aristot. respectu naturalis actionis non posse consuetudinem comparari : sed tantùm voluit dicere : quod respectu actionis, quæ contrariatur operationi naturali : non potest contingere consuetudo : ut patet exemplo ibi apposito.

Secundò probatur hoc idem in agente ubi tantùm est principium activum, & non passivum: non potest reperiri consuetudo.sed omnes facultates vegetativæ sunt activæ; & nullo modo passivæ:ergo in illis non reperitur consuetudo:Probatur major : quia consuetudo, ideo fit, quia illud, in quo reperitur, per actus præcedentes disponitur : oportet ergo, quod recipit consuetudinem, actus recipere : sed recipere est pati:ergo necessarium est passivum principium esse quod debet recipere consuetudinem : & non tantùm activum. Probatur minor argumenti inducti : quia actus nutritivæ facultatis non subjectatur in ipsa, sed in materia : Similiter neque actus augmenti, non subjectatur in facultate augmentativa : sed in parte substantiæ, quæ producitur. Similiter generatio non subjectatur in facultate generativa, quæ est in animali, sed potiùs in materia sanguinis, aut seminis, & sic de aliis.

Sed his non obstantibus absque dubio dicendum est, in facultatibus vegetativis locum habere consuetudinem:quod constat primo:nam experientiâ constat : plantas, quæ certis, & determinatis temporibus irrigantur, arescere, si non irrigentur ipsis temporibus : reliquas vero minimè : hujus rei nulla potest assignari ratio, nisi ea, quæ in consuetudine fundatur. Hoc autem ad facultatem vegetativam spectat.

Similiter hanc sententiam probat,quod deducitur ex Gal. lib. de simpl. med. facult.cap.8. ubi dicit Auum nutritam fuisse cicuta, citra læsionem:quod profectò in consuetudine, quam comparavit pars per nutritionem consistit. Habet vim similiter, in hujus rei confirmationem, & illud, quod tradit Gal. in principio libri primi de Antidotis : quo loco refert Regem Mittidatem ex frequenti usu Antidoti proprio nomine appellati, liberatum fuisse à morte ex assumpto veneno. Quod etiam confirmat Arnald. de Villanov. lib. suo de speculo cap.82. ubi refert hominem citra læsionem araneis nutritum fuisse. Quod etiam confirmat Hipp.2,acut.comm.21.ubi dicit consuetam victus rationem, etsi deterior sit, tutiùs est sequi,quam subitò in meliorem mutare : quæ omnia, & plura alia, quæ potest quis videre apud Galenum lib.de Consuetudin. cap.1. comprobant in facultate naturali commutativa per nutritionem, vim habere consuetudinem.

Neque solùm in hac facultate : sed etiam in attrahente & coquente videtur reperiri consuetudo : quia ut constat experientiâ, quòd homo, qui singulis diebus ter assumere alimentum decrevit, ter etiam appetit : si verò ter non assumat, læditur. Ratio est, quia in hoc homine, facultas attractrix consuevit ter attrahere à ventriculo, si verò non trahat,læditur pars necessariò. Contra verò,qui tantùm semel assuevit assumere cibum, si pluries assumat, læditur, quia in hoc facultas attractrix tantùm consuevit semel trahere à ventriculo : quæ omnia tantùm habent fundamentum in eo quod trahens facultas assuescat.

Similiter ille,qui consuevit maximam quantitatem cibi assumere,læditur si non assumat.Contra verò,si assumat ille,qui non est assuetus, gravatur : ut 2.acut.com.22.ab Hipp.dicitur. Constat ergo non solùm in facultate coquente, & commutativa habere locum consuetudinem; sed etiam in trahente.Similiter in facultate expellente hoc est verum,quod constat ex Hipp.2.progn. comm. 13. ubi dicit laudandam esse in dejectionibus horam consuetam dejiciendi ; similiter licet somnus meridianus vituperetur ab Av. F. 3. lib.1, doct.2. cap.9. tamen si quis assuevit eâ horâ dormire, læditur, si non dormiat : quia eo tempore caput gravatur : eò quod consueverunt partes eâ horâ mittere vaporosa in caput, quæ somno dissolvuntur. Propter eamdem causam fluxionem ex longo tempore cohibere non est tutum : quia expultrix facultas consuevit secernere bonum à malo, & hoc expellere. Hæc est causa propter quam, malum est Hemorrhoidas antiquas sanare : nam sequuntur illa damna, quæ traduntur ab Hipp. 6. de morb. vulgar. part.3. à comm. 34. usque ad 40. ita ergo constat non solùm in facultate nutriente : sed etiam in subministrantibus locum habere consuetudinem,

Pro solutione tamen argumentorum, quæ proposita sunt in contrarium ; est advertendum : quod non est idem dicere in vegetabilibus reperiri consuetudinem, aut reperiri habitum propriè : hic enim habitus non potest adesse nisi in subjecto habente libertatem : unde rectè dixit Averroes 3. lib. de anima comm.14. habitus est, quo utimur, cum volumus ; ideo verò dicimus in vegetabilibus reperiri consuetudinem, quia adest habitualis quædam dispositio in ordine ad suam naturam ad quam tria tantùm sunt necessaria. Primum : quod id, quod disponitur per ipsam,sit diversum ab eo ad quod disponitur, & comparatur id ipsum ; sicuti potentia ad actum. Secundum, quod id, quod disponitur, possit pluribus modis commensurari, & determinari : Tertium, quod concurrant plura, quæ possint diverso modo se habere. Vnde rectè dictum fuit ab Aristot. quinto, lib. metaphys. capit. de qualitate, *habitus est dispositio, dispositio est ordo habentis partes.*

Ex qua doctrina Respondetur ad primum argumentum : quod non est eadem ratio in purè naturalibus & in vegetabilibus : ideo enim non possunt assuescere : quia per actus quos eliciunt, eodem modo se habent semper : neque contingit in ipsis aliqua variatio, ut ignis eodem modo se habet semper, quantumvis frequentissimè calefaciat ; similiter lapis licet deorsum semper moveatur. At verò vegetabilia secundum eas facultates, quas diximus non se habent eodem modo, transactis actibus, sicuti se habebant, antequam operarentur frequenter. Quod constat in facultate nutritiva, nam pars, quæ nutritur non solùm agit in alimentum, sed ab illo patitur.

Præterea,

Præterea substantia, quæ per nutritionem reparatur, habet aliquid simile ei quod erat in alimento, ante commutationem; unde facta frequenti nutritione ex simili alimento adquirit pars similitudinem cum illo.

Ad secundum Respondetur veram esse majorem propositionem: ad minorem vero dico: quod licet verum sit actiones vegetativæ animæ, non subjectari in agente, sed in alio subjecto distincto, tamen ad hoc, quod ex actionibus nutritivæ facultatis adquiratur consuetudo satis est, quod illa pars substantiæ, quæ reparatur per nutritionem uniatur parti existenti, & fiat unum cum illa, nam ita variatio est in agente, quod resultat.

Sed Dicet aliquis: sequitur ex hac ratione, quod ignis potest assuetudinem comparare. Probatur sequela, quia ignis dum commutat lignum in sui naturam, ignem genitum sibi unit, ita ut ex utroque fiat unum numero: idem ergo reperitur sicuti in vegetabilibus:

Respondetur quod est diversa ratio, nam licet verum sit ignem genitum ex ligno uniri præexistenti in unitate numerali, tamen, quia ignis productus eodem modo se habet in omnibus sicuti ignis præexistens ante commutationem nullam suscipit variationem in aliqua qualitate neque in prima, neque in secunda, & ratio est à priori, quia nihil materiæ commutatæ, in specie maner in igne genito præter materiam primam, aut aliquam ex primis qualitatibus, in commutatione verò alimenti per nutritionem maner allquid, ut dictum est: quia non est necessarium, substantiam, quæ reparatur per nutritionem totaliter assimilari agenti: sed potest aliquid habere ex dispositione alimenti.

Sed Dicet quis ulteriùs saltim propositum argumentum videtur habere maximam vim ad ostendendum ex actionibus facultatis trahentis, aut expellentis, non fieri consuetudinem: quia neque expulsio, aut tractio subjectantur in propriis facultatibus, neque in ipsum contingit, quod diximus reperiri in facultate nutritiva.

Respondetur quod in expulsione, id quod expellitur immutat partes expellentes, & pars, quæ ex consuetudine trahit, aliquid habet in se, quod sit veluti occasio cogens ad sic trahendum. Vnde actiones harum facultatum non fiunt sine mutatione principii agendi: & hoc sufficit ut possit in illis habere locum consuetudo. Quo pacto autem debeat explicari hoc argumentum in facultate naturali respectu quantitatis alimenti dicemus infra.

Majorem difficultatem habet intelligere, quid in facultate naturali sit consuetudo. In qua dubitatione Galeni opinio est, consuetudinem esse adventitium temperamentum, sive naturam. Scimus enim ex ejus doctrina duplex esse temperamentum, aliud innatum, aliud adventitium, appellat ergo consuetudinem temperamentum hoc adventitium, non quidem ex ætate, sed usu alimentorum, hanc sententiam tenet expresse lib. 2. de motu muscul. cap. 3. & lib. 2. de temperamentis cap. 9. & lib. 2. aphor. com. 50. dum explicat hanc Hippocratis sententiam *Consueta, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent*, & 9. lib. method. cap. 16. dum docet unam indicationem sumi à consuetudine, sicuti ab ætate hæc verò duo inquit indicare interveniente natura: sequitur ergo: quod natura est consuetudo. Probatur quia ut supra declaratum est, nomine consuetudinis hoc loco intelligit res assuetas: si ergo istæ indicant interveniente natura, cum debeant indicare mediâ consuetudine propriè dictâ: hæc ergo erit natura. Eamdem sententiam licet non ita expresse habet Galenus 11. method. cap. 3.

Neque verò contra haoc sententiam alicujus est momenti, quod aliquis possit objicere, si dicat, temperamentum est causa simpliciter actionis: sed consuetudo non est causa simpliciter actionis: ideo enim ponitur ut subjectum prompte, & faciliter operetur: Sequitur ergo quod consuetudo non est temperamentum, neque natura.

Respondetur facilè, quod licet temperamentum absolutè sit causa actionis simpliciter: consuetudo solùm est modi ejus: quod constat ita, nam si aliquis homo frigido, & sicco temperamento sit, & sæpissime nutriatur frigidis, & humidis, certum est ante usum horum alimentorum corpus nutriri simili nutritione, & ejusdem rationis: post usum vero horum alimentorum tantum de novo adquiritur, ut commutatio ex his alimentis fiat faciliùs, & citra noxam.

Sed hanc sententiam Galeni impugnat Vallesius 8. lib. controv. cap. 5. falsum enim inquit est, consuetudinem esse adventitiam naturam: quia dictum est ab Arist. 7. lib. Ethic. cap. 10. incontinentes ex consuetudine, quàm ex natura faciliùs sanari possunt. Quippe consuetudinem, quàm naturam faciliùs est mutare: ideo enim difficile auffertur consuetudo, quia naturæ est perquàm similis: ex quo colligitur consuetudinem revera differre ab omni natura: quia faciliùs est consuetudinem mutare, quam naturam: ergo consuetudo non est natura. Similiter si consuetudo est naturæ perquàm similis non est ipsamet natura. Quod autem consuetudo assimiletur naturæ etiam videre est apud Arist. lib. 1. Rethoric. cap. 11. quo loco agit de jocundis. Similem sententiam possumus legere apud Aristot. 2. lib. magnorum moralium cap. 7. ubi dicit incontinente improbior est intemperans, curatu enim difficiliora, quæ naturalia, quàm quæ ex consuetudine; ob id enim magnifacienda est consuetudo, quia naturæ insideat. Quo loco etiam apertam differentiam constituit inter consuetudinem, & naturam. Libello etiam de memoria, & reminisc. cap. 3. dum vult declarare Aristoteles an ad memorandum incipiendum sit à primo principio cognito, dicit: si enim non per primum movemur, neque assuetudine movemur, est enim consuetudo tanquam natura; quo etiam loco insinuat discrimen inter naturam, & consuetudinem.

Sed revera hæc testimonia non probant contra hanc Galeni opinionem: multò minùs illud, quod à Vallesio adductum est, quod ita constat: nam in hac dubitatione ex Galeni opinione tantùm dictum est in vegetabilibus, præsertim in facultate nutriente consuetudinem esse adventitiam naturam; at verò incontinentia de qua erat sermo in prædicto testimonio non spectat ad facultatem naturalem, & vegetativam: sed est habitualis dispositio existens in voluntate, tanquam in subjecto, quam differre à temperamento adventitio nullus dubitat: malè ergo hoc testimonium assumpsit hic Author ad probandum consue-

tudinem in vegetabilibus differre ab adventitia natura, siquidem in istis incontinentia non est.

Quod autem incontinentia sit in prædicta facultate sicut in subjecto, constat apertè; quia contraria sunt circa idem, sed continentia est in voluntate tanquam in subjecto, & non in corpore vegetabili: ergo incontinentia similiter. Major est certa de contrariis, & minor constat ex definitione ejusdem: nam continentia apud Aristotelem eo loco est habitualis dispositio, per quam homo eligit resistere passionibus facultatis concupiscibilis: sicuti incontinentia est habitualis dispositio, per quam homo eligit illa sibi: ergo debet esse ubi est electio: sed ex omnium consensu electio est in voluntate: ergo ibi est incontinentia: non ergo rectè assumitur ad probandum consuetudinem in vegetativis à natura distingui ex hoc testimonio.

Sed Dicet aliquis; si incontinentia est in prædicta facultate; sicuti in subjecto, perperam ergo loco citato distinguit Aristotil. incontinentes ex consuetudine, ab incontinentibus ex natura: siquidem dixit faciliùs sanari incontinentes ex consuetudine, quàm ex natura.

Respondetur quod licet verùm sit omnem incontinentiam in voluntate esse sicuti in subjecto, tamen aliquando contingit, ut quidam sint propensi ad incontinentiam ex corporis dispositione, & temperamento: ita ut talis dispositio præstet occasionem; tales ergo dicuntur incontinentes natura.

Sed Dicet ulterius quis, si nomine naturæ intelligit Aristoteles etiam temperamentum, malè dictum est ab ipso alio loco citato 2. scilicet lib. moralium ad probandum incontinente improbiorem esse intemperatum, dicit *curatu enim difficiliora, quæ naturalia, quàm quæ ex consuetudine*; nam consuetudinem consuetudine possumus auferre, natura verò à nemine extrudi potest: potest autem auferri temperamentum usu rerum contrariarum: ergo per incontinentes naturâ, non intelligit eos, qui sunt tales ex corporis dispositione, aut temperamento.

Respondetur quod nomine consuetudinis, tam hoc loco, quàm omnibus aliis locis supra adductis, intelligit propriè de consuetudine morali: ita ut sit sensus, consuetudinem possumus consuetudine auferre, tamen actibus propriè consuetudinis moralis nunquam possumus auferre naturam.

Licet autem his Aristotelis testimoniis non probetur consuetudinem in facultate nutritiva à temperamento distingui; potest tamen aliter ostendi urgentiùs, quod distinguatur à qualibet natura adventitia: Primò, quia dato opposito si consuetudo est illa natura; perperam reprehendit Galenus antiquos Medicos lib. de Consuetudin. capite primo, qui dicebant tantùm esse considerandam naturam ventriculi, & alimentorum, an scilicet inter illa intercedat familiaritas & similitudo, an secus: nullamque esse habendam rationem consuetudinis. Probatur sequela: quia si tantùm natura corporis nostri usu plurimorum alimentorum adquirit temperamentum simile respectu alimenti; cum tale temperamentum possit haberi ex principiis generationis, sequitur in hoc eventu, idem contingere ex natura, sicuti ex consuetudine; quia similem familiaritatem habet corpus in naturam respectu alimenti.

Si verò quis Respondeat, usu alimentorum adquiri similitudinem in aliqua secunda qualitate ex alimento, quam nullus potest habere ex principiis generationis. Contra est: quia saltim quælibet similitudo in primis qualitatibus, & in omnibus secundis, quæ ab his oriuntur necessariò, potest esse à principiis generationis: ergo saltim in his non habet locum consuetudo, præsertim cum nulla etiam videatur secunda qualitas contracta ex alimento, quæ in aliquo individuo ex principiis generationis haberi non possit: cum omnia temperamenta adquisita possint etiam esse ex principiis generationis.

Secundò probatur hoc idem, quia si consuetudo in vegetativis nil aliud est, quàm adventitium temperamentum, perperam Galenus his libris methodi, distinguit indicationem à consuetudine, ab ea, quæ sumitur à natura. Si verò dicas nomine naturæ intelligi innatum temperamentum, nomine consuetudinis adventitium: & quia hæc possunt esse diversa: ideo tanquam diversa principia indicationum à Galeno ponuntur.

Contra sic, fingamus duos homines alterum calidum in primo gradu: alterum calidum in tertio, ex innato temperamento, calidum verò in primo gradu usu alimentorum calidorum deduci ad calidum in secundo, calidum verò hominem in tertio usu alimentorum frigidorum deduci etiam ad calidum in secundo; isti duo homines habent adventitiam naturam, & tamen habent contrarias consuetudines: ergo consuetudo diversa est ab adventitia natura. Probatur autem major, quantùm ad primam partem: nam illi duo homines habent idem adventitium temperamentum nempe calidum in secundò gradu: ergo habent eamdem adventitiam naturam. Probatur major, quantùm ad secundam partem: quod scilicet sint in illis diversæ consuetudines; nam si illi duo homines incidant in calidum morbum, curatio debet fieri frigidis: tamen non debent similiter utrique adhiberi: nam illi, qui assuetus est calidis, ut deduceretur ad calidum in secundo gradu: frigida non debent adhiberi subitò, & repente: ne permutatio ad insueta subito fiat: quòd maximè consonum est his, quæ docet Hippocrates & Galenus evidenter: ergo sequitur diversam esse consuetudinem ab adventitia natura.

Neque sufficit huic argumento Respondere, quòd licet, illi duo homines habeant idem temperamentum, non tamen habent eamdem adventitiam naturam: quia non habent eamdem temperamenti constitutionem, nomen enim temperamenti est nomen proportionis: & quia illi duo homines habent in qualitatibus, & substantiis similem proportionem revera habent simile temperamentum, non tamen eamdem adquisitam naturam: sicuti quantumvis piper album, & nigrum habeant idem temperamentum, non tamen habent eamdem naturam; neque eamdem temperamenti constitutionem: ita ergo dici potest in illis duobus hominibus eamdem temperamenti constitutionem non esse, & ex consequenti: neque eamdem

adventi

adventitiam naturam, nam ut à Galeno dictum est 11. lib. capit. 1. adventitiæ naturæ ad causas efficientes reduci debent, ut iode indicationem sumamus; Natura ergo illorum propter usum contrariarum causarum cum contrariis rebus habet familiaritatem, atque adeo contrariam consuetudinem.

Sed hæc solutio non videtur sufficiens: quia diversi temperamenti constitutio in illis tantùm videtur reperiri: quia à diversis causis illud temperamentum est factum: cum ergo secundum Galeni, & Medicorum sententiam temperamentum adventitium non differat à natura adventitia, aperte sequitur: quod cum identitate temperamenti non potest stare diversitas naturarum: quantumvis causæ externæ contrariæ sint.

Sed posset quis ulterius Respondere, quòd in illis duobus hominibus est idem temperamentum: tamen in uno calor est, qui ex frequenti usu adquiritur; in alio vero frigus; & licet in utroque gradus fiot pares, & ejusdem intensionis, tamen calor, qui in uno adquiritur, in alio est innatus, & ex principiis generationis & frigus similiter, quod in uno usu rerum adquiritur, in alio homine est innatum: & hoc sufficit ut sint contrariæ consuetudines, & ita varietur curatio, nam si calorem adquisivit ille usu rerum, & incidat in calidum morbum, non debent adhiberi frigida subitò, & repente, sed paulatim: Contra verò fit in illo homine, qui calorem ejusdem gradus innatum habebat: quod videtur constare ex Galeni doctrina, quinto method. capit. 10. quo loco videtur constituere differentiam inter vulnus suâ naturâ humidum, & vulnus humidum usu medicamentorum humectantium: docetque diversa ratione curati: nam quod humidum suâ naturâ est, debet curari exsiccantibus medicamentis æqualibus: quod autem humidum factum est usu medicamentorum, non ita debet curari; sed sensim & paulatim adhibendo sicca remisse, sumptâ indicatione à consuetudine ex errata curatione: Distemperies ergo ejusdem intensionis assuetudine comparata variat curationem, ex eo solùm, quod usu rerum est facta: non est ergo mirum in illis duobus hominibus habentibus idem temperamentum consuetudines esse contrarias, sufficeréque ad hoc qualitates contrarias usu adquisitas esse, licet quod in uoo consuetudine factum est, in alio sit in natura.

Sed hæc solutio mihi noo placet, quia per consuetudinem facultas, quæ ex se erat indifferens ad sic, vel aliter operandum determinatur ad operandum in particulari tali modo: ergo cum in illis duobus hominibus sit idem determinans, evidenter sequitur facultatem eodem modo operari: parum ergo refert, quod determinans in uno sit innatum, & in alio adquisitum: sicuti si quis adquirat scientiam usu rerum, & alter habeat similem scientiam à nativitate, ridiculum esset dicere diverso modo determinari intellectus eorum, ex eo solùm quod scientia in uno sit innata, & in alio adquisita.

Locus autem ille in argumento propositus ex 5. lib. method. 10. falso adductus est; tantùm enim ille reprehendit Thessalum, qui in ulcere existenti in parte siccissima corporis utebatur medicamento humectanti: fundamentum autem reprehensionis est hoc, quia sumpta indicatione à partis natura, siccioribus debebamus uti, tamen in hoc exemplo propter humiditatem adquisitam consuetudine ex mala curatione, non subitò sicciora debent apponi; sed sensim, & paulatim; an verò ita faciendum esset, si humiditas ejusdem intensionis ex consuetudine non esset, Galenus non docet eo loco, neque declarat, an in hac consuetudine ex medicamento humectanti sensim applicari sicca, proveniat tantùm ex qualitate prima usu comparata, an verò propter aliquid aliud adquisitum consuetudine non explicat: & ita non constituit differentiam inter illa duo ulcera, quæ in solutione proponebantur.

Circa propositam vero dubitationem sequutus fuit alium dicendi modum Vallesf. 8. controvers. capit. 5. dicit enim consuetudinem in naturalibus esse familiaritatem inter membra, & alimenta; non tamen esse tam fixam, sicuti est natura, sed esse veluti dispositionem ad naturam: Pro ejus opinionis intelligentia sunt duo advertenda, alterum est, quod temperamentum, sive innatum, sive adquisitum duplex est, aliud quod ex proportione substantiarum factum est: quod se habet per modum habitus: eo quod difficilè dimovetur à subjecto; alterum vero esse qualitativum, quod ex proportione qualitatum factum est, & se habet ad alterum sicut dispositio ad habitum; nam ratio dispositionis consistit in eo, quòd facilè dimoveatur à subjecto, temperamentum autem qualitativum facillimè mutatur.

Secundò advertendum est, quod hoc temperamentum qualitativum adventitium dupliciter se habet: vel enim nullam habet fixionem in subjecto, aut permanentiam, ut quod unicâ alimenti assumptione, vel appositione unicâ medicamenti factum est, & tale revera noo est consuetudo: quia factum est levi quadam alteratione. Secundò modo temperamentum hoc qualitativum potest habere aliquam permanentiam, vel fixionem in subjecto, ut quod plurimo rerum usu factum est, & tale temperamentum qualitativum est consuetudo, quod parum abest ut migret in naturam, licet revera sit ad naturam dispositio, ita ut quando in naturam migraverit, jam non ampliùs consuetudo sit, sed potiùs natura. Ex quo colligit illos duos homines supra positos, habere quidem eandem adventitiam naturam, diversas tamen consuetudines habere: quia habent diversas dispositiones, & propensiones ad contraria: in uno quidem est propensio ad calida, in alio verò ad frigida; neque mirum est hominem calidum in habitu propensionem habere ad frigida: quia multò ex leviori causa temperamentũ qualitativum mutatur, quàm substantificum & aliquando calidus homo friget, ratione cujus frigoris potest habere ad frigida propensionem: neque est inconveniens eundem habitum in diversis subjectis habere propensionem ad contraria: ut si sint duo homines æque iusti potest unus habere propensionem ad augendam iustitiam; alter verò ad omittendam; atque adeo fieri potest, ut in illis duobus hominibus sit idem temperamentum in habitu: & propensiones ad contraria.

Neque contra hanc sententiam alicuius est momenti;

menti ; ſiquis obijciat, falſum eſſe illud temperamentum quod ſe habet ut diſpoſitio migrare poſſe in naturam. Probatur : quia nunquam qualitas poteſt mutari in ſubſtantiam : temperamentum autem illud quod ſe habet ut diſpoſitio; qualitas eſt; ergo non poteſt migrare in naturam: quia hæc eſt ſubſtantia. Hoc inquam argumentum nullam vim habet. 1. quidem quia falsò ſupponitur dum dicitur: ſubſtantificum temperamentum eſſe ſubſtantiam : potiùs enim qualitas eſt, ut ſuo loco probavimus. Dico 2. quod quando dixit hic Author temperamentum hoc quod ſe habet ut diſpoſitio poſſe migrare in naturam : non debet intelligi ſumptâ mutatione in rigore phyſico, in eo ſenſu, quo dicimus in ignem lignum mutari: ſed potiùs in hoc ſenſu : quia cum antea temperamentum qualitativum non correſponderet proportione ſubſtantifico, quando uſu rerum factum eſt, ut ſit mutatio in radicali temperamento, iuxta exigentiam qualitativi dicitur mutari qualitativum in naturam, quia ſubjectum uſu rerum adquirit ſimilem naturam.

Sed Hæc ſententia inter omnes mihi videtur falſa. 1. quidem, quia omnis qualitas exiſtens in ſubjecto præter naturam non poteſt durare magno temporis ſpatio citra corruptionem: quia ſubiectum ad naturam reducitur ſed illud temperamentum qualitativum, quod ſe habebat ut diſpoſitio etſi repugnans ſubſtantifico, erat qualitas præter naturam conveniens ſubjecto : ergo non poteſt habere permanentiam, neque fixionem antequam ſit facta mutatio in radicali temperamento ita ut à partibus correſpondentibus ſimili alimento illud qualitativum conſervetur, parum ergo refert citta hanc cauſam, quòd factum ſit unicâ alteratione, vel plurimis.

Probatur ſecundò : poteſt quis aſſueſcere ut docet experiẽtia alimentis natura & ſubjecto frigidis, calidis tamen actu, in quo eventu eſt conſuetudo, & nulla fieri poteſt mutatio in temperamento qualitativò diſponente verſus frigus, antequam priùs fiat in ſubſtantifico : ergo conſuetudo non ſemper conſiſtit in qualitativo diſponente. Probatur hoc: quia poteſt quis aſſueſcere lactucis coctis plurimo uſu, quæ antequam mutentur in ſubſtantiam noſtram non poſſunt frigefacere corpus, neque mutare temperamentum qualitativum verſus frigus : quia quodlibet agens operatur per eam qualitatem, quam habet actu, etiamſi illi ſit contra naturam.

Probatur tertiò : quia ſi conſuetudo conſiſteret in illo temperamento qualitativo ſe habente ut eſt diſpoſitio: ſequitur quod ſatisfieret conſuetudini adhibendo alimentum ſimile ſecundum qualitates : etiamſi eſſet contrarium ſecundum ſubſtantiam. Probo ſequelam : quia ex hac opinione familiaritas intercedit inter alimentum, & partes ſecundum temperamentum in quo conſiſtit conſuetodo : conſequens autem eſt falſum; quia ſiquis aſſuetus eſt vino, abſurdum eſt dicere ſatisfieri conſuetudini eius, ex eo quòd adhiberemus aquam, eodem gradu calidam, & contra non ſatisfit conſoetudini illius, qui ſæpe bibebat aquam, etiamſi adhibeamus vinum, eodem gradu frigidum : evidenter ergo conſtat rationem conſuetudinis non conſiſtere tantùm in illo temperamento qualitativo.

Quartò, quia falſum eſt in illis duobus propoſitis hominibus eandem eſſe adventitiam naturam, & diverſas conſuetudines : nam ſi conſuetudo per te temperamentum qualitativum eſt adventitium ; cum in illis etiam hominibus tale temperamentum ſit ſimile : quia eſt eadem proportio inter qualitates ; apertè ſequitur eſſe eandem conſuetudinem. Neque ſufficit dicere in illo temperamento qualitativo diverſas eſſe propenſiones, & ad contraria : eo quod à contrariis cauſis factum eſt. Hoc inquam non ſufficit dicere : quia eodem modo poterat dicere hic Author conſuetudinem eſſe naturam adventitiam, habereque hanc diverſas propenſiones per reſpectum ad contrarias cauſas : nam ſicuti temperamentum illud qualitativum, factum eſt idem à diverſis cauſis ut ſubſtantificum.

Vltimò eſt argumentum contra hanc ſententiam : quia ſi conſuetudo eſt temperamentum ex qualitatibus diſponens : ſequitur quod nullus poteſt aſſueſieri contrariis alimentis ; eius contrarium non ſolùm docet Galenus 2. aphor. Com. 50. ſed docet experientia : conſtat enim hominem aliquando ex utroque alimento contrario non lædi ; cuius rei ratio in nullo alio præterquam in conſuetudine conſiſtit. Probatur ſequela ; quia non poſſunt eſſe in eodem duo contraria temperamenta, ſimulque duæ contrariæ diſpoſitiones : quin potiùs una alteram corrumpit.

Neque ſufficit Reſpondere huic argumento, ſiquis dicat uſu contrariorum alimentorum deduci corpus in medium temperamentum : ideoque ab utroque contrariò non lædi. Hoc inquam non ſufficit : quia multo meliùs, & faciliùs deducitur corpus in medium temperamentum uſu moderati alimenti, quàm uſu contrariorum excedentium : tamen, ille, qui moderatum habet temperamentum ex moderato alimento comparatum, læditur ab utroque contrariò excedenti; vis ergo huius aſſuetudinis ad contraria non conſiſtit in medio temperamento.

Neque ſufficit ulteriùs dicere cum Valleſio loco citat. ideo hominem aſſuetum utrique contrario alimento non lædi propter diſpathiam, & contemptum, diſpathia quidem quia ex utroque alimento contrario firmitudinem quandam adquirit corpus : ſicuti externa cutis, quæ ſæpiſſimè alteratur à calore & frigore denſatur ab otraque qualitate, ita ut à nulla lædatur ; neque aliqua ex illis inferat moleſtiam : propterea enim ab Ariſtot. 4. metheor. 4. dicitur fictile vas non diſſolui à calore, neque à frigore, quia ab utraque qualitate concrevit ; contemptus verò provenit ex eo : quia ſicuti ventriculus, qui non aſſuevit aſſumere frigida, ab illis perhorreſcit propter novitatem : ſi verò aſſuevit minimè: quin potiùs illa contemnit : ita ille homo de quo loquimur non læditur ab utroque contrario, quia illa contemnit cum ibi novitas aſſumendi non reperiatur.

Hæc inquam ſolutio non ſoluit difficultatem; quia in ipſa quærebatur : quo pacto quis aſſueſiat duobus alimentis contrarijs : ſi conſuetudo diſpoſitio eſt, cum non poſſit habere ille homo diſpoſitiones contrarias ſimul: diſpathia verò vel contemptus non tam ex novitate, aut contrario, ſed potiùs ex conſuetudine proveniunt. Oportebat ergo declarare, quid compararet uſu contrariorum alimentorum, quod haberet rationem conſuetudinis ad contraria, & ita manet impugnata hæc ſententia.

Alium

Alium dicendi modum possèt quis excogitare, dicendo in facultate nutritiva consuetudinem nihil aliud esse quàm habitualem quamdam qualitatem usu nutritionis comparatam, per quam hæc facultas possèt facilè, & promptè operari: quæ qualitas omnino esset diversa à quovis temperamento, sive esset ex qualitatibus, sive ex substantijs. Puiest autem id probari: quia si consuetudo neque est aliquod temperamentorum innatum, neque adscititium nihil videtur superesse, quod dicamus, præter eam qualitatem, quam dicimus; neque aliquid videtur peculiare usu rerum produci posse, quod diversum omnino sit ab illis omnibus, quæ produci possint ex principijs generationis, & ita possemus facile satisfacere dubitationi propositæ, quæ ex duobus illis hominibus habebat ortum. Si dicamus habere quidem eos idem temperamentum, non tamen eamdem consuetudinem: quia neque habent eamdem habitualem qualitatem distinctam à temperamento, sed potiùs omnino diversam.

Sed in hac sententia fingitur qualitas, quæ sit consuetudo, potiùs propter vim argumentorum quàm propterea quòd esset rationi consonum, & ita 1. argumentor contra ipsam: quia ut facultas nutritiva promptè, & facilè operetur satis est familiaritas, & similitudo, secundùm rationem temperamenti inter partes, & alimenta: frustra ergo ad facilem commutationem ponitur alia qualitas: antecedens constat: quia inter symbola facilior est transitus, & ita inter ipsa agens facillimè vincit passum, in nutritione verò nil aliud requiritur, quàm quòd partes facillimè immutent alimentum, & ipsum vincant.

2. Vrgentiùs argumentor: quia non est modus, quo illa qualitas possit in partibus produci: probatur: quia non producitur ex alimento, quod corrumpitur: nam alimentum ad nutritionem se habet in genere causæ materialis: oportet autem ponere ad quemlibet effectum præter naturam, causam efficientem: neque potest produci ab anima facta per nutritionem per modum sequelæ. Probatur quia hæc forma non continet virtute hanc qualitatem, neque eminenter: ergo non sequitur ex productione ipsius. Probatur antecedens: quia forma per nutritionem comparata, & præexistens sunt ejusdem rationis: ergo si ex hac partiali forma sequi potest talis qualitas: poterat sequi ex præexistenti: & ita ante usum rerum esset qualitas: quæ dicitur consuetudo.

Si verò dicat quis, talem qualitatem produci ex sæpiùs repetita nutritione à forma partiali, propter dispositionem subjecti. Contra est: quia cum hæc dispositio consistat in temperamento, redit eadem difficultas: cum possèt quis ex principijs generationis habere simile temperamentum, sequitur, quod habeat similem qualitatem: nam forma tribuit subjecto quidquid continet eminenter, si dispositio sit in passo.

3. Et vigentiùs argumentor: quia si potest reperiri alia qualitas præter temperamentum, quæ sit consuetudo in facultate nutritiva: vel producitur unico actu nutritionis, vel pluribus; non unico ut constat ex supradictis, neque pluribus; quia tunc assuefit ex pluribus actibus subjectum, quando facultas per præcedentes actus disponebatur ad consuetudinem: hoc autem in facultate nutritiva reperiri non potest. Probatur: quia illud quod comparatur per priorem nutritionem nihil adquirit de novo ex ulterioribus repetitis: siquidem terminus nutritionis secundæ, in alio subjecto est partiali, distincto à termino prioris nutritionis, & isti termini comparant diversam extensionem ratione diversæ partis quantitatis: ergo pars per priorem nutritionem adquisitam non assuefit ex ulterioribus, ita ut possit comparare qualitatem distinctam à temperamento.

4. Quia non solvitur proposita difficultas; quâ quærebatur: quo pacto possit idem consuetudinem comparare ad contraria alimenta, nam in hoc eventu, vel producitur una qualitas ultra temperamentum ad contraria, & hoc videtur impossibile: hanc qualitatem unam numero per contrarias consuetudines produci: probatum enim supra est ex Arist. consuetudinem unam ex contraria consuetudine corrumpi, neque producuntur duæ qualitates: quia non esset major ratio quare ex uno alimento ex contrarijs duobus magis reciperetur noxa, quam voluptas, aut esset facilitas commutationis, potiùs, quam difficultas; nam si ratione qualitatis productæ ex usu unius alimenti possèt fieri facilis immutatio, cum esset producta per contrariam consuetudinem alia qualitas, quæ inclinet ad contrarium, repugnaret hæc facili commutationi illius alimenti.

Et confirmatur hoc, quia in facultate naturali commutativa non solùm adquiritur consuedo circa qualitatem alimenti sed etiam circa quantitatem, & in partibus nostris adquiritur etiam consuetudo ad externas causas alterantes, & producentes primas qualitates, ut dicemus infrà, in quibus comparari qualitatem superiorem, & alteriùs ordinis, quam sit temperamentum est fictitium: idem ergo dicendum videtur de consuetudine circa commutationem alimenti.

Ex omnibus autem his, quæ dicta sunt mihi videtur, rationi consentanea Galeni opinio: quâ dixit consuetudinem in hac materia esse naturam adscititiam: quod præter ea, quæ in confirmationem huius sententiæ dixi: potest ostendi inductione, nam cum sufficienter probatum sit, non esse qualitatem ultra temperamentum; neque esse qualitatem dispositivam repugnantem temperamento radicali, nihil videtur in natura superesse, præter ipsum adventitium temperamentum: quod à Galeno dicitur adventitia natura.

Si verò quis objiciat: tunc comparatur in facultate aliqua consuetudo; quando, id quod usu rerum producitur est distinctum à facultate necessariò operante; illud verò tantùm requiritur ad facilem actionem: quod iuxta hanc sententiam non videtur reperiri in facultate nutritiva.

Resp. Suprà iam ostensum esse illod temperamentum, quod adquiritur usu alimenti, non tam esse necessarium ad simpliciter operandum, cum operationes eiusdem rationis produceret vivens citra illud; quod veró per consuetudinem comparetur aliquid alteriùs ordinis à potentia, quæ assuefit; ita ut quamtumvis cresceret perfectio potentiæ: non possèt attingere perfectionem eius, quòd assuetudine comparatum est; tantùm dicitur esse verum de illis facultatibus, quæ propriè assuefiunt; non verò de facultate nutritiva, quàm ostendimus suprà propriè & in rigore consuetudinem non comparare.

Superest modo solvamus argumenta proposita contraria. Quantùm ad primum, quo quærebatur, si consuetudo est adventitia natura malè reprehendebat Galenus antiquos Medicos, qui dicebant nullam esse habendam rationem consuetudinis; sed totum tribuendum esse naturæ. Respondetur rationem Galeni tantùm ostendere consuetudinem diversam esse ab innato temperamento, quod negabant antiqui. Cum autem objiciebatur hoc temperamentum quod est ex consuetudine, potest esse in alio ex principijs generationis cum contineatur intra novem temperamenta à Galeno posita: sequitur quòd adhuc consuetudo non differt ab innato temperamento. Resp. & Dico duo, primum est, quod si totum, quod in uno comparatur ex alimento propter consuetudinem reperitur in alio ex principijs generationis, eodem modo se haberent circa alimenti naturam, quantùm agitur in operatione, quia in utroque esset eadem similitudo, & familiaritas partis ad alimentum, & ex consequenti eadem radix facilis actionis; sicuti nullus negare potest, quod si quis haberet in instanti generationis scientiam, quam alter habet plurimo usu comparatam, quod isti duo eodem modo se haberent ad operandum; cum hoc tamen staret ut indicatio, quæ sumitur à consuetudine, diversa esset, ab illa, quæ sumitur ab innato temperamento, quia ad diversitatem hanc satis esset, quod quilibet posset compare ex alimentis diversam naturam, ac haber ex principijs generationis, quòd autem, quod in uno usu rerum comparatum est, in alio posset esse ex principijs generationis impertinens est ad hanc distinctionem; sicuti quamtumvis ætatis ratio in temperamento consistat uno ex novem supradictis, tamen indicatio, quæ sumitur ex ætate diversa est ab illa, quæ haber ortum ex principijs generationis ad quam diversitatem satis esset, quodlibet vivens in particulari sub diverso temperamento esse in ætate, quàm haberet ex principijs generationis, licèt fingeremus temperamentum, quod uni ex ætate est, alteri posset venire ex principiis generationis.

Dico secundo: quod per nutritionem aliquid de novo adquiritur, quod potest esse ex principijs generationis, est tamen illud aliquid accidens simile illi, quod erat in alimento, sive appelletur mixtionis modus, sive alia quædam qualitas; ratione cuius, partes familiaritatem habent cum alimento post perfectam nutritionem: neque hoc est magis mirum, quàm dicere cum Hipp. 6. de morb. vulg. capite 5. com. 35. lac ex elaterio, aut scammonea habere virtutem expurgandi humorem similem illi, qui erat in medicamentis etiam corruptis, quod autem post nutritionem ex alimento mancat qualitas distincta à primis symbola, docet illud quod adducitur à Gal. lib. de consuetud. cap. 2. quo loco dicit arborem persicam venenosam esse, translatam vero in Ægyptum salutarem fructum producere, at verò ex mutatione huius alimenti certum debet esse non solùm primas qualitates comparari in arbore, sed alias, quas diximus. Quod etiam confirmat illa sententia à Galeno adducta lib. 1. de sanit. tuend. cap. 6. ubi dicit familiaritatem, & similitudinem habere alimentum cum viventi in substantiæ modo, ut commutetur: illi autem mixtionis modi plures sunt quam sint temperamenta, etiamsi tantùm novem connumerentur à Gal. quia si secundùm eius sententiam tantùm novem modis possunt proportiones variari, modi autem mixtionis ut constat ex diversitate specifica mixtorum plurimis aliis modis: in hoc ergo consistit similitudo, quæ per consuetudinem ex frequenti mutatione adquiritur.

Sed Dicet aliquis videtur, quod talis qualitas similis alimento non possit per nutritionem produci: Probatur quia cum alimentum totaliter corrumpatur, solà manente eius materiâ non potest produci in viventi, nisi ex productione formæ, sicuti alia accidentia, quæ continentur virtute: at verò tale accidens de quo est sermo non potest contineri in forma viventis: ergo neque potest produci alimento corrupto. Probatur minor; quia tunc aliquod accidens contineretur in forma, quando simile determinabat materiam ad aliquam formam necessariò, at verò accidens, quod præcessit in alimento, non poterat determinate materiam sic, quia non erat necessarium ad productionem formæ: siquidem sine illo potest produci.

Resp. negando illud accidens non contineri in forma: & ex consequenti etiam negandum est, non determinare materiam ad formam; non quidem necessitate formæ; quia ut probat ratio, citra illud accidens potest forma produci; sed potiùs necessitate materiæ; sicuti in naturalibus plurima sunt accidentia, quæ sequuntur formam necessitate materiæ, sicuti est cicatrix in corpore mortuo.

Resp. ad 2. quo quærebatur, quod si homo calidus in primo gradu usu calidorum alimentorum fiat calidus in secundo & qui calidus est in 3. usu frigidorum fiat etiam in 2. calidus, habent isti diversam consuetudinem, & eamdem adventitiam naturam. Resp. illos duos homines habere idem temperamentum quia habent eamdem proportionem qualitatum, tamen neque habent eamdem consuetudinem, neque eamdem adventitiam naturam: Nam adventitia natura ut sic præter proportionem quam habet temperamentum, dicit respectum quemdam ad efficientem causam: quia verò in illis hominibus diversum est constituens illud temperamentum in ordine ad diversas causas, hinc fit ut illa natura sub ratione adventitiæ sit diversa, ut constat ex illo Gal. testimonio 11. meth. cap. 1. quo loco dicit adventitia natura ad efficientes causas reduci debet, ut inde indicationem sumamus: similiter consuetudo, supra temperamentum, dicit respectum quemdam extrinsecum ad usum rerum, & quia in illis duobus hominibus contrarius usus rerum est; hinc fit ut licet habeant idem temperamentum sit diversa consuetudo.

Sed Dicet quis; licet verùm sit illos duos homines propter rationem dictam habere diversas consuetudines, tamen si habent eamdem naturam, & idem temperamentum, habent eamdem familiaritatem cum alimentis, & ita idem alimentum potest utrisque convenire.

Respondetur quidquid de alimento, & membris, quantùm ad primas qualitates: quia infra de hoc sumus disputaturi, dicendum est illos duos homines ex contrariis alimentis non habere eandem similitudinem, & familiaritatem, quæ est fundamentum facilis commutationis: nam dictum est hoc non tam consistere in similitudine

litudine primarum qualitatum, quàm mixtionis modi: quia ergo illi duo homines nutriuntur ex alimentis contrariis, cum probatum sit permanere qualitatem in membris, alimento contrarias qualitates debent habere: & ex consequenti familiaritatem ad contraria. Superest verò ut in calce huius capitis explicemus, quod tertio loco proponebatur, videlicet. Vtrùm possit aliquis contrariis alimentis assuefieri simul, cum non possit habere simul contraria temperamenta, aut contrarias naturas.

Respondetur certum esse ex Galeno 2. aphor. com. 50. posse consuetudinem ex contrariis comparari, & ad contraria; non quidem quia in eodem sint contraria temperamenta simul, sed quia potest animal comparare familiaritatem ad contraria alimenta ex eo quòd adquirit diversas qualitates similes illis quæ erant in alimento: in quibus non est necessarium reperiri remissionem.

Sed Dicet quis, qualitas quæ adquiritur per consuetudinem debet habere permanentiam; sed quæ ex uno alimento per nutritionem comparatur, desinit esse advenient nutritione ex contrario alimento: non ergo potest quis simul habere consuetudinem ad contraria alimenta; si in illis prædictis qualitatibus consuetudo consistat, quam diximus contineri sub adventitia natura.

Respondetur quod non pertinet ad rationem consuetudinis ut illud, quod usu rerum adquiritur omninò sit incorruptibile; constat enim ex Arist. loco suprà adducto consuetudinem ex actibus ad contrariam consuetudinem corrumpi, etiam in his, quæ verè assuescere possunt: sed satis est, ut difficilè corrumpatur; & ita qualitas illa, quæ ex alimento per nutritionem adquiritur, cum dependeat, & conservetur à partiali forma producta, difficilem suspicit corruptionem. Et hæc dicta sint de consuetudine circa alimenti naturam.

CAPVT III.

Quomodo acquiratur Consuetudo in facultate nutritiva.

Facultatem nutritivam aliquo modo consuetudinem comparare, quatenùs per actus circa alimenta, dispositionem quandam adquirit vivens, quâ meliùs se habet, coquit, & commutat similia alimenta, quàm contraria, ex professo Gal. cap 2. de Consuetudine probat, & experientia hæc demonstrat, cum aliqui aliqua alimenta meliùs ferant, quibus sint assueti, alij alia; ut etiam docuerat Hipp. 2. de vict. ratione 21. & 2. aphor. & Gal. in comm. & 3. de simpl. med. facult. cap. 18. adducens historiam Vetulæ cuiusdam venenis ita assuetæ, ut ipsis non læderetur: quod refert etiam Avicen. Fen. 6. 4. tract. 1. cap. 2. de altera, quæ ita erat assueta ipsis, ut naturam veneficam comparasset; sicut & Mitridates naturam antidoti, ut refert Galen. lib. de Antidotis in principio, usu suæ compositionis iuxta Venerum factæ Mithridatæ dictæ.

Difficultas est, quomodo talis consuetudo comparetur. Explicuit bîc Gal. 2. cap. de Consuetudine dicens ratione alimentorum resultare partes aliquas, seu substantiam per nutritionem acquisitam talis naturæ esse, ut familiaritatem habeat secundum illas partes vivens cum similibus alimentis; ac per consequens minùs alteratur vivens ab ipsis, quàm ab alijs, meliùs se habet eis, quæ faciliùs commutantur, quod est comparasse consuetudinem: patet quia consuetudo est, quid ex actibus acquisitum ad faciliùs operari conducens, sed talis est qualitas, seu dispositio, quæ usu alimentorum resultat in vivente, respectu facultatis nutritivæ: ergo usu alimentorum, quatenùs generatur substantia similis alimento ad faciliùs operari conducens adquiritur consuetudo: talem qualitatem comparasse vivens alimentorum usu in partibus ex ipsis factis, ut per eam familiaritatem habeat, respectu similium alimentorum, ostendit Galen. exemplo massæ pituitosæ, vel melancholicæ generatæ ratione huius, vel illius alimenti: & exemplo partis factæ diversæ iuxta diversam sanguinis ideam, & respectu plantarum, quæ ratione diversorum alimentorum, diversæ regionis, diversam habent naturam: quid ergo mirum quod ratione diversi alimenti resultet substantia cum qualitatibus aliquibus, quibus familiatior existat pro simili alimento commutando, quam pro alio? cuius ratio manifesta est: quia cum alimentum valet vivens alterare: quò similius existit minùs valebit agere in subjectum, & sic cum per perennes alterationes alimentorum usu vivens alteratum sit simili alimento, minùs potest ab eo pati, & sic minùs molesta sunt consueta, & cum ex alia parte substantia similis alimento resultet ex longo eius usu, plures partes sunt, quæ pro simili alimento commutandu, & appetendo existant, & quæ minùs repatiantur.

Ex quo constablt quanto fundamento altera natura consuetudo dicatur, cum usu rerum comparentur partes, quæ tales qualitates ex propria natura petant consuetudinem constituentes, quatenùs usu rerum comparantur, & ad faciliùs operari facultatis nutritivæ conducunt.

Quod etiam ostendit consuetudinem non solùm reperiri, quoad diversitatem alimentorum: sed etiam quoad quantitatem exhibendi ipsum, ut expressè Hipp. 2. de vict. ratione à textu 22. usque ad 34. docet, & 1. aph. 17. per hæc verba. ***Ex quibus semel, aut bis, quibus plura, vel pauciora particulatim oporteat offerre considerandum; condonandum autem aliquid ætati, tempori, & consuetudini:*** Ergo de sententia Hipp. consuetudo reperitur circa quantitatem, & vices exhibendi alimenta; cuius ratio est manifesta: nam qui assueti sunt plurimo uti alimento, vel pluries, si immutentur ab his læduntur, & malè se habent, benè autem si non immutentur: ut 2. acutor. citat. Hipp. docuit; sed hoc non potest esse, nisi quia per talem alimentorum usum, aliquid sit productum, quod facta mutatione deficiat: ergo illud, quod producitur, veram consuetudinem constituit, cum ad facilè operari conducat, circa tantam quantitatem, seu talem alimenti repetitionem.

Quòd constet ex dictis, quomodo acquiratur talis consuetudo, est manifestum nam cum usu alimentorum acquirantur partes diversæ, cum qualitatibus quibusdam ad similia alimenta condocentibus: etiam usu alimentorum acquiruntur

tur tot partes, quæ tanto alimento egent ad sui restaurationem, vel conservationem, & quæ pro simili quantitate faciunt, & ipsa benè se habent, econtra verò sine illa vel cum maiori: quia primo modo resolvuntur, & secundo gravantur, & non sunt partes, quæ pro ipso commutando valeant agere. Quod etiam quoad vices assumendi alimenta debet intelligi; nam cibo pluries assumpto gravatur natura. Si verò à tempore consueto deficiat molestia sentitur ex fame, & resolutione: ad quod accedit cavitatem recipientem alimenta maiorem fieri usu multi alimenti distendentis, & sic rectè applicari pro simili quantitate ut conversio fiat, secus verò pro maiori, vel minori, quia in illa alteratur vivens maiori distensione, in hac alimentum non applicatur partibus cum cavitas sit maior, & consequenter alimentum fluctuabit & accidentia sequeutur, quæ Galenus 3. de caus. symptom. 2. adducit.

Nec contra facit, quantitatem, & vices assumendi alimenta, non esse activas, ut producant aliquid, quod rationem consuetudinis habeat; Nam sufficit, quod ex tali usu aliquis resultet effectus, qui ad faciliùs, & commodiùs operari conducat, talis est, plures, vel pauciores partes produci, quæ pro simili quantitate deserviant, quod idem poterat intelligi, etsi robur majus resultare dicamus alimentorum usu, quia etiam Galenus 2. aph. 49. roborari facultatem motivam exercitio docuit, & ipso faciliùs tolerare labores: ergo idem poterat intelligi quoad partem alimenti; nam non potest negari per multitudinem majorem partium acquisitarum, robustius ad operari resultare vivens; quà ratione ventriculi partem inferiorem aptiorem ad coquendos cibos iudicavit Gal. quia plures partes carnosas habet: ergo per numerum maiorem partium ex maiori quantitate alimenti acquisitum, constituitur consuetudo ad faciliùs operandum circa similem quantitatem, quæ in robore acquisito consistit.

Similiter non facit contra hoc dicere consuetudinem rationem qualitatis habere; at per quantitatem alimenti non potest resultare qualitas aliquas ergo nec consuetudo: Nam non est de ratione consuetudinis esse qualitatem, sed esse aliquid ad faciliùs operari facultatis conducens, vel saltim ut minori noxa operetur: solùm de veris habitibus verificatur ad qualitatem pertinere: præterquam quod usu tantæ quantitatis alimenti, non solùm resultant tot partes, verùm & talis dispositio in toto & numero partium, & talis figura in ipsis, ut pro tanto alimento sufficiant, & diversa quantitate malè se habeant.

Circa principale assumptum quæstionis duo argumenta proponit Recentior, & solvit, quæ sunt ex dictis soluta. 1. Quia facultates naturales operantur inquantum possunt; ergo non possunt comparare consuetudinem, siquidem non possunt faciliùs, vel difficiliùs operari, quam inquantum possunt. 2. Quia consuetudo debet esse aliquid productum in ipso viventi per actus illius facultatis, sed facultas illa valet operari in alimenta; ergo in ipsis suum terminum producere valebit, ac per consequens non poterit vivens consuetudinem comparare, cum nihil recipiat in se per actus facultatis nutritivæ. Primum argumentum manet solutum, quia istæ facultates, etsi inquantum possunt, operentur, habent operari faciliùs, & commodiùs, pro ut his, vel alijs dispositionibus constant, & cum tales possint per actus comparari poterit etiam in ipsis resultare consuetudo. Ad secundum constat, quòd etsi immediatus terminus recipiatur in ipso alimento, tandem in ipso viventi resultat ex actibus nutritivæ terminus aliquis, vel dispositio, quæ ad faciliùs operandum circa similia, vel tanta alimenta conducat; ac per consequens comparatur consuetudo.

Principale dubium, quod ut proprium adducit contra doctrinam positam, est, quia non cognoscit, quomodo forma comparata per nutritionem conservet qualitates illas, quæ ratione materiæ in substantia productæ resultant tanquam naturales; ita ut ad ipsas reducantur, si alterentur: Ratio verò difficultatis est, etsi ab hoc Authore non adducatur; quia licèt ratione materiæ possit aliquod corpus, vel aliqua substantia habere diversas qualitates, quàm petit; ipsas tamen conservare non habet, immo ab ipsis reducitur in propriam, & debitam temperiem; quod constat exemplo ignis, qui etsi minori calore, quàm exposcit producatur, & aliquid frigoris habeat ratione materiæ ex quâ fuit factus, ab intrinseco reducitur: cur ergo non ita sit in substantia per consuetudinem, vel usu alimentorum acquisita; ita ut quamvis substantia genita naturam materiæ sapiat, ad propriam temperiem, quam ex se petit forma illa reducetur; quod præcipuè habet locum in nostra opinione, qua dicimus formam viventis non producere temperamenta per ætates, sed semper, & omni tempore unam determinatam temperiem petere, & ipsam producere.

Huic difficili dubio conatur satisfacere Recentior dicens, quod sicut animæ diversæ differunt perfectione, etsi eiusdem speciei sunt, & ratione talis inæqualitatis habent petere diversa temperamenta in suis substantiis, & per ipsa determinatur materia, ut hæc, vel altera forma inducatur, quæ tale temperamentum petat, & virtualiter contineat, sic partes eiusdem formæ integrantes inæquales in perfectione debent esse; & per consequens pro diversa parte subjecti habebunt petere diversam temperiem, & induci cum ea, quam valent conservare, & continent. Quod intelligi vult non de formis divisilibus, sed adhuc de anima rationali, quatenus saltim diversum modum informandi debet habere secundùm diversas partes, & ratione eius habebit diversam temperiem petere, & conservare, in diversis partibus, quia tali modo informandi, tale temperamentum debetur, ut dictum est de partibus integrantibus eiusdem formæ.

Cùm verò ex alia parte constet non solum conservari qualitates primas quæ ratione alimenti fuerunt comparatæ, verum etiam aliàs à tota substantia tales, quales consequutæ fuerunt usu venenorum in vetula, & usu antidoti in Rege; inquit hic Author. non contineri has qualitates veneficas, & alexiterias in forma, sed solùm primas, ex quibus aliæ procedunt: quia non est dicendum omnes qualitates cuiuslibet formæ, in una contineri forma.

Hoc dubium ut proprium adducit: tamen contra solutionem nunc positam insurgo primò, quia supponit animas, & partes eiusdem for-

mæ

mæ, & eiusdem modi unionis informantis perfectione differre: quod non omnes recipiunt. Præterea; quia quidquid sit de hoc non est ad quid, etiamsi perfectione differant, diversam petant temperiem, cum possit ex alio capite pendere perfectio; patet: nam siquis, ex eodem alimento tres partes adquirat, etiamsi da ratione partis integrantis perfectione differant, eandem temperiem habebunt ratione alimenti: ergo stat diversam temperiem conservare partes propter inæqualem perfectionem, quam habent, quod non tollit duos homines eiusdem temperiei esse, etsi perfectione differant.

Tertiò nā conservate diversam temperiē in osse, quàm in carne, est propter heterogeneitatem, & organizationem, quam forma petit: non ergo sequitur ex hoc, quod diversam temperiem conservet in partibus eiusdem rationis, quales sunt duæ partes carnis, etsi ex diverso fiant alimento. Tandem quia non alio modo conservatur modus substantiæ & qualitas à tota substantia, quæ ratione alimenti comparatur, quàm cæteræ qualitates primæ: ergo sicut fatetur primas qualitates contineri in forma illa virtute; debet fateri contineri etiam omnes alias, & modos substātiæ.

Vera tamen solutio est: formam quamlibet mixti habere conservare in parte in qua est, dispositionem & temperiem, quā fuit producta; quia cū solùm petat in partibus temperiem omnibus elementis correspondentem, quomodocumque disponatur materia, dummodo, resultet, etsi non in toto similis efficienti, forma inducitur, quia tali dispositione erit in ipsa parte alicui elemento correspondentia, & sic illam temperiem valet conservare, non alteram, quia illa fuit producta. Petit enim mixtum ex propria natura dictam hetherogeneitatem, quam cum non habeat elementum, unam dispositionem determinatam in toto petit, & conservat; & consequenter hinc est, quod mixtum non reducatur à temperie, quæ ratione alimenti acquiritur in parte: quia sufficienter resultat per illam dispositionem, & si non in totum similis efficienti, & salvatur correspondentia elementis, quæ de ratione mixti debetur. Hanc solutionem videbit quisque manifestam magis, in nostro tomo primo.

Tandem advertendum est consuetudinem non solùm comparari præcisè per speciales qualitates primas resultantes in substantia producta, ratione alimenti; sed etiam per speciales secundas ratione alimenti quoque comparatas: nam dubitari non potest ex solidiori alimento solidiorem generari substantiam ad similem commutandam aptiorem; & econtra: ut inde constet, quod quando duo deveniunt ad idem temperamentum primarum qualitatum, ad calidum videlicet ot unū, alter usu frigidorum, alter calidorum usu, etsi eandem temperiem obtineant in primis qualitatibus non habebunt eandem consuetudinem: quia saltem quoad secundas qualitates non possunt non habere diversitatem, per quam diversa constituitur consuetudo: cum calida, quibus alter assuetus est, non possint non conducere ad diversum modum substantiæ, & ad diversas qualitates secundas, quàm frigida quibus alter fuit assuetus, etsi ad eundem gradum caloris corpora trahant.

Sed Dices ex tota hac doctrina deducitur non comparari consuetudinem usu potus, sed tantùm usu alimentorum: patet quia ipsa acquiritur; quatenùs usu ipsorum pars cum tali temperie resultat ratione alimenti: sed potus non commutatur: ergo ratione eius non poterit pars comparare consuetudinem; cuius contrarium docet Galen: cum ad potum aquæ exhibendum consuetudinē assumendi potum esse respiciendam doceat 9. method. 5. pro quo etiam facit, quod cap. 3. de consuetudine scripsit, agit enim in illo cap. de Consuetudine ex alteratione extrinseca, & inquit consuetudinem comparari, ab aëre, frigore, vel calore alterante: ergo etiam à potu poterit comparari consuetudo; quod supponens Arist. 1. sect. problemat. quæst. 14. quærit, cur deterius sit consuetudinem mutare in potu quam in eibo: & cum ex alia parte non adquiratur vi potus substantia aliqua, aliquibus qualitatibus disposita, videtur consuetudinem non comparari modo à nobis dicto.

Cuius argumenti communis solutio est, quòd licet ex potu non producatur substantia aliqua, talis resultat ex eius usu alteratio in corpore, ut postea corpus ad substantiam similem producendam conducat: ac per consequens, resultat consuetudinē comparare per generationem substantiæ habentis qualitates similes potui vi activitatis viventis alterati à potu, & talibus qualitatibus disponentibus alimentum, ut etiam de alimento dicitur, consuetudinem causare, non solùm quia ex ipso substantia genetur simili qualitate affecta, sed etiam quia alteret vivens tali qualitate, ut pro substantia simili generanda conducat: quod deducitur ex Gal. 2. cap. 2. de Consuetudine dicente. *Quia tamen non solùm alteratur id, quod nutrit, ab eo, quod nutritur, sed & ipsum alterat; necesse est hanc alterationem tractu temporis notabilem fieri, ita ut ad aqualem vim cum familiaritate veniat.* Docet ergo consuetudinem comparari ratione alterationis, quàm facit alimentum in viventi, ac per consequens idem est de potu intelligendum, cum utriusque eadem sit ratio, & vi alterationis ab utroque factæ necessariò disponatur alimentum pro simili substantia generanda, ut inde resultet similitudo eum tali alimento, & potu.

Hæc tamen solutio non videtur sufficiens 1. quia Galenus adducens Consuetudinem ab alteratione extrinseca, non vidit effectum resultantem per productionem alicuius substantiæ talis vi similis alterationis, sed vidit effectus quosdam causatos ab aëre alterante, & ipsos habere rationem consuetudinis dixit, quatenus usu rerum alterantium comparantur, & ut meliùs vivens ferat similes alterationes, conducunt: ergo etiam vi alterationis præcisè à potu, poterit comparari consuetudo, quatenùs vi eius resultat terminus aliquis ad faciliùs tolerandam similem alterationem, conducens: constat antecedens cap. 3. de Consuetudine, ubi sic ait: *Etenim primum cutis constipatur, & densatur à refrigerantibus.* Et infrà, ut constet talem effectum esse consuetudinem, sic ait, *rarum enim, & molle corpus facilè patitur, densum autem, & durum tolerat, spernitque omnia.* Docuerat antea idem esse ex consuetudine, vel natura hoc fieri: ergo non habito respectu ab substantiam generandam, poterit comparari Consuetudo ex potu.

Secundò, quia si per productionem similis substantiæ vi alterationis necessario esset producenda consuetudo à potu, sequeretur: quod per potum comparatetur consuetudo circa alimenta aliqua insuliata: patet, nam consuetudo

circa

circa alimenta constituitur per qualitatem quamdam, quam habet substantia producta, mediâ quâ vivens familiare resultat cum similibus alimentis, sed consuetudo potus comparatur per qualitatem quamdam quam habet substantia producta: ergo per illam adquiritur consuetudo potus, & alimenti quod dissonum apparet.

3. Quia non esset deterius mutare consuetudinem in potu, quam in cibo. Prob. quia consuetudo potus non aliter mutatur quàm generata substantia simili alterationi inductæ à potu; sed etiam consuetudo cibi non aliter mutatur: ergo æqualiter prava erit utriusque mutatio, nam licet verum sit alimentum non ita alterari ac potum, quia alimentum per transmutationes quas recepit corrigitur, non verò potus, cum non transmutetur in chilum: si mutare consuetudinem solùm fit per generationem substantiæ, idem erit dicendum de utraque mutatione.

Tandem: quia sequeretur eamdem consuetudinem habere, qui uteretur aqua frigida, quàm qui frigido vino uteretur, cum uterque alteretur per frigiditatem utriusque & utraque frigiditate alimentum disponat pro simili substantia producenda; sed constat experientia diversam consuetudinem hos habere in aliquo, eamdem verò in ordine actuali esse potus: ergo non constituitur consuetudo eius ratione substantiæ productæ.

Dicendum igitur est consuetudinem potus, & consuetudinem alimenti differre valde, nam hæc in substantia simili ratione usus alimentorum consistit; quia per illam resultat simile & familiare pro simili alimento vivens. Consuetudo verò potus consistit in termino secundario producto præcise vi alterationis potus, ut dixit Gal. de alteratione extrinseca: quia per eam resultat vivens aptius, ut faciliùs, & commodiùs ferat similis potus alterationes; & ratio est quia cum potus habeat humectare, & refrigerare ex se, non verò alterare, vi eius solus terminus resultat, qui vi talis alterationis producitur, & solus ipse potest constituere consuetudinem, & meritò cum habeat omnia, quæ in altera consuetudine sunt, ut constat: alimentum verò cum transmutari & nutrire habeat ex se, terminus, qui vi huius transmutationis resultat in rigore erit alimenti consuetudo, vi suorum actuum acquisita, nec Gal. contrarium voluit cap. 2. de Consuetud. ut legenti patebit.

Quo constat potum vini frigidi, & aquæ frigidæ eamdem consuetudinē inducere in esse potus, diversam verò in esse alimenti: quia per qualitates actuales utriusque eodem modo alteratur vivens, & sic eadem est consuetudo, id est; idem terminus resultat, vel idem effectus, usu potus ratione cuius ad faciliùs, & commodiùs ferendam similem alterationem disponitur vivens; at verò quatenus ex vino resultat generari substantiam aliquam, ex qualitatibus proprijs vini participantem, nullam verò ex aqua, cum non sit conmutabilis, hinc est, quod ex vino altera resultet consuetudo, ut alimentum, quæ non resultat ex aqua; ac per consequens consuetudo potus non acquiritur, quatenus substantia aliqua producitur vi alterationis à potu factæ, sed quatenus terminos quidam ex alteratione potus in viveti producitur modo dicto.

Ex quo etiam constat solutio ad 2. argumentum primæ quæstionis de duabus consuetudinibus in unico repertis subiecto, id est de homine duobus contrarijs assueto, quod intelligi debet secundùm diversas partes quatenus ex uno contrario resultavit substantia similis ei, & ex altero altera pars similis alteri, si hoc intelligatur de duobus alimentis, sive de potu, & alimento, sive de aliquo alterante secundùm qualitates actuales unas partes, & secundùm virtuales alteras, vel ad alteram producendam conducente, ut diximus de vino frigido.

Hinc constat cur deteriùs sit mutare consuetudinem in potu, quam in cibo: quia cum consuetudo potus solum consistat in termino producto per alterationē, sine transmutatione, & potus non transmutetur, valet alterare contra consuetudinē plus quam cibus, qui per transmutationes, quas recipit, non ita alterare valet contra consuetudinem præexistentem, siquidem saltem ratione formæ aliquæ debent induci dispositiones similes efficienti, per quas remittuntur aliæ, quibus alimentum alterabat.

Sed restat adhuc si consuetudo potus non consistit in substantia aliqua producta vi alterationis à potu inductæ, sed in termino saltem secundario resultante ex alteratione ipsius, cum ille terminus, vel illa qualitas, sicut & terminus primarius alterationis sit violentus viventi, quomodo non reducitur vivens ab intrinseco in qualitatem propriam, quæ erit ipsi termino opposita, ac per consequens talis consuetudo sine altera consuetudine mutaretur?

Resp. rectè argumentum probare reductionem debere fieri cessante usu potus alterantis, non tamen immediate, sed transacto longo tempore: quia secundæ qualitates non ita leviter introducuntur, nec auferuntur: & sic non nisi longo usu potus talis acquiritur eius consuetudo: ut patet in cute, quæ prout exponitur alterationi aeris per longum tempus, ut docuit Gal. 3. cap. de Consuetudine, taliter alteratur, ut secunda quadam qualitas resultet in ea, mediâ quâ, non ita lædatur à causis extrinsecis, quod non reperitur in cute tali alterationi non exposita, quæ si postea à tali continua alteratione læderetur, & nullum aliud esset agens alterans, in propriam, & antiquam naturam reduceretur: attamen cum non possit non esse agens, hoc vel ille modo alterans, hæc vel illa resultat consuetudo. Sic de potu, cum uno, vel altero debeat uti vivens, una vel altera debet resultare consuetudo, si tamen nullus esset potus post acquisitionem alicuius consuetudinis, vel si talis esset, quòd pro natura foret, in propriam naturam reduceretur vivens, non immediatè, sed post aliquod magnum tempus.

CAPUT IV.

An in facultate Naturali locum habeat Consuetudo circa quantitates alimenti, & numerum.

ET ratio difficultatis est: quia neque quantitas, aut numerus habent virtutem agendi, atque ita cum nihil producant in potentia, aut in parte eius, eodem modo videtur se habere facultas semper ex quantitate, aut numero alimenti, & ex consequenti circa talia non habet locum consuetudo.

Sed

Sed his non obstantibus negari non debet id quod experientia constat: nam in quantitate alimenti ventriculum assuescere ostendit Hipp. 2. acut. com. 22. circa numerum verò assumendi idémet ostendit 1. aphor. com. 17. sed ratio difficultatis investiganda est. Quidam enim dixeruot, quod licet quantitas activa non sit, est tamen necessaria ad actiones: dictum enim à Gal. est. 3. de simpl. med. facult. c. 23. scintillam ignis non posse comburere defectu quantitatis, quando ergo ventriculus sæpe assumpsit tantam alimenti quantitatem, ratione ipsius assuescit tantæ alterationi: nam ratione majoris quantitatis major est alteratio, ita ut minorem, aut majorem alterationem ægre ferat, & ex consequenti; majorem aut minorem quantitatem alimenti verè ex quantitate potest assuescere.

Sed hic dicendi modus mihi videtur insufficiens: nam experientiâ constat ventriculum non solùm bene se habere ex illa certa quantitate alimentorum ejusdem naturæ cum illis, quæ crebrò assumpta sunt, sed etiã meliùs se habere ex simili quantitate alterius alimenti, & contrarij: malè verò ex minori quantitate: at verò si ratio illius posita esset in tanta alteratione producta apertè sequeretur ventriculum pessimè se habere ex tanta quantitate alterios alimenti; siquidem majorem suscipit alterationem illa cui assuevit, quæ est illi contraria.

Secundò urgentiùs argumentor: quia si ratio consuetudinis circa quantitatem alimenti cõsistit in alteratione usque ad certum gradum, sequitur, quod satisfieret huic consuetudini, si quis assumeret dimidiam quantitatem alimenti, si ex ipso alimento tanta alteratio produceretur, quod esse possibile constat hoc exemplo, quia fieri potest ut ex uno alimento cum tanta quantitate producatur alteratio in ventriculo usque ad duos gradus, & tamen ex alio alimento efficaciori secundum intensionem & virtutem cum duplo minori quantitate producatur in ventriculo æqualis intensio similis qualitatis: Consequens autem contra experientiam est.

Alij verò possent existimare: ex eo quod dictum est à Gal. lib. de Consuetod. 14. omnem facultatem cuiuscumque naturæ otio languescere & imbecilliorem reddi; exercitatione, & usu, fortiorem, & robustiorem reddi, quod ideo ventriculus circa quantitatem alimenti assuescit: quia ex operatione majori circa ipsam quantitatem maius robur adquiritur in ventriculo, & ita facilè tantam quantitatem potest vincere.

Quod etiam mihi videtur à ratione alienum; Primò quidem; quia secundum hunc dicendi modum nihil peculiare tribuitur consuetudini, quod non possit esse ex principiis generationis, & ex naturâ: nam tantùm virium robur potest alicui contingere ex proprio temperamento, sicuti posset contingere ex usu quantitatis alimenti.

Secundò quia falsum est ex actione circa alimentum tantæ quantitatis corroborari ventriculum, neque in se, neque in ordine ad actionem: probatur quia tota hæc actio, quæ procedit à ventriculo in alimento subjectatur in facultate ventriculi; nihil recipiente, aut pars eius est. Si ergo hæc eodem modo se habent sicuti ante usum illius quantitatis, apertè colligitur, huius actione ventriculum robustiorem non reddi.

Neque enim eadem ratio est facultatis animalis motivæ secundum locum, & facultatis agentis ventriculi: benè enim intelligi potest, ratio propter quam animalis facultas motiva otio languescat, & exercitatione videatur corroborari: languescit quidem, quia excrementa, quæ quotidie generantur in nobis otio manent, & non dissipantur, quæ excrementa reddunt mollia instrumenta motus, & ita inepta ad talem actionem; exercitatione verò videtur corroborari: quia calido distributo usque ad articulos excrementa dissoluuntur, & dissipantur, & ita manent apta instrumenta ad motum; non verò potest corroborari, quia aliquis gradus roboris in se adquirat. At verò in facultate naturali circa quãtitatem alimenti hoc non contingit, neque enim otio, aut cessatione actionis fit aliquid in ventriculo, aut manet, ratione cuius iostrumẽtum huius facultatis possit imbecilliter agere, neque exercitatione, aut usu potest aliquid dissolui, quod esset impedimento robori actionis.

Nam si dicas generari excrementa in ventriculo, quæ possint partem agentem transmutare, potiùs hæc generarentur actione, quam actionis otio, & ita ex hoc fundamento non potest ostendi hanc facultatem ventriculi circa quantitatem alimenti plurimo usu corroborari, quia ex maiori alimenti quantitate maior moles solidæ substantiæ reparatur, quod maximè confert ad robur virtutis: nam dictum est Gal. 12. method. cap. 5. robur virtutis postulare non solùm certam quantitatem & qualitatem spiritus, sed etiam certam quantitatem solidæ substantiæ.

Hæc inquam solutio non satisfacit, quia potiùs ex hoc fundamento ostenditur oppositum; si enim fingamus aliquem certæ substantiæ mole in maximo termino intrinseco, qui requiritur ad robur virium, sequitur hunc hominem non posse assuetudinem comparare ex quantitate alimenti: probatur sequela: quia illa maior substantiæ moles, quæ ex maiori quantitate alimenti adquiritur, non facit ad robur, siquidem in viventi certus terminus magnitudinis est præfixus ad robur: ratio ergo assuetudinis circa quantitatem alimenti non consistit in robore virtutis adquisito ex maioris substantiæ mole per nutritionem.

Neque sufficit ulteriùs dicere ideò facultatem naturalem ventriculi exercitatione corroborari circa quantitatem alimenti: quia ex maiori copia, maior quantitas sanguinis, & spiritus generatur, quæ cum sint instrumenta actionum naturalium possunt reddere fortiorem & robustiorem actionem ventriculi hac consuetudine. Contra est quia præterquam quòd nihil dicitur peculiare, quod possit convenire consuetudini, & non naturæ: solutio certe est falsa: quia si ponamus hominem senem, & debilem assuetum quantitate alimenti, Iuvenum verò robustum insuetum; certum est senem illum propter consuetudinem faciliùs commutare quantitatem illam alimenti: & meliùs se habere; Iuvenem verò deterius; & tamen certum est in iuvene illo majorem esse quantitatem spiritus, & sanguinis, quam in sene debili: ergo in hoc non consistit ratio huius assuetudinis, neque inde maius robur videtur comparari ex sola consuetudine, neque ex alterius natura.

Multò minùs mihi placet ea explicatio, quam adducit huius testimonij Galeni 2. de temperament. cap. 17. Gaspar Lopez: dicit enim, quòd sicuti imaginatio, & memoria, & intellectus exerci

exercitatione propriarum actionum corroborantur, ex eo quod consuetudine acquirunt habitum quemdam: ita facultas naturalis ventriculi circa quantitatem: dicitur corrobari, quia frequenti actione etiam habitum quendam acquirit.

Si verò illi quis objiciat sequitur quòd in naturalibus adquiritur habitus; quod nullus dixit. Respondet in naturalibus, quæ non sunt sensitiva verùm esse hoc, ut in lapide, & igne, tamen in naturalibus quæ adjunctum habent sensum, bene posse adquiri. Constat autem experientiâ Ventriculum constare sensu; nec necessarium est, inquit, ut talis habitus compatetur in facultate naturali consuetudine ratione sensus, quæ liberè operetur, nam etiam intellectus dum constat specie intelligibili potest assuetudine habitũ comparare, & operatur secundum naturam.

Sed hæc explicatio prorsus est falsa, quia ut dicemus infrà tantùm abest, ut sensus aliquis exterior habitum compatare possit, ut verùm sit contra communem Medicorum sententiam; quia neque possunt aliqua ratione assuefieri, & ratio est aperta; quia quilibet sensus exterior operatur uno modo tantùm, & ex instinctu naturæ. Probatum autem supra est ad rationem habitus esse necessarium, ut potentia sit indifferens ad plura ad quæ possit pluribus modis determinari.

Similiter falsum est, quod in confirmationem suæ sententiæ dixit, intellectum scilicet habentem speciem necessariò, & secundum naturam operari: nam sufficienter à Philosophis probatum est in libris de anima posse intellectum speciem conservare, citra operationem ita ut possit operari, & non operari.

Aliam explicationem circa dubitationem propositam secutus est Vallesius loco cit. 8. cont. cap. 4. advertit enim pro huius rei intelligentia; omnes facultates nostri corporis se mutuo iuvare ad actiones, & mutuo trahere se ad sympathiam, & consensum: Ventriculus ergo propter commune bonum, constat sensu quodam, ut possit molesta expellere, & iucunda retinere, illa aversatur, & hæc amplecti. Ex quo fundamento colligit, quod Ventriculus propter sensum, quem habet; ea quæ iucunda sunt, amplectitur: quæ verò inferunt molestiam aversatur: eâ autem inferunt molestiam, quæ causant tristitiam: objecta verò consueta cæteris omnibus eodem modo se habentibus, nulla facta mutatione in facultate, temperamento, aut instrumento, sed sola præcisa ratione consuetudinis, etiam minori robore existenti, sunt magis iucunda, & minùs molesta ideo ergo ventriculus quantitatem alimenti, cui assuevit meliùs amplectitur, & commutat, & hoc est, quod debetur consuetudini, & non provenit ratione naturæ: ideo autem objecta consueta, minùs molesta sunt, quia in perceptione ipsorum distrahitur imaginatio, minùs advertens; est tamen necessaria advertentia imaginationis, ut objecta externorum sensuum molestiam inferant: nam si verum est posse in aliqua parte reperiri sufficientem doloris causam, & tamen propter distractionem mentis non sentiri; certum quoque erit propter similem causam minori molestia affici ventriculum ex quantitate consueta alimenti. Ex quo fundamento inquit ille evidenter constare in omnibus sensibus externis imaginationem operari.

Sed hæc solutio non videtur sufficiens. Primò quidem; quia oporteba explicari, an frequenti usu eiusdem quãtitatis alimenti produceretur aliquid in imaginatione, inclinans ad facilem distractionem & in advertentiam circa illam quantitatem: nam si nihil producitur in sensu ventriculi ex actibus frequentibus, neque in imaginatione, ut præsenti tali objecto promptè, & facilè distrahatur: sed potiùs istæ facultates eodem modo se habent sicuti antea: evidens est tales facultates non assuefieri. Quod autem in sensu Ventriculi nihil producatur ex frequentibus actibus circa quantitatem certum est, & Nos probabimus infrà. Si verò dicas produci in imaginatione ex plurimis actibus in advertentiæ aliquid, quod incliner, ut possit facilè, & promptè inadvertere proposita illa quantitate objecti: saltim sequitur: quod hac ratione bruta animalia non possint circa quantitatem alimenti compatare consuetudinem, quia ut probabimus infrà actus imaginationis illius, sive sit advertentiæ, sive inadvertentiæ est factus ex instinctu naturæ.

Secundò, sic argumentor advertentia imaginationis cum sensu exteriori est in nostra potestate, sicut operatio huius potentiæ: potest ergo quilibet homo dummodo non sit indispositio ex parte organi advertere, quando vult: proposità ergo quantitate alimenti consueta, si imaginatio advertat, similis sequitur molestia, ac sequebatur ex actibus ante consuetudinem provenientibus à simili quantitate; Quod, si concedas; sequitur apertè eum sit in nostra potestate adhuc in primò actu, non advertera eodem modo se habere ventriculum circa quantitatem alimenti ac se habet post primum usum. Evidens ergo est, causas huius assuetudinis non consistere in distractione imaginationis.

Tertiò sic argumentor quodlibet objectum sensus externi est determinatum secundum proportionem, ut non inferat molestiam, & sentiatur cum voluptate: nam excellens sensibile est, quod corrumpit sensum; sequitur ex hoc quod si homini assueto quantitati excedenti ipsius alimenti; exhibeatur alimentum dimidiæ quantitatis, quod non excedat proportionem sensus, quod non infertur illi molestia. Probo sequelam: quia objectum secundum virtutem sensibilem proportionatur sensui, & tamen illud alimentum est præter consuetudinem: ergo ratio consuetudinis circa quantitatem non consistebat in distractione imaginationis circa actus sensus, siquidem in quantitate proposita quantumvis advertat imaginatio, quia est præter consuetudinem non infertur molestia sensui.

Quartò, & ultimò: quia hic Author non adducit solutionem, quæ debet esse vera, secundum omnem opinionem: & tamen secundum omnes est verum, quodammodo consuetudinem reperiri circa quantitatem alimenti, non est enim verum secundum omnem dicendi modum imaginationem operari in actus sensus externi: nam si defendamus dari sensum communem diversum ab imaginatione, hoc opus est sensus communis, & non imaginationis. Constat enim Aristotelem posuisse sensum communem principium, & finem sensuum externorum: secundum quem dicendi modum, cum operatione sensus externi, non est necessarium phantasiam advertere, sed advertere sensum communẽ, quæ advertentia

tentia necessaria debet esse in brutis animalibus.

Multò minùs mihi placet cum quibusdam dicere ideo ventriculum circa quantitates alimenti assuescere; quia à maiori quantitate, gravatur; minorem ferè non sentit: consuetam cum voluptate amplectitur. In hac enim ratione absque dubio est petitio principij: nam oportebat reddere causam propter quam usus certæ, & determinatæ quantitatis, quæ antea inferebat molestiam, cum voluptate sentiatur, si ex hac quantitate nihil in parte producitur post usum; nam si in molestia quodammodo pars sentiens discedit à propria natura, in voluptate, vel accedit ad naturam, vel saltim obiectum sentitur, ut conveniens sensui: explicare oportet, quid à crebra quantitate producatur, ratione cuius obiectum illud fit iocundum, quod antea erat molestum.

Et augetur difficultas, quia alimentum per primas qualitates, tantùm immutat sensum tactus, per gravitatem, & alias qualitates secundas; quæ cum non possint producere sibi similes apertè constat ex certa quantitate quantumvis frequenter repetita nihil in ventriculo produci, quod habeat consuetudinis rationem. Et ita nihil videtur neque circa quantitatem alimenti, neque circa numerum eiusdem posse ventriculum aliquid comparare per consuetudinem ante commutationem eius, quod non posset esse ex natura, quod constabit, si quis legat, quæ circa quantitatem, & numerum alimenti adduxit Hipp. 2. acut. com. 22. & ita quando communiter dicitur apud Medicos circa prædicta versari aliquando consuetudinem, impropriissimam locutionem esse, non quod permaneat aliquid totaliter à natura diversum.

Antequam huic rei finem imponamus explicare oportet propositionem eam adductam à Galen. lib. de Consuetudine cap. 4. cuius suprà mentionem fecimus. Dicit enim eo loco facultates omnes otio languescere, usu, & exercitatione roborari; dixi autem supra non habere verum sensum si fermo sit de facultate naturali circa quantitatem alimenti; nam circa qualitatem ipsius & naturam bene potest adquiri robur in parte, per nutritionem, siquidem defectu ipsius, per dissipationem humidi debilitantur vires. Dixi enim suprà quo pacto vera sit hæc propositio in facultate motiva secundum locum; quomodocumque autem sit in hiis facultatibus, quæ nostrum corpus gubernant, scilicet in rationali, irascibili, & concupiscibili, & non in his facultatibus nisi prout in hominibus: nam tantùm in nobis istæ facultates adquirunt aliquid consuetudine quod possit permanere transactis actibus.

Quando autem dicitur facultates has usu, & actione corroborari, non debet intelligi, quod aliquis gradus essentialis virtutis, aut intensionis adquiratur in potentia, quæ operatur; sed quia ut dictum est adquirunt qualitatem ex pluribus actibus permanentem ratione cuius facultas facillimè operatur, & perfectiùs, hanc qualitatem appellavit, facultatis robur; & quia cessatione ab actionibus, & otio qualitas illa assuetudine comparata corrumpitur, propterea dicitur facultatem languescere in actione. Quod autem ita sit, otio similem corrumpi qualitatem adquisitam consuetudine constat ex Aristot. lib. de sensu, & sensibil. cap. 12. ubi dicit scientiam corrumpi, & per deceptionem, & per oblivionem: constat autem oblivionem cessationem esse ab actione, & otium facultatis.

Si verò quis dicat nihil corrumpi potest, nisi à causa efficienti: sed otium cum nihil dicat positivum sed negationem, non potest habere rationem causæ efficientis: ergo per otium qualitas assuetudinaria non corrumpitur & sic languidior redditur facultas in ordine ad actionem.

Respondetur quod aliquid dicitur movens, aut efficiens dupliciter uno modo per se, & propriam virtutem, alio modo per accidens, quod se habet tanquam removens prohibens: otium ergo, & actionis cessatio non corrumpit qualitatē assuetudinariam primo modo, ut probat argumentum sed potiùs secundo. Est enim causa removens prohibens, quia removet actum procedentem à consuetudine, qui debebat pugnare contra causas corrumpentes; sicuti ex eo quod calor longo tempore cessasset à calefactione, ex alia causa insurgeret frigus, revera diceretur optimè per cessationem calefactionis corrumpi calorem tanquam per causam removentem prohibens.

Postquam autem explicatum est an naturalis facultas possit assuetudinem comparare? habendus est sermo de facultatibus aliis, & ut à facilioribus incipiamus, certum est intellectum nostrum consuetudinem comparare posse. Probatur: quia licèt non valeat hæc consequentia facultas comparat consuetudinem ergo comparat habitum: revera è contrario evidens est consequentia: intellectum verò nostrum habitum adquirere constat ex Arist. 6. Ethicor. 1. qui dicit in intellectu esse sapientiam, scientiam, & intellectum, idest habitum.

Et ratione probatur quia illa facultas, quæ indifferens est ad operandum pluribus modis potest comparare consuetudinem, à qua determinetur huiusmodi est intellectus: ergo potest assuescere. Si verò quis dicat actus intellectus non solùm est huius potentiæ sed totius compositi: ergo hoc argumento tantùm ostenditur totum compositum assuescere.

Respondetur facilè quod intellectio dependet à corpore, eo quod phantasmata habentia rationem obiecti concurrunt suo modo ad productionem speciei, constat autem consuetudinem non adquiri in obiecto, sed in potentia atque adeo rectè probatum fuisse in intellectu consuetudinem reperiri. Eisdem rationibus ostenditur etiam in alia facultate rationali, nempe in voluntate reperiri consuetudinem, tum quia ibi reperitur iustitiæ habitus, ut docet Aristot. 5. Ethi. or. cap. 5. tum quia est facultas indifferens ad operandum pluribus modis, similiter eisdem rationibus ostenditur in irascibili, & concupiscibili habere locum consuetudinem, non quidem prout sunt in brutis animalibus: nam in illis tantùm uno modo, & ex instinctu naturæ operantur; sed prout sunt in nobis in quantùm istæ facultates pluribus modis possunt operari, quia à nostra rationali facultate moventur, & ita Aristoteles fortitudinem & temperantiam ex pluribus actibus in appetitu sensitivo adquiri dixit. Maiorem autem difficultatem habet explicare.

CAPUT V.

Virium in sensibus locum habeat Consuetudo.

Cum autem sensus sint in duplici differentia, alij interni, qui appellantur rectrices; alij verò externi, certum est apud omnes in sensibus internis reperiri consuetudinem quod constat ex Arist. libello de mem. & remin. cap.3.ubi dicit,ad bene memorandum plurimum valet cõsuetudo ex principio, etiam constat, quod siquis sæpissimè cogitavit rem aliquam, aut existimavit, difficilè dimoveri ab ea cogitatione, vel existimatione.

Et ratio fundamẽtalis est hæc quia interni sensus ex imperio nostræ facultatis rationalis,possũt diversimodè operari, & ex consequenti frequentioribus actionibus possunt determinari ad operandum uno modo,& ita sequitur apertè consuetudinem acquiri.Si verò disputatio nostra ad sensus externos convertatur,communis Medicorum opinio tenet sine controversia consuetudinem in illis etiam reperiri. Quod potest probari argumento desumpto ex experimento, nam constat olfactum ab assiduo odore minùs molestari, remissiorem minimè percipere,ut constat in his,qui assuevérunt secũ portare Muschum, aut Ambrã: similiter gustus à sapore,cui assuevit non molestatur,quantumvis sapor pravus sit. Idem judicium est de auditu respectu soni. Magis autem manifestum est in sensu tactus reperiri consuetudinem: nam præterquam quod dictum est ab Arist.7.lib. politic.cap.17. utile esse pueros frigori assuefieri, tum ad res bellicas,tum ad sanitatem,comprobat etiam ratio,quia si quis frequenter iter egit tempore æstatis, & hyemis circa molestiam alterari à frigore, & a calore;secùs autem contingit si subitò ab externo frigore hyemis alteraretur,nã tunc constat experientiã doloribus vexari præsertim in unguibus. In sensu etiam visus constat consuetudinem reperiri,nam siquis ex caliginoso loco,in quo diù fuisset commoratus deductus est in locum splendidum, obcæcatur ob nullam aliã causam, nisi propter dissuetudinem: constat ex illa historia tradita à Gal.10.de usu part.cap.7.est autem historia Dionysij tyranni Siciliæ.

Sed in hac dubitatione mihi videtur certum in externis sensibus præter tactum nullum locum posse habere consuetudinem: probatur ratione. Nam aut comparatur consuetudo ex actibus productis à sensibus, vel ratione alterationis factæ ab objecto sensibili:non potest assuefieri sensus ratione propriæ operationis quantumvis repetitæ. Probatur: quia sensus externus circa omnia objecta operatur uno modo: ex instinctu naturæ ergo non potest ab aliqua qualitate peculiari determinari ad operandum hoc, vel illo modo:ergo neque potest assuefieri:probatur consequentia quia per consuetudinem facultas, quæ erat indifferens, determinatur. Neque potest quis mente concipere ex assidua sensatione externa frequenti,faciliùs,aut promptiùs sensum operari, quàm antea, nam præterquam quod oppositum constat experientiã,colligitur ex Arist.sensum externum neque per speciem,neque peractum proprium facilitatem comparare: dictum est enim ab ipso a lib.de Anima 5. sensum externum post primam eius productionem similem esse intellectui,habenti scientiam, quod absque dubio debet intelligi, quantum ad promptitudinem & facilitatem ad operandum.

Si verò quis objiciat sicut interni sensus moventur ad operandum à rationali facultate imperante, ita, & externi: sicuti ergo propter hanc rationẽ diximus sensus internos posse consuetudinẽ comparare; ita dicere debemus de externis.

Respondetur negando similitudinem,nam externi sensus non moventur à rationali facultate imperante, nisi per accidens,quantùm scilicet ad applicationem objecti, nam in nostra potestate est, separare sensum externum à proprio objecto, sæpenumero tamen semel facta objecti applicatione omnes sensus externi operantur uno modo, & ex instinctu naturæ.

Neque potest sensus hic consuetudinem comparare ex præcedente alteratione:quod inde constat:nã duplex alteratio potest considerari in sensu ab objecto,vel enim enim est speciei sensibilis productio, vel alia prævia alteratio realis, quæ disponit organum ut possit speciem recipere. Ex priori alteratione, quæ spectat ad receptionem speciei,certum debet esse consuetudinem nõ posse adquiri;quia ex objecto dependet species in esse, & conservari; nihilque videtur produci posse ab alteratione,quod habeat rationem permanentis,Tùm ultra quia respectu huius effectus facultas hæc se habet merè passivè, neque organum ablatã specie aliquam mutationem habet; sed se habet eodem modo sicuti antea, quam speciem acciperet. Si verò sermo sit de alia reali prævia alteratione procedente ab objecto, & disponente organum ad receptionem speciei, neque ratione huius,in his sensibus reperitur consuetudo, quæ cum non sint activæ, non possuot producere in organo sibi similes,atque adeo neque productione alicnius qualitatis realis, & permanentis possunt immutare organum.Quod autem sensus gustus,qui pluries percipit aliquem saporẽ non possit remissiores probè sentire,non tamen provenit ex consuetudine;sed ex eo quod ad percipiendum saporem, est necessarium substantiam gustabilem ingredi per poros linguæ ad instrumentum,ut in ipso faciat aliquam confricationem, quæ veluti prævia dispositio est ad suscipiendam speciem. Hoc enim significavit Arist. dum dixit 2. de anima cap.9.non posse saporem gustari sine linguæ humiditate, atque adeo propter hunc usum fieri salivam,nam ratione humiditatis dilatantur pori linguæ, patetque aditus introeunti substantiæ: existente ergo illa substantia gustabili non percipitur similis sapor, neque remissus, quia ab his non potest fieri similis confricatio disponens ad productionem speciei. In olfatu similiter contingit,ut qui portat Ambram, aut Muschum non percipiat similes odores,aut remissiores,non quidem ex consuetudine comparata,sed quia fumida quædam exhalatio exiens à substãtia objecta,penetrare debet per nares usque ad instrumentum huius sensus,& præviã hac alteratione reali producere speciem, quæ alteratio, cum non possit à simili substantia odorifera produci, priori intus maonente, similis odor non sentitur. Cuius rei signũ est,quia si illa fumida evaporatio intus manens per expirationem extrinsecùs pelleretur, & eadem met per inspirationem intus assumeretur, iterum perciperetur idem odor: ratio ergo impedimenti ex hac causa proveniebat. In sensu verò visus nullã ratione etiam habet locum consuetudo, quia objectum tantùm producit speciem sui; præviam verò dispositionem, vel alteratione disponentem organum non producit, sed potiùs aliud

aliud agens, quod sit aptum lumen producere. Constat autem apertè subjectum neque assuefieri posse, neque ex receptione speciei, neque ex receptione luminis.

Quòd autem quandiu commorati sint, in caliginoso loco, deducantur ad locum splendidissimum cæcitatem contrahant, non potest provenire ex consuetudine existenti in tenebris; nam tenebræ cum privationem dicant, nihil possunt producere in organo visus, & ex consequenti neque ex ipsis comparatur consuetudo; sed potiùs habet ortum, quia in tenebroso loco est necessaria frigiditas quædam, quæ debuit aufferri ex calore producto à lumine, frigus autem illud densat tunicas oculorum, & facit penuriam spiritus animalis; accedente verò posteà maximo splendore, tanquam ab excellente sensili dissolutio contingit, & dissipatio: Quando autem vulgo dicitur; sensus externos assuefieri, impropriissima est loquutio; sumiturque consuetudo pro rerum usu, non tamen ea significatione de qua nos disputamus.

De sensu verò tactus videtur specialis difficultas, tum propter rationem supradictam, tum propter locum adductum ex Aristotile 7. l. politicorum cap. 17. non ergo quantùm attinet ad hanc rem quòd sensus tactus respectu secundarum qualitatum, quas sentit ut respectu mollitiei, & duritiei, non potest habere consuetudinem quia cum illæ activæ non sint, tantùm valent producere speciem; sui & ita idem iudicium est, sicuti de alijs sensibus externis. Si verò sermo sit respectu primarum qualitatum licèt ex proprijs actionibus sensus non comparatetur consuetudo, quia quantum est in hac re idem judicium est de hoc sensu, ac de alijs; tamen ratione præviæ realis alterationis possunt partes quodammodo calori, & frigori assuefieri, ita ut ab ipsis citra molestiam alterentur.

Sed dicet quis, quid est illud, quod manet in parte ex assidua alteratione à calore, & frigore, ratione cuius citra molestiam percipiantur similes qualitates. Resp. nihil aliud manere posse præter partium densitatem ratione cujus difficiliùs hæc alteratio externa contingit.

Sed objiciet quis ulteriùs, si ratione densitatis provenit illius eventus causa, sequitur quod sufficiunt partes alterari sepissimè à frigore exteroo solo, ut citra molestiam alteretur corpus, non solùm à frigore, sed etiam à calore, quia densitas à solo frigore producta, sufficiat ad resistendum etiam alterationi, quæ debuit produci à calore.

Resp. quod licet utraque qualitas ex his habeat vim densandi, tamen diverso modo; peculiari enim modo densat frigus, & alio diverso densat calor; quod insinuavit Arist. 4. meteor. c. 6. cum enim docuisset concreta corpora à frigore, calore dissolui, & econtra, docet quod quæ concreta sunt ab utraque causa, à nulla dissolvuntur: ex quo apertè colligitur diverso, & peculiari modo concretionem fieri à calore, & à frigore; quod etiam docet experientia nam qui volunt formare fictile vas indissolubile à calore & à frigore priùs indurant actione frigoris, posteà verò calore ignis. Non ergo sufficit partes densari à frigore ut citra molestiam alteratio ab excedenti calore percipiatur. Est tamen advertendum, quòd licet in hoc sensu in partibus his, in quibus reperiatur tactus reperiatur consuetudo; non tamen est aliquid peculiare ibi productum, quod non possit contingere ex principijs generationis; nam etiam ex natura potest habere ortum, quod aliquid sit indissolubile calore, & frigore, scilicet si ab his causis esset concretum: quod insinuavit Plato dialogo de natura, dum declarat ossium productionem: dicit *ossa ita esse condita ex medulla, & terra à formatore partim immergendo in aquam, partim in ignem, ut neque ab aquâ, neque ab igne dissolverentur*: Quibus verbis intellexit tali naturâ producta fuisse ossa ex principijs geocrationis; ac si ex alteratione rerum extetioarum immutarentur. Constat enim experientiâ, propter naturam, quam comparatunt ex principijs generationis, neque ab igne, neque ab aqua dissolvi.

CAPVT VI.

An in facultate motiva secundùm locum sit Consuetudo:

IN qua re est supponendum, non esse sermonem de facultate imperante, aut excitante motum; nam de his supra habitus fuit sermo dum quærebamus, an imaginatio, & appetitus posint assuescere; Sed potiùs dubitatio intelligitur de facultate executiva motus, quæ residet in membris corporeis nostris, & aliorum animalium perfectiorum. In qua re omnes conveniunt facultatem hanc motivam posse assuescere eo quod dicitur ab Hipp. 2. aphor. 39. *qui soliti sunt labores ferre, etsi imbecilles, & senes facilius ferunt labores, quam qui nõ sunt assueti, etiamsi iuvenes sint & robusti.* Si ergo ex assiduo motu adquiritur major tolerantia, aperte colligitur comparari consuetudinem.

Sed statim se offert dubitatio: quid est illud, quod manet factum ex assiduo motu, quod habeat rationem consuetudinis propriè? Cui dubitationi videtur satisfacere Gal. lib. de Consuetudine c. 4. dum dicit *exercitatione, & usu partes, quæ moventur robustiores reddi, & ideo similes motiones facilius ferre, otio vero languescere*, nihilque aliud motu locali videtur in parte comparari posse permanens, præter robur quoddam & soliditatem quandam in instrumentis, quod videtur insinuari ab Hipp. 6. de morb. vulg. p. 5. com. 10. dum dicit, *labor articulis & carnibus cibus, somnus visceribus*. quasi dicat, quod sicuti per somnum intrinseca viscera corroborantur ex abundantia caloris nativi: ita ex labore propter eamdem causam fit robur in articulis.

Quod etiam docet experientia: Constat enim partes diu ligatas, aut paralysi laborantes citò emarcescere, ex eademque radice habet ortum, quod partes dextræ sint robustiores sinistris, & quod fœminæ non fiot ita musculosæ sicuti viri.

Sed hæc explicatio non videtur sufficiens, nam si tota ratio consuetudinis huius consisteret in robore acquisito per motum, nūquam Hipp. excitat. Comparasset senem debilem exercitatum respectu iuvenis fortis, & minimè exercitati: nam constat apertè ex assidua motione senē non posse compatate tantum robur, sicuti habet juvenis. Constat enim præterea quod licet æquale robur esset in utroque non ita facilè ferret juvenis labores ex motu sicuti senex. Ideoque circa dubitationem propositam, Alij excogitarunt diversum dicendi modum, quod scilicet ex consuetudine

suetudine motus aliquid acquiratur, quod non possit esse ex natura: illud autem est, quòd musculi, & nervi ex frequenti motione, comparant figuram quamdam, versus quam flectuntur à minima facultate, & citra dolorem, sicuti contingit in corrigiis externis aut virgis:siquis enim versus unam partem conetur flectere hæc instrumenta, facillimè promptudinem acquirunt, ut versus eam partem, & figuram moveantur, difficilè verò versus contrariam: ita contingit in musculis,& nervis,ut ex assidua motione figuram adquirant,versus quā facillimè possunt flecti, & hoc est, quod nullus potest habere ex natura.

Quæ solutio videtur apertè colligi ex his, quæ docet Gal. 2. de motu muscul. c.7.quo loco de natura mediæ figuræ comparatæ ex consuetudine sermonem instituit.

Si verò quis objiciat contra hunc dicendi modum: sicuti sunt quædam fibræ nervorum, & musculorum, quæ in motu locali versus unam partem contrahuntur, ita sunt alij oppositi ex quorum contractione priores dilatantur versus contrariam figuram: non est ergo maior facilitas in motu post crebrum usum quàm antea.

Huic argumento Resp. Vall. loco supà cit.qui inter plures habuit hunc dicendi modum: quòd scilicet ratio habretet vim si fibræ musculorum non contraherentur à facultate, sed potiùs per se versus certum locum ut vero cum motus animali à facultate fiat, ex dispusito instrumento: fieri pot. st ut instrumenta utrinque sint disposita bene, & ad contractionem propriam, & ad extensionem similiter factam propter contractionem contrarij musculi,non se autē impediunt mutuò, quia illorū contractio non fit simul,sed vicissim.

Sed hic dicendi modus mihi videtur defficiens, & falsus: 1. quidem,quod licet verùm sit ut motu locali ex cōtractione musculorum partem adquirere certā figurā;tamē in hac nō potest consistere ratio consuetudinis, neq; facilis tolerantia. Probatur; quia figura hæc est post motum,quod autem est ex consuetudine præcedit motum: siquidem ab eo habet rationem facilis & prompti tamquam à principio. Oportet ergo explicare; quid ex assiduo motu comparetur in instrumētis, ratione cuius versus talem figuram consequentem motum,promptè, & facile fiat operatio.

Secundo: quia illud exemplum quod ab externis rebus desumebatur,potiùs confirmat hanc sententiam, & destruit oppositam, quam aliam ostendat: Nam si quis conetur corrigiam externam, aut virgam versus aliquam partem flectere,si ponatur postea in pristino,& priori statu: absurdum est dicere maiorem promptitudinem habere, ut declinet in talem locum, potiùs quam in oppositum, nisi ex frequentia illius adquirat aliquid hoc corpus externum,quod sit causa facilitatis, nam si eodem modo se habet,sicuti antea, dici non potest quid in actione sit maior facilitas:ita ergo existimandum est in his instrumentis localis motus, quod nisi motu partes habeant aliquid de novo superadditum, non potest contingere facilitas, aut promptitudo versus talem figuram:illud enim est,quod verè rationem consuetudinis habet Neque Gal.loc.sup.cit.dedit occasionem existimandi oppositam sententiam esse juxta eius mentē, sed tantùm dixit, ideò mediam figuram musculorum inter summam contractionem, & extensionem sine dolore esse, quia talis consueta est. Ex hoc tamen non licet colligere, aut in figura consuetudinem consistere, aut nihil adquiri in instrumentis, quod reddat ipsa promptª ad motum versus mediam figuram.

In tali ergo dubitatione proposita duo sunt, quæ indigent explicatione, alterum est, quid ex frequenti motu commune omnibus animalibus perfectis adquiratur; quod habeat rationem consuetudines. 2. Est:quid in homine artificiose operante, aut in partibus externis eius adquiratur, quod sit consuetudo, ut in citharedo,ad citharizandum, & in saltatore ad saltandum.

Quantùm ad 1. Dico in motu animalium perfectorum secundùm se aliquid adquiritur, quod licet non verè, & propriè habeat rationem consuetudinis, sufficiens tamen est ad facilem tolerantiam, quod collig. ex Gal. doct. 2. de sanit. tuend.c.2. ubi dicit,tria sequi, exercitationem & laborem,1.durities instrumentorum ex attritu ipsorum, & genuini caloris abundantia,& citatior motus eiusdem; aliud tamen ex duritie sequitur, quòd minùs agitantur labore, & actionis robur, vel quo pacto maiorem laborioso tolerantiam ex motu locali præsupponere aliquam qualitatem disponentem instrumenta dixit, quam appellavit instrumentorū duritiem;& in explicatione illius aphr.45. 2.partis dixit commune est omnibus laboribus, ut partes exercitatæ robustiores fiant, ideoque facilius laborem ferunt; qua sententia non potuit intelligere exercitatas partes adquirere aliquem virtutis, aut facultatis gradum, ut supra probatum est, sed qualitatem disponentem ipsa instrumēta ad promptitudinem motus, quam appellavit robur:siquidem ratione ipsius efficacior fit actio. In hoc enim sensu sæpè à nobis est dictum secundùm Gal. opinionem à partibus principibus in exortu facultatem communicari, non quia revera facultas sit; sed ideò appellatur,quia qualitas est simplex ad actiones necessaria; ita instrumenta motus dicūtur robur adquirere,quia cōparant qualitatē disponentē ad efficaciā ipsius.

Ex quo sequitur certum esse in brutis animalibus inquantùm moveotur à proprio principio, quantumvis facta sæpissimè exercitatione consuetudinem non comparare, siquidem tales operationes ex instinctu naturæ fiunt. Neque dici potest in ipsis qualitatem comparari superiorem primis, aut his, quæ à primis oriuntur: & ita evidens est; quod si talis dispositio reperiretur in aliquo animali inexercitato, æqualiter pollet labores ferre.

Secundum autem maiorem difficultatem habet, ān scilicet in musculis, aut instrumentis externis motus localis hominis artificiose operātis, ut si pulset citharam, &c. aliquid aliud sit consuetudo præter id,quod est dictum, in qua dubitatione, quidam existimarunt, in membris externis Artificis per longum usum produci revera consuetudinem, quæ est habitus. Potest probari hæc sententiam 1. quia in partibus externis Artificis est promptitudo, & facilitas ad operādum: ergo post longum usum revera in illis est habitus consuetudine adquisitus. Probatur consequentia, quia nihil aliud videtur importare habitus,quàm promptitudinem vel facilitatem ad operandum.

Neque sufficit Resp. hanc facilitatem acquiri ex eo quòd aliqua qualitas corrumpitur retardans motum partium;nam cum corruptio unius productio alterius sit, si aliqua qualitas, quæ existebat in membris corrumpitur per consuetudinem alia debet generari.

2.Probatur

2. Probatur: actio immanens, & principium immediatum ejus debent esse in eodem subjecto; sed in membris artificis est tanquam in subjecto operatio facilis, & prompta: ergo principium hujus promptitudinis debet esse ibi: nullum autem est quod producatur; nisi id quod verè rationem habitus habet: ergo.

Vltimò; quia in brutis animalibus ex hominum imperio reperitur motus secondùm artem factus, in quo animali diei necessariò debet per consuetudinem hanc qualitatem perfectioris ordinis, quàm sit temperamentum, produci.

Sed in hac dubitatione: Dico 1. in instrumentis motus localis inquantùm moventur à ratione humana imperatore artificiosè qualitatem post longum usum adquisitam revera habitum non esse. Probatur evidenter: quia sequeretur ibi esse principium proximum artificiosæ operationis, & principale, & ex consequenti ibi tanquam in subjecto esset ars, cujus contrarium docet Arist. & est commonis omnium sententia apponentium artem in intellectu tanquam in subjecto.

Dico 2. in illis instrumentis motus, inquantùm à ratione humana imperantur artificiosè, produci habitualitatem quamdam ratione cujusdam qualitatis disponentis membra, quæ revera præter temperamentum est: & hoc videotur ostendere argumenta, quæ in principio feci.

Sed Dicet aliquis: idem accidens numero non potest esse in diversis subjectis; sed principium hujus operationis est in intellectu, tanquàm in subiecto: ergo non potest esse in instrumentis motus, quamvis assuescant.

Resp. quod non ponimus idem accidens numero in diversis subjectis; sed sicuti motus localis in homine procedit à duplici facultate, altera imperante, altera exequenti: ita ponimus duplex accidens, alterum in facultate imperante, & illud est ars, quæ habet veram rationem habitus, alterum in membris exequentibus quod est qualitas membra disponens, & se habet ad artem, veluti instrumentum ejus.

Sed Dicet quis iterum: ideo probatum est supra in irascibili, & concupiscibili facultate per consuetudinem revera habitum produci in hominibus; quia facultate rationali moventur, & excitantur ad opus: sed hoc idem habent instrumenta ad motum localem accommodata: ergo etiam per consuetudinem debent produci.

Resp. quod est diversa ratio: nam irascibilis & concupiscibilis excitantur ad opus à facultate rationali, à qua imperantur, cum resistentia tamen; eo modo quo cives imperantur à Rege: at verò instrumenta motus localis, hac ratione non imperantur sed sine resistentia, ut possint impedire actionem.

Sed Dices ulterius: sequitur propter eamdem rationem qualitatem quam diximus ultra temperamentum in instrumentis non produci per consuetudinem: siquidem non possunt impedire actionem facultatis imperantis.

Resp. negando consequentiam: quia licet non impediant propriam actionem, possunt tamen retardare, aut impedire per indispositionem subjecti: & hoc sufficit ut qualitas per consuetudinem producatur.

Sed Dicet quis ulterius: sequitur: quod in sensibus externis post longum usum poterit produci qualitas assuetudine, cujus contrarium diximus supra. Probatur sequela: quia sicut instrumenta motus localis excitantur ad operandum à facultate rationali, ita sensus externi.

Resp. negando similitudinem: nam instrumēta localis motus, possunt diversimodè ordinari ad diversas operationes; sensus verò externi ut probatum fuit, minimè; sed operantur ex instinctu naturæ; quantumvis quantùm ad applicationem objecti possint dependere à rationali facultate. Ex quo sequitur etiam in animalibus brutis inquantùm ab hominibus imperantur, produci similem qualitatem ad artificiosam actionem in instrumentis motus.

Sed Dicet quis: quâ causa diriguntur bruta ad hoc quod moveantur artificiosè. Respond. quod diriguntur à signo docentis: cum enim concupiscibilis facultas, aut irascibilis moveantur specie ab objecto delectabili, à timore, ab objecto contristante, & molestante, memoria bruti sæpiùs repetita ex tali objecto, excitat ipsum ad talem motionem artificiosam apparente signo: & hæc sufficiant de hac quæstione.

CAPUT VII.

An indicatio, quæ sumitur à consuetudine, in morbis sit ad similia, ita ut semper debeat conservari consuetudo; an verò aliquando contrariis reduci.

OMNIUM opinio tenet in hac dubitatione Consuetudinem semper in morbis esse conservandam atque adeo pro ratione ipsius, adhibenda esse similia. Probari potest hæc sententia primò: quia dictum est ab Hipp. 2. aphor. 50. *quæ consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent*, cum autem ægrotantibus debeant exhiberi, quæ minimam molestiam inferant, sequitur quod quantùm ägitur in consuetudine debent exhiberi similia, & ex consequenti consuetudo semper indicat sui conservationem.

Secundo probatur: si quis legat ea, quæ dicta sunt ab Hippocrate 2. acutor. à com. 17. usque ad 30. inveniet noxas, quæ sequuntur ex eo quòd quis non conservet consuetudinem in morbis, non solùm quantùm ad alimenti naturam; sed quantùm ad tempus, & modum exhibendi: in quo sensu dixit Hipp. 1. aphor. 17. *concedendum est aliquid consuetudini, tempori, & regioni.*

In cujus rei confirmationem plurima extant testimonia apud Galenum in libris Methodi, quæ non oportet hic adducere, & sic ratione probatur: quia, qui laborat morbo ex sua consuetudine expectat auxilium ad sanandum, sicuti ex propria natura: ergo non oportet contrariis vim inferre consuetudini. Probatur, quia exhibendo illa, vel aufertur, vel diminuitur causa auxiliatrix ad ablationem morbi.

Si verò quis objiciat dictum fuisse ab Hippocrate illa sententia 50. aphoristica: *oportet ad insueta pertransire*. Sequitur: quod non semper servanda sit consuetudo.

Resp. quod his verbis non explicat quid agendum sit in morbo laborantibus; sed potiùs intelliguntur in sanis: quasi dicat; quod si quis sanus incepit assuescere alicui alimento, non debet perseverare semper in illo, sed oportet consuetudinem mutare, propter plurima, quæ casu possunt contingere: in hac verò dubitatione loquimur de consuetudine in ægrotantibus.

Sed hæc Gal. sententia unum peculiare habet, in quo consuetudo in morbis non debet servari similibus, sed potiùs contrarijs mutari: quando scilicet ex cõsuetudine incidit homo in morbum; tunc enim consuetudo mutanda est. Ita dictum est à Gal. 8.meth.cap.9. his verbis. *A consuetudine semper est indicatio similium, quoad scilicet ægrotantem corpora.* Quod etiam expressè licèt colligere ex ipso 9. lib. meth.cap.16.quo loco agit de consuetudine adquisita ex potu aquæ frigidæ. Clariùs tamen continetur hæc sententia 6. de sanit. tuend.cap.15. ubi dicit Gal. hanc naturam non oportet ad aliam consuetudinem transferre; sed neque ullam aliam naturam, sed quæ iam longo tempore ægrotat; subintellige tamen ex consuetudine. Quasi dicat, quod si incidebat in morbum propter consuetudinem, consuetudo est mutanda; Vnde perperam Argenterius lib.1.de officijs Medici cap. 5. propter hoc testimonium, contradictionis accusavit Galeo quòd cum sæpè dixerit consuetudinem servandam esse in morbis, videtur contrarium docere paulò ante adductâ sententiâ. Quod profectò verum non est, ut vidimus; nam Gal. intellexit mutandam esse consuetudinem in morbis quomodocumque sed peculiariter quando ex consuetudine incidit homo in morbum: tunc enim cogit nos morbus ipsam mutare.

Sed contra hanc Galeni sententiam videntur difficilia plurima, quæ in superioribus dicta sunt, nam eisdem argumentis quibus probatum fuit supra intemperatam naturam non esse semper conservandam in morbis, sed reducendam aliquando. Probatur apertè citra illum casum Galeni, consuetudinem posse in morbis mutari. Probatur 1. quia nomine consuetudinis ut sæpè dictum est: intelligimus temperamentum, usu rerum comparatum in parte naturali; sed hoc temperamentum potest contineri sub neutra dispositione quæ non solùm in morbis, sed etiam intra morbos mutanda est, ergo temperamentum assuetudinarium, si pravum sit, in morbis potest mutari, & non semper conservari.

2. Probatur: quia intemperata natura ab ortu extra morbos, & in morbis reducitur, quia usu similium redditur apta, ut incidat in similes morbos: ergo temperamentum idem quamtumvis assuetudine factum potest contrarijs reduci: patet consequentia quia usu similium manet apta illa natura in benè valentibus, ut incidat in similes morbos, in ægrotantibus etiam ut augeatur morbus similis, vel si adest contrarius, ut in similem incidat.

3. Probatur: quia ideò dictum est à Galeno consuetudinem in morbis mutandam esse, dum ex consuetudine homo ægrotat, quia ad hanc mutationem cogit nos morbus: ergo quamtumvis homo ex consuetudine non ægrotet, si prava sit consuetudo, potest mutari, ita ut contra ipsam aliquâ ratione agamus; neque enim videtur majus inconveniens consuetudinem mutare dum ex consuetudine ægrotat quis, quàm secus, & ita videtur satis probabile non solùm in illo casu, quem tradit Gal. sed etiam dum temperamentum assuetudinarium in adeò crevit, ut pravum sit, & contineatur sub neutra dispositione, mutari posse in morbis, ita ut reducatur, & non conservetur.

Neque argumenta, quæ pro opinione Gal. sunt adducta alicuius sunt momenti. Resp. ad 1. & dico 1. etiam ex hoc argumento probari posse, quod quando quis ex consuetudine incidit in morbum, debeamus exhibere similia consuetudini; & non contraria: quia etiam in hoc casu similia minus molestant.

Dico 2. quòd non omnia insueta magis molestant, quam consueta, nam quæ exiguam alterationem inferunt, non causant molestiam, eo quòd molestia habet ortum ex sensu objecti injucundi, & molestantis, quam sensationem non potest facere objectum in quavis quantitate, aut intensione, sed in ea qua fit inproportionatum potentiæ. Consuetudo autem non est mutanda in morbis, quomodocunque sed paulatim, adhibendo contrarium, & veluti insensibiliter. Neque hoc omnino alienum est ab Hipp. mente nam 2.acutor. com.18. dicit victum similem, semper tutiorem esse, quàm si quis multùm, & repente in alium mutetur: non ergo vituperat quamcumque mutationem, sed repente factam, & multùm: quod etiam expressè dixit com. 30. eiusdem libri.

Ad 2. Resp. quia Hipp. postquam probavit servandam esse consuetudinem: auxiliandum præterea est. Contrario sermoni quodammodo, quasi dicat, quamtumvis probatum fuerit consuetudinem servandam esse, tamen illi sententiæ, quæ dixit, mutandam esse, auxiliandum est, nam aliqua ratione debet mutari, eo quod præter consuetudinem sunt alia, quæ debent considerari, ut modus morbi, & tot ægrotantis, &c. Illud enim argumentum quo usus est Hipp. loco cit. sumptum ex sanis ad ægrantes, tantùm ostendit, quòd sicuti in sanis repentinæ mutationes contra consuetudinem, læduot, ita si sunt repentinæ in ægrotantibus. Secus vero minimè, imò potiùs, sicuti in sanis citra mutationem repentinam possumus exhibere contraria consuetudini ita in ægrotis.

Ad 3. Respondetur: quod qui laborat morbo, non tam debet expectare auxilium ab assuetudinario temperamento, aut innato, quam à viribus quas habet. Et ex consequenti à temperamento illo, cum quo meliùs robur conservatur, nam ex robore virtutis vincitur morbus, fieri autem sæpè potest, ut illud temperamentum, quod usu rerum comparatum est, non tam faciat ad robur, quam ad debilitatem virtutis, & quando dicis à contrarijs vim pati, quod licet illud, quod corrumpitur vim patiatur à contrario, tamen satis est, quòd forma in hac mutatione præster vim, quia fit mutatio ad temperamentum sub quo meliùs conservari potest. Et hæc dicta sint hoc tractatu de consuetudinis natura.

TRACTATUS

TRACTATUS DE ALIMENTORUM FACULTATIBUS IN COMMUNI.

CAPUT PRIMUM.

De natura, seu quidditate Alimenti.



TILISSIMA quidem doctrina de facultatibus, quæ in alimentis insunt, proponitur; & quidem valdè necessaria pro vitæ custodia, & sanitatis tutela, necnon etiam pro morborum medela. Etenim aliis præsidiis non omni tempore utimur; cæterum absque alimento neq; vivere, neque secunda, neque adversa valetudine uti possumus. Merito igitur in præsentiarum alimentorum facultates in generali pervestigamus; ut deinde cujuslibet alimenti peculiares virtutes faciliùs dignoscamus; & ut clariùs in hac re procedamus. Primo inquirimus, quid sit alimentum.

Porrò ut certa ab incertis separemus, & ne in æquivoco laboremus, memoria tenenda est Hippocratis doctrina lib. de Alimento, ubi nos monet, Alimentum triplicem habere significationem. Aliud quidem dicitur verum, & proprium alimentum, aliud veluti alimentum appellatur; & tandem alterum vocatur futurum alimentum. Verum, & proprium alimentum est, quod ultimò, & immediatè proximum est, ut convertatur in substantiam aliti, seu assimiletur parti nutriendæ; hujus generis est Cambium, seu gluten, quæ secundæ humiditates appellantur, & ultimo dispositæ sunt ad ultimam transmutationem in partem nutriendam subeundam. De quibus Tractatu nostro de Humoribus abundè egimus. Veluti alimentum dicitur, quod intra corpus continetur, & alteratum est pro nutritione, & aliquales dispositiones accepit pro conversione in substantiam, seu partem nutriendam, non tamen omnes, & ultimas, quæ necessariæ sunt ad ultimam conversionem; sic sanguis in venis, & chilus in ventriculo dicuntur veluti alimentum, in hac secunda significatione per dispositiones vitales ad conversionem ultimam in partem nutriendam. Tandem futurum alimentum dicitur quilibet cibus externus priusquàm primam elaborationem suscipiat in ventriculo; quippe tunc nondum à calore nostro suscepit dispositiones conducentes pro nutritione, & solùm habet remotas, & proprias qualitates, seu virtutes; ideóque meritò dicitur futurum alimentum ratione elaborationis futuræ, quàm recipere potest à vivente, eo ipso quod devoratum est. Ex quo constat manifestè nomen alimenti æquivocè convenire veluti alimento dicto, & futuro alimento; cum solùm illud verissimum, & proprium alimentum sit, quod ultimo dispositum est ad ultimam transmutationem in substantiam viventis.

Aliàs accidentales differentias alimenti assignavit Gal. lib. 1. de Aliment. facultat. per accidentia, quæ in alimentis inveniuntur; nam sæpè sæpiùs in forma potabili dispensantur, & devorantur, ut simul possint subire rationem alimenti, & potus, hujus generis sunt alimenta omnia fluida, veluti jus carnium, & quælibet sorbitio alimentosa. Præterea etiam alia sunt alimenta, quæ non solùm in forma potabili præparantur, ut nutriant; verùm etiam habent qualitates alterantes, & medicamentosas; & hujusmodi alimenta non solùm habent rationem alimenti; sed rationem potus, & medicamenti, per functiones diversas ad quas deserviunt, sic ptisana, & quælibet potio alterativa, ut jus alteratum habent rationem alimenti, potus, & medicamenti, per diversa officia, seu munera, ad quæ deserviunt; solùm ergo habent rationem alimenti formaliter, & præcisè quatenus in substantiam corporis nutriti commutantur; habent autem rationem potus quatenus substantia est fluxilis per partem aqueam, seu serosam incommutabilem: & tandem rationem medicamenti quatenus habent qualitates alterantes medicamentosas, quibus causis morborum opponuntur: itaque una, & eadem substantia per diversas formalitates, & est alimentum, & est potus, & est medicamentum. Alimentum tamen minimè excludit fluxibilitatem, nec formam potulentam; quippe sive sit solidum, sive siccum, sive fluidum, aut humidum, dummodo transmutabile sit in propriam ejus, quod nutritur substantiam proprium alimentum dicitur, & legitimum.

Neque huic doctrinæ opponitur Philosoph. 2. lib. de anima, cap. 4. ubi tamen explicat per appetitum calidi, & sicci, ex quo inferunt nonnulli alimentum debere esse siccum. Neutiquam enim ita intelligenda est hæc doctrina; siquidem quando docet alimentum debere esse siccum, est in contrapositionem potus, qui fluxilis, humidus, atque aqueus est, propter elixationes, quæ in nostro corpore celebrantur, necnon etiam propter distributionem alimenti per exiguas, seu angustas vias usque ad porositates. Alimentum ergo nec potest esse omninò siccum, quippe mixtum debet esse, ac proinde qualitatibus omnium elementorum ornatum, & formis ipsorum, ut latè nostro Tomo primo probavimus, & quod verius est alimentum humidum, & calidum faciliùs corpora reficit. Ita Galen, 2. aphorism, text. 11. circa finem, per hæc verba. *Humidum porro alimentum, præsertim si natura sit calidum faciliùs corpora reficere.* Si autem conjungatur fluxibilitas consonat Hippocratis

textus

textus citans cujus verba sunt. *Facilius est pota refici, quam cibo.* Ubi minimè de rigoroso potu loquitur (quippe incapax est nutritionis) sed de alimento, quod præparatur in forma potabili, & fluida, quod facilius nutrit, eo quod habet ferè jam factum id, quod venticulus solet cibis præstare, maxima enim pars ejus actionis, quæ à ventriculo expectatur, est liquatio, facilior ergo concoctu erit liquatus cibus; & distributio ejus erit celerior atque minimam commutationem perpessus, membra reficiet: & in hac significatione loquitur Hipp. lib. de alimento, dum ait, *quicunque celerrima indigeat adjectione, liquidum medicamen ad recuperandas vires optimum est.* Constat ergo ex his alimentum non debere esse siccum, licet quod solidum est meliùs nutriat; faciliùs tamen quod fluxile, aut potabile, longè enim diversum est, meliùs nutrire, & faciliùs nutrire.

Ex his facilè intelligitur quidditas, & natura alimenti, si solùm in ipso reparationem substantificam ejus quod nutritur perpendamus: ita Gal. sensisse videtur lib. 1. de aliment. facult. capit. 1. per sequentia verba. *Alimentum est quod nostram substantiam alit, nihil in hominis corpore efficiens,* Consonat idem Authhor lib. 3. de temperamentis capit. 17. ubi adducit differentiam inter medicamentum, & alimentum, & docet quod de ratione medicamenti est agere in nostrum corpus, at verò de ratione alimenti nihil agere in corpus, sed solùm ab ipso pati. Ex qua doctrina satis clarè infertur, alimentum formaliter quatenus tale, solùm importare reparationem substantiæ, & omninò excludere alterationem, quàm importat medicamentum; ut jure optimo condistinguatur ab alimento, cujus formalis ratio in eo solum stat ut nostram substantiam alat, & reficiat.

Neque refragatur adductæ doctrinæ Gal. 3. de temperamentis cap. 3. ubi asserit, quod alimentum in principio est dissimile; in fine verò simile, ex quo inferunt adversarii alimentum, ut alimentum agere in nostrum corpus, quippe quod dissimile est non potest assimilari nisi media actione, & reactione.

Huic objectioni conatur satisfacere Vallesius Noster in expositione super tertium lib. de temperamentis Galeni, ubi tenet definitionem adductam à Galeno de vero, & legitimo alimento circa illa verba ultima, *nihil in hominis corpore faciens.* Esse intelligendam de alteratione sensibili, & manifesta, minimè autem de insensibili alteratione, quam necessariò habent alimenta per dissimilitudinem cum substantia viventis.

Vidit hanc solutionem Socius quidam Noster, & eam in suis manuscriptis impugnat; eo quod sit extra mentem Galeni, qui expressit in sua definitione, alimentum nullam prorsus alterationem præstare debere in corpore humano, & quia omninò judicat extra rationem alimenti, quamlibet alterationem licet insensibilem, quippe alimentum formaliter, ut tale solum ordinatur in reparationem substantiæ, & in alimoniam corporis, & solum concurrit in genere causæ materialis, præstando materiam, minimè verò in genere causæ efficientis alterando corpus; etenim hoc ad munus medicamenti attinet.

Cæterùm Doctor iste immemor est responsionis quam ipse adducit ad argumentum de dissimilitudine alimenti. Nam in fine paragraphi, quod incipit: *Ad primum argumentum,* ait, *nihil agit alimentum, & si aliquid agit insensibile est, ut supra ex Galeno retulimus.* Componitur ergo juxta mentem Nostri Doctissimi Socii formalitas alimenti cum alteratione insensibili: ac proindè incidit in solutionem à Vallesio nostro adductam, quàm antea impugnaverat. Et quidem probabilis est, cum actio, & alteratio insensibilis non opponatur alimento prout à medicamento distinguitur, in quo alteratio est manifesta, & sensibilis Medico, per quam corpus nostrum sensibiliter immutatur.

Porrò si Galenum perpendamus lib. 1. de alimentis cap. 1. videtur alimento ut tali prorsus omnem alterationem denegare, nisi simul rationem alimenti, & medicamenti participet: juxta illud Hippoc. *in cibo medicamentum*, & in hac significatione dum loco citato loquitur Gal. de cibis medicamentosis, quæ sæpè nos calefaciunt, refrigerant, siccant, aut humectant. Prosequitur sic: *veluti dum horum nihil in hominis corpore efficiant, sed ipsum tantummodo alant, tum rationem medicamenti handquaquam habere. Sunt autem sanè paucissima id genus edulia; quotquot verò ea fuerint, alimenti dumtaxat rationem planè habent, corpus ejus, qui sumpsit, in qualitate non immutantia.* En Galeni perspicua verba, ex quibus apertè constat, alimentum in sua formali ratione omninò excludere ullam alterationem in corpore eius, qui sumpsit alimenta. Clariùs etiam paulò infrà hanc eandem doctrinam patefecit per sequentia verba. *Quod verò ex cibo ad molem dissipata substantia farciendam animal sibi assumpsit, ab illo dumtaxat ut alimento juvatur.* Ex his ergo clarissimè infertur alimentum in suo intrinseco conceptu solùm importare reparationem substantiæ deperditæ in viventi, & minimè admittere, nec vestigium alterationis alicujus, ut demonstrant illa verba ultima, *ab illo dumtaxat ut alimento juvatur.* In cuius confirmationem immediatè subdit sic, *quam ob rem, quæ medii sunt temperamenti, nullaque viventi qualitate sunt prædita ea solùm sunt alimenta, non etiam medicamenta.* Quibus verbis totam controversiam videtur solvere, quin pro contraria parte appareat suspicio ulla.

Socius noster suprà citatus libenter admittit adductam Galeni doctrinam, & ut inconcussa ab omnibus scriptoribus habeatur, necnon etiam ut à calumniis libera permaneat, firmiter tenet in sua conclusione, legitimum, & proprium alimentum juxta mentem Galeni solùm esse illud, quod omninò est assimilatum viventi, & transmutatum in propriam substantiam, de quo solùm verificatur, ut neque habeat potentiam, neque qualitates excedentes, quibus valeat alterare corpus; itaque quæ non sunt omninò transmutata verè alimenta non sunt, & sic nos alterant, post perfectam verò transmutationem verè alimenta sunt, utpotè de his verificatur, quod nihil agunt, & omninò assimilata sunt viventi.

Hanc doctrinam fulcire intendit ex Gal. 3. de temperam. cap. 2. ubi sic fatur; *quod utique jam nutrit, & corpori adjungitur, nec amplius futurum est, id proprie nutrimentum nominatur.* Sentit ergo Galenus solùm propriè alimentum & nutrimentum esse, quod nutrit, & corpori adjungitur, de quo verificatur solùm quod sit simile in fine, & non possit agere in vivens: ergo alimentum, quod definitum est à Gal. est solùm quod omnino

transmu

transmutatum est in propriam substantiam viventis, ratione cujus omninò simile est ipsi, ut verificetur definitio à Galeno adducta, nempe *Alimentum est quod nostram substantiam alit, nihil in hominis corpore efficiens.* His clauditur totum fundamentum nostri sapientissimi Socii.

Hæc tamen doctrina rationi dissona mihi videtur: nam substantia, quæ assimilata jam est viventi, & transmutata in propriam substantiam, informatur non dubiè formâ viventis, cum in hac sententia corpori adjungatur per veram unionem substantiæ alimenti cum substantia viventis, in qua formaliter consistit nutritio (ut uno ore Philosophi fatentur) ergo potiùs pars viventis dicitur revera substantia perfectè assimilata viventi, & in ipsum transmutata, quàm alimentum; patet consequentia, etenim non minùs est pars viventis substantia quæ in hoc instanti præsenti transmutatur perfectè in substantiam viventis, & ipsi assimilatur, quàm cæteræ partes, quæ in instantibus antecedentibus fuerunt transmutatæ & assimilatæ: sed de omnibus partibus viventis, quas antecedenter denuo adquisivit vivens per nutritionem, minimè verificatur quod sint alimentum, cum potiùs integrent vivens quod alitum est: ergo nec de parte, quæ in instanti præsenti transmutatur perfectè in vivens, & ipsi assimilatur minimè poterit verificari, quod sit alimentum; quippe omnium partium, quas media nutritione adquisivit vivens, currit eadem ratio, sive denuò adquirantur, sive antecedenter sint adquisitæ: minimè ergo poterit substantia transmutata in vivens dici Alimentum, ut salvetur particula ultima Galeni *nihil in hominis corpore agens.* Nam ut infra constabit, poterit esse substantia, quæ non sit omninò transmutata in vivens, & quæ minimè in ipsum agat, quæ legitimum erit alimentum.

Dicendum ergo nobis est illam secundam humiditatem, quæ ultimò alterata est, & disposita à calore viventis, ut in ipsum convertatur, sive dicatur cambium, sive gluten, priusquàm perfectè assimiletur, & transmutetur in substantiam viventis esse verum, & legitimum alimentum. Et probatur ex definitione à Galeno adducta suprà, nam illud est proprium, & legitimum alimentum, *quod nostram substantiam alit, nihil in hominis corpore faciens*; sed de illa substantia verificatur quod alit vivens, utpote est in via ultima ad transmutationem, & immediatè terminatur in transmutationem actio viventis circa illam materiam, sive dicatur cambium, sive gluten: ergo de illa verificatur, quod sit causa materialis immediata nostræ reparationis, seu alitionis. Insuper etiam de ipsa verificatur, quod minimè agat in vivens, nam tunc temporis qualitates oppositæ, si quæ fuerunt in illa materia, sunt omninò devictæ, & refractæ à calore viventis, seu toto ejus temperamento, à quo celebratur coctio seu nutritio, ita ut nec vestigium reactionis perseveret in illa materia: ergo nihil agit in vivens: ac per consequens cum de illa materia verificetur, quod nostram substantiam valeat reparare, & insuper nihil agat in vivens; verum erit & legitimum alimentum cum omnia verba definitionis tali substantiæ rigorosè adaptentur: frustra ergo ponitur ultima transmutatio, & perfecta assimilatio, ut salvetur ratio alimenti, cum potiùs, quod transmutatum est, sit vivens, quàm alimentum viventis: in cujus confirmationem audite Vallesium lib. I. controversiarum folio 16. cap. 14. de nutrientibus succis; ubi ait: *Nam primum alimentum unum esse, non esset in commodum, cum multas variasque subiturum esset alterationes, antequam fieret alimentum ultimum: sed quod ultimum est, proximum est, ut in membra transeat.* Ex quo constat alimentum solùm dici ante transmutationem.

Ex his clarè intelligitur, quâ ratione verum & legitimum alimentum sit dissimile in principio, & simile in fine, quin ratione dissimilitudinis sit concedenda activitas alimenti in corpus viventis, nam in illa substantia, seu secunda humiditate, quæ à nobis dicitur alimentum, solùm remanet resistentia passiva, ratione modi substantiæ, qui nondum est perversus, aut victus usque dum celebretur ultima, & perfecta transmutatio, cujus terminus est assimilatio in substantiam viventis: ergo bene compatitur, quòd alimentum sit dissimile in principio, & toto tempore, quo durat resistentia passiva ex parte modi substantiæ, & quòd sit simile in fine transmutationis, ratione termini ad quem ipsius transmutationis; ita ut similitudo in alimento sit denominatio, quam accipit illa materia, à termino, ad quem dirigitur: totum quod compatitur in bona Philosophia, quin dicatur alimentum substantia illa transmutata perfectè in vivens, solùm ex eo quòd sit in via ad transmutationem.

Hinc etiam manifestè intelligitur, quod *futura alimenta, & veluti alimenta*, quantumvis dissimilia sint in principio & toto tempore, quo durant alterationes, & elixationes, quæ celebrantur in nostro corpore; tandem subeant veram, & legitimam rationem alimenti, quando scilicet jam sunt à viventi refractæ omnes qualitates activæ, & ipsarum vires debellatæ, necnon etiam partes excrementitiæ separatæ, & taliter illæ substantiæ sint depuratæ, ut verè dicantur secundæ humiditates, & ultimò præparatæ ad transmutationem in vivens, nam tunc minimè in ipsum agunt, & solùm adest resistentia passiva, ratione cujus dissimilia sunt, & in via ad terminum, seu transmutationem ultimam, ratione cuius similes sunt in fine; ut suprà satis explicatum est; liquido ergo constat ratio formalis alimenti explicata, quin recurramus ad opinionem nostri Socii.

Nec verba Gal. 3. de temperam. cap. 2. ab ipso adducta aliquid probant contra nos, nam de secunda illa humiditate, quæ est alimentum, optimè verificatur, quod nutriat, & corpori adjungatur, nec ampliùs futurum sit, secludendo ultimam, & perfectam transmutationem, solùm præcisè, quod sit in via proxima, & in fieri ad ipsam transmutationem, utpote per illam nutrit, & corpori adjungitur; unde dicitur proprium alimentum antequam perveniat ad ultimum terminum, seu ad assimilationem in substantiam viventis: quippe illa verba *nutrit*, & corpori adiungitur, solùm denotant actionem vialem, seu fieri ipsius transmutationis, minimè verò transmutationem factam, ac proindè substantia illa, quæ est in via ad transmutationem, & nondum est transmutata est legitimum, & verum alimentum; eo quod nutrit, & nihil in hominis corpore facit.

Porrò de alimento in hac nostra significatione sumpto,

sumpto, plane verificantur verba à Gal. adducta 1. de aliment. facult. cap. 1 ubi de proprijs alimentis sermonem faciens sic loquitur. *Corpus eius, qui sumpsit in qualitate non immutantia.* Nam illa, alimenta nulla vincenti qualitate sunt prædita, ad similitudinem eduliorum, quæ sunt medij temperamenti, de quibus prædicat Galenus loco citato, paucissima esse, rationem tamen habere alimenti, quoniam nulla viventi qualitate sunt prædita, *quotquot autem ea fuerint*, (inquit Galenus) *alimenti duntaxat rationem plane habent*, quia neque corpus refrigerant, neque calefaciunt, humectant, aut siccant qualitativè.

Ex qua doctrina soluitur eiusdem Galeni testimonium 3. de temperam. cap. 2. citato. Vbi docet, quod omne nutrimentum quatenus tale, animalis calorem auget; nam ibi Galenus minimè loquitur de alteratione qualitativa, sed potiùs de acquisitione partium calidarum loco earum, quæ dissipantur; qua ratione dum Tomo nostro primo de ætatibus egimus, latè docuimus per nutritionem reddi vivens calidum substantificè, & extensivè per adquisitionem partium calidarum, quæ media nutritione quotidie adquiruntur. Hoc tamen fit seclusa qualibet alteratione qualitativa alimenti, seu substantiæ nutrientis. Huic doctrinæ suffragatur noster Vallesius super 3. lib. de temperam. Gal. in comm. 11. per sequentia verba: *itaque proprius effectus alimentorum omnium est augere calorem substantificè & commutari debere alimenta, ut id præstent.* Nihil clariùs pro solutione huius dubioli; ex quo constat, alimenta ut talia, penitus actione alterativa esse denudata, & si ea in principio quatenus sunt futura alimenta, aut veluti alimenta alterare nos valeant, quipppe id faciunt quatenus medicamentosas habent qualitates, quæ sine dubio per secretionem, & separationem à natura factam, deperduntur, & cum ab ipsis manent substantiæ tales denudatæ, veram, & legitimam rationem alimenti subeunt. Audite Galenum 3. de temperam. cap. 2. ubi dum sermonem instituit de his, quæ ut nutrimentum comeduntur, ex quibus aliqua cuti imposita, hanc erodunt; paulò infra rationem huius eventus reddens, sic loquitur, *id fieri quia celeriter eorum concoctio, & partium separatio perficitur, ita ut quod conveniens in eis est, assimiletur, quod supervacaneum, & acre per alvum, urinas & sudorem excernatur.* Ut discas omnia, quæ assumontur, ut nutriant, quamtumvis dissimilia sint in principio, quia simul rationem medicamenti participant, tandem secretis partibus alterativis, redduntur vera alimenta, nulla vincenti qualitate prædita, & in fine similia, modo supra explicato.

Dices sæpè accidere, quod varietur temperies viventis de calida in frigidam, per usum alimentorum frigidorum, ex quo duo sequuntur contra nostram doctrinam. Primum, quòd alimenta nos alterent quatenus talia: secundùm quòd omne nutrimentum non auget naturalem calorem adhuc substantificè, ut ex Galeno cum Vallesio suprà probavimus; patet consequentia, quia dum ex immoderato usu alimentorum frigidorum variatur temperies viventis de calida in frigidam substantificè, ex eo est, quia ex vi alimentorum frigidorum adquiruntur plures partes frigidæ substantificæ: ergo ratione illarum potiùs dicitur vivens frigidius substantificè: non ergo ex vi omnium alimentorum redditur vivens calidus substantificè & per consequens effectus proprius alimentorum omnium non est augere calorem viventis substantificè.

Respondeo ad primum: minimè sequi quòd alimenta nos alterent, quatenus talia, sed quia convertuntur in partes calidas, seu frigidas viventis substantificas; ideò dicitur quòd vivens variatur in sua temperie per usum alimentorum, non quia ipsa ut talia nos alterent, etsi ante ultimam commutationem possint alterare vivens, quatenùs sunt medicamenta.

Secundùm difficiliùs solvitur: Cæterùm est certum quod ex quolibet alimento etsi frigidum sit adquirere vivens aliquas partes calidas, quippe mixtum est, quod sufficit, ut verificetur de omni alimento, ut calefaciat vivens, saltim extensivè, ex vi adquisitionis aliquarum partium calidarum denuo in viventi.

Contra tamen instari potest hæc solutio; nam cum quodlibet alimentum sit mixtum, necessario ex quolibet reparantur partes diversæ correspondentes omnibus elementis, & humoribus: ergo in sensu in quo est verùm dicere quod ex quolibet alimento calefit vivens substantificè & extensivè, (quia ex quolibet generantur partes novæ calidæ) erit etiam verùm, quod ex quolibet alimento frigefiat vivens, exsiccetur, & humectetur; quia ex quolibet adquiruntur partes substantificæ diversæ biliosæ scilicet, pituitosæ, & melancholicæ.

Respondeo alimenta omnia quamtumvis frigida, quando jam sunt ultimò disposita ad transmutationem, jam esse devicta à calore viventis, & eius qualitates alterativas refractas, & post transmutationem jam sunt informata forma viventis, quæ exposcit calorem, & omnes partes sunt actualiter calidæ: & forsan de actuali calore debito formæ viventis in partibus denuo adquisitis per nutritionem, debet intelligi propositio Galeni; licèt ex alimentis frigidis remaneant qualitates aliquæ secundæ in partibus, seu modus substantiæ ratione cuius dicantur pituitosæ, & frigidæ, aliæ melancholicæ, & aliæ biliosæ, sicuti quæ ex sanguine quarto humore nutriuntur, dicuntur sanguineæ; quidquid sit de opinione dictante omnes partes nutriri ex sanguine quarto humore; quam nostro tractatu de humoribus, Tomo primo refutavimus, nam quatenus attinet ad præsentem difficultatem nihil facit contra adductam solutionem, sed forsan pro ea, eò quòd omnes partes nutriuntur ex alimento calido, in ea opinione, & ideò aliquo modo dici poterat per nutritionem reddi vivens calidum à partibus denuo adquisitis, quæ nutriuntur sanguine quarto humore, seu alimento calido, sed de his plura invenies loco citato.

Tandem videtur vivens non solùm reddi calidum extensivè per usum alimentorum calidorum; verùm etiam intensivè, nam experimento constat viventia, quæ utuntur alimentis calidis calidiora reddi, & facillimè incidere in morbos calidos. Respondeo ideo esse, quia priusquàm convertantur, & dicantur propria alimenta per qualitates alterativas, & medicamentosas, necnon etiam ratione excrementorum calidorum valent alterare, & calefacere vivens, at verò si considerentur quatenus alimenta sunt, & convertuntur in substantiam viventis, minimè possunt ipsum calefacere, imò non potest agens transmutativum

tativum producere in materia nutrimenti, quam in se convertit, tantam intensionem, quam in se habet, ut communiter Philosophi docent. Unde numquam potest accidere, quod vivens ex vi nutritionis, & adquisitionis novæ substantiæ reddatur calidius intensivè.

CAPUT II.

An quodlibet mixtum possit esse alimentum Corporis humani.

PArs affirmativa videtur esse vera, si philosophicam rationē perpendamus, nam quodlibet agens naturale sua naturali propensione intendit assimilare sibi passum, & capax est inducendi suas dispositiones in materia, & ex alia parte quælibet materia est capax recipiendi quaslibet dispositiones, cum ex se sit indifferens ad omnes formas recipiendas: ergo corpus humanum cum intendit mediâ nutritione suam conservationem, & hoc fiat inducendo suas dispositiones in materia alimenti, ut ipsam assimilet in propriam substantiam; & insuper quælibet materia cuiuslibet mixti capax sit ex se recipiendi dispositiones ab humano corpore; videtur corpus humanum posse nutriri ex quolibet mixto; ac per consequens quodlibet mixtum poterit esse alimentum, quæ ratio non solùm probat de corpore humano, verùm etiam de quolibet viventi.

Neque obstat distantia, & contrarietas, seu oppositio, quæ versatur inter aliqua mixta, & corpus humanum, seu quodlibet vivens, ut ex quolibet mixto possit celebrari nutritio: quippe major est distantia, & contrarietas inter elementum, & mixtum, quàm inter mixtum cum altero corpore mixto, & tamen viventia vegetativa nutriuntur ex elementis terra videlicet, & aqua: ergo potiori jure poterit quodlibet vivens nutriri ex quolibet mixto, quin obstet contrarietas, & oppositio, ac per consequens corpus humanum, & quodlibet vivens poterit nutriri ex quolibet mixto: non ergo erit repugnantia, ut possit quodlibet mixtum esse alimentum viventis.

Cæterùm cum experientia quotidiana suadeat contrarium, & inconcussa sit veritas, quod mixtum quodlibet non possit induere rationem alimenti; ut constat de lapide, ferro, & alijs fere innumeris mistis. Operæ pretium erit in præsenti controversia, indagare rationem, quare aliqua mixta sunt transmutabilia in substantiam viventis, & aliqua non solùm non possunt transmutari, imò nec liquari possunt à calore viventis ut inde sequantur alterationes necessariæ pro transmutatione.

In hac hæsitatione quidam nostræ scholæ complutensis Recentior, causam transmutationis refundere voluit in similitudinem dispositionum, seu qualitatum, quæ præcedunt in corpore transmutando, ita ut ex dispositionibus, quæ præcedunt in passo, & ex illis quas agens producit, in ipso, resultet ultima dispositio ad formam introducendam, atque adeò affirmat ea mixta esse transmutabilia, & dici alimenta, quæ habent qualitates aliquas similes, cæterùm, quæ nullam habent similitudinem in qualitatibus, minimè sint transmutabilia, nec ullo modo rationem alimenti participant.

Forsan hunc dicendi modum arripuit ex Vallesio nostro cap. 13. in expositione Gal. lib. 4. de simplic. medic. facult. ubi exponens Galeni verba de similitudine alimentorum eum re nutrienda, sequentia adducit verba. *At quod quoniam alimenti ratio, aut contrary, in eo est quod quid facile mutetur in substantiam nostram, aut non mutetur, id quod nascitur ex similitudine, ac dissimilitudine substantia, quæ similitudo non est in qualitatibus primis solum, sed in modo potius substantiæ (nam alterare secundùm qualitates medicamenti est; secundum totam substantiam est alimenti) datum esse gustum animantibus, ut dignoscerent modi substantiæ differentias, &c.* Quibus verbis clariùs & specialiùs hanc opinionem explotavit, reducens rationem transmutationis non solùm ad similitudinem passi in aliquibus primis qualitatibus sed præcipuè in modo substantiæ, qui potiùs videtur pertinere ad alimoniam, cum similitudo qualitativa magis propria sit medicamenti; & quidem videtur talis opinio ex visceribus doctrinæ Galeni desumpta lib. 4. citato de simplic. medicament. facult. capite 13. ubi sequentia subdit verba: *Atamen eorum, quæ in esse mutuo transeunt, quædam promptam, celeremque, quædam difficilem, & diuturnam alterationem obtinent: at quæ similitudinibus propinqua sunt, celerem: quæ verò remotiora tardiorem. Oportebat itaque meo quidem iudicio innasci animantibus organum, quod natura similitudines, ac dissimilitudines, discernendi potestate polleret, quo agnoscens rerum naturas familiaria quidem eligeret, aliena verò refugeret: eiusmodi ergo lingua est.* Ergo si Gal. verba ad amussim perpendamus, videtur transmutationem, seu rationem alimenti, in similitudinem esse refundendam. Nam si quæ remotiora sunt in similitudine, diuturnam, & difficilem habent transmutationem, quæ verò simillima, celerem, sine dubio deducitur, quod ea mixta, quæ nullam protsus habent similitudinem, nequiquam sint transmutabilia. Quæ verò debeat esse similitudo ex Vallesio supra didicimus. Liquidò ergo constat transmutationis rationem in similitudine contingere, quàm per dulcedinem explicuit Galenus in alimentis cap. 14. libri citati, per sequentia verba. *Siquidem quod nutrit a similitudine, quæ illi est ad id, quod nutritur, dicitur dulce: à dissimilitudine non dulce.* Nihil clariùs pro validatione huius asserti.

Hanc opinionem adductam à Recentiori suprà citato de similitudine in aliquibus primis qualitatibus acerrimè impugnat Magister noster Doctor Martinez suo Tomo fol. 165. nam ex ea sequeretur omnes generationes esse per accidens, cum quælibet transmutatio fiat, ex eo quod resultet ultima dispositio ex qualitatibus, quæ præfuerunt in materia, & ex inductis ab efficienti; sic accidit in materia putrida, dum inducitur forma fedimenti; & in alijs generationibus per accidens: sed eodem modo fit transmutatio in generationibus per se: ergo omnes sunt per accidens.

Cæterùm hæc ratio non probat, nec convincit assumptum; nam ea est differentia inter generationem per accidens, & per se; quod illa resultet ex dispositionibus præexistentibus in materia, & ex aliquibus, quas agens inducit, dummodo resultet dispositio media & ultima, ad alteram formam

priùs quàm agens producat omnes requisitas pro sua forma, & hac ratione optimè intelligitur, quod sit illa forma per accidens, & præter intentum agentis inducta. Hæc doctrina clarè intelligitur in materia putrida, quando calor noster naturalis intendit ipsam assimilare in propriam substantiam; nam ex dispositionibus, quæ in ipsa præexistunt,& ex his,quas producit agens naturale,priùs quàm inducat omnes requisitas ad formam propriam, resultat ultima dispositio ad formam sedimenti,& ea ratione dicitur per accidens. Patet etiam hoc ipsum in generatione mixti ex quatuor elementis; in quâ, quia neutrum ex elementis potuit inducere omnes suas dispositiones pro generatione sui similis, & priùs resultavit media, & ultima dispositio ad formam mixti, præter intentum elementorum, per accidens resultavit forma mixti. Cæterùm si aliquod ex elementis produceret priùs omnes suas dispositiones, etiamsi fieret in materia elementi symboli, seu similis in aliquibus qualitatibus primis sine dubio illa esset generatio per se, unius elementi ex alio, & minimè fieret generatio mixti: ergo etiamsi dispositiones materiæ similes coadiuvent ad ultimam dispositionem, & ad formam intentam per se, non tollunt, quò minùs illa generatio sit per se, quia fit ex vi omnium dispositionum ab agenti per se inductarum: ergo etsi conducant qualitates similes ex parte materiæ ad trasmutationem; non tamen ex eo sequitur, esse per accidens omnes generationes.

Ulteriùs impugnat Magister eamdem assertionem, ab inconvenienti, etenim ex ea sequeretur, quod quemadmodum agens potest transmutare passum, propter similes aliquas primas qualitates, etiam passum possit in se transmutare agens, cum in agente etiam sint similes qualitates. Hoc autem constat esse falsum in igne, cum à nullo possit transmutari: ergo transmutatio neutiquam fit ob similitudinem.

Certè frivola ratio, nam actio semper fit à proportione maioris inæqualitatis in bona Philosophia, unde arripit denominationem agentis; & sic passum numquam potest transmutare agens; nam etsi agens sit simile passo, tamen habet intensiorem virtutem, à qua fit actio, & transmutatio; futile ergo est argumentum.

Efficaciùs impugnatur Recentioris doctrina, ex eo quòd si agens produceret omnes suas dispositiones in passo omnino dissimili, sine dubio ipsum transmutaret in se, ut patet in generatione unius elementi ex altero dissymbolo: ergo transmutatio in alimentis non fit præcisè ratione similitudinis in aliquibus primis qualitatibus præexistentibus in alimentis. Nam si pars viventis produceret omnes suas dispositiones in alimento aliquo omnino dissimili, sine dubio ipsum transmutaret: ergo solùm in efficaciam & vim agentis reduci debet transmutatio; consonat Galenus cap. 15. lib. citati, ubi ait. *Similia alimenta non indigere præparatione, dissimilia verò indigere, nam antea insuavia sunt.* ex quo colligitur in doctrina Galeni nòn esse necessariam aliquam qualitatem similem in alimentis ad transmutationem. Sed de similitudine requisitâ ad transmutationem infrà latiùs dicemus.

Alij ex Antiquis Philosophis rationem transmutationis, subordinationibus formarum tribuerunt; ita ut quemadmodum non potest induci forma aceti; quin præcedat forma vini, neque forma cadaveris, quin præcedat forma viventis; sic in nutritione ea alimenta esse convertibilia in substantiam viventis, in quibus præcedit forma cadaverica, quæ media est, & veluti subordinata ad formam viventis. Doctor Sancta Crux sequitur hanc doctrinam, & affirmat viventia non nutriri, nisi ex mortuis, ratione subordinationis prædictarum formarum; & eadem ratione philosophantur, qui tuentur opinionem de subordinatione animarum, ita ut ante animam sentivam, præcedat necessario vegetativa, & ante rationalem, sensitiva.

Neque immemor sum sententiæ & opinionis subtilissimi Doctoris Scoti, qui concedit formam corporeitatis mediam, & minè oppositam cum forma viventis. Neque etiam immemor sum doctrinæ, quam ego adduxi: Primo Tomo nostræ Laureæ Doctoralis Complutensis, dum sermonem feci de continentia elementorum in mixtis, nam ibi docui perseverare formas substantiales elementorum in mixtis, & minimè esse oppositas cum forma mixti, sed esse formas medias, & subordinatas ad formam mixti; totum quod denuo fateor, attamen optimè compatitur cum hac doctrina, quod formæ ipsæ non conducant pro forma mixti, nec forma corporeitatis pro forma viventis per se, cum huiusmodi formæ nihil influant in subsequentes. Si tamen ratione dispositionum, quibus conservantur aliquid conducunt, remanet difficultas in sua vi, & examinare oportet, quæ sit illa dispositio, ratione cuius aliqua alimenta sint convertibilia, & alia minimè, ex quo constat subordinationationem formarum, non esse rationem transmutationis nisi assignemus rationem alteram, de qua est controversia. Præcipuè cum satis certum sit inter logicos formam antecedentem non esse principium entis naturalis, licet necessario præcedat in materia, sed omnino per accidens se habere, ad fieri novi entis, ex quo hæc doctrina manet debellata.

Magister tamen noster loco supra citato, eam impugnare intendit ex eo quòd, & formæ sint incompossibiles, & dispositiones contrariæ, & sic neutiquam fieri transmutationem per subordinationem formarum. Non tamen vidit Magister formas medias non esse contrarias, neque per se, neque per suas dispositiones, & sic futilis omnino est sua impugnatio. Sed ad rem nostram redeamus, & inquiramus rationem ex alio capite, cur aliqua alimenta sint transmutabilia, & alia minimè.

Cæterùm in re ita ardua antequam mentem nostram aperiamus, supponere est necessarium; ad transmutationem unius ex alio, necessariam esse validam virtutem, & efficaciam ex parte agentis, sic ignis, & omnia elementa, & calor noster nativus, & influens inter agentia valida numerantur ad generationes, & transmutationes faciendas.

Vlteriùs notandum est ad actionem, seu generationem non solùm esse necessariam virtutem validam ex parte agentis, sed etiam dispositionem ex parte passi; ut fiat transmutatio, seu generatio ex proportione agentis ad passum, nam sæpè accidit,

accidit, quod agens licèt sit validum in intensione, & activitate, tamen quia passum non est proportionatum, & validè resistit, frustretur actio efficientis, ut accidit in lapide, aut ferro, nã quantumvis alterentur à validissimo calore nostro naturali neque liquantur, neque transmutantur propter improportionem, & resistentiam, non solùm activam, sed etiam passivam; quæ non solùm consistit in primis qualitatibus contrarijs, verùm in modo substantiæ, qui sequitur immediatè illam formam substantialem, & forsan remotè talem proportionem primarum qualitatum, ut neutiquam sit variabilis, nec vincibilis, quantumvis ab agente alteretur tale mixtum per primas qualitates, ac per consequens ea mixta, quæ habent talem modum substantiæ invincibilem, & invariabilem, dicuntur improportionata, & incapacia ad transmutationem, ita ut si invincibilitar sit absoluta, & perversio in modo substantiæ, qualis reperitur in lapide propter suam duritiem, tale mixtum minime poterit esse alimentum, quia quantumvis alteretur à nostro calore, minimè poterit perverti, nec variari eius modus substantiæ, & sic forma, ab illo dependens, non poterit corrumpi, nec transmutari in substantiam viventis, quia deficit proportio inter agens, & passum.

Vlteriùs aliqua sunt mixta quæ habent talem improportionem respectivam, sic quotidie videmus alimenta aliqua ab aliquibus transmutari, quia validiorem habent virtutem activam, & proportionatam respectu talium alimentorum; sufficientem ad vincendum modum substantiæ, ab alijs minime transmutati, quia calor eorum naturalis non est sufficiens ad variandum modum substantiæ, eò quòd major sit resistentia passi, quàm virtus agentis. Imò in eodem sæpè numero videmus modo non posse commutare, (exempli gratiâ) ova dura, ob debilem calorem minimè prævalentem suprà resistentiam passi, & in alia occasione, validiori existenti calore, commutare eadem ova dura, quia potuit vincere resistentiam passi, & modum substantiæ pervertere, inducendo omnes dispositiones requisitas pro transmutatione, & assimilatione in propriam substantiam.

Demum: Notandum est, quod etiam resistentia in primis qualitatibus contrarijs retardat vim agentis, & sæpè nomero omnino impedire eius actionem (ut in venenis frigidis quotidie accidit) in quibus non solùm non celebratur nutritio, imò & calor nativus manet extinctus, & vivens corruptum: ergo resistentia, & proportio in mixtis, seu alimentis, sive activa ex parte primarum qualitatum, sive passiva ex parte modi substantiæ invincibilis, reddit talia mixta, seu alimenta incapacia ad nutritionem. Econtra verò ea omnia mixta, quæ habeant proportionatas qualitates sive primas, sive secundas in modo scilicet substantiæ, quæ licet aliquantulùm resistant; tamen ex vi actionis naturalis caloris, & perseverantia ipsius, devicta manent: ea sunt alimenta; quoniam proportionata respectu agentis seu caloris naturalis viventis, à quo inductæ fuerunt omnes dispositiones requisitæ pro sua forma; quin obstiterit resistentia nec activa, nec passiva in passo: & licet in alimentis præcesserint aliquæ qualitates, seu dispositiones similes viventi, sine dubio conducent ad celeriorem transmutationem; tamen per accidens erit ad absolutam transmutationem, quod ipsæ præcesserint in passo, quando quidem agens ipsas produceret sua ingenti activitate etsi tardiori tempore.

Ex his colligitur totam rationem transmutationis in alimentis debere refundi in validam virtutem efficientis proportionatam cum resistentia activa, & passiva in primis qualitatibus & modo substantiæ ipsius alimenti transmutandi. Vnde ea mixta erunt alimenta, & transmutabilia, quæ habent talem resistentiam proportionatam, & vincibilem respectu agentis intendentis assimilationem in propriam substantiam aliti, quod accidit quando vivens medio calore naturali, & toto temperamento, quo utitur veluti instrumento ad nutritionem, producit in alimentis omnes dispositiones requisitas pro sua forma; & hoc cum dependeat ex hoc, quod resistentia alimentorum non sit tanta, quæ omnino impediat, quo minus vivens possit introducere omnes suas dispositiones pro sua forma, fit inde, quod capacitas in mixtis, seu transmutabilitas in alimentis componatur ex duobus, & ex valida virtute efficientis, & ex proportionata resistentia ipsorum alimentorum, ea scilicet, quæ sit vincibilis tam in primis qualitatibus, quàm in modo substantiæ, quæ est magis propria alimentorum, ut suâ solitâ acutie annotavit noster Vallesius in verbis supra relatis. Duo igitur importat nutritio, ut fiat ex mixtis, seu alimentis, quæ sint propriè talia; & capacia ad nutritionem, & activitatem validam efficientis, victricem, & proportionem in passo, seu alimento ratione cuius prævaleat virtus viventis, quod nascitur ex modo substantiæ vincibili, & primis qualitatibus remissè resistentibus.

Hanc proportionem inter alimenta, & vivens explicuit Galenus 4. lib. de simpl. medic. facult. per similitudinem; & insuper, similitudinem hanc vocavit dulcedinem, quia scilicet moderatâ temperie gaudent alimenta, ratione cuius facilè transmutantur; quâ ratione cap. 9. lib. citati sic ait. *Amarum edi non posse propter caloris excessum, verum dulce omne calidum est; neque immodicè calorem nostrum exuperat.* Ex his constat alimenta, seu mixta, quæ intensissimam habent frigiditatem, aut siccitatem alere non posse, ob validam resistentiam activam; & quia huiusmodi intensio primarum qualitatum semper conjungitur cum modo substantiæ invariabili, & invincibili ab agente alterante: quæ vero mixta dulcia sunt, sunt similia. Hoc est, habent mediocrem temperiem, & modum substantiæ facilè variabilem, & vincibilem à calore viventis, & sic sunt proportionata ad conversionem; & alimenta viventis dicuntur ea omnia mixta, quæ hac proportione pollent; quin sit necessarium recurrere ad subordinationem formarum, neque ad solam similitudinem in aliquibus primis qualitatibus, ut superiùs impugnavimus.

Hanc proportionem inter vivens, & alimenta ad transmutationem notificavit Galen. 1. de alimentor. facult. cap. 1. ubi sic fatur: *Alimenta ergo citi, tardive transitus esse comperiuntur, aliàs ob naturalem nostram ab initio constitutionem, aliàs ob ventris dispositionem acquisititiam, nonnunquam ob peculiarem aliquam esculentorum, ac poculentorum substantiam: quandoquidem*

dèm ex iis quædam humida, quædam sicca, durave sint. Quibus verbis facilitatem, aut repugnantiam transmutationis in alimentis ad debilitatem agentis, sivè nativam, sivè adscititiam, & ad peculiarem alimentorum qualitatem & modum substantiæ reduxit; quà ratione proportionata aut improportionata dicuntur; etenim idem alimentum, quod nunc est commutabile ab hoc agenti, eras non commutatur, si ob aliquam occasionem calor naturalis imbecillior redditur: prorsus omnino invariatâ temperie, & modo substantiæ alimenti: ergo ratio transmutationis in proportione agentis ad passum consistit; & tunc celebratur quando agens potest omnes suas dispositiones inducere prosua forma, & in passo non est tanta resistentia, quæ impediat vim efficientis;igitur ad proportionem talem, est reducenda transmutio, quàm Galenus vocavit similitudinem ex parte passi in modo substantiæ: & eam explicavit per dulcedinem, dum affirmavit alimenta omnia debere esse dulcia, hoc est, proportionata in modo substantiæ, facilè vincibili, aut variabili.

Ex his solùm restat solvere argumenta in contrarium posita.Primum facilè diluitur si dicamus, quodlibet agens posse producere omnes suas dispositiones ex se, & materiam primam ex se esse capacem recipiendi quascumque dispositiones,& formas omnes, remotè tamen, & in actu primo: minimè verò proximè, & in actu secundo ratione improportionis inter agens, & passum, quia videlicet passum,habet qualitatem aliquam, aut modum substantiæ invincibilem, & invariabilem absolutè,aut respectu huius agétis;aut agens habet virtutem remissam, aut absolutam, aut respectivam cum hoc passo,aut cum hoc alimento; unde licet remotè,& in actu primo omnia mixta sint commutabilia,minimè verò in actu secundo, sivè proximo, unde vivens non commutabit quamlibet substantiam, aut resultabit generatio per accidens,quando produxit aliquas dispositiones, ex quibus,& ex aliquibus,quæ sunt in passo resultat per accidens alia forma, qualis est forma sedimenti ex materia putrida, quia incapax est, ut ex ea fiat forma viventis.

Ad secundum Respondetur plantas non nutriri ex elementis, ut inferiùs latiùs constabit, sed ex mixto quodam facto, ex altetatione aquæ & terræ & radicum plantarum, quæ se habent veluti jecur ipsarum ad disponendum alimentum, ex qua alteratione resultat verum mixtum pro alimonia ipsarum plantarum; sed de his latiùs agemus capite sequenti.

CAPUT III.

An elementum possit esse alimentum viventis.

SPECTALIÙS in hac cõtroversia ad arma nos vocat argumentum,quod capite præcedenti insinuavimus de nutritione plantarum ex elementis, terra videlicet, & aqua; & licet suprà solutum sit, tamen, quia,aliquæ se offerunt difficultates speciale caput instituere decrevi, ut veritas clariùs pateat. In qua dubitione supponendum est solùm procedere controversiam de puris elementis, quæ nullam habeant permixtionem alterius substantiæ, nam certum est impura elementa nutrire ratione corporis mixti cum ipsis elementis permixti, si habeat conditiones, quas capite præcedenti insinuavimus, esse requisitas ad rationem alimenti.

Partem affirmantem tenent plures authores non infimæ notæ, ex quibus Doctor Santacruz eam validare conatur opusculo 2. de causis pulsuum cap. 14. dum sermonem facit de generatione spirituum; & probat ex eo quòd per alterationem reciprocam elementorum introducitur in materia ipsorum forma mixti, nulla alia forma mediante; ita ut verùm sit dicere in omnium opinione mixtum produci ex elementis:ergo etiam poterit fieri nutritio ex ipsis elementis. Probatur consequentia,non requiritur minor dispositio ad fieri totius mixti; quàm ad generationem partis mixti, quæ fit per nutritionem; sed stat bene, quod totum mixtũ fiat ex elementis:ergo etiam in bona philophia, poterit intelligi; quod pars mixti; quæ denuo fit per nutritionem fiat ex elementis, tanquam ex corporibus simplicibus, ac proinde elementa omnia poterunt nutrire. Roboratur discursus, quia non solùm corpus mixtum potest fieri ex omnibus elementis ad invicem alteratis; verùm etiam ex unico elemento; cuius materia alteretur virtutibus reliquorum elementorum: ergo etiam ex unico elemento cum dispostrione mixta, poterit vivens nutriri. Probatur consequentia, quia per nutritionem producitur pars substantialis mixti, seu viventis: ergo si ex unico elemento cum dispotionibus mixtis potest produci totum vivens substantiale, poterit etiam produci substantia partialis mixti viventis per nutritionem.

Confirmatur hæc assertio, quia ex eisdem ex quibus facti sumus nutrimur: sed facti sumus ex elementis ergo ex eisdem nutrimur. Ac proinde poterunt plantæ nutriri ex aqua, & terra, quin sit necessarium, quod ex ipsis fiat corpus mixtum (ut suprà dicebamus)ex quo immediatè nutriantur corpora viventia vegetabilia.

Hoc assertum videtur habere fundamentum apud Hipp. lib. 1. de dieta. seu vict. rat. cap. 4. ubi agens de igne, & aqua,sequentia scripsit verba. *Vim, igitur, ac facultatem; utrumque ipsorum talem habet, ignis enim omnia per omnia movere potest. Aqua verò omnia per omnia nutrire.* Nihil clariùs pro validatione huius assertionis. Idem tenet Aristotil. prima sectione Problemat. sententia 13. *Cur* (inquit) *mutationem aquarum gravem, aeris verò non gravem esse affirment? an quod aqua corporibus alimentum est; aer autem nullum exhibet alimentum.* Ex quibus verbis apertè colligitur iuxta mentem Philosophi aquam nutrire.

Idem testificare videtur Hipp. 3. de ration. vict. in morb. acut. cap. 19. ubi inquit, *sed mulsa, quam aqua multò potentior est sola epota.* In cuius loci expositione Galenus sic fatur: *indicare videtur hac voce (potentior) aquam quoque aliquam nutriendi vim habere.* lib. tamen de pulsibus ad tyrones cap. 24. ex propria mente sic loquitor. *Aqua omnium, quæ offeruntur minimum alimentum præbet.* Igitur sentit aquam habere rationem alimenti, saltim tenuissimi. In cuius rei validationem Albertus Magnus lib. de anima adducit historiam cuiusdam Melancholici, qui pluribus mensibus vixit solo aquæ potu.

Roborat etiam idem assertum, illud quod de

de Camaleone communicet cum Plinio referunt authores, lib. 8. cap. 37. de historia animalium: nempe solo aere sustentari nullo alio alimento devorante. De salamandra etiam Authores referunt igne nutriri, ex eo quod io ipso conservetur, quin activitas, & voracitas huius elementi opponatur suo vitali principio, eum potiùs conservetur in medio ignis, seu in ipsa flamma: ergo elementa optimè possunt nutrire.

Verior tamen opinio est elementa minimè posse nutrire, si ea rigorosa significatione consideremus, quatenus sunt corpora simplicia, omnino impermixta, hanc opinionem communiter amplectuntur ferè omnes authores. Socius tamen noster affirmat in suis manus scriptis, elementa adhuc impermixta posse nutrire remotè, non tamen proximè; Hoc est ex elementis fieri per mixtionem, corpora mixta, quæ proximè sunt capacia ad nutrimentum. Cæterùm hoc est valde frivolum; nam quando mixtum proximè, & immediatè nutrit, jam in sua opinione corruptæ fuerunt formæ elementorum, ita ut verùm sit dicere fuisse elementa, & solùm perseverare materias ipsorum, sed quod non existit nec remotè potest esse alimentum, cum solùm perseveret extrinsecà, & ferè fictitia denominatio, ex præexistentia præterita formæ elementi io illa materia: ergo frivola est ratio alimenti remoti in elementis, & parui momenti ad rem de qua agimus; quippe elementis nullum præstant influxum ad nutritionem; neque in genere causæ materialis. In nostra tamen opinione in qua fatemor continentiam formalem elementorum in mixtis, meliùs poterat habere locum talis assertio; siquidem in mixto immediatè, & proximè dispositio ad nutritionem, perseverant formæ elementorum, ratione quarum in mixto conservatur hethetogeneitas partium requisita pro coctione, & nutritione, ut infra latiùs constabit, ut cumque ergo sit parvi est momenti talis distinctio; etenim idem est asserere elementa remotè esse alimenta, ac si dicamus mixta porportionata ad proximam nutritionem fuisse facta elementis.

Nostra ergo conclusio probatur primo authoritate Galeni 3. de ration. vict. in morb. acut. comm. 17. ubi sic fatur. *At quæ nullo modo nutriunt sicuti aquæ, neque virtutem imbecillitare, neque roborare verè possis dicere.* Nihil clariùs pro validatione nostri placiti. Ulteriùs idem Aucthor. 4. de sup. cap. 5. de aqua sermonem instituens, & de ipsius usu tenet expresse esse vehiculum nutrimenti; *neque enim* (inquit Galenus) *ex ventriculo in venas commodè transsumi poterat chilus iam ex cibis factus, neque facilè transire venas, quæ sunt in hepate, & multa, & angusta, nisi tenuis quidam, & aqueus humor fuisset ei ad mixtus, ut vehiculum. In hunc itaque usum subservit animalibus aqua; si quidem ex ea nutriri nulla particula potest.* Clatiùs tamen 4. aphotism. com. 3. nostram opinionem exploravit per sequentia verba. *Aqua verò neque epota neque extrinsecus adveniens potest de sua natura solidas animantis partes humectare.* Loquebatur de alimentis idoneis ad nutritionem partium solidarum, & nutritionem per humectationem partium solidarum explicat; ut qui totum commentarium legerit clarè videbit: ergo iuxta mentem Galeni aqua (idem est de quolibet corpore simplici, aut elementali) nequaquam poterit nutrire. Et quidem Aristot. lib. de sensu & sensibili intendit demonstrare contra Pitagoricos aquam non nutrire, quia nullum simplex elementum potest corpus mixtum nutrire: ratio ergo æque probat de omnibus elementis.

Ratione etiam suadetur assumptum, siquidem nullum alimentum potest nutrire, nisi sit capax coctionis ut potè priùs debet coqui alimentum, quam nutriat, sed nullum corpus simplex, sive elementale, est capax coctionis: ergo neque est capax nutritionis. Minor; in qua stat difficultas probatur; nam modus substantiæ, qui resultat in alimentis per coctionem, ratione cuius dicitur perfectivus, & coctio dicitur perfectio, sine dubio fit iuxta Philosophi doctrinam ex oppositis patibilibus: hoc est ex proportione partium humidarum cum siccis, ut nostro Tomo primo, tractatu de coctione latè docuimus: ergo ad coctionem necessariò requiritur diversitas, & heterogeneitas partium, sed corpora simplicia omnino sunt homogenea: ergo quantumvis à nostro calore alterentur, minimè possunt adquirire modum substantiæ, qui est terminus coctionis, ex oppositis patibilibus ortum, hoc est ex proportione partium humidarum cum siccis, sicuti fit ex farina, & aqua: ergo corpora simplicia minimè possunt coqui, & per consequens nec nutrire valebunt, neque habere crassitiem, & adhærentiam, seu viscositatem necessariam pro nutritione, qualem agnovit Galenus esse necessariam 7. met. cap. 6. qua etiam ratione Arist. sect. 1. Problemat. cap. 12. de tritico loquens, tenet esse multi nutrimenti, quoniam viscidum, & crassum est; cum ergo crasities sit necessaria ad nutrimentum, & aqua, neque ullum aliud corpus simplex, quantumvis alteretur à nostro calore possit adquirere crasitiem, nec viscositatem aliquam; manifeste deducitur nullum elementum, seu corpus simplex posse esse alimentum nostri corporis, neque ullam posse adquirere, nec participare pinguedinem, ratione cuius affigi possit, & affixa nutrire.

Neque contra nostram sententiam aliquid facit quod halitus, seu vapores oduriferi possint nutrire, quin obstet tenuitas maior ipsorum, quam sit in aqua: ergo aqua etiam poterit nutrire, & aer. Etenim ex ipsis vaporibus nullum firmum membrum nutritur, sed spiritus generantur; & si forsan apti sunt ad nutritionem, ideò est, quia sunt corpora mixta, licèt tenuissima: aqua verò impermixta, & aer impermixtus, corpora sunt omnino simplicia, ideoque incapacia ad nutritionem, propter adductam rationem.

Ex his laboriosum non erit satisfacere argumentis pro contraria parte adductis. Ad primam rationem dicimus optimè posse induci formam mixti in materia elementorum, vel unius elementi alterata per dispositiones reliquorum, ut probat secundùm argumentum, per mixtionem, minimè verò per nutritionem. Quoniam elementum seu corpus simplex est omnino homogeneum excludens diversitatem partium, seu heterogeneitatem necessariam ad modum substantiæ pro coctione requisitum ut superiùs probavimus in validatione nostræ conclusionis, & sic nullum elementum potest nutrire, propter defectum diversarum partium; sed solùm ea corpora mixta, quæ sunt proportionata cum virtute agentis, & habent modum substantiæ

vincibilem. Ex quo patet etiam solutio ad secundum argumentum. Ad confirmationem Responderi potest cum plausibili doctrina. Sapientissimorum virorum; mixta viventia, quæ capacia sunt nutritionis non fieri immediatè ex elementis, sed potiùs per generationem, medio instrumento seminali, quod verum est mixtum continens eminenter aut formas elementorum, aut virtutes ipsorum; unde cum non simus facti immediatè ex elementis, ex ipsis non nutrimur; sed ex substantia mixta capaci recipiendi terminum coctionis, per diversitatem partium quibus ornatur.

Ad argumentum desumptum ex authoritate Hippocratis lib. 1. de vict. rat. dicimus, aut non loqui de aqua omninò simplici, seu elementali, sed aliquantulum permixta, quæ potest nutrire ratione corporis permixti, etsi forsan concedamus loqui de aqua elementali pura, non est intelligendus de vera nutritione, sed de necessitate ipsius pro nutritione celebranda, quia se habet tanquàm vehiculum omninò necessarium pro penetratione, & conductione alimenti per minimas, & angustas venas. Et in hac significatione intelligendus est Philosophus 1. sect. problem. non quia aqua impermixta verè, & propriè nutriat.

Neque Hippocrates, & Galenus in expositione textus citati ex 3. de ratione victus aliquid probant contra nos, nam licet sit potentior mulsa, quàm aqua, non inde sequitur, aquam aliquam licet debilem habere nutritionem, sed salvatur locus ex eo, quod aqua sit necessaria ut vehiculum, mulsa verò ut nutrimentum & vehiculum, & licet aliquam potentiam concedat in aqua, non est quia nutriat, sed quia tardiùs exolvantur homines utentes sola aqua, quippe humectans ventriculi os, prohibet resolutionem, & sic durant ampliùs. Quo Respondetur, ad Alberti Magni experimentum Melancholici, qui vixit pluribus mensibus solo aquæ potu; impediendo resolutionem faciendam à calore nativo, qui quantò magis remissus est, minùs consumit de excrementis, quæ habent vicem pabuli, & sic sola aqua vivunt homines. non quia ipsa nutriat, sed quia per accidens conducat ad durationem viventis. Galenus autem ad Tyrones citatus juxta legitimam versionem, quàm adducit Valesius noster non dixit *aqua verò minimum alimentum præbet, sed minimam permutationem*, quod est verum in sensu allegato.

Argumentum desumptum ex Plinio de nutritione Camaleonis ex aëre, frivolum est, nam de solo aëre elementali est falsum; de impuro autem habet fundamentum, quatenus in ipso sunt quædam corpuscula, ex quibus tale animal sustentatur. Neque experientia de Salamandra est vera, quandoquidem efficacia, & voracitas ignis omnia comburit, & consumit, & sic Salamandra non nutritur igne, sed ab ipso consumitur. Si autem aliquo tempore in igne conservatur, ideo est, quia hujusmodi animal est frigidissimum, & humidum, & ab ore ipsius aliqua saliva, seu humiditas expellitur, quæ per minimum temporis spatium ignis actionem, & combustionem retardat. Hoc autem non est nutriri ex igne: Ex quo liquido constat nullum elementum inpermixtum posse nutrire.

CAPUT IV.

An venenum possit nutrire.

INTER corpora mixta plura sunt venenosa, quæ oppositionem habent cum innato viventis calore, & ita adversa sunt, ut homines celerimè interficiant, de quibus in præsentiarum procedit litigium. An scilicet aliqua sint venena, quæ licet adversam habeant cum nostra vita naturam; nihilominùs possint à nostro calore naturali debellari, itaut in propriam viventis substantiam transmutentur, & omnimodè victa maneant.

Partem affirmantem plotibus historiis possumus suadere; sit prima ex Gal. lib. 1. de simplic. medic. facult. ubi refert historiam vetulæ, quæ nutriebatur *cicuta*. Avicen. etiam lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 6. refert ex Rufo puellam quamdam fuisse nutritam *Napelo*, ut interficerentur Reges, si cum ea coirent; insuper Galenus lib. de Theriac. ad Pisun. testificat viperas edi ab Egiptiis, & 3. de aliment. facult. cap. 3. de Limacibus titulo circa medium capitis tenet, viperas, aliosque serpentes in Ægypto, & apud alias quasdam gentes edi. Plinius etiam lib. 6. de histor. animal. cap. 29. testatur Populos quosdam Rubro mari finitimos serpentibus victitare: Theophrastus etiam lib. de hist. animal. cap. 18. narrat, Pastores elebotum citra noxam devorare, & interdum integros manipulos. Similiter ex Buteri relationibus planè constat in Libiæ regione quasdam gentes nutriri Bufonibus.

Specialis etiam historia invenitur apud Iulium Cæsarem Scaligerum exercitatione 175. ubi refert, à Rege Cambasæ filium veneno esse educatum & ita venenosum evasisse, ut muscas accedentes solo halitu necaret, & quemcumque necare voluerat solo sputo in eum conjecto, interfecisse; & insuper vix ullam ex uxoribus, quæ cum illo rem habuerat mortem in proximum diem effugere potuisse. Consonat Cardanus de venenis scribens, ubi narrat se vidisse puellam trimam, quæ Araneas mira cum voluptate citra damnum aliquod comedebat; & Albertus Magnus idem testificat. lib. 1. de Animalibus cap. 8. de Puella altera in Colonia, quæ quam citò à Matre sua aufugere poterat, angulos domus solicite perquirebat, & quotquot poterat capere Araneas manducabat. Ex quibus historiis, & aliis quamplurimis, quas Authores passim referunt, plane constare videtur, venenata corpora posse inter alimenta reponi, & corpora nostra nutrire.

Neque contemnenda ratio poterit formari in hujus asserti validationem, ex eo quòd venena omnia frigida. Indigent calore nostro, ut actuentur, itaut minimè possint effectum suum præstare, quin priùs à nostro calore calefiant; ita Galenus 3. de tempet. cap. 5. & 3. simplic. cap. 18. quo tanquam certò præsupposito, videtur omnia frigida venena posse nutrire, cum omnia vincantur à nostro calore, & ab ipso liquentur, ut possint indulgentiam coctioni à natura recipere: si ergo calefiunt à nostro calore, saltim videtur non posse interficere sua frigiditate; imò potiùs victa, & refracta posse converti in nostram substantiam cum nihil in ipsis venenis frigidis

gidis remaneat, quod opponatur principio vitæ; si quatenus frigida sunt venena consideterentur: ergo saltim frigida venena possunt esse alimenta.

Si autem aliquis Respondeat, talia venena frigida à nostro calore calefieri, ut actuentur; postea autem post alterationem à calore factam frigidissima reddi, & per ipsam frigiditatem denuò comparatam post actuationem necare viveos. Contra instatur nam ex hac solutione sequitur contra communem Medicorum opinionem dari mixta potentiâ frigida; quòd solùm de mixtis calidis conceditur, sicut de pipere, & de venenis calidis, & corrosivis, quæ à tota substantia opponuntur principio vitæ: ergo vel incidere debemus in peculiarem opinionem, aut fateri est necessum, saltim venena frigida posse nutrire nostrum corpus.

Cæterùm pro solutione præsentis difficultatis, & clariori intelligentia ootandum est: diversa esse genera venenorum; quædam sunt venena à tota substantia aliena nostræ naturæ, & omninò deleteria secundùm omnes suas partes, quale est *Arsenicum*; alia verò sunt venena, quæ licet sua qualitate interficere possunt, & opponantur revera principio vitæ, non tamen sunt aliena, & adversa naturæ secundùm omnes suas partes, hujus generis sunt plantæ, & animalia, quorum tota substantia non est venenata secundùm omnes partes, sed aut succus tantùm vel aliqua pars.

Igitur de omnibus venenis, quæ à tota substaotia sunt talia, & secundùm aliquas partes, certum est esse inimica nostræ naturæ: ita Galenus lib. 3. de temperem. cap. 3. naturam veneni sic descripsit. *Venenum est quod humani corporis temperamentum destruit, vincit, atque permutat.* Idem testificat Avicen. lib. de viribus cordis tractat. 2. cap. 1. in fine, quem sequitur Nicolus tractat. 4. serm. 4. de venenis cap. 1. & Conciliator differ. 178. & lib. de venenis cap. 1. subscribunt Valeriola lib. 3. de locis commonibus cap. 18. Mercurial. lib. 1. de venenis cap. 5. Cesalpinus lib. 3. praxis, qui est de venenis cap. 2. est ergo venenum complexionis nostræ destructivum, & naturæ adversum.

His præjactis sit prima conclusio, venena, quæ à tota substantia dicuntur talia (ut Arsenicum & similia) minimè possunt esse alimenta, adhuc si in minima quantitate devorentur. Probatur ex doctrina Galeni lib. 3. de temperam. capit. 4. ubi tenet talia venena corrumpere nostrum temperamentum, & ipsum omninò inquinare; vitæ adversari, eo quòd principiis vitalibus vehementer opponuntur ut symptomata, quæ venena sequuntur, planè demonstrant: nam cæcâ, & delitescente vi cruciatibus nos fatigant, & totîus naturæ dissidio, vitæ nostræ primordia demoliuntur, ex quibus patet talia venena à forma specifica substantiali, & occulta quadam, & indicibili proprietate corporibus nostris esse iofesta. Quomodo ergo hujusmodi venena poterunt alere, & reparare substaotiam deperditam, quandoquidem omninò subvertunt oaturale temperamentum à quo coctio, & nutritio celebrari debent. Et confirmaror ratione Philosophica, nam actio victoriosa celebratur inter agens, & passum à proportione vincentis; sed calor noster naturalis, à quo celebratur nutritio minimè poterit vincere, & domare venenosa mixta, quæ à tota substantia sunt deleteria secundùm omne partes: imò potiùs eo ipso, quòd à nostro calore actuantur; ipsorum venefica virtus omnioo subvertit naturale temperameotū, & spiritus vitales dissolvit, & nativum cordis temperamentum corrumpit: ergo potiùs natura victa manet, & naturale temperameotum debellatum. Ac per consequens minimè poterit prævalere ejus actio contra insidias veneficas, nec poterit reparari nostra substantia deperdita per nutritionem media alteratione, eorum mixtorum, quæ venena dicuntur à tota substantia. Et confirmatur nam alimentum debet esse simile corpori nutriendo, sed hujusmodi venena neutiquam sunt similia, imò omoino adversa corpori nutriendo: ergo etiamsi in parva quantitate devorentur non possunt esse similia, neque idonea ad nutritiooem, siquidem etiam in minima quantitate, servant eamdem naturam, & eadem specificâ formâ informantur: ergo si in magna quantitate omninò sunt dissimilia viveoti, & ita adversa, ut non possint esse alimenta: etiam in minima quantitate assumpta minimè possune nutrire.

Neque valet si dicas: in minima quantitate devorata, non interficere vivens, neque horribilia accidentia præstare: ergo in minima quantitate assumpta possunt nutrire. Non inquam valet, nam etsi non inteficiant in minima quantitate, non ideò bene infertur nutrire posse: nam virtus non est ita activa, neque sphæra activitatis se extendit ut agat in totum corpus, neque accedit ad cor, imò potiùs natura irritata, talem minimam portionem veneni extra corpus propulsat, vel ad ambitum corporis, & sic nec nutrit, neque interficit vivens, ac per consequens talia venena adhuc in minima quantitate devorata, minimè possunt esse alimenta, cum habeant deleteriam vim, & naturam.

Sit secunda conclusio: Venena frigida, & quæ à tota substantia, & secundùm omnes partes non sunt deleteria possunt esse alimenta. Probatur ex Gal. lib. 3. de simpl. med. facult. cap. 18. ubi verba sequentia posteritati commendavit: *Eorum ergo medicamindum, quæ frigore interimunt, nullum genere lethale est, sed solâ quantitate. At in erodentibus, putrefacientibus, atque excalefacientibus haud ita se res habet.* Quibus verbis manifestè nos docet frigida venena sola quantitate esse deleteria, & minimè toto genere præter naturam, ac proinde, si in parva quantitate devorentur, posse nutrire, & vinci à nostro calore, cum non habeant talia mixta deleteriam vim; & insuper etiam per ultima verba adducta: Prima nostra conclusio revalidatur ampliùs: cum expresse loquatur Galenus de venenis à tota substantia, & toto genere deleteriis, qualia sunt erodentia, putrefacientia, atque excalefacientia venena; in quibus nulla est pars quantumvis minima, quæ possit vinci à nostro calore, neque possit habere similitudinem cum partibus nutriendis. Constat igitur ex Galeni doctrina venena aliqua posse esse alimenta, saltim si in minima quantitate devorentur, frigida videlicet. Erodeutia verò neque in minima quantitate posse nutrire. In cujus rei confirmationem perpendite nostri Vallesij aurea verba lib. 9. controvers. cap. 12. super Galeni verba citata. *Quæ quantitate talia sunt* (loquitur de venenis frigidis) *nisi quantitate commoda bibantur, possunt usque adeò vinci, ut pro veneno alimentum*

fiat : quod verò genere est tale , nulla quantitate potest nutrire ; quamquam in aliqua non interimat. Quibus verbis ad amussim totā rem exploravit, & Galeni mentem aperuit, & nostram assertionem validavit : & in calce eiusdem capitis ulteriùs subdit Vallesius sic. *Contrarium enim plene, paulò antea diximus , ex 3. de simplic. posse scilicet frigida superari integrè , & nutrire : calida non posse.* Nihil clariùs : ergo iuxta mentem Galeni, & iuxta expositionem nostri Valles. liquidò constat aliqua venena posse participare rationem alimenti (frigida scilicet) quoniam interdum integrè superari possunt à nostro calore.

Neque opponitur adductæ doctrinæ idem Galen. qui 5. de simpl. citat. docuit fungos inter deleteria venena numerari; nam lib. eodem cap. 117. Solvit dubiolū per sequentia verba. *Fungus frigida, humidaque planta est admodum, unde, & proximè ad deleteriam facultatem accedit , & sanè inter eos sunt , qui etiam interficiunt , potissimum, qui naturam habent mixtam, qualitatem scilicet putredinosam.* Ex his constat aliqua esse venena frigida omninò deleteria, quæ interficiunt media putredine , quod non tollit aliqua esse frigida venena , quæ cum integrè superentur à nostro calore saltim in minima quantitate possunt nutrire.

Consonat his, quæ de venenis à tota substantia deleteriis diximus suprà , eruditissimus Iacobus Grevinus lib. 1. de Venenis cap. 1. ubi docet: impossibile esse ut homo se paulatim adusum venenorum assuefacere possit , ita ut ipsis nutriatur; sed potiùs naturam adsuescere ut primò parvam , deinde majorem paulò quantitatem veneni à corpore expellere possit ; ita ut tandem magnam etiam quantitatem si offeratur expellere queat saltim ad ambitum corporis , ut in cachexia, elephantiasi , & morbo gallico laborantibus sæpe sæpiùs videmus. Non ergo rectè infertur ex eo quod venenum non interficiat devoratum, quod nutriat , cum sit magis consonum rationi id quod Iacobus Grevinus doctissimè advertit.

Solùm restat solvere argumenta ex adductis historiis : ex quibus videtur venena posse nutrire; ad quæ facilè Respondetur , si de venenis, quæ à tota substantia talia non sunt intelliguntur, sed de illis venenis , quæ habent aliquas partes immunes à deleteria virtute ; de quibus libenter concedimus posse nutrire , ut de venenis , seu plantis frigidis constat ; necnon etiam de partibus animalium venenosorum , de quibus probant supradictæ historiæ , etsi forsan verum est quod de Rege Cambase adductum est ; cuius filium ita educatum fuisse veneno testantur Authores , ut Muscas solo halitu necaret , & solo sputo in cutem conjecto, minimè probat veneno fuisse nutritum à tota substantia deleterio; sed ita assuevisse in devoratione talium venenorum , ut primò parvam , deinde maiorem , & tandem etiam magnam quantitatem à corpore , vel ad ambitum ipsius expellere posset : ut ex Iacobo Grevino notavimus. Ex quo planè intelligitur ut solo contagio , halitu , aut sputo posset interficere Muscas , & uxores , citra nutritionem, & conversionem veneni in propriam substantiam , sola expulsione facta ab irritatione prædictutum venenorum.

Ex dictis ergo constat iuxta Galeni doctrinam 3. de simplic. citat. interdum frigida venena posse superari integrè , & nutrire saltim secundum aliquas partes. Restat tamen examinare , qua ratione frigida venena , quatenus frigida sunt si in magna quantitate devorentur , interficiunt, ratione intensæ frigiditatis , supposità generali doctrinâ iuxta Galeni dogmata adducta. 3. de temperam. citat. de necessitate actuationis priùs factæ à nostro calore; non solùm in venenis calidis , verum etiam in frigidis , de quibus certum est, quod nisi priùs calefiant à nostro calore , & actuentur minimè internecare possunt, nec mortifera accidentia inducere. Et quidem in calidis venenis clariùs intelligitur , priùs calefacta , & liquata à nostro calore ; resurgere calidissima, ita ut media putrefactione, & corrosione subitò interimant ; quoniam potentia erant calida ; quemadmodum in pipere , & quolibet alio medicamento potentiâ calido , quotidie experimur ; de quo argumento latè egimus Tomo nostro primo , tract. de temperament. disput. 2. cap. 4. vbi quæritur per quid reducatur ad actum temperamentum potentiale , ubi specialiter dirimitur controversia , ut per otium , quivis legere poterit, & in hunc locum transferre.

Specialiter tamen virescit scrupulus meus in venenis frigidis , quæ solùm media frigiditate mortem inferunt , qua ratione id præstare possint ; si priùs debent calefieri , & liquari à nostro calore. Siquidem videtur difficile explicare, quomodo post dictam calefactionem à nostro calore , resurgant partes frigidæ , quæ valeant cordis , & spirituum vitalium intensissimum calorem omninò extinguere , & vitam de medio tollere. In re ita difficili fluctuat ingenium eruditissimi , & acutissimi nostri Vallesij lib. 1. controu. cap. 12. ubi ex professo de hac re disputat & acriter suadere conatur, id quod Averroes docuit acute 5. collectaneor. cap. 3. nempe medicamentum dici frigidum non quia refrigerat ; nisi quia convertitur in locis digestionis ad diminutum calorem, magis quàm calor corporis sit ; ita ut chilus , qui ex eo generatur , est diminutus à calore corporis. Consonat huic doctrinæ Gal. 3. de temperam. per sequentia verba : *quæ verò refrigerant veluti papaveris succus , hæc à nostro corpore , nec vel paululum quidem demutantur.* Et paulò infrà prosequitur , *si namque in nutrimentorum sunt genere, siquidem vincantur, calefaciunt: si non vincantur , refrigerant :* hucusque Galenus , sed adhuc scrupulus manet in suo vigore: ipsum tamen solvere conatur Vallesius citat. loco per sequentia verba (de venenis frigidis quæ devorantur , & de illis , quæ extra applicantur sermonem faciens.) *Unde illud quoque colligentes concedimus fieri posse ut à calore nostro medicamentum incalescat , & tamen deinde corpus refrigeret , si scilicet minus calidum manet nostro corpore , non enim solùm frigidum remittit calorem , sed & quod minùs calidum est.* Itaque iuxta nostri Vallesij opinionem cicuta , aut papaveris succus devoratus (idem de aliis frigidis venenis intelligitur) priùs aliquantulum incalescit, & alteratur à nostro calore & comminuitur ; attamen quia à nostro calore ferè est insuperabilis non incalescit ; atque ita insuperata cicuta (exempli gratia) à nostro calore , ad cor defertur , & solo eo gradu frigoris , quem habet , vitalem calorem incipit extinguere , & in ea actione procedit , usque dum calorem omninò extinguendo, hominem interimat; neque id mirum est, à parvo

frigore

frigore fieri; cor enim plus cæteris à frigidorum o[illegible]rsu offenditur, ut quod omnium membroru[illegible] oporteat esse calidissimum: hucusque Vall. cuius omnia verba io te ita ardua transcribere vului, ut constet clarissimè eius resolutio; nempè veoena frigida interimere solùm, quia minùs calida perseverant, & deferuntur usque ad cor: ita ut partes ipsorum venenorum quæ non supperatæ omninò fuere à nostro calore, præcisè quia minùs calidæ, quam cor, patva illa frigiditate, omninò vincere, & debellare valeant intensissimum cordis & vitalium spirituum calorem, ipsumque tandem extinguere, & hominem hac ratione interimere. Hæc est eius resolutio vetidicè quantùm potui ex eius verbis relata fidelissime.

Cæterùm licèt hæc expositio & doctrioa sit semper veneranda (utpotè à tanto viro) nibilominùs, salvâ pace, videtur esse contra veram philosophiam; Eteoim capere non possum, qua ratione cicuta, aut papavetis succus, ratione partium, quæ insuperatæ perseverant, à nostro calote, & minùs calidæ quàm cor & spiritus, parvo illo calore, licèt iuxta cor sint approximatæ per multum tempotis spatium, possiot vincere, & debellare cordis intensissimum calotem, & spirituum vitalium; quandoquidem talis calor cordis, & spirituum naturalis est, & debitus formæ ipsorum, qui sine dubio valdè intensior est, quàm frigiditas remissa; quæ perseverat in partibus cicutæ, aut papavetis, quæ non superatæ fuerunt à nostro calore, & minùs calidæ dicuntur à nostro Vallesio quam cor: Cum ergo actio victoriosa debeat procedere à proportione maioris inæqualitatis, & semper cor actu calidissimum sit, & perseveret, in ptesentia partium minùs calidarum venenotum frigidorum, infallibyliter deducitur per remissam illam frigiditatem non posse extingui neque cordis, oeque spirituum calorem: imò potiùs sequitur partes illas minùs calidas venenotum frigidorum magis calefieri à calore cordis, aut omninò impediri actionem frigiditatis remissæ, illarum partium in præsentia tanti caloris: ac proinde omninò inintelligibile esse posse extingui cotdis & spirituum calorem ab actione partium minùs calidarum venrnorum frigidorum: non ergo venena frigida iuxta hanc opinionem possunt interficere mediâ frigiditate, suppositâ actuatione, & alteratione priùs facta à nostro calore.

Neque valet effugium, quod insinuat Vallesius loco citato; nempe quod cum ille calor io veoenis frigidis sit violentus reducitur ad propriam naturam à propria forma talium veneoorum, ad frigiditatem debitam, ut exemplo fetventissimæ aquæ ad ignem applicatæ, & postea semotæ, experientia confirmat. Non inquam valet, nam si sempet, & continuo sit aqua applicata igni, semper actu erit calida, & fervida: sed illæ partes venenotum frigidorum, quæ insuperatæ manent, & minùs calidæ sunt, quam cor, ut eius calorem extinguant, debeor esse approximatæ continuò ipsi cordi: ergo cum eius calor sit vehementior, & iotensior nunquam poterunt à propria forma comparare suam frigiditatem actualem in presentia cordis: ita ut ratione illius extinguant calorem cordis, & spirituum, & interficiaot ratione frigiditatis: ruit ergo doctrina Vallesij nostri.

Vlteriùs deducitur quamlibet substantiam minùs calidam applicatam cordi, posse ipsum vincere, continuatâ actione, seu teactione in cor, & spiritus & vivens interficere per frigiditatem: quemadmodum partes insuperatæ venenorum frigidorum id faciunt, quia minùs calidæ quàm cor. Neque ex eo quod sit viscus calidissimum, debet offendi magis ab agenti minùs calido (ut aiebat Vallesius) sed potiùs contrarium debet accidere, cum virtus validior minùs offendatur à virtute contraria remissiori. Insuper etiam rationabile videtur virtutem expultricem cordis, media ipsius contractione, expellere partes illas minùs calidas venenorum frigidorum, quemadmodum expellit excrementa fuliginosa; tanquam aliena à natura, & omninò extranea, & inutilia: ergo dummodo in ipsis non concedatur virtus frigidissima intensior & validior ipso corde, nequit accidere mors per frigiditatem à veneuis frigidis.

In re ita ardua dicendum nobis est veneoa frigida priùs alterari, & liquari à nostro calote, & hac ratione separari io ipsis exquisitissimas partes frigidissimas, quæ irruentes in cor, & ad ipsum delatas simul cum sanguine, ipsum omninò refrigerant, & innatum eius calorem extingunt, spiritus congelando, & hac ratione redditur totum vivens gelidum, & accidit mors. Hoc autem io venenis frigidis fit ex peculiari modo mixtionis elementorum, ex vi cuius eo ipso quod alterantur à nostro calore facilè resurgunt actu frigidissimæ, separatis per liquationem pluribus partibus frigidissimis, quarum actio veluti cõsopita erat in ipsis venenis, usquedum per alterationem à nostro calore dividuntur, & comminuuntur ipsæ partes, & à nostro calore simul cum sanguine communicantur cordi, & ab ipso attrahuntur simul cũ ipso sanguine media dilatatione, ubi illa cruentissima his inter ipsas & cor, quod devictum undequaque manet, & spititus congelati, & vivens omninò frigidum redditur, & ita accidit mors à venenis frigidis, quæ potentiâ talia dicuntur, quia, facilè frigidissima fiunt, alterata à nostro calore ob eorum dispositionem, & peculiarem mixtionis elementorum modum: sic opium dicitur frigidum venenum, quia facilè refrigerat (& idem est iotelligendum de cicuta, & quoliber veneno frigido) quæ omnia, supra calefacientis oaturam infrigidantur, & ad tantam frigiditatem perveniunt ex accidenti, ex materiæ videlicer dispositione quam io peculiari modo mixtionis collocamus, factâ illâ exquisitissimâ separatione plurium partium frigidissimarum debellantium contra calorem cordis, à quibus celebratur victoria, per ruinam nativi caloris.

Eadem ratione à venenis calidis accidit actuatio per calorem, & resurgit in ipsis valdè intensior calor, quàm est in viventi alterante, quoniam ex suæ natura facilè calidissima fiunt ex accidenti, & ex dispositione, quæ in ipsis est, ex peculiari modo mixtionis, & sic nos recalefaciunt, ita accidit in pipere, & alimentis potentiâ calidis, & non alia ratione paleæ, & Aristæ facilè comburuntur, & ignis potentiâ sunt, nisi ex dispositione propria ad combustionem, ex suo peculiari modo mixtionis. Et nihil miri est si aliqua mixta exiguum consecuta auxilium; maximam à priori natura mutationem habeant: hanc doctrinam insinuavit Galenus exemplo illo satis communi, & celebri, dicens

in

in Misia aliquando domum, in qua columbinum stercus erat, tesina nuper illitam, solaribus radiis conflagrasse, nullo admoto igne: quoniam solis lumen, quantùm naturâ potuit caloris genuit, ligna tamen ac tota domus ex materiæ dispositione ad maiorem caliditatem delapsa sunt: sic ergo accidit in venenis calidis, factis calidioribus ex accidenti, separatis partibus corrosivis calidissimis, & feriferis; & in venenis frigidis, separatis frigidissimis partibus, extinguentibus calorem cordis; aut probabiliter ut alii affirmant, per virtutem narcoticam ipsarum partium soporem & mortem inducentibus, independenter à frigiditate; qui modus interficiendi in venenis frigidis probabilis est. Meritò nos fugientes occultas qualitates cum Galen. 3.de præsag. ex pulsibus nam turpe quidem est ad proprietatem, quæ exprimi nequit confugere, & occultas proprietates concedentes proferunt quidem nomina, & tamen nec quæ significant, observant, neque, quæ illis significationem attribuunt, interpretantur: hæc sufficiant in re tam ardua ut probabiliter propositum nodum solvamus.

CAPVT V.

An vivens possit sine alimento vivere & conservari.

TAMQVAM certum in hac lite supponendum est, id quod Galenus dictavit 1. & 4. & 5. lib. de sanit. tuend. cap. 12. nempè vivens à principio in finem exsiccari, & tandem frigescere, & ea ratione accidere ætates in homine, & comparare diversa temperamenta per totum vitæ periodum, & tandem perire, & ex necessitate accidere mortem naturalem à causis naturalitet, & inevitabiliter operantibus, & ex vi primæ formationis, & proportionis elementorum ex quibus fuit primò formatum, quod accidit actione caloris nativi agentis in proprium humidum coadiuvantibus etiam aliis causis extrinsecis non naturalibus, & præternaturalibus de quo latissimè egimus Tomo nostro 1. Laureæ Doctoralis disput. 3. & 4. dum de ætatibus, & morte naturali sermonem fecimus; quæ omnia in præsentiarum oportet transcribere, & memoriæ mandare.

In super etiam ibi docuimus vivens à primo ortu, & in prima ætate esse calidum, & humidum à prædominio, à partibus aëreis prædominantibus, propter necessitatem augmenti mediâ nutritione comparandi, & repositione alimenti ut homo adquireret magnitudinem debitam ad perfectè operandum, & sibi similem generandum, nec non etiam ut haberet durationem, & conservationem præfixo suæ vitæ tempore requisitam: totum quod fit media nutritione, & alimenti repositione loco substantiæ deperditæ à principio vitæ in finem per resolutionem partium humidarum & calidarum ac causis naturalibus, & inevitabiliter operantibus, & dissipantibus calorem nativum, & humidum radicale, quod se habet veluti caloris, & vitæ pabulum, ex quibus esse simpliciter necessarium alimentum pro vitæ custodia, & conservatione: unde insurgit litigium, an supposita doctrina veluti à Medicis in confessa possit homo vivere, & conservari sine alimento.

In proposita difficultate Socius noster In[illegible]s manuscriptis censet, alimentum esse necessa[illegible]m ad vitam animalium ita ut sine illo vivere non possint. Et probat quia vivens illico à suo ortu in finem resolvitur, & exsiccatur à causis inevitabiliter operantibus, à quibus celebratur humidi radicalis consumptio, & randem viventis interitus naturalis; sed hæc continua resolutio non est reparabilis alio modo, nisi per alimentum, per quod reponitur substantia denuo pro deperdita: ergo sine alimento minimè potest vivere, animal.

Hæc eadem assertio potest confirmari ex eo, quod calor noster nativus, à quo vita dependet assimilatur flammæ: ergo sicut hæc minimè potest perseverare sine olei materia, à qua dependet, ita calor nativus, non potest conservari sine alimento, quod oleo assimilatur, & se habet veluti pabulum à quo dependet vivens in conservari. Totam hanc doctrinam dictavit Galeo. lib. de utilit.respirat. cap. 2. ubi calorem nostrum nativum, à quo vita dependet assimilavit externo igni; qui ad suam conservationem duplici indiget motu, altero ad inferiora, quo conservatur, videlicet ad pabulum, seu ad materiam, ex qua regeneratur, altero ad superiora, ut fuligines quæ elevantur continuò ventilentur, & propulsentur, ne ab illis ignis, seu flamma suffocetur, & extingatur; ita etiam simili modo caliditas nostra nativa duplici indiget motu ad suam, & viventis conservationem, altero ad inferiora. Hoc est, ad alimentum, ut ex eo reparetur substantia humida, quæ continuo dissipatur, ne accidat tabescentia, & mors naturalis, altero ad superiora, ut medio aëre per pulsum & respirationem attracto, fuliginosa excrementa, quæ perenniter ex nutritione elevantur, expellantur, ne accidat suffocatio, & vitæ interitus. Constat ergo ex doctrina Galeni vivens neutiquam posse conservari sine alimento, sicut neque flamma sine motu ad pabulum, seu ad materiam ex qua regenerantur continuo partes ignis: non ergo vivens potest sine alimento vivere.

Priùs tamen quam litem propositam dissolvamus tanquam certum supponere debemus, viventis posse, & vivere, & conservari per plures dies sine alimento externo, nulla prorsus facta ipsius devoratione, in præsentia pituitosorum, & crudorum succorum stabulantium, tum in prima regione, tum etiam in secunda, quæ tempore necessitatis per ulteriorem coctionem, seu elaborationem convertuntur in sanguinem, & redduntur magis elaborati, & proportionati ad nutritionem; itaque toto tempore, quo perseverant huiusmodi succi in viventi, deserviunt nutritioni, & conservationi ipsius, eo modo ac si alimenta devorasset, quoniam sunt veluti substituta alimentorum, ut tempore necessitatis natura retinear huiusmodi excrementa, ut ex ipsis elaboret alimentum pro nutritione, & conservatione viventis. In cuius rei confirmationem Authores referunt animalia plura exsanguia, in quibus calor naturalis, debilis, & parvus est, & pluribus scateat eruditatibus in locis subterraneis tota hyeme habitare, citra alimenti externi devorationem, & aluntur quidem à succis crudis, & per totam hyemem, eo quod calor nativus pusillus est; & exiguo indiget alimento

pro

pro sui conservatione; & aliàs resolutio humidi exigua valde est, quæ parvissimâ indiget repositione; ideoque sine alimento externo tanto tempore conservantur. Et eadem ratione viventia plura vegerativa, etiamsi separata sint à terra, & in aëre suspensa germinant & conservantur; ut accidit in cæpis, in quibus nimia humiditas excrementitia habet locum pabuli, & alimenti; quin sit necessarium alimentum externum à terra, & aqua media radice attractum.

In cuius confirmationem adducit noster Socius supra citat. in testem Hipp. 1. aph. tex. 13. ubi tenet senes facilè jejunium ferre, cuius eventus rationem expressit Galen. in expositione adducti loci: quia senum calor minor est, & languidus, & quia collectam materiam habent, & quantitatem pituitosorum excrementorum, quæ habent tionem pabuli, & alimenti, in ipsis, & sic sine alimento externo plurimo tempore conservantur, & propterea facilè jejunium ferunt.

Cæterùm: totam expositionem citati textus in Galeno perlegi, & solam causam ferendi jejunium facilè in Senibus reducit, tum in tex. 13. tum etiam in 14. subsequenti in quo assignat causam, in debilitatem, & exiguitatem caloris nativi qualitativi, & substantifici, & quia in in ipsis difficilis est resolutio, & dissipatio humidi propter siccitatem, & frigiditatem, & propterea paucis indigent succendiculis, seu alimentis; ideoque facilè inediam ferunt; & minimè de recollectione excrementorum pituitosorum mentionem facit; ac proinde censeo in senibus inediam non esse tolerabilem propter colluviem pituitosorum excrementorum, sed ob rationem à Galeno supra adductam: nempè propter debilem calorem, & quia facilè non resoluuntur sicut pueri. Et suadetur ex doctrina Galeni; nam in textu citato ait: decrepitos, senes nempe, brevem quidem inediam ferre posse: verba Galeni sunt sequentia. *De his enim quis in prima, aut media sunt senectute rectè dictum est longam facilè ferre inediam, non etiam de his, qui ultima sunt senectute, pronuntiari potest, quando nec brevem quidem illi inediam ferre possunt.* Ex his facilè infero, quod qui in ultima sunt senectute, maiorem crudorum succorum copiam, & quantitatem pituitæ maiorem accumulant, quia calor ipsorum pusillus valdè est, & tamen nec brevem quidem inediam ferre possunt ex Galeni mente: ergo senes non ferunt facilè jejunium propter pituitosorum excrementorum copiam: sed quia resolutio humidi in ipsis difficilis est, & quia calor est debilis; ideoque non egent pluribus succendiculis, pro repositione substantiæ resolutæ.

Restat tamen reddere rationem, cur qui in ultima sunt senectute, nec brevem inediam ferre possunt quandoquidem, qui in prima, & media sunt senectute facilè longam inediam ferunt. Certè Galenus huius eventus rationem tacuit, quam Eruditissimus noster Vallesf. in expositione citati textus, insinuavit; & reddens differentiam inter senes, & decrepitos, tenet, quòd cum corpora senum, & tota illorum substantia durissima sint, lentè dissipantur: ergo quamquam contineantur sine cibo, haud multum læduntur. Cæterùm meritò Galenus excipi censet decrepitos, nam quamquam in his minor, quam in aliis dissipario fiat, tamen, quia in tanta exiguitate calidi, vel minima illius dissipatio, sit magna noxa, plurimum læduntur per inediam, & sic miseri decrepiti neque possunt ferre inediam neque cibos: consulendum ergo ipsis est, ut capiant exiguum admodum cibum, optimè præparatum, & facilis concoctionis, unde licet in ipsis abundent plurima pituitosa excrementa ex ipsis non nutriuntur, utpote difficile coquuntur; imò potiùs ab ipsis calor nativus decrepitorum obruitur, & suffocatur, quod non accidit in aliis senibus non decrepitis, in quibus non est adeo exiguus calor, sicut in decrepitis, & sic inediam facilè ferunt, quia lentè dissipantur; ideoque non indigent tanta cibi repositione per nutritionem, sic dubiolum manet solutum.

His jactis sit nostra conclusio: Vivens posse vivere per aliquos dies, dummodo quintum non transcendat citra alimenti externi devorationem; etiamsi in ipso, nulla sit succorum crudorum & pituitosorum saburra. Hæc conclusio probatur clarissimè; nam calor nativus, à quo vita dependet; conservatur toto tempore, quo in partibus est humiditas radicalis, & nativa, quæ se habet ut pabulum: sed independenter ab alimento externo devorato, & à succis crudis, qui se habeant, veluti succendiculum, seu alimentum, est in partibus humiditas activa, & radicalis acquisita ex primordiis generationis, & ex nutritionibus antecedentibus, quæ indiget tempore considerabili; & satis sensibili Medico ad resolutionem, & dissipationem moliendam à calido proprio, & influenti, & ab omnibus causis invitabiliter operantibus, quas explicuimus, quando de morte naturali, & ætatibus egimus: nostro 1. Tomo, ergo toto illo tempore, quo durat resolutio humidi, poterit conservari vivens sine cibo externo, etiamsi non sint crudi succi; in quo eventu, erit verum dicere, quod vivens non nutritur; sed potiùs extenuatur, & consumitur; tamen conservatur per aliquos dies requisitos ad totalem resolutionem humidi radicalis, à quo dependet vitæ conservatio; poterit ergo vivens conservari, sine alimento externo per aliquos dies etiamsi non essent succi crudi ex quibus possit nutriri.

Sit secunda Conclusio neque in hac duratione, neque in ea, quæ accidere potest in viventibus, crudis & plurimis succis abundantibus; posse assignari certam durationem in viventi non devoranti cibum externum. Probatur conclusio efficaci ratione, nam resolutio humidi radicalis, celeris aut tarda dependet ex proportione agentis ad passum & ex resistentia maiori, aut minori; ut clamat ono ore schola Philosophorum: ergo in his durabit vivens magis, in quibus minor, & lenta fiat resolutio & virtus agentis non prævaleat supra resistentiam passi ita celeriter; in aliis verò minùs durabit vivens, in quibus celerior fiat resolutio humidi, & resistentia minor, non ergo poterit in viventibus assignari certa mensura durationis, citra externi cibi devorationem, & sic his principiis adductis credimus, in quibus per plures menses fatentur Authores, plura viventia durare, ex his, quæ in locis subterraneis perseverant, quod non opponitur nostræ doctrinæ, cum certum sit non posse in illis, neque in viventibus merè vegetabilibus præfiniri certum tempus durationis. Veriùs tamen existimo nullum vivens, quamvis pusilli caloris, & difficilis resolutionis, & densæ contexturæ

texturæ, in quo plura excrementa pituitosa abundent posse vivere sine alimento externo, per aliquos menses, imò neque posse vivere per unicum integrum mensem: nam etsi exiguus sit calor nativus, & difficilis dissipatio in ipso, tamen aliqua est continuò, & perenniter, quæ indiget continua repositione; hæc autem non fit idonè à succis crudis, quæ indigent concoctione, & calore ad præparationem requisitam pro alimonia, & hæc minimè potest fieri ab exiguo calore, imò potiùs in ipsis imminet periculum suffcationis à copia magna succorum crudorum: quo fit ut neque per plures annos, neque per plures menses sine alimento externo, possint durare, etiamsi viventia in locis calidis & subterraneis, cum exiguitate calidi nativi abscondantur: quare dum clamat ratio, historiis antiquis non est adhibenda integra fides; sed cum limitatione admittendæ sunt.

Solùm restat jacta in contrarium solvere dubiola, quæ ex dictis facilè diluuntur; ad primum dicimus, quod convincit ratio si de regulari; & frequenti conservatione viventis per plures menses, & annos, quæ sine alimenti externi devoratione fieri non potest. Cæterùm illa, quæ fit per unicum mensem, aut per viginti dies, parum magis, minúsve poterit accidere à succis crudis, qui habeant vicem alimenti; in homine pituitoso, moderati caloris, & non facilis resolutionis. In super etiam sine succis crudis poterit conservari vivens toto tempore, quo duret resolutio humidi, ut constat ex prima nostra conclusione.

Neque secundum argumentum de similitudine conservationis flammæ ex doctrina Galeni de sumptum lib. de utilitate respir. alicuius roboris est, nam etiamsi non assumat vivens alimentum poterit durare toto tempore, quo durat humidum radicale, usque dum resolvatur, sicut durat flamma, aut lucerna cùm prima exustione olei, quin continuetur repositio humidi, & in his, qui succis crudis abundant, conservarur vivens, toto tempore quo ex illis sub ministratur alimentum, & in tali casu salvatur motus ad infrà, & ad superiora, ut fiat viventis conservatio, seu ipsius caloris nativi, quemadmodum in flamma, seu lucerna. Vnde indemnis manet nostra conclusio, & contraria fundamenta debellata prorsus manent.

CAPUT VI.

De facultatibus, quæ reperiuntur in alimentis.

EX supradictis constat alimentum formaliter, & præcisè quatenùs tale modo à nobis supra exposito, nullis qualitatibus activis præditum esse; & præterea nihil in hominis corpore agere tota rigorosa significatione: attamen quia alimentum externum, quod futurum alimentum dicitur, postquam devoratum est, priusquam depuratum sit, aliquas qualitates activas habet alterantes vivens; quæ medicamentosæ dicuntur. In præsentiarum de omnibus oportet agere; ut iure optimo Medicus eligat externa medicamenta, magis idonea pro sanitatis tutela, necnon etiam pro morborum præcautione, & curatione.

Facultates, quæ conveniunt alimento, formaliter, quatenus tali, sunt, quod sit boni succi, aut mali; facilis, aut difficilis coctionis, & conversionis; tenuis, aut crassæ substantiæ; & multi, aut pauci nutrimenti. Cæterùm si in ipso alimento considerentur facultates, quas habet priusquam omninò sit depuratum, quando scilicet dicitur, quasi alimentum, tunc in ipso sunt plures qualitates medicamentosæ, ratione quarum medicamentum potiùs dicitur, & verè nos alterat calefaciendo, refrigerando, humectando, exsiccando, laxando, attenuando, aperiendo, expurgando, urinam, & menses provocando, lapidem frangendo, & alijs pluribus modis alterando: de quibus omnibus in præsenti tractatu agere licet, ut Medicus ritè victus rationem debitam instituere possit, & ciborum electionem.

Et quidem pro clariori intelligentia, supponendum est in pluribus alimentis, quantumvis homogeneis quoad sensum, esse diversas & heterogeneas partes diversis qualitatibus præditas, eadem tamen formâ informante, præfata alimenta, ita Gal. lib. 3. de simplic. med. facult. cap. 14. *de lacte* agens, ait; *At in lacte duas contineri facultates, nempe excernendi, & ventrem sistendi.* capite verò sequenti eiusdem lib. De Aloë sic loquitur. *Nam si Aloë accuratè lavetur, aut debiliter, aut planè nihil ventrem subducit, quia per lavatum deperdit partes tenues, quibus vis purgativa inest.* Quæ doctrina ut in concussa ab omnibus scriptoribus recipitur.

Cæterùm in indagatione prædictarum facultatum, quæ in alimentis insunt, dubitat noster Socius supracitatus in suis manuscriptis; an in alimento quod verè, & propriè alimentum dicitur, non solùm sit potentia passiva ut convertatur in substantam aliti, verùm etiam sit activa facultas? Et Respondent in alimentis formaliter, & strictè acceptis, inesse plures facultates activas, licet in vivens nihil agant. Et quidem supponit tanquam fundamentum huius assertionis alimentum omne necessariò debere esse mixtum, ex quo infert debere ornari quatuor primis qualitatibus, quæ sine dubio activæ sunt: ergo omne alimentum quatenùs tale habet qualitates, seu facultates activas, minimè tamen alterantes vivens, quia in ipsum nihil agunt, quippe non est passum proportionatum; itaque concedit in alimento formaliter ut tali, qualitates activas, minimè alterativas respectu viventis, quia alimenta non sunt applicata passo proportionato, & quia existimat tales qualitates disponere ad nutritionem, quod potiùs est agere, quam pati; firmiter concedit in alimentis activas qualitates & facultates. Confirmat idem assertum; ex eo quod si alimentum prorsus esset denudatum omnibus qualitatibus, licet citiùs converteretur propter absentiam dispositionum impedientium conversionem in substantiam aliti; tamen non commutaretur quousque vivens illud deponeret propriis qualitatibus, iam primis quàm secundis: ergo necessariò alimentum ut sit capax conversionis debet habere qualitates, seu facultates primas activas.

Hæc tamen assertio omninò frivola, & inutilis ne dicam chimerica, mihi videtur, quandoquidem ipse tenet in prima quæst. in alimento formaliter

formaliter ut tali, nec vestigium sensibilis, nec insensibilis alterationis relucere respectu viventis; ac proinde solùm habere rationem proprij alimenti, substantiam transmutatam in vivens, ut latè supra adduximus in nostro primo capite. Ex quo infero contra nostrum Socium omninò chimericam esse alterationem à viventi factam in primis qualitatibus in alimento, seu substantia convertenda, ut sit capax conversionis, cum potiùs alimentis sit substantia jam transmutata in sua opinione. Aut debet fateri alimentum esse illam substantiam, quæ continuò alteratur, usque ad ultimam conversionem, quæ potiùs dicitur quasi alimentum, de quo non est controversia.

Vlteriùs: quia alimentum tale dicitur respectu viventis: ergo si in ipso non concedit facultates, nec virtutes activas; cum neque deserviant tanquam medicamentosæ viventi, utpotè ipsum non valent alterare, neque tanquam alimentosæ, cum potiùs contrarientur naturæ alimenti formaliter sumpti: ergo asserere in alimento esse virtutes activas incapaces alterandi vivens, est asserere alimentum esse corpus mixtum omnibus primis qualitatibus ornatum pro conservatione formæ, de quo nullus dubitare potest, neque controvertibile est, sicut neque quod in alimento sit potentia passiva ut convertatur in substantiam aliti; hæc enim omnia ita per se clara sunt, ut frustranea, & frivola appareat quælibet probatio ut suadeantur.

Falsum etiam iudicio tales qualitates conducere ad nutritionem, nam si agerent in vivens, potiùs retardarent actionem transmutativam; si verò nihil agunt in vivens, ut ipse fatetur, neque conducunt ad nutritionem, neque contrariantur nutritioni; quod neque est agere, neque conducere ad nutritionem positivâ actione: ergo in alimento formaliter, ut tali sunt concedendæ facultates activæ, quippe activæ non possunt nuncupari, si vivens non possunt alterare, imò neque tales facultates dici possunt medicamentosæ ob eamdem rationem, propterea scilicet, quod minimè valeant alterare vivens, neque secundum calorem, neque secundum frigiditatem, &c.

Certum igitur est quod licet in alimentis, nulla sit actio circa vivens secundum qualitates activas, utpote omnes manent refractæ, & devictæ; nihilominùs in ipsis perseverant aliquæ qualitates medicamentosæ iuxta quas aliqua sunt alimenta laxantia, aliqua adstringentia, quæ à cordato Medico debent agnosci, ut quando est necessitas laxandi utamur alimentis ea vi pollentibus; & quando est necessitas adstringendi, utamur alimentis id facientibus. Cæterum quod huiusmodi facultates perseverent in alimentis, & præcipuè vis purgativa dictavit Hippocr. 6. epid. sect. 6. text. 34. per sequentia verba. *Mulier aut capra elacterium, aut cucumerem silvestrem comedentes, pueris purgatio.* In cuius textus expositione Vallesius noster docet: continere Hippocratis verba optimam quamdam rationem expurgandi lactentes infantes, quâ Medici frequenter utuntur, propinato scilicet pharmaco ipsi Matri, quia lac induit vim expurgatorij medicamenti, seu alimenti medicamentosi, & idem accidit si capra depasta sit cucumerem silvestrem, & eius lac detur infanti, tunc sine dubio purgabitur infans, aut quicumque bibat huiusmodi lac. Vt hinc discas, quod qui necessitate quapiam utitur lacte caprino, capram custodiat, ne vescatur aliqua herba maligna, aut purgatoria; nam si tabescens utatur lacte capræ, quæ depasta sit silvestrem cucumerem, solvetur alvus, quo tabescentibus nihil est nocentius; similiter eo modo quo lac accipit expurgatoriam facultatem, accipit deleteriam si quid tale capra gustaverit: iuxta id quod narrat Galenus in Thessalia, & Athenis plurimos convulsione correptos esse, cum coturnicum, quæ veratro vescebantur: addimus etiam non solùm lac capræ, aut Mulieris, quæ assumpsit medicamentum expurgans participare vim expurgandi suggentibus, aut bibentibus lac, verum etiam carnes animalium, quæ nutriuntur medicamentis purgantibus participare vim expurgatoriam, & veneficam si venenis nutriantur, aut assuefiant, quoniam aliquid corrupti semper manet in genito iuxta Philosophorum dogmata.

Sed Rogabis cur in alimentis, & in carnibus perseverent qualitates secundæ & facultates purgatoriæ, quandoquidem dependent à primis qualitatibus quæ in alimentis omninò dictæ, & debellatæ manent unde videtur etiam secundas omnes qualitates refractas omninò debere esse in alimentis, cuius contrarium testatur experientia.

Respondeo in lacte nequa primas, nequa secundas qualitates esse omninò refractas, & devictas à calore viventis, seu a toto eius temperamento, à quo celebratur coctio, & nutritio; cum nondum sit verum, & formale, atque exquisitum alimentum, & sic nihil mirum si in ipso perseveret virtus purgativa, seu medicamentosa; attamen in carnibus magis urget dubiolum propositum cum jam supponant alimentum transmutatum. Respondeo tamen plures esse secundas qualitates, quæ licet dependeant à primis, nuniquam variantur ad variationem primarum, quoniam non dependent ex determinata proportione ipsarum, atque adeo licet primarum qualitatum proportio varietur, non tamen secundatum virtus evanescit, quæ requirit vehementissimam, & validissimam alterationem, ut videre est in pluribus mixtis, in quibus, etsi vehementer alterentur secundum primas qualitates, minimè amittunt modum substantiæ, ac perinde ita philosophari debemus de virtutibus, seu facultatibus secundis, quas occultas plures nominant, & minimè sequuntur proportionem primarum, aut forsan ab illis non dependent, sed ab ipsa forma, ut multi non improbabilitet censent.

Addimus ulteriùs in eodem alimento sub eadem forma posse inveniri facultates contrarias ratione partium heterogenearum, etsi mixta non sint viventia, & homogenea ad sensum appareant, ut in lacte, lente, & brasica constat, & pluribus aliis mixtis; ita Galenus lib. de alim. facult. scribit per sequentia verba *ad eum igitur modum cibaria quædam, facultatem quampiam habent in seipsis admixtam, cui aut purgare, aut aliud quippiam agere sit naturale.* Et paulò infrà subdidit sic. *Idem autem corpus nonnunquam alias sui partes calefacientes, alias refrigerantes*

gerantes habere potest, ut in libris de simplicium pharmacorum facultatibus demonstravimus. Nihil clariùs pro validatione nostri asserti, quæ doctrina non solùm habet locum quoad partes medicamentosas eiusdem mixti, verum etiam quoad partes alimentosas, quandoquidem in eodem alimento quædam partes sunt difficilis coctionis, quædam verò facilis, aliæ boni succi, aliæ pravi nutrimenti, aliæ pauci nutrimenti, aliæ plurimi, aut nullius nutrimenti, totum quod ad diversitatem partium integrantium mixtum reduci sine dubio debet, de quibus nostro primò Tomo latè egimus.

Rogabis ulteriùs quare alimenta habeant diversas facultates, & medicamentosas, cum sit verum alimentum, ut mixtum, solùm importare proportionem primarum qualitatum, ratione quarum datur correspondentia, & heterogeneitas, quam petit forma mixti, ut iure optimo condistinguatur ab elemento quod corpus homogeneum est; alia ergo ratione in alimentis investigandæ sunt diversæ facultates alimentosæ, & medicamentosæ; ratione quarum sæpe numero diversos, & contrarios effectus producit idem corpus mixtum.

Respondet Socius noster, quod cum ferè omnia alimenta priùs fuerint viventia, & omnia viventia sint corpora organica cum anima sit actus corporis physici, & organici, iuxta Philosophi doctrinam, ratione organizationis habent alimenta partes diversas, cum diversis, & oppositis temperiebus, & hinc oritur, quod alimenta quæ fuerunt priùs viventia habeant oppositas qualitates.

Porrò in dubioso proposito censeo tanquam verius, in alimentis non esse necessarium recurrere ad præcedentiam formæ Viventis, ut in ipsis adstruamus diversas facultates, sive alimentosas, sive medicamentosas, ratione quarum diversos, & contrarios effectus producant. Ratio est; quia organizatio in viventibus requiritur pro conservatione formæ viventis, & tantò perfectior organizatio requiritur, quantò perfectior est forma, ut in rationalibus constat: sed corrupta forma, nihil est in alimento, quod expostcat illam organizationem, nec temperiem illam diversam; ergo in alimento, quod priùs fuit vivens, non remanet heterogeneitas, neque organizatio requisita pro forma viventis, ac proinde ratione illius formæ, quæ jam evanuit, non remanet in alimento diversitas facultatum contrariarum.

Vlteriùs: quia in alimentis, quæ non fuerunt viventia est sufficiens heterogeneitas, & diversitas partium ut in ipsis reluceant diversæ, & contrariæ facultates ratione formæ, quâ informantur: ergo frustra recurrere debemus ad formam viventis, quæ jam præcessit, & corrupta est; & clariùs constat in pluribus causis æquivocis, quæ non fuerunt viventia, & à propria forma valent producere contrarios, & diversos effectus, & in nostra opinione clariùs constat: nam Tomo nostro primò tractatu de humoribus latè probavimus jecur producere per se quatuor humores diversos, & contrarios, tanquam causa æquivoca propter dignitatem officij ratione propriæ formæ, qua ornatum est à natura providissima, quin in ipso sit necessaria organizatio viventis cuius est pars, & clariùs in doctrina nostri Petri Garciæ qui concedit in jecore diversas quatuor partes heterogeneas, à quibus quatuor humores fabricantur. Præterquam quod in aliis causis merè naturalibus æquivocis experimur diversos, & contrarios effectus; quatenus peculiaria mixta sunt, ratione peculiaris formæ: ergo in alimentis solùm recurrere debemus ad diversitatem partium, & formarum diversitatem; ut in ipsis concedamus diversas, & contrarias facultates.

Clarè intelligitur, quod eadem pars homogenea, cuiuslibet corporis possit habere oppositas qualitates, respectu materiæ diversæ, in qua possit agere; sic talis substantia temperata poterit calefacere passum frigidum, & refrigerare passum calidum, quoniam respectu utriusque alterationis quodlibet passum est in potentia, ut recipiat alterationem ab agenti invariato prorsus in sua temperie; cæterum respectu eiusdem passi omninò invariati, minimè poterit eadem pars agere motibus contrariis cum talis materia non est in potentia respectu utriusque actionis contrariæ: & eadem ratione idem alimentum seu medicamentum secundum eamdem partem, poterit adstringere passum laxum, & laxare adstrictum; minimè verò poterit præstare huiusmodi contrarios effectus respectu eiusdem passi, propter rationem supra insinuatam: itaque diversitas facultatum sive in alimentis, sive in medicamentis debet reduci ad peculiares naturas, aut carnium, aut plantarum, quas participant à peculiaribus formis, & à peculiari proportione partium diversarum, nec non etiam, & à diversa proportione primarum qualitatum, quapropter in diversis alimentis mira varietas, & diversitas facultatum reperitur, operante natura provida pro necessitate, & indigentia, ut succurrat miseris affectionibus, quibus corpora viventia cruciantur.

CAPUT VII.

De cognitione facultatum quæ sunt medicamentosæ in alimentis.

SVPERIUS notavimus in Alimentis non solùm esse facultates alimentosas, quæ ipsis alimentis formaliter insunt quatenus alimenta sunt, verum etiam medicamentosas, virtutes, seu facultates, quæ licet ipsis non competant quatenus alimenta sunt; tamen quia reperiuntur in substantiis, quæ devorantur pro alimonia, & quasi alimenta dicuntur, & necessariò alterant vivens, usque dum ultimam depurationem pro transmutatione ab ipso recipiunt; ipsarum facultatum, quæ medicamentosæ sunt in alimentis, oportet Medicum pecallere, ut eligat alimenta opportuna pro nutritione, & conservatione viventis, & fugiat ea, quæ sunt contraria pro vitæ custodia, ac proinde in præsentiarum primò sermonem facimus de alimentorum medicamentosis virtutibus, ut deinceps ad alimentosas faciliùs accedamus.

Ex

Ex facultatibus, ſeu virtutibus, quæ in alimentis inſunt, quædam ſunt primæ qualitates, quæ tactu facilè percipiuntur, aut per ſuos effectus dignoſcuntur; quædam verò ſunt virtutes, ſeu qualitates ſecundæ, quæ interdùm per tactum percipiuntur, aliquando verò ſecùs. In præſenti ergo controverſia inquirimus an qualitates medicamentoſæ alimentorum, quæ per tactum percipiuntur, poſſint etiam alio modo dignoſci; & inſuper quomodo cognoſcantur plures aliæ facultates, quæ per tactum percipi minimè poſſunt. Quarum omnium facultatum cognitio Galenus iure optimo commendat. lib. 1. de aliment. facult. cap. 1. per ſequentia verba. *Nec verò ſatis fuerit principaliſſimam, ac primam cuiuſcumque cibi temperiem noviſſe; ſed ut in libris de medicamentis monſtratum eſt, eas quoque quæ hanc ſequuntur qualitates callere oportet, quæ, & ipſæ ſunt utiliſſimæ; multæ quidem ſi non omnes, in ſaporibus: quædam autem etiam in odoribus.* Ex his conſtat meritò inveſtigandas eſſe à Medico facultates omnes alimentorum, tum primas, tum etiam ſecundas, & ad amuſſim agnoſcendas; ut ritè, & commodè alimenta adminiſtrentur pro ſanitatis tutela.

Et quidem licet virtutes omnes aut plures experimento dignoſcantur; non tamen ſolùm ſufficere ad accuratè dignoſcendas, docuit Gal. lib. 1. de alim. facult. cap. 1. citato per hæc verba. *Omninò enim nullius rei vires experientia commodè explorabis, niſi priùs per rationem ad unguem compertum habueris affectum, cui applicatur, quod exploras; ſive id ſit cibus, ſive potus, ſive medicamentum:* Ex quibus verbis ſatis conſtat non ſufficere, quod per experientiam agnoſcamus virtutes, ſeu facultates cibi, aut potus, aut medicamenti, niſi legitimè percalleamus affectum cui applicantur; ut ſcilicet pro morborum curatione, & ſanitatis tutela propinentur, & admoveantur: & paulò infrà in eodem capite ſubit. *Cæterùm quæ Mneſitheus de radicibus, caulibus, foliis, fructibus, ſeminibuſque prodidit: non certam valdè habent dignotionem, ſi experientiâ definitâ ipſa exploraris:* non ergo ad exquiſitam dignotionem facultatum, ſola ſufficit experientia ex doctrina Galeni, cum iuxta edictum Hipp. omne experimentum ſit periculoſum, ſeu fallibile.

De qualitatibus primis certum eſt poſſe percipi à tactu, cum ſint eius ſenſibilia propria; & ulteriùs certum eſt, mediis aliquibus qualitatibus ſecundis ſæpe ſæpiùs nos cognoſcere qualitates primas, iuxta Galeni doctrinam 4. lib. de ſimpl. med. facult. ubi affirmat ſaporem amarum, dulcem, ſalſum, & nitroſum à calore procedere; acerbum autem, acidum, inſipidum, & auſterum à frigiditate oriri; meritò ergo ex ſecundis qualitatibus devenimus in cognitionem primarum, cum illæ à primis procedant, & ipſarum proportionem ſequuntur; ſic ex effectibus dignoſcimus cauſas unde procedunt; iure ergo optimo diverſæ qualitates ſecundæ diverſam proportionem primarum repræſentant.

Videtur tamen prædictam doctrinam firmam omninò non eſſe, ad cognitionem primarum qualitatum: in alimentis etenim ſunt plures ſecundæ qualitates, quæ minimè variantur, quamvis primæ qualitates varientur, & alterentur, uſque dum variatur forma, à qua dependent; Conſtat clariſſimè in metallis omnibus, & in lapide, quæ quantumvis intensè calefiant, non amittunt gravitatem, & in carnibus, quæ elixantur in nobis, quæ non amittunt colorem, neque odorem, neque modum ſubſtantiæ, uſque dum corrumpatur forma, à qua dependent huiuſmodi ſecundæ qualitates: ergo non eſt perpetuò verum, quod ex ſecundis qualitatibus, quæ ſunt in alimentis percalleamus primarũ qualitatũ proportionem.

Certum tamen eſt non omnes ſecundas qualitates, dependere à forma, conſtat in pluribus fructibus præcipuè in mora, quæ primò eſt alba, dum eſt cruda, deinde rubra, dum tendit in maturationem, & tandem nigra, dum matura eſt; & ceraſis idẽ accidit; & tamen non mutant formã; imò ea invariata, diverſi colores ſucceſſivè adquiruntur qui potiùs proportionem primarum qualitatum ſequuntur, minimè verò formæ variationem; ergo neque eſt perpetuò verum omnes ſecundas qualitates depẽdere à forma; neque ſignificare perpetuò proportionẽ primarum qualitatum. Conſtat hoc idem aſſumptum in levitate, quæ qualitas ſecunda eſt, & tamẽ variatur in aqua ſine variatione formæ, quippe quo magis calefit, in vapores mutatur, media attenuatione, & levior ſucceſivè redditur, & priuſquam alteraretur, aut cum leviore calefactione tardiùs aſcendit: ergo variatur levitas in aqua, ſine variatione formæ; cum in ſententia probabiliori in vaporibus adhuc conſervetur forma aquæ: ergo potiùs huiuſmodi ſecundæ qualitates ſequuntur proportionem primarum, & minimè dependent à forma in conſervari.

Certum igitur eſt primas qualitates in alimentis cognoſci per ſe à tactu, & mediis aliquibus ſecundis, ut per odorem, ſaporem, colorem, & interdum per duritiem, & mollitiem, mediis aliis ſenſoriis, ſcilicet aut per viſum, olfactum, guſtum, aut tactum, ut late Galenus docet 1. lib. de ſimpl. med. facult. c. 35. Porrò medicamentoſæ qualitates alimentorum; quæ mediis aliis qualitatibus, dignoſcuntur, ratione inveſtigantur, quæ verò experimento nota fiunt; per ſenſum agnoſcuntur certiſſimè, totum quod Galenus expreſſit cap. 39. lib. citati, ubi ſic loquitur, *certiſſima omnium erit indicatrix ſola experientia, quàm qui aliunde ratiocinantur; quia non ſolùm falſa pro veris dicunt; ſed etiam tractationis utilitatem ſubvertunt. Proinde nobis propoſitum non eſt, quale ex ſua natura quodque ſit medicamentum exquirere: verum quod in nobis efficere poteſt.* Quibus verbis plane colligitur quod per experientiam; ſeu per id, quod in nobis præſtant alimentorum medicamentoſæ qualitates, certiùs cognoſcentur, quàm qui aliunde ratiocinantur, Hoc eſt, qui agnoſcere intendunt huiuſmodi qualitates medicamentoſas per ſecundas qualitates; quæ notitia interdum veritatem ſubvertit, & falſa pro veris habentur.

Neque ſolùm ſufficit cognoſcere alimenti, aut medicamenti vires per experientiam, niſi agnoſcamus temperiem naturalem, aut præternaturalem illius ſubjecti cui applicatur medicamentum, aut propinatur alimentum; ut facilè percipiamus utilitatem, aut nocumentum; indeque facultates medicamentoſas certiùs percalleamus: hac ratione ſi ventriculus ſit frigidus, & juvatur devorato aliquo alimento, tale alimentum revera erit calidum, etſi malè, aut pejùs ſe habuerit, frigidius eſſe meritò putabimus: ergo ex notitia, & cognitione temperamenti naturalis, aut ætativi cuiuſlibet membri, certiſſimè vires ali-

menti medicamentosas agnoscimus. Sic mellis temperaturam per utilitatem, aut nocumentum, in sene, aut juvene ad amussim perealluit Galen. 1. lib. de aliment.facult.cap. 1. Et de ipso sermonem instituens, sequentia dictavit verba. *Quod calidis, & siccis sit adversissimum; frigidis verò, ac humidis utilissimum, sive ea temperies eis sit naturalis, sive accesserit propter ætatem, sive propter regionem, aut anni tempus, aut vitæ conditionem. Itaque ad præsentem speculationem, summè necessarium esse videtur, hominum pariter, ac ciborum temperamenta considerasse.* Nihil clariùs ad percallendas ciborum medicamentosas qualitates; totum quod pluribus aliis exceptis comprobat Galen. lib. & cap. cit. quæ longum esset recensere.

Certior erit notitia facultatis medicamenti, aut alimenti, si ipsa applicemus omninò nuda à calore, & frigiditate adventitia; quippè si aqua calida applicetur, putabitur calida: & similiter si vinum frigidum applicetur, putabitur etiam frigidum, propter qualitatem præter naturalem, seu adventitiam quâ actu pollent deobscurantem naturalem temperiem, & propriam naturam. Fallacia etiam erit in cognitione facultatum medicamentorum, & alimentorum, si applicentur affectionibus complicatis contrariis, quæ oppositas, & contrarias habent indicationes; sic medicamenta calida expurgantia febrem extingunt, evacuando causam, & si calida sint, ex accidenti refrigerant; & opium in vehementissimis doloribus à causa frigida ortis utilissimè applicatur, & si per se non opponatur causæ, sed symptomati; itaque fallax poterit esse cognitio alimenti, aut medicamenti in morbis complicatis, contrarias habentibus indicationes; atque adeò firmior erit cognitio, si applicentur simplicissimis morbis, de quo late Galen. agit. 3.lib.de temperamentis cap. 5. ut per otium poterit quivis legere.

Itaque virtutes, seu facultates alimentorum, & medicamentorum absolutè, & simpliciter non sunt considerandæ à Medico perito; sed simul adjicere, (quemadmodum de melle Galenus pronuntiat) quibusnam ætatibus, naturis, anni temporibus, regionibus, ac vitæ rationibus utilia, vel noxia sint; sic Medicus cordatus, optimè virtutem medicamentosam alimenti agnoscet, & in ipsius propinatione minimè errabit, considerando unitum virtutem ipsius, non quidem absolutam, sed respectivam ad temperiem subjecti, ad ætatem, ad anni tempus, & ad reliqua, quæ nuper enumerata sunt. Et hac ratione optimè intelligitur, quod medicamentum, aut alimentum sit calidum absolutè, si habeat calorem supra mediocritatem; & nihilominùs, quod refrigeret passum magis calidum in intensione; ideoque respectu subjecti, seu materiæ calidioris, merito nominabitur frigidum tale medicamentum, ratione effectus, quem præstat. Sic Gal. 3. de temperamentis docet, urinam seutiri frigidam, quamvis calida sit, in his, qui sunt in balneo calido; si tamen alimenta, aut medicamenta applicentur corpori temperato, certissima erit cognitio de calidis, & frigidis, per effectus, quos per se producunt necessariò, absque respectu ullo; ita Gal. 1. de simpl.med. facul. cap. 5. Neque de effectibus per accidens habenda est fides, ut facultates mixtorum percalleamus; nam licet aqua frigida mediâ cutis constipatione, detinendo vaporem calidum, qui continuò ex nostra nutrione elabitur per poros cutem te; tamen non proinde censeas, medio calore proprio id præstare, cum frigida sit. Eadem ratione neque medicamenta resolventia dicuntur frigida, quia causam calidam resolvunt, & partis calorem, per accidens attemperant; itaque ad effectus quos per se causat alimentum, aut medicamentum, & ex sua natura, & primâ veluti intentione recurrere debemus; & si non manifestetur primo occursu, seu applicatione; nam in alimentis, seu medicamentis, quæ sunt potentia talia, priusquam effectum per se præstent indigent actuatione à nostro calore; quo fit, ut postea præstent effectus per se à sua natura participatos, diu perseverantes.

Hucusque constat non solùm per experientiam dignosci facultates alimentorum medicamentosas, verum etiam per qualitates secundas, præcipuè per sapores: ita Gal. 1. de alim.facult. & 4. de simpl.med.fac.expressè testatur. Et quidem primò lib. circa finem fatur sic. *Cognitio autem horum longo tempore, recta nobis accedit, quam consequimur, tum ex certa definitaque experientia, tum ex halituum, saporumque natura, quæ duo, rebus, quas examinamus insunt, &c.*

Et ut specialiùs descendamus ad sapores; de dulci pronuntiavit Gal. 4. simpl. med.fac. cap. 9. esse indicem calidi temperamenti; per verba sequentia. *Verùm dulce omne calidum est, neque immodicè calorem nostrum exuperat.* Sic communiter cum Galeno pronuntiamus omne alimentum debere esse dulce, per familiaritatem, & similitudinem, quam habent dulcia edulia cum nostra natura, ideoque non sunt immodicè alterantia regulariter, sed similia nostro naturali calori. Ratio huius dogmatis constat, frequentissimo experimento, in fructibus, qui toto tempore cruditatis acerbum saporem repræsentant, frigoris sobolem; at dum sunt cocti, seu maturi, dulces apparent gustui, & calorem ostendunt: quippe per coctionem redduntur calidi iuxta Philosophi doctrinam dictantis 4. metheotor. quod ea, quæ coquuntur calidiora redduntur.

Neque adducta doctrina Philosophi opponitur nostris assertionibus, quas adduximus. Primò Tom. nostro, tract.de ætatibus. Ubi de ipsarum temperamentis agentes; tanquã certum statuimus, vivēs à pueritia usque ad juventutem servare eundem gradum caloris, & similiter docuimus, ante juventutis ætatem, vivēs dici maturum: non ergo bene videtur hanc doctrinã cohærere cum Philosophi asserto proclamante cocta reddi calidiora per coctionem, cum ante juventutem vivēs sic coctum, & tamen non sit calidius; proindeque idē de fructibus, in sua maturatione currit argumentum: non ergo fiunt calidiora per maturationem. Verùm si stemus his, quæ diximus minimè recedimus à doctrina Philosophi: etenim per coctionem resolvuntur in fructibus plures partes frigidæ, & excrementitiæ, quæ dominabantur supra calidas, & sapor acerbus ab illis partibus fovebatur; cæterùm maturatione accedente jam partes calidæ fructuum superant frigidas, & relucet sapor dulcis, quin intensior calor denuo producatur; & hac etiam ratione in viventi servatur idem gradus caloris intensivus usque ad juventutem a partibus igneis, quæ usque ad illam ætatem servantur, cum intensione debita partibus igneis; quo optimè compatitur, ut resolutis partibus frigidis, seu excrementitiis redda

reddatur vivens calidius extensivè dum coquitur; & adquisitis per novam nutritionem pluribus partibus calidis ad similitudinem agentis calidi alterantis, & eadem ratione bene intelligitur, quod vina temporis vetustate appareant calidiora, separatis, aut resolutis partibus excrementitiis, & frigidioribus.

Placuit tamen Socio nostro supra cit. in hac hæsitatione insinuare, quod per coctionem intensivè reddatur vivens calidior; eo quod, quemadmodum in prima fœtus formatione agens naturale non potuit ipsum producere cum sufficienti quantitate ad omnes actiones naturales; ita neque cum temperie perfectissima primarum qualitatum accommodata ad easdem actiones; & cum in statu cruditatis sive fructus, sive viventis sint plures partes aqueæ, terreæ, & excrementitiæ, quæ vincuntur, & separantur per coctionem, & opposita passibilia ab ipso nominantur; hæc impediunt ut à forma pullulet tota intensio caloris requisita ad actiones naturales, & sic post coctionem intensior calor resultat in viventi, & in fructibus dulcedo adquiritur, separatis, & devictis per coctionem excrementitiis partibus, à quibus acerbitas in fructibus immaturis oriebatur, à propria forma pullulat intensior calor debitus ad actiones naturales obeundas, ablatis impedimentis retardantibus intensionem illam caloris, virtualiter in formà contentam.

Tamen hic modus philosophandi non convincit intentum; quia in primo instanti formationis fœtus, non potuit agens, seu generans præstare totam magnitudinem requisitam ad perfectè operandum: propter angustiam loci, seu uteri, & propter parvitatem materiæ, ex qua formatur fœtus, videlicet propter genituram. At in ipsa nullum fuit impedimentum, ut generans induceret omnes dispositiones, & qualitates primas requisitas ad introductionem formæ, nec non etiam ad ipsius conservationem. Et ita, credendum est, in prima fœtus formatione productas esse omnes dispositiones, & ultimam ad formæ introductionem, & totam intensionem caloris requisitam ad operari, & præcipuè ad opera nutritionis, & augmenti, quæ in primo fieri magis urgent; ideoque in pueris opera nutritionis, & augmenti uberiùs, & copiosiùs fiunt, & propterea plurimus in ipsis viget calor innatus, & pluribus egent fomitibus iuxta edictum Hipp. satis vulgare: non ergo bene infertur ex eo quod in prima formatione fœtus, agens naturale non potuerit ipsum producere cum tota magnitudine requisita ad actiones: quòd non potuerit inducere omnes dispositiones, & qualitates primas, & calorem in intensione requisita ad fieri, & conservari formæ, & ad opera nutritionis, quæ in ea ætate magis florent, & exposcunt uberrimum, & intensum calorem, non virtualem, sed actualem, & formalem, qui non comparatur per coctionem, sed potiùs ab ipso celebratur coctio, & supponitur necessariò ad ipsam. Præterquà quòd ut in tract. nostro de ætatibus docuimus, vivens, dicitur habere hanc, aut illam temperiem, penes eo quod excedant partes correspondentes in ipso ad elementa calida, aut frigida; minimè verò ex eo quod unica temperies irriget omnia membra: ergo licet in viventi, aut in fructibus sint partes excrementitiæ, quæ aliquantulum ipsum alterare valeant qualitativè, nihilominus semper servat eandem temperiem substantificam ab excessu partium correspondentium elementis, & cum in prima fœtus formatione, & in tota prima ætate superent in viventi partes substantificæ correspondentes elementis calidis, ab illis dicitur calidum intensivè, quin obstent excrementa frigida terrea, aut aquea, ut vivens deperdat illam intensionem caloris à partibus calidis exsuperantibus, à quibus dicitur calidum in illa intensione ab elementis participata: ergo cum hæc sit formalis, & actualis in ipsis partibus aëreis & igneis, minimè pullulat à forma, separatis per coctionem partibus terreis, & aqueis: quippe eamdem intensionem servant partes aëris, & ignis, quæ in prima ætate perseverant, & denominant puerum calidum in eadem intensione actuali per totam ætatem. Imò in iuventute, postquam iam vivens in adolescentia adquisivit totam perfectionem in magnitudine, & temperiè, ad perfectiùs operandum, servat vivens eandem intensionem caloris, à partibus igneis, quin ex vi coctionis, seu actionis caloris separantis excrementa inutilia adquirat vivens illam intensionem caloris: nam certum est vivens iam esse coctum, & perfectum in adolescentia: ergo intensio caloris major aut minor nec in viventi, nec in fructibus dependet ex coctione, etsi per ipsam adquirat vivens plures partes novas calidas à quibus extensivè dicitur magis calidum. Et hac ratione intelligenda est Philosophi doctrina, & dogma satis tritum, quod quæ coquuntur redduntur calidiora.

Verè tamen est verum: quod vivens in qualibet ætate constitutum patitur, & alteratur ab excrementis frigidis terreis, & aqueis & per reactionem remittitur temperies calida, & per separationem agentis contrarij tollitur impedimentum, & resurgit à propria forma calida temperies naturalis, in ea intensione, qua erat, priusquam excrementa frigida reagerent in vivens; ex hoc tamen non sequitur, quòd ex vi coctionis separantis, & semoventis huiusmodi excrementa frigida; possit à propria forma resultare intensior calor, quàm vivens à prima sui formatione participavit à generante, quippe natura concessit temperiem totam suam naturalem, requisitam, & perfectam pro introductione formæ & conservatione, & ut opera nutritionis, & augmenti præstaret; in quibus magis viget calor juvante humiditate: non ergo fuit avara natura in prima fœtus formatione, neque reservavit intensiorem calorem, & virtualem, ut ulteriùs resurgeret, quoties opera coctricis facultatis exercerentur. Si autem audeat asserere naturam dedisse viventi, à prima sui formatione intensiorem calorem ultrà naturalem, ut defenderetur ab injuriis contrariorum, & semper servaret naturalem temperiem, depopulatà illà intensione præternaturali ab agentibus frigidis, continuò alterantibus vivens, & cor, inevitabili actione, à causis naturaliter, & inevitabiliter operantibus (ut forsan Authores non infimæ notæ asseverant) tenetur cum ipsis asserere contra proprium placitum febrem oriri à principio intrinseco; quod diffuse impugnavimus Tomo nostro secundo dum de febribus egimus; & an à principio intrinseco, aut extrinseco oriatur, examinavimus, sed quia de his plura diximus loco cit. & etiam Tom. tract. de ætatibus, ad alia propero, quæ sunt specialia huius tractatus.

De sapore salso testificat Gal. lib. 4. de simpl. med.

med. fac. cap. 19. indicare temperiem calidam, & siccam, ut plura mixta amara per effectum demonstrant; sic amigdalæ amaræ, & lupini, & semen rutæ sylvestris caliditatem propriam per amaritudinem significant; & interdum sapor amarus fit ex salso, per ulteriorum ustionem, seu calefactionem, sed quod salsum est, est calidum & siccum: ergo mixta amara calida, & sicca sunt.

Videtur tamen hanc Galen. doctrinam non esse omninò firmam; etenim plura sunt mixta, seu alimenta amara, quæ frigida sunt, ut cicuta, & cicoria: ergo ex amaro sapore non colligitur certò quòd mixtum, aut alimentum sit calidum; & siccum. Vlteriùs acerba alimenta seu fructus acerbi dicuntur à Gal. frigidi, dum sunt crudi: quia per maturationem adquirunt dulcedinem: sed plures fructus dum sunt crudi, sunt gustui amari, & per maturationem redduntur dulces: ergo sapor amarus in ipsis etiam denotabit frigiditatem: non ergo sapor amarus semper est iudex caloris: ita sentit Averroes 5. collectan. cap. 27.

Verum tamen est aliqua esse alimenta amara, quæ frigida sunt, & humida; aliqua verò calida sunt, & sicca: hoc tamen non tollit quod sapor amarus semper sit demonstrativus caliditatis; nam licet sint plura alimenta à prædominio frigida, quæ amarum saporem repræsentant gustui, evenit propterea, quod talia mixta habeant plures partes frigidas in majori numero, & ab ipsis talia mixta dicuntur frigida prædominio, quoniam superant calidas partes, in quibus residet sapor amarus, qui non obscurescit in præsentia frigiditatis excedentis propter sui nimiam efficaciam: ex eo quod illæ partes sunt tenuiores, & subtiliores, & efficacius immutant sensum gustus, & sic efficacius percipiuntur, quo fit ut bene componatur, ut in pluribus alimentis frigidis à prædominio sit sapor amarus, & quòd talis sapor semper oriatur à partibus mixti calidis. Neque ex eo quod fructus immaturi sæpe sint amari, & per maturationem reddantur dulces, sequitur saporem amarum demonstrare frigiditatem sicut acerbum, nam ex amaro fit dulcis sapor in fructibus per maturationem, seu coctionem, resolutis partibus calidis, in quibus sapor amarus stabulatur; non verò alteratis per calorem sicut ex acerbis fit dulcis sapor: nam si partes calidæ amaræ ulterius calefierent, & perseverarent, sine dubio adquirerent maiorem amaritudinem; cæterùm quia deperduntur in illis fructibus priusquam maturescant, postea accedente maturatione dulces redduntur fructus: quin ex amaro fiat dulcis sapor, per ulteriorem calefactionem.

De sapore acri testificat Gal. 4. de simpl. med. fac. cap. 18. esse indicem intensissimæ caliditatis, quem sequitur Avicen. canone 2. tract. 1. cap. 3. & Averroes 5. collectan. cap. 27. & est receptum communiter apud omnes Medicos, & expertum in acribus alimentis quales sunt piper, nasturcium, allium, & cœpæ, quæ sicca etiam sunt, non tamen in ea intensione, qua in ipsis viget calor, non tamen est necessarium, quod ea, quæ acria sunt, sint sicca, nam plura habent acrimoniam, cum aliqua humiditate conjunctam, ut zinziber, & piper longum: quod ex eo colligitur, quia facilè putrescunt, humiditate ad id coadjuvante, sive dispositivè, ut verius puto, sive efficienter, ut aliqui docuerunt; si verò acria habeant adjunctam aliquam dulcedinem, apta sunt esui: Amara verò alimenta sunt magis sicca, quam acria, hæc verò magis calida sunt, quam amara. De nitroso sapore Gal. asserit lib. 1. de simpl. med. fac. cap. 26. differre à salso sapore secundum magis, & minùs, & caloris excessum ostendere, & se habere ut medium inter saporem salsum, & amarum.

Vlteriùs licet adstringentia medicamenta, aut alimenta ex propria natura habeant densare, corroborare, & aggregare partes distantes, tamen etiam inter sapores Galenus enumerat adstringentem lib. 4. de simpl. med. fac. cap. 6. & 7. Qualitas ergo adstringens si consideretur ut sapor est, confunditur cum sapore acerbo, & austero, de quo Gal. loc. cit. tenet expressè frigiditatem ostendere, & experientia id cognovisse docet; different verò adstringentia, austera, & acerba ab acidis, ex eo quod licet acida aliquantulum adstringant, habent tamen maximam tenuitatem partium; adstringentia verò habent crassam & terream naturam, omnia tamen, quæ acida sunt, frigiditatem ostendunt, & differunt austera & acerba secundum magis, & minùs in adstrictione. Ponticus verò sapor idem est ac austerus. Avicen. verò nomen pontici imposuit à regione, quæ dicitur Pontus, in qua fructus valdè austeri; & immaturi, atque valdè adstringentes, & crudi generantur, ob nimiam frigiditatem illius regionis; quapropter etiam tales fructus stipticos Avicen. appellavit. Cum autem ostensum sit plura ex his alimentis habere heterogeneas partes, tota hæc doctrina de saporibus, ad dignoscendam temperiem alimentorum intelligenda est de temperie partium, à quibus tales sapores causantur: nam bene stat, quod aliquod alimentum sit frigidum, & quod sit gustui amarum, & talis sapor procedit sine dubio à partibus calidissimis, quarum efficaciâ gustum amarum repræsentat; & idem de aliis saporibus intelligendum est; quo constat solutio & solutur ambiguitas ad cognoscendam temperiem alimentorum ex saporibus.

Odores etiam aliquantulum conducunt in aliquibus alimentis ad cognitionem temperamenti, in illis scilicet, in quibus simili modo olfactum, & gustum repræsentant, huius generis est acetum, & omnia acria alimenta; sic etiam cæpa, & allium; & sæpe numero solo olfactu in notitiam saporis talium alimentorum devenimus; cæterùm quod odores aliquantulum conducant ad cognitionem temperamenti dictavit Galenus cap. 28. de simpl. medic. facult. eo quod familiaritatem alimentorum odores demonstrent: constat experientia, nam quæ fœtida sunt abjicimus, tanquam inimica ad nutritionem; non tamen econtra omnia suavia, & beneolentia æquè conducunt ad alimoniam; quippe in Musco, & Ambra suavissimum percipimus odorem, & saporem amarum valdè habent, in quibus mixtis similis est causa odoris, & amaritudinis: etenim ambo causam valdè calidam demonstrant, & odores non solùm calidam, sed vaporosam valdè, & hæc non sunt dulcia, quia valdè calida sunt: dulcedo autem moderatam caliditatem significat: ideoque parum, aut nihil olent.

Ex dictis deducimus cum Galeno cap. ult. de simpl. med. facult. per experientiam meliùs indagari facultates medicamentosas alimentorum, &

& de ipsa tenet, fallacem minimè esse, at per secundas qualitates, ut per odores, colores, & sapores non ita certo naturam medicamenti, nec alimenti agnosci præcipuè totius temperiei mixti, sed solùm illarum partium, à quibus sapor, aut color, aut odor procedit; adducit exemplum Galenus in rosa, in qua pars terrea frigida est; crassa, & acerba, pars tenuis amara, & calida, & tandem pars aquea frigida; de coloribus etiam constat eadem doctrina, nam plura mixta sunt alba & frigida, ut lac, alia calida ut calx, alia odorata & frigida ut rosa, alia calida, ut muscus; in saporibus etiam cicuta est amara, & frigida, galla etiam est amara, & calida itaque secundæ qualitates solùm denotant temperiem illarum partium, cujus sunt propriæ, minimè autem totius mixti.

Neque defuit nostræ scholæ Complutensis Recentior, qui hanc nostram doctrinam de cognitione temperiei mixti ex secundis qualitatibus obatare voluit, concedendo veritatem tenere de secundis qualitatibus, quæ immediatè oriuntur ex primis, quales sunt sapores, & odores; attamen quia aliæ sunt secundæ qualitates quæ immediatè non procedunt à primis, non variantur ad ipsarum variationem, sed media formæ transmutatione à qua dependent; hujus generis sunt colores, gravitas, & levitas, & modi substantiæ, ex quibus difficulter cognoscimus temperiem alimentorum, quia solùm sequuntur formam immediatè.

Hæc tamen doctrina licet vera sit in qualitatibus occultis, ratione quarum operatur Magnes in attractione ferri, & in venenis, & antidotis, quæ à tota substantia operantur, quæ minimè variantur, nisi per variationem formæ, quia ab ipsa immediatè dependent; tamen scrupulosa apparet, si de coloribus, & de gravitate, & levitate intelligatur; nam fructus ab statu cruditatis usque ad maturationem, mutant colores sine variatione formæ; cera etiam ex flava sit alba sola alteratione à calore solis; similiter aqua calefacta levior fit, attenuata, & conversa in vapores; quin in sententia probabilissima mutetur forma; deinde vapor ab aqua elevatus rursus si tangat partem frigidam reducitur ad aqueam naturam, & ad suam gravitatem: ergo tales qualitates non sequuntur necessariò formæ mutationem; sed etiam dependent à primis qualitatibus. De modo substantiæ mixtorum certum est etiam interdum sequi ipsius variationem per variationem formæ; interdum verò valida facta immutatione, seu alteratione in primis qualitatibus; constat in metallis, qui à valido calore liquantur, quin mutent formam, & in aqua, quæ densatur à valido frigore, & siccitate intensa, absque ipsius formæ variatione, ea verò, quæ putrescunt, mutant formam, & modum substantiæ antecedentem deperdunt, qui per alterationem validam non amittebatur ante putredinem; & sic non apparet firma doctrina nostri Recentioris, quoad aliquas partes.

De saporibus, & odoribus certum est, meliùs indicare, & certiùs qualitatum primarum temperiem; quia ex certa proportione ipsarum dependent, & semper excessum requirunt caloris, aut frigiditatis, sic dulcia, & amara calorem excedentem prænunciant, & similiter salsa; at acida, acerba, & adstringentia frigiditatem excedentem denotant; & idem de odoriferis qualitatibus dicendum est; cæterum de coloribus, & de modo substantiæ, & de gravitate, & levitate non currit eadem ratio, siquidem non dependent ex determinata proportione primarum qualitatum, sed interdum à forma, quæ latitudinem habet: ideoque in multa, & diversa proportione qualitatum primarum possunt conservari, & non variantur ad quamlibet variationem qualitatum primarum, sed difficulter removentur propter latitudinem, quàm habent, & sæpè perseverant cum contrariis qualitatibus, & sic nec temperiem totius mixti, neque partis determinatæ certò ostendunt, cujus contrarium in saporibus, & odoribus invenitur.

CAPUT VIII.

De modo cognoscendi alimentosas facultates quæ insunt in alimentis.



X supradictis constat, in alimentis non solùm esse medicamentosas qualitates; verumetiam alimentosas, quæ sunt propriæ alimenti, quatenus alimentum formaliter dicitur; quorum omnium cognitio summopere necessaria est, tum ad morborum medelam, tum etiam ad sanitatis tutelam, & recuperationem. Cum autem superiori capite de cognitione facultatum, quæ medicamentosæ sunt in alimentis, diffusè tractaverimus; in præsenti restat agere de cognitione illarum facultatum, quæ in alimentis sunt alimentosæ, quas etiam superiori capite descripsimus, distinguentes illas à medicamentosis virtutibus, seu qualitatibus.

Difficilè quidem aggredimur iter, cum nihil certum in hac re, neque speciale ab Authoribus antiquis addiscatur, neque stabile principium, præter generalia præcepta. Ad perfectam cognitionem facultatum, quæ in alimentis dicuntur alimentosæ, semitam, tamen, licet occultam insinuavit Galenus 4. de simpl. med. fac. cap. 14. ubi dulcedinem in alimentis esse familiarem, & magis proportionatam qualitatem ad alimoniam dictavit sæpenumero, cap. cit. sic incipit caput. *Cæterùm omnium quæ nutriunt communis dulcedo est: nam quidquid nutrit, aut plus, aut minùs est dulce, his verò, quæ non nutriunt commune est id, quod per negationem, ac privationem sic dicitur, velut non dulce, & indulce.* Quibus verbis perspicuè constat juxta mentem Galeni alimentum debere esse dulce; & quod indulce est, minimè nutrire, neque alimentum dici posse; & inferiùs sic loquitur de aliis mixtis, *quæ itaque summè acida sunt, acerba, & amara, & simpliciter aliam quamvis qualitatem, præter dulcia, sortita sunt: ea omnia nutrire nequeunt.* En quomodo totam similitudinem, familiaritatem, & proportionem inter alimentum, & corpus nutriendum in dulcedinem refundit Galenus, sic in hujus rei confirmationem in calce capitis 14. citati loquitur. *Siquidem quod nutrit, à similitudine, quæ illi est, ad id, quod nutritur dulce apparet: à dissimilitudine verò non dulce:* ergo dulcia sunt proportionata, & similia alimenta; econtra verò indulcia sunt improportionata ad alimoniam, & minimè alimenta dici possunt, dummodo dulcedinem aliquam non participent.

Ex his licet conjectare alimentorum faculta-

tes alimentosas nam alimentum, quod fuerit magis simile corpori nutriendo, erit melioris succi, uberioris nutrimenti, & facilioris concoctionis, & distributionis: contrarium verò præstabit alimentum dissimile, & improportionatum; quod per non dulce, aut indulce explicuit Galenus, quemadmodum alimentum simile, & proportionatum per dulcedinem exaravit; per dulcedinem verò in alimentis significatur proportio, & similitudo, tum in modo substantiæ, ut facilè convertantur; tum etiam in primis, & in aliis secundis qualitatibus, quas corpora dulcia secum afferunt, quippe optimè temperata sunt, & disposita ad nutritionem, & sic similia dicuntur.

Vallesius noster in expositione loci nuper citati capitis 15. de hac similitudine, seu proportione alimentorum sermonem instituens; tenet conducere ad meliorem, & uberiorem nutritionem, minimè tamen ad suaviorem esum, seu devorationem; rationem adducit, quia lactuca, & fructus minorem similitudinem habent cum nostra substantia, quàm carnes caponum, perdicum & arietis, & tamen carnes indigent præparatione, & condimentis per assationem, aut elixationem, ut devorentur; secus verò fructus, qui sine ulla præparatione suaviter vescuntur: ergo similitudo, & proportio major in alimentis, licet conducat ad meliorem nutritionem, non tamen ad suaviorem devorationem. Roborat assumptum, quia res acidas, & aliquantulum salsas, & acres cum majori voluptate gustamus, & devoramus, quàm alimenta mere dulcia; quæ potiùs fastidium inferunt: ergo similitudo, quæ per dulcedinem explicatur à Galeno non confert ad voluptatem, sed potiùs ad utilitatem majorem alimoniæ.

Contra hanc doctrinam à nostro Vallesf. adductam militat argumentum ex verbis ipsius Galeni cap. & loco citato, ubi ait. *Etenim quæ nutriendorum corporum temperaturis similia sunt; ea vel citra coctionem, aut præparationem, jam dulcia apparent; quæ verò dissimilia sunt, omnia insuavia sunt, ante præparationem.* Ex his clarè infertur, quod similia sunt dulcia, & suavia ante præparationem: ergo similitudo non solùm conducit ad majorem utilitatem, verum ad gustum suaviorem.

Huic argumento conatur satisfacere Vallesf. & ait, quod quando Gal. quæ similia sunt, etiam suavissima esse pronuntiavit, & dissimilia sine præparatione edi non posse, intelligendus est de his, quæ sunt actu similia, ut carnes porcinæ, & aliæ, & forsan humanæ carnes, quæ quia similia actu edi non possunt sine præparatione per assationem, aut elixationem; at verò, quæ sunt similia potentiâ, ut fructus non egent præparatione aliqua externa: nam eo ipso, quod maturi sunt, similes redduntur ad partium nutritionem, cum antea dissimiles essent: quippe alimentum debet esse dissimile in principio, & in fine simile, si Philosopho credere debemus; cæterùm cum carnes habeant actualem similitudinem cum homine, necessarium est ut mediis alterationibus fiant dissimiles, ut possint esse alimentum, & de illis est verum dicere quod sine præparatione edi non possunt.

Plura tamen se offerunt contra doctrinam doctissimi Vallesf. nam lac est alimentum valdè simile pro pueris: & etiam est suavissimum:ergo similitudo actualis non opponitur suavitati in gustatione ipsius; & licet aliqua alimenta sint similia, & insuavia in ordine ad esum, ut carnes omnes sine præparatione: tamen ex hoc non sequitur, similia actu esse necessariò insuavia, ut aiebat Vallesius: quandoquidem est certum plura alimenta esse similia, & suavia, & plura esse insuavia, & similia, seu proportionata in ordine ad nutritionem; certum tamen est omnia alimenta reddi similiora, & magis proportionata ad nutritionem, ratione præparationis, in carnibus per assationem, & per elixationes; in fructibus per maturationem, & per elixationes, quæ in ventriculo, & hepate celebrantur, in quibus separantur inutilia excrementa, & hac ratione alimenta magis depurantur, & utiliora, & magis proportionata redduntur ad ultimam transmutationem; cum autem dulcia alimenta sint optimè temperata, & calida quidem, neque immodicè nostrum calorem exuperent. Galeno authore 4. de simpl.cit.cap.9. fit inde quod alimenta debent esse dulcia, non quidem quia dulcedo ipsa, quatenus qualitas gustabilis est, conducat ad nutritionem; sed quia alimentum quod dulcèdine est præditum, est optimi succi, facilis transmutationis, & simile seu proportionatum ad ultimam transmutationem facilè subeundam. Unde per dulcedinem jure optimo explicuit Galenus similitudinem in alimentis requisitam pro nutritione.

Ex his deducitur frivolam valdè esse distinctionem in alimentis de similitudine actuali, quàm posuit Vallesf. in carnibus & de similitudine potentiali, quàm in fructibus concessit: nam potiùs videtur rationabilius, quod quæ similia sunt actu, ea sint non solùm aptiora ad nutritionem, sed potiùs suaviora ad esum, dummodo præparationem suscipiant ab arte per assationem, aut elixationem, aut ratione aliarum præparationum, mediis obsoniis; neque intelligibile est, quod ea quæ actu sunt dissimilia dicantur potentia similia, ut de fructibus tenet Vallesf. quapropter illud solùm erit magis simile, quod fuerit magis proportionatum, & dispositum ad nutritionem; & quod fuerit minus capax, seu non ita proportionatum ad nutritionem, dummodo habeat aliquam similitudinem, aut proportionem, poterit dici simile in potentia; & hoc tenet verùm, sive in carnibus, sive in fructibus; quippe non omnes carnes habent eamdem capacitatem, & proportionem, seu similitudinem ad nutritionem, cum inter ipsas, quædam sint duriores, quædam molliores, aliæ multi, & boni succi, econtra aliæ, eò quòd habent plus, aut minùs humoris excrementitij, & idem de fructibus, & leguminibus intelligendum est; ac proinde chimerica, aut futilis est distinctio de similitudine actuali, & potentiali in alimentis, ut satisfaciat testimonio Gal. supra adducto, quod videtur contrariari doctrinæ ipsius de similitudine alimentorum, quæ modo à nobis explicato debet intelligi, neque aliud voluit significare Galenus si rationabiliter loquamur juxta ipsius dogmata.

Adductam Gal. doctrinam plures deobsenrare intendunt rationibus futilibus: prima sit: nam Plantæ nutriuntur ex elementis, terra scilicet, & aqua, inquibus nulla est dulcedo, imò neque ullus sapor, cum elementa insipida sint: ergo dulcedo in corporibus impertinens est ad alimoniam.

alimoniam. Frivola quidem ratio: nam ex supradictis constat, elementa puta minimè nutrire plantas; rationem ibi assignavimus, & sic in præsenti repetere supervacaneum erit.

Secundo Galeni doctrinam obruere intendunt ex eo quòd, plures partes nostri corporis, biliosæ, scilicet, & melancholicæ, nutriuntur ex bile, & melancholia; & præcipuè habet vim hæc maior propositio in nostra opinione in qua Tractatu nostro de humoribus Tomo primo probavimus contra nostrum Magistrum, sanguinem quartum humorem non esse alimentum omnium partium, sed solùm carnosarum. In qua suppositione urget argumentum: etenim neque in bile, neque in melancholia relucet suspicio dulcedinis, sed potiùs acerbitas, & amaritudo valdè in ipsis superant: ergo alimenta omnia non debent esse dulcia.

Respondent aliqui prædictos humores dici amaros, & acerbos per majorem excessum partium, à quibus sumunt denominationem, & temperiem; re tamen vera in ipsis esse aliquas partes magis temperatas dulces, ideoque ratione illarum esse capaces nutritionis, ut absolutè verificetur Galeni propositio supra adducta, nempè quod omne alimentum debet esse dulce. Præter quam quod non defuere, qui existimarent, huiusmodi humores nutrire ex eo quod permisceantur cum sanguine, per cuius misceiam redduntur apti ad nutritionem, se habente sanguine quarto humore alterante, tanquam obsonium, aut condimentum humoris biliosi, & melancholici; qua ratione dulcedinem participant: tamen si hæc permixto fit per iuxtapositionem, scrupulosa est doctrina, & à nobis acerrimè impugnata Tomo nostro primo Tract. de humoribus cap. 9. fol. 79. & 80. contra nostrum Magistrum.

Quare probabilius putamus in omnibus humoribus esse aliquas partes, & ratione illarum nutrire, licet non ita ubertimè sicut sanguis. Aut etiam ture, ne dicam veriùs possumus Respondere id quod suprà insinuavimus nostro Tomo primo cap. citato, nempè Galenum per verbum *dulce* solùm intelligere proportionatum, & familiare alimentum, tum in primis, tum in secundis qualitatibus, & præcipuè in modo substantiæ. Et iuxta hunc philosophandi modum, partem pituitosam ex pituita, biliosam ex bile, & melancholicam ex melancholia nutriri asseruimus; ratione proportionis majoris, & majoris familiaritatis cuiuslibet humoris ex relatis cum proprio membro. Porro quod per verbum *dulce* debemus intelligere alimentum temperatum iuxta Galeni mentem certissimum est, si ipsum audiamus. 4. lib. de simplic. med. fac. cap. 5. ibi enim sermonem faciens de medicamentis emplasticis diversis, de oleo dulci sic loquitur. *Positum autem retro est, quid dulce vocitem. Ergo hoc ex aereosa, terrea, aqueaque essentia temperatum est.* En quomodo dulcedinem explicat non per qualitatem gustus propriam, sed potiùs per temperiem acommodatam, & proportionatam, qua doctrina plura testimonia, quæ in Galeno videntur ambigua, & contraria clarissimè solvuntur.

Suffragatur huic doctrinæ Avicenna lib. 2. tract. 1. cap. 3. ubi sequentia dictavit verba. *Et non oportet quidem, ut sit illud quod est dulcius, nutribilius; neque illud, quod est suavius, nutribilius, quamvis sit possibile, quod in omni nutriente apud Medicos sit dulcedo aliqua.* Ex his licet colligere iuxta Principis doctrinam, dulcedinem prout ad sensum gustus attinet non reddere alimentum proportionatum, & capax necessario ad nutritionem quippe in mixto dulci, & est qualitas gustabilis, & est substantia, cui inest illa qualitas; talis autem substantia est alimentum seu causa materialis nutritionis; sapor verò dulcis, solùm est signum, aut indicium, ut cognoscamus, alimentum proportionatum, & familiare, quia dulcedo index est mixti temperati, tum in primis, tum etiam in secundis qualitatibus; ea tamen qualitas non debet esse in excessu, nam quæ summè dulcia sunt, non præbent materiam idoneam ad nutritionem, præcipue si comparentur cum natura calida, aut ætate calida, ideoque in iuventute in bilem convertentur: ita de melle loquitur Gal. 1. de alim. facult. c. 1. Sic censeo in alimentis esse considerandam virtutem respectivam, non absolutam, ut proportionata dicantur, & familiaria ad nutriendum; & quia quæ summè dulcia sunt communiter fastidium causant, hæc qualitas quatenus gustabilis; non reddit alimentum magis proportionatum, ideoque aliqua obsonia acida oportet miscere cum summè dulcibus, ut grata sint gustui, & meliùs nutriant, aut saltim ut fastidiosa non sint; neque ipsa dulcedo moderata, solùm est index optimi alimenti, & proportionatis & in hoc sensu Auvicena loco citato subdit, *Quòd nutrimentum alys indiget conditionibus prater dulcedinem hanc.* Inter alias conditiones, illam quæ à modo substantiæ oritur, numeravit Galenus quæ à dulcedine oriri non potest, quippe dulcedo moderatum calorem demonstrat in alimento; ultra quem requiritur modus substantiæ facilè variabilis, & vincibilis in ipso. Quâ ratione Galenus 2. aphoris. text. 18. tenet quod vinum celerrimè alit, at caro bubula tardissimè, & paulatim. *Et ut summatim comprehendam* (hæc sunt verba) *quæcumque dura carne constant eamdem cum his naturam habent.* Ex quibus constat satis clarè ad alimoniam multum conducere in alimentis fragilitatem, & friabilitatem, ratione quarum facilè transmutantur, & modus substantiæ facilè pervertitur, & cedit alterationi à natura factæ medio instrumento coctricis facultatis & nutrientis facultatis. Consonat Galenus libello de alimento ubi ait, *cibus alteratu difficilis ægrè consumitur, & discutitur: cibus contra facilis appositu, facilè consumitur, & exhauritur.* Nihil clariùs ad significandum modum substantiæ in alimentis, facilè aut difficilè vincibilem: & iuxta hanc considerationem Galenus 2. aph. text. 18. citato, de alimentis, quæ facilè aut difficile permutantur ait, *Suilla igitur, ceteraque alia, quæ lentos, & crassos humores habent, non nisi multo tempore ex toto discutiuntur corpore. Olera verò, piscesque saxatiles, & quidquid denique distribuendo, constat tenui succo, distributionis quidem & appositionis celeritate alys præstant, firmam verò stabilemque naturam non habent, sed facilè digeruntur, & cute perspirabili evanescunt.* Quibus verbis, satis clarè, & sententiosè, rem de qua agimus, absolvit.

Inquites, si solùm quod est dulce nutrit, illud solùm appeteremus; constat autem acida, & salsa, sæpè numero appeti, imò, & ipsa dulcia misceri cum acidis, ut excitent appetitum,

tum, & non sint fastidiosa: ergo non solùm quod est dulce nutrit. Respondeo: aliud esse nutrire, aliud excitare appetitum; dulcia omnia magis nutriunt, quia magis familiaria, & proportionata; acida verò, & acerba, & quæcumque obsonia, seu condimenta huius generis sunt, conducunt magis ad excitandum appetitum media corrugatione, necessaria ad famem, in ventriculo, quàm præstant alimenta, seu condimenta acida, acerba, aut salsa. Proinde tamen non sequitur, quod vis nutritiva in ipsis magis vigeat licet conferant ad ipsam nutritionem, & ut suaviùs, aut avidiùs gustentur, & devorentur.

Nec modus substantiæ facilè vincibilis absolutè magis præstat in alimentis ad alimoniam, nisi respectivè consideretur: Nam vitella ovorum absque induratione sunt multi, & facilis nutrimenti, & tamen a ventriculo calido, & biliosò exuruntur, & in nidorem convertuntur; & in lacte idem accidit; secus in ventriculo, aut corpore benè temperato; unde modus substantiæ, sicut & temperamentum in alimentis debet considerari iuxta naturam respectivam, & non iuxta absolutam; & similiter respectu hominis benèvalentis; nam si ventriculus sit à vitiosis succis distemperatus, vitiosa appetit alimenta, ut carbones, & alia prava edulia, ex hoc tamen non infertur talia nuxta alimentosis qualitatibus, & virtutibus esse ornata; quia à vitiosa temperie, & valde præternaturali excitatur appetitus talium eduliorum. Vnde etiam si Galenus 4. de simplicibus cap. 9. ex appetitu docuit esse dignoscendam alimentorum facultatem intelligi debet de statu naturali, in quo appetimus alimenta proportionata,& familiaria, sicut etiam in statu vitioso vitiosa alimenta appetit ventriculus. Hanc doctrinam clariùs dictavit Galenus cap. 63. artis medicinalis perpendite verba. *Mala verò temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant. Hoc differunt ab his, quæ naturales existunt; quoniam contraria, non autem similia appetunt, quemadmodum naturalis*, quibus verbis infertur non dubiè, quod per naturalem famem appetimus familiaria alimenta; in fame autem præternaturali, quæ à temperie vitiosa ventriculi oritur, vitiosa, & contraria nimis alimenta appetimus; ac per consequens ex appetitu naturali, optimè indagari familiaritatem alimentorum; & hac ratione optimè intelligitur, quod diversa animalia diversa appetant alimenta; & aliqua sint proportionata nobis & aliqua brutis; ratione diversæ similitudinis, quam ex appetitu indagamus.

Neque valet si objicias contra dictam doctrinam; quod si appetitus ordinaretur ad similia nunquam satiaretur, neque esset cibi similis fastidium; quippe ex eo quod simile alimentum devoramus non tollitur similitudo cum alio simili alimento eiusdem speciei: ergo semper appetere debemus simile alimentum, & nunquam satiabimur neque erit cibi fastidium, cum semper perseveret similitudo ad appetitum similis alimenti. Non inquam valet argumentatio hæc, nam ad famem requiritur sensus suctus, qui præsupponit inanitionem, & sic quamvis assumpta sufficienti quantitate alimenti similis non deficiat temperies naturalis in ventriculo conducens ad appetitum similis; deficit tamen alia conditio valdè necessaria, nempè inanitio, ad quam sequitur suctus, & appetitus ciborum, in repositionem inanitionis, seu defectus alimenti priùs assumpti; & sic ruit objectio; siquidem temperies naturalis disponit organum; ut quando appetat, sit simile, quod appetit, non tamen disponit ut absolutè appetat, quippe hoc ad famem aut sitim attinet, per defectum cibi, aut potionis.

Vlteriùs neque ex eo quòd ventriculus sit calidus, & appetat alimenta similia calida, sequitur, quod non appetat potum frigidum, nam potum non appetit, quia simile, aut dissimile sit, sed quia per calorem consumitur humidum, & interdum æstuat ventriculus, & prostratur appetitus ad cibos, & ad potum augetur. Qui est appetitus frigidi & humidi; Vnde semper quòd sit dispositio in ventriculo ad potum; appetit illum, tanquam necessarium, non tanquam simile; unde non evertitur Galeni doctrina.

Restat tamen contra Gal. adductam doctrinam scrupulus, nam si dispositio naturalis conducit ad apperitum similium alimentorum, numquam vivens inclinaretur ad appetenda contraria alimenta, sed plerumque alimenta assueta, licet similia sint nostræ naturæ, vitiant appetitum, & illum inclinant ad contraria alimenta, & dissimilia: ergo potiùs temperies, & dispositio organi debet esse contraria, ad illud, quod appetitur ac per consequens temperies naturalis potiùs debet inclinare ad contraria alimenta, quam ad similia, & hoc forsan voluit Gentilis in expositione Avic. lib. 3. fen. 13. tract. 2. cap. 7.

Respondeo: ex nimio, & continuato gustu ejusdem alimenti depravari gustum, & non immutatur, neque instigatur appetitus ad simile alimentum appetendum, quia non percipit qualitates excedentes, & sic quando appetit animal contraria alimenta vitiatum est organum appetitus. Instabis: quâ ratione alimentum simile potest vitiare appetitum ad alimenta similia? Respondeo ex dictis, temperiem naturalem non conducere ad excitandum appetitum; sed solùm disponit ut quando appetit sit simile alimentum, hoc autem poterit vitiare appetitum; non similem temperiem, & sic vitiato appetitu, non est mirum si alimenta contraria appetat, quæ per excedentes qualitates movent appetitum, nec mirum est, cum similia alimenta assueta & per multum tempus continuata non immutent appetitum, cum ab assuetis non fiat passio, dictante Philosopho.

Ex his, infertur, quod temperies præternaturalis conducat, & inclinet etiam ad similia alimenta ipsi temperiei; dissimilia verò viventi instatu, & temperie naturali constituto; & idsonant illa ultima verba Galeni lib. artis medic. sup.citato, quando pronuntiavit quod malæ temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant, differunt ab alijs, quæ naturales existunt, eo quod contraria, non verò similia appetunt; nam illa particula contraria dicitur respectu viventis, & similis respectu dispositionis præternaturalis.

Ex facultatibus alimentosis, quæ in alimentis insunt est minoris momenti, quòd sit facilis, aut difficilia concoctionis, modum tamen agnoscendi tales facultates in alimentis, manifestavit Gal. de cibis boni, & mali succi cap. 45. per sequentia verba. *Nam quæ ex seminibus, aut ex fructibus*

fructibus intumescunt, veteremque siccitatem & duritiem deponunt, praestantiora; quae verò minimè tument, pristinamque duritiem retinent duriora sunt, hae enim terrestrea substantia sunt, aegrèque coquuntur, atque ut in ventre perficiantur opus est valentibus facultatibus. Et immediatè post subdit si aliqua in cibo sumendi sunt, madefaciendi prius sunt; ut eorum naturam certo assequi possimus. Quibus verbis clarè insinuat modum agnoscendi cibos, qui sunt facilis, aut difficilis coctionis, seu tenuis, aut crassae substantiae, nempè ex eo quòd facilè intumescant, aut madefiant, si in aqua infundantur, tunc enim, conjectabis, facilem transmutationem habere; caeterum si duritiem conservent, difficile transmutantur, & coquuntur, & non sunt optimi nutrimenti; quae verò alimenta madefiunt, etiam sunt optimi, & melioris succi. Ratio est manifesta; etenim quae madefacta dissoluuntur citò, habent modum substantiae facilè dissolubilem, ideoque facilè coquuntur, & ab actione naturae vincuntur facilè, separatis excrementis inutilibus. Contrarium verò accidit in alimentis, quae conservant duritiem, & in aqua infusis non madefiunt, nam haec difficilem habent modum substantiae & ferè invincibilem, quare malè coquuntur, nec succum habent optimum, neque idoneum ad alimoniam: Audite iterùm Galenum loco citato sic fantem. *Quae enim citò in aqua macerantur, sive ea elixes, sive non, ea sunt in suo genere praestantissima. At quibus longo tempore id accidit, & quae parum tumoris adquirunt, ea in malis habeantur sitò. Igitur edulia, quae cito intumescunt, non solum ad coquendum esse faciliora, sed etiam ad meliorem succum gignendum.* His verbis rationem reddit nostrae conclusionis, neque in hac re magis immorari est necessarium; quandoquidem nihil est, quod in omnibus alimentis ad succi bonitem confer at, quam optima in ventriculo elixatio, quae non dubie fit, quando cibi à calore dissolvuntur; cuius signum est, quando facilè in aqua madefiunt.

Hinc disces ex appetitu minimè esse compensandam maiorem similitudinem, & proportionem ad nutritionem neque ubertatem nutrimenti seu optimi succi; nam ea quae idonea sunt esui, dulcem quamdam, saltim obscuram habeant qualitatem, necesse est, iuxta Galeni dogmata; unde plura alimenta appetuntur propter aliquam dispositionem peculiarem ventriculi, vel ob saporem aliquem ex his quae excitant appetitum, vel ratione alicuius praeparationis, aut condimenti, etiam si non sit optimi succi, nec multi nutrimenti, solùm ex eò quòd redduntur suaviora ad esum; quare non omnia alimenta habent eamdem similitudinem, etsi appetantur, neque ex appetitu metienda est similitudo, seu proportio in alimentis ad nutritionem.

Rogabis: cur alimenta aliqua, fructus videlicet, & legumina plura, non indigent praeparatione ad esum, etiam si non habeant tantam similitudinem, seu proportionem ad alimoniam, sicut carnes, quae indigent praeparatione, ut coquantur, & nutriant. Respondebit aliquis, fructus praeparari ad esum per maturationem per quam plures partes inutiles, & excrementitiae separantur, ideoque dulcedinem adquirunt sufficientem ad esum, citra aliam praeparationem.

Instabis illico: quod etiam animalia coquuntur, & maturantur, dum ad statum adolescentiae perveniunt, in quo viventia dicuntur perfecta, & matura, penes id quòd in ipsis partes inutiles sunt resolutae, etiam excrementitiae: ergo eodem modo tales carnes esui erunt aptae absque ulla externa praeparatione.

Respondeo: in fructibus esse maiorem similitudinem, seu proportionem in modo substantiae, quam in carnibus; & insuper esse creatos magis immediatè propter animalium nutritionem, cum ex se nullum alium habeant finem; neque peculiarem operationem; ideoque nulla egent externa praeparatione simpliciter necessaria ad esum: etiamsi ipsa possint accipere per elixationem, aut assationem, ad faciliùs nutriendum. At in carnibus est maior similitudo ad nostram nutritionem, in primis qualitatibus; secus in modo substantiae, in quibus est difficilis dissolutionis, & perversionis; & insuper licet sint formatae ad nostram nutritionem, non tamen ita immediatè, cum habeant operationes proprias, & munera quibus deserviunt; & sic indigent praeparatione externa, seu condimentis, tum ad appetitum, tum etiam ad esum, & ut faciliùs coquantur. Tamen verùm est, posse in aliquibus viventibus esse ita validam, & efficacem virtutem commutativam, & coctricem medio calore validissimo, ut citra noxam utantur carnibus crudis, absque ulla praeparatione; hoc tamen rarò fit; & nostra doctrina locum habet, circa ea quae frequenter accidunt in coctionibus, & nutritionibus communibus. De quibus forsan loquitur Galenus lib. citato de cib. bon. & mal. succi ubi sic fatur. *Cunctis ergo corporis partibus, jecur alimentum praeparat; illi ventriculus; huic os, ori quaedam vel iurulenta, vel assa, vel frixa; sed his omnibus gubernatrix natura fructiferas plantas praeparat*, nonnulla etiam ab ipsa gignuntur, quae neque elixanda, neque assanda, neque aliter praeparanda sunt. Ex his stabilita manet adducta doctrina, rationem supra tetigimus. Et haec sufficiant pro lite proposita.

CAPUT IX.

Vtrùm facultates Alimentorum sint actu in ipsis, An verò potentiâ.

INTER facultates alimentorum, quae medicantosae appellantur principaliores, & magis manifestae sunt qualitates primae, à quibus virtus in ipsis inest calefaciendi, refrigerandi, &c. de quibus litigium praesens procedit; an scilicet huiusmodi facultates seu qualitates primae sint in alimentis, actu, & formaliter? an verò potentiâ, seu virtualiter, (ut Aliqui loquuntur.

Et quidem pro clariori intelligentia, & resolutione litis propositae, memoria tenenda est, Galeni doctrina, quam latè adduximus primo nostro Tomo tract. de temperamentis, disput. 2. cap. 4. ubi de temperamento potentiali latè egimus, & qua ratione reducatur in actum. In praesenti tamen opportunum, imò necessarium judicavi aliqua ex dictis in huoc locum transferre, ex his, quae ad hanc difficultatem attinent, ut omnia prae manibus habeantur.

Galenus

ergo quidquid accidit alimento potentiâ calido poſt actuationem, & alterationem à noſtro calore eſt ipſi violentum ; cum ergo poſt actuationem reſultet in ipſo intenſior calor : ſequitur talem calorem denuo reſultantem eſſe præternaturalem in pipere : patet ſequela : nam in tali mixto forma ipſius non exigit illam majorem intenſionem caloris ; cum potiùs in ſuo ſtatu naturali conſervetur abſque violentia aliqua cum temperie actuali frigida, & cum illo gradu caloris elementalis, qui ſufficit ad conſervationem formæ mixti : ergo calor intenſior, quo nos recalefacit alimentum potentia calidum, eſt omnino violentus, & præternaturalis tali alimento.

Reſpondet Socius noſter in ſuis manu ſcriptis, dictum calorem produci à propria forma mixta, ſi potentiæ non diſtinguantur ab anima; ſi autem diſtinguantur producitur ille calor à qualitate quadam, quæ dicitur naturalis potentiâ pertinens ad ſecundam ſpeciem qualitatis : & cum medicamenta ſint à natura producta ad ſanandos morbos:non deputat inconveniens quod contineant virtualiter aliquas qualitates, quæ ſint præternaturales in ordine ad principium, dummodo ſint naturales in ordine ad finem, & operationem propriam illius mixti (hæc ſunt propria ipſius verba) proindeque calorem intenſiorem, qui in pipere reſultat poſt actuationem eſſe præternaturalem ſuo principio, videlicet formæ ſpecificæ piperis ; & eſſe naturalem reſpectu finis, ſeu operationis propriæ talis mixti.

Hæc tamen ſolutio proſus falſa mihi videtur, & aliena à vera Philoſophia, quidquid ſit de diſtinctione,aut identificatione potentiarum cum anima ; de qua tractatu noſtro de facultatibus ſpecialiter agimus : etenim ſive illa major intenſio caloris immediatè tanquam à principio elicitivo oriatur à naturali potentiâ illa, quæ attinet ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſive ab ipſa forma mixti, minimè poterit eſſe violenta & præternaturalis reſpectu principij elicitivi, quia fatetur virtualiter contineri in ipſa forma: ergo ipſa forma, quatenùs eſt ex ſe, eſt productiva illius majoris intenſionis caloris, ſi auferatur impedimentum ratione cuius potentialitas illa non reducebatur ad actum : atqui per actuationem à noſtro calore tollitur impedimentum : ergo exigentia ad productionem intenſioris caloris erat naturalis principio elicitivo, ſeu formæ mixti, & per conſequens talis intenſio caloris eſt debita, & naturalis formæ mixti, quæ ob ſuam latitudinem ſine dubio conſervatur cum actuali frigiditate ante actuationem, ſicut etiam forma aquæ, etſi habeat exigentiam ad producendam intenſam frigiditatem, conſervatur cum actuali calore, qui eſt violentus formæ aquæ ; & hac ratione potiùs illa actualis frigiditas in pipere eſt violenta, quia ejus forma exigit productionem caloris, quem virtualiter continet, ſi auferatur impedimentum, & ſemoveatur; quemadmodum aqua calida exigit productionem frigiditatis, ſi ſemoveatur impedimentum ; unde etſi piper reddatur actu frigidum, ſi vomatur ; ex eo eſt, quia deficit conditio, ſeu actuatio à noſtro calore, ut pulluler calor virtualis, ſeu potentialis, quâ ablatâ, redditur piper actu frigidum, & quâ poſitâ redditur actu calidum ; unde non infertur frigiditatem illam actualem eſſe naturalem ſed potiùs violentam, & calorem virtualem eſſe naturalem, non ſolùm ex parte finis(ut aiebat ſocius)ſed ex parte principij.

Vrgeo etiam eamdem ſolutionem exemplo adducto à Gal. ſuprà, nam dum loquitur de mixtis, quæ ſunt potentiâ, ſeu virtute aliqua præditis, & de potentiâ calidis, tenet, ea eſſe talia, quæ ab interno principio, impedimento aliquo ſublato, producunt talem calorem. Et hac ratione docet infantem eſſe rationalem, quia poterit ratione uti, impedimento ſublato, idem de ave volatili, & cane venatore intelligendum, in quibus apposuit exemplum : ex his premo aſſumptum. Nam ea medicamenta dicuntur calida potentiâ, quæ ab interno principio producunt calorem ablato impedimento (& hoc fatetur ſocius cit. in limine capitis, & præſupponit tanquam inviolabile, & verum in doctrina Galeni, quam confitetur) ergo ſi calor ille major in potentiâ calidis, oritur ab interno principio, minimè poterit eſſe violentus, & præternaturalis ex parte principij elicitivi ; ſicut in Infante ratione uti, neque in cane eſſe venatorem ; ac per conſequens ſicut in Infante, & cane ratiocinatio, & venatio oriuntur ab interno principio, ablato impedimento ; ita & illa intenſio caloris, quæ virtualiter, & potentiâ erat in pipere, & reſurgit ablato impedimento per actuationem, eſt omnino naturalis ex parte principij : quia à viſceribus formæ dimanat & producitur.

Neque illud, quod adducit, de calore intenſiori talium alimentorum, ſcilicet, quod ſit naturalis ex parte finis, & propriæ operationis, eſt omnino firmum ; quoniam, etſi natura conceſſit temperiem mixtis potentialem, pro debellandis morbis, tamen ſæpè contingit quod ea temperies ſit præternaturalis, & violenta viventi : nam calor intenſus, qui in pipere excitatur poſt actuationem, ſæpè lædit ipſius actiones, tam jecoris, quam ventriculi : ergo abſolute non eſt naturalis, reſpectu finis, & propriæ operationis talis mixti, & ſi eſt proprium talis mixti calefacere, & omnino naturale, hoc potius debet compenſari ex parte principij, cum ex parte finis talis operatio ſit reſpectiva, quæ quandoque nocet, & interdum prodeſt : ruit ergo ſolutio noſtri ſocij ex omni latere.

Adhuc tamen contra Gal. doctrinam poſſumus inſtare efficaciter : nam ipſe 3. de temperamentis cap. 2. de potentiâ calidis ſermonem faciens, ait, *Nec calefacere nos poſſunt, quin prius actu ſint talia, eſſe autem actu à nobis ipſis accipiunt.* Et inferiùs proſequitur ſic. *Nec mirum ſi, quæ calefaciunt calefieri ipſa prius poſtulent.* Vbi modum, quo alimenta potentia calida actuantur, & in actum reducuntur, exploravit, ſimulque cauſam efficientem actuationis pronuntiavit ; ex quo ſequitur quod eodem modo alimenta potentia calida actuentur, & ad actum reducantur, ſi ab igne, aut ſole calefiant, quemadmodum ſi à noſtro calore alterentur, quippe utterque calor eſt eiuſdem ſpeciei ; ſi ergo piper à nobis calefactum, reſultat calidior, ita ut nos recalefaciat eadem ratione, ſi ab igne, aut ſole calefiat, actuabitur, & in ipſo reſurget intenſior calor ; quod videtur eſſe contra experimentum.

Noſter Petrus Garcia diſput. 10. ſuper Avic. cap. 5. convictus argumento adducto, tenet ali-

menta potentia calida non reddi actu calida, nec actuari, præcise ratione caloris, sed etiam ratione alteriùs qualitatis, quæ à calore, ignis, & solis differt; hoc autem solùm ex eo probat, quia non constat actuari alimenta potentiâ calida à calore solis, aut ignis: ergo aliquid aliud præter calorem requiritur ad actuationem. Peccat tamen solutio hæc quia non assignat qualitatem illam ultra calorem requisitam ad actuationem; & si forsan occultam esse tenet, est fateri eventum & ignorare causam.

Magister tamen noster Doct. Martinez suo Tomo... lib. 2. tract. 2. cap. 5. de modo dignoscendi necessaria ad curationem: planè fatetur actuationem fieri à solo calore; ductus testim. Gal. 3. de simpl med. facul. cap. 19. ubi sic loquitur. *Nam quæ potestate sunt calida, alterantur, eo duntaxat, quòd incalescant à nobis.* Ex his concludit superfluam omnino esse qualitatem à nostro Petro Garcia machinatam, præter calorem, à qua fiat actuatio, sed solùm à calore nostro fieri, ut verba Gal. nuper adducta clamant. Solvitque argumentum propositum, concedẽdo mixta potentiâ calida, eodem modo actuari à calore solis, & ignis sicut à nostro calore, & hoc suadere intendit ex Gal. 3. de temperamento cap. 4. ubi adducit historiam illam de conflagratione domus ab stercore columbino, sole agente in ipso, ratione cuius censet stercus fuisse à calore solis actuatum; ideoque in ipso resultavit intensior calor, & ignis in lignis & resina, quæ largiter illita erat super ligna, indeque combustio successit totius domus. ex quo infert, actuationem celebrari à calore solis & ignis, sicut à nostro calore.

Contra hanc solutionem illico se offert firmissimum argumentum ex Galeni doctrina desumptum: nam actuatio vera & propria, quæ accidit in alimentis, aut mixtis potentia calidis, debet fieri citra mutationem formæ illius alimenti; aut mixti, quod reducitur de potentiâ ad actum, ut in exemplis adductis à Gal. constat, de infante ratiocinante, & cane venatore, quia sic reducuntur de potentia ad actum absque mutatione formæ substantialis, & in pipere constat actuatio, citra corruptionem propriæ formæ substantialis, quippe si post actuationem vomatur, illico, constat non mutasse formam ex colore, & modo substantiæ similis, sicut ante devorationem: ergo vera actuatio celebrari debet in potentia calidis, citra formæ illius, quod actuatur corruptionem. At in casu adducto de ustione domus, non fuit actuatio vera à calore solis, neque ignis; sed transmutatio in ignem, & nova generatio. Probatur ex contextu Gal. nam ibi docet stercoris putridi vapores esse intense calidos, tangereque fenestræ ligna, quæ largè nuper illita resina fuerant, quo fit ut media æstate, sol plurimus incidisset, ex cuius vehementissima calefactione seu alteratione accenderetur resina, indeque ligna, & tota domus fuit combusta; ex quo clarè infertur vapores illos esse calidos, & siccos, & sic maximè dispositos ad ignem, accedente alteratione vehementissima à calore solis per æstatem, à qua fuit inducta in illa materia dispositio ad ignem: unde vapores stercoris non fuerunt reducti de potentia ad actu calidos, sed potiùs fuerunt transmutati, seu conversi in ignem, propter nimiam dispositionem quam contraxerunt ad formam ignis; unde larga & impropria significatione, quidquid celerrimè potest converti in ignem, potentia calidum etiam dicitur à Galeno 3. de temperamentis capite 2. ubi ponitur exemplum in pipere, resina, sevo, & oleo, non quia verè, & propriè actuentur ab igne, quemadmodum piper à nostro calore, sine formæ mutatione.

Argumentum tamen adhuc manet contra nos cum sua firmitudine, & petit, ut reddamus rationem cur à calore solis, aut ignis non reducantur, de potentia ad actum alimenta calida, si concedamos ipsorum calorem esse eiusdem speciei cum calore nostro. Respondeo in nostra opinione facilè solvi argumentum propositum: nam duo esse necessaria ad legitimam, & veram actuationem docuimus Tomo nostro primo capite citato & quòd priùs à calore nostro calefiant mixta, quæ sunt potentiâ talia, & quòd comminuantur aut media liquatione, aut masticatione, ratione cuius mixtum potentiâ calidum in minutissimas partes dividitur, ita ut calidiores, quæ à minus calidis erant refractæ; alteratione à calore nostro factâ, jam non possunt refrangere magis calidas, & sic calor, qui erat in potentia, ablato impedimento à nostro calore reducitur in actum in peculiaribus mixtis, quæ potentiâ talia dicuntur, & habent talem diversitatem partium, non quidem solùm per correspondentiam ad elementa (nam sic omnia mixta essent potentiâ calida) sed per compositionem partium peculiarem, & magis manifestam, ut de lacte, & rosa docuit Galenus 2. lib. de aliment. facult. cap. 15. ubi diversitatem partium manifestam concessit. Hanc doctrinam latè adduximus loco citato, & eam confirmavimus testimonio celebri Gal. 3. de temperamentis cap. 2. ubi non solùm calefactionem sed & comminutionem esse necessariam, ut actuentur mixta potentiâ calida fatetur, cuius verba ibi sunt adducta; unde cum non sufficiat sola calefactio ad actuationem, nihil mirum, si talia mixta calefacta ab igne aut sole non redducantur de potentiâ ad actum; sic facilè diluitur argumentum. Nam potiùs ex eo quod non sufficiat calefactio à sole vel ab igne infertur non sufficere actuationem à calore nostro, nisi ex vi alterationis fiat comminutio, modo à nobis explicato.

Instaut solutio nostra; nam comminutio illa, non est aliud, quam separatio partium, & divisio mixti in minutissimas partes: ergo si ad extra frangatur piper, & dividatur, sivè comminuatur in minutissimas partes, & posteà calefiat à sole aut igne actuabitur non dubiè, & resultabit in ipso major calor ab intrinseco, quam antea erat ante fractionem. Hoc autem non videtur ita contingere: ergo frustranea est comminutio ad actuationem.

Respondeo, quod etiam si in externis fiat comminutio & divisio partium, in pipere, aut alio mixto potentiâ calido, tamen ea separatio, & comminutio non fit, ita exquisite, sicut a nostro calore media liquatione; & sic nil mirum si piper calefactum à sole, aut igne non sentiatur calidum actu, etiamsi ad extra comminuatur; Præterquam quod non esset alienum à ratione fateri, in casu adducto, piper reddi actu calidum, nam sic applicatum gustui, aut sola comminutione

minutione per masticationem, statim sentitur major calor, & mordacitas, quod non accidit, si applicetur absque comminutione, & divisione, aut ad extra facta, aut per masticationem: ergo signum est comminutionem, & alterationem esse necessarium in pipere, ut actuetur, & calefactum rursus nos recalfaciat.

Restat scrupulus non levis in nostra doctrina de continentia formali elementorum in mixtis: nam ex ea sequitur, ut alimentum quodlibet, etsi frigidum sit à prædominio, aut non intensè calidum, sit calidum in potentiâ, sequela probatur nam eo ipso quod calefit, & liquatur à nostro calore, comminuuntur partes, & separantur, ita ut calidiores, quæ à minùs calidis erant refractæ, alteratione à nostro calore factâ, iam non possint refringere magis calidas: ergo in omni alimento calor, qui erat in potentia reducitur ad actum, medio calore nostro, & comminutione ab ipso facta, & per consequens omnia alimenta potentia sunt calida.

Respondeo in alimentis propriè, & rigorosè potentiâ calidis, duo esse necessaria, & quod calefiant à nobis, & rursus recalefaciat nos, actuatione, & comminutione facta; & quod talis intensio major caloris, quæ resultat post actuationem, sit debita, & naturalis propriæ formæ illius alimenti, seu medicamenti, quod reducitur de potentia ad actum: non quidem quia forma mixti absolutè informatur, sed quia peculiari forma constat, quæ petit ex sua natura, totam illam intensionem caloris, ratione cuius (exempli gratia) piper dicitur calidum in 3. aut 4. gradu, qui post actuationem relucet; non quidem solùm à partibus igneis elementalibus, utcumque refractis, sed in tali intensione perseverantibus, in primæva talis mixti generatione: unde fit; quod licet quodlibet mixtum, seu alimentum calefiat à nobis, & elixetur, & ex vi talis alterationis auferatur impedimentum refractionis, & in partibus calidis mixti, refulgeat à propria forma elementi calidi, intensior calor; tamen quia talis intensio non est naturalis, & debita formæ peculiaris mixti; sed potiùs violenta, & præternaturalis; ideo non est vera reductio de potentiâ ad actum; quippe licet ad omnia mixta in suo fieri concurrant omnia elementa, saltim eminentialiter; tamen non eodem modo refracta manent, sed quodlibet mixtum, iuxta temperiem naturalem debitam peculiari formæ. Unde fit, quod aliqua sint minus calida, & aliqua frigida à prædominio elementi calidi, aut calidioris, aut frigidi: & per consequens si accidentaliter per alterationem à nostro calore reddantur calidiora, in elixationibus, quæ in nostro corpore celebrantur; illa major intensio caloris, est violenta peculiari formæ mixti exposcentis, aut minorem calorem, aut frigiditatem excedentem: ideoque talia alimenta non reducuntur de potentiâ ad actum, seu ad illam majorem intensionem, quam non exposcit forma peculiaris mixti, seu alimenti. Contrarium autem accidit in pipere; & in omnibus alimentis quæ verè, & propriè sunt potentiâ talia, quippe in his intensio illa major caloris, quæ resultat post actuationem est debita & naturalis peculiari formæ talis mixti, seu alimenti, quæ violentiam quodammodo patiebatur, usque dum per actuationem resultaret tota illa intensio caloris, licet propter suam latitudinem conservabatur cum actuali frigiditate. Ex quo manifest. constat: non omnia mixta esse potentiâ calida, licet omnia, quæ rationem alimenti habent possint alterari à nostro calore, & comminui ex vi liquationis, & separationis partium, & plura non adquirunt tantum calorem, ut possint nos recalefacere, quæ est altera conditio, ex his, quæ ad veram reductionem de potentiâ ad actum, secundùm caliditatem est necessaria post actuationem, ad quam etiam iuvat diversitas alia partium, seu heterogeneitas magis manifesta, quæ in pluribus alimentis potentiâ calidis, relucet, à propria, & peculiari forma, ratione cuius illis est debita maior illa intensio caloris, & omnino naturalis. Ex dictis altera pars controversiæ de modo quo calida medicamenta, aut alimenta reducuntur ad actum, manet soluta. & si quis copiosiorem doctrinam accipere velit, legat nostram quæstionem Tomo nostro primo loco supra citato.

Restat de reliquis primis qualitatibus examinare, an sint in alimentis actu, aut potentiâ; & licet certum sit actu esse in alimentis; tamen specialis controversia, seu lis se offert in frigidis mixtis, seu aliquibus frigidis alimentis; an scilicet præter frigiditatem actualem, quâ pollent; acquirant ex vi actuationis intensiorem frigiditatem. Propositam litem soluit Gal. 3. de simpl. med. facult. cap. 20. tum ex communi veterum opinione, tum etiam ex propria mente: perpendite verba quibus incipit caput. *Quamobrem eius quoque nunc protinus meminisse oppotet: veteres medicamenta natura frigida potestate, meritò dixisse frigida, nam ea quoque quadamtenus, ut refrigerent, potentiam à nobis accipiunt; sicut excalefaciendi calida.* Et paulò post in sequentia prorumpit verba de frigidis agens. *Cum itaque ipsis tanquam frigidis agere absque corporis patientis auxilio non liceat; iure potestate frigida dicuntur.* Quibus verbis manifestavit Galenus frigida mixta esse, quæ potestate dicuntur talia; quemadmodum, & calida, dicuntur potentia calida; & ulteriùs fatetur per commiutionem adventitium motum accipere; & immediatè post subdidit; *Si quidem (quod paulò suprà monuimus) id genus omnia, calidum corpus, quo agere possint, postulant.* Ubi expressè fatetur à calore nostro frigida mixta, quæ potentiâ dicuntur talia, alterari, ut resurgat intensior frigiditas, quæ in ipsis virtualiter continebatur; quâ sæpè numero, ita intensè nos alterant, ut mortem inferant, quod in frigidis venenis quotidie experimur.

Ratione etiam suadetur hæc assertio; nam frigida mixta, quæ ratione frigiditatis mortem inferunt, & ea ratione venena frigida appellantur, minimè interficiunt, ratione frigiditatis actualis cum hæc sit ferè æqualis in omnibus mixtis, quam ab aëre ambiente continuò nos alterante participant; atqui postquam devorata sunt, & actuantur à nostro calore, lactuca, intibia, & nenuphar non interficiunt vivens, neque ipsum intensissimè refrigerant, neque profundum soporem causant; cicuta verò, opium, & mandragora quæ inter frigida venena reponuntur, illico soporem inducunt, & frigiditatem adeò intensam, ut spiritum vitalem, & innatam calidiatem extinguant, & mortem inferant: ergo talis maior frigiditas, virtualiter, & potentialiter continebatur in mixtis illis frigidis; quæ sine dubio post alterationem à calore nostro media comminutione resultavit, seu per motum

motum adventitium (hoc enim termino utitur Galenus) ac per consequens talia mixta potestate frigida merito appellantur. Si autem forsan aliquis intrepide affirmet talia venena frigida non calefieri à nobis, quoniam ipsorum intensa frigiditas resistit,& impedit alterationem à calore nostro. Instatur solutio, quippe ante devorationem eorum frigiditas non poterat resistere caloriaëris ambientis tempore æstatis, sed calor noster intensior est calore ambientis aëris : ergo potiori iure calefieri debent talia venena frigida à nostro calore : non ergo poterunt ipsius actionem impedire ; imò potiùs ab ipso actuantur, & comminuuntur, ut resultet illa major virtualis, & potentialis frigiditas : & hac ratione aufertur in illis impedimentum, ut à propria forma pullulet illa maior, & intensior frigiditas, à qua in communi opinione causatur sopor ille profundus, in his qui à veneno frigido assumpto pereunt.

Si Vlteriùs quis intendat premere nostram assertionem ex eo quod calor non potest disponere, ut frigiditas intensior pullulet ; quippe nulla qualitas est dispositio ad productionem contrariæ qualitatis, sed potiùs ad productionem similis. Nihil valet, nam licet calor per se semper disponat ad productionem caloris,tamen per accidens potest disponere ad productionem frigiditatis, auferendo impedimentum ; quomodo autem calor noster alterando venena frigida, & ipsa calefaciendo, auferat impedimentum, ut resultet in illis frigiditas illa mortifera, seu deletetia, diximus latè capite quatto huius tractatus, & fastidiosum erit iterùm quæ ibi diximus, reddere,

Nec defuere, qui firmiter tenent talia mixta sive frigida, sive calida potentiâ talia, ad actum reduci per actuationem caloris vitalis solùm, minimè verò per actionem caloris elementalis, & consequenter ob eamdem rationem non actuari à calore solis, neque ignis, qui diversus est à calore vitali, quo facilè effugiunt difficultatem supra adductam, negando actuationem posse celebrari in potentiâ calidis, aut frigidis à calore elementali, qui in hac opinione tardiùs perficit elixationes externas in carnibus, quàm ventriculus, quippe in ipso calor noster vitalis breviori tempore convertit carnes in chilum.

Negare tamen non possumus elementalem calorem etiam iuvare ad actuationem in hac opinione, etsi solus non sufficiat

De qualitatibus alimentosis,quæ in sunt in alimentis, certum, & inconcussum est apud omnes Authores actu esse in ipsis, eò quòd sint facultates passivæ, ratione quarum, quædam sunt facilis coctionis, & distributionis, ut eadem ova dura ; alia verò alimenta sunt pauci nutrimenti, ut carnes arietinæ, quæ habent plures partes magis proportionatas, & aptas pro nutritione, quas non habent carnes bovinæ, & ovillæ ; totum quod reducitur ad potentiam passivam, quæ actu est in ipsis, & propter modum substantiæ facilis, aut difficilis conversionis, illa alimenta facilè, aut difficile coquuntur, aut transmutantur. Idem dicendum est de tenuitate, & crassitie alimentorum, sive sumantur qualitativè, huiusmodi virtutes, seu passivæ qualitates, sivè quantitativè ; quod ad tractatum de victus ratione attinet, ubi hanc differentiam quivis discere potest, ex his quæ ibi à nobis dicta sunt.

Denique de bonitate, & malitia succi alimentorum etiam dicendum est actu in ipsis inesse, ratione partium optimi, aut pravi succi, quæ independenter à qualibet alteratione in alimentis sunt ; quod si aliqua alimenta respectivam habeant talis succi bonitatem, nihil obstat, quo minus sint passivæ facultates & actu adsint in mixtis. Nam certum est non inesse in omni viventi æquale robur in commutatrice, & sic aliqua alimenta respectu aliquorum sunt boni succi, & respectu eorum, qui debilem habent calorem dicuntur pravi succi, quia non possunt commutari : hoc tamen ad virtutem activam attinet ; etenim in alimentis passiva, & actualis virtus absolutè est una.

Rogabis in quo gradu existant facultates activæ in alimentis ? Respondeo cum Galeno 5. de simplic. medicam. facult. cap. ultimo. ubi ait, quod calida in primo gradu sunt quæ valent calefacere non manifestè ; in secundo quæ manifestè nos calfaciunt ; in tertio, quæ valenter calefaciunt, ita ut lædant, non tamen summè ; sicut quæ in quarto gradu,quæ calefaciendo urunt, & sic de reliquis qualitatibus intelligenda est hæc doctrina in sua activitate cuiuslibet mixti considerata, ita ut in ordine ad nos solùm usque ad quartum gradum considerentur : cæterùm in ordine ad se si gradualem intensionem consideremus potest quodlibet mixtum usque ad gradum septimum crescere ; & hæc de hac disputatione.

TRACTATVS

TRACTATUS DE ALIMENTORUM FACVLTATIBVS IN PARTICVLARI.

CAPVT PROOEMIALE.

CVM alimenta ſint inſtituta & ordinata ad teparationem ſubſtantiæ deperditæ, & cum io ipſis ſint plutes medicamentoſæ qualitates, quæ ad ſanitatis tutelam, vitamque incolumem, & à morbis immunem diuiſſimè conſervandam ordinentur; poſtquam de facultatibus alimentorum in generali, latè tractatu priore egimus. Valde utile judicavimus, ut completam notitiam habeatis peculiares alimentorum magis uſitatorum facultates, ſeu vittutes narrare. Priùs tamen, quàm ad peculiaria alimenta accedamus, oportet aliqua circa communem modum cibaodi advertere; & primo circa quantitatem ſumendi alimenta; tanquam certum ſtabiliendum eſt, quod etiamſi alimenta ſint optimi ſucci, & facilis tranſmutationis, tamen debent devorari in moderata quantitate, quæ corpori nutriendo,& viribus reficiendis ſufficiat: nã ſi limites moderationis plurimum excedat, varios producit morbos, & vitam breviat;,etenim cibotum multitudo plurimos morbos generat; eorum verò parſimonia multorum morborum præcautioni, & curationi inſervit, & vitam producit. Conſonat Hipp.6. epidem. ſect.4.text.20. per ſequentia verba. *Sanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores.* Idem teſtificat.2.ſect.aphor.text.17. *Vbi plus cibi quam pro natura ingeſtum eſt, hic morbum facit.* Et 4. eiuſdem ſect. Sic: neque ſatietas, neque fames, neque aliud quidquam bonum, quod ſuprà naturæ modum fuerit. Ex quibus non dubiè conſtat alimenti quantitatem pro ſanitatis tutela debere eſſe moderatam.

Porrò moderata, & neceſſaria ciborum quantitas, regulâ generali determinari nequit, diverſitas tamen temporum, ætatum, & temperamentorum eam multum evariat, qua propter victus tenuitas,quæ vires diminuit, ſemper ægris eſt ſalutaris; ſanis verò corporibus, nociva: in quibus victus mediocris, qui vires ſervat inſtituendus eſt, aut plenus qui vires auget, non tamen immoderatus, qui morbos creat, & ipſos producit, ſi ægrotantibus exhibeatur: iuxta illud Hippocr. *impura corpora quantò magis nutris, tantò magis lædis.*2. aph. text.10. ſed de his tract. noſtro de vict.rat. abundè diximus: ſed ut unuſquiſque ſibi convenientem, & moderatam ciborum copiam cognoſcere, & determinare poſſit, aliquas regulas rationales adſcribam. Prima ſit, ut nunquam comedat, ſed à menſa recedat vigente adhuc appetitu. Secunda regula eſt,quod paſtum, nec ſentiat torporem, nec gravitatem, nec corporis laxitudinem, quippe hæc ſunt ſigna, menſuram congruentem alimenti excedi,& ſic limitanda, &, auferenda eſt quantitas alimenti, donec accidentia dicta non eveniant.Vlteriùs, ſi à paſtu, parum aptus ſit aliquis actionibus mentis, ſtudio ſcilicet, meditationi, aut contemplationi, aliiſque functionibus animi perſpicuum erit ſignum, iuſtam ciborum menſuram exceſſiſſe; Cæterùm ſi repletionis ſigna ad amuſſim diſcere velis, legas obſecro Hipp. lib.3. de dieta. Vbi ea omnia breviloquo ſolito ſtudio narrat. Tandem ad quantitatem alimenti attinet, ut in paſtu non ſit varietas ciborum, naturâ, & temperie plurimùm inter ſe diſcrepantium,de quibus Hipp. lib.de flatibus, ait, *diſſimilia ſeditionem movent*, inquinant enim, & non alunt; quare carnes cum piſcibus, oleribus, fructibus, aliiſque eduliis heterogeneis minimè debemus in prandio miſcere: nam cum diverſorum ciborum diverſa ſit natura, fit inde, ut alij celeriùs, alij tardiùs conficiantur, & hinc prava ſequitur concoctio, & corruptio eorum, quæ detinentur, poſtquam cocti fuerint, & diſtributio eorum, qui crudi adhuc ſunt.

Cæterùm: quia hominum intemperantia varios appetit cibos, & ſtrictioribus vivendi legibus minimè ſummittitur; cogimur in præſentiarum præcepta tradere, quibus noxas illius vitare, aut imminuere valeant; generale igitur & commune præceptum eſt circa ordinem ſumendi cibos, ut alimenta tenuia, liquida, concoctu facilia, laxaotia, & quæ facilè deſceodunt, priùs devorentur, craſſa verò, ſolida, concoctu difficilia, & adſtringentia poſtrius, ſeu in ultima menſa aſſumantur; hanc doctrinam inſinuavit Gal.2.de alim.facult.cap.2. necnon etiam 3. de vict.ration.text.22. cuius ratio eſt, nam tenuia, liquida, & humida celerius coquuntur, & propterea citiùs è ventriculo deſcendunt, & ſi diutiùs detineantur poſtquam cocta ſunt, facilè corrumpuntur,& reliquis cibis non concoctis locum cedunt, ad inteſtinum duodenum detruſa.

Hæc tamen regula ad ciborum ordinem ſpectaos non eſt magni momenti: nam alimenta in ventriculo, eamdem ſedem, toto concoctionis tempore, noo ſervant, quam obtinuetuot dum iogreſta fuetuot, quia per elixationem in ventriculo celebratam commiſcentur, ita ut chiloſa ſubſtantia uniformis reſultet ex diverſis alimentis, citta ordinem adductum aſſumptis;potus etiam, & iuſcula juvant ad prædictam in ventriculo ciborum miſcellam, & fluctuationem, & eâ tatione non ſervant neque eundem locum, neque eandem ſituationem; rationabilius tamen eſt, ſervare ordinem ab Antiquis præſcriptum; cum alimenta humida, & laxaotia priùs devorata ventriculi tunicas laxent, & aluum mollem reddant; adſtringeotia verò alimenta ſi priùs aſſumantur, effectum contrarium præſtent,comprimendo ſcilicet, & adſtringendo ventriculi

tunicas: securiùs tamen est, ciborum varietati non indulgere; cum unicus cibus, aut saltim plures valdè analogi, simul ritè concoquantur, citrà cruditatis metum, si in quantitate moderata ipsis utamur.

In regulari alimentorum eibatione in principio mensæ iusculum, aut quodvis aliud alimentum, actu calidum sumatur, & minimè à potu inchoandum erit, nisi forsan in æstate ventriculo æstuanti, in quo eventu, incommodum non est incipere à potu frigido: nam citò aqua rapitur ab hepate calido, & refrigerium ipsi accedit, potus verò frequens, qui ex aqua, & vino componitur, si in prima mensa assumatur, crudus rapitur à venis, præsertim si existant famelici; si autem vinum accipimus merum, nervos ferit, qua propter plurimum nocet: in fine tamen pastus consulit Celsus aquæ frigidæ parvam quantitatem bibere, eo quod ventriculi orificium, sua frigiditate leviter constringit, & vaporum, ascensum prohibet, præcipuè aliquid casei antiqui, caparum, & alliorum, aut saltem diminuit.

Circa tempus, & horam sumendi alimenta, non potest certa regula statui, consuetudo verò, cui natura tantùm inhæret plurimum facit in hac re, nam siquis bis, aut ter in die, & statis horis, alimenta sumere consuevit, & cum his benè habeat, eo modo persevetare debet, neque innovandum, donec aliquid contingat, quod consuetudinem mutare cogat ratione alicuius urgentiæ. Universalis tamen regula circa horam assumendi alimenta, & magis certa est, ut cibus non devoretur denuo; antequàm prior antea ingestus sit omnino concoctus, & ad intestina descenderit; tunc enim appetentia redintegratur, & coctio postmodum egregiè perficitur; si verò cibus assumatur priori nondum concocto, malè concoquetur, & insignem cruditatem pariet; quapropter post pastum largiorem, qualem in convivijs experimur, satius erit, sequentem pastum omnino præscindere, aut unico haustu vini diluti absolvere, & si forsan in ordinario victu idem accidat, ita ut hora consueta pasti appetentia non vigeat, ab altero pastu sequenti abstinendum est, aut in posterum minuenda quantitas alimenti, si id frequenter accidat.

Verùm tamen cum regulariter maior pars hominum habeat præfixam horam sumendi alimenta, aut ea indigeat, oportet aliquam generalem regulam præfigere, in qua re asserimus: bis in die cibum sumere convenientissimum esse; etenim frequentiores epulæ cruditatis metum afferunt, quapropter, ut in plurimum homines prandio, & cœna solùm utuntur; aliqui vero jentaculum addunt, & alij merendam, hoc autem pueris convenit, quia plurimum habent calidi innati ideoque pluribus egent fomitibus, seu plurimo alimento; dictante Hippocrate in sua communi, & aphoristica sententia.

Ieiunia autem longa Pichtocolis præsertim noxam afferre solent, quia ventriculus vacuus biliosis repletur humoribus, qui cardialgias pariunt, & animi deliquia, in alijs autem hominibus longiora jeiunia sunt in causa, ut ventriculus pravis humoribus repleatur, à quibus plures morbi oriuntur: satiùs ergo erit singulis pastibus quantitatem ciborum minuere, quam longum ieiunium exercere; Cœna in nonnullis optima sanitate prædiris & in ætate florente constitutis, prandio, æqualis, aut largior esse potest, at in reliquis omnibus parcior esse debet. ex his non leve dubium controvertendum excitatur.

CAPUT II.

Utrùm cœna Prandio largior esse debeat.

Controversia hæc litigiosa satis est, non solùm inter vulgares, & indoctos, verùm etiam inter præclaros Medicos, ex cuius resolutione, alia pendet lis, videlicet, an coctio meliùs noctu, quam interdiu, in somno meliùs, quam in vigilia perficiatur. Et quidem pro utraque parte rationes, & authoritates efficaces valdè militant; nec desunt aliqui Authores utramque partem patrocinantes.

Si verò Galenum consulamus 7. lib. method. cap. 6. cænam prandio liberaliorem debere esse pronunciat; quoniam ad cænam sequitur quies, & somnus, nec non etiam tempus diuturnius fere duplum scilicet ad illud quod inter prandium & cænam intercedit; ex his ratio non invalida desumitur: nam coctio quietem desiderat; sed per noctem est maior quies; at in vigilia per motum corporis cibus agitatur in ventriculo ubi fluctuat; ergo cum hæc omnia post cænam non accidant, ad quam sequitur quies, & somnus, & insuper diuturnitas major in tempore: sequitur, uberiores coctiones post cænam celebrari; & per consequens liberaliùs esse cænandum, quam prandendum. Et confirmatur nam per somnum calor vitalis retrocedit ad internas partes in quibus celebratur coctio: cum ergo vegetior sit, & intensior calor, coctio alimenti perfectiùs, & citiùs præstabitur in ventriculo, quippe coctio à calore naturali stum proprio perficitur: ergo cum post cænam, ad quam frequenter sequitur somnus, & quies sit maior calor, liberaliùs rationabiliter debemus cænare: quia coctiones perfectiùs vigent.

Audite precor Galenum cap. 6. cit. circa finem. cuius sequentia sunt verba. *Æstate si fuerit si mane immolatus porcellus sit, ac circa silis occasum comedatur; quippe quod in superioribus suasimus, cum valentius alimentum vesperi exhibendum censuimus: id semper observare studebimus, utique non leve percepturis commodum, qui ita cibantur. quod sanè diligentiùs inspiciens, agnosces.* Et paulò post rationem insinuatam sopiâ exploravit, his verbis. *At quoniam non solùm quies & somnus, sed etiam longius tempus huius naturalem administrationem excipit, rationabile est, ut valentiores ciborum, hoc maxime tempore offerantur.* Nihil clariùs pro validatione huius assertionis, ubi non solùm expresse ipsam fatetur; sed rationem in sui confirmationem adducit; imò non ea solùm videtur uti, sed experimento; perpendite immediata verba. *Itaque etiam Athletæ omnes sic faciunt qui eum usum, non solùm aliqua ratione invenerunt; sed etiam longa experientia comprobarunt.* Vlteriùs ad caloris retrocessum iuvat frigiditas noctis, quæ mediâ constipatione ad intra facit calorem retrocedere, & ea ratione coctiones feliciores accidere; etenim quemadmodum hyeme ventres calidissimi sunt, ob rationem

rionem antiperisticam: sic etiam eodem modo per noctis frigiditatem calidissimæ sunt omnes cavitates, seu calidiores quàm interdiu, & sic per noctem meliùs coquitur alimentum: ergo copiosior debet esse illius assumptio per noctem, quàm per diem in prandio; consonat Hipp. 7. epid. sect. 4. ubi inquit vigilantem calidiorem esse circa exteriora; frigidiorem circa interiora: ergo econtra dormiens calidior est circa interiora, & frigidior circa exteriora; cum ergo coctiones interius celebrentur, perfectiùs debent fieri noctu, quàm interdiu: proindeque rationabilius est, largiùs cœnare, quam prandere.

Verior est opinio, quæ tenet, plus cibi indulgendum esse in prandio, quam in cæna: hanc conclusionem probant. Primò irrefragabili experimento: siquidem perpauci homines reperiuntur qui liberè non fateantur se à leviori cæna, longè meliùs habere: & Cardanus testatur se multos interrogasse, qui ad centessimum annum pervenerunt, & omnes parciori cæua usi fuerant. In cuius rei confirmationem Galenus adduxit exemplum 5. de sanit. tuend. illius Grammatici, qui fere ad centessimum annum vixit, & in prandio olera sumebat primo, deinde pisces saxatiles, & aves; vespere autem, seu hora cœnæ pane cum vino permixto solùm utebatur.

Ratione etiam validatur assertum, nam vigilantes fame laborant, iuxta illud Hipp. 6. epid. sect. 4. text. 20. per illa verba satis trita, *Aqua edax, vigilia edax*: ergo tempore prandij, in quo frequenter vigilamus, uti debemus copiosiori alimento, quam in cæna, post quam frequenter sequitur somnus; unde qui præter solitum vigilant noctu, citius famem percipiunt: ergo in vigilia citiùs celebrantur coctiones, & per consequens in prandio major copia alimenti est sumenda. Corroboratur assumptum: nam si somnus conducerer ad uberiores coctiones alimentorum, statim à pastu esset dormiendum; atqui si ita fit stomacus gravatur: ergo somnus non conducit ad meliorem coctionem.

Secundo etiam fulcitur conclusio: nam per somnum calor recurrit ad suos fontes, cor scilicet, & hepar; reliquæ verò partes illo magis destituuntur, quam in vigilia, per hanc verò ad omnes partes magis diffunditur calor: ergo minor est calor ventriculi in somno, quàm per vigiliam; in qua etiam solis calor coctionem iuvat, ex Aristot. 2. physic. cap. 2. ubi fatetur esse vitæ principium; ulterius etiam in vigilantibus situs ventriculi juvat ad coctionem, quia erecta figura facit ut cibi faciliùs descendant ad fundum ventriculi, in quo viget magis calor, quia carnosior est: cubantibus verò, latera ventriculi magis attingunt, unde os illius non sufficienter clauditur; & hinc fit quod somnus meridianus minùs noceat, si sedendo capiatur, quam cubando. Denique quia pituita, quæ interdiu per nares & sputum rejicitur, noctu in ventriculum defluit, & coctionem retardat, & hoc incommodo carent vigilantes: ergo in prandio securior est maior quantitas alimenti.

Hæc tamen conclusio habetur vera in nostra ætate, in qua mos est inter homines, ut in prandio comedant usque ad satietatem, in quibus si largior sit cœna, maximè ventriculus gravatur, & cruditatibus repletur, & caput offenditur, & præcipuè nocet largior cœna, in his, qui fluxionibus cathartosis obnoxij sunt propter decubitum humoris pituitosi à capite in ventriculum, qui augetur in largiùs cœnantibus propter multitudinem vaporum, qui per somnum ascendunt ad caput; atque si leviter cænant, placidè dormiunt, ita ut à cœna multi planè abstineant, & meliùs habent, consumptis excrementis à calore nativo.

Neque opponitur adductæ conclusioni, quod accidit in bene valentibus, qui perfecta valetudine fruuntur, & robustum habent calorem in ventriculo, nam in his, etsi cœna sit æqualis prandio, aut forsan aliquantulum copiosior, bene se habent, modo tota utriusque pastus quantitas mediocritatem non excedat & proportionem. Hoc enim minimè tollit, quod iuxta frequentem hominum usum, quo cibantur, non debeat esse parcior cœna, propter rationes dictas; neque opponitur nostra conclusio, illis, qui proportionatum alimentum, seu illius mediocrem quantitatem, ita disponunt, ut in meridiano prandio, minorem quantitatem assumant, servando pro cœna maiorem quantitatem; quippe tunc tota illa moles est proportionata cum nostro calore ad perfectam coctionem moliendam; & sic quòd major pars noctu sumatur, non impedit perfectam elaborationem, neque ratione temporis improportionatum est illud alimentum quare conclusio solùm tenet in usu frequenti alimentorum in nostris ætatibus.

Porrò ut clatiùs à calumniis liberetur hæc assertio fundamentis pro contraria parte adductis, satisfacere operæ pretium erit. Ad Hypp. & Galen. testimonia dicimus: morem apud Antiquos fuisse parum comedere in prandio, & liberalius in cœna, idcoque majorem cibi copiam in cœna citra noxam ferre poterant. Nostris autem ætatibus cum prandium lautius esse soleat, Antiquos in cœna imitari, non possumus cum tanta utilitate; & quidem salubrius fuisset Antiquis si quod in cœna ingerebant, in prandio sumpsissent, & è contra. Addimus etiam in satisfactionem nostræ opinionis; quod non erat eadem hora cœnæ apud Antiquos, quemadmodum apud nos, siquidem Romani cum parcissimè satis manè pranderent, cœnare consueverunt tribus horis ante Solis occasum, ita ut coctio ferè peracta esset priùs quàm se ad somnum recolligerent.

Ad rationem dicimus omnimodam quietem ad coctionem juvandam non esse utiliorem, siquidem motus levis, & moderatus à pastu conducit ut cibi in fundum ventriculi meliùs descendant, & calorem nativum aliquantulum excitat, ut coctio meliùs fiat.

Ad secundum fatemur vitales spiritus fortiores fieri in somno, sed non influere in ventriculum, & alias partes, eâ copiâ, quâ in vigilia, etenim per somnum retrahútur ad suum fontem, ut supra insinuavimus. At in vigilia magis diffunduntur. Ad illud de Athletis Respondeo potiùs accusari à Galeno brevis vitæ, & morbosæ, in lib. de bono corporis habitu, & in suasoria ad artes: bene tamen verum est magis conferre cibum longiorem in cœna ad corpus instaurandum, & impinguandum: quippe minor fit resolutio per somnum; attamen copia superfluitatum, quæ inde emergunt, morbos producit, unde talis consuetudo neutiquam venit imitanda; proindeque neque utilitas ulla sequitur ex

largiori cœna. Ad prandium verò si fieri potest tempestiva hora eliganda est; videlicet hora undecima, aut duodecima diei, & si fieri potest hora decima: sic hanc consuetudinem observantes diutiùs viuunt, eos tamen, qui tardiùs pransi sunt, in plures incidere morbos, & breviori vita fruuntur.

CAPVT III.

De Victu singulis ætatibus salutari.

LICET ad tractatum de victus ratione, victum pro omnibus ætatibus convenientem describere attineat, breviter tamen in præsenti loco rem absolvam, ut nihil intactum relinquamus, & ut faciliùs (facultatibus peculiarium, & magis usitatorum alimentorum cognitis) victus rationem convenientem pro diversis ætatibus percalleamus.

Victus igitur Puerorum (ut à prima ætate initium capiamus) ad frigidum, & humidum inclinare debet; frigidum quidem quia eorum calor nimius est, & attemperationem exposcit, propterea, quod non resolvantur citò: ob hanc rationem Gal. 1. de sanit. tuend. cap. 9. vinum ipsis noxium valde esse dictavit, & quia calorem Puerorum auget, & quia caput replet per nimium halitum. De humiditate in victu testis est Hipp. 1. aph. tex. 16. per sequentia verba. *Victus humidus febricitantibus convenit, maximè vero Pueris.* Et ratio id suadet; nam in hac ætate instat necessitas augmenti, & accretionis, ad quod valdè conducit alimentorum humidorum propinatio, necnon etiam ad reparationem faciliorem substantiæ deperditæ, siquidem Puerorum corpora, quia calida, & humida facilè resoluuntur, ideoque facili repositione egent, quæ fit per usum alimentorum humidorum.

Instabis quemadmodum humiditas excedens est naturalis Pueris, sic calor excedens est debitus tali ætati: ergo sicut victus humidus ipsis confert, etiam victus calidus debet conferre, utpotè similis debet esse pro conservatione temperiei naturalis victus; ac proinde non solùm victus humidus Pueris debetur, verum etiam calidus, ac per consequens frigidus victus ipsis est inutilis, imò, & noxius. Respondeo victum calidum esse magis similem, & naturalem pro temperie Puerorum; tamen quia conducit ad resolutionem, & dissipationem, quæ facilis est in ipsis, ideò victus calidus non est condonandus, sed qui declinet ad frigiditatem; & hac ratione impediat faciliorem resolutionem; quemadmodum ad durationem flammæ requiritur mediocris aëris frigidi contactus; nec non etiam ut calor nativus duret, & conservetur, indiget aëris refrigerio mediâ respiratione; aliter enim flamma, & calor noster nativus suffocarentur, de quo tract. nostro de pulsibus tom. 2. latè egimus: ex quo infertur Pueris deberi victum frigidum. Cæterum cum lac sit alimentum magis proportionatum in Pueris & sic calidum in primo gradu: existimo per victum declinantem ad frigidum esse intelligendum respectu caloris Puerorum; non quia absolutè non debeat esse calidum.

Si iterum instes: quod etiam humiditas conducit ad resolutionem: ergo ut hæc impediatur sicciori victu uti debemus in Pueris, & non humido. Respond. quod licet humiditas dispositivè conducat ad resolutionem: tamen quia magis in Pueris instat necessitas augmenti, quod juvat humiditas summoperè, & inhibet siccitas, ad precautionem majoris mali oportuit instituere victum humidum in Pueris, & aliquantulum frigidum, ut impediat resolutionem majorem, & faciliorem; & non ita frigidum, ut ipsorum calorem nativum, & vitalem, valdè quidem necessarium pro nutritione, & coctione, & demum pro incremento comparando; ideoque jure optimo, Pueris victus frigidus, & humidus instituendus est, modo à nobis exposito.

Quantitas etiam ciborum debet in Pueris esse major, quàm in reliquis ætatibus, ob caloris exuberantiam, & incrementi necessitatem. Consonat Hipp. 1. aph. tex. 14. ubi rationem reddit per sequentia verba. *Qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur.*

Adolescentibus victus medius, tum ratione qualitatis tum ratione quantitatis instituendus est: quia moderatum habent temperamentum, ideoque temperatis alimentis nutriendi sunt, quæ moderatam primarum qualitatum proportionem habeant; & ulteriùs quantitas ipsorum in hac ætate debet esse moderata: minor scilicet, quam in pueritia, & major quàm in ætatibus subsequentibus quoniam minor in ipsis est resolutio, & non ita urget necessitas augmenti.

In juvenibus instat minùs necessitas augmenti; tamen quia calidi sint, & sicci convenit etiam ipsis victus frigidus, & humidus sicut in Pueris; frigidus quidem respectu caloris juvenum; humidus verò ut siccitatem domare valeat; & ut retardet senectutis majorem siccitatem, & tandem naturalem mortem, quàm prænuntiae, frigiditas, & siccitas senibus debita; Insuper etiam juvenibus propinanda sunt alimenta solidiora, quàm Pueris, neque ita fluida, & concoctu facilia, quæ à ventriculis robustioribus faciliùs concoqui valeant; peculiariter etiam vinum meracum vitare debemus in hac ætate, quia juvenes præcipitat ad iram, & habitum corporis ipsorum furiosum reddit.

De senectute certum est: quod cum sit ætas frigida, & sicca convenit victus calidus, & humidus. & inter alimenta magis proportionata pro senibus, est vinum: quia debilem ipsorum calorem fovet, vires infirmas reficit, cruditates, quibus abundant, concoquit, humiditates excrementitias absumit, & per urinas evacuat; cavendum tamen est, ne propinetur vinum meracum in magna copia: nam caput tentat, catharros excitat, & calidum nativum resolvit: Audite Valles. circa hanc rem in sacra Philosoph. *jam verò nihil arbitror stultius quam vinum meracum senibus abundanter propinare; corpus enim replet cruditatibus, innumeros parit morbos, & mortem properat*, quapropter utilius judicat in valdè senibus propinare hydromel ad vitam diutius producendam, cujus plura sunt exempla, imò & ipsum mel crudum cum pane utile ipsis alimentum est.

Ciborum quantitas in hac ætate minor esse debet, quàm in aliis ætatibus; quia calor naturalis exiguus est, & alimenti magnam copiam concoquere non valet. Consonat Hipp. 1. aph.

tex. 14

tex. 14. sic. *Senibus parum innati calidi inest, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguntur.* In cujus textus expositione Galenus sic loquitur. *Lucernarum flammæ, quarum oleum est alimentum, si quis id totum simul superinfundat, extinguuntur potius, quàm nutriantur, eodem modo etiam in senibus, calidum sui fomentum quidem habet alimenta; si verò multis confertis cumuletur, ac quodammodo stranguletur, periculum est, ne extinguatur, sicuti etiam si parva scintillæ ignis lignorum multitudinem super acerves.* Vbi sententiosè satis exemplis adductis rem præsentem demonstravit.

Tandem breviter victum singulis anni temporibus debitum, describere oportet. Hyeme calidiora, & sicca debent esse alimenta, quæ resistant, seu opponantur frigiditati, & humiditati aëris, & ut absumant pituitæ maximam copiam, quæ hyeme generatur, & quoniam in hoc tempore naturalis calor maximè viget, copiosiora sunt offerenda alimenta, totum quod expressit Hipp. 1. aph. 15. sic. *Ventres hyeme, & verè natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda, etenim tunc calor nativus plurimus est unde & pluribus egent alimentis*: nihil clariùs. Potus parcior esse debet, quia corpus in hoc tempore humiditatibus abundat, & vinum paulò meracius bibendum est ut noxas à nimio frigiditate causatas emendare valeat.

Tempore veris debemus offerre cibos mediocres in quantitate, & qualitate, calidiores tamen, & copiosiores, quàm in æstate, & minùs quàm in hyeme: ratio est: nam cum ver in omnia anni tempora sit temperatissimum, requirit temperatissima alimenta, & in medioeri quantitate, cæterùm quia ventres sunt etiam verè calidissimi, copia ciborum debet esse major, quàm in aliis temporibus, exceptâ hyeme. Porrò in principio veris, in quo aliquid participat de temperie hyemis, victus ferè debet esse similis victui, qui debetur in hyeme; in progressu verò sensim imminutandus est; ita ut ad æstatem proximè accedens quantitate minor sit, & in qualitate frigidior, & humidior.

Æstate cibi refrigerantes, atque humectantes conveniunt, & pauca eorum quantitas assumenda; potus verò copiosior esse debet; quia caliditas ab aëre æstivo corpora nostra alterante refrigerantibus, atque humectantibus cibis, ac multo potu corrigenda est, in cuius subsidium natura provida fructuum, atque olerum copiam nobis suppeditat: cum autem calor nativus tunc temporis debilior sit, pauciora alimenta ingerenda sunt, ut faciliùs concoqui valeant.

Tandem Autumno paulo pleniori, calidiori ac sicciori victu utendum, quàm in æstate: sed in principio ab eo, qui æstati conveniens est, parum declinet; in fine vero ad hyemalem magis accedat; mutatio autem hæc & variatio in victu sensim est celebranda, ut ei natura faciliùs assuescat; quæ doctrina in omnibus temporibus observanda est; cum in principio aliquid participent de tempore antecedenti, & in fine accedant aliquantulum ad tempus quod subsequitur in temperie.

Sed tempus iam instat, ut ad particularia, & magis usualia alimenta accedamus, describendo eorum facultates, iuxta ea, quæ Antiqui scripserunt. In quo opere potiùs narratores, quàm Scriptores, aut speculatores, erimus, & primò erit sermo de Pane.

CAPUT IV.

De Pane.

POstquam generalia præcepta circa alimentorum usum proposuimus, jam peculiaria, & utiliora ad præcipuos, & magis usitatos cibos spectantia, breviter exponere aggredimur, omittentes cibaria, quæ non ita communia sunt: ne opus hoc nimium crescat; & quia apud Authores, qui de alimentorum facultatibus ex professo scripserunt, fusè exarata inveniuntur. Et quidem à Pane exordium sumimus, tanquam primario nutritionis fundamento; ad cuius bonitatem, necesse est quod ex purissima tritici farina conficiatur; optimi autem tritici conditiones Matthiolus super Dioscoridem docet, nempe quod sit fractu contumax, densum, grave, in colore aureum, lucidum, mundum, maturum, & ex terra pingui ortum; ex cuius purissima farina depurata scilicet, aut separata furfuracea omni materia, panis conficitur, qui dicitur *Siligineus*, & est omnium maximè nutriens, quamvis ex farina, quæ furfur habet admixtum conficiatur panis, qui minoris est nutrimenti, tamen ventrem subducit, propter vim detergendi, quæ in furfure residet.

Vlteriùs panis optimus debet esse fermentatus, quia pastum viscidum, & lentum per admixtionem fermenti inciditur, & attenuatur, atque in ampliorem magnitudinem intumescit, unde fit panis levissimus, & oculatus vulgò nominatus; namsi fermento careat omninò, aut non habeat sufficientem illius quantitatem permixtam difficilè coquitur, validas parit obstructiones, & ventriculum gravat: altera conditio optimi panis est, ut sit bene concoctus, alioquin ventriculum gravat; & insuper sale sit conditus, necesse est, ut attenuet crassam, & viscidam illius substantiam, & ut minùs obstruat, modica tamen salis quantitas debet esse in pane, ne nimis exsiccet corpora nostra.

Oportet autem quod panis sit recens, hoc est, quòd à viginti quatuor horis antea sit coctus; vetus autem durus est, ac siccus, & difficiliùs coquitur, ventriculum gravat, & alvum cohibet; si verò devoretur nuper è furno extractus lentorem adhuc retinet, vehementer inflat, & viscera obstruit, & si adhuc è furno caleat empyreuma retinet, quod perturbat spiritus, & calori naturali nocet; in fine mensæ omnibus hominibus, præcipuè qui ventriculum habent humidiorem crustam panis comedere, optimum est; os enim ventriculi constringit, & coctionem juvat, dummodo exusta non sit panis crusta. Advertere tamen oportet, quod licet panis præ ceteris alimentis optimè nutriat, si tamen in nimia quantitate sumatur, insignem nocumentum affert; nam per suam glutinosam substantiam non coquitur sufficienter, & venis Mesenterij hæret, & obstructiones gravissimas creat.

CAPUT

CAPUT V.

De Hordeo, Avena, fabis, ciceribus, & lentibus.

SOLUM in præsenti ad nostrum attinet institutum agere de cibis, seu esculentis, qui in statu sanitatis communiter sunt in usu; cum cibaria, & modus cibandi, quæ ægrotantibus competunt, non sit huius loci, sed potiùs ad tractatum de ratione victus pertineat, de quo in hoc tomo specialiter egimus; unde & ex his, quæ in hoc opusculo de qualitatibus, & facultatibus alimentorum in particulari dicta fuerint, convenientem modum cibandi, & cibaria opportuna, pro ægrotantibus poterit quis discere; si præcepta generalia de victus ratione his adjungat; sic ad hordei virtutes propero, quod primo ordine est adductum.

Est igitur, hordeum frigidum, & siccum in primo gradu, & eius cortex exterior siccior est medullâ interiori, utraque tamen habet vim abstergendi, sed magis cortex; interdum ob inopiam tritici Pauperes panem construunt ex hordeacea farina, qui frigidior est, & alimentum minus firmum, & stabile suppeditat: item ex hordeo decocto usque ad intumescentiam, fit ptisana, pistato hordeo, & ipsius lactè extracto, additis seminibus Melonis, & cucurbitæ, quæ valdè utilis est, & auxiliaris pro febribus ardentibus; necnon etiam per extenuatis, aut tabidis: Ulteriùs ex hordeo decorticato, & triturato fit alimentum, quod vulgo dicitur *farro*, extenuatis, & tabidis utilissimum, sive cum iure præparatum, sive cum lactè amigdalarum dul. quod etiam hecticis valdè confert, corpus temperando, reficiendo, & impinguando.

Avena interdum hominibus tanquam alimentum medicamentosum deservit, si ipsam decorticemus, & in aqua decoquamus, addendo lac amigdalarum, & saccarum; fit enim hac ratione idoneum ferculum, quod avenatum vocatur, levius quidem hordeato, quapropter faciliùs concoquitur; urinas insuper movet ob substantiæ tenuitatem, cuius temperamentum ad calidum inclinat.

Fabæ frigido, & sicco temperamento præditæ sunt, virides tamen humidiores sunt, quàm aridæ, quæ solùm à Plebeis, & vilioris fortunæ hominibus usurpantur; virides tamen à delicatioribus, & Divitibus hominibus devorantur, tum citra elixationem, tum etiam elixæ cum jusculo; quomodocumque verò præparentur, difficile coquuntur, & distribuuntur, crassosque & flatulosos succos generant, ventrem inflant, spirandi difficultatem augent, alvum adstringunt, & insuper, hepar, lienem, venasque meseraicas obstruunt, vapores etiam plurimos ad cerebrum transmittunt, unde visum hebetant, & turbulenta insomnia inducunt.

Licet tamen fabæ ut alimenta assumpta prædicta afferant mala, ex ipsis plura medicamenta utilia conficiuntur; & quidem ex corticibus fabarum recentibus, aqua destillatur, calculosis utilissima, renes etenim abstergit, & mundificat, & ea ratione calculorum generationem prohibet, & his, qui calida renum intemperie laborant utilis valde est; quia frigida & humida. Exterius etiam farina fabarum utiliter admovetur in testium inflammatione.

De ciceribus agit Gal. lib. 1. de alim. facult. cap. 22. de quibus sic loquitur: est autem cicer edulium, non minùs quàm faba flatulentum, sed valentiùs nutrit, quàm illa, ad venerem autem incitat, creditumque etiam est semen generare; calida enim sunt, & modicè sicca; inest præterea ciceribus facultas abstergendi major, quàm fabis, adeo ut quidam ex ipsis calculos in renibus constantes, manifestè comminuant; jusculum cicerum habet facultatem abstergendi, aperiendi, provocandi urinas, & menstrua; & ad hos usus nigra præcipuè cicera commendantur, & plures iusculum parant ad cienda menstrua ex ciceribus nigris, radicibus petroselini, & croco, quod per triduum exhibent, instante, aut incipiente menstruo.

Lentes omnium leguminum pessimæ, frigido, & sicco temperamento gaudentes, difficile coquuntur; succum terrestrem, & melancholicum generant, ideoque qui largiùs lentibus utuntur, in Elephantiasim, & cancros incurrunt. Galeno dictante. 1. de alim. facult. cap. 18. de lentibus, ubi de ipsis tenet, quod ineulpatum & integrum visum hebetant, & menstruas purgationes cohibent; & mulicbri profluvio utiles sunt. Insuper jecoris obstructiones gignunt, viscerisque hujus, & lienis etiam inflammationes augent; necnon etiam scirrhosos tumores utriusque exacerbant. Hæc Galenus cit. loco; Ulterius somnia excitant tumultuosa, & capiti, nervis, & pulmoni nocent, alvum adstringunt, & prima eius decoctio in aqua ipsum solvit; quapropter in variolis, & morbidis, secunda decoctio pro poto admiuistratur, quia ventrem, & interna viscera sua adstrictione roborat.

CAPUT VI.

De oleribus usualibus.

LACTUCA frigida est, & humida, paucum sanguinem generat, sed meliorem cæteris oleribus; lac generat, alvum emollit, somnum conciliat, ventriculi ardorem extinguit; humorum acrimoniam refrenat: biliosis hominibus, sanguineis, & juvenibus prodest, præsertim æstatis tempore; & si Dioscoridi credamus crebrior illius usus oculorum claritati officit.

Rogabis: si pluribus placet, succum lactucæ epotum quantitate trium, aut quatuor unciarum interimere, more reliquorum venenorum frigidorum; cur si tanta copia lactucæ edatur quæ eamdem succi copiam corpori præstet, nullam infert noxam, ut quotidianum experimentum manifestat? Plures satisfacere conantur quæsito proposito, dicendo: quod lactuca integra diutiùs manet in ventriculo, & sic frigiditas illius longiori coctione emendatur, & sic frigiditatis intensæ actio impeditur: succus vero solus lactucæ citiùs penitiora loca pervadit, & visceribus præcipuis communicatur, ac proinde officit, aut interimit more venenorum. Alij ad condimentorum correctionem refugiunt quibus lactuca præparatur, sale, scilicet, oleo, aceto, aut saccaro

saccaro quibus domatur nimia eius frigiditas, & impeditur ipsius actionis violentia de quo non à est dubium. Nobis tamen videtur succum lactucæ habere proprium correctivum in partibus crassis eiusdem; quemadmodum saliva viperæ in carne ipsius, ex qua conficitur Theriaca; ex quo fit quod quando integra editur lactuca non interficiat more aliorum venenorum frigidorum, secus verò quando eius succus solus bibitur.

Brassica diversitatem habet partium, aliæ quidem socculentæ dicuntur, aliæ verò terrestres; pars socculenta est calida ordine primo, & nitrosa; terrestris, verò frigida, & sicca; proindeque adstringentem vim habet, & alvum supprimit; succus verò, aut decoctio prima Brassicæ alvum movet. Insuper brassica est pravi nutrimenti, neque probum succum generat, sed potiùs vitiosum, & graveolentem, ut ex primo decocto testificat experientia, quod effusum graviter olet; illud tamen habet pecoliare, ut si ante alios cibos edatur ebrietatem arceat; at cibo summo sumpta crapulam discutit, & vini noxam restringit. Vlteriùs est concoctionis difficilis, & succum crassum, & melancholicum generat, halitnosa etiam valdè est, ideoque crassis ad caput missis vaporibus mentem turbat, somnumque causat turbulentum.

Præterea morbis Pulmonis aliquantulum confert, præsertim Asmaticis, & aliis pulmonum vitiis, ad quos Loch. de caulibus commendatur, & succus caolium rubrorum cum saccaro utiliter eisdem affectibus propinatur.

Beta ad Brassicæ naturam accedit, & satis commune edulium est hominibus cuiusvis conditionis; illius succus nitrosa qualitate gaudet, abstersoria, & acri, & sic alvum stimulat, & ad calidum, & siccum temperamentum vergit: corpus verò Betæ frigidum, & siccum est, & terrestre, & ventrem constipat.

Spinachia refrigerat, & humectat ordine ferè secundo, substantiam habet aquosam, ideoque citò descendit, & alvum movet; parum alit, flatus generat, & nauseam parit, nisi aromatibus condiatur; ac denique nimiam copiam serosæ substantiæ producit; tamen asperam arteriam lenit, & tussis est medela.

Endivia refrigerat, aperit, & abstergit, & inter olera maximi est usus, tum cruda, tum etiam cocta: confert eximiè calido, debili, & obstructo iecori, ventricum etiam debilem, & biliosum juvat; sanguinem purificat, scabiem sanat, sitim sedat, appetitum conciliat, ictericos juvat:

Cichorium easdem vires obtinet, quas endivia, sed multò efficaciores propter amaritudinem, ratione cuius magis aperit, & abstergit.

Acetosa frigida, & sicca est in secundo gradu; facultatem habet incisoriam, aperit etiam, modicè adstringit, parum outrit, viscerum calidam intemperiem emendat, sitim sedat, appetentiam excitat, venenis resistit, & bilis acrimoniam retundit.

Borrago in activis qualitatibus est temperata, in passivis autem humida in primo gradu; sanguinem purificat, & humori melancholico adversatur.

Portulaca frigida est in tertio gradu, & humida in secundo, parum alit; sanguinem infrigidat, & incrassat; bilis acrimoniam, & fervorem reprimit, sitim sedat, appetitum excitat, lumbricos interimit; visum hebetat; & actus venereos infringit; quod omnibus plantis refrigerantibus commune est si copiosè edantur.

Petrosèlinum calidum, & siccum est in secundo gradu: aperit, & urinas movet, menses provocat, flatus discutit, & colicis doloribus plurimum opitulatur.

Nasturtium calidum, & siccum est ordine tertio, aperit, attenuat, incidit, & arenulas expellit, & propterea renibus, & vesicæ confert, & lienosis prodest.

Pimpinella refrigerat medioctiter, adstringit, & exsiccat, sapida est, ac bene odorata, cordialis etiam, & hilaritatem inducit, & in vino frequenter maceratur, in Apocematibus meritò debet habere locum pro febribus malignis; ob eius vim adstrictoriam; propterea que ad omnes ventris fluores, & sanguinis profluvia utiliter usurpatur; insuper leve pimpinellæ decoctum citò disenteriam medetur; item ad Pulmonum olcera sananda utiliter propinatur aqua eius stilatitia, in qua conserva antiqua rosarum dissoluta sit, & colata; idem præstat pulvis ipsius frequenter exhibitus cum aqua plantaginis.

CAPVT VII.

De Radicibus esculentibus Vsualibus.

RAPÆ, & Napi eiusdem sunt naturæ teste Dioscoride lib. 2. cap. proprio, & solùm differunt ratione figuræ: nam rapa est orbicularia, seu rutunda, Napus verò longam habet figuram; calida est utriusque natura in secondo ordine, & humida in primo; exiguum præbent alimentum, succum generant mediocriter crassum; valdè flatuosæ sunt huiusmodi radices; insuper lac, & semen augent, veneris stimulos incitant, urinas movent, fauces, & pulmonem leniunt, humorem melancholicum contemperant, & ad febrem quartanam commendantur, ipsique auxiliantur: decoctum Raphani utile este podagricis, & Pernionibus, & contra mortifera venena est remedium, & præcipuè semen pulverizatum, hoc præstat.

Pastinaca calida est, & sicca ordine secundo, crassum ac melancholicum præbet alimentum, difficilè coquitur, diuretica est, ideoque menses movet, & in venerem stimulat.

Raphanus calidus est ordine tertio, & siccus in secundo inter Raphanos, acriores sunt calidiores; paucum, & vitiosum præbent alimentum, seu nutrimentum, & pro condimentis, aut obsoniis magis eduntur, ad excitandum appetitum, difficilè coquitur Raphanus, flatos generat, & ructus olidos parit, gravitatem capitis causat, vaporibus ipsum replentibus; menses, & urinas provocat, Arenulas renum deturbat, lienosis prodest, aperiendo, incidendo, & attenuando, vomitum concitat eius decoctum, & seminis; oculis nocet propter halitus acres, & mordaces; cortex Raphani utilis est ad hydropicos, & si cum oximelite devoretur, vehementiùs concitat vomitum, & cum melle applicata in formam emplastri restituit capillos à tinea deperditos; ratione partium aliquarum subtiliom, quibus polleot; si in fine mensæ sumantur conducunt ad celeriorem distributionem; Certum tamen

men est miomimè juvare concoctionem, cum potiùs ipsi difficilè coquantur, ut dictum est à Dioscorid. & à Doctore Laguna in comm. capite proprio. Vbi vituperat valdè vulgarem hominum opinionem asserentem Raphanum juvare ciborum cuncoctionem, cujus contrarium planè, & acertimè deffendit.

Allium calefacit, & exficcat ferè ordine quarto, alvum & urinam movet, menses evocat, flatus parit, & oculis nocet, ventriculi concoctionem adjuvat, quando frigida intemperie laborat, si aliquot bulbi integri, pillularum instar, manè devorentur: Vlteriùs viscerum obstructiones appetit, crassos, & lentos humores incidit, & abstergit, vocem clariorem reddit, lumbricos enecat; venenis resistit, & bronchia pulmonis ab eorum infartu liberat; denique causticam vim habet, si enim exteriùs ad moveatur cutem exulcetat. Idem præstant Cæpa, & Sinapi; si autem interiùs devorentur viscera minimè erodunt; rationem quærit Galenus 3. de temperamentis cap.3. ipse tamen dubiolo satisfacit, ex eo quod coquuntur io ventriculo, & aliis partibus, & in eodem loco non manent, sed per partes dispergantur, & præcipuè, quia multis cibis & potibus permiscentur. Hæc Galenus.

Cæpa calefacit, & exficcat ordine quarto, acris valdè est, atque mordax, longa acrior est, quàm rotunda; & rubra quàm alba; sicca, quàm viridis; cruda quam cocta, paucum, & pravum nutrimentum præbet, flatulentos gignit spiritus, oculis nocet, somnia causat turbulenta, gingivis est adversa ob ejus acrimoniam, incidit, attenuat, aperit, & menses movet. Cæterùm licet vires alimentosæ cæpæ pravæ sint; Medicamentosæ facultates insunt in ipsa, valdè utiles, ad extirpandos plures morbos, & primo Cæpæ sub cineribus coctæ, & cum butyro comestæ tussiosibus, & Asthmaticis prosunt; idem præstant beneficium cum jusculo carnium elixæ. Item aqua cæparum destilata per balneum Mariæ cum saccaro calculosis valdè est utilis, & similiter si manè comedantur, aceto priùs intinctæ. Item si in orbiculos scindantur, & in aqua per noctem macerentur, talis aqua Pueris exhibita; lumbricos potenter enecat; exterius etiam admotæ, suppressam urinam promovent. Rursus si sub cineribus coquantur, & in mortario marmoreo cum pistillo ligneo contundantur, addita butiri recentis æquali copia, seu pottione; dolores hæmorrhoidum sedant, & tumentes emolliunt hæmorrhoidas, ac breviter discutiunt.

Porrum similem cum cæpis habet naturam, & temperiem, easdemque facultates, sed paulò remissiores; illud tamen habet peculiare juxta Hipp. dicta 1. de morb. mulier, quod utile sit ad juvandam conceptionem, non solùm intus assumptum, sed etiam exterius admotum, per fomenta, semicupia, & cataplasmata, supra uteri regionem imposita, hoc tamen præstat vi abstersoria qua pollet, ratione cujus uterum expurgat à mucosis humoribus, qui feminis retentionem, & actuationem prohibent.

CAPUT VIII.

De fructibus esculentis usualibus.

POMA omnia refrigerant, & humectant, sed acidiora frigidiora sunt, & alvum adstringunt; dulcia verò sunt magis temperata & alvum laxant: cruda difficilè coquuntur, cocta vero non item, cardiacam vim obtinent, præsertim redolentia, atque ideo melancholicis utilia, quod inde constat, ex sirupis, qui in officinis habentur pro melancholicis destinatis; sic sirupus de Pomis Regis Sapor, & Sirupus de Pomis redolentibus; in quibus virtus laxandi ex eo dignoscitur, quod illis, quibus alvus adstricta est, poma cocta describuntur per horam ante cibum sumpanda.

Pirorum variæ sunt species, & varia pro ipsis assignantur temperamenta; insipida, frigida, & humida sunt. Accida austera, & acerba, frigida, & sicca; dulcia ad aliquem calorem inclinant; omnia adstringendi vim habent: sed majorem austera, & acerva, minorem dulcia, minimam insipida, cocta crudis utiliora sunt, & ventriculo magis amica.

Cidonia terrestrem habent naturam, validè adstringunt, refrigerant, & siccant in gradu secundo: vomitum & alvi fluxum curant, venenis resistunt, ventriculi coctionem juvant, in fine mensæ ingesta: quia orificium illius claudunt.

Pruna recentia, refrigerant, humectant, alvum emolliunt, & parum nutriunt, facilè corrumpuntur, & largior earum usus febres putridas, dyartheas, & dyssenterias parit, præsertim si non satis matura comedantur, reprobantur in ventriculo frigido, & humido, & multa pituita referto, & in Senibus; conveniunt autem juvenibus, biliosis, & sanguineis, maximè inæstuosa aëris constitutione. Siccata ventriculo salubriora sunt nec ita facilè corrumpuntur: ventrem insuper subducunt in aqua cum saccharo decocta.

Mala persicca frigida, & humida sunt ordina secundo, pravum generant succum, & facilè corruptibilem: quapropter Gal. 2. de alim. facult. cap. 19. monet post alios cibos non esse comedenda, quippe corrumpuntur in superficie natantia; sumenda ergo sunt, ante fercula alia, sic facile egeruntur, & reliquis cibis viam muniunt, at si in ultima mensa edantur, unà secum alia corrumpunt; cæterùm prava eorum qualitas vino, & sale emendatur, aut si coquantur supra cineres, & saccaro conspergantur. Illud autem commune est omnibus fructibus frigidis, & humidis, & facile corruptibilibus, ut in prima mensa, seu ante reliquos cibos, edantur; aliter enim alios corrumpunt, supra innatantes, ut dictum est.

Cerasa cum prunis maxime conveniunt, tum ratione temperiei, tum etiam ratione facultatum; ex duabus speciebus acida magis refrigerant, & difficiliùs corrumpuntur; dulcia verò magis corruptibilia sunt. Galenus tamen lib. 2. de alim. facult. cap. 12. facultatem adstringentem illis concessit.

Ficus recentes in activis qualitatibus temperatæ in passivis humidæ sunt, satis laudabilem succum

succum generant, si perfectam maturationem adeptæ sint; si verò fatis maturæ non fuerint, tunc pravum, & corrosivum succum generant, & disenterias, & putridas febres causant, etsi primâ mensa edantur, facilè in ventrem descendunt, ipsum laxant, & abstergendi vim obtinent. Ficus siccæ, quæ caricæ dicuntur vulgariter; calidæ sunt primo ordine, & attenuandi, atque abstergendi facultatem habent, vites fovent, alvum subducunt, renes mundificant, frigidis pulmonum vitiis opitulantur; hepatis, & lienis obstructiones reserant; Largiùs ingestæ sitim excitant, sanguinem impurum, & puttedini obnoxium generant, & ex earum crebrò usu pediculorum proventus, & scabies exoritur. Tamen Authores non infimæ notæ virtutem, seu facultatem resistendi venenis ipsis concedunt.

De Vvis agit Gal. 2.de alim. fac. cap.9. & inter autumnales fructus principatum obtinent; sunt plurimi nutrimenti, plus quàm reliqui fructus, modo ad perfectam maturationem pervenerint: optimi, & plurimi esse nutrimenti comprobat Galenus exemplo eorum, qui vineas custodiunt, qui corpulenti ad modum evadere solent; licet caro ab uvis genita non sit ita firma, & densa, sicut illa, quæ ex carnibus generatur; Vvæ quæ in calidis regionibus adolescunt gratam habent dulcedinem, & corpus reficiunt, & humectant; præcipuè utiles sunt Pueris propter magnam temperamenti similitudinem; ita ut nonnullos hectica febre laborantes, solo Vvarum usu restitutos fuisse testentur plures Authores, quas in omnibus pastibus, cum pane copiosè comedebant; At Vvæ, quæ in regionibus frigidis implantantur, ad maturitatem perfectam non perveniunt; acidæ sunt,& acerbæ, & sanitati adversæ: qui debiles sunt, uvas debent edere dentdatas à pelle, ne ventriculum gravent, nunquam tamen devorari debent calidæ à solaribus radiis. Cæterùm uvæ pensiles inter cibos refrigerantes enumerantur, quia deperdunt partes calidiores, & per temporis diuturnitatem resolvuntur.

Vvæ passæ calidiores sunt, & æstuosæ ab Hippoc. dicuntur, & ad bilem generandam aptissimæ, quemadmodum omnia dulcia alimenta in corporibus biliosis: nam in frigidis temperaturis, & hominibus temperatis optimi sunt nutrimenti: ex Vvis passis præstantiores sunt pingues, & tenuibus folliculis vestitæ; & hac ratione plenius nutriunt; alvum laxant, & abstergunt, sed aliquantulum minùs quàm caricæ; magis tamen ventriculum juvant, Pectori. Renibus, & vesicæ plurimum prosunt; tandem cum hepate familiaritatem habent: quapropter electuarium de passulis, pro hepatis corroboratione dispensatur communiter.

Amygdalæ dulces moderatè calidæ sunt; & pingues; atque oleosam humiditatem habent; attenuant, detergunt, urinas movent, & pulmones ab infarctu liberant; bronchiarumque asperitates leniunt, copiosè nutriunt, & alimentum euchimum, sed crassum præbent, genituram augent, somnum conciliant, quia falituosa sunt, sed difficilè coquuntur propter substantiæ crassitiem.

Nuclei pinei, ad naturam amigdalarum maximè accedunt sunt calidi, & humidi, & crassum succum generant,ac difficilè coquuntur;lac, & semen augent, ac Venereos stimulos irritant; detergunt, humectant, reficiunt, & impinguant; & denique tussientibus phthisicis, & tabescentibus conferunt.

Nuces avellanæ ad pineorum, & amigdalarum temperiem accedunt, sed difficiliùs coquuntur, & ventriculum gravant, largiùs ingestæ cibis supernatant, & vomitum, flatus, capitisque dolores excitant; Nephriticis conferunt, ante pastum esitatæ, & à calculo præservant.

Nuces juglandes calidæ, & siccæ sunt, parum nutriunt, & difficilè coquuntur, ventriculo nocent, bilem generant, capitis dolorem inferunt, pulmoni noxiæ sunt; Lumbricos expellunt, virides cum saccaro conditæ, cortice priori detracto stomacum, & cor roborant; siccæ vero venenis resistunt; Neque citra rationem adducitur illud vulgare axioma. Post pisces, nuces esse comedendas; quippe piscium natura frigida, & humida, & à nucibus corrigitur, etsi forsan in piscibus aliqua relucet malignitas, ob loci cænositatem, in quo forsan generantur; à nucibus corrigitur.

Castaneæ in activis qualitatibus ad calidam temperiem vergunt, in passivis autem siccæ sunt; satis copiosum præbent nutrimentum, sed difficile coquuntur, succum generant crassum, flatus excitant, alvum adstringunt; elixæ cum fœniculo minus flatuosæ sunt, quàm assæ, quæ illico ventriculum inflant.

Melones frigidi, & humidi sunt, sitim sedant, urinas movent, facilè corrumpuntur, & corrupti naturam veneni induunt, & choleram morbum, & febrem malignam interdum excitare soleot, eorum noxa aliqua tenus impeditur si multo sale corrigantur; in prima mensa modica quantitate sumantur, ut meliùs coquantur, & faciliùs ad intestina descendant, & vinum merum superbibatur, & cibi optimi succi postea ingerantur. Nec valet si aliquis dicat vinum post Melonis devorationem nocere: ex eo quod pravum illius succum citiùs deferat ad penitiora corporis, ubi majorem inferunt molestiam: nam si vinum sit generosum, & copiosè bibatur omnem Melonum malitiam emendat, & juvat coctionem.

Cucumeres sunt frigidi, & humidi ferè in tertio gradu, pravum succum corpori ministrant, & facilè putrescibilem, ex quo febres malignæ, diarrheæ, & dissenteriæ facilè generantur.

Cucurbita, frigida, & humida est in gradu secundo, parum alit, succum gignit improbum, cucumeribus tamen salubriorem, & in jusculis æstuante cœlo commodè usurpatur; quia bilis fervorem contemperat.

Cinara calida est in gradu secundo, sicca in primo, flatus generat, venerem stimulat, caput gravat, & cum durescit, vocatur à Galeno edulium cacochimum, & succum generat melancholicum in genere.

CAPVT IX.

De Carnibus in genere.

EX Vsualibus carnibus Vervecina præstantior est, & ussitatissima omni ætati, complexioni, & tempori convenientissima, temperata

perata est; aut saltim moderatè calida, & humida; utimur ipsa tum assa, tum elixa, & utroque modo utilissima est, præcipuè si optimo pastu sit nutrita.

Caro ovilla mali succi est, & excrementitii, difficilè coquitur, ob substantiam viscidam, & lentam, qua pollet, propter partus frequentiam,

Agnina caro valdò humida est, mucosa, & pituirosa, eam non approbat Galenus lib. de attenuante victu cap.8. Intelligendus tamen est de Agnis nuper natis; nam adultiores optimum præstant alimentum, & facilè coquuntur, & præsertim utilis est naturæ debiliori, & his, qui parum exercentur.

Caro hædina humida etiam est, sed minùs Agnina, moderatè nutrit, sanguinem gignit tenuem, & humidum; alvum emollit, & melior est assa, quàm elixa, sicut Agnina caro.

Caro bovina calida est, & humida absolutè considerata: quippe omnis caro tale habet temperamentum, utpote ex sanguine genita, comparatione tamen facta cum aliis animalibus, sicca est, & dura, concoctu difficilis, & alvum sistit, sanguinem melancholicum creat; firmum tamen est nutrimentum si optimè coquatur; ideò robustis corporibus, & valido exercitio utentibus, utilis est.

Vitulina caro in qualitatibus activis est temperata; in passivis humida, boni succi, concoctu facilis; sanis atque ægrotantibus conveniens & maximè utilis naturis delicatioribus, & mollioribus, quàm robustioribus.

Suilla caro in activis qualitatibus temperata est, in passivis humida, quàm Galenus humanæ carni assimilavit, si optimè coquatur, & potentissimum est alimentum, & magni nutrimenti, crassum, & lentum habet succum, ideoque nutrimentum præstat firmum, & durabile, quod dissipari facilè nequit.

Porcellorum caro præhumida est, & mucosa, plurimumque gignit pituitæ, est magis excrementitia, quàm suilla, quia humidior; minùs autem nutrit alimentum quod præbet facilè distribuitur, & dissipatur, propter substantiæ tenuitatem.

Leporina caro sicca est dura, & crassa sanguinemque melancholicum generat, quod de vetusto animali est certum, quippe lepusculorum caro delicatissima est.

Cuniculorum caro ad leporinam proximè accedit, in eo tamen differunt, quod cuniculi mediæ ætatis, reliquis præstantiores sunt, vetusti autem duriores, & sicciores; cæterùm nuper nati mucosiores sunt, sylvestres domesticis præferuntur; sunt enim minùs humidi, & excrementitii, quàm domestici, qui pinguiores, & corpulentiores sunt; sed longè inferiores in sapore, & salubritate.

CAPUT X.

De Alimentis quæ in Animalibus continentur.

SANGUIS calidus est, & humidus, difficilè coquitur, & plura generat excrementa, potrò dum in venis est, facilè in substantiam corporis convertitur, tamen postquàm ab illis eductus est, calorem, & spiritus amittit, ideoque concrescit, & in pravam degenerat substantiam.

Medulla calida est & humida, optimè nutrit, si benè coquatur, in nimia quantitate assumpta ventriculum relaxat, & nauseam parit.

Lac integrum in activis qualitatibus temperatum est, ad frigidum aliquantulum vergens; in passivis verò humidum ratione pinguis, & aquosæ substantiæ; at ratione caseosæ substantiæ, emplasticum, & incrassans; Abstersorium ratione partis serosæ; ratione autem butyrosæ substantiæ temperatorium, & mitigatorium.

Lactis optimi electio est ut sit candidum, clarum, purum, atque sincerum, dulce omnisque amaritudinis, acrimoniæ, aciditatis & salsedinis expers; item sit suaveolens, aut saltim boni odoris exiguum quid expirans: Insuper in consistentia, sit moderatum, hoc est, neque nimis crassum, & caseosum, neque nimis tenue, & serosum; sibi ipsi continuum, & ungui instilatum cohærens, & non diffluens, recens mulctum, & ab animali benè pasto.

His prædictis conditionibus omnium ferè alimentorum lac erit præstantissimum, facilè enim coquitur; etiam si Valles. 5: aphor. in expositione illius celebris, etsi communis sententiæ Hippoc. 64. *Lac capite dolentibus malum*, &c. in expositione expresse teneat, lac esse concoctionis non omninò facilis; quod capere non possum; quippe est alimentum omninò depuratum à fœcibus, & frequenter propinatur ægrotantibus, tabidis, hecticis, & debilibus, quibus est proportionatum alimentum; si autem non esset facilis coctionis non ita esset; solùm tamen tenet eius opinio in eo sensu, quod inter alimenta non est lac, quod faciliùs coquitur, non verò quia sit difficilis coctionis absolutæ, sed comparatione facta cum aliis tenuioribus, aut delicatioribus alimentis; quod ingenue fateor; tamen cum coctum est bene, & satis, multum nutrit, corpus roborat, & impinguat; alvum emollit, ventriculum, & intestina inflat; in ventriculo pituiroso, aut frigido acescit, in bilioso, & calido nidorem contrahit; corrigitur tamen saccaro aut melle. Lac autem vitiosum nocentissimum est, cuius effectus refert Galenus 3. de alim. fac. cap. 15. videas per otium.

Inter lactis differentias pro personatum alimonia, lac vaccinũ omnium est crassissimum, & pinguissimum; quippe caseosæ substantiæ habet plurimũ, serosæ autem (si cum aliis comparetur) minimum; quapropter magis nutrit, & minùs alvum subducit, difficiliùs coquitur, citiùs in ventriculo coagulatur, tardiùs descendit, difficiliùs distribuitur obstructionibus generandis magis est idoneum. Lac caprinum mediæ est consistentiæ, sicut & ovillum, quod Caprillo crassius est, quippe habet plus casei, & minùs seri, ideoque minùs dejicit, & valentiùs nutrit. Asininum hac omnium tenuissimum est, & maxime serosum, & propterea magis subductorium.

Butyrum calidum, & humidum est in primo, magis tamen humidum, quàm calidum, vetustum calidius est, & tenuius, recens fere temperatum est in activis qualitatibus, nutrit, impinguat, ventrem laxat, & tussi obnoxiis confert.

Cremor lactis butyro similis est, sed in eo differunt, quod butyrum arte extrahitur, cremor verò sponte supernatat, vaporosum est, & crassum. Recocta (vulgò requeson) recenti caseo similis est, fit serosa lactis parte per ebullitionem extracta; minùs sthomaco nocet, quàm caseus recenter pressus, calidis confert defluxionibus, sitim sedat,

dat, somnum conciliat, ventriculo frigido nocet; vetusta, & indurata, parum nutrit, flatus generat, & alvum sistit.

Caseus omnis non habet eamdem naturam, & temperiem, sed variat pro diversitate animalium, ex quibus desumitur, & ratione ætatis, odoris, & saporis: Sic caseus vaccinus multum alit, sed difficilec oquitur: ovillus minùs crassam habet substantiam, faciliùs coquitur, & parcins alit, quàm vaccinus; tamen melius alimentum præbet. Caprinus utroque est deterior, sed ob acrimoniam faciliùs expellitur.

Antiquus Caseus calidus est, & quò antiquior eò calidior, & acrior, & siccior, & juxta Av. opinionem in gradu tertio, malè coquitur, & distribuitur, succum pravum generat, alvum adstringit, & in atram bilem vertitur, & calculis gignendis aptissimus est. Recens verò caseus, & nuper coagulatus & mollis, frigidus, & humidus est, duro, & sicco caseo magis flatuosus ob humiditatem, minùs autem siticulosus, & minus ventrem sistit, bene nutrit, difficilis est concoctionis, ad calidum pronus, & ad obstructiones genetandas. Caseus putridus, & fœtidus omnium pessimus; at pinguis, & butyratus optimus, oculatus, & macer pravus; quippe omni ferè butyro privatus est.

CAPUT XI.

De Cibis Volatilibus.

GALLINARUM caro in activis qualitatibus temperata est, in passivis humida, boni succi, coctu facilis, & multi nutrimenti, seminis copiam auget, dummodo sit Gallina juvenis, quæ nondum pepererit; Veteres macræ glocientes, & incubantes damnantur ab omnibus.

Caponum, & Pullorum Gallinaceorum caro ejusdem est naturæ, & temperiei cum carne Gallinarum juvenculatum, in eo tamen differunt, quod pulli tenuiorē substantiam habentes, minùs alūt, & omnis solidā substantiam præbent. Pulli Columbini inter laudatissima alimenta numerantur, optimè coquuntur, succum generant mediocrem in crassitie, & tenuitate. Gallorum caro durior est, & calidior, & difficile coquitur.

Anserum caro calida est, & humida, crassa, & concoctu difficilis, & excrementitia; obstruit viscera, & pravum succum generat, pulli juniores insalubres sunt, utpote mucoribus & carne excrementitia pleni.

Perdices inter alata alimenta principatum obtinent; carnem habent sapidissimam; præsertim juniores, bonum, & laudabilem generant sanguinem, copiosum, & excrementis vacuum, memoriam augent, & semen multiplicant, veneremque instimulant, & continuo carum usu venerea lues extirpatur.

Palumbæ, Turtures, Coturnices, & Turdi; Reliquæque montanæ Aviculæ, secundùm à Perdicibus locum obtinent; optimum succum generant, bene nutriunt, & paucam excrementorum copiam obtinent: hujus opinionis est Averroës; licet Gal. Plinius & Avic. Videantur contrarium sensisse, quando tenent, qui frequenter aluntur Coturnicibus, spasmo est obnoxios: hoc enim solùm potest verum tenere, in sensu ab ipso Gal. exposito, nempe ex eo, quod Coturnices helleborum pro continuo pastu habeant; tamen cum Regionibus nostris helleborus raro adolescat; imò continuo vescantur Coturnices optimis herbis, & Cerealibus; fit inde ut ex ipsis sanguis optimus, & uberrimum alimentum generetur.

CAPUT XII.

De Ovis.

INTER ova, quæ ex variis Animalibus petuntur, sola gallinacea, sunt in quotidiano usu, quæ ex duplici constant substantia Vitello scilicet, & albumine, quarum quælibet diversam temperiem habet, quippe Vitellus calidus est, & humidus moderatè, optimum præbet alimentum, sanguini simile, & in eum facile convertitur, & excrementis est immunis. Albumen verò frigidum est, & moderatè siccum, crassum generat sanguinem, difficile coquitur, & adstringentem vim obtinet.

Ova optima eligenda sunt, quæ sint candida, longa & nova, & quantò magis recentia, tantò meliora, antiqua verò non ita optima, & quantò magis antiqua tantò deteriora. Diverso modo præparantur, & per diversam præparationem bonitatem aut malitiam participant: Ova tremula ad corporis alimoniam sunt magis accommodata, & magis alunt, quàm sorbilia. Gal. Auth. tremula verò dicuntur, quæ in aqua modicè elixa, eatenus ut in manu detenta tremere videantur, præparantur, sine putamine. Ova sorbilia, quæ in aqua cum putamine eò usque elixa sunt, ut sorberi valeant, minùs nutriunt, quàm tremula, propter substantiæ tenuitatem; faciliùs autem subducuntur, & alvum emolliunt; præsertim manè jejuno ventriculo sumpta, vocem reddunt claram; partum facilitant, & venenis in peste adversantur, commodè administrantur sorbilia, & tremula ova, convalescentibus, senibus, infantibus, phthisicis, & quibuscumque qui debiles sunt propter quamlibet causam. Cæterùm ova longiori elixatione indurata difficile coquuntur, succum generant crassum, & alvum adstringunt; assa sub cineribus magis adstringunt, & deteriorem, & crassiorem præstant alimoniam, quippe ignis vim magis recipiunt, & ob id nativam humiditatem magis deperdunt, quàm si per elixationem indurentur. Ova frixa omnium pessima sunt, ægrè coquuntur, lente permeant, & pravum atque crassum succum gignunt, & humores sibi admixtos in corruptelam perducunt, quod verum tenet de ovis ad integram duritiam frixis.

CAPUT XIII.

De Piscibus.

PISCES in genere, frigido, & humido temperamento præditi sunt alij plus, alij minus, & quoad substantiam plurimum evariant; quidam enim sunt concoctu faciles, & laudabilem succum generant; quidam verò difficilè coquuntur, & excrementorum plurimam copiam generant. Maximè probantur Pisces Saxatiles, qui in Saxosis aquis delitescunt, & limpidissimis; facilè enim coquuntur, & sanguinem generant,

fierant, neque nimis tenuem, neque nimis crassum. Pisces, qui in limosis, sordidis, graviterque olentibus aquis degunt, insaluberrimi sunt. Insuper etiam, qui in Paludibus, stagnis, fluminibus paruis, atque stagnantibus, aut cœnosis, & turbidis, excrementis, & sordibus inquinatis.

Item Squamosi Pisces & carnem teneram, & friabilem habentes, salubriores sunt iis, qui squamulis carent, quoniam habent substantiam sicciorem, minimè lentam & mucosam, seu humidiorem. Denique Pisces in alto mari degentes, quàm qui ab undis agitantur & motu nimio & continuo, ficciores redduntur.

CAPUT XIV.

De Condimentis.

Cinnamomum calidum est in tertio, & siccum in secundo gradu, urinas movet, menses provocat, visum acuit, attenuat, incidit, digerit, coctionem juvat, flatus discutit, partes corroborat.

Caryophilli sunt calidi, & sicci tertio ordine, peculiarem habent amicitiam cum cerebro, corde, ventriculo, & utero, cerebrum enim roborant, destillationum materiam absumunt, memoriam firmant, spiritus vitales reficiunt, sincopè arcent, ventriculi coctionem juvant, nauseam tollunt, flatus discutiunt; uterum denique recreant, illiusque affectus leniunt, & venerem instimulant.

Piper calidum est, & siccum ordine tertio, quod figura longum est, est minùs siccum, album calidius est, & acrius nigro; ventriculi coctionem juvat, appetentiam movet, flatus discutit, tussi, & pectoris viriis medetur, partum adjuvat, & oculorum caliginem discutit.

Nux muscata calefacit, & exficcat in gradu secundo, adstringit, & ventriculum roborat, flatus discutit, oris halitum commendat, alvi fluxum cohibet; frigidis cerebri, nervorum, & uteri affectibus medetur.

Crocus calefacit in secundo gradu, siccat in primo, leniter adstringit, coctionem adjuvat; urinam movet, venerem instimulat, cordialis est, & venenis opponitur; putredinem coercet, tussientibus, asthmaticis, phthisicis, & pleuriticis mirabiliter subvenit, & viscera deobstruit, menses denique retentos, fœtum & secundinas potenter educit; in magna quantitate assumptus; mortem inferre valet, caput saltim lædit, & mentem perturbat.

Sal calidum est ordine 2. siccum in 3. abstergit, digerit, adstringit, condensat, putredinem arcet, appetitum excitat, ventriculi coctionem juvat, omnibus eduliis gratum saporem conciliat; nimia quantitate devoratum calculum gignit, pruritum parit, scabiem inducit, aciem oculorum obtundit, genituram minuit, biliosis, & melancholicis nocet.

Oleum recens, & dulce ex maturis olivis expressum calidum est, & humidum, emollit, laxat, lenit, acrimoniam omnem contemperat, lumbricos enecat, & venenis resistit.

Saccarum calidum est & siccum in gradu primo, putredinem arcet, sthomacum juvat, abstergit, & ejus pituitam eluit; attamen si ventriculus hile inquinatus fuerit nocebit; Renibus, & vesicæ confert, arenulas, & pituitam mucosam abstergendo, pectus lenit, & mundificat, alvum laxat, optimè nutrit; nimio usu obstructiones generat, ut alia dulcia, quia facilè rapiuntur ab hepate; dentibus est inimicum, quos denigrat, & ad cariem perducit, atque ideo post illius esum, os colluendum est.

Mel calidum & siccum est in gradu 2. abstergit, alvum movet, urinam provocat, tussi medetur, putredinem arcet, utile est senibus, & hominibus omnibus, qui frigidum habent temperamentum, & hiemali tempestate; nocet autem juvenibus, biliosis, & tempore æstivo. Insuper calculosis, asthmaticis, aliisque pulmonum affectibus obnoxiis maximè conducit, purum nutrimentum, & liberum ab excrementis exhibet.

CAPUT XV.

De Potu, & Materia Potulenta.

Aqua simplex frigida est, & humida, omnium verò optima, quæ limpida, & clara est, pura, & minimè cœnosa, & ab omnibus, quæ inoatate solent excrementis immunis, saporis, & odoris expers, tenuis, & levis, quæ citò distribuitur, citò calefit, & refrigetatur. Cæterùm ut de levitate aquarum judicium certum faciamus; sumantur duo lintea ejusdem ponderis, & deinde in aquis diversis humectentur, ac postmodum ad solem exficcentur, si alterum priùs exficcetur, melior erit aqua in qua illud humectatum fuerit: Insuper postquàm ambo exficcata fuerint; iterum ponderentur, & si unum altero leviùs sit, melior erit aqua, in quam demersum fuerit.

Hipp. lib. de aëre, loc. & aq. alias proponit conditiones, quas optima, & laudabilior aqua debet habere, ut scilicet versus ortum solis, præcipuè æstivum scaturiat; altera conditio est, ut per terram mundam, minimèque lutosam, vel argillosam, sed per arenas, & lapillos fluat, item quod hyeme sit calidior, æstate verò frigidior; hoc enim significat ex profundis terræ visceribus eam scaturire, & ita apparet propter Antiparistasim; Contra vero aquæ, quæ ad Septentrionem, aut occidentem oriuntur, & solem aversum habent, deteriores sunt, utpote crudæ, graves, & tardè permeantes; omnes autem istæ conditiones de aquis fontanis intelligendæ sunt, quibus si primæ quas retulimus adjungantur, videtur aquas fontanas primum locum obtinere.

Multa tamen afferri possunt Authorum testimonia, & argumenta quæ aquam pluvialem præferant. Primum Hipp. lib. de aëre loc. & aq. ubi extollit aquam pluvialem, eo quod levis, dulcis, limpida & tenuis sit, ex eo quod à sole tenuissimum trahitur, & levissimum Averr. in Canticis, tenet aquam pluviam optimam esse, fontanâ, ac fluviali longè excellentiorem; suffragatur Celsus lib. 2. cap. 18. per sequentia Verba, *levissima*, inquit, *pluvialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hac nive, aut glacie, gravior his ex lacu, gravissima ex palude.* Sequitur Aëtius, tetrab. 1. ser. 3. cap. 165. sic ait. *Aqua pluvialis omnium levissima censetur, & facilè transmutatur.*

Rationibus

Rationibus etiam suadetur hæc assertio ab experientia desumptis: siquidem aqua pluvialis ad staturam omnium levissima est, promptissimè calefit, & refrigeratur, hypocondria non gravat, sed facilè permeat: Insuper nullam in colore, sapore, & odore insignem qualitatem obtinet, & denique hujus aquæ excellentiam ostenduntur majorem, olera, & omne stirpium genus, quæ imbrium de pluvio melius quàm irrigatione nutriuntur, & crescunt, imò & legumina omnia in ea meliùs, & faciliùs elixantur; & quid quæso est aliud pluvialis aqua, quàm vapor tenuissimus sua levitate sursum delatus qui postea infrigidatus ab aëre, seu influentia cælesti descendit in formam aquæ conversus, totum quod eius tenuitatem & levitatem majores clarissimè testificat; ita ut iure optimo inter omnes aquas censeatur excellentior. Fatemur tamen libenter in aqua pluviali, difficile omnes conditiones addictas inveniri, nam si à tegulis non abluatur diligenter, sed sordibus inquinatis excipiatur, vel in cisterna non bene mundata servetur, & tempore minùs apto colligatur; tunc quidem plurimum de bonitate amittet, hoc autem accidentale valdè est: nam adducta doctrina de aqua pluviali purissima, & cum omnibus requisitis servata verum tenet, alias fontana aqua erit eligenda.

Neque obstat aquam pluvialem facilè putrescere; quippe alterationis, & mutationis proclivitas, virtuti magis, quàm vitio adscribenda est. Consonat Galen. 1. de Aliment. fac. ubi tenet ea, quæ facilè coquuntur, facilè item alterari, & corrumpi, non ergo arguit snalitiam in aqua pluviali, si prona est ad corruptionē, neque id quod de aqua pluviali dicit Galenus, de sua adstrictione, est verum: Nam ea cum tenuissima sit, minimè est per se adstringens, sed solùm per accidens talis dici potest, iuxta Av. mentem, ex eo quod mox distribuitur, & ad vias urinæ penetrat, ex quo fit, ut fæces per defectum humiditatis, sicciores reddantur, & alvus hac ratione adstringatur.

Dices: nivem, & grandinem generari ex materia pluviæ, & tamen aquas ex his eliquatas meritò ab omnibus reprobari: ergo & aqua pluvialis debet reprobari, eo quod habeat eandem naturam cum aqua eliquata ex nive, & grandine. Respondent communiter Authores: aquam nivalem, & glacialem vitiosissimam esse, eo quod per congelationem omnes tenuissimæ partes exprimantur; quod in pluviali aqua non accidit, & sic inter omnes habet primum locum, si immunis sit ab externis causis, quæ ipsam inquinare valeant: quippe habet omnes conditiones requisitas supra relatas pro aquæ excellentia. Debet tamen colligi verno tempore, & minimè in æstate, quæ facillime putrescit, propter exhalationes, quæ sulphuris naturam participant, & quia ex materia putrida stagnorum, & lacunarum vapores elevantur, ex quibus pluvia fit ex tempore; quare selectior erit aqua pluvialis tempore veris, & hyemis collecta, quippe in his temporibus, nullum adest periculum ex adductis.

Cæterùm quia in nostra ætate, & maximè in nostra regione maximè invaluit potus aquæ nive refrigeratæ. Placuit controvertere, an sit utilis, aut nocivus, & quidem pro utraque parte rationes militantes breviter proponam, ut inde quid securiùs exercendum sit, eligam.

Pro parte negante utilitatem in potu aquæ nive refrigeratæ, stat Hippocrates 21. sect. 2 aphor. text. 51. ubi hæc habet, *plurimum, & repente evacuare, vel calefacere, vel refrigerare periculosum*. Ex quo inferunt, quod cum in tempore æstivo, in quo frequenter utimur aquâ nive refrigerata sit corpus calidissimum periculosum valdè erit, illud repente alterare aquâ nive refrigerata. Hoc ipsum confirmat quotidiana experientia, eorum, qui ex huiusmodi potu in gravissimos morbos præcipitati sunt, quippe cruditates ventriculi, & ingentissimas obstructiones creat, nec non etiam calorem nativum extinguit.

Ex altera verò parte plures extollunt summis laudibus, usum aquæ nive refrigeratæ præcipuè tempore æstivo pluribus rationibus: prima sit, quod calor noster nativus duobus validissimis hostibus oppugnatur, à frigore extinguente ipsum, & calore dissipante: sed tempore æstivo ab æstuante aëre corpora nostra exsolvuntur, hæc autem exsolutio frigidæ potu impeditur, & ab ipso natura recreatur, ut experientia testatur: ergo tempore æstivo, & corporibus adustis utilis est potus aquæ nive refrigeratæ.

Secundò validatur hæc assertio: nam commune est omnibus hominibus appetere frigidum potum ad extinguendam sitim, quæ nihil est aliud quàm appetitus frigidi, & humidi ad attemperandum visceram calorem, ipsumque liberandum à resolutione, quam continuò patimur ab insito calore, à quo fit mors naturalis, tanquam à causa inevitabili, attennando partes, ut tractatu de ætatibus docuimus Tomo nostro primo: sed tempore præcipuè æstivo, magna fit humidi radicalis dissipatio à calore viscerum intensissimo: ergo illo tempore utilis est valdè potus aquæ nive refrigatæ, qui ardorem compescit, & viscera roborat, & omnioò impedit resolutionem, & suffocationem caliditatis nativæ, & humidi radicalis.

Tandem potum nive refrigeratum maximè tempore æstatis plurimum conferre infinitorum hominum testimonio constat, qui se à plurinis incommodis potu nive refrigerato liberatos fuisse testantur; & in nostra Hispania pro certò habetur, ab eo tempore, quo huiusmodi potus invaluit, minùs grassari æstatis tempore febres ardentes, continuas, & malignas, quæ antea maximè infestabant; signum quidem testificans utilitatem potus aquæ nive refrigeratæ in siccitatis ardoribus, quos Hippocrates in epidemiis depingit, quandoquidem mentionem facit de febribus sudatoriis, colliquantibus.

Nos tamen in hac re maturè considerantes circumstantias temporis, complexionum, ætatum. Asserimus aquam nive refrigeratam utilem valdè esse in regione, & tempestate calidissima, item in juvenili ætate, & tandem in illis, qui calidiori, & bilioso temperamento sunt constituti, & præcipuè si viscera omnia habeant robusta, & assueti sint potui nive refrigerato, tunc quidem habet omnes prærogativas, quas adduximus pro parte validante usum aquæ nive refrigeratæ. Porrò illis, qui in Senili ætate, aut Puerili constituti sunt, & debilia habent viscera, aut obstructa, aut pituitoso, sive melancholico temperamento præditi sunt; & insuper illis, qui otiosam vitam degunt, & plurimos habent

habent excrementitios humores, & plurimo coitu utuntur, his omnibus plurimum nocet potus nive refrigeratus; ut probant Sectatores huius opinionis, quare in hominibus quibus prædictæ circumstantiæ non concurrunt, satius erit instituere potum, ut Antiquitus refrigerabatur ante inventionem nivis; apponendo ipsum in locis subterraneis, & Amphoris aquæ, aut vino plenis in puteum dimissis, ita tamen ut aquam non attingant, tunc enim sufficientem gradum frigiditatis tempore æstivo adquirit potus, ut non noceat, & ut fugiamus caluminiam, quam præstat potus calidus resolvendo, & dissipando caliditatem nativam.

At tempore hyemali, licet ventres natura calidissimi sint, nihilominùs quia frigiditate aëris inspirati, & attracti per porositates, plurima excrementa frigida & pituitosa generantur; minimè probatur potus nive refrigeratus, qui licet nemini non vacandus sit gustui, pluribus & ferè omnibus est noxius, nisi sit aliqua peculiaris natura nimis adusta, aut consueta nimis, cui utilis interdum censeatur, ad extinguendum, & compescendum ardorem æstivum; in quo casu nō erit abs re potum nive alteratum permittere.

Vinum genericè, & absolutè consideratum, in activis qualitatibus calidum est; in passivis autem siccum; calorem nostrum fovet, corroborat, spiritus auget, vires reficit, concoctiones juvat, pituitam attenuat, bilem per urinas expurgat, & omnium excrementorum expulsionem promovet.

Vina ætate media victui sanorum & ægrotantium accommodatissima sunt, quippe tunc temporis optimè defæcata sunt, & in calore mediocria; vini enim calor minùs potens est in novo, magis in ætate media, & maximè in annoso, seu Antiquissimo; & licet varia vinorum genera variis naturis, & temperiebus, magis vel minùs opportuna sint, in universum tamen, optimi vini, & omnibus propemodum hominibus convenientissimi conditiones sunt, ut saporem habeat inter dulcem, & austerum, medium, ut sit odoratum, & fragrans, sit clarum, & nonnihil fulvum, nō sit nimis tenue, aut crassum, sed ad tenuitatem magis accedat, neque nimis potens, neque nimis debile.

Nova vina vitanda, illa, scilicet, quæ mustaceam dulcedinem servant; debiliora enim sunt, excrementosa, difficilis coctionis, & alimenti distributionem non adjuvant, viscera obstruunt, & flatus generant, & calculum, præcipuè quæ dulcia sunt & non bene defæcata, sed turbida apparent; Vina autem austera, calorem habent debiliorem, diutiùs morantur in vasis, & vim habent adstringentem sed de his plura invenies apud Authores, quare immorandum non est, ne sermo noster fastidiosus appareat. Et hæc sufficiant pro alimentorum in particulari descriptione.



TRACTATVS

TRACTATUS DE VICTUS RATIONE IN MORBIS ACUTIS, DE CRISIBUS, ET DIEBUS DECRETORIIS.

Ex Manuscriptis Eximij Doctoris Francisci Henriquez.

PROOEMIUM.



QUANTA erga hunc auctorem sit mihi benevolentia, hinc, facilè disces, quod nec labori, nec sumptibus parcens anxiè, & diligentià non parvà Tractatum hunc investigaverim; & jam reperto Thesauro non parum tinea corrupto, codicibusque inordinatis (ea enim, solet esse possidentis ignorantia) quæ potuerunt aliqualiter legi scribenda dedi, quæ verò non sine magno labore (ut conjectare poteris) mihi arripui resumenda, aut transferanda, timenti ne forsan iners labor transcribentis pigritiâ, quâ solent isti, & huius census cæteri, aliqua exemplari non correspondentia imponeret. Tu pro me Deo optimo Maximo ut ores opto, atque rogo, & hoc meo in quærendo labore fruere. Vale.



SECTIO I.

De ratione Victus absolutè:

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit, quod Hippocrates docet in his libris, Qui de victus ratione inscribuntur.

TAM in his libris, ad sanitatem, quàm in aliis ad acutos morbos in principio docent Hip. plures de dicta scripsisse non tamè complerè, neque ideo esse post habendos, quia saltim conati fuere rem difficilem, sic nos rem difficilem aggredimur, non tamen post habendi sumus, etsi eam non consequamur, sic ait Hipp. 1. de dieta. Ad sanitatem multi quidem scripsere, nullus autē rectè novit quidnam fuerit ipsis scribendum, immeritò ullus aliquis ipsos reprehendet, propterea quod invenire non potuerunt, immò laudandi potiùs omnes quod *investigare conati*. Quærimus ergo quid intendat Hipp. in his libris, propter quæ verba duo sunt enodanda, quid intendit, & quid sit quod intendit.

Circa primum, videtur non solùm intendere agere de ratione victus, sed de rebus aliis; quod sic probatur. Nam docere dicendum est, quod ex ejus doctrina constat docere: sed constat non solùm de victus ratione agere in morbis & sanitate, sed etiam de curatione plurium morborum: & de qualitatibus plurium medicamentorum, ergo non solùm victus rationem docet, sed plura alia; ac per consequens plura quàm victus rationem intendit docere: constat antecedens ex ipsa littera text.

Nihilominos intendere Hipp. docere victus rationem in morbis acut. per hos libros est expressa doctrina omnium authorum præcipuè Gal. tam in commen. dictorum librorum, quam 1. aph. comm. 11. & 2. de fracturis & 3. de locis affectis, & pluribus aliis locis. & probatur. Nam etsi verum sit, ut in argumento antecedenti constat Hipp. tractare de pluribus præter victus rationem, hoc tamen incidenter, & ad explicationem maiorem fecisse est manifestum, ut ex Gal. locis citatis constat.

Sed Dices si libri isti agerent de ratione victus, non citarentur ab autoribus jam sub isto nomine, jam sub alis. Ergo non solùm tractant libri isti de victus ratione, sed de aliis rebus quibus inscribuntur.

Respondetur libros hos post mortem Hipp. sine titulo invētos esse, ratione cujus jam sub hoc jam sub illo nomine ab Authoribus habentur ut voluit Ant. Mussa in comm. quod dedit manifestum Gal. 2. de victus ratione comment. 45. per hæc verba. Sæpiùs existimavi librum hunc post mortem Hipp. esse publicatum, non secus enim, quàm hoc pacto facta esse videtur inordinata sermonum compositio: nam quæ ab Hippocr. inveniebantur exempla hæc in lib. ad fidem universalem

versalem scripta sunt, alia quidem in facie, alia in tergo &c. quibus verbis fundamentum dedit nostræ Responsioni.

Difficultas tamen est quid sit victus ratio, & quid per victus rationẽ intelligendũ est. Est enim, victus ratio idem quod dieta, quid tamen dieta significet, dubitatur: circa quod Valles. & super hos lib. & 1. meth. cap. 2. & 3. intelligit per dietã moderationem omnium rerum non naturalium, quod probat ex his quæ Hypp. tractat, & ratio idem ostendere videtur: nam & auxiliis & moderatione rerum non naturalium utitur Medicus circa ægrotantes, quod per victum & auxilia intelligit Valles. dum victu, & auxiliis omnem curationem perfici ait 1. meth. sed relictis auxiliis omnium aliarum rerum casus est necessarius: ergo per victus rationem communis rerum usus est intelligendus.

Nihilominus etsi dictis in libris plura tangat Hypp. Victus ratio, seu dieta solum moderationem cibi, & potus seu debitum eorum usum significat; ut rectè super hos libros adnotavit Antonius Mussa, & ideò Hyp. in omnibus his libris nil ex professo docet de aliis rebus non naturalibus præter cibum, & potum: nil enim agit de somno, aut vigilia, nihil de motu, aut quiete: ergo solùm agit de victu & potu ex professo, sed victus ratio includit modum cibandi, administrationem debito tempore factam: nos ergo eius vestigia insequẽtes de victus & potus rectà administratione operam dabimus tam per morbos, quàm per salutem.

Non dubito per victus rationem omnem methodum procedendi circa conservationem, seu consecutionem salutis seclusis auxiliis, quæ propriè talia sunt posse significari, & hac ratione procedere Vall. quod sequens 5. alim. & 3. epid. & cap. 85. artis Medic., per victus rationem usum omnium rerum nõ naturalium intelligit, non tamen id in rigore significat victus ratio, ideò communiter practici curationem cuiusque morbi incipientes, victus rationem adducentes modum cibandi adducunt, & hac ratione etiam Galen. librum de attenuatione alimenti scripsit, quo methodum attenuandi alimentum dedit.

Sed dices quomodo Hyp. de victus ratione in morbis acutis agens; tractat de aqua intercute, & de pleuritide? Respõdetur quidquid sit de authore huius libri agere Hypp. de victus ratione acutorum morborum, & eorum qui ex decidentia tales fiunt, seu ex illis resultant, & sic nil mirum quod de aliquibus agat, qui non sunt simpliciter acuti, egit tamen ex professo de victu acutorum, quia ex hac doctrina aliorum morborum manifesta erat cibandi methodus.

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit alimentum.

PRIOREM partem huius quæstionis explanatam dedi Tractatu de alimentorum facultatibus, ubi ex professo probavi alimentum esse quidquid nostram substantiam valet reparare, nil in hominis corpore faciens; quod est dicere illud omni rigore rationem habere alimenti, quod valet nutrire, seu commutari in substantiam aliti, illud non immutans; quod debet intelligi non immutans præcisè per id quod ad esse alimenti requirit.

Sed dices alimentum est in reparationem naturæ, seu substantiæ resolutæ: sed quamvis alimentum qualitatibus aliquibus valeat agere, non amittit esse convertibile in substantiam aliti, ergo rectè salvabitur ratio alimenti per hoc quod habeat substantiam reparare, quamvis agere valeat: qua ratione 3. de temp. Gal. adducens differentias eorum quæ intra nos agant, & patiantur, inquit, quartam speciem esse eorum, quæ agunt aliquid, & patiuntur, & tandem vincuntur à nobis & similia fiunt, quæ alimenta sunt, cum ipsa solùm perfectè similia fiant, ut rectè in comment. adnotavit Vall. ergo rectè compatitur ratio alimenti cum hoc quod est posse alterare vivens, etsi hoc non sit de ratione alimenti, ac per consequens non rectè definitur alimentum per hoc quod est reparare naturam sine eo quod alteret.

Respondetur rationem alimenti solùm salvari penes eo quod in nostram naturam sit convertibile; nam omnia alimenta ex se debent esse temperata referente Gal. 4. de simpl. med. fac. cap. 14. ergo potiùs debent pati alterationem viventis alterantis medio calore in excessu, quàm ipsum vivens alterare: si vero (ut iudico) aliquantulum ipsum vivens alterant, hoc quatenùs aliqualiter medicamenta sunt faciunt, non verò quatenùs alimenta.

Ex dictis patet, quod etsi coniungi possit in unica entitate alimenti & medicamenti ratio, propter quod quartam speciem mixtorum agentium, & patientium, ita ut tandem assimilentur, adduxit Galenus; verum, & proprium alimentum erit, quod talis naturæ est quod valeat nutrire, sine eo quod agat, quia quantum de activitate habuerit, tantùm de dispositione ut convertatur deficiet: tamen quia dispositio quæ valet agere non bene compatitur cum illa quæ ad esse alimenti requiritur, requiritũr enim similitudo, quæ cum qualitatibus agentibus non est, tum quia eo gradu quo agit minorem reddit agentis convertentis virtutem. Ideò verum alimentum dicitur ab Hypp. l. 6. de aliment. quod jam..... gluten, quia in ipso reperitur reparare substantiam non alterando; dicetur veluti alimentum, quod dispositum est ut in nostram substantiam transeat; futurum alimentum, quod alterationes aliquas recipere debet ut in nostram substantiam transmutetur, ut quidquid in venis continentur: ergo ratio alimenti ut talis salvatur penes eo quod nostram naturam valeat reparare ipsam non alterando. His verbis docet manifestè Gal. verum alimentum dici illam ultimam humiditatem quam ex Avicen. tota concedit schola, gluten scilicet, cum dicat eam esse quæ jam nutrit: & veluti alimentum quod est tale, id est, quod dispositiones, seu qualitates habet, veluti quod agglutinatum est, ut constet 3. & 2. humiditatem Avic. appellari veluti alimenta, & consequenter futurum alimentum quidquid ante hoc est, quod omne, præter verum alimentum homo nimiè alimentum appellat, & hac ratione etiam edulia extra talia sunt; quod non alia de causa est, nisi quia alimenta extra ad hoc ut convertantur est necessum ut propriam formã amittant, & alias viales formas acquirant, ut propria alimenta dicantur.

Circa secundum quod inquirit quæstio, scilicet

cet, quotuplex sit alimentum: dividitur primò in verum alimentum, quasi alimentum, & futurum alimentum, quod jam immediatè antè explanavimus: 2. posset dividi alimentum in tota sua latitudine prout abstrahit à tribus dictis, ratione qualitatum diversarum quas habet, ita ut differat, aut ratione qualitatum activarum, aut ratione qualitatum passivarum: & magis materialiter ratione diversarum formarum: hoc ultimum constat: quia cum ratio alimenti sit id quod est convertibile in substantiam aliti, & ad hoc nil forma procedens faciat ad diversitatem substantiæ acquirendæ, hinc est quòd materialiter valdè se habeat ad constitutionem differentiarum alimenti diversitas formarum, quia solùm quatenus signat diversas esse materias se habet, qua ratione sunt alimentorum differentiæ juxta diversitatem mixtorum in substantiam aliti convertibilium.

Divisio tamen alimentorū per qualitates activas magis propria est, quia licet has aut illas qualitates habere alimentum sit extrà rationem formalem ejus quatenus ratione earum substantia acquisita huius aut alterius qualitatis est, magis accedit ad rationem alimenti; & sic magis propria est divisio per tales qualitates præcipuè cum ad rationem alimentorum valdè varia sit, quà ratione alimentum calidum, humidum, frigidum, & siccum, asperum, aut adstringens, &c. cum ad rationem medendi magis aptum sit. Ideo magis propria est divisio qualitatum, quàm formarum. (Paucis tamen lineis interpositis tinea corruptis proh. dolor. post quam, ut conjectare potui) dixisset qualitates passivas esse quæ nullum præstant agendi principium insequitur) talis naturæ sunt qualitates illæ quibus alimentum sit facilis aut difficilis concoctionis id est per quas facilè aut difficilè commutatur: tenue, aut crassum dicitur quia ad talem substantiam gentrandam conducit; multum aut parum nutriens, quia multùm aut parum substantiæ producitur ex eo in ordine ad partes quas habet; boni aut mali succi, quia substantia quæ acquiritur est similis aut pravis qualitatibus affecta: quorum omnium exemplum sit ovum sorbilè, aut durum quos modos dividendi servavit Gal. per 3. libros de alim. facul. & lib. de cib. bon. & mal. suc. & priùs Hipp. 2. de dieta sanorum & de diet. ægrot. de quibus nos tractatu de alim. facult. aliquid diximus, dicemus tamen infra quidquid ad nostrum attinet tractatum seclusâ diversitate substantiæ sumptâ à diversitate aut simplicitate alimentorum, quia nil aliud suprà doctrinam dictam.

Supposita ergo cognitione qualitatum alimentorum diversas species constituentium ad tractatum de alimentorum facultatibus pertinentium: differentiæ alimentorum sunt desumendæ quoad victus rationem, seclusâ convenientiâ aut disconvenientiâ inter qualitates dictas, qua ratione alimentum est dividendum circa victus rationem, aut ratione quantitatis aut qualitatis aut in forma, si quidem victus ratio omnibus ægrotis variatur per additionem aut diminutionem: ratione qualitatis dupliciter dividitur, aut per qualitates activas, aut passivas, & sic procedit dividendo modum cibandi seu victus rationem.

His positis alimentum prout ad nostrum tractatum pertinet, ad victus scilicet ordinationem tam pro sanis, quam pro ægrotis seclusâ ratione medicinali triplex est, crassum, tenuè & mediocre, quòd est, quod multum, parum aut moderate nutrit in ordine ad vivens, quam, divisionem didicimus ex Hip. 1. aph. in quo pluries victu tenui, aut pleniori esse utendum docet, ex quibus extremis victum medium debemus deducere, & consequenter aliud esse alimentum tenue, aliud plenum seu crassum, & aliud mediocre quod manifestavit Galenus super illa verba victus tenuis, atque admodum exquisitus, &c. sic prosequitur Martinus contraponendo victus inter se; differunt, enim inter se valdè victus tenuis, & plenus, in eius contrapositione constituuntur per respectum extrinsecum, ut diximus, hoc est penes hoc quòd vires augeatur, conserventur, aut minuantur, quidquid sit de alimento exhibito, quia extrinsecum est ipsi alito, crassum verò & multum nutriens & eorum contraria per extrinsecas qualitates constituuntur, crassum ratione qualitatum quas habet ita ut substantia quæ generatur crassa sit, seu partium difficilis resolutionis, è contra verò tenue; alimentum autem molti aut parvi nutrimenti requirit partes omnes sui, ratione quarum multùm aut parum substantiæ ducatur, seu resultet, id est quòd substantia resultans correspondeat pluribus, aut paucioribus partibus ejus, ita ut quando omnes, aut plures partes alimenti in substantiâ mutentur, multi nutrimenti est, pauci verò quando parvæ, & nullo respectu habito ad subjectum quod nottitur; hoc est, ad substantiam quæ resultat seu ad vires quas reparat, cujus contrarium in alimento pleno, aut tenui dictum est: & sic ad nos de hoc alimento agere spectat in præsenti, cum aliæ differētiæ ad tractatum de aliment. facul. pertineant, agimus, enim, de victu sanorum aut ægrotantium quibus ratione virium dumtaxat alimentum exhibeatur, ut diximus.

Dices, sicut Gal. & cum eo interpretes omnes cùm de pleno, aut tenui victu agunt exempla determinata adducunt, dicentes Melicratum victum esse tenuissimum, partium ptysanæ succum victum tenuem, seu mediocrem, sed si victus tenuis, & plenus constituerentur per respectū ad subjectum non posset dici determinatum alimentum quod tenue, aut plenum diceretur, ergo non cōstituuntur per respectum ad extrinsecum; patet nam quodlibet potest diversis adaptari substantiis ac per consequens si ipsum tale esset ex se, per qualitates intrinsecas tale esset.

Resp. Gal. & Auth. non adducere alimenta quibus debeatur hæc aut illa nominatio, sed, aducere v. g. alimenta quæ etsi per extrinsecum talia sint, cum ex se valeant parum reparare & ex parva reparatione sequatur non conservari vires sed diminui, hinc est quod determinetur alimentum tenuissimum, mediocre & crassum: quia talia alimenta ex se ad unum & ad aliud faciunt, non tamen in ratione talia sunt ex se, sed ratione effectus producti: ideò Galenus non loquitur determinatè, sed per effectus explicat talia alimenta: infrà verò exemplum adducit respectu naturæ determinatæ: & certum est victum tenuem esse alimentum quod non valet tanto tempore vires conservare.

Victum hunc tenuem dividunt plures cum Gal. in tenuem absolutè, tenuissimum, & extremè

ttemè tenuem quorum quilibet in generali ratione victus vires minuentis convenit; differunt tamen quatenùs tenuis absolutè est cibus aliquis, seu cibandi tatio, cum exhibitione alicuius parum alentis, non valdè debilitantis; tenuissimus vero cibus est cibandi ratio aliquo exhibito minus alente, & ex hac parte magis debilitat ut est melicratum; tenuis in extremo cibandi tatio per nullius exhibitionem, id est per inediam, quorum contrapositione mediocris dicitur oleacea prysana, & plenus piscis, & ovum totum quod comment. 4. expresse docuit Galenus.

Contra hanc receptam doctrinam duplex suscitatur dubium ab Author. primum cur Gal. victum tenuem in tria divisit membra, non ita plenum. Ad quod, postquá recentiorem quemdam impugnavit, respondet, solutio tamen probabilior est non fecisse Gal. divisionem victus pleni, quia ex una altera deducebatur: vera tamen, & certa solutio est, & quæ majorem rei speculationem arguit. Hipp. egisse in illo loco de victu ægrotantium, ut ipse Gal. refert, & cum illis victus plenus non sit exhibendus communitet, sed, mediocris, aut tenuis, ut etiam refert Gal. hinc est quod tenuem dividat victum non tamen plenum, ut illius quo est utendum completa sit notitia

Secundum dubium est cum victus ratio, seu alimentum sit divisum, & dividens rationem divisi participare debeat, quomodo victus tenuis in tria membra posita sit dividendus; cum victus extremè tenuis, seu tenuissimus exactè rationem alimenti seu victus non participet; siquidem inedia alimentum seu victus non est. Respondetur (nifallor) quod alimentum potest considerati dupliciter ono modo, ut res non naturalis est; alio modo pro usu cibandi, & si benè verum sit hanc non esse divisionem adæquatam, si sumatur prout res non naturalis est alimentum; si verò pro modo & ordine cibandi secus tes se habet. Prosequitur Martinius; & colligitur ex ipsa litera textus in qua postquá dixit Gal. alimentum dici plenum, medium, & tenuè agendo de sanis sic ait, hunc igitur semper fugere oportet & cum verbum hoc sit referendum ad id quod est fugiendum, & dixerat alimentum: Ant.Muss. super hunc locum inquit esse legendum *hoc igitur*. Fallitur tamen; nam licet Gal. dicat alimentum plenum, &c. cum per alimentum plenum & tenuè sit intelligendus victus, seu cibandi modus, rectè inquit, hunc igitur semper fugere oportet, quasi diceret in sanis semper fugiendus sit victus tenuis, seu talis modus cibandi; ut inde constet non dividi in rigore alimentum, sed modum alendi, circa quod non dari alimentum in ordine ad vires, sed modus est cibandi, seu alendi. Tandem ultimo advertit quod quando dicimus victum tenuem vires minuere non est intelligendum ipsum alimentum per se vires minuere: sed alio modo dicitur, quem legere neque conjectari potui.

QVÆSTIO III.

Utrum variatio alimenti in forma debeat fieri per variationem speciei alimenti.

TITVLVS quæstionis est utrum alimentum plenum in tenue transeat per alterius alimenti mutationem; an verò tantùm quantitate immutata, quod idem est ac quærere, an formæ alimenti mutatio sit idem ac quantitatis mutatio, per quod non est intelligendum an forma alimenti, seu ratio formalis eius sit idem cum quantitate: diversum valdè est unum ab alio; & hanc diversitatem explicat: sed legi non potest.

Ad quod supponendum est non posse dubitari specie alimenti mutata, posse manere eandem alimenti formam: hoc est enim immutari in forma tenuis, aut crassi, cuius manifesta est ratio: nam cum differentiæ hæ cóstituantur per hoc quod est augere vires aut secùs, rectè poterit alimenti forma manere eius specie mutata, hoc est concesso alimento idem reparante solùm ob alias indicationes diverso, ut siquis tali alimento egeat ut ovum detur sorbile, poterit aliquid pulli loco ovi exhiberi: nisi forsan facultas debilis pro pullo non sufficiat, sufficiat tamen pro ovo: rectè ergo specie alimenti mutata eadém erit alimenti, seu alendi forma: dummodo alia indicatio non adest prohibens. Quod expresè docuit Galen. comment. 4. cit. agens de oleacea prysana, sic ait, non tamen propterea plenus qualis qui fit per ova, & alicam, & pisces, & alia huiuscemodi; docet ergo plura alimenta specie diversa eandem habere alendi formam.

Sed non mutari alimentum si mutatur forma, & quod idem unum ac aliud non denotat, probatur 2. de vict. ratione text. 37. sic ait, additioni intendendum multò minùs, nam subtrahere omnino sæpè numero expedit, quæ duæ sententiæ (retulerat enim antea aliam Mart.) ita pugnantes sunt ut. A.A. valdè divagantes existant circa earum explanationem, quod non alia de causa est nisi idem intelligunt per formam, ac quantitatem victus, id est quia per quantitatis mutationem formam victus mutari judicant; sed sic est quod si quantitatis mutatio non sit formæ victus mutatio non contrariantur istæ sententiæ: ergo per formæ mutationem non est intelligenda quantitatis mutatio: patet antecedens quia 5. aph. loquitur de varietate in forma & 2. acut. loquitur de variatione in quantitate.

In tota duratione non est exhibenda sæpè eadem alimenti quantitas, & debet dari eadem forma: ergo forma alimenti differt à quantitate: eius prioris syllogismi (alteram retulerat Auctor) minorem docet Hipp. 2. acut. text. 36. dicens conijcere autem oportet, & robur, & cuiusque morbi speciem: non in cibis solùm verùm etiam in potionibus, quibus verbis ut docet Gal. in comment. per speciem morbi instituitur forma victus quod non semper eadem cibi quantitas exhibeatur eiusdem alimenti in eadem morbi duratione ostendit ipse Hipp. 1. aph. tex. 10. dicens: & in ipso consistendi tempore est

patum

parum ante illud cibus subtrahendus, priùs verò uberius agendum; ergo mutatio quantitatis non est mutatio formæ, cum iubeat mutari quantitatem ratione temporis in unica, & eadem morbi specie à qua diversitas formæ victus instituatur, quæ cum non varietur, nec victus forma est varianda: (sed mihi videtur non calluisse verè quid in conclusione, quam probat, intendit, cum consequentiam contrariam eliciat.)

Hanc eandem partem fortiùs comprobat Mercatus ex eo quod cibus qui mediocre alimentum est, seu mediocrem constituit victus rationem non faciat victum plenum si augeatur in quantitate, nec victum tenuem si diminuatur; ergo forma victus à quantitate differt: antecedens ostendit ex Hipp. lib. de veteri medicina &c. Et ratione suadetur: nam victus talis instituitur in hoc morbo quia talis requiritur pro viribus quæ ad ipsum morbum sunt necessariæ: sed in eodem morbo eadem virium intensio debet requiri, ergo in tota eius duratione non potest mutari hæc forma victus, aliàs non esset pro viribus requisitis ad talem morbum, & cum ex alia parte quantitatem mutari constet pro diversis temporibus morbi, sequitur formam & quantitatem victus differre.

Nihilominus vera sententia est quod licet forma victus à quantitate ipsa differat formaliter, rectè variatur forma quantitate eiusdem alimenti variatà, quæ sententia ita vera est, ut eam secundo miremur à tanto authore impugnari: est enim in primis expressa Hipp. & Gal. & consona rationi; ergo & tenenda; sic ait Hipp. 1. aph. text. 7. ubi morbus peracutus est statim extremos habet labores, & statim tenuissimo victu utendum est, ubi verò non tantùm cibi indulgendum est quantum, &c. hoc idem docet text. 10. per hæc verba. Quibus statim morbus consistit his statim tenuis victus adhibendus, quibus verò posteriùs debet consistere his & in ipso consistendi tempore, & parum ante ipsum, cibus subtrahendus, priùs verò uberiùs agendum, ut æger sufficiat, quod est dicere victum tenuem esse adhibendum, cum morbus consistit & hoc fieri per subtractionem cibi in tempore consistentiæ, & parum ante illud, priùs verò non ita tenuem victum esse exhibendum, hoc fieri docet per uberiorem cibi exhibitionem. Nec valet quod dicit Mercat. loqui scilicet Hipp. de mutatione quantitatis, non de mutatione formæ cibi. Non valet; nam Hip. agit de victu qui convenit morbis acutis: & hunc ait tenuem esse exhibendum dum etiā in statu, & adducens modum attenuandi, inquit, per subtractionem cibi in ipso statu, & ante ipsum; in principio verò plus cibi esse dandum. Quòd hoc quòd alit sit pro mutatione in forma victus patet) rationem legere non potui nec quæ illa sit cum nondum Tractatus huius limina pertigerim scio) cuius placitis Iacob. de forlivio Ant. Mus. & Vgo. Senens. in comment. dicti loci, & Vall. primo Methodi cap. 6.

Cuius doctrinæ est manifesta ratio, nam victus tenuis, medius, & plenus definitur à Gal. per hoc quod diminutionem, aut conservationem, aut augmentum virium faciat, sic ait commentar. 4. cit. & est quidem augere potens alimentum quod plenum vocatur, conservans verò quod modicum existit, quod verò minuit tenue, sed unum & idem alimentum poterit hos effectus facere solùm per augmentum, aut diminutionem quantitatis eius, ergo victus forma per quantitatis variationem mutatur, major constat, minor fit experientia manifesta, ergo & consequentia.

Secundò: nam alimentum tale, seu sub tali forma exhibetur ratione virium requisitarum pro duratione morbi, ideò 2. acut. text. 36. sic ait conijcere autem oportet, & robur, & morbi speciem non in cibis solùm, verùm in potionibus, quasi diceret ratione virium in ordine ad morbum cibum esse exhibendum, ut voluit Gal. in commentar. ex eo quod alito vires sufficientes pro morbi ablatione permaneant: sed non sunt necessariæ vires in eadem intensione in toto tempore morbi, ergo forma victus est varianda ratione temporis morbi: (prosequitur auctor sed legi non potest.)

Cum hoc tamen non nego formam victus mutari pluries alimento mutato: qua ratione ipse Gal. comment. 4. cit. sequens Hip. 1. acut. omnimoda inedia utitur pro extremè tenui victu, mellicrato pro tenuissimo, ptysanæ succo pro tenui & sic de reliquis: quod assero est quod licet mutato alimento forma eius mutetur pluries; ut dum loco carnis ovum, aut ius exhibemus mutata quātitate mutatur cōmuniter; & hoc adhuc substantia, seu entitate alimenti mutata. Qua ratione, qui vaccina carne per salutem utuntur, arietinam vescuntur per morbos, & qui arietinam comedunt per salutem, ut in plurimum formam mutant usu Gallinarum, seu pullorum, in minori tamen quantitate, ut sic minus reparent vires, & minus reparatur ab alimento natura, quia facilioris conversionis, & minus excrementosum est, si autem quantitas non minueretur, potiùs plenior esset victus, cum plures partes in ipso essent.

Tandem quòd mutata quantitate alimenti eius forma debeat mutari deducitur ex Hypp. acut. text. 11. in quo expressè ait consuetum alimentum esse deterius esse præbendum, qua ratione etiam intelligendus est ipse 2. aphoris. text. 38. (prosequitur deducens consequentias ex his authoritatibus, sed non legitur.

Pro solutione quæstionis advertendum est per quantitatem aliti non debere intelligi molem ipsius præcisè, nam hoc modo posset mutari quantitas non mutatā formā, & cōtra: ut cum loco arietinæ carnis daretur eadem olerum quantitas, forma mutaretur, & non mutaretur quātitas, & consequenter si dimidium carnis tribueretur, quam olerum, mutaretur quantitas, & non mutaretur forma. Est ergo intelligenda quantitas partium substantialium seu convertibilium, hoc est partium verè alimentum habentium, ita ut verè quantitas alimenti mutetur, ut etiam forma mutetur, qua ratione rectè forma mutatur, eiusdem alimenti quantitate mutata; sunt ergo alimenta quædam magnæ molis parvæ tamen substantiæ, ut herbæ, & olera quæ propria sunt pro forti facultate commutantur, parvâ nutritione, seu reparatione non indigente, quod propriè per salutem habet locum; siquidem carò per morbos utile potest esse id ex quo plura debent resultare excrementa: talia enim sunt partes quantitatis, quæ reparare non valent: contra verò fit in alimentis parvæ molis, & multæ substantiæ, seu multi nutrimenti, ut sunt ovorum vitella sorbilia, & gallinarum caro propria pro ægrotis, ni aliquod accidens ratione medicamenti contrarium exposcat,

poscat, fames scilicet canina; verè nascitur diversificari alimentum quantitate majori aut minori, prout differt ab alimento diverso in forma ratione quantitatis, quia hoc respicit reparationem quam facit, illud verò molem.

QVÆTIO IV.

A quo indicetur alimentum & victus ratio.

FACVLTAS petit cibum quem cohibet morbus: Morbus petit auxilium quod prohibet facultas, ut inquit Valles. 1. Meth. cap. 6. ex mente Gal. 1. de sanit. tuenda, & nono meth. & lib. de opt. secta, cap. 42. & 43. At quæ facultas petat aut renuat auxilia cognoscemus, si attendamus Gal. 1. de san. tuenda cap. 2. dicentem, corpus nostrum dissipatione resolvi necessariò, nisi ex alimentis nova reparetur substantia, sic ait. Nam cum tota animalis moles in perpetuo sit fluore, nisi similis altera substantia, pro ea quæ effluxerit restituta sit, evaporabitur certè atque dissipabitur universa in sanis corporibus, ac multò magis in laborantibus. Constat ergo facultatem cibum desiderare ad sui conservationem, ad reparationem scilicet substantiæ resolutæ: Conservatur enim facultas rebus naturalibus conservatis. Et cum naturalis corruptio sit per resolutionem substantiæ, ut Gal. dixit, sic naturalis conservatio per repositionem ejus est, & ad hoc cibus. Ideo 9. Meth. facultatem non indicare immediatè alimentum diximus, sed sui conservationem, hancque fieri mediâ indicatione rerum naturalium: & cum ipsæ partes reparandæ sint necessariò, hinc est quòd facultas alimentum indicet, remedia tamen renuit. Nam ut cap. 43. de opt. secta docet Gal. omnia nocent; sic ait. Siquidem remedia cum imprimis omnia præter naturam sint, necessariò facultatem adhibita vexant. Patet ergo facultatem cibum indicare, auxilia prohibere, contra verò morbum.

Quo posito restat dicendum quomodo sit intelligendum. Nam in primis constat indicari victum à morbo, quando ipse morbus à defectu substantiæ causatur; & ita non solùm à facultate indicatur. Antecedens probatur ex Hip. 10. Aph. tex. 22. dicente, morbos quos causat repletio curat inanitio, quos verò causat inanitio repletio curat .... Aphor. 17. in quo alimentum esse exhibendum multum & sæpe ratione morbi, cùm facultas valida est cum humorum corruptione; sic ait. *Quibus virtus valida est cum humorum corruptione, aut defectu, multùm alimenti & multoties adhibere expedit, quia multis indiget affectio.* Ergo ratione ejus alimentum indicatur. Quod etiam attemperandi gratiâ indicari, in eodem comm. docet Gal. sive virtus sit fortis sive secus, in humorum corruptione: ergo non solùm à facultate sed etiam à morbo alimentum indicatur. Quod infra in eodem com. docet per hæc verba. At si vires validæ fuerint cum plethotica dispositione rarò pauca offeremus: nam etsi id quod cibum debet concoquere robustum habeamus; quia tamen dispositio multis nun indiget, rationabile est quod pauca offeramus .... Vires verò aliquando alimentum prohibere constat; nam quando facultas debilis est cum humorum corruptione, parum & sæpe est exhibendum, ut in eodem comment. docet Gal. quia facultas non potest totum simul alimentum quo indiget affectio sustinere: sic ait. Si vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore sit dispositio ex humorum corruptione, parum alimenti & sæpius talibus offeremus: parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam multitudinem alimenti sustinere: sæpius autem quoniam multis indiget dispositio defectus, siquidem exigit additionem; corruptio verò contemperationem formæ. Quibus verbis docet alimentum in diverso morbo .... & repletionem. Et docet similiter facultates probibere alimentum quod indicatur à morbo .... est exhibendum, etsi multis indigeat dispositio: quia alitum non valet totam quantitatem requisitam sustinere. Quod patet quia non alia de causa auxilium petitur à morbo, & prohibetur à facultate, nisi quia non potest tolerare facultas damnum, quod ex ipso auxilio resultat. Et similiter alimentum indicatum à facultate prohibetur à morbo, quia ipse augetur aliquo modo ab alimento: sed etiam multo alimento petito à morbo debilitatur & forsan suffocatur facultas debilis. Ergo ita prohibetur multum alimentum à facultate, sicut & auxilium, ac per consequens non indicatur ab ipsa semper.

Præterea probatur; Nam vires debent indicare victus rationem ad sui conservationem; sed victus ratio quæ inducit ad diminutionem virium, non potest facere ad virium conservationem: Ergo talis victus non potest indicari à facultate; præcipuè cum nullâ virtus possit inediâ conservari. Absurdum enim est rem naturalem quæ suam conservationem petit, id quo destruitur indicare.

Tertiò probatur. Si virtus indicat alimentum ad sui permanentiam quanto fuerit debilior, plus debet indicare ad sui restaurationem, quia quò plus deficit in qualitate naturali, tantò intensius requiritur medicamentum pro ipsa: Ergo quò debilior fuerit facultas, plus alimenti ad ejus restaurationem erit exhibendum. Sed sic est quod minùs alimenti indicatur facultate debili (ut verum docuimus) ergo non indicatur à facultate.

Quartò existente facultate forti cum morbo non est exhibendum multum alimentum, quia major noxa continuatur: Ergo facultate existente debili, si multum alimentum exhibeatur major noxa continuatur: ergo facultas debilis non indicat multum alimentum. Major est certa. Min. probatur: quia noxa quæ sequitur est aggravatio virtutis, humorum multiplicatio & vitium quod ex reactione alimenti resultat: sed quando virtus debilis est, hæc accidentia magis urgent, quantò minùs valet agere facultas: Ergo major noxa sequitur ex multo alimento, virtute existente debili, quàm forti, ac per consequens minùs alimentum est exhibendum virtute existente debili.

Communis solutio est, alimentum ut tale à virtute indicari, quia ipsa suam conservationem petit, & alimento conservatur; & sic cum indicet id quo conservatur, alimentum indicat: cum verò alimentum ratione morbi exhibetur,

non

non ut alimentum est, sed ut medicamentum exhibetur, & indicatur à morbo. Dum verò morbus alimentum petit, ad sui ablationem ipsum petit: & consequenter ut auxilium, non ut alimentum: quo modo esse intelligenda ea qua in primo argumento posita sunt pro contraria parte. Mer. fol. 50. Instit. Medic. Tamen contra hanc explanationem est manifesta ratio: nam alimentum tale est quod nostram substantiam reparare valet, per sui conversionem: sed alimentum ut tale indicatur à morbo: ergo non solum à viribus. Minor probatur: nam morbus in tantum indicat alimentum in quantum ipsum tollit morbum: sed morbus consistens in defectu partium seu inanitione tollitur ab alimento quatenus convertitur in substantiam aliti, seu reparat quod deficit: ergo alimentum ut alimentum indicatur à morbo.

Nec valet dicere alimentum ut indicatur à morbo esse medicamentum & naturam auxilii habere etsi talem naturam exerceat prout convertibile est in substantiam aliti; quia à morbo indicatur ut auxilium ejus sui ad ejus ablationem, secus verò à facultate à qua non ut auxilium, sed ut simile & ut ipso conservetur & maneat indicatur. Hoc non valet nam medicamentum non solùm dicitur id quod morbum tollit, sed etiam quidquid ad esse talis facit, quâ ratione ea quæ nostram naturalem temperiem conservant auxilia sunt & similia & non indicantur à morbo: sic ergo alimentum quod propter conservationem vitium est, auxilium ejus poterit dici, ut alia quæ pro esse vitium faciunt: qua ratione etiam Gal. 9. Meth. cap. 13. Vires conservari docuit, corrigendo quod inanitum aut alteratum est: ergo, inquit. Vires unam rem semper indicabunt, utique sui custodiam. Quibus ergo rationibus servabit? Nempe potissima ratione ex eo quod de substantia inanitum vel alteratam est corrigendo: secundo loco ex prohibendis his quæ ipsarum substantiam vacuare alteraréve possunt. Quibus verbis manifestè docuit Gal. sic conservari vires alimento supplente quod inanitum est, aut aliis auxiliis quod alteratum est corrigentibus seu talem alterationem corrigentibus, & consequenter sicut indicat aliud auxilium, à facultate indicatur alimentum.

Præterea quia non indicatur alimentum à morbo ut auxilium, nisi quatenus per ipsum indicatur id quod secundum naturam debet esse; & deficiebat in reparatione seu conversione in substantiam: sed eodem modo indicatur à facultate, cum in tantum pro viribus faciat, in quantum ex conversione in substantia alimenta aliquid vitæ conservant. Ergo eodem modo indicatur ab utroque dixi in substantiam, quia medio spiritu & sanguine. Cum debita mensura partium, cum debito temperamento vires permanent, ut docet 11. Meth. Gal. cap. 1. & 12.

Mihi tamen videtur dicendum, quæstionem aut esse intelligendam de alimento ipso, aut de victus ratione: quod idem est ac dicere, quæstionem esse intelligendam præcisè de illo quod indicat, seu petit alimentum, aut de illo quod indicat seu petit modum utendi specialem alimenti, seu victus rationem. Circa primum adhuc alimentum ipsum dupliciter potest accipi, vel prout habet præcisè esse alimentum, id est; conducere in reparationem deperditi à causis inevitabiliter alterantibus secundum ordinem naturæ, vel ut conducit in reparationem alicujus deperditi à causis evitabiliter alterantibus, seu extra ordinem naturæ. Altero enim modo secundum rationem alimenti habet indicari, id est, prout est convertibile in substantiam aliti: tamen hæc est differentia, quod alimentum prout habet reparare nostram substantiam à defectu proveniente à causis inevitabilibus, non solùm formalitatem alimenti exerceret, verum etiam secundum rationem & finem propter quam fuit institutum & in tali casu. Cum verò alimentum prout conducit in reparationem alicujus deperditi à causis evitabilibus exhibetur, & secundum formalitatem alimenti conducat non propter finem & rationem propter quam fuit institutum alimentum. Et sic licet ut habet reparare substantiam concurrat & indicet, non secundum rationem omnem quâ alimentum est indicat, cum non sit propter finem naturalem alimenti, sed ut medicamentum ex hac parte indicatur.

Totum hoc fiet manifestum si attendamus rationes propter quas alimentum exhibetur, nam non alia de causa medicamentum calidum à frigido morbo indicari dicimus, nisi quia in ablationem illius frigidi morbi exhibetur: sed etiam alimentum exhibetur in ablationem defectus violenti, seu in reparationem substantiæ violenter resolutæ exhibetur: ergo indicatur à morbo ut medicamentũ secundum rationem convertibilis. Quod constat quoties alimentum, quatenus calidum aut frigidum, aut alterius cujuslibet qualitatis exhibetur; nam tum ut medicamentum exhibetur, quatenus à morbo desideratur talis qualitas: qua ratione febricitantibus omnibus victum humidum competere docet Hippoc. 1. aphor. tex. 6. quia ut ipse inquit, lib. de Alim. in alimento medicina datur: ergo quando in morbum petentem reparationem exhibetur, etsi ut reparare valeat peratur, ut medicamentum indicatur.

His positis dicendum est, alimentum secundum rationem alimenti naturalis solùm à facultate indicari, quia solùm ipsa habet per acquisitionem partium & spirituum deficientium à causis inevitabilibus, conservari, aut augeri: & cum solùm cibus has pàrtes valeat restaurare per conversionem sui in ipsas substantias, hinc est quòd vires sui conservationem petentes alimentum indicent. Quâ ratione loquutos fuit Gal. 1. acut. comm. 44. per hæc verba, nempe: *Morbus suæ affectionis indicat auxilia, virtutis verò custodia sola indicat alimoniam.* Quod verò non indicatur secundum hanc rationem à morbo manifestum est, quia secundum omnem rationem morbo non opponitur, & morbus sui contrarium indicat, & quia potiùs morbi causam pluries auget: Alimentum verò prout rationem medicamenti habet, id est sive prout calidum aut frigidum, sive prout reparare habet quod à causis violenter agentibus deficit, à morbo indicatur, quia tunc in ablationem morbi & ut auxilium indicatur. Quâ ratione etiam loquutus fuit 1. aphor. tex. 17. dum ait multum alimenti & pluries esse exhibendum cùm facultas est fortis cum humorum corruptione, aut defectu quia multis indiget affectio.

Sed dices nostram solutionem coincidere cum communi dicente alimentum indicari à morbo ut

nt medicamentum, contra quam agebamus, & diximus præcisè ut alimentum ac eo modo ac indicatur à facultate indicari à morbo, cum ab illa indicetur ut habet converti in substantiæ reparationem, & ut tollit id quo virtus debilis erat, & eodem modo indicatur à morbo, ac per consequens verè non esse solùm difficultatem. Resp. diversum quid dici à nobis quàm antea dicebatur, quia dicimus alimentum indicari à facultate non solùm ut habet reparare substantiam sed ut habet reparare quod à causis naturalibus & inevitabiliter alterantibus deficit, quo modo non indicatur à morbo, etsi indicetur ut convertibile in substantiam aliti, & sic non secundum omnem rationem alimenti, sed secundum rationem medicamenti; quia propter morbum est & propter causam omninò violentam: Alimentum verò non solùm quia habet formalitatem reparandi à facultate, sed reparandi quod naturaliter & necessario resoluitur, & deficit.

Hoc intelligetur faciliùs si attendamus quod 9. meth. cap. 5. ex Gal. docuimus: diximus enim alimentum indicari à facultate mediatè; quia immediatè indicat sui custodiam, & cum hæc consequatur servatis his quæ ad conservationem facultatis faciunt, quæ sunt spiritus & partes ut docuit Gal. 11. meth. c. 1. & 12. meth. cap. 5. pro commutatione alimenti, in alitum secundum omnem rationem tale à facultate mediatè indicatur, à substantiis verò illo indigentibus immediatè: è contra verò alimentum quod ratione morbi indicatur, immediatè à morbo indicatur; quia morbus propter quem exhibetur alimentum, immediatè remedium indicat contrarium, & sic cum morbus sit partium defectus præter naturam, aut corruptio attemperationem aut positionem indicat immediatè, alimentum restaurans seu attemperans.

Sed dices: si alimentum non indicatur immediatè à facultate, sed ratione rerum conducibilium ad esse facultatis, sequitur quòd æqualiter indicet alimentum & auxilia facultas, ac per consequens quod sicut indicat vitaliter quia indicat ad sui conservationem alimentum, æqualiter etiam dicetur indicare curatoriè, quia indicat remedia; quod est contra rationem Medicorum, doctrinam sequentium Gal. 9. meth. cap. 5. in quo expressè docet non indicari vires curatoriè sed vitaliter, sic ait. Nec ut valeamus, nec ut à morbis liberemur, ab ea primum quidquam desumimus, sed ut vivamus. Patet sequela, nam alimentum indicat quia ad conservationem partium facit, id est quia vires naturales indicant alimentum quo adquirant & maneant; sed etiam aliquæ res naturales ex quarum conservatione pendet facultas indicant medicamenta seu auxilia ex se & immediatè: ergo æqualiter alimentum & medicamentum indicat. Minor patet: Nam non minus requiritur debita temperies, quàm spirituum & partium mensura, ut videri potest 11. meth. cap. 5. Sed ad debitam temperiem requiritur medicamentum: ergo æqualiter indicat utrumque facultas. Quâ ratione 9. meth. c. 13. docuit vires servari corrigendo quod inanitum, aut alteratum est, ac per consequens ad adhibitionem remedii faciet virtus & curatoriè indicabitur.

Resp. vires non indicari curatoriè, quia ex se non determinant remedium, nec ad inventionem eius conducunt, est enim curatoriè indicare, ad inventionem remedij facere, virtus tamen sui custodiam indicat, remedium verò ab illo quod requiritur ad esse virtutis, indicatur; nam ratione eius, hoc aut illud exhibetur. Ergo virtus nec determinat ex se remedium, nec ad inventionem eius facit, etsi ipsum permittat aut secus, ac per consequens nec curatoriè indicat, morbus verò & natura (per quæ, ea quæ naturalia & præter naturam sunt intelligimus) immediatè indicant simile, aut contrarium, & sic Curatoriè indicant. Alimentum verò ut medicamentum à morbo indicatur; secundum completam rationem alimenti à partibus immediatè, prout eo comprehenditur spirituosa, solida & carnosa pars à quibus virtus ex Gal. dependet. Dicimus tamen indicari à virtutibus specialiter, quia præcipuum fundamentum virium est ipsum alimentum, quò dictæ partes acquirunt temperamentum, non ita principale, cum non nisi per magnam intemperiem vires immuentur, & sic quando auxilia indicant per temperiem, potiùs morbum indicare constat quàm vires. hoc docuit Gal. c. 13. cit. per hæc verba. *Virtus ergo omniũ prima est custodienda; servabitur si nec eius substantia inaniatur, nec tantâ alteratione alteretur, ut ea corruptioni sit propinqua.* Quibus verbis manifestè docet non quamlibet intemperiem ad virtutis destructionem facere, maximè tamen inanitionem quamlibet: cum dicat servari virtutem si non inaniatur, nec taliter alteretur; ut substantia sit corruptioni propinqua: ut constet specialiter posse dici alimentum, etsi immediatè indicetur à virtute, quia ex conservatione partium pendet: non verò medicamenta; quia ea per quæ medicamenta sunt necessaria etsi ad vires faciant, non ita ut spiritus & sanguis, cum solùm quando intensa sit alteratio viribus noceat, & tunc magis morbum indicare dicimus quam vires, quia tanta intemperies pro ipsa operari facit, omni aliâ ratione seclusâ, quod non tollit per accidens pro viribus facere. Ita ut auxilia omnia quæ pro morbo sunt, per accidens pro viribus faciant, quatenus vires servant, ablatis his quæ præter naturam sunt; sicut servatis viribus alimento, etiam alimẽtum pro morbo facere docuit Gal. saltim per accidens. Sic ait, cap. 13. Additum est illud primum, quia ex accedenti aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit.

Ex dictis etiam constabit vires ab alimento servari, quatenùs servatur id à quo vires specialiter dependent, spiritus scilicet & partes, sicut enim ex alimento spiritus Et sanguis, sic ex sanguine partes, quibus vires conservari docuit Gal. 11. meth. c. 1. non ergo dubitari potest alimentum vires conservare, per convestionem seu immutationem sui in dictas substantias, ut inde etiam constet omnes facultates debere intelligi cum dicimus alimentum à facultate indicari propter sui conservationem: quia de omnibus verificatur à sanguine & spiritu pendere modo dicto, & consequenter omnes alimento indigere: etsi in ordine ad commutationem faciendam, & ad exhibitionem alimenti, seu ad modum cibandi: specialiter facultatis naturalis sit attendendum robur, aut debilitas.

Secundò dicendum est, quod si per alimentum sit intelligenda victus ratio seu modus utendi alimento, sive tanquam medicamentum accipiatur, sive secundum rationem omnem alimẽti, ab

ab uno indicatur cum ordine ad alterum. Quod eſt dicere quoad modum utendi indicari alimenta ut medicamentum à morbo cum ordine, ſeu reſpectu ad vires: Alimentum verò ut tale omninò à viribus indicatur cum ordine ſeu reſpectu ad morbum. Hanc concluſionem docuit Hip. 2. acut. text. 36. per hæc verba. *Conjcere autem oportet & robur, & morbi cuiuſque modum, hominis item naturam, adhuc ægrotantis in victu conſuetudinem, non ſolum in cibis, verùm etiam in potionibus.* Eſt ergo victus ratio inſtituenda talis, ſive ut alimentũ præcisè exhibeatur ut medicamentum, ratione indicantis cum ordine ad alterum prohibens, hoc eſt virium cum ordine ad morbum: vel ratione morbi cum ordine ad vires: quo fundamento loquutus fuit 1. Aphor. dum conjectare monet an æger ſufficiat perdurare cum victu, uſque ad ſtatum, qua ratione tantum eſſe hanc doctrinam ſuſtinendam voluit in Comm. Gal. & 9. meth. cap. 7. dicens; Aliquam morbi indicationem poſthabendam eſſe reſpectu virium cum ipſæ extremè debiles ſunt: Aliquando indicationem virium reſpectu morbi, quando ipſæ valent & morbus urget: Aliquando nullam, quando utriuſque datur æqualis urgentia. Quem ſequitur Avic. fen. 4. lib. 1. cap. 1. Mercat. & communiter Medici.

Huius concluſionis ratio manifeſta eſt & deſumitur ex doctrina ipſius Hip. & Avic. nam alimentum ut habet conſervare vires, habet etiam morbum augere quod docuit Hip. 2. aphor. text. 1. dum dixit. Non pura corpora quantò magis nutries eò magis lædes. & 7. Aphor. text. 61. dum dixit. Cibus ut ſano robur ſic laboranti morbus: quod in contextu docuit Gal. & 2. acut. contextu 44. & contextu 46. aliàs inquit Gal. Si igitur affectionem nullatenus offenderet alimonia nos virtuti attendentes ægros ſicut ſanos aleremus, ſed quoniam noxa, ita ut ob id morbi affectionem, tanquam cibi prohibitionem contemplamur. Quod quidem Avicen. fen. 4. lib. c. 1. docuit. Habet ergo alimentum morbum augere, etiamſi vires roboret, ſed victus ratio debet eſſe talis ut quàm minimum lædat, & pro viribus valeat, ut dictis in locis oſtendit Gal. Ergo victus ratio debet ſumi ab indicante cum ordine ſeu attentione ad prohibens.

Vlteriùs victus ratio datur, ut alimento vires conſerventur ſeu valeant uſque ad ſtatum, id eſt ut poſſit vivens perdurare, donec morbus conſiſtat, ut docuit Hip. 1. aphor. text. 9. ſed non eſt æqualis diſtantia à principio uſque ad ſtatum in quodlibet morbo; ergo diverſa victus ratio eſt inſtituenda in uno ac in alio, etiamſi vires eiuſdem naturæ ſint in utroque caſu: ac per conſequens etiamſi alimentum propter vires exhibeatur, morbi natura attendenda eſt ad debitam eius adminiſtrationem, cum ratione morbi plus aut minus eſt exhibendum. Ideò victum tenuem in morbis longis vituperat ſemper Hipp. non verò in omnibus acutis, ut conſtat 1. aphor. text. 4. Quod etiam videtur ſi alia verba textus reſpiciamus dicentia, victum tenuem eſſe periculoſum in longis morbis, & in acutis in quibus non convenit. Per quæ oſtendit aliquos eſſe acutos morbos in quibus non convenit victus tenuis exquiſitè: ſed cum hoc non poſſit intelligi ratione diſtantiæ ſeu durationis, ſed ratione aliquorum accidentium propter quæ victus ad reparationem virium ſic neceſſarius, manifeſtum eſt non ſolùm eſſe attendendum ad vires alimentum petentes & ad ſpeciem morbi ratione cuius ſit exhibendum magis aut minùs, ſed etiam ad morem ratione cujus victus ratio eſt inſtituenda propter quod 2. acut. text. 36. inquit Hipp. *Conjicere autem oportet robur, & morbi ſpeciem.* Legit Ioan. Baſſæus. *Et robur & morbi modum:* quaſi diceret, victus rationem eſſe inſtituendam ratione virium non ſolùm attendendo ad morbum ſed ad modum eius. Eſt enim omnibus notum, non ſolùm ratione naturæ ipſius morbi victus rationem immutari, hoc eſt ratione acutici, aut longitudinis, ſed etiam ratione modi eius, ut ſi accidentibus aliquibus cominatur vires valdè reſolventibus, aut ſecùs. Quâ ratione Gall. 10. meth. cap. 13. febricitanti cum humore acri & mordaci alimentum exhibere iubet, propter reſolutionem quæ a tali cauſatur humore.

Quod dictum eſt de alimento ſeu modo exhibendi ipſum, ratione morbi etiamſi indicetur à viribus, eſt intelligendum de alimento per modum medicamenti exhibito ratione virium, & à morbo indicato. Nam cum alimentum in tantùm habeat utilitatem præſtare, in quantùm convertitur in ſubſtantiam aliti; etiam virtus eſt attendenda quando à morbo indicatur, quatenùs ab ipſa debet alterari & converti, & ſic virtus eſt reſpicienda: Aliàs alimento pro morbo exhibito, nec morbus auxilium recipiet, nec vires reſtaurationem, ſed potiùs ſuffocabuntur. Ideò Gal. 1. aphor. Co m. docens qualis debeat eſſe victus virtute exiſtente debili, cum humorum corruptione ſic ait: Parum & ſæpe eſſe exhibendum: Parum quia virium imbecillitas non poteſt totam cibi multitudinem ſuſtinere, Ac ſæpe, quoniam multis indiget affectio. Docuit ergo alimentum exhibendum eſſe ſi à morbo indicetur cum ordine ad facultatem. Quâ ratione etiam in eodem comment. multùm & ſæpe eſſe exhibendum docet, cum vires valent & humorum eſt corruptio.

Ex hoc deduces, quòd ſi alimentum, quod ex propria natura pro virium conſervatione facit, dum ratione morbi exhibetur, exhibetur cum ordine & reſpectu ad facultatem; non minùs facultatem ipſam eſſe reſpiciendam ad exhibitionem cujuſlibet medicamenti pro morbo conducentis, cum magis contra naturam ſit & ipſam habeat labefactare, ut docuit Gal. cap. 14. de opt. ſecta. Ideò 9. meth. cap. 7. talem eſſe indicationem virium docuit, ut pluries pro ipſis operandum ſit morbo poſthabito, & conſequenter cap. 13. virium primam indicationem appellat, quatenùs ſine ipſa nulla poteſt moliri curatio. Quod non eſt intelligendum ita eſſe reſpiciendas vires, ut pro ipſis ſit operandum non attendendo ad morbum, ſed tali modo ut ſi morbum reſpiciamus, primò vires conſervare ſtudeamus quales tequiruntur, etſi morbus contrarium petat. Nam ſi in tali caſu omnino poſthaberetur morbus, & ad ipſum non attenderemus, forſan majus ſequeretur incommodum, ex augmento ipſius quàm ex reparatione virium. Ideò in morbis non eſt utendum victu pleno, ut 10. aphor. comm. 4. docuit Gal. ac per conſequens ſæpe attendendum ad morbum, ut non ita operemur pro virtute, quod maximè morbus augeatur, & ſi convenit operari pro virtute indicatione morbi poſthabitâ, id eſt non operando pro morbo: maximè tamen cum attentione ad ipſum.

Pro quæstionis solutione, & ut veritas magis innotescat, explicandus difficilis Gal. locus ad argumentorum solutionem. Pro primo enim constat alimentum ut medicamentum indicari quando à morbo indicatur; cum exhibeatur aut propter qualitates quas habet, contrarias ipsi morbo, aut quatenus replere potest quod deficit præter naturam, alimentum verò omninu tale est quod solùm propter reparationem resoluti à causis non naturalibus exhibetur, & hoc modo nullatenus indicatur à morbo, sed solùm à partibus naturalibus, mediatè tamen à viribus, quatenus ipsæ principaliter alimento conservantur, remotè magis seu minus principaliter ab auxiliis.

Sed dices si alimentum potius habet augere morbum, quâ ratione ab ipso prohiberi ostensum est, cum Gal. 1. acut. comm. 44. quomodo ipsum alimentum indicari à morbo dixit. 1. aphor. comm. 7. Ratio difficultatis est nota: nam cibus sano est robur, laboranti morbus, & corpora impura magis excrementis replentur, & ipsis augetur causa, & etiam à coctione natura distrahitur, & facultas repatitur, & propter plura alia, quæ ab Authoribus ut nota habentur. Quomodo ergo cibus à morbo peti potest? præcipuè cum dubitatio non sit de ipso, prout habet alterare ratione primarum aut secundarum qualitatum: Nam, hoc modo jam non ut alimentum haberetur, cum non indicaretur ut convertibile.

Communis solutio est, peti & indicari ut medicamentum, & ut convertibile indicetur à morbis ab inanitione pendentibus; & sic indicari & peti in casibus à Gal. dictis & non alio modo. Sic ait comm. 17. cit. si facultas debilis fuerit cum humorum corruptione, vel defectu, parum & sæpe esse cibandum parum quia non sustinet facultas, sæpe quia multis indiget affectio. Defectus siquidem exigit additionem, & infrà dum multum & sæpe exhiberi expedit, sic ait, si verò cum humorum defectu aut corruptione vires validæ fuerint &c. Et rursus, cum parum ut rarò esse exhibendum docet, sic ait, si verò cum virium debilitate nec defectus aliquis fuerit nec corruptio, nec &c. Quibus verbis manifestè constat cibum indicari à morbo. Quando defectus est, id est ratione inanitionis de quo non poterat esse dubitatio. Cum verò aliis in locis cibum esse prohibendum docent authores, est quando morbi materiales sunt, quia & causa morbi augetur & distrahitur natura, & verificatur corpora alimento lædi, ipsumque esse morbum respectu ægrotantis.

Hæc tamen solutio nulla est, nam licet negari non possit alimentum ut medicamentum indicari à morbo, ex inanitione pendente. Gal. non solùm hac ratione alimentum indicari à morbo dixit: nam loco citato dum ratione affectus alimentum esse exhibendum docet: sic ait. Si corporū dispositio sit ex humorum corruptione aut defectu. Ergo non solùm ratione defectus, sed etiam ratione corruptionis humorum indicatur alimentū à morbo. Idem reperit ter in ipso comm. 17. sic ait: Sæpe autem quia multis indiget affectio. Defectus siquidem exigit additionem, corruptio verò contemperamentum, quasi diceret, indiget multis affectio, quia ratione defectus additio est necessaria & ratione corruptionis attemperatio, totum quod alimentis fieri docet. Ergo non solùm ratione defectus sed ratione corruptionis alimentum indicatur à morbo ex doctrina Gal. quod explicant communiter Interpretes super aphor. 17. & quod ex alia parte corpora à cibis prohibenda esse ....:................

Alii verò aliter difficultatem solvere conantur, inter quos Salmanticensis primarius, inquit, loqui Gal. de humoribus semiputridis attemperatione reducendis, propter quod sic scripsit Gal. multis indiget affectio, quia defectus exigit additionem, corruptio attemperationem, quasi diceret esse alimentum ad temperandum. Quod non potest intelligi de corruptione perfecta cum hæc non esset per attemperationē corrigenda, sed per humoris evacuationem, seu coctionem; ergo cum docet corruptionem alimentis attemperari, de corruptione correctionis capaci agit, non de corruptione perfectā. Egit quidem de hac corruptione Gal. 2. Aphor. comm. 17. exemplo vini acidi seu ad aciditatem tendentis, illud reduci inquit, hoc minimè. Cum verò corpora lædi alimentis docet, de corpore loquitur habente humores verè & perfectè corruptos, qui cum non possint corrigi, potiùs alimentis augeantur, cum alimenta in naturam humoris peccantis transeant; ut in comment. docuit Galenus.

At hæc solutio invalida est, nam Gal. nihil de activitate alimentorum medicamentosa agit, nec alicujus alterius. Potius ut ipse repetit, postquam egit de debita quantitate, & qualitate cibi, de eius reiteratione agit Hipp. & in ordine ad hoc inquit Gal. pluries aut rarò esse exhibendū, in multa aut in panca quantitate, ratione hujus aut alterius. Non ergo agit de modo corrigendi putredinem alimentorum. Nam si hoc intenderet, diceret quibus qualitatibus alimentorum attemperatio esset facienda. Sed nec de alimentis, nec de medicamentis verbum protulit, & inquit .... de modo exhibendi cibos, ergo non de curatione facienda per ipsos, & sic solùm indicantia adducit, propter quæ plus aut minus est exhibendum, quidquid sit de qualitatibus correctivis.

Præterea: nam absolutè inquit, quando humores sunt corrupti, pluribus indiget affectio, ergo non solùm debet intelligi quando semiputridi sunt, sed quomodocumque corrupti, quod roboratur fortiùs, nam quando semiputridi sunt, non indiget multis affectio. Ergo non est intelligendum de humoribus semiputridis. Antecedens patet, quia quando semiputridi sunt non sunt incapaces conversionis in vivens, cum solum propter perfectam corruptionem tales reddantur, & semiputridi possint reducī medicamentis non gravantibus, habent enim alimenta etsi attemperant gravare: quia multum nutriens conjungitur cum humoribus reductis valentibus alere. Ergo erunt superflua alimenta attemperantia. Docet Gal. in eodem loco parum & rarò esse exhibendum, quando humores inculpati abundant, quia est alimentum quo partes nutriantur, sed idem erit humoribus correctis & attemperatis, ergo non conveniet multum cibi: ac per consequens si multis eget affectio, sunt humores verè corrupti, propter quorum defectum alimentum est necessarium.

Ulteriùs nam etsi humores verè corrupti sint, necessitas est plurimi alimenti, ergo non est intelligendus Gal. de humoribus semiputridis: Antec. patet nam alimentum est necessarium,

rium, & ut restauretur quod deficit, & ut modo possibili putridum corrigatur; sed hæc necessitas existit adhuc major, cum humores verè putridi sunt, quia est necessitas reparandi illud corruptum, quod non potest corrigi: quæ necessitas non invenitur in semiputridis, quia possunt corrigi humores, & etiam alimentorum mixtione aliquantulum qualitates ex corruptione humorum corriguntur; nam saltem vapores seu fuligines acres attemperantur, & obtunduntur ut contingit in picrocolis; Ergo etiam si humores verè putridi sint, multis indiget affectio. Qua ratione in febribus malignis & pestilentibus servari magis qui audaciùs cibum assumunt, docet Gal. 3. epid. sect. 3. comm. 38. & Avic. fen. 1. lib. 4. Tract. 4. cap. 4.

Dixit enim Gal. defectum petere cibi additionem, corruptionem verò attemperationem, non quia ratione attemperationis tantùm erat exhibendum alimentum humoribus corruptis; contrarium enim ostensum est, aut tunc sit in rigore defectus: sed quia aliquo modo corrigitur seu obtunditur vaporum corruptorum vis, & acrimonia per alimenta, ideo inquit additionem esse propter defectum, & attemperationem propter corruptionem. Quasi diceret multis indiget affectio dum humores sunt corrupti: & propter defectum & propter attemperationem, includit enim corruptio humorum quoad ipsorum finem necessitatem attemperationis & ipsorum defectum.

Ant. Mussa hanc dubitationem proponit, 2. sect. aphor. com. 1. eam tamen non solvit etsi jam velit intelligi Gal. de alimentis à qualitatibus attempetantibus, jam de alimentis permistionem corrigentibus seu impedientibus. Et cum ipse Gal. com. 1. dicat alimentum corrumpi & mutari in humores corruptos, dicit Ant. Mussa intelligendum de alimentis qui non possunt in humores corruptos mutari. At cum alimentum ex se convertibile sit, & quod est convertibile possit in pravam naturam disponi, non solvit adhuc, cur multum cibi petat ..... corruptio, dicente Hipp. corpora multo &c.

Nobis tamen videtur rectè Gal. docere cum humorum defectu aut corruptione multis indigere affectionem, & multa esse habenda alimenta, aut scilicet si facultas robusta sit aut pro reparatione si debilis: & ratio est manifesta nam alimentum est necessarium, in reparationem partium seu substantiarum naturalium: sed quando affectio pendet ex defectu aut corruptione humorum est defectus substantiarum naturalium reparandus per alimenta; ergo multis indiget affectio, & hoc magis quando verè corrupti sunt. Quod non contrariatur Hipp. dicenti corpora alimento lædi, & morbum augeti; nam aliud est quod indicet affectio, & quod sit faciendum propter ipsam, aliud verò sequatur alimento exhibito. Non potest negari ab affectione alimentum indicari & ipso causam morbi augeri. At major est utilitas quæ sequitur ex reparatione illius quod deficit, & virium, quia non erat substantia apta ad virium reparationem, quàm damnum quod ex aliquo augmento causæ subsequitur, ideo alimentum exhibetur. Circa quod est attendenda vitium vel morbi major urgentia, ut propter illam operemur, ut 9. meth. cap 7. docuit Gal. & dicemus.

Sed dices Hipp. absolutè dixisse corpora lædi alimento, ita ut sit major læsio quo major sit alimenti quantitas; Cum dicat. Quantò magis nutris tantò magis lædis. Ergo non potest dici esse majorem utilitatem quam damnum. Nam si ita esset non diceret absolutè lædi magis corpora impura, quò magis nutriantur, cum aliquando non læderentur; siquidem major fuerit aliquando utilitas, ut in casibus à Gal. adductis. Resp. Hipp. non dixisse corpora lædi per alimenta absolutè, potest enim corpus etsi impurum alimento aliquantulum refici, etsi aliquid ejus corrumpatur & poterit mordacitas corporum evitari seu attemperari ab alimento assumpto, quæ major utilitas sit, quam assumpto aliquo causari ...... impura magis nutrias quàm debeas tanto magis lædes, quantùm id non est propter aliquem finem necessarium, & propter augmentum causæ. Quem modum dicendi sequutus fuit Iacob. de Forlivio. in comm. & Vgo Senens. & sic quando alimentum exhibetur multum in corruptione humoris, non est plus quàm debetur, & consequenter nec læditur, corpus impurum indicat humorum defectus seu per corruptionem, seu per veram ablationem alimenti ad sui conservationem. Quod docet Avic. Fen. 3. lib. 1. doct. 2. cap. 7. Dicens corpus malos habens humores rem bonam largiter commendat.

Hujus doctrinæ fundamentum dedit Hipp. 2. aphor. text. 8. Gal. in comm. inquit enim si à morbis cibum assumens quis non corroboratur pluri alimento uti significatur. Quibus verbis significat læsionem evenire per multitudinem alimenti, majorem quam expedit. Cujus rationem reddens ipse deinceps inquit. Non puta enim corpora quantò magis nutrias &c. Quasi diceret si non corroboratur qui à morbo cibum assumit, multo cibo utitur aut corpus evacuatione indiget. Et ratio est quia corpora impura quo magis nutriantur læduntur magis; id est nutritione majori quàm requiritur læduntur. Est tamen intelligendum per nutritionem majorem alimentum in majori quantitate quàm requiratur. Hoc docuit Gal. in comm. dicens. Dico legendas esse prædictas sententias rectè. Ergo affectit multum alimenti esse exhibendum ratione morbi, dum humores corrupti sint, quia multis indiget affectio magna, corpora non læduntur magis quando non nutriuntur magis quàm expedit; propter quòd, ut dicemus, victum plenum neutiquam convenire ægrotantibus docuit Galenus 1. aphor. comm. 4. ne causa morbi augeatur, esset enim plus quam requiritur.

Dices ulteriùs cum Vega super Aphor. 17. ex mente Hipp. & Gal. quando morbus peracutus est, tenuissimo victu statim utendum est; sed in tali morbo non possunt non esse humores corrupti: Ergo non exhibendum multum & sæpè quando facultas fortis est cum humorum corruptione sed parum & raro. Quod patet nam cibus est ut possit perdurare æger usque ad statum: sed quando facultas fortis est meliùs potest perdurare usque ad statum: Ergo parum est cibandum. Præcipuè cum humorum corruptio coctionem seu correctionem exposcat, faciendam à natura: ad quam utilis erit victus attenuatio, ne natura à coctione distrahatur: Ergo parum & raro est cibandum.

Si aliquis dicat in sanis facultate robusta existente, non esse cibandum victum tenuem ne corrumpatur, & sic nec in ægrotantibus cum facultate robusta cibus est attenuandus. Respondet Vega esse disparem rationem, quia cum in ægrotantibus facultas sit occupata circa coctionem humorum putridorum, cibus tenuis sufficit: in sanis verò cum solùm circa alimenta operetur facultas, nihil mirum quod ea corrumpatur quando tenuia sunt. Ex quo concludit contra Gal. facultate existente robusta cum humorum corruptione parum & rarò esse cibandum.

Respondetur tamen in morbis acutis tenuiter esse cibandum, quia talis victus sufficit ut facultas duret usque ad statum, in quo casu attendendum est ad morbum ratione cujus dum facultas sufficit non est exhibendum, at ipsa facultas petit ne morbus tum augeatur à quo imminet periculum. Cum quo conjungitur quòd in morbis acutis non est necessium humorum reperiri corruptionem, ut multum petat facultas & afflictio, imò ut in plurimum contrarium. Et quamvis reperiatur humorum corruptio urget magis morbi acuti indicatio. Cum verò Gal. multum & sæpe cibare moner, est quando sine indicatione morbi evenit facultas fortis & humorum corruptio ut in pluribus intemperatis, aut malo corporis habitu affectis io quibus aut morbus longus, aut ipsius non datur urgentia, & facultas efficaciùs indicat: quo casu potiùs cibo roboratur ut contra corruptos humores agat, quamvis distrahitur facultas: quia aliàs cum non reparetur, ex humoribus corruptis ineptior ad coquendum manet. Propter quod Avic. hac doctrina utitur fen. 3. lib. 3. cit. dum largiter comedere consulit dum humores sunt corrupti.

Advertendum tamen est quod quando facultatem debilem aut fortem dicimus, quatuor conducere ad hanc, aut illam victus rationem. Principaliter est attendendum ad facultatem naturalem coquentem ventriculi, siquidem ipsa est quæ principaliter in alimento exhibito operatur & quæ magis patitur ab eo; quia tunc alimentum dissimile magis & minus correctum est, & sic specialiter pro quantitate cibi facit: etsi etiam indicatione aliarum facultatum operemur, quia una debili existente alias fortes esse difficilè est: juxta illud Hipp. lib. de alim. Consensus unus, conspiratio una, &c. Quod docuit etiam 2. Aphor. text. 15. dum ratione roboris majoris ventriculi hyeme & vere cibos esse augendos scripsit, nullo aliarum facultatum adhibito respectu.

Reliqua argumenta commodam habent solutionem quæstione sequenti: interim dicimus ad secundum, victus rationem, cum includit specialem modum utendi alimentis non indicari à facultate præcisè, sed ab illa & morbo: dicimus enim à facultate cum ordine, aut respectu ad morbum alimentum exhiberi; & sic ex utroque resultat taliter esse exhibendum, id est tali forma seu tali specie. Inde nascitur sub tali forma aut specie non indicari à facultate præcisè, sed ab ipsa cum respectu ad morbum.

Ad Tertium dicimus facultatem debilem plus alimenti indicare, quam fortem, etsi per accidens, id est, in ordine ad consuetudinem parum exhibeatur; quia non potest simul multitudinem requisitam aliter sustinere facultas: exhibetur tamen sæpe, ut repetitione quod requiritur suppleatur, ex eodem Gal. Sic ait 2. acut. comment. 36. nam imbecillitas sæpiùs quidem sed paulatim cibandum indicat, dicit enim debilis facultas defectum alicujus requisiti ad ipsam, petentis per alimentum restaurationem.

Sed dices Gal. comm. 17. citato docet quando facultas est debilis cum debita humorum proportione, parum & rarò esse exhibendum alimentum: Ergo ratione facultatis debilis, non est exhibendum multum, adhuc per repetitionem: potest enim aliunde quàm per defectum partium petentium alimentum facultas debilitari, per intemperiem scilicet. Resp. facultatem debilem semper multum indicare, non tamen exhiberi, quando humores probi sunt, ipsis enim habet reparare quod deficit, sic parum alimenti sufficit.

Dices iterum etsi verum sit, posse conjungi facultatem debilem cum optima proportione humorum, sine corruptione; ratione morbi maligni, seu intemperiei difficiliùs, quomodo cum humorum corruptione aut defectu fortem concedat facultatem Galen. Respondetur Gal. facere omnes combinationes quæ possunt excogitari cuilatis & humorum. Quidquid sit de earum sapossibilitate, ut constet quomodo semper alimentum exhibendum sit. Præterquàm quòd quando dicitur adesse facultatem fortem, non est intelligendum esse fortem absolutè sed esse talem in ordine ad alimentum petitum à morbo.

Quartum argumentum solutum est jam; ad Quintum dicimus quod si multum alimentum simul exhibeatur facultate existente debili, quamvis à morbo indicetur esse major noxa, non tamen si multum exhibeatur ratione repetitionis, quia tunc cum facultate proportionatur. Dum verò facultas fortis est, non exhibetur multum, si morbus ipsum prohibear, quia ipsa sufficit permanere in intensione requisita, usque ad morbi terminationem. Si verò non sufficeret multum exhiberetur, scilicet, quod non est plus quàm expediret, id est non esset utilitas superflua. Et sic propter ipsam est operandum, etsi aliqua noxa sequatur, secus tamen cum talis utilitatis non adest necessitas.

QVÆSTIO V.

A quo ultimò determinetur victus forma.

DICTUM est alimentum omnino tale, id est ut habet reparare nostram substantiam, à causis naturalibus resolutam, indicari à facultate, impediri verò à morbo: Alimentum autem prout habet reparare nostram substantiam à causis violenter agentibus resolutam indicari à morbo & aliquando à facultate, quando ipsa scilicet non sufficit pro quantitate indicata, hoc est secclusa ratione medicinali, secundum quam cum omnibus aliis medicamentis convenit. Solùm ergo dictum est de alimento prout indicat, secundum quod est convertibile in substantiã aliti, hoc est prout habet nostram substantiam reparare, sive à defectu naturali, sive à violento, & sic victus rationem seu formam ab his duobus desumi, juxta illud Hip. 2. acut. *Conjicere autem oportet & robur & morbi speciem.* Restat igitur perpendere à quo ultimò victus forma determinetur.

Quod

Quod est quærere integrum principium determinativum variationis formæ victus in morbis repertæ.

Circa hoc repetendum est victus formam variari ratione diversitatis morborum & roboris ut dictum est. Quod fecit manifestum Gal. comm. 36. cit. 2. acut. & 1. aphor. comm. 4. dicens. Victus formam non solùm mutari ratione diversi status, ita ut plenus sit victus pro salute, mediocris pro chronicis, tenuis pro acutis; verum etiam pro diversitate morborum in acutie, aut longitudine & temporibus ejus, & pro facultatis robore & debilitate; sic ait. 2. acut. Nempe ut virtutis tum robore in tum debilitate, magis & minùs valde discrepant, sic morbi quoque discrimina, differentiasque conjicere oportet, &c. debet ergo omnes virtutis & morborum mutationes considerari, ut juxta ipsas immutatio victus fiat.

Secundo advertendum est immutationem victus etiam multoties fieri aliquantulum, ratione consuetudinis & temperamenti ægrotantis, ut text. 36. cit. docuit Hipp. dicens. Conjicere oportet & robur & morbi speciem, hominis naturam & consuetudinem, quia ratione ejus plus aut minus exquisitum esse victum compertum est. Quod etiam 1. Aphor. text. 17. docuit dicens, Condonandum esse aliquid tempori, ætati, consuetudini, cum hoc notum sit in quolibet statu, ita ut parum sit pro illo qui paucis est assuetus, multum pro illo qui multis: ut expresse etiam 1. acut. text. 22. difficultas solùm stat de indicatione sumptâ à morbo, aut viribus, aut differentiis ejus, ut notum sit quomodo medicus debeat procedere, circa debitam victus rationem seu administrationem.

Nobis dicendum est finem cibi ut cibus est, solùm esse reparationem substantiæ. Qua ratione 2. de alim. fac. cap. 1. per hoc alimentum definiebat Gal. ut sit virtutis reparatio, per reparationem partium alimento proportionato, pro parte deficiente; solidum pro solida, medium pro media, & tenue pro tenui, seu spirituoso, sive quia partes spirituosæ dentur, sive spiritus ipsi sint intelligendi, cum ad esse facultatis ita requirantur, ac si verè partes essent, ut videre est 11. meth. cap. 3. sic ait Gal. quoniam virium substantia tum ex spiritu tum ex carnosa specie, tum solidum ipsum completum ex his quæ similia sint moliri cuique suam custodiam convenit. Quibus verbis & sequentibus quod dictum est manifestum fecit, juxta illud Hipp. principium alimenti os, guttur, &c. Ex quo patebit famem sedare, non esse finem cibi; sed medium quod consequitur ad finem alimenti. Est ratio nota: nam fames medium est ad reparationem propter quam sumitur alimentum. Ergo sedatio famis est sedatio medij requisiti ad finem, ac per consequens, erit id quod sequitur ad finem ultimum in intentione, etsi in executione priùs fames tollatur, quàm reparatio fiat. Quod est intelligendum de cibo ut verum alimentum. Dum verò cibus ut medicamentum assumitur ad sedandam famem caninam, non ut cibus, neque ut commutabilis sumitur, non enim sedatur talis fames per conversionem in substantiam, sed per corporaturam tollentem corrugationem violentam in fame canina repertam, & sic ut medicamentum exhibetur, non secundum cibi formalem rationem, etsi cibis eam propulsare debeamus; quia minùs noxium erit cibos præbere quàm alia mixta in tanta mole quæ sufficiat ad auferendam corrugationem illam.

His suppositis videtur dicendum, cùm alimentum ratione virium exhibeatur cum respectu ad morbum, quòd quo virtus magis patiatur (& contra & consequenter cum magis patiatur per morbos) seu passura est, plus alimenti sit exhibendum quàm è contra, & consequenter cum magis patiatur per morbos quàm per salute, plus alimenti indicabit in statu morboso quàm erit exhibēdū & in morbis ipsis prout magis patiatur, magis erit exhibendum: & consequenter cum in acutis morbis fere sêper accedentia sint fortiora & molesta magis, quàm in longis morbis, plus alimenti in acutis est exhibendum. Ostendit antecedens & experientia & ratio. Constat quidem fortiora & molesta magis esse morbi acuti accidentia, quàm longi, magisque affici facultatem, ut etiam ratio demonstrat: nam aliàs non deficeret brevius in morbo acuto vivens; deficit quidem quia accidentia ejus deteriora sunt, ratione cujus plus valent debilitate facultatem quam morbi longi accidentia. Ergo plus est cibādum in morbo acuto quàm in longo. Hujus doctrinæ fundamentum inveniemus, si respiciamus Gal. dicentem 11. meth. cap. 1. & 3. & 1. de san. tuenda. Alimentum esse ut facultas conservetur. Sic Hipp. 10. Aphor. victus rationem in ordinem ad reparationem facultatis scripsit: ergo quando ipsa magis est alteranda plus cibi est exhibendum. Ideo text. 4. periculosum apellat victū tenuem in longis & in acutis morbis. Pro quo facit communes Medicorum usus in cibatione convalescentium, & senum; ut docet Avic. fen. 3. lib. 1. doct. 3. cap. 2. in quibus parum & sæpe est cibandum, ut sufficiat repetitio pro multitudine cibi requisita à facultate ad sui restaurationem, quia totum simul non potest sustinere facultas, ut etiam 2. acut. comm. 36. docuit Gal. ergo quo acutior est morbus plus cibi est exhibendum . . . . & consequenter plus est cibandum per morbum quàm per sanitatem. Hanceque eandem doctrinam videtur docere Hipp. etiam 1. acut. text. 2. per hæc verba. Qui bis cibum per consuetudinem sumunt, bis quoque eis ptisana exhibenda est, qui vero semel duntaxat, his primo die semel duntaxat det, facta tamen additione: quod si fieri potest bis quoque exhibeatur si res expostulaverit. Quibus verbis manifeste docet quantitatem tantū cibi esse exhibendam in morbis si res expostulaverit, quod est dicere si vires patiantur cum propter ipsas cibus sit. Cum quo consentit Gal. in comm. per hac verba. Quòd si semel tantùm cibari consueverunt ptisanam dabis. Quod Hipp. probare maxime videtur 2. acut. text. 12. per hæc verba. Cum medicamentum ebibit, mox ptisana sorbitioni danda est, non minori pene quantitate quam consuevit. Ex quibus deducitur quòd si adhuc medicamento exhibito ptisanam tribuit in quantitate consueta, per morbos non est minuendus cibus.

Quæstionis resolutio examinari petit, propter quid morbus prohibeat cibum quem desiderat facultas, ut inde constet quando permittit magis aut minus. Quod proprium locum habet de cibo omnino tali, seclusa quacumque ratione medicinali ejus: nam quatenus medicamentum est, loquendum est de ipso ut de reliquis alimentis, quæ utilia sunt prout constant aliquo

opposito ipsi morbo & sub ratione generali meth. medendi comprehenduntur quoad applicationem & modum utendi ipsis, habitâ virium commutantium consideratione.

Circa hanc difficultatem Hipp. duobus modis lædi corpus per alimentum seu per victus rationem docet. 1. aphor. & per additionem, & per diminutionem: pet hanc ut docet textu 4. per illam textu 7. & 8. quod tam per additionem quam per repetitionem esse intelligendū ex text. 17. constat. Quam doctrinam servavic 1. & 2. acut. citatis. Est tamen hæc differentia, quod alimento diminuto, diminuitur homo immediatè quoad vires, quatenus ipso debilitatur alimento, at augetur quoad morbum, id est aliquo mantenimento morbus robur accipit ut 1. co. 2. & 7. Aphor. & 1. & 2. acut. docuit ex professo, tamen lib. de veteri medic. etsi de victu ægrotantium non agat, enumerat ibi accidentia quæ ex defectu aut augmento cibi adveniunt. Quorum alia debilitatem ostendunt, quæ ex augmento morbi procedunt, causam morbi esse significant.

Ex his duobus modis quibus corpus læditur per varietatem quantitatis requisitæ cibi, supposito quod diminutio ejus à viribus prohibeatur; quatenus ipsæ ad sui custodiam cibum indicant, solùm ergo restat cur morbus cibum prohibeat, & consequentet faciat ut non detur quod à facultate indicatur. Gal. super aphorismos & libros Avic. citatos reddens rationem, inquit, esse & quia causa morbi augetur & quia distrahitur à coctione natura, & quia accidentia intensa sunt: ratione cujus sufficiens fundamentum est ut morbus prohibeat illud quo causa augetur, & ejus corruptio impeditur & natura debilitatur. Sic ait comm. 1. Aphor. 2. corrumpitur enim adveniens alimentum corpori malos humores habenti: & comm. 8. lib. 1. sic, aut morbus in suo vigore consistit victu tenuissimo cibandum est, tum propter casuum magnitudinem tum propter morbi coctionem, nec enim distrahere oportet naturam ad alteram coctionem. Idem dixit, comm. 7. ergo per dicta, morbus cibum prohibet ac per consequens cum operandum sit pro urgentiori altero non neglecto quando oppositæ occurrunt indicationes, ut docet Gal. 3. meth. cap. 9. & in statu morboso conjungatur virtus cibum petens & morbus ipsum prohibens, pro urgentiori est operandum altero non neglecto, id est cibus est exhibendus ut facultas petit cum ejus magis urget indicatio, est tamen prohibendus cum magis urget morbus, pro utroque tamen operandum cum ambo æqualiter urgent, ita ut aliquid cibi detur pro facultate & aliquid auferatur pro morbo, ut 9. meth. c. 7. docuit expresse. Quem sequitur Avic. fen. 4. lib. 1. c. 1. dicens. Oportet medicum esse solicitum de eo quod magis suspectum est. Agebat de virtute & morbo in ordine ad victum.

Iam restat scire quomodo per cibum dicta mala eveniant, ut idem morbus cibum prohibeat: fiet tamen notum, si attendamus causam morbi augeri alimento, quatenus ue ipse Gal. docuit, ab ipsis humoribus putridis alteratur alimentum, & corrumpitur: & consequenter in similem qualitatem seu dispositionem transit. Nam cum putrido venit interitus seu corruptio agente calore externo; .... & hoc coctione humorum corruptorum in alimentum, hinc est quod alimentum corrumpatur. Ideo dixit 9. comment. text. 1. citato, augetur quantitas, qualitas verò servatur, id est, materia putrida augetur, ab alimento sub eadem dispositione putrida, quâ humores erant. Quod precipuè habet locum quando alimentum in majori quantitate quàm requiritur exhibetur, ut diximus. Semper hoc fit, magis tamen cum alimentum in quantitate improportionata est, quia non rectè à facultate regitur. Cum verò proportionatè datur plurimum ejus à facultate gubernatur, abstrahitur & commutatur in optimam substantiam, ut inde aliqua adveniat reparatio ut docuit Gal. comm. 7. citato: attamen semper causa morbi augetur, etsi cibum prohibet morbus.

Quòd casuum seu accidentium tempus, hoc est tota morbi magnitudo sit inconveniens ad exhibendum cibum, inde est, quia tunc patitur facultas ab ipsis validè, sicque debilitari est necessum: non ergo expedit laborem addi labori, nam alimentum reparitur facultas, & quatenus dissimile in principio & quatenus causa morbi cum eo augetur. Et ex alia patte debilior, ut agat, resultat: & consequentee non valebit alimentum commutare, & patietur quidem potius quàm roborabitur facultas alimento in tali casu: Non ergo est exhibendum dum magna adsunt symptomata. Ideo Hipp. primo de epidem. part. 3. text. 10. docet febres aliquando fortiores esse in principio donec tempore indicationis & ante ipsum remittant; aliquando remissè incipiebant, augebantur & fortiores fiebant usque in finem: aliquando verò remissè incipiebant, postea fortiores fiebant postea ante indicationem remittebant immediatè: inquiri oportet utrum victum ex horum considerratione offerre conduceret. Quasi diceret intensio accidentium certis temporibus accidit in morbis: consideratione ergo habita ad ipsam sic in cibis est procedendum: ac per consequens rectè cibum prohibari in morbi vigore ratione magnitudinis accidentium docuit, ut constet etiam in morbis non procedentibus à materia cibum esse interdicendum cum accidentia vigent, quidquid dicat Conciliator.

Circa distractionem naturæ à coctione alimento exhibito major est dubitatio nam cum coctio à calore fiat & à facultate gradus vegetativi, qu æ in quantum possunt operantur, & non ratione finis aut cum cognitione, sed tantùm propter finem, quomodo possit distrahi à coctione natura: est enim certus gradus vegetativus & ejus facultates ideo naturales sunt, etsi vitales sint, quia in modo operandi agentibus naturalibus assimilantur; aliàs si ratione finis operarentur non plusquam expediret: quia prout expedit operantur: quomodo ergo alimento exhibito natura ab ejus coctione distrahitur? pauca quædam hîc legi non potuerunt.

Salmanticenses plures facultates naturales apponere conarum voluerunt circa id quod denuo applicatur, ratione cuius ab operari circa materiam morbi distrahabantur: credere tamen in potentiis naturalibus distractionem veram & conatus applicationem absurdum est. Est enim proprium agentium naturalium in quantum possunt operari: Ex quorum similitudine facultates gradus vegetativi naturales dicuntur, nec per

per operationem in una parte desinunt operari in alia, nisi ex alio capite defectus adveniat. Nec valet dicere esse æqualiter utilem hanc actionem in utraque parte & quando huic alimentum exhibetur utilius esse ipsum coquere. Non est ita quia actionem qua intendit suam assimilationem exercet circa utramque materiam, quam si non immutat per accidens est, & quia non est minus utile putridum corrigere quam bonum alimentum transmutare in ordine tamen ad actionem ipsam nullo discrimine operatur facultas, ut dicatur præcedente cognitionem, quod alienum est valdè à facultate naturali.

Alii hunc modum dicendi impugnantes naturam à coctione materiæ morbi distrahi dicunt alimento exhibito, quia cum hoc utilius sit & aptius pro nutritione confluunt sanguis & spiritus in ventriculum pro coctione eius, & consequenter deficiunt pro coctione materiæ existentis in venis quod vocant distrahi à coctione. At hic author non satisfacit neque loquitur consequenter, cum his quæ in eodem tractatu scripsit: nam coctio, inquit, ratione irritationis majoris, à causa morbifica tum factæ moveri naturam ad coquendum magis, quia tum intensior est morbus & major irritatio, & consequenter propter hanc necessitatem sanguinem fluere ad partem in qua celebratur coctio, scripsit, quia impetu quodam habent operari facultates naturales.

Hunc modum dicendi colligit Salmanticensis ex Gal. 4. de natura pulsuum c. 2. in quo ait impetu quodam operari ratione irritationis facultatem, prout satis docet: & sic in statu impetu quodam operari coctricem colligitur: quod antea negaverat & meritò, siquidem facultati naturali non est concedendus conatus, nec hoc voluit: Ergo potiùs oppositum docuit. Namque intendens ostendere conati facultatem vitalem dicit ut accidit in facultate animali, sic ait. Apertissimè autem probo, facultatem ut quæ molestiam exhibent expellat, excitare seipsam, quod in animali cernis facultate, non tantum in vitali. Quibus verbis potiùs videtur docere suis facultatibus & non aliis convenire operari conatu, quia pro ratione finis operantur secus tamen naturales.

Ad rem igitur sic. Si hic author conatus concedit incidit in id quod impugnat, & ex alia parte concedit moveri impetu sanguinem, ratione irritationis factæ à causa, ad coctionem ejus. Et concedit moveri ad alimentum novum; totum quod dissonum est: Nam si irritatio causæ movet ut pro ipsa sanguis & spiritus fluant, sequeretur quòd quando irritatio magna est, etiamsi alimentum exhibeatur non distrahatur à coctione natura, quod est contra Gal. Ergo & illud ex quo sequitur, patet sequela nam tum facultas operatur propter urgentiam: ergo quando fuerit major in causa, pro ipsa debet operari, ac per consequens aliquando non distraheretur alimento natura quod est falsum. Præter quàm quòd talis modus operandi non est concedendus facultati operanti quantum potest; aliàs non differret ab alia quæ pro ratione finis, aut cum cognitione operaretur, & consequenter non esset naturalis. Ad quod accedit facultatem ex Gal. non pati per consensum; quod non esset verum si à communicatione alterius penderet eius operari.

Sed dices. In nostra doctrina facultates naturales sunt vitales, quia modum operandi habent supra agentia naturalia, id est, quia cum subordinatione facultatis ad facultatem operantur, una scilicet propter alteram: ergo non solùm operantur propter finem, sed etiam pro ratione finis, cum pro ratione seu utilitate retinentis trahat trahens, & illa pro coctrice &c. Respondetur id verum esse non tamen istæ facultates operantur ut ipsis expedit, sed trahens trahit ut retineat: nonnulla hic legi non potuerunt.

Nobis ergo est dicendum naturam à materiæ morbificæ coctione distrahi alimento exhibito, quia necessum est in principio esse dissimile, & consequenter ab ipso patitur vivens, tum propter qualitates contrarias, tum propter excrementa quæ ex ipso debent resultare, tum quia multa materia magis augetur in vivens & magis resistit coctioni viventis, quàm pauca, & plus est materiæ coquendæ alimento exhibito quàm non exhibito, non solùm in ventriculo sed in toto cum alimentum per totum distribuatur, & cum ex alia parte ita necessaria sit materiæ putridæ correctio, non est exhibendum aliquid quo finis ita principalis impediatur.

Neque facit contra hoc, quod alimentum, dum optimum sit potiùs in sanguinem transmutatum, remittere habebit qualitates humoris putridi, & sic potiùs valebit corrigere id quod à tali materia putrida alteratum erat, dum in venas communicetur & non impediet coctionem faciendam. Hoc non satisfacit nam etsi verum sit, non tollit talem materiam & eius excrementa, antequam in sanguinem commutetur alterare vivens, ultra alterationem causæ morbi, nec tollit plus esse vincendum quàm si non esset talis materia, & etiam resistere & agere contra vivens, etsi remissiùs quàm putridum. Rectè ergo stat naturam à coctione distrahi alimento exhibito, quatenus debilior resultat ad agendum contra causam per coctionem alimenti.

Cognita igitur ratione propter quam alimentum à morbo prohibeatur & petatur à facultate, ratione cujus ex utroque sit sumenda indicatio ad debitam victus rationem seu institutionem. Restat scire quomodo medicus valeat has indicationes rectè desumere. Et in primis constabit ex dictis quòd tum vires judicent plus alimenti per morbos quàm per salutem, cum debiliores sint & magis ipso egeant: quia verò nullum est prohibens per salutem, non solùm id quod vires ad sui conservationem indicant exhibendum est, sed & illud quod ad earum valeat augmentum. Secus tamen per morbos ad sui reparationem plus indigant, quia cum contrarium indicans inveniatur, non totum quod indicant vires exhibendum, sed attendendum ad prohibens urgentiâ seclusâ, Ideo Gal. 1. Aphor. comm. 4. Alimentum quod vires auget sanis convenire tantùm docet, secus verò ægrotis, etsi rarò aliquibus conveniat victus augens, hoc est plenus.

Circa explicationem hujus particulæ, etiam rarò convenire ægrotantibus victum plenum, communis doctrina est, non convenire eis alimentum vires augens, ne per additionem illius quod non est necessarium morbum augeamus. Ut docuit ipse Gal. loco cit. etsi rarò alimentum augens exhibeatur quia ratione morbi requiritur, ut in fractura ossis, transacta inflammatione ad generationem carnis, ut 6. meth. cap. 5. docuit

docuit ipse Galenus : quæ doctrina etsi teneat verum in re , non debet intelligi ut explicatur. Verum enim non est alimentum sanis convenire non ægrotis , nam ob rationem dictam verum quoque est aliquando exhiberi alimentum plenum , ut docuit Gal. in aliquibus morbis , non tamen hoc docet in hoc comm.4. nam ibi tantùm intendebat ostendere, quod alimentum ut tale conveniebat sanis & ægrotis , non agendo de alimento quod ut medicamentum exhibetur nam hoc esset adducere differentias alimenti , nòn sub ratione medicamenti quod erat præter intentum, & esset longa disceptatio etsi morbis dictis ratione medicamenti alimentum exhibetur, modo dicto. Gal. vero ut alimentum aliquando convenire ægrotantibus alimentum plenum docet. Hoc est quando vires taliter sunt labefactatæ, ut non possit æger perdurare ni augeantur : ac tum quidem non ratione morbi; sed ratione virium præcise alimentum exhibetur.

In ægrotis igitur victus non debet esse plenus ob dicta, an mediocris , an tenuissimus sit exhibendus, constabit si attendamus ipsum dari, qualis requiritur ut vivens possit defendi à morbo, id est,ut posit durare donec morbus consistat : nam cum vires necessariæ sint ad conservationem viventis tanta requiritur earum duratio, quanta sufficiat ut morbus pertranseat , cujus ratio nota est : quia propter damnum quod ex alimento timetur , ipsum non exhibetur ; major erit noxa ex defectu virium proveniens cum morbus vinci non posit viribus deficientibus ; est ergo alimentum prohibendum , non quatenus requiratur pro viribus absolutè ; sed quatenus pro virium debilitate , donec morbus vincatur sufficiat. Idem Hipp.1. aphor. tex.9. conjectari autem oportet , an æger sufficiat cum victu perdurare donec morbus consistat. Quasi diceret talis victus est exhibendus ut æger sufficiat cum ipso perdurare , usque ad statum. Vt docuit 10. com. Gal. est enim quod supra hanc mensuram exhibetur nocivum ob morbi augmentum quod verò infra deterius ob defectum virium : & consequenter illud erit exhibendum alimentum , quod vires permanere faciat usque ad victoriam morbi. Nam hoc modo quod requiritur est, & quod lædat non exhibetur. Lædit quidem quidquid datur nisi utilitas virium major sit.

Sed dices virium indicatio omnium est prima , ut docuit Gal.9. meth. cap.13. ergo pro ipsa est operandum etsi morbus augeatur : patet quia augere vires semper est utile, ergo victus plenus semper offerendus adhuc in morbis. Resp. verum esse pro virtute esse operandum cum ipsius prævalet indicatio ; id est quando talis est virtus ut non sufficiat perdurare usque ad statum. Cum verò ipsa sine cibo perdurare sufficit , quidquid alimenti exhibetur præter necessitatem est , & cum periculo augendi morbum , & sic exhibendum non est , ne morbus augeatur sine utilitate aliqua.

Cum ergo victus ratio talis debeat esse ut sic sufficiat pro esse virium donec morbus vincatur, ex eo quod in tantum postbabenda sit noxa quæ ex alimento subsequitur , quantùm est major necessitas reparationis virium, & in tantum attendendum est & respiciendum morbi augmentum ex alimento , in quantum vires reparandi nulla datur necessitas , hinc fit tantum esse alimenti exhibendum , quantum pro esse virium donec vincatur morbus sufficiat : ac per consequens eò plus cibi exhibendum quò majoribus indiget viribus,& eò minus quo paucioribus. Quo fundamento Gal.1. aphor. comm.4. victum mediocrem concedit in morbis longis , tenuem verò in acutis , & eò tenuiorem quò acutior est morbus. Quod ipsum ex Hipp. desumpsit : sic dicente Aphor.7. Vbi morbus peracutus statim extremos habet labores , statim tenuissimo victu utendum est(desiderantur hic pauca quædam . . . . & aliis omnibus quæ 1. Aphor. & 1.acut.& lib. de veter. Medicina adducit , manifestum est plenum victum sanis convenire , ægrotis verò non ita , sed tenuem aut mediocrem , hunc in morbis longis, illum in acutis , magis aut minus, prout morbus feret , quem sequitur Gal. in comm. & Avic. fen.4. lib.11. cap.1.

Ex his quæ ex suppositione adducit Gal.locis citatis,clarius tamen lib. de Dieta Hipp.in morbis acutis manifestum est,ultimum determinans victũ esse celeritatem aut tarditatem motus morbi,cum ordine ad vires ita ut tenuior debeat esse ob celeritatem quò vigor morbi propinquior est , & minus tenuis quo tardior , juxta illud Hipp.2. aphor.textu . . . . Quibus statim morbus consistit his statim tenuis victus adhibendus est ; quibus verò posterius debet consistere , his & in ipso consistendi tempore & parum ante illud cibus subtrahendus , priùs verò uberiùs agendum , ut æger sufficiat. Quibus verbis constat tantum cibi indulgendum esse magis , quò morbus mollior est , id est quò tardius habet ad statum pervenire. Est enim morbi acuti proprium deteriora accidentia statim habere , ut dixerat Aphor.7. longi verò non ita.

Hujus conclusionis ratio est , quia alimentum ad permanentiam seu durationem virium exhibetur donec morbus consistat , sed quo major est distantia à principio , ad statum , plus debet permanere virtus , ergo quò longiùs est status, crassior debet esse victus , tenuior vero quò propinquius. Ac per consequens ratione tarditatis aut celeritatis motus morbi, tenuis aut crassus debet esse victus.Major est certa;minor patet:nam quo major est distantia à principio ad statum, plus patitur virtus à morbo & accidentibus ejus, quàm quò minor , siquidem plus agit causa multo tempore quàm pauco ; ergo virtus major necessaria est, quò magis debet durare pugna , id est quò magis distat status.Totum hoc notum fecit Gal.cap.4.de Dieta Hipp.ut Medicus à primis diebus sciat quis morbus cito & quis tardi vigebit , & quæ hoc prædicent, virtutem laborantis consideret, & tanquam in quadam cogitationis suæ libra de utrisque ponderet , utrum si à principio tenuiter nutriatur laborans sufficere ad vigorem usque poterit : Docet ergo distinctè victus esse rationem desumendam ex celeritate aut tarditate motus morbi , cum ordine ad vires : ut hac ratione cognoscatur plus aut minus alimenti esse exhibendum ; ita ut plus exhibeatur quando distat magis status , minus verò cum longiùs abest.

Hac ratione etiam differt in celeritate aut acutie morbi , victus tenuis absolutè , tenuissimus & extremè talis , sic dividit Gal. ut videre est 1. aphor. comment. 4. ita ut morbus qui ad quartum

quartum determinantur inediam convenire doceat tanquam extremè tenuem victum. Conceditur verò tenuissimus his qui ad septimum terminantur: tenuem absolutè his qui ad 14. terminantur: Nam cum victus ratio conveniens sit quæ minus morbum augeat, & pro esse virium usque ad statum sufficiat, hinc est quod quando virtus valet, ut possit morbi tolerare accidentia, debita victus ratio sit, nihil alimenti offerre: nam omne quod requiritur consequitur omnimoda inedia. Quod rationabiliter poterit esse quando breviter speramus statum. Ideò Hip. talem victum in morbis peracutis commendat & Galen. quando ad quartum terminantur, & sic de reliquis, ita ut cibum augeat prout magis protrahitur status.

Sed dices si æger qui ad quartum terminaturum morbum habet debiliores vires habeat quàm alter qui ad septimum morbum habet terminaturum, plus cibi indicabit quàm alter: ergo non absolutè ratione celerioris terminationis victus ratio est instituenda. Resp. nos non dixisse ratione tantùm celeritatis aut tarditatis morbi motos absolutè determinari victum: sed cum ordine ad vires. Et sic talis est instituenda ratio victus qualem vires expostulaverint pro duratione morbi: diximus tamen ex Hipp. & Gal. tenuiorem victum convenire quando morbus citiùs est terminaturus, quàm quando tardiùs cæteris paribus, id est supposito subjecto temperato ex propria natura in quo una virium intensio est concedenda, ratione celeritatis aut tarditatis terminationis victus ratio est immutanda.

Dices ulteriùs alimentum seu victus ratio instituitur ut vires requisitæ usque ad victoriam naturæ supra morbum valeant, sed non minùs est necessaria victus ratio in declinatione morbi ad expulsionem illius quando declinationem instituit, ergo non solùm victus ratio est instituenda pro conservatione virium usque ad statum ut voluit Hip. dum inquit. Conjectura autem oportet, &c. Sed etiam usque ad terminationem morbi. Major est certa, minor probatur; nam vires sunt necessariæ ut vivens à morbo desfœdatur, & ut possit permanere sine exhibitione alimenti nocentis: sed non minus debet defendi à declinatione morbi, cum in ipsa accidentia reperiantur quæ valeant vires labefactare, resolutio scilicet spirituum quæ in declinatione accidit, in qua etiam morbus secundum causam poterit per alimentum augeri: ergo virtus est conservanda tam pro declinatione quàm pro aliis morbi temporibus; ac per consequens non solùm victus ratio, est instituenda, ut vires permaneant usque ad statum sed etiam usque ad declinationem. Resp. dixisse Hip. vires conservandas esse usque ad statum, nam virtus quæ valuit resistere morbo & accidentibus ejus usque ad statum, valebit necessario resistere usque ad declinationem, quia omnia tunc remissiora valdè sunt. Ideo vivens non posse perire, vi declinationis morbi, docuit Gal. 8. de Crisibus cap. 5. ad quod accedit, non ita nocivum esse alimentum in declinatione ac in aliis temporibus; quia cum jam causa morbi cocta sit, non jam distrahitur natura, nec patitur ab accidentibus ut antea, nec ad corruptionem cibi est dispositio.

Ea quæ probabant plus cibi esse exhibendum in ægrotis quàm in sanis manent ex dictis soluta; est enim aliquid in ægrotis corruptionem cibi impediens. Ad Hip. 1. acut. dicimus consuluisse bis exhibere ptisanam, quia cum pauci nutrimenti esset, loco carnium quibus utebantur ægrotantes per salutem, bis erat exhibenda; coctio sufficeret ad victum tenuem quem tunc instituere debebat. At enim cum nos etiam per morbos coctionibus cibamur, etsi in minori quãtitate quia magis carnibus sumus assueti, vix debemus cibari his quibus se cibabant per salutem; nisi ob defectum virium quantum requisitum sit exhiberi non possit. Et hoc est quod inquit Hip. dicens: Si res expostulaverit, iuxta doctrinam datam in qua dicimus parum & sæpe esse exhibendum debili existenti virtute cum humorum defectu aut corruptione. Qua doctrina intelligitur quod docet 2. acut. text. 12. tribui quidem ptisanam post medicamentum, & propter reparationem & ad obtundendam medicamenti acrimoniam, & veneficam naturam.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm à Principio usque ad statum sit attenuandus victus.

SVa dubio quo inquirit Quæstio morbus cibum prohibet: ergo quo ipse intensior est magis cibum prohibere valebit: & cum attenuatio ejus major, ex minori intensione prohibentis procedat, quò major fuerit morbi intensio major debet resultare attenuatio, & minor quò minor. Est enim morbus in principio & fine remissior, intensior in statu, ut 2. aphor. text. 30. docet Hipp. ergo à principio ad statum cibus est attenuandus. Manifestam fecit hanc doctrinam Hipp. 1. aphor. text. 10. per hæc verba. Quibus statim morbus consistat, statim tenuis victus adhibendus est; quibus verò posteriùs debet consistere. His & in ipso consistendi tempore & parum ante statum cibus subtrahendus est, priùs verò uberius agendum, ut æger sufficiat; docet ergo manifeste cibum esse attenuandum à principio morbi, usque ad statum; quod de temporibus universalibus venit intelligendum: tum quia postea de particularibus agemus, tum quia ratio propter quam morbus cibum prohibet: ut docuit Gal. 1. aphor. comm. 8. est propter augmentum causæ & propter distractionem naturæ à coctione. Quæ potiùs habent locum circa tempora universalia, quàm circa particularia, hic fuit aliquid obliteratum.

Propter hoc placitum ulteriùs nunquam victus attenuatio in summo vigore conceditur ab Hipp. ne natura coctione distrahatur, ut docuit Gal. comm. 8. citato. Sed hoc inconveniens viget magis quo minus morbus accedit ad statum & recedit à principio: ergo à principio ad statum attenuãdus est victus. Major est certa, minor probatur. Nam tum timenda magis est distractio naturæ à coctione, quando ipsam elicit, aut elicitura est. Sed ipsam conficit aut effectura est in augmento & statu: ergo tum facienda est major attenuatio. Ostendit minorem hujus syllogismi. Gal. 1. aphor. comm. 12. & Avicen. fin. 3. lib. 4. cap. 4. docentes, augmentum esse quando apparent signa manifestæ coctionis, statum verò cum perfectæ coctionis sunt signa: ergo ipsis

tempori

temporibus magis attenuandus est victns.

Hanc veritatem turbare videtur id quod docet Hipp. acut.text.21. usque ad 25. in quibus docet in principio plevritidis, neque multam, neque crassam ptisanam esse exhibendam, dum verò os madescit augendam esse quantitatem; & tantùm plus esse augendam quò major fuerit expurgatio: ergo non est extenuandus victus à principio usque ad statum; sed potiùs contrario modo esse faciendum docet Hipp. Quam doctrinam servavit Gal.6. meth. cap.5. in cura fracturæ ossis & 12. meth. in cura febris syncopalis, ortæ ex tenuitate humorum. Quos sequutus fuit Avic. fen.1. lib.3. tract.3. cap.3. in cura frenitidis, & fen.7. cap.11. in cura anginæ: & quod magis est. fen.1.lib 4.tract.1.c.4. in cura paralysis. fen, 1. lib.4.tract.2. cap.55.63. & 65. agens de curatione febris flegmaticæ, & quartanæ, tenuem victum adhibere docet in principio, magis quàm postea: non ergo semper à principio ad statum attenuandus est victus.

Non deficiunt pro hac parte validissimæ rationes: nam Primò cibus minuitur ne natura à coctione distrahatur, sed hæc distractio est timenda magis in principio, quando materia est cruda; siquidem plus est vincendum, & natura vehementius debet operari, quam quando jam aliquo modo victa est materia: ergo in principio attenuandus est victus, non ita in augmento aut statu. Secundò nam alimentum est in reparationem virium: sed in augmento & statu major est reparationis necessitas, quia magis patitur natura ab intensione morbi & ab accidentibus ejus quàm in principio: ergo plus cibi exhibendum in augmento aut statu quàm in principio. Qua ratione 1. Aphor. comm.9. Gal. ait. Cibum in statu cònsules. Tandem nam prius particulare accessionis prohibet magis cibum, quàm augmentum aut status, ut docet Hipp. 1. acut. text.46. ergo prius universale idem habebit: ac per consequens non semper attenuandus est victus à principio ad statum.

Pro solutione quæstionis notat Salmanticensis quæstionem non esse de morbis causatis ab inanitate, cum ipsis semper alimentum desideretur, & solùm cum ordine ad facultatem commutantem sit exhibendum parum, si non valet facultas, multum si valet, quod notabile admittendum non est: nam certum est nos non loqui de indicatione exhibendi alimentum rationem medicamenti habens, hoc ènim generale est in quocumque remedio, siquidem tale est exhibendum, quale desideratur à morbo cum ordine ad facultatem. Est igitur quæstio de alimento quod præcisè secundùm rationem omnem alimenti exhibetur, de qua exhibitione etiam non potest dubitari esse propter facultatem cum ordine ad morbum, ut Quæst.4. dictum est. Quo supposito etiam in morbis ab inanitate procedentibus locum habet controversia ut ipse scripsit de morbis immaterialibus, quia accidentium intensio exhibitionem prohibet alimenti ex Gal.1. aphor.comm.8.& si ab inanitate procedat morbus à principio ad statum alimentum prohibet magis.

Notandum tamen est Certum esse nos loqui de indicatione sumpta ad victus rationem, solùm ratione temporum morborum, nullo alio accedente; id est, quæstionem esse an præcisè attenta mutatione qua alteratur vivens, vi morbi & ejus temporum sit attenuandus victus à principio ad statum: an verò aliter sit procedendum in morbis regularibus: nam si aliquod accidens superveniat, quod ordinem naturalem & regularem morbi tum perturbet, dubitari non pôtest etiam victus rationé mutari.' Qua ratione 2.aph. comm. 9. Gal. sic ait. Aliquando in ipso vigore morbi, si casus aliquis intervenit nutrire cogimur, quod etiam est intelligendum modo comitato & comitante: nam si in instanti sit, ita ut unam habeat naturam & postea alteram, non potest esse regula cibandi fixa, sicut si ignotus existat morbus. Propter quod Avicen. fen.1.lib. 4. tract.2. cap.7. subtiliare regimen commendat donec febris cognoscatur, quia alimento deficiente magis accidentia humorum prævalent & morbus patescit: habet verò alimentum humorum & eorum vaporum acrimoniam & activitatem impedire seu excitare.

His suppositis communis sententia est quam adduxit Valles. comm.8. cap.2. victus rationem scilicet debere procedere attenuando à principio usque ad statum, in morbis regularibus, qui non consistant in fluxione: ita ut priùs seu principio plus cibi dandum sit, minùs in augmento & adhuc minus in statu: in morbis verò fluxionis minus in principio, magis in augmento, & adhuc magis in statu. Ideò Hipp. quem sequitur Gal.1. aphor. dum attenuari victum consulit in statu & ante ipsum, priùs verò liberiùs agendum, loquitur de morbis regularibus qui non consistunt in fluxione. Dum verò 1. acut. Hipp. Gal.6. meth. & Avic. attenuari magis in principio quam in aliis temporibus docent, loquuntur de morbis fluxionum, aut quando magis manifestari morbum, seu attenuari ejus causam intendunt, ut fit in febre quartana, aut flegmaticâ: cujus ratio est manifesta: nam in morbis fluxionum eorum intensio seu incrementum prohibet victum quatenus per ipsum fluxio ipsa augetur, & cum talis fluxio & intensio timeatur magis in principio quàm postea. In morbis verò qui non constituuntur per fluxionem sed coctione sunt terminandi, si à materia procedunt tum cibus est attenuandus, cum materia coctionem elicit, ne ab ejus coctione natura distrahatur, ac per consequens magis in statu attenuãdus est minusque in principio: totum quod 1. meth. cap.6. & 9. repetit Vall. Quod etiam locum habet etsi à materia non pendeant morbi, cum ratione accidentium molestantium cibus attenuandus sit, & hæc magis urgeant in statu quàm in augmento, & in hoc magis quam in principio. Quod debet intelligi seclusa conditione ventriculi; aut seclusa satietate: nam hac existente quotiescumque sit, cibus est minuendus, sive morbum causet sive coctionem impediat.

Ad argumenta Respondetur: & in primis ex dictis ad primam rationem constat solutio ad loca Hipp. Gal. & Avicen. Ad primam rationem Resp. quod licet materia cruda sit in principio coctionem petens, cum nondum sit sensibiliter alterata à natura pro correctione; etsi negari non possit alterari, non ita impeditur naturæ opus, ut quando jam coctionem esse apparet in augmento, aut in statu, & non in his temporibus, quia magis aliquo modo disposita est natura in principio: Aliàs si eodem modo se haberet, non magis esset coctio quàm antea, est quidem aut aliquid resolutum, aut aliquo alio modo alteratum,

alteratum, ut ita coctio appareat in augmento, & postea augente, natura perfecta sit in statu, quod non est in principio. Ad quod accedit, quòd cùm cibus dandus sit quando minùs lædat & in statu & in augmento, ultra coctionem sint accedentia majora, minùs patitur natura in principio, & sic in ipso minus impediens reperitur quàm in aliis temporibus; præcipuè cùm pluries nondum operari cœperit facultas coctrix, usque ad ultimam partem principij, quia materia nondum fixa est, ut natura operetur.

Ad secundum dictum est quod licèt plus cibi indicet facultas ad sui restaurationem, cùm magis patitur, minus tunc exhibendum propter ipsam debilitatem, & quia debet supponi roborata sufficienter pro accidentibus illis à principio. Si verò debilitas urgeret, non cadit sub dubio cibum esse præbendum: esset tamen præter curam regulatem, ut docuit Gal. 7. *aphor. comm.* 9.

Ad tertium arg. & ad Gal. 12. *meth.* constabit solutio ex Quæstione sequenti.

QVÆSTIO VII.

Utrum status morbi indicet victûs tenuitatem, magis propter coctionem, quàm propter accidentium intensionem.

HIc agitanda Quæstio, an sit distinctus morbi status quoad symptomata, ad statum quoad coctionem; quia hujus loci non quærimus an magis per symptomata quàm per coctionem status cibum prohibeat: Quod est quærere, an victus attenuandus sit magis in statu morbi quoad symptomata, an in statu quoad coctionem, sive coincidant, sive secùs, juxta opinantium diversa placita: Nam cùm plures non coincidere dicant, necessum est cognoscere usque ad quem statum sit attenuatio molienda, cùm usque ad ipsum sit conjectutandum an æger sufficiat perdurare. Et adhuc quamvis coincidere dicamus, cùm hoc tantùm habeat locum in symptomatibus pathognomonicis per quæ plurima alia accidentia supervenient quæ non sequuntur morbi naturam, & consequenter, nec cum coctione coincidunt, & omnium una est ratio prohibendi alimentum. Controversia est, an usque ad statum coctionis & symptomatum, cibus attenuandus sit, & æger sit conservandus, ità ut hac ratione adhuc alius sit status quoad coctionem, alius quoad symptomata. Qua ratione etiam Hippocrates 2. *Epid. part.* 3. *text.* 10. docuit alias esse febres quæ in principio ferociores erant, & posteà remittebant, alias quæ post aliquos dies, & alias quæ in statu.

Contra hanc quæstionem videtur communis sententia, quam Vall. 1. *meth. cap.* 6. attenuantè cibum debere esse usq; ad statũ coctionis; ita ut cum Hipp. doceat conjectutandum esse, an æger sufficiat perdurare usque ad statum, taliter ut status coctionis sit intelligendus, & sic in ipso attenuatio est facienda, & ante ipsum, priùs verò uberiùs agendum ut æger sufficiat. Hanc sententiam quasi insinuat Hipp. 1. *aphor.* expostulat Gal. in coctione: nam postquam Hipp. dixit *tex.* 7. in morbis peracutis qui statim extremos habent labores, statim tenuissimo victu esse utendum; & *textu.* 8. in summo vigore utendum esse tenuissimo victu, Gal. explicans has sententias inquit esse utendum victu tenui, ne natura à coctione distrahatur. Ergo usque ad statum cibus est attenuandus.

Corroboratur hæc pars: nam alia natura quam plus cibi exhibendum est in principio minùs posteà est, quia plus restat morbi percutendum à principio quàm ab augmento, & ab hoc, quàm ab statu, aut in ipso *comment.* 8. docuit Gal. sic ait, Nec enim, distrahere naturam ad alteram novam coctionem oportet, cùm eo tempore, humorum coctioni fortiter vacet, & non ità multò post ipsos sit evicturo; quâ ratione etiam crassius cibandum esse in morbis longis, tenuiùs in acutis docet *commentario* 4. sed à statu accidentium, si non coincidit cum coctione, restat plus, per citationem, tum quia, restat coctio, & materiæ expulsio, abstrahendum in principio, ita ut æger possit perdurare usque ad statum: ergo usque ad ipsum est attenuandus victus.

Tertiò: nam etiam natura patitur & labefactatur in coctione, ergo vires habent respui usque ad ipsam. Quod confirmat Hipp. 2. *aphoris. textu* 47. dum inquit, *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt*: ergo usque ad coctionem sunt conservandæ vires, ac per consequens usque ad ipsam est attenuandus victus, sed est cibandus in principio, ità ut æger possit perdurare, usque ad tempus coctionis, cùm in ipsa & propter accidentia majora quæ eveniunt, & ut conficiatur opus ità requisitum non debet exhiberi alimentum.

Ità certam vindicavit hanc sententiam Vallesius, ut absolutè proferat non esse alia tempora considerianda ad victûs institutionem; dicit siquidem, etiamsi morbus cibum prohibeat, non omnes ejus partes, prohibent; & quæ magis statum, minùs augmentum, & adhuc minùs præcipuæ, quia si hoc minùs natura aggressa attentare, coctionem magis in augmento, & in statu magis, & consequenter solùm ratione coctionis & cruditatis, tempora morborum distinguit; in quo sequitur manifestè Hipp. Gal. & Avic. doctrinam expressè affirmantium per ipsam coctionem & cruditatem, esse tempora morborum constituenda, sic, ait, Hipp. 2. *de victûs rat. text.* 39. Sed perquam modicè additioni studendum est, ablationi verò in totum intendere sæpenumerò oportet, modò sufficere possit infirmus donec per vigorẽ morbus maturus fuerit: ergo usque ad maturitatem victus est attenuandus. Quo sensu credendum est loqui 1. *sect. aphoris.* in qua pluries usque ad statum, victum esse attenuandum docet, nullam distinctionem statûs faciẽs: quod videtur significare morborum tempora cum coctione causæ & temporibus ejus coincidere: qua ratione etiam in eodem 1. *acut.* ratione coctionis victum immutari docet in dolore pleuritico à *text.* 20. usque ad 25. Rectè ergo Vall. usque ad statum coctionis victum esse attenuandum docet, ità ut quoad hoc, tempora coincidant.

Galenus verò clariùs hanc doctrinam aperuit, cùm juxta ipsam intendit ad Hipp. 1. *aphoris.* usque ad statum cibum attenuare docentem, cùm *in comm.*

comment. 7. & 8. id fieri dicat ne materia coctione distrahatur, & hac ratione *commentario* 12. tempora morborum per coctionem & cruditatem distinxit, ut fecerat ex professo 1. *de Crisibus, cap.* 17. & deinceps, sic ait; Quòd si non manifestum inspiciat coctionis signum, principium est ægritudinis, atque integrè ad augmentum morbus convertetur quando cœperit spuere pauca coctione: cùm verò exquisite cocta fuerint & multa, & sine difficultate educta, tunc status est tempus. Quam doctrinam transtulit Avicenn. *fen.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. tempora morborum per apparitionem signorum coctionis & cruditatis distinguens: ergo ad statum coctionis attenuandus est victus: siquidem absolutè docet Hipp. ad statum esse attenuandum, & solùm ratione coctionis tempora distinguunt Authores.

Mercatus verò quē sequitur Fernandez, & Salmanticensis, & inconsiderabilem judicet coctionem apud Medicos, quatenus per ipsam de securitate aut periculo: de brevitate aut longitudine morbi judicamus, nihilominùs nullatenùs victum esse attenuandum ad statum coctionis scripsit; sed usque ad statum symptomatum esse, seu accedentiū, itaut pro eorum ratione plenior sit cibus in principio, & tenuior in statu: & hoc modo vult intelligi Hippocratem quotiescunque victum esse attenuandum docet in statu & ante ipsum, priùs verò uberiùs agendum. Probat priorem partem ex eo quòd victûs ratio debet institui talis ratione alicujus conducentis ad ipsam fixè & determinatè: sed coctio non potest determinare fixè victûs rationem convenientem: ego ratio ejus non est instituenda. Major est certa. Minor prob. nam victûs ratio debet esse plenior, aut tenuior, prout futurus fuerit status coctionis, aut tardiùs: sed non potest determinari de certitudine statûs coctionis, cùm varietur & ratione materiæ decisæ, & ratione virium, & ratione accidentium debilitantium, seu impedientium coctionem, & ratione ipsius motûs morbi; cùm pluries accidat principium esse breve, longum verò augmentum: ergo coctio non potest determinare fixè victûs rationem. Ad quod facit quod inquit Hipp. 1. *acut.* dum os madescit, quantitatem sorbitionis augere convenit: & infra: quantò major fuerit purgatio, tantò magis dare oportet: sed cùm os madescit, & expurgatio augetur, iam augmentum & status est, ut ex Gal. & Avic. eum Hipp. docuimus. Ergo status coctionis non conducit ad tenuitatem victûs, ac per consequens usque ad ipsum non est attenuandus.

Hoc supposito, cibum esse attenuandum usque ad statum symptomatum, inquit Merc. tum quia Hipp. *l.* 1. *aphoris.* per totum, solùm ratione symptomatum tempora distinguit in ordine ad victum: quod patet, nam *textu* 7. sic, ait, *Ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & tenuissimo victu utendum est: ubi verò non, tantùm cibi indulgendum est, quantū morbus extremis est mollior.* Quibus verbis ratione vehementiæ accidentiū statum determinatè victum significat, ut constat, cùm cibum esse angendum dicat, quò mollior est morbus, idest quò remissiora sunt accidentia: nam eorum ratione, mollior aut deterior debet dici morbus, quā ratione ipse Hipp. circa initia & fines omnia imbecilliora, in vigore verò fortiora esse dixit 2. *aph. tex.* 30. ut constaret eur in vigore quiescendum sit a remediis magnis, non in aliis temporibus: ergo ratione symptomatum est attenuandus victus ad statum. Quod probat etiam ratione: nam alimenti institutio pendet ex intensione virtutis in ordine ad morbum. Prob. Ratione accidentium victus magis immutatur quàm ratione ipsius morbi, & alicuios alterius: ergo ratione eorum victus est instituendus, ac per consequens in ordine ad statum symptomatum est attenuandus.

Nobis tamen videtur dicendum, absolutè verum esse cibum semper esse attenuandum usque ad statum symptomatum, quod est, attenuandum esse usque ad statum morbi, cùm hi status necessariò coincidere debeant; non tamen esse attenuandum usque ad statum coctionis in omnibus morbis: sed in illis qui ad unam criticam expulsionem totam materiam servant, in quibus omnes tres status dicti coincidunt. Hæc conclusio duas habet partes. Prima est, in omnibus morbis victum esse attenuandum semper usq; ad statum symptomatum. Secnoda, est in aliquibus esse attenuandum usque ad statum coctionis. Ex quo deducitur, quòd status morbi & symptomatum coincidere solent; status verò morbi, coctionis & symptomatum coincidere in morbis servantibus materiam totam in unicam criticam expulsionem, non in aliis, de quibus omnibus seorsim dicemus.

Priorem partem probavit doctè Merc. suprà, nam, ut docet ipse *Hippocrat.* 1. *aphoris. text.* 11. in accessionibus abstinere oportet, cibum dare nocivum est: sed non alia de causa cibus est nocivus, nisi quia patitur tunc maximè natura ab accidentibus accessionis; ergo ratione accidentium attenuandus est victus, ac per consequens quoad statum symptomatum semper attenuandus est. 2. nam ut docuit 1. *aphoris. comm.* 8. cibus convenit tenuissimus in statu ratione accidentium tunc vigentium: ergo quoad ipsa est attenuandus victus. Idem constat 1. *epidemi. part.* 3. *textu* 11. in quo adhibens Hipp. febres vigentes in diversis temporibus dicit ratione talis vigoris victum esse offerendum: ergo quoad symptomata, est attenuandus status ad victum. Quod recepit *Gal.* 1. *de crisib. cap.* 3. in quo docens morborum dignoscendi tempora, morbum buoc esse per intensionem aut remissionem accessionum expressè ait, ad hanc cognitionem victum esse instituendum: ergo victus quoad statum symptomatum est attenuandus.

Gal. autem *lib. de dieta*, Hippocratis cap. hoc manifestiùs fecit: magis, inquit, non ex parte Hip. pleniùs esse cibandum in principio, tenuiùs in statu: Et reddens rationem sic ait; nam si futurum est ut æger ante vigorem dissolvatur, primis certè diebus victus resumi debet, ut possit posteà æger dum vigor aderit, tenuiter cibari. Quod explicans immediatè, sic ait; non in omnibus dictum est in principio pinguiùs cibari oportere, sed in his in quibus futurum est ut vitus circa vigorem dissolvatur. Quibus verbis manifestè docet pleniùs esse cibandum in principio quando virtutem in vigore debilitari timemus, quod ab accidentibus evenit. Ergo quoad statum accidentium victus est attenuandus. Quod magis constabit si eapot deinceps legatur.

Quod in aliquibus morbis, & non in omnibus usque ad statum coctionis sit attenuandus victus, fiet manifestum, si attendamus doctri-

nam

nam, quam per Vallesf. ex Hippocrat. Galen. & Avic. audivimus; diximus enim tempora morborum per coctionem & cruditatem materiæ distingui, ita ut principium morbi sit quando materia simpliciter cruda existit; augmentom quando signa manifestæ coctionis, aut ei repugnantia apparent; status quando perfectæ coctionis sunt signa: sed in augmento morbi intensiora accidentia quàm in principio, ideò augmentum est, & in statu magis; ideo Hipp. in principio, & fine omnia imbecilliora; in vigore verò fortiora esse definivit 2. *aphor. textu* 30. ergo non solùm quoad statum symptomatum, sed etiam quoad statum coctionis cibus est attenuandus, cùm in hoc statu, accidentia sint cibum valdè prohibentia.

Probatur etiam ratione: nam Gal. *comment.* 8. *aphor.* 1. victum tenuem covenire summo vigori docet, ne natura à coctione distrahatur, & per accidentium intensionem coctio; ergo in statu quoad ipsam coctionem cibus est attenuandus. Major est certa, Minor probatur, tum ex Gal. expressè docente, tum ratione: de distractione naturæ, non est dubitandum, quod sit accidentium intensio. Major probatur ex Hipp. 2. *aphor. text.* 47. dicenti: *Dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis*: ergo in statu coctionis accidunt majora symptomata, ac per consequens ex utroque capite cibus trahendus est ad statum coctionis.

Sed dices, hæc argumenta probare in statu coctionis esse statum symptomatum & statum morbi: sic cùm talia tempora coincidant non in aliquibus morbis tantùm, sed in omnibus, ad statum coctionis cibus est attenuandus, quod erit etiam ad statum accidentiū, & hoc est contra coctionem dicentem non semper ad statum coctionis esse attenuandum cibum: ergo non est dicendum. Præterea quia licèt tempora non coincidūt in utroque statu, datur ratio propter quam cibus non sit exhibendus: ergo non solùm quoad statum accidentium, sed etiam quoad statum coctionis cibus est semper attenuandus. Antecedens patet: nam cibus est attenuandus & propter accidentia & propter coctionem, ut docuit Gal. *comm.* 8. *citato*; sed status coctionis habet unum impediens, & status symptomatum habet aliud: ergo usque ad statum cibus est attenuandus in omni morbo, quod etiam est contra conclusionem.

Pro solutione difficultatis, & roboratione conclusionis advertendum est in morbis reperiri & materiam ipsam morbum causantem, & ipsum morbum, & accidentia morbum sequentia, ut docet Gal. *cap.* 1. *de differ. symtom.* quorum quod sicut debet considerari ut incipit, & augetur, & viget, & declinat, ut *lib. de temporibus morborum* docuit, ita ut etiam causæ dicant diversas mutationes, prout alteratio quā operatur vivens contra ipsam non est sensibilis, sed causa manet esse talis ut erat, aut coctio manifestat, aut viget contra universalem materiam, aut tandem materia expellitur cum aliqua alteratione contra aliam parvam partem, morbus etiam in sua entitate mutatur modo dicto, sicut accidentia, ratione cujus omnia dicta seorsim possunt considerari, ut incipiunt, augentur, vigent, aut declinant, & sic cujuslibet possunt assignari seorsim diversa tempora, sive omnia coincidant, sive secus; quorum omnium temporum fecit mentionem Gal. diversis in locis: temporum coctionis & cruditatis, *lib. de crisib.* temporum entitatis morbi, *lib. de totius morbi temporibus*, temporum accidentium, 1. *aphoris.*

Secundò advertendum est tempora morbi, & symptomatum pathognomonicorum necessariò debere coincidere in omni morbo: nā cùm tempora morbi constituantur penes hoc quòd morbus in sua entitate sit productus & existat sine incremento aliquo considerabili, & penes hoc quòd sensibiliter crescat, aut declinet; & hæ mutationes solùm ratione accidentium patescant, quatenus sunt sine incremento considerabili, aut crescant, sensibiliter vigent, aut declinant; hinc est quòd tempora accidentium & morbi coincidant, necessariò & accidentia præcedant in ratione causandi eodem modo se habentia.

Tempora verò coctionis & cruditatis possunt coincidere cum his, & non coincidere: ad quod notandum quòd morbus aut servat materiam totam in unicam criticam expulsionem, aut secus, ut ait Gal. 3. *de crisibus cap.* 1. si servat, coincidunt tempora coctionis cum temporibus aliis: si non servat, sed paulatim terminatur, non coincidunt. Prior pars probatur: nam si totam materiam servat in unicam criticam expulsionem, tota materia causat morbum, quoad alterata materia mutatur morbus sensibiliter, ità ut divisa tempora habeat, sicut & causa: ergo talia tempora coincidunt necessariò. Major est certa: Minor probatur; nam eo gradu, quo alteratur materia, crescunt accidentia morbi, ut docuit Hipp. *text.* 47. *cit.* & Gal. *in comm.* Ergo quò major fuerit alteratio & coctio, majora erunt accidentia, & consequenter erit morbi & symptomatum incrementum & status, ità ut per diminutionem talis alterationis declinatio eveniat: sed per signa coctionis perfectæ manifeste augmentum & status causæ quoad coctionem constituitur, saltem quoad nos: ergo tempora coctionis cum aliis coincidunt, tota materia in unicam expulsionem servatur: Quo sensu loquuntur Gal. Vallesf. & omnes Authores, cùm cibum esse attenuandum docent absolutè usque ad statum, intelligentes statum coctionis, quia cùm eo statu morbi & symptomatum necessariò coincidunt in morbis servantibus materiam in unicam crisim, ut videre est, 1. *aphoris.* & 1. *artis curativa ad Glauconem, cap.* 13.

Dum verò tota materia morbi unicam criticam expulsionem non servat, sed morbus paulatim terminatur, tempora morbi non debent coincidere, erit quidem possibilis status morbi & accidentium cum augmento, aut cum principio causæ quoad coctionem & cruditatem. Ratio certa est; nam potuit tota materia taliter morbum causare, ut cùm cruda existit, omne faciendum faciat, tanquam agens naturale: & cùm coctio incipit, plurimum ejus revolvatur, ratione cujus & simpliciter coctionis accidentia increscere debeant, cùm non sit totius materiæ anteà morbum facientis, sed minoris quantitatis, quia reliquum est resolutum; hinc est quòd potiùs morbus & eius accidentia remittant, quia ea quæ debent præcedere vi alterationis, non valent supplere quæ à majori mole resultabant: qua ratione Hippocrates 1. *acut. text.* 28. dolores & accidentia remitti docet in pleuritide, dum aliquid excreatur. Quia materia minor fuit. Sic ait: Cùm itaque pleuritici

vritici aliquod notatu dignum exercere & expurgare cœperint, dolores ipsorum illicò sua sponte desinunt.

His positis, probatur secunda pars ulteriùs: nam quando morbus per unicam crisim terminatur, habet accidentia intensiora à tota materia procedentia: remissiora verò quando paulatim terminatur per resolutionem aut excreationem materiæ, ut docuit *text.28. citato*: Sed ratione intensionis accidentium cibus est attenuandus:ergo quando materia est cruda,cibus est attenuandus,quia cùm resolvi & excreari incipit, fit coctio, hoc est in augmento, quoad coctionem,etsi quoad entitatem morbus declinet:quod confirmat ipse Hipp. *text.23. & 25.* antecedentibus, docens cibum esse augendum dum madescit, ut & quò expurgatio fuerit major, quibus in temporibus augmentum & status coctionis est, contra doctrinam Gal. est tamen accidentium & morbi remissio, ut ipse Hippocrat. ubi reddens rationem docuit *textu* 28. quo intelligetur rectè dixisse *1.epidem. part.3.* febres alias nimis diebus vigere, alias mediis, alias ultimis. Et hac ratione victum esse instituendum: quasi diceret aliæ febres vigent quando materia est in principio, aliæ quando in augmento, & aliæ quando in statu, prout materia aut paulatim evanescit, aut in unicam criticam expulsionem servatur, ratione cujus in ordine ad hæc incrementa, cibus est præbendus:quo modo patet cibasse Gal. 12. *metho. cap. 6.* in febre syncopali plus in augmento coctionis quàm in principio, quia erat vigor morbi & symptomatum,quando materia erat cruda per dicta: ideò Hipp. *text.22.aphoris.1.* inquit, movere non cruda,neque in principiis; quod si non intelligeret de principio quoad symptomata, non diceret, neque in principiis, nam cruda solùm in principio quoad coctionem dantur.

Manet ergo probatum aliquando usque ad statum coctionis cibum esse attenuandum,aliquando non; at verò usque ad statum accidentium, semper; & sic nihil valere primam objectionem. Ad secundam dicimus, quod licèt in morbis qui paulatim terminantur, fit coctio, cùm ratione materiæ evacuatæ per resolutionem aut excreationem non causent accidentia ità intensa ac anteà, non est tantum prohibens ac antea sic in crastinum & victus & ad reparationem deperditi per accidentium intensionem procedentem: & quia coctio non habet labefactare naturam si accidétia aliàs remissa sint,non tamen ideò multum cibi est præbendum; sed plus quàm in statu, accidentium quia & materia magis correcta est, non valebit ità alimentum corrumpere,& ex alia parte accidentia sunt remissiora, sic minus est quod impediatur; siquidem ipsa sunt quæ potiùs prohibent & per ea morbus cibum prohibet, magis quam per aliud: cùm verò Galenus, & per ea, & per coctionem cibum esse tollendum docet, in statu, loquitur de morbis regulatibus, quia in illis omnia conjunguntur impedientia, scilicet & in ipsis habet veritatem sententia Vallesf. ac ut Hipp. docet *locu citatu*, per accidentia absolutè cibus non est prohibendus, & sic in ordine ad ipsa cibus est attenuandus.

Contra dicta plura sunt. Primò: morbus potest augeri aut aucta materià, aut intensa putredine, materià existente crudà, etiamsi ad unicam expulsionem tota servetur: ergo in tali casu non coincidunt tempora coctionis & cruditatis cum temporibus morbi: siquidem erit quoad coctionem & cruditatem in augmento. Principium, & morbus & accidentia erunt, quoad entitatem in augmento. Secundò: in statu morborum salubrium est melior morbus, sed morbi salubres sunt qui servant materiam in unicam criticam expulsionem, malè ergo dictum est statum morbi coincidere cum statu symptomatum. Patet,quia si melior est quàm in principio morbus, accidentia debent esse remissiora. Majorem ostendit Galen. 2. *aphoris. text. 29.* per hæc verba: *Dispositio siquidem ex qua hac generantur, quam & morbum nominamus, non omninò dum morbus consistit, est fortior, verùm in his qui salvari debent multo melior quam in principio.* Idem repetit *comment.3.* ergo non coincidunt dicta tempora.

Etsi necessarium non sit ex professo de morborum temporibus agere passim (non est tamen ad augmentum) dicimus quod etiamsi verum sit quod proponit primum argumentum,non est tamen ad augmentum pervenisse morbum donec materiam alteratam coctione videamus, aut cum signis repugnantibus, quia toto illo tempore antecedenti, una & eadem indicatione operatur Medicus diversa ab subsequente: dum verò solum morbum respicimus, non attendentes ad causam, nec ad id quod ipsa indicat, morbus est in augmento, aut in statu, etsi materia cruda maneat. Ad secundum dicimus Gal. non dicere morbum esse meliorem, quia remissior sit, aut remissiora habeat accidentia; contrarium voluit cùm dicat hoc esse quando accidentia sunt fortiora. Dixit dispositionem esse meliorem quàm in principio, quia in statu necessaria est salus, materià correctâ; agebat enim de morbis salutaribus: sic ait *comm. 30.* ubi morbi consistunt, necesse est meliores esse in his qui debent sanitati restitui.

Sed dices contra ea quæ dicta sunt suprà: Scriptum est in morbis fluxionum tenuiùs cibandum in principio quàm posteà; sed in ipsis debent vigere accidentia magis in augmento,aut in statu, quàm in principio: ergo non est cibandum tenuiùs in principio; aut non erit universaliter verum cibum esse attenuandum usque ad statum symptomatum. Secundò: omnis febris habens accessiones,est morbus fluxionis: sed in febribus docet Gal. cibum esse attenuandum in statu: ergo in morbis fluxionis non est attenuandum cibus in principio. Major patet: nam accessiones fiunt in febribus, quia pars aliqua recipit humorem facientem accessiones ab alia, ut docet Gal. 2 *de different. febr. cap. ultimo*, sic ait, quæcumque per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent,quia scilicet membra aut mittunt, aut suscipiunt, generant, aut attrahunt superfluitates: ergo omnes habentes accessiones sunt morbi fluxionis.

Respondetur ad primum quòd cùm cibus sit attenuandus in statu accidentium,& ratione fluxionis sit major impetus & consequenter vigeant ejus accidentia in principio magis quàm posteà, cibus est attenuandus magis in principio fluxionum,quia est status quoad accidentia ejus: plus enim debet urgere accidentia fluxionis cùm multum fluit,aut multum fluendum, quàm cum parum, hoc est in principio; etsi negari non possit

possit quod respectu morbi qui ex fluxione resultat, aliter sit procedendum, quia minùs urget ipse morbus & accidentia ejus, cùm parum fluxum est quàm cùm multùm;& sic dum ratione fluxionis cibum attenuamus in principio non ratione morbi ab ipsa fluxione provenientis operamur, sed ratione fluxionis præcisè,etsi ex ipsa morbum talem esse procedat; ad quod accidit quòd fluxio etiam est cohibenda, & cibus qui non augeat fluxionem præbendus, quia morbus qui ex fluxione ortum habet, cibum prohibet, quia major fluxio, & magis fluenda est, & ratione cujus morbus qui continet urget magis quàm quod minùs fluit, & minùs est fluendum.

Ad secundum dicimus in febribus non indicare fluxionem, quia parum est quod semper fluit, indicat quod accessionem particularem facit, parum est, & cùm ipsum postea resolvatur, non indicat, ut quando fluxio tumorem facit, quia in hoc casu totum quod fluit coniungitur & morbum causat: in febribus verò cùm quod fluit pro qualibet accessione parum sit & ipsa resolvatur, non indicat quòd fluit, indicat tamen morbus quod resultat ratione humoris fluxi: quod cùm non indicet ut fluit, sed ut manet, & morbum facit, ipse per se prohibet majora causare accidentia, cibum prohibet, hoc est in statu, si febribus usque ad statum symptomatum cibus est attenuandus,quod etit usque ad statum accessionis, quando materiam in unicam criticam expulsionem servat, ut accidit regulatiter; propter quod usque ad statum absolute cibum esse attenuandum profitent Authores omnes,quia regulariter omnes status coincidunt, dum in unicam criticam expulsionem non servatur tota materia, sed paulatim morbus terminatur; non usque ad statum coctionis,sed usque ad statum symptomatum cibus est attenuandus, quia status omnes coincidunt, & facultas per symptomata labefactatur, non per coctionem, potiùs in tali casu jam morbus remittit, ut Hippocrates insinuavit. Ex dictis constat verum * tenere Balle in morbis regularibus servantibus materiam totam in unicam criticam expulsionem, non in aliis.

Dices ulteriùs: etiamsi tota materia servetur in unicam crisim, non ideò status morbi debet coincidere cum statu coctionis. Ergo. Antecedens patet: nam febres aliquæ interficiunt in principio, aliæ in statu, aliæ in declinatione particularis accessionis, ut docet *Gal. 3. de crif. cap. 9. in principio*, illæ quæ à crassa & multa materia pendent: ergo tales febres, etiamsi totam materiam in unicam crisim servent, vehementiores erunt in principio. Patet: omnis morbus interficit in deteriori cujus partes: sed tales febres interficiunt in principio ratione crassitiei & multitudinis materiæ suffocantis: ergo in principio erunt deteriora accidentia,ac per consequens non coincidunt omnia tempora. Respondetur quod licèt tales febres interficiant in principio, non sequitur deteriorem partem earum esse in principio; esset verò deterior pars augmentum, aut status, si prius ille ad ipsum perduraret vivens, quia materia illa quæ tantùm immutare valebat, si alteraretur, immutaret magis, & intensiùs & citiùs aliis, ut patet in omnibus morbis lethalibus. Quòd si in principio interficiant, non se-

quererur ipsas non fore deteriores in temporibus sequentibus, solùm ostendunt suffocationem in principio valuisse interficere;quod potiùs ostendit melius interficere postea, non suffocatione, sed aliis accidentibus.

QVÆSTIO VIII.

Utrum deteriùs sit declinare ad tenuem quàm ad crassum victum.

CIRCA formam victûs ægrotantium, seu circa quantitatem formæ instituendæ, solùm restat examinare quod proponitur. Cum igitur ostensum sit a quo victus indicetur, sive tenuis, sive crassus: & cùm conjecturare valdè sit, non solùm alimenti, verùm & cujuslibet remedij quantitatem definire, ut docet *Gal. 1. acut. cap. 1.* difficilè valdè existit exquisitam victûs rationem præscribere, propter quod semper timendum est versus eorum, aut alterius extremum declinare; & consequenter ob eandem rationem quid sit deterius quærimus. Fecit hanc quæstionem difficilem Hippocrates 1. *Aphor. 5.* qui sic ait. *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus, major in hoc fit quàm in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valdè exquisitus victus & constitutus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus, eo qui sit paulò plenior, magis periculosus.* Quibus verbis manifestè videtur docere pejus esse declinare ad tenuem victum, quàm ad crassum, cùm toties hoc referatur.

Pro hac parte stat difficilis ratio: nam illud est majus peccatum, ex quo plurima, aut majora sequuntur incommoda: sed ex victu recedente per tenuitatem, majora incommoda sequerentur, vires scilicet debilitati; ex recessu per crassitiem potiùs vires augentur, etsi morbus augeatur: ergo majus peccatum est recedere per tenuitatem quàm per crassitiem.

Ex alia verò parte stat etiam Hippocrates 2. *acut. text. 39.* qui sic ait: *Sed perquam medicè additioni excludendum est, ablationi verò in totum intendere sæpe numerò prodest, modò sufficere possit firmus donec morbus mutaretur.* Quibus verbis utiliùs esse recedere versus tenuitatem quàm versus crassitiem docet. Idem scripsit *infrà text. 52.* in quo recensens errorem factum per tenuitatem, quando cibus erat necessarius, inquit hunc esse minorem. Quod confirmat Gal. *in comment.* ut videbimus. Ergo videtur Hipp. ipsum contrariari, & non minùs Gal.

Ut hæc contrarietas & difficultas solvatur, diversimodè respondent Autores aliqui distinctione, qui respondent dicendo, aut peccatum esse in principio morbi, aut in statu: hoc est, aut peccatum esse quando morbus permittit cibum crassiorem, aut quando tenuiorem: Et dicunt quòd in principio majus peccatum est declinare ad tenuem, quia tollitur magis de requisito, quàm ad crassum, quia tunc additur de illo quod permittit; secùs verò in statu, majus peccatum est declinare ad crassum ob contrariam rationem. Qui modus dicendi eandem doctri-

nam servat ac Vestraquellius qui *super Aphorism. 5. citat.* docet in ipso loqui Hippocratem de morbis longis in quibus majus est peccatum declinare ad tenuitatem, quia morbus longus pleniorem victum ratione virtutis petit, secùs verò morbus acutus; & sic de isto loquitur 2. *de victus ratione*, dũ inquit, utiliùs esse declinate ad tenuitatẽ.

Cùm hæc doctrina una sit, utrumque placitum eodem modo impugnatur. Secundò, quia Hippocrates utramque sententiam absolutè profert, agendo de morbis longis & acutis, ut constat *text.* 4. antea citato, in quo de omnibus agit, ut docet *in comment.* Gal. per hæc verba. *Minùs emendabiles sunt noxæ præcedentes à peccato in crassitie victûs, in morbis præcipuè.* Ergo de omnibus morbis loquitur Hippocrates, & etiam de temporibus omnibus ejus; & consequenter tales dicendi modi non possunt cohærere cum Hipp. quòd sine distinctione morborum & temporum ejus loquatur.

Secundò. Nam quod facit comparationem unius erroris ad alterum, supponit esse æqualem recessum: ergo sive sit in principio, sive in statu; sive in morbis longis, sive in acutis, debuit esse æqualis recessus ab eo quod petit facultas pro tunc; ac per consequens nihil interest petere tenuem aut crassum victum, quia ab illo quod petit est recessus æqualis, alias nulla foret controversia: nam recessus inæquales essent, si ponamus majus peccatum esse in majori recessu. Nec tollit esse æqualem quemcunque recessum, quòd morbus petat hunc aut illum victum: siquidem non ideò versus illam differentiam habet majorem latitudinem: quòd si haberet majorem latitudinem, concedamus, dum dicimus, esse peccatum, seu errorem; nam dicimus esse ultra latitudinem requisitam, aliàs unus recessus esset error, & alius non.

Tertiò. Nam in quacunque comparatione cætera debent esse paria, excepto illo in quo fit comparatio, ut 1. *de aliment. facul. c.* 2. docuit Gal. per hæc verba. *Oportet enim sẽper ea dequibus agitur, ita accipere, ut quæ inter se comparantur in illis dumtaxat de quibus agitur multò desiderãt.* Sed cõparatio est de peccato in tenuitate aut crassitie victûs: ergo debet paritas in cæteris in modo, in tempore, & in omnibus aliis, ac per consequens propositio absolutè est intelligenda; ità ut sit majus peccatum unum aut alterum; cæteris paribus, contra doctrinam Hippocr. & Gal. non unum in unu morbo, & aliud in alio. Ex quo manet non rectè quæstionem de peccato in morbo acuto aut chronico intelligi per recessum in tenuitate aut crassitie: nam esset diversitas in alio, propter illud in quo fit comparatio.

Vallesius quem sequitur Salmanticensis 8. *controvers. cap.* 1. majus peccatum judicat recedere à mediocritate cibi requisita per crassitiem, quam per tenuitatem. Ad quod notat, quod cùm victûs ratio debita sit instituenda prout permittit morbus, & vires indigent, ut permaneant usque ad statum, contra doctrinam Hippocr. & Gal. 1. *Aphor. & 2. acut.* dicentium, conjicere autem oportet, & robur, & morbi speciem seu modum, non tamen ita victus ratio debita instituenda, ut solùm morbi accidentia respiciat, ut alimentum pro conservatione virium requisitarum pro ipsis exhibeatur, sed aliquantulum potiùs quod sufficiat non solùm pro morbo & accidentibus ejus, verum etiam pro erroribus qui succrescunt, & qui in morbis accidunt, sive ratione ipsius ægrotantis, sive ratione Medici, aut assistentium, ità ut victus mediocris sit qui valeat vires requisitas pro tali morbo & accidentibus ejus, & pro erroribus communibus, per cujus excessum peccatum instituatur: Et tunc, inquit, majorem esse errorem recedere per crassitiem, quam per tenuitatem, cum Hippoc. & Gal. quia noxas ex multo alimento non nisi per inediam tollunt; noxas verò ex diminutione alimenti alimento tollunt.

Hæc doctrina etsi quoad entitatem conclusionis vera sit, ut dicemus, non est admittenda, circa illud quod de victu mediocri pro viribus valentibus ad morbum & ad errores docet. Primò, quia talis victus mediocris à nullo ex Antiquis & Recentioribus institutus est gratis & sine fundamento. Prætereà: nã aut victus mediocris est simpliciter requisitus in tali casu, aut nõ: si primũ; ergo sicut recessus per augmentũ & recessus remediũ, ac per consequẽs nihil ad rem ratione errorũ requirat, erit tantùm differentia ratione remedij, non ratione aliùs per quod requiritur. Si verò non est simpliciter requisitus victus qui datur pro erroribus, non exhibendus; nam datur aliquod per se & necessariò nocens quod contingens est utile esse: ulterius; nam tali casu recessus per tenuitatem nec esset peccatum, nec error, quia tolleret quod non erat necessarium, & quæstio est de errore per recessum ab illo quod requiritur quis sit major, & sic debet supponi æqualis recessus, qui errorem instituerit.

Pro solutione quæstionis advertendum est non dubitari de recessu trahente ad extremum; nam hoc modo non magis quàm unum, alterum peccatum lethale est: siquidem tam per defectum virium, quàm per magnam alimenti ingestionem vivens deficit pluries; & citiùs advenit mors, multò exhibito alimento, quàm incommoda à tenuitate; siquidem illo modo apoplexia & syncope pluries accidit, à quibus & mors subita: isto non semper mors, aut non subita, & sic de omni errore est dubitandum, qualis accidere solet ex imperfecta conjectura quæ ad nesciendam quantitatem cibi, & cujuslibet remedij alterius requiretur, qui parvus debet esse & æqualis, tam ex una quàm ex altera parte, de inæquali enim errore non est dubium.

His positis, vera sententia, est quam docuit Gal. ex Hippocrate 2. *acut.* majus scilicet peccatum esse recedere in morbis per crassitiẽ quam per tenuitatem, ut videre est *tex.* 39. super illa verba, ciborum adjectioni intendendum multò minùs, sic ait Gal. nempe quod exuperat noxas inemendabilius est; verùm quod minus est, facilè emendatur. Quibus verbis non solùm placitum confirmatur, verùm & ejus rationem reddit, dicens, deteriùs esse recedere per crassitiem, quia non ità facile est medicamẽtum ad recessum auferendum exhibere, ac est exhibere alimentum, quando ipsum deficit. Quod etiam *text.* 35. docuit Hipp. proponens errorem factum per exhibitionem alimenti, quando ipsius non datur necessitas, aut per ablationem alimenti, quando ipsum est necessarium: nam agens de ultimo sic ait: Periculis apertum erratum hoc, sed longè minus quàm alterum: ergo de sententia Hipp. & Gal. deterius est declinare ad crassum quam ad tenuem victum.

Hujus doctrinæ ratio est quam *in comment.* 39. adducit

adducit Gal. nam illud peccatum majus est cujus remedium difficilius est, aut majori cum periculo exercetur; sed peccatum in crasfitie difficilius remedium habet, quia ipsum majori cum periculo exercetur; quam peccatum per tenuitatem: ergo deteriùs est recedere à mediocritate per crasfitiem quàm per tenuitatem. Major est certa: nam error qui facilè & absque periculo, corrigitur, levior est: Minor probatur, nam ea quæ resultant, ex peccato in crasfitie per quam remedium indicatur, nonnisi medicamento expurganti auferuntur, quod non nisi cum periculo exhibetur in morbis propter plures dispositiones quæ ad exhibitionem requiruntur, & difficulter cum morbis conjunguntur: debilitas verò quæ ex tenuitate cibi subsequitur facilè alimento reparatur, quod non tot dispositionibus eget, ut exhibeatur; neque tanto cum periculo: ergo deterius est peccatum in crasfitie quàm in tenuitate. Hoc placitum confirmant ea quæ per sanitatem eveniunt, ad cujus similitudinem victum esse instituendum in morbis docet Hipp. 1. *acut. textu* 20. sed in sanis parvum aut nullum damnum experimur, per recessum, versus tenuitatem, magnum verò periculum versus crasfitiem: ergo deterius est declinare ad crassum quàm ad tenuem victum. Major constat *loco citato*. Minor est manifesta: ergo & consequentia.

Quæ pro contraria parte nihil probant contra nos: nam Hipp. *aphoris*.5. non intendit docere quòd sit deterius declinate ad tenuem aut ad crassum victum, sed intendit docere quantum expediat non exhibere victum tenuem in morbis in quibus non convenit. Et cùm hoc docuisset *text.* 4. in ejus confirmatione *textu* 5. inquit, esse majores errores qui fiunt quando tenuis est victus, quàm quando crassus; quia facultas non potest eos tollere: quod non est dicere deterius esse declinate ad tenuem quàm ad crassum victum; sed periculosiores esse errores in tenui victu ob rationem dictam. Ex quo deducitur contra Vall. malè dixisse victum mediocrem esse qui est & pro erroribus & pro modo: nam si hoc ità esset, qui uteretur victu requisito, cùm victus esset pro erroribus, non graviores forent errores; haberet enim victum conservantem facultatem pro ipsis. Contra hanc doctrinam deterius esse declinare versus tenuitatem, quàm versus crasfitiem, conclusio est falsa; antecedens est prætet naturam. Ille victus est deterior in quo ea quæ accidunt deteriora sunt: sed in virtute morbi errores qui accidunt sunt deteriores & molesti magis quàm in crasso: ergo deteriùs declinate ad tenuem quàm ad crassum victum. Probatur: quòd licèt verum sit errores in victu tenui deteriores esse, & molestiùs tolerari, rectè dictum est deterius esse declinare ad crassum victum, quia aliud est dicere de eo quod accidere potest in hoc aut illo statu, aliud verò qualis sit major error accessus aut recessus ad crasfitiem, aut ad tenuitatem: de hoc dicimus deteriorem errorem esse recessum ad crasfitiem, quia inemendabilis est, secus attamen de alio vere dicit Hipp. majores esse errores evenientes victu tenui, idest quando facultas est debilis, quod non tollit talem debilitatem faciliùs emendari, & consequenter talem recessum minorem esse quàm alterum. Ad quod facit locum Hipp. de accidentibus, seu contingentibus in victu tenui quæ non eveniant necessariò, sed contingenter accidant, non constituunt talem recessum periculosum necessariò & ex se, sed accidentaliter, ex se tamen deterior est recessus ad crasfitiem propter dicta.

Ad rationem: præter quam quòd licèt deterius sit vires debilitari quàm morbum augeri, cùm faciliùs corrigatur unus recessus, quàm alter, & id quod ex uno subsequitur faciliùs emendetur quàm alterum, in his est quod majus peccatum & deterius sit declinare ad recessum morbum augentem, quàm ad alterum vires debilitantem: præterquam quòd ex augmento morbi, non possunt non etiam debilitari vires.

QVÆSTIO IX.

Vtrum tempora indicent aliquam victûs speciem.

EX dictis q.8. multa pro solutione hujus Quæstionis constant. Diximus alimentum esse attenuandum in statu accidentium; & cùm hæc intensiora semper sint in accessionibus ipsis, ut 1. *aphoris.comm.*12. scripsit Gal. per hæc verba. *Per accessionem oportet intelligere deterius tempus totius circuitus, quod est à primo insultu usque ad tempus consistendi.* Manifestum est tempora particularia specialiter cibum prohibere: sunt enim ipsa in qualibet particulari accessione; ideò particularia dicuntur tempora quæ particularis humoris portionem sitiunt, & quæ secant tempora universalia: Ob quod Hippocrat. 1. *aphor. textu* 11. sic ait, *In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocivum est*: quod secutus in controversia Gal. reperit per hæc verba: *Quando nec cùm jam adsunt, nec ità multo post affutura sunt accessiones, cibus dandus est; sed eum declinant, aut cessant.*

Ex dictis patet tempora particularia esse deteriorem occasionem cibandi, & consequenter tenuiorem victum esse exhibendum in ipsis. Dixi tenuiorem victum, cùm enedia sit exquisitè tenuis victus, & nullum victum esse exhibendum in accessionibus dicat Hip. Tenuiorem victum in extremo indicare tempora particularia apparet, quatenus ex facultate alimentum petente, & ex parte morbi determinante tanquã prohibente, sumitur indicatio completa, hæc aut illa alimenti differẽtia, seu victûs ratio instituatur, & inde constet cibum esse præbendũ, si possibile fuerit, juxta regulas datas tempore intermissionis, ut docuit Gal. *cap.* 11. *citato*, ex doctrina Hipp. 2. *acut. text.* 39. hæc sunt verba. Cùm ab aquatione sorbitiones exhibere volueris, observa febrium accessiones, ut nec cùm adsunt, nec cùm venturæ sunt, eas ingeras, sed cùm jam finitæ sunt, aut conquietæ. Et cùm maximè ab initio distare videntur, ob quod *infrà* & 1. *acut.* dixerat cibum esse interdicendum cùm pedes frigidi sunt, præbendum verò cùm calidi, quia illud accessionem incipere significat, hoc declinationem. Dixit verò Gal. declinationem partem paroxismi, seu accessionis, non esse, quia accidentia jam cessant, ut videre est 1. *aphoris. comment.* 12. *citato*.

Cùm pluries accidat taliter accessiones repe-

tere, ut non solùm febris omninò non cesset, licèt & una accessio, parvâ aut nullâ interpolatione positâ, alia adveniat, restat adhuc scire quo tempore accessionis particularis cibus est præbendus, ut minori cum noxa procedamus: nam licet vi accessionis cibus omninò sit interdicendus, cùm ratione facultatis optandum sit, & hujus major sit urgentia, ita ut aliquid exhibendum alimenti, etsi tenue, quærimus quando sit præbendum, quod est quærere, quæ tempora ex particularibus prohibent, & quæ minùs. Circa quod videtur magis prohiberi sèpet, principium particulare ac per consequens cibum esse prohibendum, quò magis à principio accessionis futuræ & præcedentis recedat, aut distet affectus. Quod ostendunt, Hipp. & Gal. *locis citatis*: sic ait Hipp. 4. *acut. textu* 34. neque cùm adsunt, neque cum venturæ sunt accessionis, cibum ingeras, sed cùm jam finitæ sunt, & cùm maximè ab initio distare videntur. Et 1. *acut. textu* 46. per hæc verba; *Etenim pedibus frigere affectis, non solùm à sorbitione, verùm etiam à potione maximè abstinendum.* Hujus rationem reddit antea, ex eo quod frigiditas in pedibus signum propriæ accessionis est, sic ait *text.* 34. Siquidem refrigerati pedes magna ex parte, iam affututam febris accessionem significant: ergo alterius accessionis tempus ad cibum principium est, ac per consequens ab ipso fugiendum semper. Propter quod etiam Gal. *comm.* 1 t. *aphorismi citati* sic scripsit: *Nec cum jam adsunt, nec cum aff. tura sunt accessiones, cibum præbeamus.* Quam doctrinam recipiens Ball. *lib. meth. cap.* 9. sic ait. *Ad cibum præbendum totam accessionem, si fieri potest, cavebimus, similiter usque ad inclinationem, quod si ne id quidem licet, saltem accessionis vitabimus in circuitu & tres ante illud horas, nisi in quibus est fluxus acris ad os ventriculi.*

Pro hac parte stat etiam difficilis ratio: nam illa pars accessionis magis prohibet cibum quæ habet accidentia deteriora, & magis molestantia naturam, ratione cujus in accessionibus non est præbendus cibus: sed hæc sunt deteriora in principio: ergo. Minor probatur, nam in ipso suffocatur calor nativus ob revocationē humoris ad intra, ut fatetur Avic. tempora morborum definiens *fen.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. Sed deterius accidēs ad cibum præbendum est suffocatio, cùm vapores & fuligines ex cibo eleventur, quæ ad suffocationem faciendam adjuvent: ergo deterior occasio ad cibū, principium particulare est.

Nobis tamen videtur dicendum, quod quando possumus, occasio ad cibum quærenda est, considerato statu præcedentis accessionis, & principio venturæ, ità ut quantùm possibile fuerit, ab utroque recedamus: at cùm accessionum repetitio talis est ut in ipsa accessione cibus sit præbendus, inspicere oportet partem affectam, & motem morbi, cùm ventriculus aut hepar affligūtur, fugiendum est principium accessionis futuræ, ne materia suffocans conjungatur cum cibo & gravetur: attamen primò materia pauca sit, & phlegmon deficiat, seu in partibus existat externis, non erit inutile cibum juxta principium exhibere. Quod totum ex professo docuit Gal. 11. *meth. cap. ult.* per hæc verba. Corpus ad nutrimentum præparat: opportuno tempore ex duplici conjecturato respectu, nempe summo præcedentis accessionis vigore, & futuræ principio. Et *infrà* sic ait: siquidem ubi jecur, aut ventriculus phlegmone præbenditur, perniciosissimum est ante accessionem cibare, ubi hæc absunt, quibus infirma est virtus, validissimum agebat, quando non est alia commodior interpolationis occasio. Quod repetens, sic ait. Nam visceris phlegmone, aut succorum redundantia motus ad interiora in accessionibus pollet, nihil offendes paulò antè cibans: similiter si aut phlegmone aut redundantia subsit, cavenda est ante accessionem cibatio, ut res maximè noxia. Quibus verbis manifestè docet cùm semper occasio cibi quærenda sit, considerató statu accessionis, & principio venturæ, ad statum esse accedendum, quando phlegmon est interiùs, aut magna est quantitas gravans: cùm verò phlegmon deficit, & quantitas quæ retrocedit parva est, accedendum ad principium accessionis futuræ ob rationem dictam.

Ulteriùs inquit Gal. in ipso *cap. ult.* 11. *meth.* quòd quando calor non est valdè intensus, est tamen cum siccitate valdè conjunctus, in ipso statu utendum est humectante cibo, secus attamen si calor intensus sit, sic ait: in summo vigore notabit an citra magnitudinem caloris siccus sit & calens, an citra in calorem ruens: priorem námque humectante victu madefacere quàm primùm oportet: in secundo, dum plurimum caloris se remittat expectare: cujus doctis ratio est, quia quando calor non est intensus, non sunt accidentia prohibentia cibum, prohibetur etiam, ut dictum est, ratione intensionis accidentium; & sic tunc in statu cibus potest exhiberi non vocaodo calor, ut utens seu intensus est, quod jam tangit non rationem genericam cibandi, sed methodum specialem; cùm in tali casu cibus qui prohibetur in statu ratione humectationis quæ requiritur ut exhibeatur non præcisè ut cibus; qua ratione etiam in principio accessionum cibare consulit Galen. in Picrocolis, seu in his qui calidi & sicci sunt aut ex natura, aut ex morbo, ratione accidentis, seu dissipationis evenientis ex bilioso humore ad ventriculum fluente, ut patet 8. *meth. cap.* 2. in quo Gal. referens historiam cuiusdam febricitantis calidæ & siccæ naturæ, quem ad perniciem per inediam Medici trahebant, donec ipso accedente, & cibum præbente, sanitati fuit æger restitutus.

Ex quo patet occasionē cibandi ex temporibus morbi specialiter desumi, quatenus cibus à facultate indicatus ratione temporum morborum augetur vel, minuitur, ità ut tenuior aut crassior exhibendus ratione temporum universalium, aut absolutè sit præbendus, aut attenuandus ratione temporum particularium: qua ratione 1. *aphor. com.* 8. Gal. sic ait. Hæc igitur tibi sit una indicatio ad victûs rationē transumpta ex morbi temporibus, ut constat, quod licèt alimentum à facultate indicetur, scriptū est victûs formā à temporibus morbi principaliter desumi, seu determinari, quatenus ipsum alimentum generali ratione indicatur, tenuius aut crassius exhibetur ratione temporum morbi, quod suprà diximus esse seu indicate victûs formam seu rationem à facultate cum ordine ad morbum quando sub una alimenti ratione exhibetur, licèt ambo cum ordine ad facultates, quando ut medicamentum propinatur, juxta illud 2. *acut. text.* 36. ubi Hipp. inquit, conjicere autem oportet, & robur, & morbi modum, &c.

Ex

Ex hac doctrina deducitur facilè tempora omnia morborum, & morbum ipſum indicare victûs rationem, & eſſe ut indicantia, ex eo quòd propter ipſum morbum & partes eius augetur, aut minuitur alimentum quod petit facultas: ſed diminutio aut augmentatio illa non indicatur à facultate: ergo à morbo, ſeu ab eius temporibus: ſed ſic eſt quod per augmentum, aut diminutionem alimenti, conſtituitur forma victûs in eſſe tenuis aut craſsi: ergo forma victûs à temporibus morbi ſeu à morbo ipſo indicatur: qua ratione etiam virtutem etſi indicare remedia dicamus & ideo nec curatoriè indicare, tamen in curatione non negamos, tum quia ſuam conſervationem indicat, tum quia ad ipſam applicationem remediorum virtus eſt, non indicat remedia, indicat tamen modum utendi ipſis, quatenus permittit, aut ſecus: ſic nec morbus nec eius tempora alimenta indicant. Modum verò ſeu formam eorum quod eſt victus rationem indicare. Fiet hoc manifeſtum ſi videamus Hipp. 1. *aphoriſ. text.* 1 1. dicentem, *In acceſſionibus abſtinere oportet, &c.* ſed victus tenuiſsimus extrema eſt inedia: ergo ab acceſsionibus hoc eſt à morbo, & à temporibus eius inedia indicatur: ac per conſequens victûs forma cum quo non nego reſpectum ſeu ordinem quæ ad facultatem debet habere Medicus ut ſumat talem indicationem; ſed aſſero indicationis eſſentiâ ab acceſsione inediam indicari, cum ordine ad facultatem, id eſt non exiſtente aliquâ debilitate ſpeciali: propter quam cibus eſſet præbendus; nam tum jam non eſſet regulariter operari, ſed coactè.

Sed dices: tunc inediam non exhiberi indicatione ſumptâ ab acceſſione; ſed à facultate cibo non indigente; ſiquidem ob hoc non exhibetur tantùm. Contra eſt, quia agens Hipp. de occaſionibus cibandi, inquit eſſe abſtinendum in acceſſionibus, non verò extra ipſas. Quod debet intelligi cæteris paribus in facultate: ergo inedia tunc ratione acceſſionis eſt cum cibus eſt præbendus acceſſione tranſacta, ut ſuprà ex Hippoc. docuimus. Ad quod facit facultatem adhuc debiliorem eſſe tempore acceſſionis, & ſic magis alimento indigere: ergo quod attenuetur ab acceſſione eſt, non à facultate: quod patet: cùm ſi facultas valeat, non ſit alimentum exhibendum, nec ab ipſo facultas patiatur, causâ morbi auctâ. Cut Gal. quieſciendum eſſe in ſtatu doceat, *cap.* 40. *de optima ſecta*, ratione facultatis, dicemus infrà.

Contra hoc ſtat communis Medicorum conſenſus, affirmans tempora morborum nullatenùs indicare victûs rationem aut auxilia. Quod conſtat ex Gal. *lib. de optima ſecta, cap.* 40. docente ex profeſſo morborum tempora non indicare. Probat hoc Gal. admonens aſſiſtentes prohibentes ſeu non permittentes aliquid operari erga infirmos: poſt quæ ſic ait: quemadmodum iſtorum nullus quiſpiam rectè ſentiens, propoſitom verò caverit, ita neque tempora, eò quòd auxiliis, aut cibis ut impediant propoſita eſſe affirmavimus. Gal. tempora nec cibum, nec auxilium indicari, quod de alimentis ſeorſim docet *cap.* 43. per hęc verba. Quam vim in exhibendis remediis facultas gerit, eadem in dandis cibis morbi tempora: ſed conſtat facultatem non indicare remedia, ſed potiùs prohibere: ergo morbi tempora non indicant alimenta. Contra quam doctrinam locutus fuit *cap.* 25. dum hæc ſcripſit: *Deinceps nec morbi tempora utile indicare declaravimus*: ergo ex mente Galeni tempora morbi non indicant.

Hanc partem probant Authores rationibus ejuſdem Gal. 1. quia, ut ipſe inquit *cap.* 40. Aſsiſtentes prohibentes non dicimus indicari, ſed morbi tempora prohibent operari: ergo non indicant. Secundò quia, ut docet *cap.* 43. 1. minui alimentum indicaretur ad incrementum morbi, & non à facultatis debilitate, ſequeretur in convaleſcentibus multum cibi eſſe præbendum; ſed in ipſis parum exhibemus ob debilem facultatem: ergo ab ipſa indicatur parum in ſtatu, non verò à morbi tempore. Qua ratione etiam *cap.* 40. ob debilitatem facultatis quieſcendum eſſe in ſtatu, operandum verò in principio ob eius fortitudinem, contra mentem Hip. 2. *aphor. text.* 29.

Tertiò ſic arguit Gal. *cap.* 43. Si morbi principium cibum eſſe detrahendum indicat, in omni principio, & in tota eius duratione erit detrahendus, quod eſſet in vitelgine & ſimilibus morbis. Quartò ſic arguit: Si in ſtatu cibus eſt minuendus ratione temporis, & in declinatione pulmoniæ quàm in ſtatu lipitudinis: ſed hoc eſt abſurdum: ergo non eſt dicendum cibum paucum aut multum indicari à temporibus morbi.

Quintò ſic arguit *cap.* 45. Quod indicat differentias alimenti, genus eius & indicat, ac per conſequens neque quantitas, neque qualitas alimentorũ à temporibus morbi indicatur: non eſt intelligendum per qualitates qualitas quâ valet agere alimentum; ſed quam formâ alimenti conſtituit, ut dictum eſt: nam de qualitatibus medicamentoſis, non erat dubium à morbo indicari. Tandem arguit: nam morbi tempora indicant cibi quantitatem aut qualitatem, vel per ſui ablationem, vel per ſui conſervationem: hoc non, quia non ſunt conſervanda; non illud, quia non contrariatur quantitas aut qualitas ſub ratione alimenti temporibus morbi: ergo non indicatur ab ipſis. Quo argumento etiam probat Gal. nec remediorum differentias à temporibus morbi indicari: ſiquidem unum eſſet pluribus contrarium, quod eſt abſurdum: Contrariaretur enim alimentum tale, aut tantum pluribus temporibus: ſic Gal. ait, hac eadem ratione effecit ut ne remediorum differentias morborum tempora indicent.

Hoc dubium tetigimus ſuper *librum* 9. *meth. cap.* 15. cibum diximus tempora morborum verè indicare curatoriè, quatenus per ea deducit remedium conveniens, & prout partes morbi ſunt, ſui ablationem per ſua contraria indicantes, & quatenus ratione mutationis cauſam etiam diverſam inſinuant remedia, vel tempora morbi pro cauſæ mutatione conſtituantur. Concocta medicanda eſſe docet Hipp. atque movere, non cruda, ſed per hæc conſtituitur principium, & per illa declinatio: ergo tempora verè indicant curatoriè, cùm & ut partes morbi ſunt, & ut per mutationem cauſæ conſtituuntur, diverſum remedium indicent.

Pro hoc placito facit etiam quod id debemus dicere indicare in curatione ratione cujus immutatur, id quod eſt faciendum; ſed ratione temporum morbi, id quod eſt faciendum immutatur: ergo tempora morbi in curatione indicant. Confirmatur

firmatur : nam morbus indicat prout est; sed semper est morbus, aut in principio, aut in alio tempore : ergo indicat aliquod tempus morbi. Nec valet si dicas non indicare tempora pro ratione temporum, sed pro ratione morbi : nam contrà est, quia morbus indicat remedium æquale com intensione sui : sed ratione hujus aut illius temporis habet intensionem aut remissionem : ergo ratione eorum indicat, præcipuè cùm nulla alia entitas morbi reperiatur indicans quàm entitas principii, aut augmenti &c. ac per consequens entitas temporum indicat remediorum usum : qua ratione Gal. 9. *Meth. capit.* 14. scripsit, ex quatuor febris temporibus occasionem auxiliorum deduci.

Quoad victus rationem clariùs 1. *aphor. comment.*8. *citato*, in quo Gal. ex morbi temporibus indicationem ad victûs rationem sumi docet, ratione cujus minùs esse attenuandum alimentum in principio, magis in augmento, & magis in statu ex Hipp. scripsimus : ergo indicant victûs rationem. Pro quo facit id quod de remediis dictum est : ob morborum tempora victûs ratio immutatur : ergo & ipsa indicat : unde dicendum est non indicare victûs rationem id quod considerari est necessum, ut hæc aut illa victûs ratio constituatur; ideo Vall. 1. *Metho. cap.* 6. ostendens morbum & omnes eius partes, id est ejus tempora, cibum prohiberi, etsi inæqualiter, sic ait : Cibum dari sola facultas petit, tamen ejus quantitatem solum cum facultate indicat morbi tempus, non per se petens, sed per facultatem, & permittens : ergo non est negandum morbi tempora victûs ratione indicari.

Difficultas tantùm stat quomodo intelligendus sit Gal. qui *lib. de optima secta*, contrarium videtor docere; intelligetur facilè si mentem ejus percalleamus : ipse enim, nec negat, nec potest negare ratione temporũ morborum victûs rationem & remediorũ immutari potiùs, cùm certum sit, indicatione sumptà ab ipsis, ità fieri, hoc fatetur esse fundamentum; propter quod Methodici tẽpora indicare crediderunt, *c.* 39. *de optima secta:* negat tamen ipsa tempora indicare remedia aut alimenta tanquàm petentia, quod de alimentis manifestum est; ideò non indicare alimentum, certum est, quod non tollit tempora morborum victûs rationem indicare, quatenùs facultate petente ratione temporum in hac aut illa exhibetur forma, & victûs ratio instituitur conveniens, quod indicatione sumpta ab ipso morbo & temporibus ejus, & aliàs facultate eodem modo se habente, victûs ratio erat immutanda, & non eadem extra accessionem, & in ipsa facultas; & sine sensibili immutatione pluries : ergo non ab ipsa diversitas illa indicatur in alimento, sed à morbo, etsi ipsa tantùm alimentum petat, & morbus permittat, vel secus, ut constet Galenum, docere tempora morbi alimentum non indicare, indicare verò victûs rationem.

Circa remedia difficultas major est, circa qood 9. *meth. cap.* 15. diximus non posse Gal. sustineri si verè *lib. de optima sect.* negat remedia indicari à temporibus morbi : Quòd si dicas intelligi de formalitate temporum, quatenus principium aut augmentum est formaliter, quia certum est principium ut tale non indicare petendo, indicat verò ut quid præter naturam, sui ablationem per contraria, ad quod per accidens se habet, esse principium aut augmentum, non potest negari augmentum, ut augmentum, intensiùs remedium, & diversum petere & indicari quàm principium, cùm remediis æqualibus debeat fieri curatio; & ex alia parte diversitatem aliquam dicant hæc tempora aut in se, aut in causa, per quam constituunt, & sic diversum petunt remedium, ac per consequens indicare est dicendum, non solùm remedia, verùm eorum differentias, & modum utendi.

Veriùs tamen mihi videtur Gal. non conati docere ex professo tempora morborum non indicare absolutè, sed intendens ipse docere non indicare alimentum, inquit: Victûs ratio, per quam crediderunt indicare Methodici, non probare quod indicent, & consequenter ob hanc rationem nec remedia indicant tempora, quod constat : nam postquam *cap.* 39. dixit Antiquos docuisse indicare tempora, quia non omnia erant apta ut cibus aut remedium exhiberetur, *cap.* 40. in quo absolutè non indicare docet, assumptum probat ex eo quod prohibere non sit indicare, alias externum prohibens, indicans diceretur, & sic cùm tempora prohibeant cibum, non debent dici indicantia. Quod etiam de remediis intelligit, cùm doceat Hipp. incipientibus morbis esse operandum, vigentibus verò, quiesciendum, quod prohibere est vocat : non ergo indicantia proposita, idest postulantia, qua ratione indicatum postulatum appellat, *cap.* 40. & sic rectè concludit tempora non quia prohibentia debent dici indicantia cibi aut remedii, sed quia postulantia; & cùm morbus & ejus partes postulent auxilia, ut cuilibet notum est, & renuant alimentum, ideò non indicare alimentum est dicendum, maximè verò remedia; quod non tollit victûs rationem indicare, quatenus indicatio est sumptà à morbo & à partibus eius instituitur : qua ratione (etiam est sumpta à morbo) etiam indicare virtutem in curatione diximus, non quia ex se indicet remedia ut potens, sed quatenus indicatione ab ipsa facultate sumpta taliter applicatur, seu immutatur.

Hoc etiam erit notum si legamos *cap.* 42. in quo Gal. intendens docere facultatem non indicare remedia, sed cibum, inquit remedium non petere, sed prohibere, sic ait. Quoniam id quod requiritur prohibere, ne accipiatur facultas, valet ob id remedii propositum nequaquam est. Quibus verbis manifestè docet non rectè sequi indicare remedium, quia prohibeat facultas, quod non tollit indicare contra modum exhibendi, quia licèt ipsum remedium facultas non postulet, taliter exhibendum esse, requirit, & petit : quod idem est intelligendum de temporibus in ordine ad morborum cibum. Probatur quod Gal. *cap.* 43. *sequenti*, ut assumptum probet, sic ait : *Quam vicem in exhibendis facultas gerit, eandem in dandis cibis morbi tempora, & ut ad remedia se habent eorum appetentes causa, ità ad alimentum facultas intendit* : ergo docet Galenus non sequi indicari aliquod quia prohibetur, sed quia petit.

Sed dices, *cap.* 40. & 43. *citatis*, Galenus docet diminutionem cibi ratione debilitatis facultatis esse non ratione accessionis seu incrementi morbi, ergo non indicat attenuatio à facultate & tempore morbi. Antecedens probatur : quia si incrementum faceret exiguam esse escam

in

in convalescentibus non esset exhibenda exigua; sed in ipsis exigua exhibetur : ergo non ab incremento indicatur diminutio cibi , ac per consequens non à temporibus indicatur victûs ratio. Respondetur certum esse incrementum aut morbi tempus non esse adæquatum indicans cibi , aut victûs rationis , sed quatenus existente facultate cibum petente morbi tempus indicat taliter esse exhibendum : quod non tollit à facultate tantùm talem victum indicare , dum id petit; at verò quod ab ipsa non indicetur , quando incremento existente , exhibetur talis victus, quia facultati forti existenti in augmento morbi (quod non implicat) victus tenuis exhibetur qui non exhiberetur, si morbus non esset : ergo non quia talis victus à facultate petatur , petit enim crassiorem , sed quia ratione incrementi talis est exhibendus. Hippocrates verò & Gal. non negant à facultate & à morbo victûs rationem indicari, ut constat 2. *acut. tex.* 36. asserunt tamen non indicari ab incremento aliorum, sed à facultate petente , quod est verum , quia ipsa alimentum petit, non morbus; quo solvitur secundum argumentum Gal.

Ad alia quæ posita sunt, respondetur ad Gal. dictum est, ipsum non negare tépora morbi indicari inediâ & remediorum usu , nec negare ipsa indicare victûs rationem; negare verò tempora indicare alimentum , & negare id quod prohibet indicare, & sic ob hanc rationem tempora neque cibum , nec remedia indicare. Falluntur equidem qui intelligunt Gal. negare tempora indicare remedia , negat tamen rationem propter quam Antiqui indicare credebant sufficientem esse, cùm prohibere , non sit petere , quod est indicare. Nos autem ostensum habemus prohibentia non indicare ea quæ prohibent , indicare verò ea quæ petunt , idest modum , seu rationem utendi, quæ petitur ex tali petente, & tali prohibente , ut inde deducamus talem rationem victûs, seu utendi remediorum, convenire & indicari ex utroque conjuncto. Cùm verò Gal. dixit *cap.* 45. hac eadem ratione efficitur ut ne remediorũ differẽtiam morborũ tempora indicent, non docet remediorũ differentiam non indicari à temporibus morbi , sed quod per illam rationem per quam probabat cibum non indicari ab accidentibus , probabatur nec remediorum differentias ab ipsis indicari , quod verum est, non unum pluribus potest contrariari, & sic ut unum alimentum tale aut tantum non poterat opponi pluribus , sic unum remedium non poterat pluribus opponi temporibus : hoc tamen non tollit per alias rationes constare tempora morborum, auxilia & eorum differentias indicare.

Sed dices : Si incrementum ut incrementum, petit aliquod remedium , aut aliquam victûs rationem , non deberet indicari ab alio : sed potest aliquis morbos in principio sui habere intensionem , ac alius morbus in augmento , & in tali casu indicabitur in principio idem remedium & alimentum, ac alius morbus in incremento : ergo non indicabat incrementum ut tale illud. Respondetur ex dictis , quod cùm non sit adæquatum indicans victûs incrementum, poterit ab alio indicari , quod idem intelligendum est absolutè de remedio quoad intensionem: at verò si incrementum indicat remedium speciale prout specialem rationem habet, distantiam à principio, per intensionẽ nõ indicabitur nisi ab ipso.

Ad primam rationem, Respondetur indicantia dici illa quæ ex propria natura habent facere ad exhibitionem remedij vel cibi quomodolibet, non assistentes , quia valdè per accidens ad hoc sunt. Galen. verò solùm intendit probare prohibentia non dici postulantia , quod est verum ; attamen ex hoc non sequitur non facere ad exhibitionem , sequitur verò non expostulare. Secundum argumentum solutum est suprà. Ad tertium dicimus quod cum victûs ratio instituatur ratione facultatis & morbi in ordine ad durationem usque ad statum , nihil mirum diversam victûs rationẽ esse instituendam in principio unius morbi quàm alterius: facit enim diversitas morbi valdè ut victus instituatur, ità ut plus dandum sit in statu unius morbi , quàm in declinatione alterius , ut docuit Hipp. 2. *acut. texti* 36. dum dixit, *Conjicere autem oportet & robur & morbi modum &c.* ut solvatur quartum argumentum.

Ad quintum, Respondetur verum esse indicare differentias alimenti ab illo quòd genus indicat, tamen hoc non tollit etiam ratione alicujus conjuncti victûs rationem indicari quatenus facultate tale poscente alimentum & morbo prohibente, resultat taliter exhiberi sub tali forma, quod est, sumpta indicatione ab utroque talem convenire victûs rationem. Ad ultimum Resp. victûs rationem non coindicari à morbo ipsius petente ut contrarium , nec ut similem per se, sed ut conveniens per accidens ; quatenus pro conservatione facultatis est , à qua tanquàm ab poscente per se indicat.

QVÆSTIO X.

Utrum sint alia indicantia victûs rationem.

CUM facultatem alimentum indicare dictum sit, quatenus medio ipso ea conservatur rebus connaturalibus alimentum petentibus, non dubium alia prædicta alimentum indicare, imò si exactè loquendum est, plura prædicta alimentum indicant , priùs quàm ipsa facultas, id est magis immediatè & per se, diffusionem scilicet partium adquirendarum, sive quia deficiant à causis inevitabilibus resolventibus , ratione cuius alimentum exhibetur. Quo fundamento *quæst.* 4. *de ætate consistentia* , diximus mutationem & restaurationem, ad adquirendam debitam magnitudinem, & restaurationem deperditi esse, ex Gal. 1. *de facultatibus naturalibus*, *cap.* 7. & 1. *aphor. comm.* 15. indicabit ergo alimentum per se & immediatè qui à partibus suam restaurationem seu adquisitionem petentibus , à diffusione scilicèt ; docuit enim Gal. 11 *meth. cap.* 1. & 3 vires servare servatis partibus & spiritibus , rectam proportionẽ & mensuram, & sic alimentum à facultate indicari dicimus , quatenus facultas servatur seu adquiritur , servatis seu adquisitis per alimentum spiritibus & partibus. Quod etiam constat, 9. *meth. c.* 13. per hæc verba. Servabitur autem virtus , si neque ejus substantia inaniatur , neque tanta alteratione alteretur, ut corruptioni sit propinqua : ergo alimentum indicatur à facultate suam conservationem petente

per

per conservationem partium restaurandarum cum alimento, ac per consequens à diffusione partium, seu spirituum, aut à partibus ipsis alimentum indicatur, ut cum conservatio hæc pro conservatione virtutis sit, à virtute alimentum indicare dicimus, tanquam ab poscente, per quam omnes res naturales, intelligimus, cùm ad invicem aliæ sint præter alias, & sic ab ipsis indicatur, & ab aliis prohibetur.

Difficultas igitur non est de indicantibus alimentum, sed de indicantibus victûs rationem, seu modo utendi alimento: Circa quod videtur nullatenùs ab alio quàm à facultate & morbo indicari, cùm assistente petente & prohibente sufficiens fundamentum inveniatur, ut quale & quomodo alimentum sit exhibendum cognoscamus. Propter quod Vall. 1.*meth.cap.*6. facultatem & morbum cibi quantitatem definire, docuit ex Gal. 1. *aphor.* & 2. *acut. comm.*44. quod constat, nam victûs ratio instituitur talis qualis fuerit indicantis urgentia, si virium est major, adhuc morbo prohibente, cibus exhibetur, si morbi indicatio prævaleat, etsi vires cibum petant, non est exhibendus: cùm verò utrinsque æqualis indicatio, aliquid exhibemus, pro viribus, minus tamen quàm ipsæ petunt: ergo victus à morbo & facultate indicatur, non ab alio; præcipuè cùm tenuitas aut crassities victûs in ordinem ad hanc aut illam conservationem facultatis instituatur: ergo ab ipsa & morborum ratio sufficienter instituitur. Totam hanc doctrinam fecit manifestam Gal. 9. *meth. cap.*7. quando ratione urgentiæ unius aut alterius cibum augendum, aut minuendum esse docet.

Nihilominùs tamen non est dubitandum plura alia indicantia inveniri ad victûs rationem instituendam, quæ etsi non petant ex se alimentum, quatenus aut pro petente faciunt, aut prohibere magis aut minùs habent victûs rationem indicare, ut de morbo & eius partibus diximus, talia sunt omnia indicantia à nobis 9.*meth.c.*15. adducta, quæ in curatione indicari diximus, aër scilicet, temperamentum, consuetudo & quantitas, per quæ regio, cœli status, anni tempus intelliguntur, sicut & per morbum omnia præter naturam, ut per facultatem seu naturam, omnia naturalia. Hanc veritatem docuit Hipp. 1.*acut. text.*36. per hæc verba: *Conjicere autem oportet & robur, & morbi modum, hominisque naturam, & in victu consuetudinem, non solùm in cibis, verùm & in potionibus.* Quibus verbis non solum facultatem & morbum considerari docet, verùm & plura alia: in cujus *comment.* Galen. idem recipiens, sic ait: Nemo verò vitio verterit, si hoc in loco confundatur Hipp. scoporum multitudinem affatim circumseptus, ut cuilibet patescat, omnia scopus esse ad victûs rationem; agebat enim de ipsa, & 2.*aphor.textu* 17. idem ostendit Hipp. ubi sic ait; *Et quibus semel aut bis particulatim oporteat offerre, considerandum, condonandum aliquid tempori, ætati, & consuetudini*, quod totum à *text.* 13. *ad* 17. *citatis*, sigillatim edocuit, & recipit Gal. ergo indicantia sunt ad victûs rationem: cum quo valent ea quæ 2. *acut.* scripsit Hipp. *à text.*21.

Hujus doctrinæ ratio est manifesta: nam in curatione indicari diximus omnia dicta, quia ipsis consideratis quid faciendum, aut quo modo remediis sit attenuandum significatur: sed idem constat de ipsis in ordine ad victum: ergo omnia indicant ad ipsum. Major est nota; minor probatur: nam plus alimenti exhibendum est in hyeme, quàm in æstate quantum plus caloris affundatur intra, calor major nativus plus alimenti desiderat, tanquam efficacius coctionis instrumentum; ideò qui crescunt pluribus ægent fomitibus, quia plurimum habent calidi innati, ut docuit 1. *aphoris. text.*14. quod probat etiam de temperamento partis, seu ætatis, seu regionis, ni forsan ob hanc aut illam rationem retractione ad intra factâ caloris ob frigus externum, plus sit alimenti exhibendum: nam tunc per accidens frigus ad majorem calorem intra fecit; sicut è contrà quando ad resolutionem conducit temporis seu aëris tempeties, minus esse exhibendum indicat.

De consuetudine minor erat dubitatio; habet enim rationem naturæ, ut suo loco videre est, ut natura indicabit: sed hoc modo non solùm victûs rationem, sed alimentum etiam indicare valebit: ergo ut omnia dicta victûs rationem indicant, quod tam de quantitate quàm de repetitione esse intelligendum, docet Hipp. 1. *aphor.* & 2.*acut.* Partem affectam peculiariter ad victûs rationem facere, ità certum est, ut inquit Vall. 1. *meth. cap.* 7. ut à nullo dubitari possit minùs cibi dandum esse quando ventriculus laborat, quàm aliis partibus laborantibus. Patitur enim ab alimento ventriculus: ergo ipso laborante minùs cibi exhibendum. Quod non ità accidit aliis partibus affectis. Sic similiter latiùs est cibandum, thorace laborante, quàm aliis partibus, quia in illo casu duplicis facultatis actione indiget curatio morbi, coctricis inquam, & expellentis animalis pro duobus: ergo debet dari alimentum in aliis, solius facultatis, naturalis est opus, & sic minùs alimenti esse tribuendum.

Cùm verò ex dictis constet facultatem seu naturam cibum indicare multum, quod ipsa debilis est, ad sui restaurationem, etsi ob impotentiam commutandi repetitis vicibus exhibeatur; Minùs tamen quando fortis est, nisi in ordine ad conservationem multum sit exhibendum; sicut etiam constat morbum alimentum prohibere manifestum est, omnia dicta ad alimenti exhibitionem, hoc est ad victûs rationem indicare diversimodè, indicat plus in hoc, minùs in illo, casu & ratione accidentium, cùm in ordine ad ipsum alimentum exhibeatur, aut prohibeatur, prout debilitate facultatem habent, ut syncope; aut prout ipsam tantum labefactare, ut in cujuslibet morbi statu in morbis regularibus, ut *text.*36. 2. *acut.* constat ex Hippoc. qui symptomata esse consideranda ad victûs rationem manifestè docet, & consequenter, ipsa indicare sicut morbus, & eius causam propter quam plures inediam seu victûs rationem talem imperamus, ne causa augeatur in qualitate, aut in mole. Ea quæ in principio posita sunt, solùm de principalibus indicantibus sunt intelligenda, non tamen ostendunt, deteriorem indicationem superfluam esse, cùm possit dubitari ratione ipsorum victûs rationem immutari quotidie, ut docuit Hipp. *locis citatis.*

SECTIO

SECTIO II.

De victûs ratione in statu sanitatis.

QUÆSTIO I.

Quale debeat esse alimentum sanorum.

NON debet judicari extra requisitum ad ægrotantium victum, totum quod *in hac secunda sectione* continetur, cùm potiùs simpliciter necessarium sit: est enim ægrotantium victus maximè ex victu sanorum deducendus, ut docet Hippoc. 2. *de vict. acut. text.* 20. per hæc verba. *Cæterùm ut rectam victûs rationem instituamus, salubria præscripta per bonam valetudinem observanda sunt.* Propter quod toties victum per consuetudinem vituperat Hippoc. & *in comment.* Gal. ut videre est 2. *Aphor. text.* 50. & 2. *acut. text.* 21. Plura tamen quærentur sub hac sectione, & quia propriè in sanis habent locum, & quia in ipsis specialis necessaria doctrina, ex quia ad ægrotantium victum deveniamus.

Circa id quod inquirit quæstio, videtur inveniri solutio in his quæ excripta sunt *sup. quæst.* 1. Diximus enim alimentum esse quod nostram substantiam reparare valet, nihil in hominis corpore faciens, cum Galeno 1. *de aliment. facultat. cap.* 1. Ergo alimentum sanorum tale debet esse ut nutriat, & non alteret. Et cùm quæstio intelligenda sit respectu corporis temperati, temperata debere esse alimenta constat, aliàs alterare valebunt: qua ratione *cap. cit.* sic scripsit Gal. *Quam ob rem qua medij sunt temperamenti, nullâque vincenti qualitate sunt prædita, ea solùm sunt alimenta.* Constat ergo ex dictis, alimenta sanorum ea esse quæ nutriunt, & alterare non valent. Ex quo sequitur, quòd sicut alimenta absolutè quæ respectu corporis temperati sunt, temperata debent esse; respectu corporis calidi debent esse calida; frigida verò respectu corporis frigidi, & sic de cæteris. Ratio est manifesta, quia alimentum debet esse quod nutrire, & non alterare habet: sed si respectu corporis calidi aliter distemperati, alimentum tribueret temperatum, etsi nutrire valeret, alteraretur etiam: ergo non debet esse temperatum absolutè, sed quale fuerit corporis temperamentum, ut de ipso verificetur Galeni doctrina, docens esse quod nutrire habet, nihil in hominis corpore faciens.

Facit pro hac parte id quod de consuetudine docet Hipp. 2. *acut.* & 2. *aph.* & cum eo Gal. Hipp. interpretatus: asserit enim *aph.* 50. assueta etsi deteriora, minùs molestare, quod etiam intelligit de alimentis Gal. ex eo quòd *text.* 21. sic dicat Hipp. *Atqui quod vitiosus tum cibus, tum potus semper sibi similis ad sanitatem tutior est*: sed cibus semper debet esse similis ut conservetur temperies adquisita usu ciborum, ratione cujus Gal. c. 2. *de assuetudinibus*, similia alimenta convenire docet eis qui aliquibus fuot assueti: Ergo alimentum debet esse per salutem simile temperiei ipsius viventis. Quâ ratione ipse Gal. 7. *Meth. c.* 13. calidiora remedia frigidis esse debent quomodolibet laboret, excepta indicatione à temperamento naturali partis: sed talis intensio major est pro conservatione temperiei: ergo etiam alimentum quod in conservationem partium per restitutionem datur, calidius debet esse pro parte calida, frigidius pro frigida.

Non minùs ostenditur hæc pars ex Galen. 4. *de simplic. medic. facult.* dicente omnia nutrientia dulcia debere esse; dicisque dulcia ob similitudinem quam habent ad id quod nutritur: Ergo alimentum tale debet esse quale est hominis temperamentum; sic enim ait *cap.* 15. *Quæ itaque summè acida, aut amara, aut acerba sunt, nutrire nequeunt, secus quæ solùm dulcia sunt, omnia nutriunt.* Hujus reddens rationem, sic ait: *Siquidem quod nutrit, à similitudine qua illi est ad id quod nutritur, dulce apparet: à dissimilitudine verò, non dulce*: Quod aliter explicuerat *cap.* 11. dicens. *Cæterùm dulcia calore proximè accedunt ad ea corpora quibus apparent dulcia.* Ergo alimenta similia debent esse temperaturæ adæquatæ. Quod probatur ratione quâ utitur Galenus. Alimenta sunt in reparationem resoluti quod erat familiare viventi: ergo familiaria esse debent, & consequenter ejusdem temperiei. Sic etiam scripserat *cap.* 10. *Atque quod evacuatum est, familiare erat: quamobrem & quod nutrit, familiare sit, necesse est. Porrò si familiare fuerit, protinus etiam ut ad id quod nutrit medicè calidum.* Quo fundamento quod uni est alimentum, non esse tale respectu alterius docuit *eodem cap.* & 1. *aphor. comm.* 17. partes diversa alimenta habere, quia diversa diversam similitudinem habent.

Ex alia verò parte stat Galenus ipse qui 1. *de aliment. facultat. capite* 1. *citat.* postquam alimentum definivit modo dicto, docuit hoc esse intelligendum in corpore temperato: nam respectu corporis distemperati contrario modo distemperata debere esse alimenta docet Gal. non rectè dictum est similia debere esse cum nutrito. Quod etiam confirmatur *lib. de dissolutione continua*, *cap.* 4. (si Galeni liber est) & 4. *de simplic. medic. facult.* in quibus semper alimenta debere esse temperata docet pro corporibus temperatis, calida verò pro frigidis; non ergo alimenta similia debent esse nutrito.

Hanc partem probant plura quæ posita sunt à nobis *Tract. de alimentor. facult. quæst.* 3. *de modo dignoscendi similitudinem alimentorum*; & Avicen. *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. consueta destruunt appetitum, quòd nulla alia de causa est nisi quia contraria dispositio quæ requirit in organo ut appetat alimentum, ut docet *in comment.* Gentilis: Ergo non conducit ad appetendum similia, temperies naturalis, ac per consequens non debet esse alimentum simile, aliàs non debebat privari apetitu alicujus qui post ulum ejus alterum appetit, & simile renuit. Et quamvis *in ipso Tractatu* ut huic argumento fieret satis, diximus loqui Gentilem in ordine ad gustum, quia per ipsum sunt percipiendæ qualitates alimenti, & ratione usûs gustus immutatus est per partes cibi manentes, non satisfacit: nam appetitus in ventriculo & per impedimentum percipiendi qualitates similes non tollit similitudo existens in ventriculo, ratione cuius potiùs ad simile appetendũ debebat esse major dispositio vi consuetudinis, ità ut non renueret quis ea quibus utitur quando alia appe-

tit, & recipere valet: Ergo non conducit dispositio ad simile appetendum.

Pro solutione quæstionis advertendum est dubium posse intelligi de alimenti qualitate aut in ordine ad qualitates activas & passivas, quod est in ordine ad qualitates medicamentosas aut alimentosas, aut in ordine ad tenuitatem & crassitiem; quod est prout vires augere, aut conservare, aut minuere valent: nam utroque modo est alimentum diversum, & utroque indiget vivens in debita mensura.

His positis dicendum nobis est, quod si alimentum ut tale, omni rigore accipiatur, nullatenùs debet gaudere aliqua qualitate alterante: Id est taliter debet esse temperatum, ut per qualitates quas habet non valeat immutare vivens, ut docuit Galenus 1. *de aliment. facultat. citato*, in quo postquam posuit medij temperamenti debere esse alimenta, sic ait: *Ventrem nec solvunt, nec cohibent, nec aliam quamlibet dispositionem generant, sed quale animantis quod nutritur corpus assumpserat, tale prorsus conservat.* Ergo alitum in rigore proportionatum debet esse cum alimento, quomodocumque alimentum temperatum existat. Quod probant ea quæ dicta sunt tam de consuetudine, quàm de doctrina Galeni. Et ratio est nota: siquidem temperatum debet esse alimentum respectu corporis temperati, & non alia de causa nisi quia ipso bene se habet illa natura, & faciliùs fit nutritio ob similitudinem ob quam etiam alimenta consueta commendantur à Galeno *capite 2. de consuetudine*: Sed eadem ratio valet in alimento calido respectu naturæ, calidæ ac in frigido respectu frigidæ, cùm non immutetur natura à simili, & faciliùs nutriat: Ergo in qualibet natura simile debet esse alimentum.

Probatur prætereà: Nam ex appetitu ad alimentum colligit Galenus esse familiare & accommodatum: sed appetitus debet esse ad similia: ergo alimentum debet esse simile. Majorem ostendit *lib. 3. de aliment. facultat. cap. 17.* per hæc verba. *Cibus durior alimentum præstat copiosius quam humidior; præsertim quando substantiam habet alendo corpori accommodatam & familiarem, quæ substantia voluptate judicatur.* Minorem ostendit etiam *cap. 63. Artis Medic.* dicens: *Naturales temperatura in hoc differunt à malis temperaturis, quòd hæ contraria, non verò similia appetunt, ut naturalis*: Ergo alimentum simile debet esse.

Cùm igitur alimenti completam rationem habeat, quod similem naturam habet cumnutrito, manifestum est simile alimentum omnes conditiones optimi alimenti habere; nam aliàs non esset ipsum eligendum, ut docet Galenus. Quod docuit etiam Avicen. nam adducens effectus rei dulcis (quam esse verum alimentum & simile docuerat ipse Galenus *4. de simplic. medicam. facultat.*) sic ait, *Tract. 1. lib. 2. cap. 3. Operationes autem dulcis sunt, digestio & lenificatio, & multiplicatio nutrimenti, & natura diligit ipsam, & virtus ultra activa attrahit ipsam.* Quibus verbis conditionem optimi alimenti adducit.

Ex dictis sequitur quale debeat esse alimentum quoad passivas qualitates, id est quoad hoc quod est faciliter, aut difficulter coqui, multi aut pauci, & non optimum alimentum, nutrimenti esse boni, aut mali succi, & non optimum alimentum, quod bonam seu proportionatam substantiam petat, multúmque nutrit & facilè coquitur. Nam cùm alimentum fit in reparationem substantiæ, quod plus reparat in ordine ad partes quas habet; parum excrementitium habet, & multi nutrimenti datur; & sic ex hac parte similiter optimum est alimentum quod bonam seu familiarem substantiam præstat respectu nutriti: ad quod etiam facit facilis coctionis esse, cui jungatur tenuitas; nam minùs ab eo patietur natura, & minùs excrementi resultabit. Alimentum verò quod difficulter coquitur, deterius est nisi ob rem medicinalem requiratur. Quod docuit Gal. *lib. de cibis boni & mali succi, cap. 3.* per hæc verba. *Quæ ex seminibus, aut fructibus intumescunt, & veterem siccitatem deponunt, præstantiora. Quæ verò minimè tument, pristinámque duritiem retinent, deteriora sunt; hæc enim terrestris substantiæ sunt, ægréque coquuntur; atque ut ventre perficiantur, opus est valentibus facultatibus.* Propter quod sic ait *infrà. Si aliqui in cibo sumendi fructus sunt, madefaciendi prius sunt.* Ergo ex mente Galeni, optimum alimentum est in statu salutis, quod facilè coquitur; quod etiam ex parte reparationis sit præstantius; quod minus excrementosum est, & familiarem magis substantiam præstat. Constat etiam quia in reparationem naturæ tribuitur, & meliùs erit quod ex se magis hoc facit, & substantiam proportionatam magis. Ideò Galenus *2. de temperamentis, cap. 3.* sic ait. *Oportet igitur totam substantiam ejus quod nutrit cum tota ejus quod nutritur, naturæ communionem quandam, & similitudinem habere.* Quod non ad aliud esse docuit Galenus *4. de simplic. medic. facult. cap. 9.* nisi familiaris substantia est quod resolvitur, & familiare debet esse quod reponitur, & sic familiare debet esse alimentum.

Secundum quod nobis dicendum est, quòd si alimentum non in rigore accipiatur, sed ut medicamentum, non caderet sub dubio contraria qualitate debere constare ac corpus afficitur, ratione qualitatis petentis sui distributionem per alimentorum usum, non sub ratione talium. Propter quod Galenus dum calidum esse alimentum docet in corpore frigido, & è contra, non loquitur de alimento quatenùs solam alimenti rationem exercet, sed quatenùs rationem medicamenti, etiam loquitur non respectu corporia distemperati aut morbosi, quod curari aut reduci indicat & petit, & omnibus modis est faciendum: nam respectu temperamenti quod neque reductione, neque curatione eget, temperatis utitur alimentis, ut videre est *locu citatis*: hoc tamen non tollit, quòd si alimentum ut tale sine ordine ad reductionem aut curationem exhiberetur, simile exhiberetur in omni corpore, imò potiùs ita debebat fieri, ut fit consuetudine aut naturâ intemperatâ, quas non esse reducendas per morbos, & in distractione docet Gal. *8. Meth. c. 9.* Ergo quia alimentum debet esse simile quando exhibetur sub ratione medicamenti.

Hoc idem ratione probatur quâ utitur Galenus *4. de simplic. medicam. facult. capite 10.* Corpus quod est cibandum solùm inanitum esse debet; sed tale corpus nulla indiget qualitate alterante: ergo ut alimentum nulla qualitate alteretur debet constare. Quod immediatè per hæc verba explanavit. *Evenit utique cibis, ubi non modo vacuatis exhibentur corporibus,*

ribus , sed etiam qualitate aliqua mutatis , ut duobus nominibus delectent , ut cibi scilicet , & ut medicina. Idem refert *lib. de aliment. facultat. capite* 1. ut constet alimentum ut tale solum esse quod sine eo quod alteret, reparat, aliud medicamentum ut alimentum esse, quod non potest esse optimum alimentum, quia neque substantiam perfectiorem, seu temperatam præstat, neque pro tali subjecto magis proportionatam, etsi prout retrahit naturam ab statu intemperato quem habet, melior substantia fiat quàm quæ ex simili alimento resultat (loquor de corpore reductionem petente pro quo alimentum intemperatum præbet Galenus) quia magis correcta & minùs apta ut similem intemperiem augeat, licèt simile alimentum appetat magis, & ad coctionem aptius sit, propter quod deterius esse solet quàm quod non appetitur, contra sententiam Hippocratis 2. *aphorism. text.* 38. quo modo cùm hoc ex appetitu similitudo cibi cognoscatur & ex similitudine alimenti, constabit *tractatu de alimentorum facultatibus.*

Circa alimenti qualitatem in tenuitate & crassitie in ordine ad reparationem, aliquid de quantitate cibi dicendum est, quatenus per ejus mutationem alimenti formam quoad hoc mutare diximus. Nos tamen solùm quod ad reparationem requiritur explanabimus in præsenti, & postrà de quantitate agemus: contra quod Galenus 1. *aphoris. text.* 4. expresè docet, alimentum sanorum esse sub forma pleni, aut mediocris, non autem sub forma tenuis, sic ait. *In sanis itaque corporibus semper oportet servare robur virium, vel augere alimentis, non minuere, ac augens quidem alimentum, est quod plenum vocatur: conservans quod mediocre existit: diminuens verò quod tenue datur. Hoc igitur semper fugere oportet: aliorum verò utrolibet, ut præsentia exigunt, uti. In longis morbis quidem servare studemus vires, in acutis autem moderatè debilitatas conservare.* Quibus verbis non solùm docet victûs tenuem in morbis acutis convenire, & ipsum esse semper fugiendum per sanitatem, verùm & in morbis longis victum convenire mediocrem; sanis verò plenum aut mediocrem, prout vires expostulaverint; tunc quando ipsæ non valent, in illis quando refectione egent; quod significant verba illa, *ut præsentia exigunt, uti.* Quod debet intelligi, ut suprà retulimus, cum attentione virtutis commutantis ad indigentiam & facultas valet; parum & sæpè cùm cibi indigentia viget, & facultas est languida; indigentiâ tamen non existente, superfluus erit cibus.

Ea quæ in principio sunt facillimè solvuntur. Galenus & Hippocrates dum temperata concedunt alimenta respectu corporis temperati, loquuntur in ordine ad quod est omnis doctrina: dum verò simile esse dicunt, de alimento absolutè ut tali loquuntur, quia quodlibet corpus ipsum in restaurationem deperditi desiderat, & appetit & amplectitur, ut docet Galenus 2. *Aphorismor. commentario* 38. *& 4. de simplic. medicament. facultat. capite* 9. Quod si corpus temperatum fuerit, optimum appetet alimentum, quia & simile & temperatum, ut omni ex parte omni perfectione constet, respectu cujus non habebit locum illud Hippocratis. *Parum deterior potus & cibus; suavior autem, melioribus quidem, sed minùs suavibus est præferendus:* habebit tamen locum respectu distemperati corporis quod simile appetens, etsi ipsum consequatur, suavius, non melius alimentum, & facilioris coctionis erit, ut dixit Galenus 2. *aphoris. comment.* 38.

Contra hoc stat Galenus *lib. de dissolutione continua, cap.* 4. in quo docet meliùs coqui à natura intemperata cibos dissimiles quàm similes: Ergo non rectè dictum est à Galen. cibos similes appeti, magis & meliùs coqui. Antecedens patet per hæc verba: *Cui dominatur caliditas, est cibos frigidos fortiùs digerere, non calidos; & cui dominatur frigiditas, calidos digeris, & non frigidos.* Quæ verba non solùm contra doctrinam stant, verùm etiam contra communem Philosophiam à Medicis acceptam, quâ dicimus, coctionem à calore fieri, secundum quam frigida temperies non valebit calore ipsa immutari, potiùs pro frigidis poterit esse activitas, cùm possit esse minùs frigida ipsis: Ergo aut quod appetitur simile non est facilioris coctionis, quod est contra Galen. *lib. de dissolutione continua*, & contrà Philosophum: Inquit Galenus, in natura calida faciliùs coqui frigida alimenta quàm calida, & è contrà.

Respondetur, quod præterquàm quòd hic liber proprius Galeni non judicatur, & ut voluit Antonius Musa, plura absurda continet; nihilominùs tamen, ut ipse docet, plura utilia & vera habet, ratione cujus dum dicimus calida alimenta concedi pro frigidis corporibus, & è contrà, dum inquit ipsa contraria faciliùs coqui, non est intelligendum similem temperiem ad appetitum & coctionem perfectiorem non conducere, ex se etenim conducit; intelligendum tamen est cùm loquatur de naturis intemperatis, loqui quatenùs vi alterationis ciborum ad rectè operari temperiei disponit, & consequenter rectè inquit naturam calidam quæ propter intemperiem prave coquebat, meliùs cohibere cibos frigidos quàm calidos, & è contrà, quia per frigiditatem ciborum corrigitur intemperies calida, quæ per intensionem quam habebat non poterat rectè operari, & per coctionem factam à frigore ciborum rectè operatur, & eos coquit, non ità si calidi cibi sint, quia potiùs intemperiem impedientem, seu malè disponentem augent. Quod constat ex verbis textûs, in quo postquam dixit similia debere esse alimenta, ipsáque meliùs appeti & coqui, sic ait. *Cui dominatur caliditas, est cibos frigidos fortiùs digerere, quia stringunt caliditatem corporis & temperant eam, non calidos.* Quasi diceret, ideò cibos frigidos fortiùs coqui à natura calida, quàm calidos, quia frigidi intemperiem calidam corrigunt, & dispositionem proportionatam ad coctionem faciendam inducunt, quam potiùs deteriorem reddunt calidi cibi, & sic de cæteris.

Ex hac solutione constabit quomodo Galenus *capite* 1. *de aliment. facultat. & lib.* 4. *de simplicib. medicament. facultat. capite* 9. calida alimenta in frigidis naturis, & è contrà, concedat; requirit enim ipsa ut medicamenta, non ut alimenta præcisè, ut ex ipso textu (*medicamenta*) constat.

Ad rationem. Respondetur quòd licèt appetitus in ventriculo sit, & dispositio similis ad simile appetendum faciat, cùm tunica linguæ & ventriculi una sit ex Galeno, & gustus non immutet ob partes imbibitas alimenti assueti, sic neque ventriculus appetit, quia quod non cognoscitur simile per gustum, non potest appeti ab illo quod habet appetere simile: Et cùm hoc habeant facere principaliter pinguia & dulcia; idcò Galen. 3. *de aliment. facult. capite* 27. ipsa appetentiam evertere scripsit, quod vulgò appellatur *empalar*, ob quod plus ex diversis quàm ex uno edimus alimento, & ob eandem rationem alios sapores & condimenta creavit natura, ut ex Philosopho retulimus *tract. de aliment. facult.*

QUÆSTIO II.

Quantum debeat esse alimentum.

CUM non solùm varietur alimenti quantitas præcisè per hoc quod est parum aut multum ejus exhibere, sed per repetitionem etiam, dum qualis sit victus ratio per quantitatem quærimus: utroque modo quærimus qualis debeat esse, quod est intelligendum seclusâ ratione tenuitatis aut crassitiei victûs, quæ per respectum ad augmentum seu diminutionem virium constituonur, per additionem seu diminutionem quantitatis solùm de augmento aut diminutione repetitionum, sive ipsius quantitatis tantùm, sub quo debet includi ratio alimenti in mole, hoc est quantitas: quâ ratione alios bene se habere alimento in magna mole, ipsósque meliùs ipsum coquere certum est, tenues verò corrumpere, & è contrà alios facilè commutare tenues & parvæ molis cibos, gravari verò aliis: quod est dicere alios petere alimenta facilis coctionis, alios difficilis, ut docuit Galenus 1. *de aliment. facult. cap.* 1.

Cùm ergo dictum sit cibi quantitatem sanis competentem esse quæ ad augmentum virium faciat, aut saltem ad conservationem: quod est dicere victum sanorum plenum aut mediocrem debere esse, non hoc quærimus, sed hoc respectu secluso, quantum debeat alimentum præcisè ratione sui: circa quod si status ægritudinis respiciendus esset, jam dedimus solutionem *quæstion.* 1. *suprà ex* Galeno 1. *Aphorism. comment.* 17. solùm tamen de quantitate in statu sano est agendum, quod debet intelligi nullo dato à statu sano extrahente; nam hac ratione eodem modo ac in statu ægritudinis est procedendum; loquendum verò est in statu sanitatis deductâ doctrinâ ex eis quæ de victûs forma pro sanitatis statu docuit Galenus 1. *aphoris. comment.* 4. Ostensum enim ibi est, victum plenum aut mediocrem sanis competere, ex quo deducatur in tanta quantitate esse exhibendum alimentum in statu sanitatis, ut pro conservatione seu augmento virium faciat; quod cùm ipsam non determinent, non satisfacit sufficienter: præcipuè quia hoc solum videtur docere finem minuentem cibi quantitatem ex parte sui, non tamen omnia quæ ad ipsius determinationem faciant, cùm non sufficiat finem esse, si aliqua deficiant ex his quæ ad ejus exhibitionem conducunt.

Pro quæstionis solutione advertendum est Primò, dubium esse intelligendum de corpore temperato; quâ ratione locutus fuit Galenus & 1. *de aliment. facult. & 4. de simplic. medic. facult.* dum quale esset alimentum determinavit, & respectu cujus particularis naturæ in statu sano idem sit loquendum; quod ita tenet si natura sit talis à principio, sive à consuetudine, sive aliquo modo, cùm ratione illius quod est, exhibeatur alimentum tale, aut tantum, & talis sit natura indicans sive nativa, sive adsititia. Quo fundamento Hippocrates 1. *Aphoris. text.* 16. victum humidum febricitantibus, & pueris, & his qui tali victu uti consueverunt convenire docet. Quibus verbis, ut voluit *in comment.* Galenus, qualitatem ex natura propria sibi adquisita determinat, ut idem de quantitate dicamus.

Secundò advertendum est alimentum esse exhibendum, & quod valeat pro fine quem consequi intendimus, & pro facultatis activitate, quâ agente, finis est consequendus; ità ut finis tantùm alimenti esse exhibendum doceat, & facultatis activitas id permittat, secus námque Hippocrat. respectu morbi considerandum jubet, ut inquit Galen. *comment.* 17. *citato*: sic nos respectu finis consequendi per cibum esse intelligendum dicimus, inquit Galen. dum facultas debilis cum humorum defectu parum & sæpè: parum quia non valet facultas pro alimento: sæpè, quia multis indiget affectio: multum tamen & sæpè, dum cum humorum defectu facultas fortis est; permittit námque facultas (sic liceat loqui) quod affectio postulat in hoc casu, non in illo. Ergo sic similiter in statu sano recipiendus est finis cibi, & facultatis activitas.

Si dicas facultatem petere per sanitatem cibum, non alia, nil valet: Dictum est *quæst.* 4. *suprà*, facultatem per se non indicare alimentum, sed alimentum petere quæ per alimentum sunt conservanda seu adquirenda, à quo procedit facultatem conservari; & sic ex parte alia propter facultatem suot, seu constituunt finem immediatum propter quem datur alimentum: facultas verò finis remotus est quæ alio modo, seu alia consideratione, aut medium ad consequutionem finis se habere dicimus, quatenùs mediâ ejus actione alimentum præstat, seu convertitur in substantiam, ut finis propter quem fuit institutum consequatur. Et sic quò aptior est ad talem actionem faciendam facultas, permittit alimentum, aut secùs.

Tertiò notandum est defectum partium & spirituum à causis naturalibus advenientem, & defectum debitæ quantitatis & formationis constituere finem peteotem alimentum, seu propter quem, & in cujus restaurationem alimentum est exhibendum; ac per consequens tantùm cibi ex hac parte indulgendum est, quantùm reparationis existat necessitas, jam ex defectu naturalis formationis à causis inevitabilibus proveniente: Et cùm ex alia parte facultatis actio ad consequutionem finis necessaria sit, & ipsâ actione deficiente, alimentum inutile & potiùs nocivum reddatur, tantùm illius quod desideratur à fine, tribuendum est, quantùm faculta-

tia

tis actio valeat superare; & tantum ejus est detrahendum quantum minùs ipsa sufficiat: ut indè constet sic se habere facultatem, & finem alimenti ad ejus quantitatem, ut facultas, & morbus, & remedium se habent. Nam sicut in hoc casu permittere, aut non permittere facultatem dicimus, quod indicatur à morbo, quatenùs valet, aut non valet tolerare immutationem quam remedium facit; sic facultatem permittere, aut non permittere alimentum indicatum à fine dicemus, quatenus valet, aut non valet superare alimentum ipsum ac tantum, existente differentiâ, quod alimentum aliquo modo ab ipsa facultate peti dicimus, quatenùs indicatur ab ejúsque petuntur facultate, non ità remedium quod solùm indicatur à morbo, etsi etiam remotè valdè pro facultate faciat.

His positis, nobis dicendum est cibi quantitatem ex necessitate alimenti ad reparationem, & ex facultatis robore metiendam esse. Dixi ex necessitate alimenti ad reparationem, & non ex necessitate reparationis; quia si necessitas reparationis sit & alimentum exhibitum, ut quando plenitudo invenitur, aut satietas, non est ad alimenti reparationem necessitas, & sic ipsum exhibendum non est, & consequenter, cùm à causis inevitabilibus, & ante adolescentiam ex naturali formatione finis alimenti sit, semper ejus necessitas est, & sic solùm quantitas metiri debet ex activitate facultatis; nomine cujus non facultatem ipsam præcisè debemus intelligere, sed facultatis etiam instrumentum, calorem scilicet, cùm medio ipso à facultate disponatur, ex Philosopho 4. *meteoror. cap.* 2. & Gal. 1. *aphor. comment.* 15. per quod non quemcumque calorem debemus intelligere, sed naturalem; ità ut eo gradu quo calor naturalis deficiat, & facultatem deficere dicendum est quoad cognitionem sive per intensionem distemperantem valde, sive per remissionem; Qua ratione Hippocrates 1. *aphoris.* 14. sic scripsit, *Qui crescunt plurimum habent innati calidi, plurimis igitur egent fomitibus: alioqui corpus absumitur. Senibus verò parum calidi innati inest, &c. & text.* 15. *Ventres hyeme & verè naturâ calidissimi sunt, ideò copiosiora alimenta sunt exhibenda.* Quasi diceret, ratione intensionis caloris naturalis addenda est alimentorum quantitas, minuenda verò ratione remissionis: quod intra ejus latitudinem intelligendum est; cùm asserat tunc esse copiosiora alimenta exhibenda, quia calor naturalis abundat, aliàs in febrientibus plus esset alimenti exhibendum, quod est falsum; quid per hunc calorem naturalem intelligat Hippocrates, non est hujus loci. Dixit tamen *in comment.* Galenus, calorem aërium abundare, quod pro parrium humidarum multitudine, & pro spirituum retrocessu diximus *suprà* de facultate naturali ventriculi, dubium specialiter esse intelligendum, dum cibum permittere, aut non permittere scripsimus.

Ex dictis patet plus cibi tribuendum esse cùm naturalis facultas valet, minùs verò cùm ipsa patitur; ac cùm agamus de victu sanorum, talis non est facienda computatio: siquidem sanitatis status facultatem pati non permittit; & sic aliter solvendum dubium est, dicendo juxta diversitatem naturarum & dispositionum subjecti plus cibi esse dandum, dum calor major est, minùs dum remissior, ut ex *text.* 14. & 15. *citatis* constat: at in ipsa natura temperata tali differentiâ, ut cùm solùm naturalis resolutionis reparatio instet, alimentum mediocre, hoc est io quantitate vires conservante, exhibeatur: quia major quantitas potiùs gravitare & suffocare valebit, quàm vires augere; cùm non sit major dispositio ad esse virium, quàm adquisitio illius quod requiritur, & consequentet solùm ad conservationem ipsarum debet dari alimenti quantitas; nam major quantitas supra requisitum erit, deficiétque finis propter quem. Cùm verò non solùm reparatio illius quod resolvitur à causis inevitabilibus urget, verùm etiam aliquid aliud quod nondum facit cadere sensibiliter in morbum, ut cùm plus quàm solitum est fecit resolutum aut ratione pervigilij, vel alicujus evacuationis seu exercitij, cibus convenit; sicut & quando supra naturalem resolutionem stat conformationis adquirendæ per ætates deffectus; quia tunc non possunt esse vires omni sua perfectione, & sic augendæ sunt; & consequenter ad augmentum alimentum est tribuendum. Dixi non esse omni sua perfectione vires; quia cùm plus quàm solitum est prævaluerit resolutio, aut quia status perfectus nondum erat comparatus, non possunt vires omni perfectione esse, & sic perfici per plenum alimentum expostulant, & ad ipsum exhibendum finis est supra coctionem. Quâ doctrinâ intelligitur Galen. 1. *aphorif. comment.* 4. dum dixit, sanis victum plenum seu mediocrem convenire.

Manet tamen difficultas, quantum sit alimenti exhibendum, ut pro suo fine satisfaciat; quia licèt dictum sit tantum esse exhibendum, quantum possit tollerare facultas, & illa quantitate quæ indicatur à fine; nondum constar quannum tollerabit facultas, neque est unde cognoscatur: nam si dicamus quantitatē esse convenientem quæ tempore quatuor aut quinque commutetur, ut voluerunt plures, errabimus turpiter tum; quia nondum determinatur quantitas scienrificè, sed experimento: tum quia ratione consuetudinis alij plus, alij minùs commutant eodem tempore: Et quod magis est, quia tempus determinatum commutandi alimentum non datur, ut docuit Galenus 5. *aphor. comment.* 5. per hæc verba. *Nec cibus unus habet in omnibus tempus coctionis præfinitum.* Pro quo facit etiam, quòd cùm alimenta diversæ naturæ valde sint, quoad facilitatem aut difficultatem coctionis, non poterit quantitas tempore determinato metiri.

Cùm quantitas alimenti debeat proportionari cum facultate commutante illam, debemus dicere esse quantitatem exhibendam quæ sufficiat ad auferendum appetitum ejus, famem scilicet, à natura concessam, tanquam signum, seu motivum ad alimenti exhibitionem, quod etiam ex proportione alimenti cum capacitate cavitatis ventriculi, ità ut neque valet, nec distendat, debetur; est enim capacitas illa & facultates ventriculi ad commutandum necessarium alimentum instituta; sed omnia organa facta sunt in proportione requisita, ergo & ventriculi cavitas & facultates ejus, tali proportione debent esse formata, ut pro quantitate requisita sufficiant. Quâ ratione Avic. *fen.* 3. *lib.* 1. *doctrinâ* 2. *cap.* 7. docuit repletionem esse necabilem. Quod magis explicans, sic ait. *Ex cibo nullus ità est*

replendus, ut non sit ibi locus superfluo ipsum. Et infrà. Deterior comestio est quæ stomachi facit gravitatem. Clariùs tamen infrà postquam dixit metiendam esse quantitatem cibi ex virtute & ex usu, sic ait: Et mensura ejus in eo quod sanum est, virtutis sit talis, cùm ipsum recipitur, ut ei gravamen non afferat, & hypochondria non tendat, neque inflet, neque natet, &c. Quibus verbis quantitatem cibi esse metiendam docet ex cavitate ipsius ventriculi, ità ut nec graver, nec inflet, nec supernatet: quæ ultima verba adhuc per diminutionem non esse peccandum ostendunt.

Quòd verò appetitus ipse ciborum, hoc est fames, etiam quantitatem ipsorum mensuret, & determinet, deducetur facilè, tum quia experientiâ compertum est, pueros lactantes ex propria natura, nullo dicente, mammas desinere, cùm sufficientem lactis quantitatem receperunt, & ipsas accipere, aut per ipsas sugere, dum appetitus, seu lactis stat necessitas, quod probat ratio. Nam fames concessa fuit à natura, ut excitamentum seu appetitus ad cibum existeret, quando ejus esset necessitas. Quod docuit Gal. 1. de causis symptomat. cap. 7. sic ait. Concessit illi natura exactum sensum propter necessitatem ad famem & sitim. Et de usu part. cap. 1 1. sic, quod ventriculo sensum exactissimum cibi & potûs deficientis adesse oportebat: Ergo necessitate deficiente, appetitus deficere debet, ac per consequens dum alimentum valet talem appetitum satiare, est in sufficienti quantitate: nam si in minori exhibeatur, appetitus seu fames debet manere, cùm sit alimenti necessitas, & ipsâ existente (loquor de statu naturali) fames debeat esse, donec sufficiens propinetur quantitas; ità ut si aliquid superfluum addatur, absque fame & appetitu erit, aliàs fames sine necessitate cibi erit. Quod docuit Avicen. cap. 7. citat. qui sic ait. Oportet præterea ne aliquis comedat nisi post desiderium. Et clariùs infrà, postquam dixit aliquod superfluum de cavitate ventriculi esse absque cibo relinquendum, sic ait. Sed ab eo est removendum desiderium, reliquiis remanentibus; hæ enim post horam unam destruuntur. Quibus verbis totam nostram doctrinam explanat: nam asserit mensurandam esse cibi quantitatem & per cavitatem ventriculi, & per appetitum, & tantum cibi esse tribuendum, quantum nec cavitas omninò repleatur, nec omninò appetitus satietur. Et quoniam poterat objici, si appetitus & cavitas pro quantitate cibi requisita sunt, cur eis non est omninò satisfaciendum, inquit, hæ reliquiæ post horam onam destruuntur; quasi diceret, cùm alimentum debeat esse quod proportionetur cum cavitate & appetitu; & alimentum per coctionem magis occupet, cùm liquetur & rarefiat, necessum est aliquid cavitatis & appetitûs sine cibo relinquere, ut locus liquationi sit; nam ipsâ factâ, & cavitas repletur, & consequenter appetitus satiatur; & ideò docet post horam tales reliquias destrui.

Non minùs hanc veritatem deducemus, si attendamus talem fuisse nostram formationem, ut non solùm omnia secundum necessitatem formata sint, verùm experientiâ constet ventriculi facultates taliter esse, ut id quod appetit sit meliùs nutrimentum in statu naturali, quàm quod abominatur, ut docuit Galenus 3. de aliment. facult. cap. 27. & 2. aphoris. comm. 38. ubi sic ait. Nam quæcumque cum voluptate assumuntur, ipsa ventriculus amplexatur, & faciliùs coquit; sicut quæ displicent, refugit. Quod mirum. Ergo quod sit talis ventriculi appetitus, ut non solùm ad convenientes appetendum valeat, verùm ad requisitam ejus quantitatem, ac per consequens ex appetitu naturali, & cavitate ipsa ventriculi, cibi quantitas mensuranda est in statu naturali; ità ut eo gradu quo deficiat vivens à dispositione requisita tam ex parte facultatis, quàm ex parte, aut a formatione naturali ventriculi, deficiendum sit à mensura ab eis desumenda, & ratione effectûs, aut consuetudinis sit operandum.

His positis, circa repetitionem alimenti, manifesta est doctrina. Nam cùm alimentum sit tribuendum ratione reparationis faciendæ, sive in supplementum formationis, sive in supplementum resoluti à causis inevitabilibus, toties alimenti quantitas repetenda est, quoties finis alimenti fuerit, & fuerit consumptum quod antea erat propinatum; quod, ut diximus, pendet ex robore facultatis; ità ut pluries cibatio sit repetenda dum facultas minùs simul propinari permiserit, & rariùs dum magis permiserit ipsa facultas; quia cùm finis semper existat ex continua resolutione, solùm ratione facultatis tatò aut crebrò cibus est propinandus. Quod ex doctrina Gal. 1. aphoris. comment. 17. manifestè deducitur: nam quod ibi de morbo dicatur respectu facultatis, hîc de fine reparationis est intelligendum, ut sic multum & sæpè exhibeamus dum facultas valet, & finis petit; parum & sæpè, dum ipsa non valet, etiamsi petat finis; parum tamen & rarò dum finis non est, etiamsi facultas valcat; nam quando non valet, finis necessatiò debet esse.

Quoties etiam alimentum sit exhibendum, ex consuetudine quoque deduci docuit Hippocr. 3. acut. text. 22. quem sequitur Gal. in comment. Sic ait Hippocrates, Quippe sive bis, sive semel duntaxat in die quis cibum assumere solitus est; si consuetudinem subitò mutaverit, noxam imbecillitatémque subibit. At hæc doctrina etsi optima sit, ut Medicus cognoscat quoties cibandum sit in ægrotantibus de quorum curatione agebat; non tamen est sufficiens ad intentum: Nam non docet unde patescat, an pluries, an semel tantùm sit cibandum; consuetudo enim significat esse dispositionem ad hanc aut illam cibationem, non tamen dat regulam seu doctrinam ob quam ità cibandum sit: dedit tamen doctrinam Gal. 1. aph. comment. 17. nam dicens Hippoc. Et quibus semel, aut bis, & quibus plura aut pauciora, particulatim oporteat offerre, considerandum, adducit Gal. & cõbinationes illas facultatis & morbi, ut quoties sit cibandum cognoscamus, quod nos de fine alimenti & facultate intelligi posse diximus.

Cùm verò per sanitatem illas combinationes facultatis supponat robustas, non rectè respectu ejus doctrina dicta satisfacit, satisfacit tamen respectu diversarum naturarum, & diversarum ætatum & temporum, juxta illas sententias, Ventres hyeme & vere natura calidissimi. Et, Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimis igitur egent fomitibus. Respectu tamen cujuslibet naturæ regula utilis est, per sanitatem cibum esse repetendum, quoties qui antea fuit propinatus consumptus, & distributus est à ventre in reliquas partes. Quod docuit manifestè Hippocr. qui 1. acut. tex. 32. sic ait. Etenim quibus cibus recens conclusus est, si eo non vacuato, sorbitio detur, dolor jam

jam instans irritabit. Clariùs tamen *text.* 41. per hæc verba. *Id verò omninò observandum est, qui cibum accepit, nedum subductâ alvo, sorbitio danda non est, donec conjeceris cibum ad imas intestinorum partes descendisse.* Idem docet Galenus *in comment.* Quod sequitur & modo à nobis explicato intelligendum esse, ne cum cocto crudum etiam distribuatur, & quod verius judicat, ne totum corrumpatur. Quod deduxit ex Gal. *lib. de diffol. continua cap.* 1. Sic dicente. *Qui accepit cibum, & remanserunt in stomacho, aut intestinis reliquia ex priori, per digestionem corrumpitur cibus secundus cum reliquiis primi.* Quod totum scripsit etiam Avicen. *fen.* 3. *lib.* 1. *doctr.* 2. *c.* 7. in quo expressè docet crudum supra indigestum corrumpi, & sic non esse comedendum donec stomachus & intestina vacuata sint, sic ait. *Neque qui sanitatem custodire volunt, aliquid comedant, nisi desiderium fuerit certum, & stomachus, & superiora intestina à primo nutriente evacuata fuerint.* Ex quo loco videtur deduxisse Antonius Musa signa ad cognoscendum tempus commodum ad alimenti exhibitionem: nam, inquit, quod cùm tempus commodum sit, quando alimentum est à ventre distributum cognosci, & quia ventriculus tensus non est, & quia evacuatio præcessit, & quia appetitus cibi adest: nam cùm talis appetitus ex defectu cibi procedat dum prior distributus est, appetitus ejus datur, aut saltem non potest dari cibi fastidium; ideò Avicen. docuit, cibum esse præbendum: cùm certum est ejus desiderium.

Ex dictis manifesta hora cibandi determinata est, non cùm cibi desiderium adest, cùm prior cibus coctus & distributus est, tensio ventris absumitur: quæ omnia signa coincidunt cùm unum ex alio procedat, ad quod determinandum non est certa regula, etsi Avicen. *cap.* 7. *citat.* sic scribat. Ex viribus præterea satientis comestionis meliùs est ut homo unâ die semel, & altera bis manè & vespere comedat: hoc tamen certum non est, quia si citiùs quàm altera accedat dies, cibus absumatur, alius cibus præbendus est, ne incommoda quæ ab ipso Avicen. assignantur, eveniant. Sic ait *cap. citat. Famem quoque tollerare, stomachum pravis replet humoribus.* Petplura accidentia ab ipso Hippoc. 2. *acutor.* & *lib. de vetere Medicina*, adducuntur dum quis alimento quo eget privatur. Ergo hac ex parte certa regula non est, nec erit, etiamsi quando altera adveniat dies, prior cibus non sit consumptus, cùm non sint minora incommoda quæ ex cibatione ante digestionem prioris adveniant, quàm quæ ex cibationis dilatione, dum ejus est appetitus. Assignant tamen Autores certiorem regulam esse quæ ex consuetudine desumitur; ita ut bis cibet qui bis cibare consuevit, semel, qui semel: at hæc regula, ut diximus, non probat doctrinam servandam à priori, solùm quoad statum ægritudinis videtur conducere. Nos autem cùm quæramus quomodò operandum sit, quidquid sit de consuetudine ex doctrina data, quoties cibus exhibendus est, deducemus manifestè sine errore. Dum verò Avic. & Hippocr. consuetudinem esse attendendam docent, est quia ex ipsa deducitur quanto tempore alimentum primò exhibitum coquatur & distribuatur, manifestè, & consequenter constat quoties occasio repetendi alimentum & quando existat: cum quo non nego etiam consuetudinem ipsam inducere necessitatem cibandi tali tempore, de quo suo loco. Id quod asseto, est ipsam non præbere regulam ut cognoscamus quoties absolutè cibus sit exhibendus, cùm ante consuetudinem conveniat.

Sed dices contra dicta. Ratione finis alimentum exhibetur: sed potest esse æqualis finis in homine calido, sive per ætatem augmenti, sive aliter, ac est in homine non-ità calido: ergo æqualis alimenti quantitas est tribuenda in utroque, ac per consequens non rectè dictum est plus esse tribuendum in ætate augmenti & in hyeme, quàm alio tempore. Major est certa. Minor probatur, quia nó implicat æqualitet utrumque resolvi, sive ratione causarum inevitabilium tantùm, sive ratione aliarum coadjuvantium.

Secundò: Si cibus sit magnæ molis, & pauci nutrimenti, cavitas ventriculi repletur, & non erit alimentum requisitum pro necessitate: ergo ventriculi cavitas non determinat cibi quantitatem. Quod ex adverso confirmatur: nam si quis utatur carne vaccina replente cavitatem ventriculi in statu naturali, & loco ejus caro arietina aut gallinatum exhibeatur minori quantitate, erit sufficiens ad supplementum alimenti debiti: ergo cavitas ventriculi non determinat quantitatem cibi: pro quo etiam facit quod cavitas cibo & potu repletur, & sic poterit repleri pauco cibo & largo potu, & è contra: ergo ex cavitate ventriculi non deducitur quantitas conveniens.

Respondetur ad primum quòd in statu naturali non potest non esse major alimenti necessitas in corpore calido quàm in frigido, & sic ex hac parte plus est exhibendum in illo quàm in isto: cujus ratio est quia calor major ad majorem resolutionem facit, ideò sic de ipsis loquitur Hippocrates, *Pluribus igitur egent fomitibus, alioquin corpus absumitur:* quod est dicere, à tali calore resolvuntur valde, præcipuè cùm humidi sunt, igitur &c. Et quàm ejus necessitas sit æqualis reparationes in utroque ratione alicujus coadjuvantis, plus cibi tribuendum est in calido corpore quàm in frigido, ob fortius coctionis instrumentum. Dictum est ex Galeno 1. *aph. comment.* 17. multum & sæpè esse tribuendum cùm finis petit & facultas valet, parum & sæpè, dum ipsa infirma est, per quam non solùm facultatem esse intelligendam diximus, verùm & ejus instrumentum à quo præcipuè coctio perficitur.

Ad secundum respondetur quod in statu sanitatis non est quantitas excedens, nisi quæ ità replet ut gravet, aut distendat, & sic semper cavitas determinabit quantitatem, quia pro tanta sufficit naturalis facultas: hæc tamen est differentia, quod cùm alimentum multùm nutriens est, magis retardat; cùm parum nutriens, minùs; nunquam verò ultrà conveniens. Dum autem dicimus cavitatem determinare quantitatem, intelligendum est, cibo & potu rectè proportionatis, de quo *infrà*: nam si improportionata sint, non rectè metietur quantitas.

Si dicas ex hac doctrina sequi, nunquam exhiberi alimentum in majori quantitate quàm requiritur in statu naturali, si cum cavitate metiatur, quod videtur falsum; cùm plenitudo ad vasa aut ad vires ex multitudine alimentorum eveniat semper, nullo vitio existente in subjecto.

Respondetur, quòd si omnia debito modo se

habeant, nulla resultabit plenitudo: si verò alimentum exhibeatur aut plus quàm erat pro cavitate exhibendum, aut quando non erat exhibendum, aut quando membra consumentia debiliora sunt, & minùs de alimento quàm antèa commutant, tunc plenitudo datur; ad quod etiam constipatio externa cibare contingit, resolutionem impediens plurium partium & excrementorum.

QVÆSTIO III.

Vtrùm victûs ratio ex simplici aut pluribus alimentis sit eligenda.

APPARET quæstio de subjecto non supponente, cùm nulla cognoscatur cibatio simplex; tum quia in qualiber homines diversis utuntur alimentis, pane scilicet, carne, oleribus & vino; tum quia quamvis unico alimento tantùm uteretur aliquis, talis cibatio simplex non esset: Cùm ex mente Galeni omne mixtum diversas partes diversis facultatibus præditas habeat, ut docet 3. *de simplic. medicam. facult. c.* 3. per hæc verba: *Omnia propemodum medicamenta licèt sensu simplicia appareant, naturâ tamen esse composita, quia & subindè quoque diversissimas in se continere facultates*: Qua ratione etiam ex quolibet alimento generari humores, refert communis Medicorum doctrina. Ergo nulla cibatio exquisitè simplex est: attamen cùm de hoc non possit intelligi quæstio, solùm agimus de compositione artificiali respectu simpliciratis naturalis, id est respectu eorum quæ solùm naturali compositione constant, & simplicem cibationem modo possibili agunt.

Quæstio adhuc dupliciter potest intelligi, aut in uno prandio, aut in diverso; id est, an utiliùs sit unico alimento & simplici uti in uno prandio quàm diversis; an verò utiliùs sit in uno uti alimento in uno, & diverso in altero, an verò semper eodem uti alimento commodiùs sit. Cùm verò compertum existat diversis alimentis ferè semper homines uti in una cibatione, videtur eligendam esse in ipsa alimentorum diversitatem; tum quia consuetudo quæ semper servanda est, ad hoc facit; tum quia consuetudo ex eo quod conveniens est, debet ducere originem. Quâ ratione Hippocr. *lib. de salubri diæta, text.* 2. & 3. adducens alimenta utilia in quocumque tempore, in quolibet diversa enumerat: ergo diversa sunt sumanda. Ideò Gal. *lib. de dissolutione continua, cap.* 1. dum cibus aliquis probus assumptus fuit, alios esse admiscendos consulit, & sic ait. *Et quando est aliquis cibus non conveniens, oportet ne sit simplex, imò admisceant ei alios.* Cum quo cohæret doctrina quâ ipse Gal. 3. *acut. comm.* 22. & Avic. *fen.* 3. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 7. dicunt tenuia alimenta ante crassa esse accipienda. Sic ait Gal. Nam perpetuò priùs ingerenda sunt, quæ & faciliùs corrumpuntur, & subducuntur magis. Avicen. verò sic ait. *Ne aliud quod subtile est, & citò digeritur post forte nutriens, quod sit eo durius, sumatur in cibo.* Sed hæc doctrina supponit usum alimentorum plurimorum in una mensa; ergo eligenda est cibatio ex diversis alimentis.

Idem deducitur ex Hippocr. 2. *aphoris. text.* 50. in quo sic scripsit: *Oportet ad insueta pertransire*. Ergo diversis alimentis esse utendum, saltem diversis temporibus, consulit. Pro quo stat etiam ratio: Nam diversis temporibus constant in nobis: ergo & diversis alimentis debent nutriri, ac per consequens utile erit ad hoc diversis cibari cibis; præcipuè cùm saltem diversorum humorum necessitatem concedant cum Hippocr. *lib. de natura humana*, omnes Medici, ad quod diversa alimenta necessaria sunt. Hanc partem confirmat Avicen. *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 7. docens consueta destruere appetitum. Quâ ratione etiam Gal. 4. *de simplic. medic. facult. cap.* 15. linguam, seu organum gustûs concessum esse docet, ut alimenta convenientia accipiant, sic ait. *Oportebat quidem innasci animantibus organum quod naturæ similitudines ac dissimilitudines discerneret: quod agnoscens rerum naturas, familiaria eligeret, aliena refugeret ejusmodi.* Ergo lingua est organum gustûs: ergo diversa alimenta sunt eligenda ut ei gustus immutet.

Vera tamen sententia est, simpliciorem cibationem eligendam, seu præferendam esse, quacunque aliâ quæ ex diversis alimentis fiat: quod debet intelligi tam in una cibatione quàm in pluribus. Quam sententiam quoad diversas mensas, ostendit Hippocr. 2. *acut. text.* 21. per hæc verba. *Atqui quod vitiosus tum cibus, tum potus semper sibi similis ad sanitatem tutior sit, quàm si quis subitò ad alterum, licèt meliorem magnam mutationem faciat, cognitu est facile.* Quibus verbis manifestè ostendit eodem alimento uti semper utiliùs esse, quàm ad melius subitò permutari; est enim permutare, subitò alimenta mutari. Ergo diversitas ciborum in diversa mensa fugienda est. Ratio quidem est manifesta; mutabitur enim consuetudo, & pro diversis humoribus dabitur materia; cùm quodlibet alimentum etsi ad omnes faciat, pro suo speciali humore conducet, & sic corpus distemperabitur valde. Difficultas tamen major est in eadem mensa, in qua etiam verum existit adhuc in ipsa laudandam esse simpliciorem cibationem. Sic ait Avicen. *fen.* 3. *lib.* 1. *cap.* 7. *Et nihil quidem deterius quàm diversa nutrimenta simul adjungere.* Quod ferè omnes Medici accipiunt, ut videre est *in comment.* Iacobi & Gentilis, & in Vallesio 1. *Method. cap.* 8. & in Vega 2. *Art. medendi, cap.* 12. Quod ex Hippocr. deducitur *lib. de salubri diæta, text.* 22. in quo diversos cibos ventriculum subvertere docuit, & consequenter vomitum excitare; & sic per sanitatem esse diversitatem fugiendam. Quod Galenus explicuit *in comment.* per hæc verba: *Nam cibum semel capere, & cum unicum, item unum bibere, interim ad hoc ut illa retineat & coquat.* Quod etiam repetitur 1. *de aliment. facult. cap.* 1. Ergo simplex cibatio semper eligenda est.

Hoc etiam ratio suadet: nam alimentum debet esse simile: sed si variis & diversis cibis fiat cibatio, non potest reperiri in quolibet similitudo; siquidem eo gradu quo differunt, non possunt convenire, & sic nec similitudinem habere: Ergo eis non est utendum, aliàs alimentum disproportionatum, & proportionatum erit exhibendum.

Secundò & fortiùs, quia alimenta hæc diversa aut sumuntur, & posteà aliud; & e contra: sed utroque modo est inconveniens: ergo non est utendum diversis alimentis. Major est certa

certa : Minut probatur ex Avicenna *cap.7. lib.1. citat.* in quo expressè docet quòd si procedat cibus durus, cùm secundus citiùs coquatur, & non possit distribui, corrumpetur, & corrumpet priorem : si verò cibus facilis coctionis præcedat, cùm viæ post cibi coctionem aperiantur, facit ut secundus cibus ante coctionem distribuatur : sed utrunque est inconveniens : ergo nullatenùs cibatio composita eligenda est.

Hoc argumentum diversimodè explicatur ab Autoribus, & examinabitur magis dum opposita solvemus : pro quo advertendum est simplicem cibationem non dici absolutè, quia unico tantùm cibo fiat ; sed quia fiat alimentum ejusdem qualitatis quoad facilitatem & difficultatem coctionis & distributionis, sicut è contra composita erit cibatio quæ ex alimentis diversarum facultatum componitur. Quod manifestum fecit Hippocrates *lib. de salubri diæta*, in quo docens quæ vomitum cieant, & quæ minimè, inquit *text.20. Omnis generis cibum ingerant qui vomere volunt.* Quod explicans Galenus *in comment.* sic ait. *Inter sese mutuò dissidentes minori negotio vomitum movent, quippe simplicis & unica speciei mox saturant.* Ergo simplex cibatio ob simplicem facultatem datur, non ob singolare alimentum; composita ob compositam : qua ratione ob diversa accidentia quæ ex diversis accidunt cibis, Galenus & Avicen. ciborum multitudinem seu conjunctionem prohibent, ut dictum est. Ex quo patet rectè ex carne & pane fieri cum vino cibationem communem, quia ferè in omnibus conveniunt. Loquor quoad coctionis & descensûs facilitatem : nam quoad qualitates, aliàs dicemus. Quâ ratione voluit noster Vega *cap.12. cit.* panem veluti materiam alimentorum esse, ut de cera & oleo datur medicamentorum materia : sic panis cuicumque alimento miscetur. Quod non ob hanc rationem esse judico, sed quia utilior est usus panis in qualibet cibatione, ut *2. de aliment. facult. cap.1.* docuit expressè Galenus, ob bonam substantiam quam præstat, & ob mediam naturam quam habet, per quam à nullo extremo valdè distat, & sic cuilibet alimento optimè miscetur.

Secundò advertendum est, quod cùm dicimus eligendam esse simplicem cibationem, debet intelligi nullâ existente dispositione violenta, seu præternaturam, ratione cujus unum aut alterum requiratur. Quâ ratione cùm venter lapsus est, ad extergentia debemus procedere ; cùm astrictus, ad laxantia, & sic de cæteris ; variatur enim ratione morbi cibatio. quâ ratione etiam ad appetentiam excitandam diversis condimentis seu alimentis sapore aliquo appetitum moventibus utimur, juxta Philosophum *cap.4. de sensatione.* Sic adhibentur cæteri sapores in victu, ut sint veluti condimenta, propter quod jam hoc ad inceptionem prandii, jam illo condimento ad desitionem utimur communiter, non tamen ideò utiliùs ad esse alimenti, etsi ob alias rationes conveniant.

Ad argumenta igitur respondetur : ac primò ad Hippocratem *lib. de salubri diæta*, non consulere diversæ virtutis & facultatis alimenta convenire, potiùs contrarium ostendit : siquidem cùm hæc aut alia alimenta convenire dicit, omnia ejusdem & determinatæ naturæ esse docet. Sic ait : *Vinum potus esse debet ; cibus purus ; obsonia, assa omnia. Oleribus paucissimis est utendum ; nam hac potissimùm ratione corpus calidum & siccum fuerit* ; agebat de victu hyemis. Constat ergo quomodò etsi diversa concedat alimenta, omnia in unam naturam convenire dicat, ac per consequens simpliciter cibatio est laudanda : quâ ratione dicimus simplicem cibationem esse quæ apud omnes est communiter in usu, nî alicujus accidentis ratione diversitas sit. Propter quod Galenus *lib. de dissolutione continua*, dum bona alimenta tribuit, docet post aliud pravum ad correctionem primi est, non ut alimentum præcisè. Quos casus Galenus & Avicen. respicientes, ordinem servandum in assumptione ciborum volunt.

Ad aliud *2. aphoris. text.50.* respondetur loqui Hippocrat. non de utilitate sequenda ex victu præcisè, sed de illa quæ ratione eorum quæ accidunt, evenit. Evenit quidem pluries non posse uti alimentis optimis & assuetis, ideò ad insueta pertransire docet, ne molestè feratur usus illorum quæ denuò offeruntur : quod non tollit utilius esse servare semper eundem ordinem.

Ad rationem respondetur sufficere diversitatem sumptam ex humoribus, ut quælibet pars habeat conveniens alimentum, & ad hanc diversitatem sufficere naturalem alimentorum compositionem ex partibus elementis correspondentibus. Dum verò Avicen. consueta destruere appetitum dixit, explicatum est evenire, quatenùs consueta minùs invitant ipsum, sed ad petendum conducit immutatio ab alimento, ob quod quæ appetitum excitare habent, sapore constant excedente aliquo, ut dictum habemus.

QVÆSTIO IV.

An crassa, an tenuia alimenta debeant præcedere in prandio.

CIRCA ordinem servandum dum plura & diversa assumuntur alimenta in una mensa, varia sunt placita : siquidem utroque modo inconveniens invenitur ; corrumpitur enim tenue, si crassum & durum præcedat ; distribuitur tamen durum ante coctionem si tenue primò sumatur ; Ergo nunquam simul accipienda sunt. Antecedens ostendit Avicen. *fen.3. lib.1. doctr.2. cap.7.* qui sic ait. *Sollicitus esse debet sanitatis conservator, ne illud quod subtile est, & citò digeritur, post forte nutriens quod sit eo durius, in cibo sumat, quia prius digeris quàm ipsum, & super illum natat, non habens viam quâ penetret ; putrescit ergo & corrumpetur, & corrumpet illud quod ei admiscetur : nec primò comedere debet cibum labilem, ità ut post ipsum, cibum fortem & durum sumat, quoniam cum ipso labetur, cùm ad intestina penetrabit, eo nondum in tempore digesto, quantùm debeat.* Quibus verbis non solùm docet nec crassa ante tenuia alimenta esse sumenda, neque è contrà ; verùm & inconvenientia eorum adducit : nam si crassum præcedat alimentum, cùm prius tenue coquatur, & non possit distribui, supernatare, & putrefieri est necessum : si verò crassum post tenue sumatur, cùm tenue citiùs coquatur, natura ad distributionem movebitur, & cùm viæ aperiantur,

crassum etiam ante coctionem distribuetur. Quod videtur ex Gal. *lib. de dissolutione continua, cap.* 1. desumpsisse, cùm eadem proferatur doctrina.

Hunc modum dicendi non recipiunt plures; imò etsi utilius sit simplicem facere cibationem; dum cōposita fit nullus est servandus ordo, nullúmque inconveniens ex qualibet cibandi ratione recognoscunt. Primò quia alimenta per coctionem, seu dum coquuntur, liquantur: Ergo quomodocunque sumantur, permiscentur inter se. Antecedens est notum ex Philosopho 4. *Meteoror.* & ex communi Medicorum consensu, ergo & consequentia.

Secundò probatur: nam quælibet habet proprium alimentum attrahere; ergo quando alimentum aliquod coctum sit in ventriculo, ità ut cùm habeat quod requirit, ad esse alimenti aliarum partium, attrahetur ab ipsis; & quod hoc non habuerit, non poterit trahi, ac per consequens si crassum coctum non sit, non distribuetur, etsi tenue distribuatur. Antecedens ostendit Gal. 1. *aphoris. comment.* 18. & 6. *Method. cap.* 5. quod consequens ergo certum est: nam alimentum ventriculi nondum hepati objectum est, donec in chylum sit muratum; ergo non trahet anteà, aliàs trahet hepar quod est dissimile pro eius actione. Quod verò non labatur, sed potiùs retineatur crudum à ventriculo, docet etiam Galenus 6. *aphoris. comment.* 1. dicens alimenta tempore detineri in ventriculo, & postea mitti, quod est ea non rejicere ventriculum donec coquantur. Quod clariùs 4. *de usu partium, cap.* 17. adducens usum tenuium intestinorum docuit per hæc verba, quod non antemittatur è ventriculo cibus quàm perfectè sit coctus, hoc non demonstratum est: Ergo nihil interest tenuia ante crassa exhibere alimenta.

Quod verò crassa alimenta ante tenuia non solùm sine inconvenienti sumantur, verùm etiam utiliùs, ostendit in primis Galenus *lib. de dissolut. contin. cap.* 1. per hæc verba. Si aggregat aliquis in comestione una cibos velocis digestionis, & alios duræ & tardæ digestionis, in fundum, proponat cibos, duræ & tardæ digestionis in fundum stomachi, quia fundus est calidior, & superius stomachi est frigidum, & debilis coctionis, ideò quando natat cibus in stomacho, non digeritur. Quibus verbis non solùm placitum ostendit Galenus, verùm etiam rationem reddit, quia utiliùs est alimenta duriora tribui ubi facultas magis valet. Sed magis valet in fundo ventriculi; ergo in illo ponenda sunt crassiora alimenta, tenuiora juxta os eius. Major est certa. Minor constat ex doctrina Gal. qui 9. *de loc. affect. cap.* 6. in quo sæpissimè docet cibos natantes in ventriculo corrumpi, secùs autem qui in fundo eius sunt, quod ob calorem majorem talis partis est: Ergo crassa ante tenuia sunt exhibenda alimenta.

Qui hoc placitum sequuntur non corrumpi tenuia alimenta, etsi ante crassa coquantur, & non distribuantur, probant primò quia nullum constat agens corrumpens ex eo quod coctum sit alimentum & distribuatur; siquidem ex alimento cocto non possunt elevari fuligines calore putrefaciente, aliàs, etiamsi coctum non esset, putrefaceret.

Secundò quia si ventriculus chylo nutriretur, ut voluerunt plures, chylum habebat retinere ad sui nutritionem sine putredinis periculo: ergo etiamsi alimentum detineat, non putrefieret. Tertiò quia nullus potest indicari locus ad conservationem alicujus corporis aptior quàm ille quem ad generationem ejus disposuit natura: sed talis est ventriculus: ergo non poterit in eo corrumpi chylus, quamvis detineatur. Tandem sic arguo. Dum liquida sumuntur, nihil interest ante solida aut post ipsa, quia quomodocunque sumantur, sumantur liquida permiscentur cum solidis, ut patet dum aquam cum pane miscemus: sed chylus liquidus est; ergo penetrabit per alimenta solidà consistentiâ, ac per consequens non corrumpetur chylus ob detentionem supra solida.

Vera tamen sententia est quam ostendit Galenus 3. *acut. com.* 22. dū diversa alimenta sumuntur, tenuia ante crassa assumenda esse ait: Nam perpetuò priùs ingerenda sunt quæ faciliùs corrūpuntur & quæ lubdncuntur magis; posteriùs verò cōtraria, quod in qualibet victûs ratione observandum esse voluit Galen. cùm suprà illa verba Hip. *Mulsa etiam post ptissana sorbitionem est inutilis*, hæc scribat. *Verum uno mulsæ ptisanaque exemplo edoctus, universalem hunc accipe sermonem; nam perpetuò ingerenda sunt priùs*, &c. Ergo de mente Gal. & Hippocr. tenuia ante crassa ingerenda sunt. Quod & ratio probat objecto alicujus facultatis existenti ejus operari impedire, violentum & præternaturam est: sed coctione alimenti facta in ventriculo debet chylus distribui, & excrementa quæ resultarunt vi coctionis expelli: ergo non est impediendum tale opus: sed existenti crasso & duro alimento infra tenue, impeditur chyli distributio & excrementorum expulsio; existenti verò tenue infra crassum, sequitur operari reliquas facultates, objecto earum existente; ergo tenue ante crassum exhibendum est, præternaturam duro existente infra tenue, viæ alimento crasso occluduntur, & sunt impeditæ ad distributionem coctionis; quod non erit si tenue infra crassum sit; ergo tenue ante crassum erit exhibendum.

Præterea quia si crassum ante tenue existat, aut cum tenui coquatur, anteà quàm distribui possit, necessum est putrefieri aut corrumpi ab excrementis vi coctionis elevatis, quæ cùm non distribuatur per occlusionem viarum, & jam partes alterius entis sint: siquidem fuligines & excrementa quæ per coctionem resultant, substantiæ diversæ sunt: atqui in illo casu necessum est quod ipsum chylum alterent & corrumpant. Qua ratione fuligines ex communibus coctionibus elevatæ, si per cutis constipationem detineantur, febrem causant: ergo & ipsæ detentæ corrumpent chylum, & consequenter totum quod in ventriculo est. Quod docuit Gal. *comment. citato*, & Avicen. *cap.* 7. *lib.* 1. *citati*, qui postquam dixit non esse sumendum crassum ante tenue, veluti reddens rationem, sic ait. *Quia priùs digeritur quàm ipsum, & super illud natabit, non habens viam quam penetret, putrefiet & corrumpetur, & corrumpet illud quod ei admiscetur.*

Contra hanc doctrinam Antonius Musa 3. *acut. comment.* 22. objicit. Meatus per quem cibus à ventriculo distribuitur non est in fundo, sed in dextero latere prope medium; ergo etsi coquatur ante, crassa poterunt distribui, etsi ultimò sumantur. Respondetur ordinem naturæ esse

esse talem ut priùs distribuere tentet quæ priùs assumpta sunt; & sic si crassa præcedunt, non poterunt ante ipsa ejici tenuia: præterquàm quod minima quantitate alimenti prioris occludit meatus, ut secundum distribui non possit, etsi coquatur.

Sed dices; licèt verba adducta in Avicenna inveniantur, non ideò docent tenue alimentum ante crassum esse sumendum, sed potiùs ostendunt nec crassum ante tenue, nec hoc ante crassum esse sumendum, cùm utriusque adducat inconveniens diversum: nam sicut docet corrumpi tenue si sumatur post crassum impeditâ distributionis viâ, etiam docet distribui crudum antequam coquatur, si sumatur post tenue, quia apertâ viâ ad distributionem tenuis, crassum ante coctionem labitur & distribuitur; verba posita sunt suprà: Ergo nullo ordine alimenta dissimilia sunt sumenda; sed similia debent esse inter se semper.

Respondetur verum esse Avicennam docuisse quomodolibet alimenta dissimilia sumantur inconveniens esse, quod omnes etiam fatentur: asserimus tamen minus inconveniens sequi si tenuia ante crassa sumantur dum dissimilia sunt, quàm è contrà, cum quo non negamus cibationem simplicem esse laudandam priùs. Quod verò minus inconveniens sequatur si tenuia ante crassa sumantur quàm è contrà, patet: nam si crassa præcedant, est corruptionis periculum, ut dictum est: si verò tenuia præcedant, non est necessum crassa ante coctionem distribui; cùm facultas expellens non habeat pellere ante coctionem, & potiùs retinens usque ad coctionis perfectionem retinere habeat, nec trahens quod crudum est trahat. Propter quod Galenus 4. *de usu partium*, *cap.* 17. cibum non emitti ante perfectam coctionem à ventriculo docuit. Et adhuc quamvis aliquid crudum distribueretur, ex eo quod tenue alimentum ante crassum sumatur, minus malum esset, quàm quod tenue putrefcat, & corrumpat omne aliud, ex eo quod post crassum exhibeatur. Quo manet explanatus Avicen. qui docet utilius esse alimenta similia esse; attamen dum diversa esse debent, tenuia ante crassa sunt sumenda.

Secundus modus dicendi ostendit per liquationem omnia misceri, qui licèt verum teneat dum omnia æqualiter liquantur, quando tenue cum crasso conjungitur, in ita fit; priùs coquitur tenue, & hoc adhuc non liquatur; ita ut ejus partes ut aqua misceantur, siquidem crassiot ejus adest substantia, & sic non valet penetrare ut misceatur cum partibus alimenti crassi, & quod magis est, partes excrementosæ detinentur, quia crassæ sunt, & facilè corrumpuntur, & corrumpunt reliquam ratione fuliginum detentatum & elevatarum vi coctionis & putredinis; fuligines naturales putredinem inducere valere ostendit febris ex constipatione cutis proveniens.

Ea quæ probabant tenuia alimenta sine inconvenienti ante crassa exhiberi, pro nobis faciunt, atqui crassa debere præcedere ostendunt. Respondetur ad Galenum loqui quando non sunt valde diversi cibi inter se; quia tunc parva illa differentia suppletur ex inæquali activitate partium ventriculi; at quando sensibiliter diversa sunt alimenta, crassa sunt proponenda ob rationem dictam.

Ad primam rationem Respondetur ex coctione elevari fuligines quæ ex propria natura in sufficienti quantitate valent putredinem causare, quia calidiores vivente sunt. Ad secundam & tertiam Respondetur, quòd licèt quæ in ipsis continentur, vera sint, non tollit quòd si agens detur corrumpens, putredo resultet & agens corrumpens conjungitur ex occlusione viarum per quas erant distribuenda excrementa simul cum chylo. Ad ultimam dictum est chylum non esse ita tenuem & fluxilem ut aquam, & sic non posse penetrari seu misceri cum alimento crudo & crasso.



SECTIO III.

De Potu.

QVÆSTIO I.

Quid sit Potus, & à quo indicetur.

Vindicatu de cibo sub controversia positum est, etiam de potu venit examinandum, est ferè eadem utriusque ratio: deducetur doctrina conveniens ad statum ægritudinis seclusâ ratione medendi ex his quæ de potu per sanitatem docuerimus, & ex eis quæ de cibo dicta sunt, multa ad naturam potûs explanandam deducemus. Qua ratione cùm Hippocrates & Galenus & Avicenn. nullam adducant potûs expressam definitionem, ex doctrina eorum deducenda est: definiendus igitur potus est per suos effectus. Sic Recentiores jam substantiam fluxilem ad coctionem alimentorum conducentem potum appellant; jam ad distributionem facientem. Rectiùs tamen procedemus si potum dicamus esse substantiam fluxilem, frigidam & & humidam ad sitim auferendam. Quam definitionem ex Philosopho deducimus 2. *de anima*, *cap.* 3. in quo sitim definivit, dicens esse appetitum frigidi & humidi, & frigidum & humidum quod appetitur, est potus ad ablationem sitis: ergo potus est frigidum & humidum ad ablationem sitis faciens: Et cùm humidum dupliciter possit intelligi, & prout fluxile est, & prout humida qualitate afficitur, utroque modò est intelligendum potum frigidum & humidum esse, & sitim frigidi & humidi esse appetitum, quia utroque modo ad fines propter quos fuit institutus conducit, ut dicemus.

Sed dices: Plures alii sunt potûs usus quàm sitim sedare: sed potus definitur per ejus usus: ergo omnes erant adducendi, ac per consequens diminuta erit adducta definitio, cùm non explanetur per eam integra potûs natura. Præterea, quia alimentum etsi tollere habeat famem, definitum fuit à Galeno per finem ultimum ejus; quod est per hoc quod est reparare substantiam: ergo potus etiam erat definiendus per id quod ultimò fuit ordinatus, & non per hoc quod est sedare sitim. Patet: nam posito fine ultimo, omnia quæ ad ipsum faciunt sunt intelligenda: ergo per alios fines erat definiendus potus, & non per hoc quod est sedare sitim.

Respon

Respondetur ad primum, quòd licèt alios habeat potus usus, & propter ipsos exhibeatur, cùm sitis sit affectio, seu dispositio immediatè ejus necessitatem significans, propter quod sitis potûs appetitus datur; hinc est quod manifestetur magis potûs natura per hoc quod est sedare sitim, quàm per alios effectus; includit enim sitis sedatio effectum quendam, pro cujus consecutione potus exhibetur, quo consecuto, sitis aufertur, quod non fit etsi alimentum effectum consequatur, si alius deficiat: quâ ratione aceto exhibito pluries, non aufertur sitis, etsi substantia pro distributione alimentorum tanquam vehiculum existat, & pro elixatione in ventriculo facienda, ut constet potûs naturam stare cum sedatione sitis, quàm aliis.

Ad secundum Respondetur quòd alimentum non explicatur rectè, dicendo esse sedativum famis, quia non datur finis proprius ejus: Explicatur rectè potus per verba data, quia ipsis non solùm datur sitim sedare, sed esse talem substantiam sitim auferentem, & per substantiam talem constar quomodò eam auferat, & adhuc fines alij potûs explicantur.

Dices iterum: sic habet potus reparare substantiam humidam, ut habet alimentum substantiam siccam reparare: ergo sicut hoc deffinitur per talem finem, potus per eundem debet deffiniri. Antecedens ostendit Galenus 1. *de sanit. tuen. cap.* 2. per hæc verba. *Cibo igitur quidquid solida substantia effluxit, restituimus; potione quidquid humidioris: atque ita ad pristinam symmetriam ambo reducimus.* Quod etiam scriptum reperitur *lib. de dissolut. contin. cap.* 1. per hæc verba. *Quia corpora hominum fuerunt in continua resolutione, necessary fuerunt cibi & potus.* Ergo non solùm cibus, verùm etiam potus, sunt in reparationem deperditi. Quo fundamento videtur loqui Mercatus *cap.* 2. *de recta potûs administratione*, cùm non solùm cibum, verùm etiam potum addere scripsit: quod non solùm de vino, & aliis medicatis potionibus est intelligendum, verùm etiam de aqua saltem alimentis permixta.

Hoc argumentum petit ut omnes fines potûs examinemus. Circa quod nullus dubitabit potum ad distributionem alimentorum facere, quatenus sua fluxibilitate fluxilentem magis reddit substantiam ex alimentis resultantibus in ventriculo aut hepate, jam laxitate à solutione aliqua inducta, ratione cujus aptiùs substantia attracta, aut impulsa à facultate fluere & permeare potest vias angustas, ad quod fluxibilitas aquæ facit, & coadjuvat humiditas, nihil tamen interim aquam calidam, aut frigidam esse. Facere etiam potum ad alimentorum in ventriculo elixationem docet experientia manifestè; est enim ventriculi circa alimenta elixatio, coctioni similis, ut 4. *Meteor. capite tertio* docuit Philosophus, per hæc verba: *Cùm Ars imitetur naturam, nam cibi in corpore coctio elixationi similis est: etenim à corporis calore in humido & calido fit*: ergo humidum prout fluxile aquæ ad elixationem facit, & consequenter potus: quod intelligendum est in ventriculo tantùm; nam cùm aliis partibus fluxile jam sit quod alteratur, non indiget humido in quo alteretur, aut quia humidum humido non indiget si totum elixatur: aut quod verius est, quia liquidum seu fluxile tale est propter plurimum seri quod includit, ratione cujus sufficiens humidum est in quo id quod transmutabile verè & propriè elixetur; dictum enim *quæst. de elixatione*, liquida impropriè elixari, ad quod etiam fluxibilitas & humiditas aquea potûs requiritur, quidquid de calore aut frigore sit, etsi calor ad utrumque conducibilior existat, facit quidem ad laxitatem & fluxibilitatem magis, sicut etiam & ad coctionem conducit. Quos duos usus in potu communis Medicorum consensus concessit, ut docuit Valles. 1. *Meth. cap.* 10. & Mercatus *c.* 2. *cit.*

Propter hos duos usus conducere ad exsuccationem alimenti voluit Mercatus, quatenus humiditate & calore potûs, succus alimentorum meliùs extrahitur, ut succus olivæ aquâ calidâ, & conducere ad alimentorum permixtionem inter se, quatenus ad coctionem faciendam in ventriculo liquatio debet præcedere, ad quam humiditas & fluxibilitas potûs facit: at cùm hoc conducere ad elixationem sit, hi duo usus à secundo posito non differunt.

Difficultas major est, an ad reparationem alicujus substantiæ resolutæ potus conducat, ut videtur significari à Galeno, & pro ejus doctrina difficultatis ratio stat: quando duplex sitis naturalis invenitur, alia quæ præcisè à calore & siccitate causatur per consumptionem alicujus substantiæ humidæ, ratione cujus sitis excitatur; secùs appetitus potûs existit, nullo adhoc existente alimento, quæ sitis humido exhibito aufertur. Alia verò est quæ causatur per assumptionem ciborum solùm, ità ut potus interponendus sit, ut deinceps possit alimentorum esse ingestio. Utramque sitis differentiam docet experientia, & utriusque meminit Hippocr. *lib. de salubri diæta, tex.* 31. per hæc verba. *Quot sitis infestat, cibos y & labores minuant.* Quibus verbis sitim excitati docet & per cibos, & per humidi resolutionem, ad quam labores faciunt, aliàs non rectè prohiberet cibos & labores, siti existente; tunc sic: sitis naturalis causatur per resolutionem alicujus substantiæ humidæ: Ergo potus talem substantiam reparare habet. Patet: nam illum defectum potus non suppleret, ipso non cessaret sitis, quia necessitate existente humidi propter quam est sitis, debebat sitis permanere, sed sic quod cessat sitis potu exhibito: ergo supplet & restaurat humidum propter cujus deffectum sitis erat.

Confirmatur hoc placitum, quia sitis præter naturam quâ laborantes, extenuati & exsiccati apparent, potu exhibito aufertur: Ergo per potum reparatur quod deficit. Quo fundamento calorem minuere appetitum cibi, augmentum potûs, docuit Avicen. *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 18. quia ad exsiccationem per consumptionem substantiæ humidæ calor facit, ac per consequens potus ad ejus restaurationem, tandem: Nam sitis ex communi Medicorum sententia, supponit ventriculi corrugationem, ut voluit Galenus 1. *de causis symptomatum, cap.* 7. sed si non consumatur aliqua substantia, non potest corrugari ventriculus: Ergo sitis conjunctionem humidæ substantiæ dicit quæ per potum restauratur.

Nihilominùs certissimum judico, nullatenùs verum potum reparare substantiam, sed tantùm sitim cohibere per humectationem & fluxibilitatem & frigiditatem quam habet, ratione cujus & ad coctionem & ad distributionem alimenti

conducit

conducit, & possit potus rationem alimenti habere, quatenùs substantia sit fluxilis frigida & humida, quæ ad auferendam sitim valeat, & similiter reparare resolumm à causis naturalibus, tale est lac: & sic potus rigorosè definiendus erat, substantia fluxilis frigida & humida sitim auferens, & nullatenùs nutriens. Hoc probatur primò, quia verus potus ex communi sententia, est aqua, ut docuit Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. & recipitur ab Avicen. *fen.* 3. *lib.* 1. *doctr.* 3. *cap.* 8. & cum eo Valles. *tam in comment.* quam 1. *Method.* & Mercatus: sed aqua non nutrit, ut ipse Galenus docuit 4. *de simplic. medic. facult. cap.* 14. ex Philosopho *lib. de sensu & sensili, cap.* 4. ergo potus non habet reparationem substantiæ.

Præterea quia ipse Galenus alimentum definivit 1. *de aliment. facultatib.* dicens esse quod habet reparare nostram substantiam: sed si potus hoc haberet, non sufficienter definiretur alimentum: ergo potus non habet reparare substantiam. Quâ ratione Galen. 4. *Aphorism. comment.* 13. sic ait. *Aqua quidem neque epota, neque extrinsecùs occursans, apta est solidas partes humectare.* Quod per conversionem insubstatiam intelligunt Interpretes: siquidem cum eodem fundamento 3. *acut. com.* 43. sic ait de aqua ipse Gal. *neque siccitatem humectat*, & veluti reddens rationem subdit. *Quod autem non alat dictum est; quod sit ut neque facultatem vitalem roborare possit:* ergo non habet substantiam restaurare. Cùm verò restaurari posse humidum resolutum scripsit, intelligendum est quod requisitum ut humidæ partes comparentur, non tamen potum converti facit; nam cibus ex se ad solidas & siccas partes, ratione potûs ad humidas; et si etiam possit intelligi quatenùs humidum requisitum ad coctionem & distributionem alimentorum deficit, & ipsum restauratur per assumptionem aquæ præcisè, nullâ existente conversione; aut quatenùs per potionem non verum potum intellexit: ideò Hippocrates 2. *aphoris. text.* 11. sic scripsit, *Facilius est repleri potu, quàm cibo*; ubi per potum, potionem nutrientem intellexit Galenus *in commentar.*

Ratio tamen pro contraria posita solùm probat sitim causari calore ad resolutionem partium faciente, quod est verum, non tamen præcisè ratione defectûs partium, sed quia calor partes resolvens, humidum ab alimentis requisitum resolutum supponit, & sic potus sitim tollit, non quia partes levat, sed quia substantiam requisitam præbet. Quomodò verò hoc fiat, petit examinare principalem finem potûs. Diximus potum esse substantiam frigidam & humidam &c. ex eo quod sitis appetitus frigidi & humidi sit, ex Philosopho. Constat, namque fluxibilitatem & humiditatem ad coctionem & distributionem alimentorum facere, & hoc modo etiam ad exsuccationem & liquationem. Restat verò quomodò potus frigida & humida requirat, & propter quem finem; tum quia fines positi potiùs calorem desiderant, quàm frigus: siquidem calore magis quàm frigore coctio & distributio, liquatio & exsuccatio fit: tum quia frigus, etsi propter alium finem, requiratur. Quo constare videtur esse probibendum, cùm plures fines inveniantur calorem exposcentes.

Contra hanc difficultatem Mercatus *loco citato*, quem sequitur noster Petrus Garcia *disput.* 51. *de locis affect. capite* 5. frigidum esse potum ostendit, ut resolutio humidi à calore impediatur; conservatur quidem vivens diutiùs, quando humidum diutiùs permanet, resolvitur tamen humidum à calore, ut 1. *de sanit. tuend. cap.* 5. & *lib. de marcore*; *cap.* 4. docet Galenus, sive nativo, sive violento: ergo calore temperato humidi resolutio impeditur, ac per consequens frigidus debet esse potus ad attemperationem caloris pro resolutione facientis. Ob quod Avicenn. *fen.* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 16. sanis aquam frigidam utiliorem esse cæteris scripsit. Cùm verò ex alia parte humidi resolutio siccam passionem dicat, saltem eo modo ac vivens per ætates, citiùs coctio fit; hincque est quòd sitis appetitus frigidi & humidi sit; & quod propter rehumectationem & refrigerationem potus frigidus & humidus requiratur; est enim principalior finis; quia magis ad vitæ conservationem facit, etsi alij contrarij putant: quâ ratione calore quomodolibet aucto, sitis excitatur, tanquam signum à natura concessum ut auxilium pro calida & sicca passione præbeamus, naturale pro naturali, idest pro illa quæ à causis naturalibus evenit, excessivum pro violenta; sic cibo ingesto sitis est, & quia à calore ejus necessitas & appetitus potûs excitatur, & quia ex alijs finibus deficit humidum propter quem etiam est potûs appetitus; requirit enim cibus ingestus humidum ob fines dictos, ni forsan multum in ventriculo præcedat, quo tempore sufficiet abluere os, ut ea quæ partibus ejus & gulæ adhærent & exsiccant, auferantur.

Contra dicta multa objici possunt. Primò quia sitis petit ventriculi corrugationem, saltem antecedenter: Sed frigus corrugationem facit, nec aliter appetitum excitare & ventriculum roborare docuit Avicen. *cap.* 16. *citat.* & cum eo Mercatus: ergo sitis non est appetitus frigidi.

Secundò, fames est appetitus excitatus à sensatione alicujus, supposità ventriculi corrugatione, sive sit quod sentitur qualitas aliqua specialis, ut noster Petrus Garcia voluit *disput.* 51. *citato* sive suctus factus à partibus, ut alij voluerunt: Sed eadem corrugatio invenitur in siti: ergo eadem debet esse sensatio, ac per consequens sitis & fames debet esse appetitus ejusdem. Minor probatur: nam corrugatio fit ex defectu substantiæ quæ debebat esse in ventriculo, sive sit alimentum, sive cibus, sive potus, ratione cujus partes inter se constringuntur: Ergo eadem corrugatio. Neque interim dicas corrugationem esse in fame defectu alimenti: in siti, defectu humidi potabilis, & sic esse diversam. Nam contra est, quia constrictio fit per defectum dilatatum substantiarum, quatenùs partes uniuntur inter se: ergo eadem erit corrugatio, & eadem dispositio ad eandem sensationem. Quod confirmatur: dum corrugatio fit defectu alicujus partis; siquidem in siti & fame potest reperiri: ergo in tali casu sitis per alimentum auferetur, cùm alimentum reparando substantiam deficientem, causam corrugationis auferat, præcipuè cùm per distensionem ab alimento factam corrugatio tollatur.

Tertiò. Nam si sitis appetitus frigidi & humidi est, per alimentum frigidum & humidum posset tolli; si verò fluxilem esse substantiam requirat, etiam chylus ex alimento factus liquidus est; quod confirmat sitis quæ somno tollitur, ut docoit Hippocrates *6. de morbis popularib. part. 4. text. 22.* sed non aliter somnus sitim aufert, nisi quia ad coctionem facit alimentorum, quæ post ipsam humectantur, aut quia sanguis ad intra retractus madefacere habet: Ergo alimento poterit tolli sitis. Neque obstat chyli calor, cùm etiam vino sitis auferatur adhuc in calidis naturis, ut docuit Hippocrates *lib. de salubri diata.*

Quartò. Quia assumpto cibo advenit sitis, propter quod Hippocrates *6. de morbis vulgarib. part. 6. text. 4.* dum ordinem servandum quoad usum rerum non naturalium adducit, post cibum potum commendat. Sic ait. *Labor, cibus, potus, somnus, venus, &c.* Sed præcisè ex assumptione cibi non ponitur aliquid quod appetitum moveat ad potum: ergo non est appetitus animalis ob calorem aut siccitatem frigidum & humidum petens.

Tandem quia ex Galen. aliqua reperitur sitis quæ aceto tollitur: sed acetum siccum est; ergo non est appetitus humidi. Antecedens patet 1. *de simplic. medicam. facultatib. cap. 22.* Sic ait Galenus. *At si quando in unum coeant humiditas atque caliditas, ejusce quidem sitis optima medela acetum est:* Ergo etiam esse sitim solùm humido indigentem ex *eodem loco* constat, cùm asserat Galen. sitim à duplici causa fieri, sic ait. *Quippe cùm & sitis ipsa duplici ratione provenire soleat, partim humoris inopiâ, partim caloris copiâ:* ergo non semper appetitus frigidi & humidi est sitis.

Nibilominùs vera sententia est, potum frigidum & humidum & fluxilem debere esse, tum ob coctionem, tum ob distributionem alimentorum, principaliter ad humectationem, & impediendam partium resolutionem à calore provenientem, ut dictum est: Ideò Avicenna *fen. 2. lib. 1. tractat. 2. capite 16.* postquam utiliorem judicat aquam frigidam pro potu, plura incommoda ex aqua calida enumerat, seclusâ ratione medicinali, juxta quam nequit dubitari potum jam calidum, jam frigidum, jam humidum, jam siccum, saltem partim convenire ratione affectûs, & sic modo dicto potum esse definiendum, ut etiam fines propter quos fuit institutus ex deffinitione conveniant.

Ex dictis patet potum etiam à facultate indicari, ut indicat alimentum, quatenùs pro conservatione rerum naturalium est, sive quatenùs resolutionem causarum inevitabilium impedit, quod est omnimodam rationem potûs habere, etsi ut medicamentum à morbo indicetur, prout ad rehumectationem & refrigerationem violentam facit, & consequenter prout impedit resolutionem violentam, ut de alimento diximus, & sic æqualiter de cibo & potu est loquendum, tam quoad indicationem ejus præcisè, quàm quoad modum utendi ipsius. Ideò *2. acut. text. 36.* Hippocrates, dum conjicere oportere docet, & robur, & morbi modum, inquit hoc esse faciendum non solùm in cibis, verùm etiam in potionibus: non tamen potum ità indicari à viribus est dicendum ut alimentum, ratione cujus dicamus facultatem fortem, aut debilem, multùm aut parum potûs petere, non est ità, solum hoc verum habet prout ad rationem alendi potus facit; & ratio est nota, quia cùm facultas reparetur præparationes seu restauratione rerum naturalium, & ad hoc alimentum faciat, non potus, ideò alimentum propriè à facultate indicatur, potus verò prout ad reparationem faciendam ab alimento conducit: ex se verò magis ab alijs finibus proprijs ejus indicatur quàm à facultate, ut de remedijs diximus, quæ licèt pro esse virium faciant, quia ad consecutionem rerum naturalium faciunt, cùm magis indicabitur ab illis quæ præter naturam sunt, constet quam rebus naturalibus, ideò non à facultate indicari diximus; sic potus, etsi pro facultate faciat, cùm ab ipsa non determinetur quantitas & qualitas, sed à finibus ejus, ideò ex finibus, qualis & quantus debeat esse potus, deducendum est & ab ipsis indicari est dicendum, non à facultate.

Deducitur etiam ex dictis, potum indicari à necessitate substantiæ fluxilis, frigidæ & humidæ, magis aut minùs, prout hujus aut illius fuerit major necessitas, virtute permittente. Dixi à necessitate substantiæ fluxilis frigidæ & humidæ, prout talis substantia desiderat, ob ejus speciales fines; fluxilis propter distributionem & coctionem; humida propter humectationem; frigida propter attemperationem, virtute permittente; quia cùm à quolibet alterante patiatur facultas; ejus robur est attendendum, aliàs non diceret Hippocr. circa potûs administrationem, & robur & morbi speciem esse considetanda; ac si diceret attendendum esse petens & prohibens, cùm ex utroque determinatio desumpta sit à necessitate talis substantiæ tanquam à petente, & à facultate tanquam à permittente, aut è contrà a facultate tanquam dum ab ipsa requiritur propter reparationem faciendam ex alimento; à morbo tanquam à prohibente. Quâ ratione & dum plura comeduntur, & dum major calor est, aut exercitium præcessit, major potûs est necessitas; minor verò cùm omnia contrario modo se habent, & cùm ad ostendendas tales necessitates sitis sit per hoc quod est sedare sitim, potus deffinitur, & per ipsam potiùs determinari debet quando & quantus potus debeat esse in statu naturali; in præternaturali verò plura possunt hanc regulam immutare, quæ inveniuntur in *lib. de dissolut. contin. cap. 1.* in quo postquàm Galenus dixit continuè vivens resolvi, & restauratione indigere, sic scriptum est: *Ideò necessarij fuerunt cibi & potus, & facit infusa in ipsis corporibus virtus appetitus ad cognoscendam horam necessitatis eorum, & quantitatem assumendam,* & *speciem convenientem.* Quibus verbis manifestum est, cùm sitis appetitus potûs sit, per ipsam in statu naturali horam, quantitatem & qualitatem potûs significari, & dignosci. Dixi in statu naturali; nam in præternaturali ratione alicujus contraindicantis potest potûs occasio perturbari, etsi finis petat, ut de hora alimenti dictum est.

Ad argumenta Respondetur ad primum quod licèt sitis ad corrugationem auferendam per potum utilis dicatur, & frigus ejus, quia non ità valet illam tollere, ut relaxationem ventriculi trahat, quod communiter accidit: præterquam

præterquam quod facit ad auferendum calorem ex fuliginibus & vaporibus alimentorum per coctionem elevatis, nî tale ſit frigidum, ut omninò calorem vincat, & ità utilis eſt potus frigidus, ot corrugationem tollat ſine laxitatis timore, propter quod frigus ventriculum corrugari dicimus.

Ad ſecundum Reſpondetur corrugationem ſitis non eſſe eandem ac eſt famis: corrugatio hæc ex deffectu ſolidæ, ſeo alimentoſæ ſubſtantiæ eſt, illa potabilis, & ſic nec eiſdem auferuntur; nam cùm corrugatio quælibet ſpecialem ſequatur deffectum, dum id quod deficit non reparatur, finis propter quem eſt appetitus non ceſſat; & ſic neque appetitus ipſe, & partes reſolutæ viventis reſtaurantur. Non ſequitur fames aut ſitis deffectum partium, ſed deffectum ſubſtantiarum exiſtentium in cavitate ventriculi propter proprios fines, & ſic ſolùm per ipſatum reſtaurationem ceſſant.

Ad tertium Reſpondetur non poſſe negari plures fines potûs per alimentum ſuppleri, non tamen omnes, neque æquè bene, & ſic potus eſt neceſſarius, ſuppletur quidem plures attemperatio & humectatio non æqualiter bene, cùm citiùs & intimè magis refrigerare valeat potus per ejus majorem applicationem ad partes: propter quod Hippocrat. faciliùs eſſe repleri potu quàm cibo, docuit 2. *aphoriſm. text.* 11. non tamen ſuppletur per alimentum omne quod à potu fit; ſiquidem nullum eſt quod pro omnibus finibus valeat; dum verò vinum pro ſiti facit, aut ſomnus, aut alia, non tamen ob omnem rationem utilia ſunt, ſed tantùm ob ſpecialem rationem medicinalem, aut ratione conſuetudinis; ex ſe tamen utilior aqua, vinum quidem prout fluxile ad diſtributionem & coctionem conducit, & frigore actuali calorem corrigit, & ex ſe calidum ſit, ob quod non eſt verus potus, quia non ex ſe ad omnes fines facit, ſed per partem: ſomnus verò quatenùs ad coctionem & ad reſolutionem vaporum & excrementorum ſitim cauſantium conducit, non ut potus; quod habet locum, cùm vera ſitis non eſt, ſed tantùm à vaporibus calidis cauſatur: cùm verò ob veram neceſſitatem dictæ ſubſtantiæ ſitis eſt; verà datur, & hæc non niſi potu tollitur. Quâ ratione acetum aliquam ſpecialem ſitim corrigit à calore cum humiditate provenientem, valet enim calor aut ſiccitas ſitim cauſare; ſed potus in tali caſu frigidum aut humidum eſſe debet; ſitis verò naturalis frigidi & humidi eſt appetitus; per accidens námque diſpoſitio contraria in aliquo reperitur, ratione cujus non eſt tunc ſitis, quod non tollit id quod appetendum conducit.

Ad quartum Reſpondetur quod aſſumpto cibo eſt finis potûs, neceſſitas ſcilicet humidi ad elixationem requiſiti, & ſic ſitis datur quæ frigidi & humidi ſit appetitus. Neque obſtat quod objicit noſter Petrus Garcia, ſitim eſſe appetitum animalem requirentem ſenſationem alicujus quod non conſuevit præcisè per aſſumptionem cibi; aliàs etſi humidum in ventriculo inveniretur, alimento aſſumpto deberet eſſe ſitis, quod eſt contra experientiam. Hoc non obſtat: nam ſive in ſiti ſentiatur qualitas, æquè pullulat, exiſtente deffectu ſubſtantiæ humidæ, ut ipſe voluit, ſive ſentiatur ſuctus quando humidum deffieit alimento exhibito, & deffectus ſubſtantiæ humidæ requiſitæ pro elixatione illius, & ſic pullulat qualitas, cùm humidum non ſit ſufficiens, ſuctus à partibus ſentitur; & talis eſt: nam ſi aliquid ante aſſumptionem erat humidi jam aſſumpto cibo imbibitum, & non valet ut trahat à partibus ſugentibus, & conſequenter cùm deffíciat humidum, ſitis datur, niſi adhuc ſuperabundet, ideò dum pluſquàm conſuetum eſt, comedimus, plus quàm conſuetum eſt, expedit bibere, aliàs ſitis dabitur potu conſueto aſſumpto.

QVÆSTIO II.

Quantus, quando, & qualis debeat eſſe potus ſanorum.

EX his quæ dicta ſunt, omnia conſtant quæſita: nam ſi potus eſt in attemperationem caloris à fuliginibus & vaporibus alimentorum cauſati, & propter humectationem & elixationem alimentorum, & diſtributionem; manifeſtum eſt tantam potûs quantitatem convenire, quanta ſufficiat pro finibus potum petentibus: ſic in corporibus calidis & ſiccis plus eſt bibendum, quàm in frigidis & humidis, licèt talia ſint præternaturam, licèt alio modo, nequit dubitari, ut *lib. de ſalubri diata* docuit Hippocrat. & *in comment.* Gal. ſicut etiam prout major fuerit alimenti quantitas præcipuè ſolidi, quia ad elixationem & diſtributionem potûs eſt neceſſitas, totum quod de ſiti debet conſtare, ut *lib. de diſſolut. continua* docuit Galen. per hæc verba. *Et fuit conceſſa in corporibus virtus appetitûs, ad cognoſcendam horam neceſſitatis eorum, & quantitatem aſſumendam, & ſpeciem convenientem*, ut conſtet noſtram formationem tali diſpoſitione eſſe, ut ex appetitu ipſo alimentum & potum convenientem, quantitatem & horam deducamus, quod quoad bonitatem alimenti ſcripſimus ex Gal. *Tract. de aliment. facultatib.* & quoad alia *quæſtionibus præcedentibus*, & oſtenditur ex doctrina nunc adducta; quod non tollit poſſe ratione alicujus contraindicantis prohibere potum, etſi ſitis adſit, ut quando morbus eſt, cujus cauſa potum prohibet; ne incrudetur, vel quando fluxio, vel laxatio timetur, vel quando calor imbecillis à potu labefactari poteſt, vel quando vera ſitis non eſt, quæ ſolùm per ſomnum, vel moram, ut vapores reſolvantur, ceſſat; ot accidit quando alimenta coquuntur, præcipuè in non rectè temperatis agnoſcitur, timendo quando potum præceſſit ſitis ſufficiens extra quantitatem alimentorum, & juxta ſubjecti calorem. Totum quod docuit Avic. *fen.* 3. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 7. & 8. in quo poſtquàm dixit non eſſe bibendum quando ſitis eſt mendax, ut cognoſcatur, ſic ait. *Cùm natura in digerendo ſtudet, ſatietate aquæ ſufficienter præcedente vehementer eſt impediens.*

Circa tempus, vel occaſionem bibendi, etiam ſi ſitis dignoſcatur cum exceptionibus dictis, advertendum eſt ità eſſe philoſophandum de potu

ac cibo per morbos, quatenùs potus simul cum cibo debitam victûs rationem complet (seclusâ ratione medicinali, de qua dictum est 7. *Meth.*) tempus & modum, & etiam pro salute; est tamen occasio per morbos, ut docuit Gal. 11. *Meth. c. ult.* tempus medium inter unam & alteram accessionem, ità ut principium subsequentis caveamus, & statum præcedentus, doctrina *suprà* est adducta: per salutem verò erit occasio quando minori incommodo fini proptet quem exhiberi potest, satisfacit; & sic cùm potus sit propter elixationem alimentorum, & ipsorum distributionem, & attemperationem caloris, & siccitatis resultantis tam à vapotibus alimentorum, quàm à causis inevitabilibus, pro quibus omnibus datur sitis, in ipsa alimentorum assumptione optima bibendi occasio datur, quod c.7. *suprà* docet Avicen. per hæc verba. *Si bibatur aqua potus post cibum, non in hora comestionis, sed parum bibendo & parum comedendo, est conferens cibo non nocens.* Cujus ratio est, tum quia simul & tribuitur, alimentum & potus quibus indiget natura; tum quia coctio quæ à colore fit, non impeditur per potùs assumptionem, impeditur tamen si postea sumeretur; tum quia ventriculus potu non labefactatur, nec laxatur: siquidem cibo permixtus non ipsum immediatè tangit; humectaret verò & laxaret si ante cibum sumeretur, & consequenter patitis vicibus potus proportionatur magis, & permiscetur cibo, appetitus etiam magis excitatur, & majori voluptate alimenta sumuntur, ablatis per participationem potûs partibus aliquibus alimentorum in organo gustûs existentibus, & applicationem reliquorum alimentorum gustum excitantium impedientibus.

Vltra occasionem bibendi in ipsa alimentorum assumptione, est etiam pluries specialis occasio interdiù, & in primis, seclusâ ratione medicinali, jejuno ventre & vacuo non est bibendum; sequeretur enim ipsius ventris laxatio, & debilitatio magna, aquâ immediatè infrigidante & humectante: quod etiam timendum est, si post exercitium aut balneum bibamus (loquor de vero potu, aquâ scilicet) nam si vinum, vel liquor alterius qualitatis fuerit, etiam alteratio erit timenda, qualis fuerit liquor; est enim corpus post balneum aut exercitium, & ventre vacuo, ad patiendum valde dispositum. Ideo Avic. *cap.*8. sic ait. *Scias quod aquam bibere quando aliquis est jejunus, & post exercitium; & balneum, & ventre vacuo, & cùm natura in digerendo lludet, satietate aquæ sufficienter præcedente, vehementer est impediens:* quod non tollit aliquid potûs medicinalis convenire posse in dictis casibus.

Ante prandium vel cœnam potum utilem esse dubitari nequit, præcipuè si calor aliquis non attemperatus remaneat, aut aliquid alimenti coctì distributione egeat: nam in tali casu non est timenda alimenti incrudatio, vel coctionis impeditio; propter quod sic ait Avicen. *Nec post cibum multa bibenda est aqua, sed expectandum est, & non est bibendum donec descendat de stomacho.* Quo fundamento communis consuetudo est vespere quartâ vel quintâ horâ post cibum potum assumere; quod non est præter rationem, dum calor aliquis, vel non indistinctè accipienda sunt illa verba Avicenoæ, *Aquam bibere post exercitium impediens est:* nam si quis post ipsum sitì torqueatur ratione caloris per motum acquisiti, potus convenit ad ipsius attemperationem, dummodò valde frigidus non sit, ne partes quæ rarefactæ sunt, alterentur valdè, præcipuè si quis immediatè conveniat; exponitur enim corpus refrigerio vehementi. Ob quod non esse bibendum docuit Avicen. At si valde frigida aqua non detur, vel si post potum ad exercitium (etsi non ità vehemens) reddat potator, non erit inconveniens, cùm calor ille attemperationem exposcat, & exercitio sequenti refrigeratio ab aqua facienda impediatur, ne ad esse præter naturam transeat.

Dices: nihil magis ad alimenti corruptionem facit, quàm si in fundum ventriculi non perveniat: sed si potus exhibeatur simul cum alimento, necessium est ipsum supernatare, & ad fundum non applicari, ergo non est bibendum simul cum alimento. Major est Galeni 5. *de locis, cap.*6. Minor probatur. Potu exhibito necessum est alimentum non ità applicari partibus ventriculi, ac si sine potu esset; propter quod Avic. c.7. *suprà* post cibum non esse bibendum aquam multam docet, sic ait. *Nec post cibum multa aqua est bibenda qua per corpus stomachi separationem faciat, & ipsum faciat natare, sed expectandum est donec de stomacho descendat.* Constat ergo potum non esse exhibendum simul cum alimento.

Respondetur quod licèt non possit negari fortiùs agere ventriculum in alimentum, non alteraretur modo convenienti si potus abesset: Nam ut ex 4. *Meteor.* constat, ventriculi coctio elixatio est, & hæc in humido fit à calore, ac per consequens sine potu esse non potest: cùm verò Avicen. prohibet potum post assumptionem alimenti, non quemlibet prohibet, sed qui alimentum natare faciat, potius immediatè post coctionem bibere consuluit, modo à nobis dicto, in quantitate quæ pro alimento sufficiat.

Circa potûs qualitates minùs dubitandum est: dixit enim Philosophus sitim humidi & frigidi esse appetitum, ut cognoscamus potum fluxilem, humidum, & frigidum debere esse, nî ob aliquam specialem dispositionem alia requirantur: ad minùs tamen omnis potus liquidus & humidus, seu fluxilis est; quâ ratione in humido fieri elixationem docuit Philosophus; ea ut etiam pro distributione facit, frigus verò & humiditas pro siti naturali sunt, quæ hoc aut illud petit ob id quo conjungitur. Ratione cujus Avicen. *fen.* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 16. aquam potum proprium appellat, ipsamque frigidam utiliorem judicat cæteris omnibus, sic ait. *Aqua propterea utilior est sanis aquis omnibus.* Cujus rationem *suprà* tetigimus; sit enim sitis à calore resolvente, sive naturaliter, sive præter naturam, sic calor auget appetitum potûs ex Avicen. *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 18. ergo frigidus debet esse potus. Quod *lib. de salubr. diaeta, text.* 31. præcipit Hippocr. sic. *At quos sitis occupat, iis cibi & labores subtrahendi, & vinum tum aquosum, tum quàm maximè frigidum propinandum.* Quod licèt possit intelligi de corporibus calidis, quia temperatis frigus excedens non convenit, ut voluit *in comment.* Galen. nihilominùs absolutè loquitur Hippocrat. & ad minus debere esse frigidum suadet ratio posita.

Probatur prætereà: nam tepidus aut calidus nullatenùs utilis est; ergo debet esse frigidus. Antecedens probatur experientiâ, & ex Avicenna: Experientiâ quidem; nam nec

nec sitis aufertur, nec plures utilitates potûs sequuntur: Inquit enim Avic. *cap.* 16. *citat.* hæc verba. *Aqua frigida appetitum excitat, & stomachum fortem facit; aqua verò calida digestionem corrumpit, & facit natare cibum, nec illicò extinguit sitim, & consumit corpus: cùm autem fuerit tepida, facit nauseam, &c.* Quibus verbis constat incommoda quæ ex aqua calida aut tepida nascuntur. Ergo potus debet esse frigidus.

Sed dices. Ius quotidie sumitur calidum aut tepidum, & dicta incommoda non causat: ergo nec potus ea causare valebit. Respondetur jus non causare dicta incommoda, quia cùm alimentum sit, ventriculus ad ejus retentionem movetur, seu contrahitur, quod non invenitur quando aqua exhibetur. Ad quod accedit, quod pro finibus potûs dum ipsi sunt, aqua exhibetur; nam non valeret ad ipsos jus, præcipuè ad sitim auferendam; imò potiùs si solo jure calido uteretur quis, malè se haberet, & quoad ventriculum, & quoad totum. Hinc excitatur difficilis dubitatio, quomodò si alimentum calidum debet esse ut à ventriculo appetatur & coquatur, potus cùm cibus sumendus, debet esse frigidus; siquidem videtur impedire unum dispositionem requisitam ab altero. Quam dubitationem solutam dedi *Tract. de aliment. facult. quæst. de præparatione alimentorum,* & sic non repeto.

QUÆSTIO III.

De Aqua.

INTER ea quæ pro potu habentur, verus potus est aqua, ut inquit Valles. 1. *Meth. cap.* 10. meritò quidem, quia sola ipsa completè & adæquatè pro finibus potûs est; frigida quidem est & humida, & fluxilis, ut faciat pro siti, quæ frigidi & humidi est appetitus; & consequenter pro elixatione & distributione alimentorum facit, & pro attemperatione caloris, fuliginum, & etiam pro siccitate ex deffectu seu resolutione humidi proveniente: ideò Hippocr. 3. *acut. text.* 41. in morbis solam aquam in potu dari docet, nullúmque alium usum præstare, sic ait. *Aqua in morbis acutis potui datur, nec aliud ab ea præsidium petendum censeo.* Quod cùm non possit intelligi quatenùs medicamentum; siquidem hoc non poterat negari, solùm rationem potûs habere est credendum, nullatenùs verò rationem alimenti: loquebatur autem Hippocrates respectu Oxymelitis, aquæ mulsæ, vini & ptissanæ, quæ rationem alimenti & potûs simul habent; etsi quoad alias utilitates videatur loqui Hippocr. Galenus verò *lib. de ren. affect. &* 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. omnibus communem aquam dicit, quod quatenùs intelligatur, sic ait, *cap.* 4. *Aqua nil mirum communissima hominibus omnibus sit, tum sanis, tum ægrotis, & ad vitam maximè necessaria.* Sic Avic. *fen.* 2. *doctr.* 2. *lib.* 1. *cap.* 16 aquam solam inter omnia elementa ad victûs rationem facere scripsit, ut constet etiam usum positum esse quatenùs sitim sedare valet, nõ nutriẽs.

Plura de aqua quæri possunt: Primò circa ejus naturam & qualitates. Secundò circa ea quæ facere habet, ut inde quibus utilis aut nociva sit dedicamus. Circa primum, non dubitamus elementum esse, ut Philosophus 12. *de gener.* scripsit, Galenus *de element.* & Avicen. *cap.* 16. *citat.* Cujus qualitates ex professo explicavit Galenus 1. *de simplicium medicament. facultat. capite* 4. dicens frigidam esse & humidam, omnique sapore, colore, & odore carentem, ratione cujus illam esse meliorem aquam deducemus quæ accedit ad suam simplicitatem; cùm tantùm à sua natura defficiat, quantùm participat de aliqua qualitate extranea, idcò Galenus *loco citato*, postquàm frigidam esse probavit, ut optimam aquam cognoscamus, sic ait. *Indicatur autem aqua tribus sensibus, nempe visu, gustu, & odoratu. Gustu pura est, si nullam offerat qualitatem, sed ad unguem qualitatis expers appareat. Visu, cùm syncera fuerit, ac planè perlucida. Sic nec odoratu ullam præse ferre qualitatem debet.*

Licèt Antonius Musa *in comment. lib. de vict. ration. text.* 41. per alios sensus aquæ bonitatem posse deduci scribat, sufficienter, & certiùs per tres dictos optima manifestabitur aqua: siquidem gravis est per admixtionem alicujus; unde gravior aqua deterior est, levior tamen melior: quâ ratione etiam dura dicitur aqua, ut voluit Hippocrat. *lib. de aëre, aquis & locis*, & mollis, quatenùs quæ facilè alteratur, mollis apparet, dura, quæ difficilè, quia resistere habet: quo modo aquam communiter appellant Autores, quæ facilè calefit aut refrigeratur; è contrà verò gravem, ut docuit Hippocrates 5. *Aphorismor. tex.* 26. totum quod prout magis aut minùs à simplicitate recedit aqua, evenit: siquidem quò plus admixtum habet, gravior est quoad pondus, difficiliùs alteratur, & difficiliùs distribuitur, & eodem gradu à simplicitate recedit:ècontrà verò dum nil permixtum habet, & sic sufficienter visu, gustu, & odoratu aquæ perfectio deducitur, ut Galenus voluit. Ex professo tamen 1. *de simplicium medicam. facultat. capite* 4. sic. *Quæ exactè ac syncerè aqua est, omnis alterius substantiæ mistione vacans, ea ex necessitate ex sua facultate est frigida. Si qua verò per bituminosa, sulfurosa, nitrosa, aut bituminosa loca distillans, substantia eorum aliquid absterserit, secúmque traxerit, mista jam ea est, non autem exactè aqua.* Et infrà. *Ea per fictilia vasa percolata pura efficitur.* Docet ergo mixtione aquæ vitiari.

Etsi his omnibus aquam esse seligendam constet: ratione levitatis, aut gravitatis quoad pondus non posse deduci aquæ præstantiam, plures conantur ostendere, eò quòd Galenus 5. *aphor. comment.* 26. sic ait. *Non pondere aquam esse levissimam dicendum est.* Quibus verbis per aquam levem, non quæ ad pondus minùs gravis est, intelligendum esse voluit, sed quæ in ventriculo minùs gravat & molestat; in cujus consecutionem *capite* 2. *de Ptissana*, non pondere esse dignoscendam docet, sed partium tenuitate. Sic Hippocrates levissimam aquam appellat quæ citò alteratur. Plinius *lib.* 31. *natural. hist. capite* 3. ità fallax judicat per pondus aquam esse seligendam, ut hæc dicat, aquas nullo momento ponderis inter se distare. Et *infrà.* Quidam staterâ judicant de salubritate, frustrante diligentiâ, quando pertatum est ut levior sit aliqua. Quibus verbis manifestè docet non per pondus optimam aquæ naturam indagari posse, cùm omnes in eadem quantitate, & æqualiter gravitate judicent,

& sic per facilitatem, aut difficultatem patiendi aquæ naturam optimè explanari docet, & per id quod epota facit.

Dubitari non potest, pluta posse naturam aquæ manifestam facere, sufficienter tamen per tres sensus dictos dignosci est plus quàm compertum. Quâ ratione Galenus 1. *de simplic. medicam facult. cap.* 8. & *lib. de Typis*, *cap.* 5. solùm per ipsos optimam esse quærendam aquam docuit, quibus ejus simplicitas constat, & consequenter citò calefieri & refrigerari, citò distribui, & parum gravitare, tam quoad ventriculum, quàm quoad pondus: Est enim cuilibet notum plus gravitare id quod substantiæ gravioris permixtum aliquid habet, quàm quod nihil habet permixtum: aqua námque ut nociva reddatur, aliud crassius ipsâ debet habere permixtum, ut sunt vapores, vel partes aliquæ terræ, vel mineralium per quæ transit & participat, ratione cujus salsa, sulphurea, vel bituminosa, vel alterius saporis fit, de quibus Galen. 1. *de simplic. medic. facult.* ex professo egit, dixítque omnes esse calidas præter dulces, agebat de sponte natis, quia talia sunt mineralia per quæ tales aquæ fiunt. Quid mirum ergo quod à partibus à quibus & sapores & qualitates participat aqua, etiam gravitatem materiæ comparare valeat; quod tam intelligendum de his in quibus extremi inveniuntur sapores, quàm de alijs in quibus substantiæ permixtæ ità sensibilem saporem non indocunt. Rectè ergo ex pondere aquæ constabit simplicitas; aliàs unde poterit resultare malitia, quando nil permixtum valet immutare gravitatem, ideò levissimam esse aquam præferendam quoad pondus, non solùm colligitur ex Hippocr. *lib. de aëre, locis & aquis*, & ex Plinio *lib.* 31. *cit.* sed Avicen. id expresse docet *fen.* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 16. his verbis. *Et illa aqua melior est quæ est in pondere levis*; ad cujus cognitionem ipsam mereri consulit ut ponderetur, vel aliqua in aquis madefieri, quæ postea exiccata pondere discriminentur, quod validum signum; nam cùm per exiccationem, id quod permixtum erat non tollatur, ubi plus fuerit excrementitium, majus erit pondus.

Non ità per pondus esse eligendam aquam intelligo, ut alijs signis non sit attendendum magis, constat: nam quòd ejus perfectio penes hoc quod sapore, colore, & odore careat, facilè alteretur, & ad faciliorem elixationem conducat, ut Gal. 6. *Epid.* & Avic. *cap.* 16. *cit.* docet, & sic ex his aqua perfectior sine fallacia dicetur: at quæ pondere differunt, perfectione etiam differre, non est dubitandum ob rationes dictas, & ratione alicujus ad gravitatem non facientis aquam vitiari queat, & tunc pondere non dignoscetur diversitas, sed per alia signa, non tamen si gravitate differant, perfectione conveniunt: ob quod Erasistratus aquas perfectione diversas non differre gravitate cognovit, non ut putavit Antonius Musa, quia æqualis mensura repleta aquâ partium tenuium & crassarum æqualiter ad pondus faciat, quòd multitudo partium supplet, quod ratione crassitiei replebatur, non est ità: siquidem corpora graviora sunt quæ crassiorem faciunt aquam, & sic magis habent ponderare.

Galenus verò dum aquam ab Hippocr. appellatam levem, non esse pondere distinguendam docet, non negavit per pondus aquæ perfectionem esset deducendam; sed addit doctrinam datam ab Hippocr. docere per aptitudinem majorem ad patiendum, levitatem aquæ dignosci: quod est dicere, non per pondus aquam ab Hippocr. dici levem, sed aliter, quod *cap.* 2. *de Typis*, & 5. *Aphorism.* scripsit. Plinius verò solùm docet parum differre aquas pondere communiter, quod est verum; cum quo stat quòd si pondere differant, perfectione etiam differant; at cùm inter communes aquas parva, quoad pondus, detur differentia, per effectus quos facit aqua, sit periculosa cognitio, cùm jam ejus facta cognoscamus, modo à Galeno dato aquæ perfectio est deducenda.

Conditionibus dictis addit Hippocr. *cap.* 2. *de aëre, aquis, & locis*, aquam debere esse fontanam versus Orientem ex alto fluentem, sic ait. *Optimæ verò sunt aquæ quæ ex sublimibus locis ac terris collibus fluunt, hyeme calidæ, æstate verò frigidæ, ad Solisque ortum erumpunt.* Hanc doctrinam sequitur Galenus 1. *de sanit. tuend. cap.* 11. & Avicen. *cap.* 16. *citat.* ratione cujus utilior aqua fontana qualibet aliâ & pluviali: nam etsi pluvialem leviorem judicent plures cum Plinio & Hippoc. eò quòd ex vaporibus tenuibus ipsius aquæ conflatur, sursum etiam ascendentibus, non est intelligendum, cùm ex puris aquis pluvialis coalescat; siquidem ex universo vapores ad ipsam ascendunt, & ex alia parte plura permisceantur, & altetentur à Sole vapores elevante, ideò Hippocrates 4. *de aëre, aquis, & locis*, omnium citissimè aquam pluvialem putrefieri scripsit: nec ascensus sursùm ipsam fore leviorem ostendit, etsi partem leviorem aquæ ex qua procedunt vapores esse non judicemus; constat enim pluries gravia descendere corpora, aut quia sursum fuerant elevata, aut quia vi alterationis supra factæ, substantia illa gravis & crassa fuit producta, qualis potest esse aqua pluvialis. Quo fundamento adstringentem ipsam judicavit Galenus 7. *de comp. medic. secund. loc. cap.* 2. & plures alij: fontana verò à vehementibus alterationibus manet immunis, & dum à loco vitiosum aliquid non participat, magis in suo naturali servatur, tenuiórque fit dum ex altis cadit, purior dum Solis respicit ortum, siquidem ab ipso & ventis mundificatur magis.

Sed dices: si Sol putam reddit aquam, melior erit quæ ad Meridiem attendit, quia majori Solis activitati exponitur, quod est contra Galen. & Avicen. ergo non est eligenda fontana, quæ ad ortum Solis finit. Antecedens est notum: nam non alia de causa quæ versus solem tendit melior est, nisi quia purificatur à sole; sed activior est ipse Meridies: ergo melior erit quæ ad Meridiem nascitur.

Secundò: nam Meridionalis deterior judicatur ab Hippocr. & Galeno, ut docuit etiam Avicen. *cap.* 16. *cit.* ex eo quod tangitur à vaporibus seu ventis meridionalibus: sed licèt aqua ab Orienti procedat, tangeretur etiam à ventis dictis: ergo non ob hanc rationem manebit melior aliâ. Patet, quia venti totam tangunt regionem, sive ab hac, sive ab illa procedant: ergo æqualiter omnes immutabunt aquas.

Tertiò. Nam Hippocrates *lib. de aëre, locis, & aquis*, aquam rejicit petrosam, seu quæ à petris oritur; & ob hanc rationem etiam quæ à quolibet procedit minerali, etsi aurum sit, sic ait, *cap.* 3. *Quarum fontes in saxosis locis sunt*

(quæ

(quas duras eſſe neceſſe eſt) aut ſi ubi calida aqua exiſtunt , aut ferrum naſcitur , aut æs , aut argentum , aut aurum, aut ſulphur , aut alumen , aut bitumen, aut nitrum. Hæc enim omnia caloris vi proveniunt. Neque igitur ex hujuſmodi terra bona aquæ naſcuntur , ſed dura & æſtuoſa ; quæque per urinas non facilè feruntur, & alvi egeſtioni adverſantur. Quod ſequitur Avic. *cap.*16. *cit.* ſed hoc videtur contra rationem : ego malè proceſſit. Mioor probatur : nam tenuior aqua præferenda eſt ex Hippocrate , quia citiùs caleſit & refrigeratur, ideò Galenus *cap.*x. *de Ptiſſana* , per tenuitatem partium talem ſignificavit aquam:ſed quæ à petris naſcitur videtur teouior , cùm ſtrictiores penetter vias; quâ ratione in uſu præ ceteris quæ per petram inſtillatur,ideò Gal. cùm 1.*de ſimplic. medic. facult. cap.* 4. aquam vitioſam percolatam conſulit , ſic ait : *Sed ea per fictilia vaſa percolata, planè pura efficitur* : ergo non vituperanda eſt quæ à petris naſcitur.

Etſi hoc dubium compertnm exiſtat, non ſolvit illud Doct. Cardoſo , *cap.* 7. *de aqua fontana*, ſed doctrinam Hippocr.& Avic.recipiéns,duram eſſe talem aquàm aſſerit , & erudam magis, quia petræ à quibus procedit , ſrigidæ ſunt , cum quo meliorem etiam judicat,quæ per petras fluit,quia motu tenuior efficitur. Contrarium tamen docuit Avicen. cùm non ſolùm eam quæ à petris procedit , rejiciat, ſed etiam quæ per petras fluit, ſic ait. *Illa tamen quæ eſt terra pura., melior eſt petroſà.* Et paucis interpoſitis , ſic ait , *Et debes ſcire quod quæ ſuper lutum vadit , melior eſt eâ quæ ſuper petras fluit.* Ergo non ſolùm damnat quæ à petris naſciıut , ſed quæ ſuper ipſas fluit. Et ratio eſt eadem , quia ſi procedere à petra aliquid communicat vitiaos, idem debet judicari ſi ſuper petram fluir.

Augetur difficultas , quia etſi per lutum intelligat Avicen. ut voluit Gentilis , terram puram adhærentem in ſe , non eſt dubitandum aqoam magis attenuari ſi per petras fluat , ratione impulsûs quem recipit à lapidibus ipſis , & ratione ſtrictiorum viarum per quas tranſit : Ergo aqua petroſa eſt præferenda.Neque lapidum ſrigiditas obſtat,&quia frigidior eſt ex ptopria oaturaaqua, & nive etiam frigidior redditur & utilis eſt;non ergo à petræ ſrigiditate potûs procedere vitium quod aquæ imponitur. Neque duram eſſe aquam intelligo, niſi craſſiorem eſſe ſigoificetur , ut diximus, dum facilè , aut difficilè alterari docuimus ; ſi verò procedere à petris tenuiorem facit aquam., non videtur cur dura dicatur.

Pro ſolutione dubij notandum eſt eodem modo eſſe philoſophandum de aqua petroſa , ac de aquis metallorum, etſi qualitatibus differant ob diverſitatem ſubſtantiæ permixtæ. Dicimus igitur aquam min eralium deteriorem eſſe,quia partes,ſeu vaporesex quibus metallu illa conflantur mineralia ſeu petræ anteà quàm ad talẽ naturam conſtrueodam congelentur, aquam craſſam & duram reddunt : ideò Hippocr. *cap.* 3. *citat.* talea aquas *duras* eſſe & *æſtuoſas* dicit. Quod Galenus docet 1. *de ſimpl. med.facult. c.* 4. docens ratione permixtionis ſubſtantiarum talium minetalium aquas illas vitiari , ſic ait. *Nam quæ exactè ac ſincerè aqua eſt , omnis alterius ſubſtantia mixtione vacans, ea ex neceſſitate eſt frigida. Si qua verò per bituminoſa , vel ſulphurea , nitroſa , aut aluminoſa loca diſtillans , ſubſtantia eorum aliquid abſterſerit, ſecúmque traxerit, mixta jam ea eſt, non autem exactè aqua.* Et infrà. *At ſi marinam aquam, aut muriam, aut id genus aquam mixtam, bituminoſam videlicet, aut nitroſam admoveas , uſque adeò hominem offenderis, ut parũ ipſam ſis ad uſurus.* Docet ergo Galenus tales aquas vitioſas eſſe propter permixtionem partium metallotum , ſeu mineralium, ratione cujus meritò *æſtuoſa* & *dura* appellantur ab Hippocrate : nam caleſcere habent, & difficilè alterantur & reſolvuntur ob portiones illas calidas & denſas permixtas ; ſiquidem alteratiò præciſa alteratione contrariâ tolleretur ; quod facilè conſtat; nam non niſi per ſeparationem talium corpotum aquas illas teduci, & ideò percolari à Galeno commendatum eſt.

Hanc veritatem ipſarum aquarum ſapor demonſtrat , cùm non præciſè ab alteratione procedat , ſed ex permixtione alicujus, ut docet Avic. *cap.*16. *cit.* præterquam quod ipſe Galeous 6.*Epid.* coctione aquam corrigit , quatenùs facit tenuitate inductâ in aliquibus partibus aquæ craſſum permixtum deſcendere & ſeparari : Ergo mixtione aliquarum ſubſtantiarum, ſeu ipſorum metallorum , ſive materia ipſotum aqna vitiatur. Quâ ratione nil mirum quod etſi aqua per minerale auri aut argenti pertraoſear , etiam prava fiat : Siquidem craſſities eſt qualitas excedens , quæ à ſubſtantia permixta procedit , ità ab uno quàm ab alio minerali ſit , magis aut minùs pro natura rei permixtæ : dùm verò aqua percolatur per lapidem , nil eſt quod ſeparari, aut permiſceri poſſit ex ipſo propter ejus adquiſitam duritiem, & ſic aqua utilior percolatione fit.

Ex dictis patet , aquam petroſam meritò deteriorem dici ab Hippoct. quia participat de aliquibus partibus petræ , ſeu materiæ ipſius , ratione cujus difficilè alteratur & reſolvitut , licèt ex ſe tenuior deberet reſultare : dum verò ſuptà petras fluit , non eſt facilè recipere portiooes ex petra, aut ex materia ipſius , quia non communicatur per vias internas per quas tangat ſuperficiem interiorem augmentum tecipientem ; per exteriorem verò ſuperficiem nec augetur , nec facilè aliquid ex ea commonicatur , communicaotur tamen excrementa plura ex ſubſtantijs excrementitijs quæ intra lapidem generantur,& aquam vitiant : cùm verò terra lutoſa eſt intra ſe , ut quando arenoſa & plana , non datur locus pro aliquo excremento generando aquam vitiante , potiùs ipſa paulatim deponit, ſi aliquid ab alio loco acquiſivit, meliórque fit: vel conſtabit non abſolutè aquam deauratam eſſe laudendam, ut communis Medicorum praxis voluit pro morbis malignis ; cùm nil manifeſtum reperiatur in aoro roborans , aut aliter utile : Ex alia parte Hippocrates aquam ex minera auri procedentem damnat ; quo manet tertium argumentum ſolutum.

Ad primum & ſecundum, Reſpondetur aqoam ad ortum ſolis pertinentem meliorem eſſe, quia ſufficienter alteratur à ſole , ut à pluribus emendetur vitijs , oon tamen ità ut valde immutetur ut meridionalis:ad quod accedit , quod flatus ſeu venti meridionales vapores communicant aduſtos valde , aquam in extremam alterationem trahentes , non verò tales ſunt venti ab Oriente; nam ſol non ità intensè agit, ut ſic neque vapores elevat aquam ità vitiantes : Et licèt venti meridionales totam tangant ſphæram , non poteſt aqua orientalis tale vitium compati , ut meridionalis : nam vapores vitiantes non ſolùm per ventos communicantur , ſed etiam in ipſa elevatione

magis; & cùm hi sint plures versus Meridiem, plures aquæ ad Meridiem procedentes permiscentur, minùs verò versus Oriens.

Constat etiam aquas lacunarum & paludium deteriores esse, cùm pluribus abundent superfluitatibus, defectu motûs & ventilationis, quibus proximæ valdè sunt aquæ ex nive & glacie resultantes; id est quæ ex liquatione nivis & grandinis sunt. Sic ait Hippocrates, *Aquæ ex nive aut glacie factæ, omnes malæ sunt, quod quidem in ipsis clarum ac leve & dulce est, secernitur, ac deperditur; quod verò turbidissimum atque ponderosissimum relinquitur.* Docet ergo non solùm malas esse, verùm & rationem reddit, quod deinceps probat ex professo; facit enim concretio ad consumptionem tenuium partium ipsius aquæ, cùm terrestre magis ad concretionem conducat.

Sed dices: Quomodo dictum habemus aquam colore, & odore & sapore carere, si Gal. pluries, præcipuè 1. *de simplic. medic. facult. cap.4.* aquam potabilem, & quæ simpliciter talis est, & optima, dulcem appellat, sic ait. *Quin etiam sitienti dulcis aqua remedium est, cæteræ verò acerbiorem sitim relinquunt.* Docet ergo aquam potabilem dulcem esse; quâ ratione etiam eodem loco sic scripsit. *Ex quo liquet, aquam potabilem certè & dulcem, secundum naturam suam semper esse frigidam:* Ergo non debet esse insipida.

Respondetur dulcem appellari aquam potabilem à Galeno, & communiter à Medicis, in contrapositionem aliarum, non quia verè dulcis sit, sed quia aliæ sapores habent extremos, & potabilis ipsis carens, gustui existit grata, & dulcis dicitur, ideo Avicen. quasi dulcem eam appellat, aut dulcem imaginari docet *cap.16. citato.*

Dubium tamen est quomodo Avicen. in ipso *cap.16.* aquam describens optimam, inquit talem esse dum hyeme frigida est, calida verò in æstate: Hippocr. verò *cap.3. de aere, aquis, & locis*, è contrà se habere asserit, dicens talem esse dum hyeme calida est, frigida verò in æstate. Neque valet dicere Hippocr. loqui de fontana, quæ propter antiperistasin ut putealis talis est; nam etiam Avicen. de fontana agebat: præterquam quòd, si hoc modo eligenda est aqua, sequeretur deteriorem esse quæ hyeme calida est, cùm propter vapores detentos ob condensationem à frigore factam, calida sit, & consequenter impura, etsi non tangatur ab ambiente immediatè.

Gentilis *super hoc caput* jam de aquis laudabilibus esse intelligendum docet, jam de illaudabilibus, jam de aqua in ordine ad exhibitionem, jam in ordine ad effectus quos facit, ità ut de hoc loquatur Avicen. dicens debere esse frigidam hyeme, calidam æstate, quia minùs immutat corpus, de hoc Hippocr. dicens qualis exhibenda sit. Nobis tamen videtur dicendum, etsi diversis & oppositis verbis, idem ostendere hos Autores. Nam Avicen. dicens aquam meliorem esse quæ citò alteratur, inquit, talis est quæ frigida est hyeme, calida verò æstate: nam quæ aliter se habet, difficilè alterari ostendit; agebat verò de aquis dum jam à suo principio valdè distant. Hippocrates tamen hoc idem ostendere conatur, & utitur verbis contrariis; nam agebat de aquis ex profundis fontibus, in quibus ut in puteis & subterraneis calor in hyeme est, & frigus in æstate, faciliter aquam alterari docet, dum frigida est æstate, & calida hyeme, sic ait post verba posita, tales enim fuerint ex profundissimis fontibus; quid mirum ergo quod aquam meliorem dicat eam quæ hyeme calida est, non quia ratione illius qualitatis melior sit; contrarium enim est verum, sed quia ostendit non resistere alterationibus agentis, ac per consequens levem seu tenuem esse juxta ejus doctrinam. Plura etiam pro electione aquæ adducunt Autores, quæ omittenda sunt, cùm dicta sufficiant.

QUÆSTIO IV.

De effectibus Aquæ.

Circa ea quæ facere habet aqua, parum est quod dicamus: nam si loquamur de illo quod ut vetus potus facit, jam est scriptum: si verò de illo ut medicamentum, tangit praxim. Neque dubitari potest calorem & siccitatem corrigere, cùm frigida & humida sit, & etiam qualitates alias, si per artem aut per naturam medicinalis fiat, ut ex Gal. 1. *de simplic. medic. facult. cap.4.* constat. Scripsit tamen aquæ utilitates & nocumenta Valles. 1. *Meth. cap. 11.* dicens sic. *Aqua calorem & siccitatem corrigit, fumos in caput euntes reprimit, & succos omnes in quiete retinet, & fluxiones propterea cohibet, hacque gelida magis facit quam calefacta, concoctiones ciborum & morborum juvat, tardè in hypochondriis moratur: nisi sit optima, in flatus dissolvitur, ventrem distendit, neque urinas, neque ventrem movet, nisi ex accidenti, id est quatenus calore attemperato, natura ad expulsionem movetur.* Hucusque de aqua profert: totum quod ex Hippocr. 3. *acut.* de vino & aqua ex professo agit *text. 1. & 41.*

Difficultas tamen in rectâ intelligentia illorum quæ scripsit Hippocrates, existit: inquit enim *text. 4. Neque enim tussim lenit in pulmonum inflammationibus, neque sputum educit, imò cæteris minus, si quis perpetuò aqua potione utatur.* Quod omne est contra rationem largi potûs, & est contra rationem humiditatis ejus. Quis enim dubitare potest humidum ebullire facere, & consequenter ad sputum excreandum conducere, & ad tussim sedandam; quâ ratione largus potus humectare habet magis, & fluxiones movere. Ideò Avicen. *fen.10. lib.3. tract.5. cap.5.* in cura pleuritidis, & aliorum pectoris apostematum emollientia exhibet ad sputum educendum, præcipuéque de aqua inquit attemperatam esse exhibendam in æstate, calidam verò hyeme; Ergo aqua absolutè non prohibet sputum.

Præterea: nam *tex.15.* antecedenti sic ait. *Aqua Mulsa quæ fuerit dilutior, eò efficaciorem vim evacuandi habet, atque pulmonem reddit leviorem:* sed dilutior fit aqua Mulsa quò plus aquæ habet: ergo aqua potiùs movet sputum. Quo fundamento Avicen. *cap.8. lib.1.* vinum aquâ permixtum citiùs inebriare docet his verbis. *Scias quod vinum mixtum citius inebriat, propterea quod aquietas penetrat:* Ergo non solùm valebit magis sputum movere, verùm & sudores, & urinam, & fluxiones excitare. Quod probatur. Nam cùm aqua simplex elementum sit, teneribus videtur constare partibus plusquam quodlibet aliud mixtum, quod ex unione partium crassarum & tenuium inter se resultat: sed vinum est mixtum: ergo minùs movebit sudorem & urinam, aliàs merum citiùs inebriabit.

Respon-

Refpondetur Hippocr. *text.* 41. dum de aqua agit, de ipfa in fuo ftatu effe intelligendum; & cùm ipfa frigida fit & humida, ratione frigoris plus valet conftringere & condenfare, quàm humiditas laxare, & fic dictos effectus caufat: dum verò calida exhibetur, aut temperata feu tepida, effectus frigoris impediuntur, & fic utilis, non tamen aqua tunc in fuo effe naturali exhibetur, nec ut verus potus: attamen Hippocrates *tex.* 15. aquam mulfam fputum movere docet magis, quò dilutior eft. Ad Avic. dicimus verum effe vinum aqua permixtum citiùs inebriare, quia velociùs vapores vini caput tangunt ob majorem aquæ permixtæ tenuitatem; non tamen ideò magis evacuationes movet aqua, quia calor vini ad fluxiones facere, quas prohibet frigus: ideò hoc docens Hippocrates veluti rationem reddens inquit, *utpote frigida & coctu difficilis*: Quo conftabit dictus effectus aquam habere, quidquid dicat Vallefius, cùm potiùs optima aqua exiftat frigida, ut ex Gal. *cap.* 4. *de fimplic. medic. facult.* docuimus, etfi optima magis penetrare habeat ob majorem ejus tenuitatem, cæteris paribus.

QUÆSTIO V.

Quomodò in biliofis bilefcat Aqua.

HIPPOCRATES 3. *acut. tex.* 41. aquam in biliofis amarefcere, & in bilem converti docet: quod primâ fronte difficillimum eft ob utriufque contrariam naturam, præcipuè cùm ipfe Hippocr. *tex.* 36. *ejufdem libri*, mel biliofum dicat, quia calidum & ficcum; contrarium ergo debet habere aqua. Trallianus hoc non docuiffe Hippocr. voluit, fed quod fimplicia alimenta, ut aqua, amarefcunt: quibus verbis non dicit aquam in bilem verti, fed fimplicia alimenta, ut aqua: quod ideò deducit, quia aqua cùm elementum fit, & mutari non valeat, ut dictum habemus, neque in humorem converti valebit. Verba tamen Hippocratis exprefsè aquam bilem parere in biliofis, & amarefcere docet; hæc funt. *Si inter Oxymel & Mulfam aqua modicè bibatur, fputum evocat; fed quidem potius qualitatem tranfmutat, alioquin neque fitim fedat, fed amarefcit, bilem etiam parit in biliofis.* Videtur ergo fignificare Hippocratē aquam in bilem mutari, aliàs quomodo bilem parere & amarefcere dicemus, dum corpus biliofum eft, aut maximè calidum: nam de illo inquit non fedare fitim aquam, fi cum aliis non mifceatur, quia à calore intenfo aqua amarefcit, quomodò tamen fiat dubitamus in præfenti.

Ob rationes dictas, Antonius Mufa & Vallefius fuper hunc locum non recipiunt aquam in bilem converti, neque hoc voluiffe Hippocratem dicunt, fed amarefcere aquam in corpore biliofo, & bilem parere, quia cùm liquida & infipida fit, facilè cum bile permifcetur, & amara refultat, & bilem abundare apparet: fiquidem totum amarum fentitur, & in tanta quantitate, ut aquam in bilem mutatam fuiffe appareat.

Hæc folutio non fatisfacit fufficienter, ut judico, dubitationi, & fic non eft admittenda: non enim cum doctrina Hippocratis convenit, & rationi, & doctrinæ Galeni manifefte adverfatur. Inquit Hippocrates aquam bilem parere, quod non effet verum fi non commutaretur in bilem, cùm potiùs ipfam corrigeret alteratione & permixtione. Galenus tamen *in comment.* tantùm abeft ab explicatione data, ut exprefse commutari in bilem dicat. Sic ait: *Hac igitur quamquam optima fit* (agebat de aqua) *multo tempore in ventriculo manet, fluctuationefque facit. Quo fit ut cùm biliofus ventriculus fuerit, corrumpatur & illa.* Docet ergo per corruptionem fui aquam bilem parere. Et *infra* agens de aqua mulfa fic ait: *nam fyncera, puraque nifi ventrem fubducere anticipaverit, magis nocebit, & præcipuè in amare bilis hominibus, & his quibus præternaturam tumefacta funt vifcera, in his & aqua detrimentum affert, cùm plus jufto in hypochondriis morata, bilefcit.* Ex quo deducitur per converfionem in bilem aquam bilefcere, cùm æqualiter loquatur de aqua mulfa, & de aqua fimplici, & de illa non dubitet per corruptionem fui bilem parere.

Ratio etiam contra Vallefium ftat: nam bilis verè non augeretur per veram generationem fui ex aqua, nec afferret nocumentum in biliofis: fed inquit Gal. afferre detrimentum: ergo verè in bilem mutatur. Sequela probatur: nam quamvis ratione permixtionis bilis evacuet, totus liquor amarus refultaret, quod non effet verum in rigore; fiquidem non mutatâ fubftantiâ (neque fapor mutari non poterat in aqua) neceffum erat remitti bilem fecundùm omnes ejus activitates: at hæc remiffa bilis non poteft nocere magis quàm anteà; ergo adfert detrimentum. Major eft certa: fiquidem & alteratione & permixtione aqua in bilem agit, & ipfius activitatem refrangit: ergo nocebit minùs, neque majorem effe molem rei amaræ ejus valet augere activitatem: nam augmentum quod invenitur, non eft rei ejufdem naturæ, fed potiùs rei corrigentis, ratione cujus etfi quoad molem major inveniatur quantitas, quoad activitatem potiùs aliquo modo minor eft.

Prætereà ex communi Philofophorum doctrina, mixtum poteft fieri ex unico fimplici elemento per alterationem: ergo ex aqua rectè poterit fieri bilis agente calore: Antecedens omnes oftendunt, & Nofter Petrus Garcia fupra Avicen. *difput.* 7. *de mixtione, cap.* 2. Santa-Cruz 2. *de caufis pulfuum, cap.* 14. & omnes qui ex aëre fpiritus fieri concedunt cùm propter eorum generationem aërem trahi per dilatationem doceat Galenus 4. *de differentiis pulf. cap.* 2. Ergo ex aqua poteft fieri. Patet: cùm non alia de caufa aqua & oleum materia medicamentorū dicuntur, ut oftendit Galenus 2. *de fimplic. medic. facult. cap.* 19. nifi quia facilè proprias qualitates deponant, & alienas recipiant, ut *in comment.* fcripfit Vallefius: fed ea quæ facilè proprias deperdunt qualitates, & alienas recipiunt, neceffum eft facilè commutari in alienam naturam; ergo & aqua in bilem mutabitur facilè; fiquidem ad facilem introductionem qualitatum fimilium facilis tranfmutatio, feu formæ introductio fequitur. Quod etiam oftendit aquæ exceffiva tenuitas, ratione cujus & facilè tranfmutari eft neceffum: propter quod evenit, quòd etfi oleum aquâ calidius fit, dum permifcentur ad ignem, citiùs aqua confumitur, ut docuit Gal. 1. *de fimpl. medic. facult. cap.* 6 proindè etiam in idem vafe confuetam aquam oleúmque fi decoquas, prior tamen aqua abfumitur: quid mirum ergo quod facilè in bilem vertatur, dum in biliofum corpus injicitur.

Dicendum ergo eft aquam in bilem verti, ut docuit

docuit Hippocr. & Galen. *in comment.* ſi corpori bilioſo tribuatur, quia facilè alteratur, & alienas qualitates recipit, & proprias deponit propter ejus tenuitatem, ideò Hippocrates eam citò caleſieri, & reſtigerari docuit 5. *aphoriſ. tex.* 26. Et cùm ex alia parte activitas ſit major in bilioſis propter eorum intenſum calorem, hinc eſt quod in his in bilem vertatur, nõn in alios humores, etſi abundent, quia non eſt eorum activitas tanta ad tranſmutationem faciendam; quod eſt intelligendum dum aqua in parva quantitate exhibetur; ſiquidem faciliùs vincitur à calore quàm valeat calorem vincere. Quod docuit Hipp. in ipſo textu, ubi ſic ait. *Si inter oxymel & mulſam aqua modicè bibatur, ſputum evocat, alioquin neque ſitim ſedat, ſed amareſcit*, &c. docet ergo in bilem verti in parva quantitate. Dum verò ſufficiens quantitas pro activitate caloris retundenda exhibetur, nequiquam talis eſt timenda converſio, ſed utiliter exhibetur, ut fecit Galenus 9. & 10. *meth. cap.* 15. quibus in locis uſque ad ſatietatem exhibet. Sic ait 9. *meth. Offerenda potui eſt quæ prorſus ſit gelida, quantum ægro complacuerit*: ergo converſionis periculum in bilem, quando aqua in parva quantitate propinatur, debet timeri. Et ne locus Galeni de febre continenti intelligatur, in qua bilis non redundat, 13. *meth. cap.* 5. in juvene calido & ſicco potum frigidum copioſum exhibet felici ſucceſſu, & ſic ſolùm quando aqua eſt in parva quantitate amareſcit.

Unum tamen invenitur in hoc textu quod prima facie videtur difficile, & dictis contrariari: dictum enim eſt perfectiorem eſſe aquam quæ ſimplex omninò exiſtit, & omni alia permixta qualitate, aut excrementitia ſubſtantia caret, ut ex Galeno docuimus, & conſtat *in comment. tex.* in quo ſic ait Galenus, *Singula quæ dicuntur ad optimam, referuntur aquam, ea tamen puriſſima eſt, & omni alienâ qualitate deſtituta*: ſed Hippocrates *in textu* ſic ait, *atque ex eo quoque vitioſa eſt, quod ſtercoris ſuaptè naturâ expers ſit*. Quibus verbis videtur ſignificare Hippocr. eò eſſe deteriorem aquam, quò magis ac magis ab excrementis eſt denudata: quod ſi ità eſſet, omninò veritati opponeretur, & ſic hæc verba non ad ſubſtantiam aquæ ſunt referenda: nec hoc voluit Hippocrates, ſed ad effectus quos cauſat per ſe, aut per accidens, & ad ipſos reſpiciens docet fluctuare, non diſtribui, neque urinam ciere, neque alvum movere. Et hoc explicans inquit, *& ex eo vitioſa eſt, quòd ſtercoris expers ſit*, id eſt ex eo quod non moveat ſtercora, vitioſa eſt: cur hoc fiat, diximus. Quando & quomodo ſit exhibenda debet conſtare, ſi quod ad victûs rationem pertinet attendamus; ſi verò ad rationem medendi, ex libris Methodi deducemus: quâ ratione potiones inſtituuntur medicatæ, ut docet ipſe Hippocr. *in textu*.

QVÆSTIO VI.

De Vino.

ETsi nullus alius verus potus ſit præter aquam, plura alia in potu habentur communiter, ut ſunt vinum, Aqua mulſa, & compoſitiones plures quæ conficiuntur ex aqua aut vino cum ſaccharo, aut melle, cum acido, aut ſine illo, inter quæ poſt aquam commune magis eſt vinum, & omni tempore, & omni nationi; caret tamen vera ratione potûs, quatenùs alimenti naturam habet, ut docet Galenus 3. *de alim. facult. cap.* 40. & ſicut fluxile & frigidum actu, pro finibus potûs conducere ſit compertum, tantò meliùs ipſi conſequantur, vinum aquâ dilutum per venas pluries magis aut minùs pro ratione conſuetudinis, ut fines dicti conſequantur; habet enim dilutum attemperate magis, & ad diſtributionem juvare, ut ex Avic. *fen.* 3. *cap.* 8. *lib.* 1. *doctr.* 2. docuimus, propter aquæ tenuitatem cum calore vini conjunctam.

De vino egit ex profeſſo Hippocrates 3. *acut. tex.* 1. in quo plures vini differentias adducit; jam ratione ſaporis, jam ratione odoris, ex quibus vires & facultates dignoſcuntur; etſi non minùs ex odore pateſcant. Propter quod Avicen. *cap.* 8. *cit.* vinum bonum ſic explanat. *Et ſcias quod ex vinis illud eſt melius quod inter vetuſtatem & novitatem eſt æquale, clarum & album, quod ad rubedinem trahit, bonum habens odorem, æqualis ſaporis, & quod numquam eſt acre, neque dulce.* Ideò Mercatus *lib. de recto præſid. uſu*, guſtu, viſu, & olfactu vini differentias agnoſcit, quæ omnes ad oſtendendum eorum vires ſunt notæ: ſic differunt, ut odor efficaciorem & meliorem ejus facultatem oſtendat, ſecùs aliud; demonſtrat enim illud in ſuo eſſe perfecto reperiri, & ſuperfluitatibus carere, & vino nihil illarum partium eſſe reſolutum.

Ratione ſaporis vinum dividitur in dulce, & auſterum, aut quod nullo eorum afficitur ſapore, ſed tantum vinoſo; eſt enim proprius vini ſapor, qui & cum aliis & ſolus reperitur; ſiquidè omne vinum in unico generali ſapore convenit, etſi diverſitatem aliquam obtineat modo dicto, loquor de vino in ſtatu naturali; nam viâ corruptionis, aut per artem alios ſapores habere non dubitamus; per artem, nam ratione rei permixtæ, ipſa ratio dictat; viâ corruptionis ita eſſe conſtat ex Gal. 4. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 12. ſic dicente. *Itaque vinum acerbum tempore dulcius primò, mox acrius, amariùſque efficitur, denique planè amarum redditur: ad eundem modum quod veluti rigorem perpeſſum eſt, acidius protinus redditur, ac ſi prorſus refrigeretur, penitus aceſcit.* Quibus verbis non eſt intelligendum vinum ſub propria forma omnes ſapores dictos habere, ſed omnes mutationes conſiderat Galenus *cap.* 10. & 11. quæ præcedunt, & reperiuntur in ſucco qui vini naturam acquirit; eſt enim primò ſuccus in uva ſub auſtero ſapore, qui à calore uvæ Sole juvante in dulcem ſaporem tranſit, ratione cujus muſtum dulce eſt, quo fervente, prout magis aut minùs depuratur, magis ad ſaporem proprium vini accedit, & temperie maximè attenuante acris fit ad amaritudinem tendens, & tandem calidis evaneſcentibus partibus in acetum tranſit: ut inde conſtet quod acidus ſapor potiùs à partibus incoctis & crudis ſæpiùs provenit, cujus magis aut minùs participat vinum, prout plures aut pauciores harum partium ſunt in vino: dum verò perfecta præceſſit in uva coctio, dulcedo in prædictis comparatur partibus, propter quas dulce guſtu eſt vinum, prout ipſis magis inficitur; reſultat tamen proprius vini ſapor his partibus ſufficienter agentibus, liquorem pro forma vini diſponentibus, ipſis ſeparatis, donec tandem corrumpuntur. Quo modo intelligitur Valleſij doctrina

ctrina *in comment. dict. capit.* cujus generationem *tract. de coctione. q.4.* videre eſt.

Vinum igitur aliud cum proprio ſapore tantùm, aliud dulce, aliud auſterum. Per dulce non intelligit Mercatus, quod nos *Moſcatel* vocamus; judicat enim ipſum non cognoviſſe Gal. fallitur tamen; nam certum eſt vini ſpecies ſeu differentias eſſe conſtituendas, vino in ſuo eſſe naturali exiſtēte: ſed ſi per dulce vinum non eſſet intelligendum muſcatelinum, intelligeret vinum nondum confectum, quod meliùs per defectum potioris ſignificaret, quàm per ſaporem: ergo dulce vinum, muſcatelinum ſignificat. Patet: nam dictum habemus dulce eſſe vinum ratione partium muſti nondum ſeparatarum: Ergo talis ſapor non eſſet vini proprius, ſed dictum eſt loqui Galen, de vino ex propria natura dulci, quale eſt muſcatelinum, ergo de ipſo loquitur, & ipſum cognovit, quod conſtat ex *cap.* 10. *lib.* 4. *cit.* ubi ſic ait Galenus. *Eſt autem in quibuſdam vinis poſtquam efferbuerint, dulcedo quadam ſyncera, ſuavis & propria ipſius ſucci natura, non qualis antè erat mixta, ſcilicet ex proprio, atque eo quod circa ſemicoctum, aquoſumque excrementum erat fervere.* Docet ergo Galenus dici dulce vinum per ſaporem proprium illius, non per ſaporem reſultantem ex mixtis excrementis.

Confirmatur hoc: nam ſi de ſapore reſultante ratione ſubſtantiarum mixtarum loqueretur, non diceret, *in quibuſdam vinis*; ſiquidem in omnibus ſaporem dulcem primò reperiri docet *cap. de vino*, & 11. *citat.* cujus verba ſuprà poſui: de vino ergo quod ex ſe dulce eſt loquitur, quale eſt muſcatelinum; cætera verò tempore dulcedinem deponunt propter depurationem, ſeu partium ſeparationem. Neque ex hoc colligi debet vinum per depurationem, ſeu ſeparationem partium præcisè fieri, nullâ exiſtente ſubſtantiali mutatione, contra quod dictum eſt *Tract. de Coctione*: nam Galenus *cap.* 11. expreſsè per tranſmutationem fieri ſignificat, ſic ait; *Sed ubi quod aquoſum, ſemicoctumque erat, jam tranſmutatum fuerit, atque confectum, & ù qui fervorem concitabat calor evanuerit, jam tum denique quæ propria ſunt ſuccorum proprietates, ſyncera conſpiciuntur. Itaque tunc quæ propria vinorum natura ſit agnoſcimus.* Quid clarius? Ergo per tranſmutationem fieri vinum, & ipsâ factâ ſeparatis partibus calefacientibus & alterantibus, proprium vini ſaporem conſtare docet Galenus, ac per conſequens talia debent dici vina, qualia ex propria natura reſultant, excrementis ſecluſis.

Contra hanc partem videtur ſtare Galenus *lib. de cibis boni & mali ſucci, cap.* 11. ubi expreſsè nullum vinum album dulciſſimum appellat: Ergo per dulce non poteſt intelligi muſcatellinum, ſic ait. *Neque enim vinum reperias unà craſſum atque dulce, quod non idem nigrum quoque ſit, inter alba dulce nullum.* Et 3. *acut. comment.* 7. ſic ait. *Dulce quidem vinum continuò & nigrum exiſtit.* Reſpondetur Galen. non negare abſolutè vinum album dulce, concedit ipſum cùm dicat *in eodem cap.* 11. fulva, flavàque, & alia mediocriter dulcia, ſed quæ verè alba appellantur, prout ab aliis albis adducendis differunt, negat eſſe dulcia, quod eſt verum; & hoc modo etiam vinum craſſum & dulce ſolum eſt nigrum; nam ſi album ſit, aut fulvum, non craſſum, aut dulce erit, ſed dulce & tenue differunt, non album & nigrum, ut ipſe Galenus docet: non dico alba non eſſe craſſa, ſed non ita ut nigra, & hac ratione ſolùm nigra craſſa & dulcia eſſe inquit Galen. & ſic non contraria ipſe, etſi contraria dicat *in comment.* Valleſius.

Vinum auſterum eodem modo reſultat ac dulce; auſterum ratione partium permixtarum talis naturæ, quale eſt muſtum per partes muſti dulces, & auſterum ratione partis vinoſæ talis naturæ quale eſt dulce muſcatelinum: poteſt enim fieri ex rebus auſteris vinum, aut ex rebus acerbis, ratione quarum auſterum vinum erit; rale eſt quod ſuccen granatorum adſtringentium aſſimilatur: Explicat enim Galenus 4. *de compoſ. medic. ſecundum genera*, auſterum ſaporem per mediocriter adſtringens: præter hæc acria etiam enumerat vina Galenus *cap.* 11. *cit. de ſimplic. medic. facult.* quæ eodem modo talia ſunt ac dicta; id eſt per acrimoniam partis vinoſæ, quod eſt quia ſapor qui proprius vini eſt, aliquam acquiſivit vivacitatem ratione majoris caloris, ratione cujus in aliquibus locis hæc aut illa producuntur, prout loci temperies ad hanc aut illam diſpoſitionem conducit magis.

Ratione coloris alia ſunt alba, alia ſunt nigra, quorum differentiam notam dedit Hippoc. 3. *acut. text.* 1. At inter alba vina etiam datur differentia, prout magis aut minùs à colore differt, ſeu aſſimilatur; ità ut album aquoſum dicatur quod aquæ valdè ſimile; pallidum quod paleis; flavum quod auro; de quibus omnibus fecit mentionem Gal. *in comment. lib. de attenuante diæta, in fine*, & 12. *method.* ſub quibus intelliguntur rubrum & fulvum, de quibus egit *lib. de cibis boni & mali ſucci, cap.* 11. at omnia alba dicuntur in contrapoſitionem nigrorum, etſi album ſpecialiter aquoſum ſignificet in contrapoſitionem aliorum.

Quod ad modum ſubſtantiæ dividit etiam Galenus vinum in craſſum & tenue, aquoſum & medium. Per craſſum non debet intelligi neceſſariò nigrum; nam etſi nigrum craſſum ſit reſpectu alborum, intra ipſam ſpeciem, nigrum in craſſum & tenue dividitur ut album: quâ ratione *cap.* 11. *de cibis boni & mali ſucci*, vinum aquoſum & craſſum & medium concedit, & eorum exempla adducens, immediatè ſic ait. *Nullum eſt eorum non nigrum.* Et *infrà* de albis ſic ait. *Et inter alba vina dulce nullum, ſed ſunt ex his quadam auſtera & craſſa, quadam alba & tenuia.* Ergo craſſum non ſolùm dicitur de nigro, vel tenue de albo, ſed tenue & craſſum de quolibet verificatur: craſſum quod partium conſiſtentium eſt, ſeu partium viſum terminantium: tenue quod partium ſubtilium, etſi videatur velut terminare viſum, à quo differt aquoſum, quatenùs omninò modum ſubſtantiæ aquæ habet, & videtur non terminare viſum, quia ea quæ poſt viſum ſunt, ut ſunt percipiuntur.

Sed dices: Vinum album prout diſtinguitur ab aliis albis, eſt aquoſum: ergo non eſt adducendum inter ſpecies deſumptas à modo ſubſtantiæ. Præterea vinum perlucidum eſt concedendum etiam, quod in modo ſubſtantiæ cum tenui flavo coincidit: ergo alia eſt concedenda differentia. Reſpondetur ad primum, quod licèt per album aliqui intelligant vinum album, quale lac, ut eſt *malvaſia*, juxta mentem Antonij Muſæ, nihilominùs Galenus album appellat, quod aquæ aſſimilatur, ut 5. *de ſanit. tuend.* conſtat; adduxit tamen ejus differentiam & ratione coloris, & ratione modi ſubſtantiæ, quatenùs ex utroque id

quod

quod intendebat deducit, victus scilicet vini; per lucidum verò non differt per aliquam qualitatem ex dictis ab aliis, & sic non constituitur dicta differentia.

Ratione odoris vinum etiam differre docuit *in comment. cit.* Galen. prout bono aliquo odore, aut vinoso tantùm, aut nullo afficitur. Qua ratione odorosum esse præferendum docet Avicen. *cap. 8. cit.* quod in facultate etiam differre notum est, prout magis calefacere, & corpus immutare habet, aut secùs: illud potens, seu vinosum dicitur; hoc imbecillum seu aquosum. Quæ omnes differentiæ sub his quæ ab Hippocr. adducuntur, comprehenduntur quoad esse medicum, sub illis scilicet quæ à colore & à sapore desumuntur, quatenùs ex ipsis vini facultates, quæ ab aliis differentiis demonstrantur, sufficienter patescunt: nam tenue & crassum sub nigro & albo significatur, sicut sub vinoso potens & imbecille. Adducit semper Hippocrates præcipuas differentias, ut inde cæteræ consteot, ut inquit *in comment.* Vallesius.

QUÆSTIO VII.

De Effectibus Vini.

Quibus utile aut nocivum vinum existat, notum est; cùm enim calidum sit, frigidis convenier naturis, secùs calidis: fluxionem auget, urinam movet, & alimenti distributioocio, necnon & ad coctionem etiam, conducit magis aut minùs, juxta ejus differentias. Quod & Avicen. docuit *fen. 3. lib. 3. doct. 3. cap. 8.* & Hippocr. *3. acut. tex. 2.* quem sequitur *in comment.* Galen. quod est intelligendum in aquæ contrapositionem, quæ propter frigiditatem ejus, non ità ad distributiooem facit: ipsa tamen vina inter se taliter differunt, ut aliqua talis naturæ sint, quod etsi partes subtiles calidiores obtineant vinosas, ob quas fluxiones moveant, & ad distributionem faciant, nihilominùs adstringentia sunt. Quod docuit Galenus *in comment. 2. citat. 3. acut.* sic ait. *Vinum dulce non gustandi qualitatem communicat, quia est austerum & acre; at aquosum permittimus, quod ab adstringenti degenerat, etsi languidam habeat adstringendi qualitatem; ideò austerum adstringens magis est, & utile dum venter est laxus, tale plurimum est nigrum.* Idem Galenus *comment. 7. At quod citra dulcedinem nigrum, austerum est, id ventri dulce existit, quando plura justo discedunt;* ratione cujus communis praxis dum alvus plus justo mollis est, vino utitur nigro: è contrà verò dum dura existit. Quod ex Hippocrate desumitur sic dicente, *Dum excrementa humidiora magis fuerint, ab albo vino demigrare oportet.*

Contrà hanc communem praxim videtur stare, quod vinum album calidius est nigro: sed quod calidius est, valet exiccare magis, & ventrem sistere; ergo dum ipse lapsus est, vino albo est utendum, non verò nigro. Major est certa, ut constat ex Gal. *lib. de cibis boni & mali succi, c. 11.* Minor est nota per experientiam, ratione cujus Galen. *5. de simplic. medic. facult.* quæ summè calida sunt, extremè exiccare docet: ergo ubi venter mollis & laxus est, utilius erit vinum album quàm nigrum: patet; nam talis effectus adstrictionem desiderat: sed quod siccare valet, efficacius erit ad adstrictionem inducendam: ergo vinum album est ad hoc præferendum. Minorem ostendit communis praxis; siquidem dum fluxiones excitantur, siccitate inductâ, illas cohibere tentamos: Ergo quò vinum ad exiccandum valebit magis, quale est album, illud utilius erit ad fluxiones cohibendas, non intelligo album quod tale dicitur in contrapositionem fulvi, seu reliquorum alborum, sed ad differentiam; neque ago de vino austero, sed de vino præcisè in contrapositionem nigri sine qualitate aliqua speciali, per id quod ad esse vini sequitur.

Pro hac parte etiam stat quod Galenus de dulci vino agens *3. acut. comment. 2.* ipsum crassarum partium esse docet; & vinum dulce & crassarum partium necessariò esse nigrum scripsit *cap. 11. de cibis boni & mali succi;* ergo non est ipso utendum in laxitate ventris. Patet consequens; nam vinum dulce ventrem emollit, ut docet Galenus *in comment. 2. cit.* per hæc verba. *Solis ergo his unum inest bonum* (agebat de vino dulci) *quod ventrem emolliant, quod si non fuerint, omni pacto nocent:* ergo vino nigro non est utendum, ventre existente laxo.

Nobis tamen videtur dicendum Hippocratem non consulere absolutè ab albo ad nigrum faciendam esse permutationem; nam non hoc est verum, docuit expressè vinum nigrum & fulvum austerum utile esse, cùm excrementa humidiora & ramentosa fuerint magis; quo casu vino albo utitur, fulvo scilicet seu flavo, docuit tamen ab albo demigrandum esse, prout album significat illud quod aquosum appellatur, quatenùs ipsum intestinis inutile est, ut docuit Hippocr. *3. acut.* dicens. *Internis magis auxiliatur meracius vinum quàm dilutum:* sed vinum aquosum gerit vini diluti vires: ergo ob hanc rationem ab aquoso seu albo vino demigrare docet in ventris laxitate; ratione cujus absolutè ad nigrum communiter indiscriminatim plures transeunt: ineptè tamen, siquidem si dulce est, etsi crassarum partium, non cohibet fluxiones, potiùs forsan propter majorem humectationem, eas augere valebit, & ex alia parte ventrem emollire habet, ut docet Galenus, transeundum ergo est ad vinum austerum, si possibile fuerit, ut docuit Hippocrates, quod cùm utplurimùm nigrum sit, ad ipsum utplurimùm pervenimus; non tamen si tale non sit, nisi quando ob tenuitatem & humoris acrimoniam fluxio excitatur, aliàs album erit utile ob rationem dictam, non album aquosum, neque album dulce, sed album aut austerum, aut quale est fulvum ab Hippoc. adductum, ut album, quod ratione caloris exiccare valeat.

De vino ratione accidentium ejus, diversos effectus adducit Hippocrates, & *in comm.* Galen. per quos utile aut nocivum judicatur. *Dulce,* inquit, *vinum, non adeò ut vinosum capitis gravitatem affert, & minùs tentat mentem, neque ullum aliud tam facilè per intestina descendit, sed jecur & lienem in tumorem attollit; neque utile est quibus amara bilis exuperat, urinam minùs quàm album ciet, nullum aliud sputum movet efficaciùs, nisi cùm sitim induxerit, vini albi vinosi tum laudes, tum vituperationes in dulcis vini enarratione continentur.* Quibus verbis quibus utile, aut nocivum sit dulce vinum significat Hippocrates. Et ratione deducitur quid de vino albo vinoso dicendum sit; cùm asserat constare ex his quæ de dulci dicta erant;

erant; differunt enim quatenùs vinosum calidius est, & tenuius dulci; ergo contrarios effectus habet facere, ut ipse refert: album aquosum omnibus tenacius est, magis penetrat, minúsque caput tentat, ut *comment. 2. citat.* docet Gal. *Protinus & facultati aquæ simile existit, neque imbecillum cui ut feriens, neque infirmos nervos.*

Quomodò dicta eveniant, non est difficile intelligere. Diximus de dulci vino crassarum partium esse, & consequentet humidum, quod de nigris intellexit Gal. ut constat ex *3. acut. comment. 2.* etsi etiam alba ejusdem naturæ inveniantur, quæ muscatelina, & quæ nondum deputata sunt, quæ dulcedinem musti participant, & ad eosdem effectus valent. Ob id Gal. *cap. 11. cit.* sic scripsit. *Dulcia vina crassáque quod alvum subducunt, nullus est qui ignoret, sicut mustum quoque, quod simul & flatuosum est, & concoctu difficile, & crassi succi:* totum quod ratione crassarum partium permixtarum cum succo evenit; ut inde constet vina aliqua nigra quæ reperiuntur tenuium partium, non eosdem effectus facere: eveniunt dicta ob partium crassitiem, ut diximus, & indè dulcedo; crassities igitur obstructiones facit, flatus materiam præbet, & coctionis resistentiam, & consequenter lienis & hepatis angustas vias non facilè penetrat, ventrem tamen humectando emollit, & consequenter ad excreationem sputi facit, ob amplitudinem vasorum pulmonis, ut rectè explicuit *in com.* Gal. inquit tamen bilescere in biliosis, quia dulcia facile in naturam bilis transeunt, ut mel; & quia cùm non moveant urinas, nec facile distribuantur, permanent; ità ut alterentur in similem naturam, & ex alia parte non movet bilem ad expulsionem, ut tenuia, sic de vino veteri ait in contrapositionem dulcis Avic. *cap. 8. lib. 1. fen. 3. Vinum cholerâ abundantibus confert, propterea que choleram urinam provocando expellit.*

Vina tamen tenuia faciliùs penetrant, & faciliùs caput tentant, ob calorem majorem: siquidem ob ipsum tenuia sunt & calida, & faciliùs vapores elevantur & ascendunt: aquosum tamen vinum cùm aquæ naturam sequatur, neq; vapores ascendentes præstat, neque calefacere habet, & ex alia parte urinam magis movet, non tamen sputum, quia propter remissum calorem non disponit ad excreationem: fit quidem excreatio medio aëre implente, ad quod laxitas seu mollities instrumentorũ requiritur, cujus contrarium ab aqua & aquoso vino inducitur: Ad quod juvat quod aër impulsus, id quod aqueum est movere non valet. Sic ait Gal. *comment. 2. cit. Scis autem pulmonem ipsum ab humoribus crassis per tussim expurgari; nam qui aquosi sunt, & exquisitè tenues, aërem qui tussiendo extra mittitur, circumfluunt; aër enim tanquam manus existit, quæ sursum crassos humores secum ferat.* Constat ergo quod aqueum non conducit ad excreationem, quatenùs ad suam fluxibilitatem humores trahit, propter quod Hippocrates de aqua inquit, nil aliud esse quod minùs sputum moveat.

Ex dictis patet quid dicendum sit de vino odorifero, aut inodorifero: illud vinosum significat, seu potens; hoc debile & aqueum: illud calorem excedentem; hoc ejus diminutionem, ut ac Hipp. *3. acut. text. 2.* constat, & ex Gal. *in comment.* quod ratione modi substantiæ adveniat, dictum sub dulci & vinoso vino. De austero non potest dubitari cæteris omnibus magis adstringere; ideò ventre fluente, ipso esse utendum docet Hipp. *3. acut. tex. 9.*

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

QUÆSTIO VIII.

An omne Vinum sit Calidum.

DUBITATIONIS fundamentum sumitur ex eo quod Gal. *cap. 11. de cibis boni & mali succi*, austerum frigidum appellat, & *3. acut. comm. 2.* agens de vino inodoro, sic ait. *Carentia odoris, ea imbecillitatis frigiditatisque efficacissima existit nota.* Quâ ratione sumptâ *in comm. 2. ejusdem libri*, postquam dixit vinum aquosum colore & modo substantiæ aquæ assimilari, sic ait. *Protinus & facultati aquæ simile existit:* sed aquæ facultas est frigus; ergo frigidum existit vinum album. Ideò *12. meth. c. 4.* sic ait. *Neque enim invenies ex alborum vinorum genere calidum ullum*; quod de aquosis est intelligendum. Ergo de mente Galeni non omnia vina calida sunt. Quod etiam de vino novo planè docet *cap. 11. cit.* sic: *Vetustorum potus fugiendus, sicut novorum omnium: illa plus justo; hæc nequaquam calefaciunt.*

In hac re verius judico Paulum & Aëtium procedere, omnia vina calida esse dicentes, non solùm in se, sed etiam quoad nos. Quod placitum communiter recipiunt Medici; & est intelligendum de vinis quæ in usu sunt. Quod probari potest primò, quia nullus ad refrigerandum aliquam partem vino utitur, neque experientiâ compertum est aliquem ex se refrigerari vino assumpto: sed non alio modo Galenus ostendit indagari qualitates medicamentorum, *1. de simplic. medic. facult.* quàm ex eo quòd applicata medicamenta corpori faciunt per se: Ergo vinum calidum est dicendum. Neque alia de causa Hippocr. *3. acut. textu 9.* dum vinum austerum concedit fluente ventre, inquit esse exhibendum, *ni capitis gravitas adsit*; quod alij vertunt, *ni capitis gravitatem induceret:* Sed vinum caput gravans calidum debet esse, ut inquit *in comment.* Galenus; ergo calidum est austerum; & sic cùm aliqua frigida appellat, intra suam lineam est intelligendum, quatenùs minùs omnibus aliis calefaciunt, non quatenùs frigida sint in rigore; ideò odoris carentiam frigiditatis signum adducit; & hac etiam ratione vina aquosa non esse calida, quia non sensibiliter manifestè calefaciunt, & sic eis utitur in febribus Galenus *8. method. cap. 3.*

Ratione temporis vinum discriminari docet Galen. *3. acut. comment. 2.* non per se, sed quatenùs ratione temporis hæc aut illa vini virtus magis prævalet, sic ait: Non enim ob tempus vina vel juvant, vel lædunt, sed ex propriarum differentiarum mutatione: quod, ut ex dictis constat, fit partibus aliquibus manentibus, & aliis resolutis, quibus modis perfectio vini resultat & aufertur; sic mediam naturam vini m deb. t habere, ut docuit Galenus *cap. 11. de cibis boni & mali succi*, dicens fugiendum esse potum vetustorum & novellorum vinorum, quem sequitur Avicen. *fen. 3. lib. & doctr. 3. cap. 8.* fatetur enim Galenus illa reddi amara, & plus justo calefacere, potuíque inepta fieri, hæc verò frigidiora esse, coctionem non juvare, ventrem inflare, & hepar obstruere: illud propter exquisitam partium crassarum separationem; & hoc propter ipsarum existentiam. Ob hanc rationem Galenus vetustate vina primò acria, id est mordacia reddi, deinde

Q amara

amara docuit 4 *meth. cap.* 10. *&* 11. & consequenter semper calidiora resultare.

Contra hanc receptam Galeni doctrinam docentem vetustate vinum fieri calidius, stat ejusdem Galeni doctrina 1. *de sanit. tuend.* & *lib. de marcore*, quâ constat corpora à proprio calore resolvi, ut in igne videre est, quod 4. *meteoror. cap* 5. docuit Philosophus, sic scribens. *Siccantur omnia calido vel externo, vel interno humidum consumente in vapores: externo, ut elixa: interno, ut cùm humor à calore, quem in se habet, expiratione consumitur. De quo ex professo tractatu de ætatibus egimus.* Ergo vinum debet tempore resolvi, ac per consequens & refrigerari. Quod experientia confirmat, quâ constat vinum ità tempore debilitari, ut virtus & acrimonia quæ percipitur, sensibiliter amittatur, ut accidit quoties vinum extra doliũ natat, quod vulgò dicitur *dessferebarse*: ergo vinum non redditur tempore calidius. Patet. Nam sicut in nobis frigus resultat ob resolutionem partium calidarum, cur hoc in vino evenire non debet; ostendit enim vini calorem ejus proprij saporis intensio tantò magis, quantò ad saporem plus caloris requirentem accedat, ad acrem scilicet, aut ad amarum, siquidem ipsi caloris sunt soboles, ut docuit Gal. 4. *de simplic. medic. facult. cap.* 13. sed tales sapores potiùs remissiores tempore fiunt; ergo & vini calor, ac per consequens malè Galenus tempore vina resultare calida scripsit. Ad hoc facit quod non apparet quare major calor in vino resultet post depurationem. Patet: nam non est calor aliquis veluti suffocatus à substantiis aliquibus quæ pullulet, neque est à quo procedat: ergo non potest fieri calidius.

Non solùm fieri vinum vetustate calidius, verùm neque ipsum calidum debere esse, potest deduci ex Gal. 5. *de sanit. tuend. cap.* 5. sic dicente. *Vinum ut pueris alienissimum, sic senibus aptissimum.* Quem sequitur Avicen. *cap.* 8. *cit.* sed si vinum calidum esset, esset simile pueris, & dissimile senibus, & ipsorum corpora præternaturam alteraret; ergo non potest esse eis utile, & aliis nocivum. Ad quod facit quod senes ut frigidi sunt, non valebunt id quod calidius est permutare, maximè tamen pueri: ergo utiliùs erit pro pueris quàm pro senibus. Patet: nam ex cruditate seu defectu coctionis vini, multa debent resultare frigida excrementa quæ in his qui multo vino utuntur, inveniuntur: ob quod vinosi malum corporis habitum ferè semper comparant, & suffocati pereunt; ergo non potest esse utile senibus, aut calidum non est, quia quod calidum, non potest per calorem senum commutari.

Si dicas senibus vinum debere dari aquâ temperatum, seu dilutum, ut sic à calore eorum possit superari: Contrà est, Primò quia Galenus *locis citatis* absolutè docet vinum senibus esse utilissimum: ergo de vino mero est intelligendus; quod ostendit immediatè dicens, *& vinum ex his debet esse, quæ calidioris natura sunt*, & eorum adducit exempla: sed si de vino aquâ temperato esset intelligendum, non doceret utiliora esse calidiora, de mero est intelligendum, ac per consequens non poterit esse conveniens senibus.

Præterea quia mixtio aquæ non tollit vini naturam, etsi ejus calorem remittat: ergo non tollit commutari non posse à senibus. Patet: nam etsi calefiat, à frigore recepto ab aqua, non poterit calefieri ultra propriam intensionem quam petit, quia frigidissimi senes sunt; sed ut convertatur ultra propriam intensionem debet calefieri; ergo adhuc dilutum non potest commutari à senibus.

Nihilominùs dicendum est vinum omne calidum esse, secundum magis aut minùs diversum, omnéq; calefacere vivens magis prout antiquiùs, nî ad tantam perveniat senectutem, ut ejus virtus & calor evanescat: Primum expressè est in Galeno 1. *acut comment.* 1. *&* 11. *de simplic. medic. facult.* quod experientia monstrat: quâ ratione *loc. citat.* vinum quò antiquius eò calidius esse semper repetit, asserítque aut amara fieri. Quod verò tanta possit esse ejus antiquitas, ut calor & virtus amittatur, est experientiâ compertum, & doctrinâ Gal. & Avicen. comprobatur, quatenùs omnia proprio calore evanescunt, ità ut inutile & insipidum vinum reddatur. Dico insipidum, quatenùs ingratum facit, quo modo ad acidum saporẽ migrare, quod & ad suam corruptionem facit, ratione cujus Antonius Musa *super hunc locũ*, quatuor ætates habere vina scripsit, quatenùs novella sunt, quæ pueritiæ respondẽt, & quatenùs perfectiorem habent tempore comparatam naturam, adolescentiæ respondent, & calidiora resultant; & deindè quatenùs juventuti assimilantur, fiúntq; tempore calidiora & sicciora, docet tantùm resulvi quæ sunt senectutis instar, & sic vina calefieri inquit, & exiccari à principio usque ad determinatam ætatem, quam juvẽtutem appellat; frigefieri verò posteà, & sic judicat falli Gal. dicentem vinum quò antiquius, calidius reddi absolutè, cùm tandem frigidum sit. Colligit tamen vina diversas ætates habere hic Autor ex eo quod Gal. 4. *aphoris. comment.* 21. sic scribat, *Qualis etiam vinis crassioribus jam consistentibus solet subsidere.* Ergo si ipsis conceditur consistentia, declinatio, seu senectus, sicut & augmentum negari non debet.

Pro resolutione quæstionis, vinum in tantùm calidum aut frigidum esse, in quantum juxta ejus naturam, hanc aut illam consequitur qualitatem, non quatenùs viâ corruptionis tale est. Sic igitur minùs calidum aut dulce dicitur, quatenùs recèns factum ante perfectam ejus depurationem, etsi calidum sit ratione partium permixtarum, neque ità calidum est, ut erit, neque perfectum habet proprium saporem hujus qualitates etsi non sine in tota perfectione, posteà partibus vini magis depuratis, jam per separationem aliquorum excrementorum, jam per calefactionem aliquarum partium, ratione quarum minùs calidum erat anteà, calidius resultat, habet enim partes vinum facientes ipsum paulatim confici ob contrarias qualitates & excrementa, & sic paulatim calidius fit, donec perfectâ partium separatione existente, & omnimodâ dispositione vini inductâ, perfectiorem etiam habet naturam, calidios & tenuius resultat, ut docet Galenus 11. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. clariùs *lib.* 4. *cap.* 10. sic ait. *Sed ubi jam quod aquosum & excrementitium erat, transmutatum fuerit atque confectum, & is qui fervorem concitabat calor evanuerit, quæ propria sunt succorum syncera proprietates, inspiciuntur. Itaque tunc quæ propria vinorum natura sit agnoscimus.* Quibus verbis præterquam quod docet vinum fieri per transmutationem factam succi uvæ qui aquosus est, ut *Tract. de coctione* scripsimus, manifestè docet vini naturam propriam constare separatione quod comparare debebat, & transmutato quod debebat transmutari, ratione cujus 4. *aph. com.* 21. agens de sanguine nigro qui aliquãdo ejicitur, dicit esse limum sanguinis quale reperitur

in

in vinis jam conſiſtentibus. Quibus verbis docet excrementa quædam in ipſis jam perfectis, quibus tempore ſeparatis vina reſultant calidiora.

Quod vina ab hac perfectione reſultent dictum eſt, at hoc viâ corruptionis; ſiquidem ad acidum ſaporem migrant calido reſoluto, ſeu partibus calidis vini jam evaneſcentibus. Propter quod Gal. 4. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 12. vina debilia citiùs aceſcere docet; reſolvitur citiùs debilis, ſeu remiſſus calor, quàm ubi plures ejus partes ſunt; at hæc natura extra propriam vini eſt, cùm acidus ſapor, & quæ ad ipſum migrat diſpoſitio, propria vini non ſit, potiùs ejus interitus, ſeu à naturali ſtatu receſſus. Ideò Gal. *adverſus Lycum cap.* 4. ſcripſit, nullum eſſe vinum ſecundum naturam acidum, potiùs ab ejus natura degenerate docet. Sic ait. *In vinis adſtringens qualitas ab acida ſeparata, ut bonitas à vitio, eſt; quorum quæ adſtringenti qualitate prædita ſunt, generoſa ſunt; acidum verò ſecundum naturam nullum: quin, ſi quid his vel parum acoris acceſſerit, continuò ut in acetum mutetur, fore ſuſpicamur.* Quaſi diceret, à materia vini migrare, dum in acidum ſaporem diſponitur.

Hinc facilè oppoſita ſolvuntur, ſi dicamus Galenum rectè docere vina, quò antiquiora, eò eſſe calidiora; quod debet intelligi intra ſtatum naturalem ejus, non verò dum viâ corruptionis eſt: ſiquidem in tali caſu non poterat dubitare, habere alienas qualitates, ſi ab extrinſeco corrumpantur tales, quales ab ipſo dependeant ſive per ſe, ſive per accidens: ſi ex propria natura, ſeu ab intrinſeco ad talem diſpoſitionem ſubſequuntur; quod non poterat dubitare Galenus, cùm juxta ejus doctrinam ità evenire manifeſtum ſit, ut manifeſtè docuit 4. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 12. per hæc verba. *Vinum acerbum, tempore dulcius primùm, mox acrius, amariúſque efficitur, denique planè etiam amarum redditur: quod velut rigorem perpeſſum eſt, acidius protinùs redditur, ac ſi proſus refrigeretur, penitùs aceſcit.* Quibus verbis manifeſtè docet vinū primò dulce, poſteà acre & amarum fieri, & tãdem refrigerari, & reddi acidum: quod eſt dicere calidius primò, & poſteà magis, donec tandem in extremam migrãs naturam, frigidum fiat; ut conſtet non dubitari ab ipſo mutationes omnes vini, & conſequenter quod quando vinum vetuſtate calidius reddi ſcripſit, loquitur, ipſo intra ſuam naturam exiſtente, cùm aliud extra eam ſit, verè notum erit falli Antonium Muſam indicantem Galenum non cognoviſſe hanc ultimam vini mutationem, ex eo quod in Græcia ob magnam vinorum durationem, eam non fuiſſet expertus: quod contra rationem eſt; nam ſcripſit 4. *de ſimplic. medic. facult.* omnes mutationes, & adhuc quamvis ex hoc capite non conſtaret vina etſi longioris mutationis, ad ſuum terminum devenire debebant, quin aliquando non poterant non tangere Gal. ſaltem in eis quæ antiquitùs facta fuerint.

Sed dices Gal. 1. *de Antidotis, c.* 3. temporis diuturnitate omnia præter vinum ſeneſcere; ergo non eſt intelligendum vinum adhuc viâ corruptionis ex propria natura frigidum fieri. Sic ait Gal. *Cùm audierint Medici id quod ſemper ab omnibus dici ſolet, ſeneſcere cætera temporis diuturnitate præter vina.* Et quia poteſt dici Gal. non affirmare ex ſe, ſed ſic dici ſcribere, quod videtur oſtendere eſſe extra ejus mentem, ſtant alia verba ex propria mente in ipſo capite *ſuprà* idem ſignificantia, hæc ſunt. *Debiliſſima vina quæ præ cæteris aceſcere ſolent, niſi à primis annis acida fiant, integra poſtmodum perſeverant.* Ergo docet talia vina nullatenùs corrumpi vetuſtate.

Reſpondetur Galen. non negare vina tempore corrumpi & diſſipari; docuit ità fieri 4. *de ſimplic. medic. facult. & in hoc cap.* 3. ideò non corrumpi dici communiter affirmat, quod potiùs ſignificat corrumpi: verbis verò ultimis docet, quod ſi alba vina aquoſa primis annis non aceſcant, diù durant, quod non eſt affirmare non corrumpi, ſed quod manent ſine corruptione utplurimùm. Quod patet: ſiquidem potiùs reprehendit Gal. illos qui abſolutè dictum antiquiſſimum vinum pro antidotis conficiendis quærunt. Quâ ratione *cap.* 4. ſic ait. *Mel admiſcere tutius eſt, quod ficus & vinum conſtet, temporis diuturnitate incorruptum eſſe.* Quaſi diceret, quia dicta poſſunt tempore corrumpi, quæ corrupta non ſint, admiſcenda ſunt. Ex dictis conſtat Galenum non negare vina viâ corruptionis infrigidari; tamen docere calidiora eſſe quæ antiquiora in ſuo eſſe naturali exiſtente: quomodo tamen calidiora fiant quotidie, dictum eſt fieri agentibus partibus vinum producentibus, frigidas & humidas calefacientibus & attenuantibus, excrementis etiam ſeparatis.

Cur vinum eò quod calidius ſit quotidie utile ſit pro ſenibus, & inutile pro pueris, conſtabit ſi dicamus, vinum ut medicamentum convenire ſenibus, quatenùs frigidi ſunt, & ad ſui reductionem calido egent alimento: Ideò Gal. 3. *de aliment. facult. cap.* 4. de vino tanquam medicamento agere Hippocratem *hoc libro de victûs ratione* ſcripſit, & conſequenter *de morbis vulgar. part.* 6. *comm.* 5. vino poſt cibum tanquam medicamento utitur ad damnum quod ex cruditatibus ejus evenit. Dicimus tamen quod licèt vinum calidius partibus viventis, & ipſorum intrinſeco calore; frigidius eſſe ſpiritibus ſenum, ſaltem ſecundum plures partes eorum: vel ſit quod ſecundum illas frigidiores alteretur, & commutetur ſaltem in ſpiritibus, & eo gradu quo intenſior eſt ſpirituum calor: in juventute ſcilicet plus vini commutatur; minùs verò cùm remiſſior eſt, ut in ſenectute, & conſequenter utplurimum incommutatum relinquitur in ſene quàm in juvene, quod valeat ſufficere, & tanquam excrementum gravare, ut accidit etiam in his qui vel ex ſe, vel ex prava victûs ratione debilem habent calorem.

Ob rationem dictam ex vino plus bilis reſultat in primis ætatibus, quàm in ſenectute, quia partes calidiores ſuperantur à majori juvenis calore, & ſic in humorem calidum commutantur; ſecùs verò in ſene, quia remiſſior calor frigidiores partes immutare poteſt, ità ut tam ex parte materiæ, quàm ex parte efficientis pro ſubſtantia frigidiori ſit diſpoſitio. Ob quod Galenus 3. *de ſimplic. medic. facult* 3. refert per ætatem juventutis in bilem converti, per ſenectutem verò in optimum humorem, & conſequenter dum in magna quantitate vinum exhibetur, deteriùs ſe habere vivens, ut docet Galenus *tertio de temperament. capite tertio*, quia minùs valet ejus calor pro tanta mole, & plura reſultant excrementa, ut indè conſtet, ut commodius vinum dilutum pro ſenibus ſit; ſiquidem minor ejus quantitas vincitur faciliùs, & ex ipſo pauciora reſultabunt excrementa; ad quod accedit, quod propter aquæ mixtionem

facilius distribuitur, ut docet Galenus 3. *de natural. facult. cap. ultim.* & sic minùs molestiae valebit.

Tandem quaerendum restat, an febrienti vinum sit exhibendum: quod resolutum dedit Galenus 8. *meth. cap.* 3. ex Hippocr. 3. *acut. text.* 1. dicens ipsum vinum exhiberi in diaria, post quae sic ait. *Constat autem & Hippocr. non in diariis solùm febribus, verùm etiam in acutis, ex his quae de acutarum victu, prosit vinum dare.* Quod etiam confirmatur 1. *de art. ad Glauc. cap. de tertian.* in qua post coctionem vinum commeodat; & 11. *meth. cap.* 9. cum quo communis praevalet consuetudo, quod non quomodolibet est intelligendum dum dicit Galenus 8. *meth. & tt. cit.* dum febris non maximè urget, & ut vires maneant, vinum tunc exhibendum aquosum valdè, seu aquâ dilutum; praecipuè si natura frigidis abundet humoribus; est enim vinum calidis & siccis naturis inimicum valdè, & consequenter calidis & siccis passionibus oppositum. Ob quam rationem toties ipsum prohibet Galenus in febribus, ut constat 8. *meth. cap.* 4. & 7. *de simplic. medic. facult.* & 7. & 9. *de compos. medic. secund. loc.* quem sequitur Avicenn. dum curationem febrium in communi & *acut.* adducit *fen. lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 9. & 10. quod non tollit vinum esse utilius pluries quàm aqua, non solùm ut alimentum, quia vires restaurat, sed etiam ut medicamentum. Propter quod 11. *method.* coctione existente viribus patientibus vinum prohibet: at 8. *method.* sic scripsit. *Vinum verò ipsum convenientius est omnibus hujusmodi naturis concedere, sed quod tum aspectu, tum viribus sit aquosum; id enim ad omnia utilius quàm aqua est, nepote quod concoctione juvet, & urinas ac sudores provocet.* Agebat de febricitantibus: Ergo vinum est exhibendum febre adhuc existente, cum attentione ad prohibentia, ità ut urgentiori sit occurrendum, sicut in omnibus aliis, & hac ratione urgente magis febre, vel subjecti temperie, prohibet vinum Hippocr. 6. *Epid. part.* 4. *text.* 5. & quoties ipsum prohibet.

QUAESTIO IX.

De Mulsa & Oxymelite.

Aqua mellis, Melicratum, Hydromeli, & Mulsa idem significant ac potio ex aqua & melle composita, de qua Plinius *lib.* 14. *capit.* 17. & *lib.* 22. *cap.* 24. Paolus *lib.* 1. *cap.* 96. & *in hoc* 3. *lib.* Hippocrates tanquam de alimento in morbis acutis agit, quem sequitur & *in comment.* Galenus, & pluries alibi; fit tripliciter Mulsa, ità ut alia dicatur mera, alia aquosa, alia mediocris, ut docuit Galenus 8. *method. cap.* 4. Illa quae multum habet mellis, parum aquae, aquosa; & è contra, mediocris medio modo. Quam doctrinam dederat Hippocrates *loc. citat.* à *tex.* 11. ubi sic ait. *Aqua mulsa qua fuerit dilutior, efficaciorem evocandi sputi vim obtinet; qua verò minùs diluta est, supra modum biliosa est,* &c. Quibus verbis duas extremas species adducit ex quibus media colligitur, non tamen quantitas, seu proportio ingredientium tenenda determinatur à Galeno aut Hippocrate, determinatur tamen ab aliis Autoribus; siquidem Plinius, quem sequitur Constantinus *lib.* 8. *de agricult. cap.* 27. unam partem mellis ponit cum sex aquae, qui cùm non determinent de qua loquatur, non sufficienter probant doctrinam. Rhasis *in Centiu. ad Almanzorem* & Mesue, uni parti mellis octavam addit aquae, ut fecit etiam Paulus, quam compositionem aquosam, mulsam significare est certum, ut docet Antonius Musa, cùm de illa verificentur effectus ab Hippocrate adducti, scilicet sputum evocare magis, patúmque bilescere: in cujus *comment.* Galenus parum detergere scripsit, ut constat etiam *cap.* 4. *lib.* 8. *method.* cujus contrarium intelligendum est de mulsa meraciori, cùm de ipsa sic scribat Galenus, *Fit hac, ubi immixta melli exigua est aqua sic, ut liquatum mel exiguos meatus cutis ingredi possit*: quâ ratione mediocris aequales partes habere est certum, quarum quaslibet utimur, prout affectus hujus aut illius utilitate eget, illarum quas possunt dictae species praestare.

Antiqui Mulsam conficiebant plerumque, ut loco vini exhiberetur, in illis in quibus appetitus vinum quaerebat, quod fugiebat affectus, ut ostendit Plinius *lib.* 31. *cap.* 6. clariùs tamen *libro* 14. *cap.* 17. in quo non solùm ità esse affirmat, verùm & modum conficiendi adducit; sic ait. *Caelestem ad tertias partes decoquunt, & tertiam mellis veteris adjiciunt: hoc vocatur hydromeli, à vetustate saporem vini assequitur*; at in usu jam non est, ut ipse Plinius scripsit, quia incommoda vini sine ejus utilitatibus causat: sic ait *cap.* 6. *Hydromeli ex imbre cum melle temperabatur quondam, quod daretur appetentibus vinum agris, veluti innocentiori potu, damnatum jam multis annis eisdem vitiis quibus vinum, neque eisdem utilitatibus.* Quibus verbis non est intelligendum mulsam non esse in usu absolutè, sed non esse in usu inveterata, quod necessarium erat ut vini saporem comparatet; sed neque in usu est loco alimenti: utimur tamen mulsâ jam meraciori, jam aquosâ, jam mediocri, prout majori, aut minori tersione est opus, ut docet Galenus 8. *meth. cap.* 4. & prout pectus magis aut minùs est leniendum, & magis aut minùs contraindicat temperies auctrix. Verùm in intumescentia sic ait Hippocr. 3. *acut. text.* 11. *Aqua mulsa his qui amara bile abundant, & quibus tumida sunt viscera minùs convenit.*

Aqua Mulsa quae communiter est in usu, in Officinis aestate communiter habetur, vulgò *Aloxa*, quae non simpliciter Mulsa, sed Mulsa composita est; id est non solùm aquâ & melle constat usque ad despumationem decoctis, quo modo Mulsam fieri scribunt Autores; verùm etiam aliquibus aromatibus & speciebus pro corroboratione ventriculi componitur, quam Mesue construxit, & est in usu ad aestatis calorem attemperandum, jam nive refrigerata, jam sine illa, ut frigore actuali aestuationem colligat, & calorem virtualem reparet, & ad resolutionem & sui distributionem faciat. Ideò Hippocrates *loc. cit.* & Galeo *in comment.* urinam ciere docent, & alvi excrementa ducere, nisi viscerum obstiterit vitium; docet enim Galenus, specialiter laedere dum phlegmone hepar seu lien afficitur, quòd dulcia facile bilescant, & cùm ob phlegmonem penetrare non valeant, detenta putrescunt Expedit igitur Mulsâ utentibus sive frigidâ, sive secùs, nulla affici hypochondriorum inflatione, aut tormine: nam etsi penetrare habeat ex se, ut docet Gal. inculcatus humor ipsam

ipſam detineri facit & corrumpit : ideò Hippoc. *text.* 20. poſt ptiſſanam lædere mulſam affirmat, ante ipſam verò prodeſſe ; hoc eſt cum alimento lædere, ante ipſum prodeſſe, quia alimentum Mulſam detineri facit, quæ detenta aut corrumpitur, aut in flatus mutatur.

Si dicas Mulſam detergere valere, ut ex Galeno docuimus : ſed detergentia conveniunt in tumoribus. Valleſius *ſuper hunc locum*, loqui Galenum inquit de phlegmone vero, in quo propter calorem mulſa corrumpitur, non tamen de tumoribus frigidis. Cum quo dubium non ſolvit : ſiquidem cùm dulcia valeant obſtruere viſcera, non obſtructa magis hoc fugient, quando tumore laborant, & ſic numquam in tumoribus convenire conſtat : Cùm ergo non ſolvat difficultatem, malè impoſuit Galenus ſolùm de phlegmone eſſe intelligendum : ſiquidem expreſsè in omni tumore Mulſam eſſe nocivam docuit. Sic ait, *Nequaquam idoneam eſſe quibus ea ex affectu aliquo intumuerunt, ſive ſcirrhum, ſive œdema nacta ſunt.* Quibus verbis non ſolùm tumores omnes enumerat, verùm rationem damni adducit : *Comment.* tamen 15. verum eſt docere Galenum in morbis acutis de quibus Hippocrates agebat, tumorem viſcerum, phlegmonem ſignificare, quia œdemate, & ſcirrho non cauſatur febris ; tamen hoc non tollit quod in quolibet tumore Mulſa nociva exiſtat, etſi detergere habeat ; quia cùm propter obſtructionem circa partem detineatur, neceſſum eſt corrumpi antequam ſuum producat effectum, & ſic plura faciet incommoda, febrem ſcilicet, & ea quæ ex Mulſæ corruptione ſubſequuntur. Negari tamen non poteſt, quod quando tumores ſunt frigidi, minùs detrimenti Mulſa affert, ut docuit ipſe Galenus, quia tardiùs corrumpitur ; & cùm aquoſa magis eſt, minùs ad bilem eſt diſpoſita, & magis penetrare valebit.

Circa utilitates Mulſæ dictum eſt facultatem habere detergentem, pulmonem lenire, ſputum ducere, & conſequenter tuſſientibus prodeſſe, urinam ciere, & ventrem movere, & quod magis eſt, pluſquam vinum eadem portione dilutum, nutrire valet, ut docuit Hippocrates *loc. citat.* quod ideò eſt, quia mel deterſorium eſt, & aquæ mixtum lenire, ſputum ducere poteſt, ventrémque movere, validéque nutrire. Inquit tamen Hippocrates ſputum glutinoſum Mulsâ glutinoſius fieri : quod reſpiciens Galenus, intelligendum eſſe docet, quatenùs non juvat, & in ſuo eſſe ſputum relinquit, non quia ipſum glutinoſum magis faciat : at licèt verum ſit nil juvare, negari non poteſt quod quatenùs detergere habet ſputum à partibus, ipſum ſe ſe magis condenſare facit, & conſequenter aliquo modo craſſius & glutinoſius reddit.

Sicut Mel aquæ miſcetur, pro Mulſæ compoſitione, vinum etiam mulſum compoſitum fuit ab Antiquis, vino & melle fervefactis, ut docuit Dioſcorid. *lib.* 5. *cap.*8. & 9. & Plinius *libro* 14. *cap.*9. etſi Dioſcorides pro diverſa mellis quantitate mulſum à melite differre dicat, & pro differentia vini, quatenùs melite ex quinque partibus muſti auſteri & una mellis fit, cum aliquo ſalis ; mulſum verò ex duabus partibus vini auſteri & antiqui cum una mellis ſine ſale : at tales potiones communiter non ſunt in uſu, etſi vinum muſcatelinum aliquantulum melitis naturam ſequatur, ſale ſecluſo : loco tamen hujus compoſitionis vinum habemus *Hippocraticum* dictum, quod vino, cinnamomo & ſaccharo conſtat, loco mellis ; etſi aliqui jam melle, jam ſaccharo cum cinnamomo talem faciant compoſitionem, quod vinum utile judicatur pro ventriculi roboratione, præcipuè ſi ante cibum ſumatur, poſt cibum verò inutile eſt, ut de Mulſa diximus, cujus ſequitur utilitates majori roboratione, vel calefactione.

Ut ex ſaccharo, vino & cinnamomo Hippocraticum componitur, loco vini in diverſa valde proportione, ex aqua, ſaccharo, cinnamomo, & aliis aromatibus potio quædam componitur ex India deducta, jam apud nos communis facta, *Chocolate* dicta, cujus ſpeciale ingrediens eſt ſemen quoddam album ad modum amygdalæ, *Cacao* dictum, quod, ut inquiunt naturales, frigidiſſimum eſt, at aliis aromatibus & ſpeciebus taliter temperatur, ut compoſitum calidum reſultet utile pro ventriculi roboratione, & ejus reparatione : Et licèt ſub forma ſolida ſumatur utplurimum per modum tabellarum, communiter cum aqua diſſolvitur, & per modum potùs accipitur, cujus ità communis eſt uſus, ut manè & veſpere à pluribus accipiatur magis voluptate, quàm neceſſitate compulſis, ratione cujus ſub diverſis formis aſſumitur oblectationis gratiâ ; jam in ſpuma, ſiquidem cujuſdam inſtrumenti ad hoc diſpoſiti commotione totus liquor nive refrigeratus in ſpumam vertitur ; & inter potiones nil judico delicioſum magis : accipitur etiam ipſe liquor ſub propria forma jam nive refrigeratus, jam igne calefactus propter ingredientium diverſam compoſitionem, quam continuò mutant accipientes juxta cujuſlibet neceſſitatem, diverſos habet effectus, tota tamen compoſitio ex ſe calida eſt : hujus aquæ quantitas tanta debet eſſe, ut in formam potabilem compoſitum diſſolutum reddatur : urinam & menſes ciet, ventriculum calefacit, & ventrem aliquando ſiſtit, juxta diverſam ventris diſpoſitionem, necnon compoſiti præparationem, quam per tempus debere procedere ad ingredientium contemperationem nequit dubitari.

Inter potiones quibus Hippocrates morbo acuto laborantes alere ſtuduit, non minoris conſiderationis eſt Oxymel. Quod quidem eſt compoſitio ex aqua, melle, & aceto facta, diverſa proportione juxta diverſas indicationes propter quas prohibetur, & ſic diverſa ab Autoribus adducitur. Plinius *lib.*24.*cap.*17.& Dioſcor.*lib.*5.*cap.*15. ſpecialiter, ut de vino mulſo diximus, Oxymel ſale conficiunt, quod ab Aſclepiade & aliis reprobatum eſt, ut ipſe Plinius refert *lib.*19.& 31. *cap.*2. præcipuè cùm in febribus Oxymelite uterentur Antiqui, in quibus ſal nocivum valdè eſt : Ideò Antonius Muſa talem compoſitionem ab Antiquis fieri non credit. Paulus verò aceti & mellis partem unam ponit cum duabus partibus aquæ *lib.*7. *cap.*11. quæ dicta uſque ad ſpiſſitudinem coquit, ſpumâ ſublatâ. Alij verò Oxymel ſolum ex aceto & melle conficiunt, ut fuit Plinius alius & Galenus, etſi Galenus cum aqua & ſine aqua fieri doceat 4.*de ſanit.tuend.c.*6. hoc ex una parte aceti, & duabus mellis decoctis ; illud, additis quatuor partibus aquæ, omnibus uſque ad deſpumationem decoctis, quod oxymel ſimpliciter dicitur : compoſitum tamen cùm hac aut illa medicamenta coquuntur in aqua, ex qua aqua Oxymel

componitur; utraque tamen compositio nostris temporibus solùm ratione medicamenti est in usu, non tamen ratione alimenti.

Habet Oxymel eporum educere humores, incidere crassos, quod est intelligendum si ab aceto mel non superetur; nam in tali casu potiùs comprimere pectus valebit, & incrassare sputa ab ejus frigiditate; est enim utilius quod dilutum est magis. Ideò Galenus 4. *de sanit. tuend. cit.* non eadem proportione aquam esse permiscendam semper docet; sed juxta diversas naturas non solùm subjecti, sed etiam ipsius aceti, ut de vino quod nobis ità familiare est, constat, quod diversâ aquæ quantitate diluitur pro ratione vini, aut subjecti natura; quod enim dilutum est, magis sputum evocat, sitim sedat, & partibus omnibus communicatur, ut inquit Hippocr. *tex.* 30. siquidem calorem meliùs compescit acetum, quod in debita proportione cum aqua est, & humectare intestina habet, urinam movere, & ventris flatus discutere, & crassum attenuare: Ideò lieni & jecori utile judicatur medicamentum à Galeno. Sic ait *comment.* 30. Quâ verò occasione hoc facit ea, tum lieni, tum jecori maximam affert suavitatem, viscera suavè, jucundéque expurgans: Asserit tamen Hippocr. quod exiguum noctu aut manè sit oxymel exhibendum, aut post sorbitionem longo transacto tempore, ne ad incocti distributionem faciat, nihilominùs postbabitis sorbitionibus non est exhibendum, idest vacuis omninò intestinis, & non alimentis, ne aceti mordacitas intestina exulceret, dolores & tormina faciat; quia deficientibus excrementis aut intestinis à carne, seu viscositate nudatis, aceti mordacitas irritat: ob quod acidum præcipuè mulieribus nocivum judicatur ab Hippoc. *tex.* 40. quia earum intestina, & uterus præcipuè, post partum, aut menstruas evacuationes exteouata sunt, & nihil habent quod acidi acrimoniam cohibeat, ideò specialiter *tex.* 36. dicit in aliquibus morbis acutis non semper convenire, quia flatus cohibere habet, & vires frangere, id est in aliquibus morbis habet mordere intestina, ratione cujus ipsa comprimuntur, & flatus sursùm recurrunt vi compressionis in parte inferiori factæ, & sic patitur laborans, vires debilitantur, refrigerantur extrema, & flatus cohibentur, quod est principale incommodum oxymelitis exhibitionem sequens, juxta mentem Hippocr.

Cùm neque ut potu, neque ut alimento Oxymelite utamur per morbos, alia potio communiter in usu existit, quæ ejus sequitur naturam majori suavitate & commoditate, vulgò *Limonada* appellata, ex aqua & sacharo & acido limonum composita, quâ æstate utimur omni voluptate & utilitate ad temporis extinguendum calorem; est enim limonum acidum frigidius & tenuius aceto, saccharum etiam temperatum magis quàm mel, sic refrigerare magis habet talis potio, & minùs penetrat quàm verum oxymel ob acidi tenuitatem, propter cujus specialem naturam cordi opitulatur magis; etsi negari non possit non ità ad excretationem sputi facere dum nive refrigerata potio sumitur.

Hujus potionis ingredientium quantitas ostenditur ab Hippocr. *tex.* 39. & à Galen. 4. *de sanitate tuenda*, dicentibus taliter debere proportionari ingredientia, ut gustui suavis & grata potio reddatur; ità ut neque acidus neque dulcis sapor specialiter excedat, sed proportione existant grata & voluptuosa. Sic ait Hippocrates: *Paulum aceti infunde, tantùm scilicet ut gustûs dumtaxat sensum moveat, sic enim citra noxam debita auxilia præstabis*; agebat de Oxymelite, ad cujus similitudinem Limonata constituitur: ergo talis debet esse proportio ut gustui appareat grata, quæ cùm non possit esse certa & determinata, ob subjectorum diversitatem; siquidem quodlibet suum diversum gustum & appetitum obtinet; ideò Hippocrates inquit tantùm esse aceti infondendum, ut sensum moveat. Galenus tamen ut cuilibet potio grata resultet, sic ait *lib.* 4. *cit. cap.* 6. *Satius ergo fit ex sumentis gustu non nostro judicium de modo facere, ideò sumentis naturæ convenientissimum Oxymel ratus, quod utique est jucundissimum.* Dixerat antea, *neque enim eos probo qui sub una mensura id conficiunt*: ergo talis debet esse proportio ut gustui grata existat, nec alicujus ingredientis eluceat magis natura: ideò hæc etiam scripserat in ipso capite; *ergo qui bibet, si nec de acore ejus queritur, nec de dulcedine, assiduè eo utatur*: debent ergo ingredientia pro gustu proportionari.

Unum tamen speciale in limonata reperitur, scilicet quod ejus decoctio non requiratur, ut requiritur in Mulsa & Oxymelite ad mellis despumationem: siquidem hoc saccharum non eget; nullus tamen ex Antiquis Oxymeli, cujus loco est limonata, vino composuit, sed aquâ semper, ut constet limonatam ex propria natura ex aqua fieri, etsi à pluribus ex vino hodie construatur, est tamen præter ejus naturam; siquidem vinosus sapor cum acido pravè cohæret: at homines aliqui ità sunt vino dediti, ut solùm ipso bene se habeant, quod ità certum cognovi, ut plures viderim saccharo rosato, quod spongiosum vocatur, æstate vino nigro madefacto refrigerationis gratiâ usos fuisse, quod solùm inclinatio specialis tolerare potest.

Quæret aliquis, cur tot compositiones ex melle Hippocrates & Galenus construxerunt, jam aquâ, jam vino, jam aceto, nullas verò saccharo; cùm dubitari non possit, gratiores & utiliores pro morbis hodiè resultare, quæ ex saccharo conficiuntur. Judicârunt aliqui fieri, quia pro aliquibus affectibus utilius est ex melle dictas potiones construere; siquidem ad plura facit mel, ad quæ saccharum non sufficit; cùm calidius sit, & tenuiores partes mel obtineat, & sic validiùs urinam moveat, & coctionem adjuvet. At hæc solutio nulla est, quia hoc faceret, ut aliæ fierent compositiones saccharo, aliæ verò melle, juxta affectuum necessitatem, ut nunc fit, & præcipuè cùm de victu morborum acutorum agerent Hippocrates & Galenus, dum tales compositiones adducunt, in quibus major sacchari necessitas erat, & mel nocivum magis.

Ambrosius Calepinus de saccharo agens vix cognitu fuisse tempore Galeni saccharum docet: at cùm constet de ipso scripsisse Dioscoridem *libro* 2. *cap.* 14. & Plinium *lib.* 12. *cap.* 8. ità ut asserat saccharo ut medicamento tantùm uti, constat cognovisse Galen. præcipuè cum saccharum tanquam remedium adducat 8. *meth. cap.* 4. & *lib. de renum affect.* & adhuc rosaceum saccharum commendat 3. *de remed. parat. facil. cap.* 16 & quod magis 7. *de simplic. medic. facult. cap. de Melle*, de saccharo agit ex professo, & de loco in quo generatur: non ergo ob ignorantiam sacchari, mellis compositiones construxit.

Respon

Reſpondetur tamen Hippocratem & Galenum compoſitiones dictas cum melle facere, quia ſaccharum mellis ſpeciem appellat, eaſdem habentem facultates, eo excepto, quod ſaccharum ſtomacho utilius eſt, & minùs calidum, & conſequenter ſiticuloſum minùs, ut videre eſt 7. *de ſimplic. medic. facult. cit.* & ſic nomine mellis utrumque intelligi. Ad quod accedit quod cùm pro tunc ſacchari nõ reperiretur abundantia, quæ nunc eſt, nil mirum, quod in compoſitionibus communibus ſaccharo non uterentur; portabatur námque ex Arabia & India tantùm, & ſic in parva habebatur quantitate; ſiquidem ſolùm cognoſcebatur tunc, quod per reſudationem arundinum concreſcebat, adhærens, quod in parva quantitate erat, ut docet Plinius *cap.* 8. *citat.* ſic ait. *Saccharum Arabia fert, & laudatius India, & etiam mel arundinibus collectum gummium modo conditum, dentibus fragile, ampliſſimum, nucis avellanæ magnitudine, ad Medicinæ tantùm uſum.* Quod idem Dioſcorides ſcripſit *cap. cit.* Et quamvis Galenus multò poſt ipſos eſſet, non modus extrahendi ſaccharum ex ipſis arundinum intimis erat cognitus, & ſic eadem limitatione habebatur: quod conſtat; cùm ferè eadem verba repetat, ſic ait, *lib. 7. citat. Saccharum vocant quod ex India & felici Arabia ſubvehitur, in calamis, ut aiunt, concreſcit, & ipſum mellis eſt ſpecies.* Quid mirum ergo quod nomine mellis ſaccharum poſſit intelligi, & quod propter ejus penuriam melle compoſitiones conderentur.

Hippocratium vinum ſic conficitur, ut ſcripſit Vega *lib.* 2. *de Arte medendi.* ℞ Cinnam. ℥ 1. zingib. ʒ. 1. caryophyllor. ʒ. ß. moſc. ℈. ß. Ponantur in linteo, & per ipſum percolentur vinum album & nigrum, in quibus conjectum ſit ſaccharum quantitate unius unciæ, & ſit vini quantitas cujuſlibet ℥. vj. & permaneant reliqua in ipſo vino ad infuſionem per horas duodecim, aut uſque guſtui gratus, & odoratus ſit potus. Et per eaſdem ſpecies poteſt iterum nova quantitas vini percolari cum ſaccharo etiam, quia ſaccharum in vino fuit diſſolutum, non ſpecies, & ſic ad alteram valent compoſitionem conſtruendam, aut pro majori vini quantitate ſufficiunt.

Eo modo ac vinum Hippocraticum conficitur, etiam mulſa conficitur ſimilibus ſpeciebus, moſco excepto, in linteo poſitis in majori quantitate, propter majorem liquoris quantitatem, in aqua & melle ad infuſionem poſitis per duodecim horas, aquâ in quantitate octo, cum una mellis, ut voluit Antonius Muſa 3. *de vict. ratione, comment.* 11. Ego tamen parvam judico mellis quantitatem: probabilius exiſtimo, ut dictum ſuprà eſt, codicem eſſe depravatum, melléque eſſe utendum in octava parte aquæ. Iubet tamen Galenus aquam melle priùs eſſe coquendam uſque ad deſpumationem, quod pro parva quantitate facienda poſſibile eſt. Cùm verò in Officinis ad communem uſum magna quantitas Mulſæ conficiatur, non poterit igne commodè fieri: faciunt tamen miniſtri compoſitionem quandam, quâ in dolio poſita aqua & mel, fervent uſque ad deſpumationem, ut maſſa cum fermento, cujus ſemper aliquid ſervant pro nova mulſa conficienda, ex uno dolio ad alterum, quod tanquam fæx mulſæ, ſeu ejus fermentum. Talis eſt compoſitio ex eiſdem ſpeciebus: ſumunt quidem ſufficientem pro toto aquæ dolio, & cum ipſis ponitur mel in eadem ſpecierum proportione, & ſimul minor aquæ quantitas quàm erat mellis; & cum libra una fermenti relinquitur in fundo dolij, ubi tota illa compoſitio ſervetur, donec corrumpatur, & vicem fermenti habet, ut tota aquæ quantitas quæ poſteà injicitur cum melle, poſitis alijs ſpeciebus in linteo, ferveat uſque ad deſpumationem, & mulſa reſultat: fervore tamen demitigato, ex illo quod in fundo eſt, conſumptâ mulsâ, iterum novam conficiunt, dummodò id quod in fundo eſt ſine mulſa corruptum fuerit iterum; ità ut hoc fundo deficiente, niſi novum conſtruatur, non poterit fieri mulſa.

Advertendum tamen eſt, pro his omnibus compoſitionibus, quod non omnes utuntur eiſdem ſpeciebus & ingredientibus: alij plures addunt, & aliquas tollunt: alij tempore neceſſitatis aliis pro alijs utuntur; communiter tamen ex rebus dictis, dictas compoſitiones faciunt, etſi ex ſuperiori ordine piper & glans muſcata ſit ponenda, ad cujus ſimilitudinem plures alumine utuntur, non ſine incommodo magno. Circa Limonatam notate, quod acido limonum deficiente, ipſa conſtruitur duobus guttis oleo vitrioli cum ſaccharo & aqua in proportione dicta, quibus compoſitio reſultat eodem ſapore, & pro eiſdem utilitatibus, tantum colore in viride mutato. Et quamvis oleum vitrioli mordax medicamentum ſit, ſine incommodo refrigerationis gratiâ, adhuc in morbis acutis ipſo utuntur in potionibus extranei; aut quia valde ad diſtributionem liquoris frigidi conducit, aut quia ipſum ex ſe frigidum judicatur.

QUÆSTIO X.

De Ptiſſana.

ITA communis eſt Ptiſſanæ uſus apud Hippocratem *de vict. rat. in morbis acutis* ſcribentem, ut ferè nulla inveniatur occaſio, in qua de Ptiſſana non agat, aut ipſam pro alimento non commendet: quod etiam per *libros de morbis epid.* manifeſtum facit. Ipſum ſequitur Galenus non ſolùm *in comment.* verùm in libro quodam *de Ptiſſana* ſcripto, in quo ex profeſſo, & quid ſit & quomodo fiat, & propter quid docet: Eſt enim Ptiſſana, ut *in proprio loco* ſcripſit Galenus *cap.* 1. compoſitio ex hordeo & aqua decoctis, à pinſſendo dicta, quatenùs de mente Antiquorum, ut conſtat de *aliment. facult. cap.* 9. Pinſendo hordeum conteritur, & à corticibus nudatum, quod poſteà aquâ decoquitur, donec chyli formam acquirat: quâ ratione verbum hoc *Ptiſſana*, omni rei quæ pinſſendo fit, convenit, & propriè dicitur à *piſto*, & ab Antiquis hac ratione etiam hoc nomen non ſolùm dictæ compoſitioni, ſed cuilibet quæ eodem modo fiebat, adaptabant, ità ut pultis genus ſignificaret, ex quacunque re pinſione facta: Ideò Dioſcorides *cap.* 18. *lib.* 2. de ptiſſana ex hordeo aut tritico facta egit. Plinius *lib.* 28. *cap.* 11. Italos ex Oriza ptiſſanam conficere ſcripſit, quem ſequitur Horatius, Philoſophus 1. *problemat. quæſt.* 37. ptiſſanam ex tritico cum alica ex hordeo facta comparat: Ergo ſignificat ptiſſana quamcunque compoſitionem piſſione factam: at ut in uſu eſt, & recipitur à Galeno *cap.* 9. *de aliment.*

 facult.

facult. cit. & lib. proprio de Ptissana, pro compositione ex hordo & aqua facta modo dicto, absolutè intelligitur, & per antonomasiam ptissana dictam compositionem significat, ità ut cùm ad alteriùs rei compositionem ostendendam tali verbo utimur, non ptissanâ absolutè sed ptissanâ cum addito hujus aut alterius utamur, ut ptissana triticea, aut Orizæ, ut *ex dictis locis* constat.

Etsi dictam compositionem Ptissana significet juxta doctrinam Galeni *libro proprio*, nihilominùs ipse 1. *de alimentor. facult. cap.* 9. & 3. *acut. cap.* 18. ptissanam appellat hordeum ipsum à cortice nudum modo dicto, antequam aquâ permixtum coquatur; & adhuc hordeum ipsum quod mundari debet ptissanam appellat: nam adducens modum conficiendi compositionem dictam, sic ait, *cap.* 9. *Crudam ptissanam aliquandiù in aqua præmaceratam, deinde in mortarium injectam manibus terere convenit, asperam quampiam rem in se habentibus, usque eò tamen conterendam, dum præpositus, ac qui in superficie est, cortex sit abjectus.* Quibus verbis hordeum ipsum adhuc ante excorticationem ptissanam appellat: *& in comm.* 18. sic ait. *Crudam ptissanam conterunt puerorum mangones, faciuntque ad vitiosos cutis colores.* Constat ergo de mente Galeni, hordeum ipsum ptissanam appellari: Propter quod Vallesius & Musa *in comment.* hac distinctione loquuntur, quod ptissana cum hoc additamento, cruda, ipsum hordeum excorticatum significet antequam coquatur, juxta Galenum, & *in hoc loco*, & 1. *de aliment. facult. cap.* 9. Ptissana verò cocta, idem est de Ptissana non colata, seu ptissana hordeacea, seu ptissana absolutè, quæ nomina ipsum hordeum usque ad excorticationem significant aquæ decoctum, ut constat ex Galeno 1. *acut. comment.* 26. quod verò talis decoctio linteo percolata, cremor absolutè, seu cremor ptissanæ, aut succus ptissanæ appelletur, ut constat ex Hippocrate 1. *acut. text.* 13. Aqua verò hordei, seu ejus decoctum simpliciter dicitur aqua in qua decoquitur hordeum, usque ad ejus tumefactionem tantùm, de qua Hippocrates 4. *acut. text.* 7.

Quomodò vera ptissana construatur docuit ex professo Galen. *lib. de ptissana*, & 1. *de aliment. facult. cap.* 9. ubi docet hordeum à corticibus mundari debere, hordeo priùs humectato, ut contusione, aut fricatione cortex auferatur, & cuticula alia secunda, si possibile fuerit, ne forsan abstergens conficiatur: Ptissana hæc cruda, ptissana dicitur, & far appellatur communiter, ex qua cum aqua in sufficienti quantitate, ut cum magno igne ad tumefactionem hordeum trahatur, & postea igne lento ad chyli seu cremoris formam ptissana cocta, seu tota ptissana conficitur. Sic ait Galenus *cap. 9. de aliment. facult.* Ptissana tamen humectat, cùm ut decet, fuerit parata, hoc est, cùm in coctione quamplurimùm intumuerit, posteà igne lento per multum otium ad chylum fuerit redacta. Idem reperit *lib. de Ptissana, cap.* 4. Ex quo quod coletur per linteum cremor est, ut constet falli quod grana ipsa post coctionem dicunt remanere, qui scripserunt; cùm Galenus in unum corpus reddi totam ptissanam dicat: & Hippocrates idem docet dicens ptissanæ viscositatem levem esse & continuam, in contrapositionem alterius quæ ex zea fit, quæ inæqualis; esset enim inæqualis & aspera vera ptissana, si grana distincta manerent: Et sic Trallianus *ac. c.* 22. dum inquit ptissanam vesci à melancholicis cum granulis suis, non significat grana distincta manere, sed totam ptissanam esse præbendam.

Ad rectam ptissanæ compositionem construendam, non minùs oportet aquæ determinare quantitatem, cùm inde debeat debita forma in compositione resultare. Circa quod Paulus *lib.* 1. *cap.* 78. uni parti orizæ, cum quindecim partibus componi aquæ. Oribasius *lib. 3. de conficiendis tibus*, uni parti ptissanæ, decem aquæ esse ponendas dicit. quod etiam fecit Constantinus: at Musa tantùm abest ab hoc ut 35. partes aquæ uni hordei convenire dicat, ut debita resultet coctio, juxta Galeni doctrinam hoc experientia duxisset. Et licèt communiter minori quantitate coquatur, certum est nunquam nostris temporibus ministrari ptissanam juxta modum à Galeno datum, & sic experientiæ dictæ est credendum.

Modus tamen conficiendi ptissanam talis est. Hordeum rectè mundatur, & à corticibus nudatur, & usque ad tumefactionem decoquitur, & postèa in mortario teritur, & ejusdem decoctio, seu simplicissima aqua per linteum percolatur & exprimitur, ità ut multum substantiæ illius extrahatur, ut cum saccharo grata fiat potio juxta præsentem consuetudinem. At Antonius Musa ipsum hordeum usque ad tumefactionem decoctum pistare consulit, & per cribum setaceum ejus remue extrahitur, quod cum saccharo loco totius ptissanæ ministratur, & utilius judicatur, quàm talem compositionem ex farina hordei in aqua decocta conficere, tantum ab est ab hoc, ut potiùs ipsa grana integra conficere scribat: siquidem ipsa rectè coquuntur, & cùm summè intumescunt, omne flatulentum deponunt, utiliórque resultat compositio. Farina verò & grana contusa, seu confracta, non ità tument ad extrà, & sic nec flatulentum deponunt. Quod patet: nam Hippocrates 1. *acut. text.* 18. reddens rationem cur alvum non intumescat ptissana, inquit: *Nam elixando intumuit quamùm maximè intumescere potuit*, quod non habent grana confracta inquit Avenzoar *lib.* 1. *tract.* 16. *cap.* 6. confracta grana, ut non habent seminare, sic nec intumescere. Quod idem refert Averr. 5. *collect. cap.* 31. præterquam quòd cùm farinæ atomi quoad minima ferè jungantur, ex tota fit unum corpus, & sic difficiliùs coquitur, quàm grana omnia, quæ non possunt ità conjungi donec cocta sint, ut indè flatulenta magis resultet ptissana ex farina, quàm ex integris granis. Quam decoctionem docuit etiam Galenus *lib. de Ptissana, cap.* 4. ubi reprehendit eos qui hordeum conterebant.

Etsi ptissanâ non utamur alimenti loco, ut tempore Hippocratis utebatur, propter quod de ipsa ex professo agit 1. *de vict. rat.* utimur tamen ipsâ medicamenti loco, attemperationis & humectationis gratiâ, jam quatenùs substantiam talem præstat, jam quatenùs talem alterationem valet efficere, cum quo non est negandum alitionem in tali casu habere; negandum tamen ob rationem alimenti exhiberi præcisè; etsi aliquando ob rationem talis alimenti exhibeatur, id est ut substantiam frigidam & humidam præstat consistentem, & facilè comparabilem, quod est, ut alimentum medicamentosum, quâ ratione ptissanâ, aut ejus cremore utitur Galenus 10. *meth. cap.* 11. & Practici omnes, dum corpus valde extenuatur, ad ejus refectionem totâ ptissanâ utuntur, farre scilicet: At dum sitis non adest necessitas, potiùs humectandi & refrigerandi gratiâ

tributu

tribuitur, & ſic ejus cremore aut aquâ in tali caſu eſt utendum, hac aut illo, prout magis aut minùs humectatione eget corpus : ſiquidem ſubſtantificè magis humectat cremor, qualitativè aqua; ſic igitur magis fedat hæc quàm ille, non tamen corpus extenuatum requirit, nec ventrem laxum.

Habetis cur ſpecialiter ptiſſanâ Antiqui utebantur, eáque refert Hippocrates 1. *acut. tex.* 18. ſic ait. *Viſcoſitas ejus lenis & continua, jucunda, lubrica, & mediocriter humens, ſitim minimè infert, & ſi quid ablui eget, probè alluit, non adſtringit, non tumultum facit, nec ventrem tumefacit.* Et *tex.* 30. ſic. *Cum enim ſtudiosè coquitur perquam lubrica evadit, ſitim nequaquam excitat; atque ut facilè coquitur, ita imbecilliſſima eſt, quibus nimirum omnibus indigemus ad bene medendum.* Per quæ verba omnes utilitates Ptiſſanæ enumerat : nam, ut inquit Galenus *in comment.* viſcoſitas ejus neceſſaria eſt ut alat, eſt tamen lenis, id eſt omni acrimoniâ & mordacitate carens : continua, id eſt æqualiter ſecundum omnes partes ſimilis, ot æqualiter ſecundum omnes tranſmutetur : jucunda, id eſt guſtui grata, præcipuè ſi ſicut decet, paretur. Quod ſignificavit Hippoct. dicens, *ſi ſtudiosè coquitur*, quod eſt douec ad formam chyli, ſeu cremoris reducatur, ut ex Galeno docuimus. Quo facto gratiorem guſtui judico dictam compoſitionem ſaccharo confici quam xnetho, porro, ſale, & xcero, ut voluit Galenus 11.*meth. cap.*11. & 1.*de alimentor.facult. cap.*9. præcipuè pro ægrotantibus, in quibus tot ſunt quæ dicta impediant;calida cùm ſint; etſi ea non in quantitate quæ noceat, ſed ut condimenta eſſe applicanda docet Galenus 8. *meth. cap.* 21 ſic. *Quare commodiſſimus eſt Ptiſſana cremor*(agebat de picrocholis) *ad ungnem coctus, in quo nullum ſit ſuperfluum condimentum, ut pote qui eſt refrigerare & humectare, & ſine ſiti hominem ſervare poteſt, tum, quod nec halitnoſum, nec humidum, nec ſiccù detinet excrementum.* Quibus verbis non ſolùm docet ea quæ in ptiſſana ponuntur, ut condimenta poni, verùm & ejus utilitates enumerat; ſic nos gratiorem ſaccharo fieri dicimus: at cùm non ità communiter haberetur tempore Galeni, ut fcripſimns, ideò alijs conficiebatur condimentis.

Ita jucunda eſt Ptiſſana, ut pane præferatur, ut docuit *in comment.* Galenus, quia licèt hic magis nutriat, non ità facilè ab ægrotantibus accipitur, nec ità facilè coquitur ut ptiſſana quæ alimentum leve præſtat. Cujus rationem reddens Galenus inquit, quia panis mandi debet, minimè verò ptiſſana, ſiquidem ſorbitio eſt, & ſic ab ægrotantibus jucundè & facilè accipitur, faciléq; coquitur, & quia tenuiori alimento egent, proportionatum magis alimentum præſtat ptiſſana, quod docuerat Hippocrates *text.* 30. *citato.*

Inquit prætereà Hippocrates ptiſſanam lubricam eſſe, id eſt non habere viſcoſitatem adhærentem, ſed detergentem; ideò non obſtruit, nec incraſſat, ſed potiùs evaporationes movet, & conſequenter humeſcens mediocriter ab Hippocrate dicitur, quod non eſt valde humectare, ut ſtomachum ſubvertat; propter quod alij ſic vertuot, *mediocriter laxare*, nam quæ humida ſunt, laxare habent : ad quod ſequitur ſitim mitigare, & abluere, non adſtringere, nec ventrem turbare; ſiquidem perfecta coctione omne flatulentum quod poterat elevari, & ventrem turbare, extractum eſt propter ipſam coctionem; ideò inquit non in tumeſcere, quia quantùm potuit intumuit; id eſt, quia taliter coctio facta fuit, ut omne flatulentum poſſibile elevaretur, ratione cujus intumuit quaotùm potuit, & ſic nec tumeſcere magis poteſt, quod eſt quia ex propria natura non ita flatulentum eſt hordeum ac faba, quæ quomolibet coquatur, ſemper flatulenta relinquitur, ut inquit *in commentar.* Galenus, & repetit *libro de Ptiſſana, cap.* 5. ſic, *Quando ptiſana, aut ejus cremoris opus eſt, miniſtrare convenit*; quod intelligendum eſt juxta doctrinam datam tempore & horâ convenienti, ſive loco alimenti, aut medicamenti exhibeatur, etſi noſtris temporibus ptiſſanâ, aut ejus cremore & aquâ utamur ferè ſemper, non verò loco alimenti, ut docuit Valleſius, quia carnibus magis aſſueti ſunt ratione ſimilibus debet fieri nutritio. Propter quod Hippocrates non dixit abſolutè ptiſſanam eſſe præferendam, ſed ſic ait, *Ptiſſana cateris qua ex frigidioribus conſtant pulmentarys rectiſſimè anteferitur in his morbis.* Quod ideò dixit, quia cùm tunc non ità carnivori eſſent homines, frugibus alebantur, & ſic inter talia alimenta fuit comparatio, quod non tollit carnium & earum ſubſtantiarum excellentiam; jam pro vitium reparatione, jam pro conſuetudine ſervanda, etſi in ipſis medicamentoſa ratio non prævaleat.

Advertendum tamen omnia dicta quæ in potu ſumuntur, aut in ſorbitione; aquâ exceptâ, tanquam alimenta adduci ab Hippocrate, & ideò de ipſis agere, dum de victu morborum acutorum ſcripſit, & ut quolibet otamur, cujuſlibet commoda & incommoda adducit. quod patet : ſiquidem 1.*acut. text.* 10. quoties ptiſſana, & quando exhibenda ſit nos docet, & conſuetudinem cibi ſervandam eſſe ait, ſic. *Qui bis die cibum ex conſuetudine ſumunt, bis quoque Ptiſſana exhibenda eſt.* Et *textu* 22. ut occaſionem cibandi ſignificet, cum ptiſſana, dum morbus eſt in ſtatu cruditatis, alijs alimentis eſſe utendum docet : ſic ait. *Nam ſi quàm aridum eſſe conjeceris morbum, non itu multum ipſius dare oportet*, agebat de ptiſana; *ſed ante ſorbitionem, aut aquam, mulſam, aut vinum, prout alterùm magis videbitur conſentaneum, propinare.* Quibus verbis cùm alere intendat, docet ptiſſanam convenire, dum jam morbus humectatur, id eſt quando jam excrementa ejiciuntur, quia coctio eſt, ptiſſanæ convenit, juxta illud Hippocratis, *Dum humidum fuerit os, augenda eſt ſorbitionis quantitas*; quando verò cruditatis ratione mobus ſiccus eſt, id eſt nil ejicitur; aquam mulſam aut vinum exhiberi convenit, quominùs nutriunt; juxta illud, *ſi quàm ariđiſſimum morbum conjeceris, parum ipſius dare oportet*; propter quod vinum aut aquam Mulſam præbet, prout major aut minor expectatur utilitas, quam rationa reparationis eſſe ſumendam ſcripſit Muſa : Et deduci poteſt ex Galeno *in comment.* in quo reddens rationem cur eam præbeat, & non aquam, ſic ait, *Hac quàm aqua magis humectat* : quaſi diceret quod hæc ſubſtantificè humectet, quod non habet aqua; nam aliter non humectaret magis.

Cum hac doctrina intelligitur Galenus *lib. de ptiſſana, cap.*6. ubi ſic ait. *Nec enim illis eſt adminiſtranda qui cum periculo laborant, aut ſanguinis miſſione, aut expurgatione egent, aut clyſtere; minus his qui ventriculum habent excrementis refertum, aut magno dolore vexantur, & nec ſicciſſimis morbis convenit illam exhibere.* Et ratio eſt; quia cùm alimenti ratione exhibeatur, juxta illud 1. *aphor.*

1. *aph. text.* 7. *Vbi morbus extremos habet labores, tenuissimo victu utendum est.* Propter quod etiam 1. *ac. text.* 42. sic ait Hipp. *Infestati itaque dolore, potui dandum est Oxymel, ubi verò sitis cruciat, aquam mulsam, aut aquam.* Quasi diceret, quia laborat corpus, ptissana ob ejus crassitiem non conveoit, sed aqua Mulsa, Oxymel, aut aqua, quæ extremè victum tenuem constituunt. Ob quod etiam in morbis siccis ptissanam negat; per quod non sunt intelligendi morbi ex intemperie sicca, sed qui nondum evacuationes materiæ coctæ habent. Sic ait Galenus *com.* 22. *Et sanè superfluitatum nil excernere siccorum morborum omnium notam esse non ignoras.* Et *lib. de Ptissana* idem repetit sic. *Sicci autem morbi sunt plevritis, & peripneumonia, cùm nulla ab eis sputa proveniunt.* Et cùm in tali casu accidentia infestent magis juxta *textum* 28. in quo sic ait Hippocrates. *Cùm ità plevritici aliquid notatu dignum excreare, & expurgare cæperint, dolores ipsorum illicò sua sponte desinunt,* ideo ptissanam non esse præbendam docet, sed quòd tenuiorem victum constituat.

Inquit prætereà Galenus ptissanam non esse exhibendam, *dum corpus expurgatione, aut sanguinis missione, aut clystere eget,* per quod non est intelligendum absolutè, dum talis indigentia est; siquidem ut ipse Galenus docet *cap.* 5. utilis est in febribus, noo solùm quia frigida & humida, sed quia expurgans, sic ait: *Meritò acutis febribus convenire existimamus, non tantùm quod illis morbis adversatur, verùm etiam quia facillima sit concoctionis, & putrefactos humores ob detersoriam qualitatem expurgat: eos verò concoquet qui jam semiputres evaserunt.* Quibus verbis constat ptissanam non prohiberi quando expurgationis est necessitas absolutè, sed quando medicamentum expurgans immediatè est expurgandum, aut clyster, aut phlebotomia est facienda, quatenùs alimentum talia remedia esse facienda prohibet. Quod Hippocrates *text.* 19. *acut.* docuit, sic ait. *Cæterùm qui in hujusmodi morbis ptissanâ utuntur, ne unius dieculæ abstinentia est imperanda, sed sine intermissione utendum, nisi quid medicamenti purgantis, aut clysteris causâ intermittendum sit.* Quibus verbis & ptissanam alimentum esse docet, & ut tale non esse exhibendam, dum medicamento, aut clystere utendum est, quia ipsa alimentum impedit.

Ex dictis deducitur, quòd si vino, Mulsâ, aut Oxymelite, Ptissanâ, aut ejus cremore utitur Galenus, alimenta quibus sufficienter alebant ægrotantem, Galeni & Hippocratis tempore, ipsis non possunt uti extra prandia consueta jejunantes, nisi ratione medicinali sumantur, aut in parva quantitate; aliàs quis dubitabit tales alimento usos fuisse, & tantò minùs eis poterunt uti, quantò magis alere valeant, & sic necessum est, Mulsâ aut limonatâ, aut vino, communiter loco potûs uti, quia parùm nutrientia sunt, vel non judico securè illa potione uti posse quæ *chocolate* dicitur, præcipuè manè, quia ità validè alit, ut eam accipientes, sine cibo plurimss horas vivant; nec talem potionem per modum potûs sumi, judico satisfacere, nam hoc non tollit alimentum esse, ut tale si diceretur jus ex avibus per expressionem extractum, quod nullus ut potum acciperet, sed ut alimentum, & sic ipso accepto jejunare judicaret; nam talis potio tanquam potus ministratur, cùm non ob potûs usum, sed ob alios *Chocolate* exhibeatur: nec hoc obstaret, dum verè nutrire habeat, ut valet ptissanæ cremor, & sic nec ipsis securè possumus uti, dum jejunio studemus, contrarium nisi fuerit in consuetudine.



TRACTATVS



TRACTATUS DE BALNEORVM NATURA ET USU.

SECTIO I.

De Balneo Sanorum.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Balneum.

CUM victûs ratio, etiamsi specialiter modum cibandi significet, usum, seu modum utendi omnibus rebus nonnaturalibus continet, ut docuit Vallesius 1.*meth. cap.*12.juxta doctrinam Galeni 3. *Epid. part.* 3. *comment.* 5. Et licèt balneum nequeat in rigore rem nonnaturalem constituere, est tamen quid quo ferè omnes utuntur tam salutis consequutione & conservatione, quàm commoditatis gratiâ: ideò Hippocrates 3. *de diæta sanorum*, instituens victum in calida & sicca passione sic ait. *Balneis utatur, & somnis mollibus, & prandio*, & consequenter de victûs ratione sermonem instituens *lib.* 3. *tex.* 46. de Balneis agit ex professo: siquidem ex recta ipsorum administratione plura sequuntur commoda: sunt tamen Balnea ex his quæ extrinsecùs occurrunt. quâ acceptione Mercatus *lib.6.de recto præsidior. usu, cap.*15. Balnea appellat & dividit ratione rerum quæ possunt offerri, dicens, aliud esse ex liquore, aliud ex vapore, aliud ex solida substantia, & sic sub primo membro omnia quæ à quolibet liquore fiunt comprehendit; sub secundo primam partem Balnei juxta Antiquorum institutionem traditam à Galeno 51. *meth.*& tandem sub tertio submersionem corporis intra arenam, salem, triticum, & vinaceum: quæ omnia si fines Balnei respiciamus, ejus rigorosam rationem non habent; siquidem mundificare, Balnei proprium est, ut ex Galeno dicemus, quod à ratione aliarum præter aquam, aut quæ modum substantiæ similem obtinent, alienum existit, & sic Balneum occursus aquæ, seu aquosi liquoris ad partes externas occursans, aut ejusdem liquoris profluxio. Ideo Gal. 10 *meth.c.*10 referens cur frigidum Balneum hecticos lædat, sic scripsit. *Nullum munimen habent quod frigida occursum sine noxa excipiat.* Et cùm Balnea communiter ex aqua fiant, sive sponte nascente, sive ab arte disposita, Balneum definiendum, occursus aquæ partibus externis.

Circa verò Balneorum differentias plura sunt dicenda: nam alia differunt ex parte subjecti quod lavatur; alia ex parte materiæ seu liquoris quo fit Balneum, alia ratione qualitatis ipsius liquoris, sive actualis, sive potestate; & tandem alia ratione modi administrationis. quarum divisionum duæ priores non ità principales sunt ad præsens institutum, etsi ad methodum medendi simpliciter faciant; posteriores verò magis ad id quod intendimus enodare conducunt. Dicemus tamen de omnibus.

Balneum igitur ratione subjecti quod lavatur differt quatenùs universale, aut particulare est; id est quatenùs totum corpus lavatur; aut pars aliqua determinata. Quam divisionem dedit Hippocrates 3. *acut. text.* 6. per hæc verba. *Sin verò parcius quam decet profluxit, lavare convenit, sive corpus universum in reliquis, sive caput dumtaxat utilitatem sentiat.* Galenus *in commentar.* sic ait: *Clarius autem significavit quonam pacto sæpiùs in domo calèfacta agrum absque labro collocent, & caput dumtaxat citra reliquas corporis partes calidâ profundant aqua.* Docet ergo aliud esse balneum universale, aliud verò particulare: quâ ratione communiter Practici pro affectuum diversitate, hanc aut illam partem lavare solent; caput jam pro somno, jam pro vigilia excitanda, pedes pro revulsione, seu retractione facienda; totum corpus jam pro hecticis, jam pro febricitantibus aliter, ut constat in Gal. 9.& 10.*meth.& 4.acut.comment.* 42. cujus naturæ est communis manuum, faciei & pedum lotio, quæ mundificationis gratiâ quotidiè ferè ab omnibus exercetur.

Ex parte materiæ, seu liquoris quo fit balneatio, & balneum instituitur, differt quatenùs diversus potest esse liquor ad dictum effectum, & hac ratione tot Balnea esse possunt, quot liquores ad hoc apti, talis est aqua, vinum, acetum, & aliquarum rerum succi, qui ferè naturam aquæ, saltem quoad modum substantiæ, repræsentant, ut fines Balnei consequantur: quod fiet notum si attendamus Balnea pro alteratione hac aut illâ qualitate, & pro resolutione, & pro constrictione, & pro abstersione & mundificatione fieri, ut ex professo dicemus *infrà* ex Hippocr. & Galeno 3.*acut.* sed ad dictos usus possunt dicti liquores conducere; ergo & esse Balneorum materia: quâ ratione ex melle, butyro, oleo, aut rebus pinguibus balneum in rigore esse non potest, quia etsi pro alijs finibus faciant, pro abstersione, & mundificatione minimè, quæ est unus ex principalibus Balnei finibus, quo carent omnia illa quæ per modum unctionis applicantur: cum quo non nego medicamenti gratiâ balneum ex oleo & aquâ componi pluries, ut fecit Galenus 5. *de simplic. medic. facult. cap.* 5. ad cujus similitudinem embrocationes, seu fomentationes ex aqua & oleo pro partium acceptionibus fiunt quotidiè, quæ naturam Balnei particularis habent: at cùm communiter Balnea ex aqua fiant, de ipsis erit nostra specialis disceptatio, quia pro omni-

bus

bus finibus Balnei est eorum usus, reliquorum verò liquorum solùm medicaminis gratiâ.

Præcipua Balneorum differentia, ratione qualitatis desumitur; quod non est intelligendum quateoûs ex diverso liquore fiunt; nam hoc modo non esset divisio alia, sed quatenùs idem liquor diversa qualitate afficitur diversimodè, quia habet corpus alterare, sive quia ex propria natura tali diversitate liquor producitur; sive quia per artem aliquando immutatur; talia sunt Balnea ex aqua, de quibus Gal. 1. *de simp. med. fac. c.* 6. in quo agens de aqua, potabilem frigidum, esse & humidum scripsit, alias verò id bituminosam, sulfuream, marinam, nitrosam, & similes omnes calidas, sive sponte procedant, sive secùs: hoc est sive tales nascantur, sive per artem fiant; æquè autem ac muria marinâque aqua sulfurosæ aquæ, bituminosæ & nitrosæ, chalchantum & misy & chalcitin, vel aliquod ex calidis medicamentis gustu referunt, *inimica sunt omnes calidis corporum affectibus. Ex quo claret has omnes facultatibus esse calidas, solam verò aquam potabilem frigidam.* Docet ergo aquas ipsas diversis præditas esse qualitatibus, ratione aquarum Balnea differre, notum fit, quod ipse antea his docuerat verbis, *cap.* 4. *Nam si quis in potabili aqua totum diem ignatet, ut etiam non admodum sit frigida, sed velut ex sole tepens, necessariò jam refrigerabitur. At mare eplòures juvenum interdum innoxiè pertulère, non per diem modò totam, sed etiam adjunctâ nocte.* Constat ergo ex propria natura diversa concedi Balnea ratione liquoris ejusdem, ob diversas qualitates. Quo fundamento Vallesius *in comm.* sic ait. *Omnes aquas spontè natas, præter potabilem esse calidas indicat; nam nullam aliam spontè nascentē potabilē esse præter eas quas Gal. calidas nuncupavit.*

Iuxta hanc divisionem, aut parantur Balnea ea arte diversa pro affectuum diversitate, aut fiunt Balnea, ut antiquitùs utebatur, juxta doctrinam Hippocratis 3. *acut. tex.* 49. dicentis diversas præparandas mixturas; in cujus *comment.* Gal. & 10. *meth. cap.* 10. Balnea institui docet aquâ calidâ primò dispositâ, deinde frigidâ, ut ab illa in hanc transiret laborans, aut saltem ut permixtâ aquâ post calidum Balneum ad temperiem requisitam trahatur. Sic ait, *in comment. Ob id qui rectè valent à calido balneo sese in frigidam projiciunt aquam; sed qui ægrotant, contactum frigida non sustinent; quapropter frigidam calida mixtione frangimus.* Et 10. *meth.* hoc ipso fundamento tres domos, seu cellulas cum diversis temperiebus ad Balneum supponit, & consequenter 2. *de temp. cap.* 2. tres esse calores aquæ Balneis scripsit, aut quatenùs frigida, calida & temperata possunt esse Balnea, aut quatenùs taliter temperata debent disponi ad Balneum commune; quâ etiam diversitate adhuc præter naturam reperiuntur Balnea jam calida, jam frigida, jam sicca, jam humida, qualia sunt ea de quibus Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 6. scripsit, frigida & humida quæ ex aqua potabili; calida & sicca, sulfurea, nitrosa, & similia, quæ quotidie reperiuntur diversis in locis, ut refert Plinius *lib.* 31. *cap.* 2.

Ratione modi utendi, seu administrandi, Balnea non minùs diversificantur; siquidem solùm ex eo quod rectò modo administrentur, aut secùs, utilia aut nociva Balnea ipsa requisita resultant, ut ipse Hippocrates 3. *acut. tex.* 44. docet; sic ait. *At nisi quis perbelle lavetur, non mediocrem incurret noxam,* quod repetit *text.* 60. postquam Balnei plura scripsit commoda. Differt ergo Balneum ratione administrationis, ità ut utile aut nocivum resultet quo Balneum calidum præcedere ad frigidum 10 *meth. c.* 10. in ipsisque parum detineri ægrotantes, aliàs corpus alterabitur nimis, & virtus utroque modo patietur. Hanc divisionem dedit Hippocrates 3. *acut. text.* 44. Sic ait. *Opus est frequenti lavatione, sed non admodum largè affusa, nisi res ità postulaverit.* Quibus verbis aliam esse mediocrem, aliam immediocrem concessit, quod est Balneum, quod quoad modum administrandi mediocre, aut secùs esse: Galenus *in comment.* hanc doctrinam recipiens, postquam fatetur Balneationem non debere esse immediocrem, aliquando ipsam convenire scripsit: Et *comment.* 5. super illa verba, *Celeres sint perfusiones*, inquit, non solùm celeres debere esse perfusiones, quia frequentes, sed quia in ipsa actione celeris debet esse aquæ perfusio. Sunt igitur Balnea quoad modum administrandi utilia, aut nociva, aut mediocra, aut immediocria, quia celeriter, aut lentè fiant, ordine requisito, aut sine ipso.

Explanabuntur hujus divisionis membra seu differentiæ magis, si attendamus ex una parte ordinem lavandi, & domos quas habebant dispositas Antiqui ad Balneum, de quibus fecit mentionem Galenus, tum *in comment.* 3. *acut.* tum 10. *meth. cap.* 10. tum ex professo, quatuor esse domos antiquitùs ad balneum describit, & sic quatuor esse ejus partes. Prima domus erat aëre calido plena, ut corpus nudum redderetur: secunda aquâ calidâ constabat, ut corpus ipsâ lavaretur, & humor aliquantulum dissolveretur: Tertia aquâ frigidâ, ut ipsa profusa, aut in ipsa corpore immerso refocillaretur calore à balneo recepto attemperato per frigus aquæ, ut ità corpus etiam fortius resultaret resolutione impeditâ: Et tandem quarta instituebatur domus aëre temperato, ut si aliquid è corpore pelleudum erat fuliginosum ipso jam roborato, sudore ejiciat, aut saltem ad debitam trahatur symmetriam vivens, & induatur. Sic ait, 10. *meth. Utramque verò, facultatem habet Balneum, utpote ex partibus variâ facultate præditis compositum. Quippe ingredientes versantur in aëre calido, posteàque in calidam descendunt, mox ab hac egressi, in frigidam, postremò sudor detergitur.* Quibus verbis & consequentibus non solùm quatuor partes balneum antiquitùs habere ostendit, verùm etiam earum effectos & necessitatem. Ergo si talis perturbetur ordo, & utilitas balnei peribit magis aut minùs, prout major fuerit necessitas.

Hanc veritatem deducemus etiam, si effectus balnei respiciamus; habet enim calidum balneum modicè applicitum, calefacere, frigidum verò è contrà, quodlibet ut expedit operabitur, si debito modo ipso utatur, aliter minimè, frustratur quidem effectus ob plura plures, sic ait Hippocrates *lib. de affection. prope finem, Balneum quidem calidum moderatum, corpus emollit & auget, quod verò tempestivum modum excedit, siccas quidem corporis partes madefacit, humidas autem reficcat.* Et veluti reddens rationem 2. *de diata sanorum, post medium,* contrarios effectus evenire qui desiderantur à baneis ostendit. Sic ait. *Calida autem Balnea jejunum attenuant & frigefaciunt: per caliditatem enim humiditatem de corpore auferunt, evacuatâ autem de carne humiditate, corpus refrigeratur. A cibo accepto eadem calefaciunt ac augmentant*

mentant, ea quæ supereminent in corpore diffundentia in majorem molem. Balnea autem frigida vice versa. Vacuo quidem corpore prabent caliditatem, &c. Constat ergo balneum etiam ratione modi administrationis ità differre, ut utile nocivum reddat, & aliud modicum alium excedens esse debet, juxta cujusque necessitatem. Quomodo balneum calidum siccas partes humectet, non est hujus loci intelligendum, tameo est liquatione factâ, & humido ad partes externas exsiccatas attracto; ideò *lib. de affect. cit.* scripsit. *Et sicca quidem humectata, imbecillitatem & animi deliquium inducunt:* quia liquatione inductâ, hoc evenire necessum est. Et ob eandem rationem 2. *de diat. sanor. cit.* à cibo ingesto balneum humectare & calefacere scripsit.

Ex dictis duo sunt manifesta. Primò quod balnea communia ex aqua tanquam ex materia fiant, ità ut de ipsis intelligenda sit controversia quæ de balneis agat, ubi per communia baloea non significamus ea communia quæ reperiuntur respectu cujuslibet; sed omnia baloea de quibus agimus, sive universalia, sive particularia sint, sive communiter habeaotur ab arte, aut natura, sive privata, sive pro cujuslibet commoditate parata; siquidem omnia ex aqua fiunt, & hac ratione de ipsis egit Hippocrates 3. *acut.* & 2. *de diata*, & Galenus *in commene.* & per *lib. 6. meth.* & *de sanit. tuenda*, quotiescunque de ipsis scripsit, & Avic. *fen 3. lib. 1. doctr. 2. cap. 5.* & *fen 2. cap.* 19. & omnes qui eos sequuntur. Propterea etiam Autonius Musa & Vallesius & plures alij Hippocratem de balneis agere volunt.

Secundò quia cùm de aqua egisset, & aqua pro balneis sit, de balneis agere debebant: Ideo Galenus *de composit. medic. secund. loc. cap.* 1. baloeum absolutè quod fit ex aqua dulci significare docet, non verò quod ex alijs aquis. *Caeterùm communis materia auxiliorum ad vocis organa, est qua ex balneis contingit. Manifestum est, quod dulcium aquarum dico. Marina enim balnea & sulfurea, & aluminosa, ac bituminosa propterea quod fortiter resiccant, inepta sunt.* Quibus constat balneum communiter ex aqua fieri.

Alterum quod fit ex dictis manifestum est, balnea antiquitùs parari sive ex arte, sive per naturam, aëre priùs calido existeote interna domo, ut ibi corpus nudum aliquantulum permaoeos, cutis mollior redderetur, & sic attenuarentur quæ sub ipsa erant. Deindè aquâ calidâ existente in alia domo ut ibi corpus mundificaretur, seu lavaretur, & ut excrementa attenuata ad extrà traherentur, & madefactione inductâ in cute resolverentur. Tertiò aqua frigida in alia erat domo, ut calor inductus attemperaretur, & corpus roboraretur magis, resolutione virtutis impeditâ, & consistentia quadam in partibus per condensationem inductâ, quo corpus firmius fiebat. Tandem quartò aëre existeute temperato, ut corporis debita temperies conservaretur, & sudor, si aliquis futurus erat, non impediretur. Totum quod docet expressè Galenus 10. *meth. cap.* 10. tanquam necessarium ad cujuslibet balneationem, hujus verba non repeto quia prolixè idem significant, & consequenter 3. *de sanit. tuend. cap.* 4. agens de balneo sanorum, primò lavari io aqua calida docet, deindè in frigida, aut saltem exercitio suppleri calorem & attenuationem in balneo calido faciendam, & indè in frigidam initiaotur sani. Quo fundamento scripsit 10. *meth. cap.* 10. *Multi juvenes confectis itineribus, ubi illicò se in aquam frigidam projecerint, juvantur:* Non ergo dubitandum est antiquitùs modo debito balnea celebrari.

QUÆSTIO II.

Utrum ordine & modo antiquo balnea sint instituenda.

Ut dictum est, aquam absolutè communium balneorum materiam esse ex Galeno, etiam per balneum absolutè, quod ex aqua potabili fit significatur, ut ex ipsis verbis constat: Nam postquam dixit balnea esse materiam auxiliorum, sic ait *lib. de compos. medic. secund. loc. citato, Manifestum est quod dulcium aquarum dico*, ut inde constet, quod dum ordinem servandum in balneis quærimus, de illis sit intelligendum quæ ex aqua constaut potabili; significat enim idem potabilis aqua, ac dulcis, aut aqua absolutè dicta: nam cùm balneum profluxio, seu aquæ occursus dicatur, & aqua absolutè idem sit ac pura aqua omni alia mixtioue carens, idem est balneum ac id quod ex aqua potabili ac dulci fit; ità ut alterius naturæ balneum significandum, non balneum absolutè sit dicendum, sed cum addito illius cujus est: Patet ex Galen. 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 4. ubi postquam dixit refrigerari qui accepit balneum aquæ potabilis, calefieri in mari, sic ait. *Quod si non semper in sermone adjiciam, potabilem, sed dicam simpliciter, quantùm ex se est, aquam esse frigidam, non calumniari oportebit. Nam quæ exactè ac syncerè aqua est, omni alterius substantia vacat mixtione.* Intelligit ergo per aquam absolutè, aquam simplicem, & omoi mixtione carentem, quam potabilem appellat: hanc verò esse dulcem. Et in ipso *cap.* 4. docet Galenus, sic ait. *Ex quo liquet aquam potabilem & dulcem secundum naturam suam semper esse frigidã.* Suprà dictum est quomodo potabilis dulcis dicatur aqua, & quasi dulcis ab Av. *fen 1. l. 1. tr. 2. c. 16.*

Cùm balnea etiam reperiantur innumera ex aqua non potabili facta, sive per artem, sive spontè nescentia, qualia sunt ea de quibus meminit Galeuus 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. & 7. *de composit. medic. secund. locc c. cap.* 1. ipsis dicendum est uti prout affectus expostular; siquidem ipsa medicamenti ratione ministrantur, & sic affectus ipsi ordinem determinant observandum; balnea verò ex aqua potabili etsi pluries medicamenti ratione ministrentur, non semper sic de ipsis est necessaria disceptatio specialis, dicemus tamen posteà de alijs ex aqua noo potabili quæ talia dicuntur, non quia potabilis aqua non fuerit eorum materia, sed quia ex aqua potabili fiunt taliter per artem, aut per naturam disposita, ut potabilis aqua non sit, talia sunt marina, aut sulfurea balnea, quæ aut spontè procedunt ratione mineralium per quæ aqua potabilis communicatur mixtione aliquarum substantiarum ipsorum, quas secum rapit aqua, aut ratione mixtionis à nobis factæ substantiarum similium; aut talia fiunt, ut docuit idem Gal. 1. *de simp. medic. fac. c. 4. cit.* ubi sic ait. *Si aqua per bituminosa, sulfurea, nitrosa, aut aluminosa loca distillans, substantia eorum aliquid absterserit, secumque traxerit, mixta jam ea est, non autem exactè aqua; velut si ipse quoque volueris aut salem, aut alumen,* aut

aut aliud id genus affatim aqua miſcere potabili, ſicut ſanè ſæpenumero facere cogimur in marina inopia. Quibus verbis conſtat balnea ex aqua non potabili dici, quia jam non potabilis eſt facta, non quia talis eſſet ex propria natura: de alijs verò balneis quæ adhuc mixtione facta potabilis aqua relinquitur, ut de potabilibus eſt loquendum.

Nunc verò difficultas eſt an balnea communia, id eſt quæ ex potabili fiunt aqua, ordine antiquo ſint adminiſtranda; miniſtrantur tamen in duplici ſtatu, & per ſanitatem, & per morbum: de utroque dicemus, ſi priùs de ſtatu ſano ſermonem fecerimus. Circa quod videtur talem ordinem ſupervacaneum eſſe: ſiquidem balneum aut eſt calefaciendi, aut refrigerandi, aut humectandi gratiâ, aut ad reſolutionem alicujus humoris, ſeu excrementi, aut præciſè ad deterſionem, ſeu ſordium corporis mundificationem, ut ex doctrina Hippocratis deducitur; ſed ad hos effectus inducendos non videtur neceſſarius ordo dictus; ergo non eſt exercendus. Patet: nam ſi calefacere intendimus, frigidum balneum erit; ſi frigefacere, calidum, & ſic de alijs: ergo nec antiquus ordo eſt ſervandus.

Præterea quia corpora ſana de quibus agimus, non indigent balneis propter attemperationem alicujus qualitatis excedentis, neque ad reſolutionem alicujus humoris, ſeu excrementi excedentis, ſed tantùm ad mundificationem ſordium. Sic ait Galenus 3. *de ſanit. tuen. cap. 4. Sed quod ad ſanitatem ſpectat tuendam, juvenis in ſermone propoſitus redeat jam*, (agebat de temperato) *huic igitur prædicti balnei perexiguus eſt uſus, ut qui omnia jam ex mediocri exercitatione eſt conſequutus.* Et paucis interpoſitis, ſic ait. *Quare elui ſibi in balneo ſudorem & pulverem magis expoſtulat, quàm calefieri.* Quod etiam docuit Avicenn. *fen 3. lib. 1. cap. 5. doctr. 2.* Sed ad prædictum uſum non eſt neceſſarius ordo dictus: ergo non eſt tenendus.

Tertiò, & quod magis balnea communiter per ſanitatem ſumuntur mundificationis & attemperationis gratiâ, ut docuit Galenus 3. *de ſanit. tuend. cit.* ideò per æſtatem ut plurimùm homines eo utuntur, ad calorem temporis corrigendum ex Hippocr. *lib. de ſalubri diæta, text.* 10. ſed ad huoc finem ſufficit aquæ tepidæ & dulcis balneum; ergo nullatenùs frigidum debet ſubſequi. Major eſt nota: Minor conſtat ex Galeno 1. *de ſimplic. medic. facult. cap. 4.* per hæc verba. *Nam ſi quis in potabili aqua totum diem innatet, ut etiam non admodum ſit frigida, ſed velut ex ſole tepens, neceſſariò tamen refrigerabitur.* Ergo ſine uſu balnei frigidi refrigerabitur qui balneo tepido utetur; & ex alia parte ad mundificationem, & ad reſolutionem fuliginum & excrementorum calefacientium faciet magis: ergo antiquus ordo non eſt ſervandus.

Pro ſolutione quæſtionis advertendum, quod licèt his temporibus non detur communiter talis diſpoſitio in balneis, ut ordo antiquus ſervari poſſit; ſiquidem neque domos paratas inveniemus, nec miniſtros qui diſpoſitionis habeant integram notitiam: aliud tamen eſt quod faciendum, aliud quod utilius; hoc quærimus, illud adhuc tempore Hippocratis non ſervabatur, ut ipſe ſcripſit 3. *acut. text.* 46. per hæc verba. *Rarò balneo utuntur homines, quòd ipſum præparare neſciunt; quippe in paucis admodùm domibus vel inſtrumenta, vel miniſtri apti inveniuntur.* Ratione cujus ſine tali diſpoſitione communiter balnea exercentur, ſive ab arte, ſive à natura præparata, ſive per ſanitatem, ſive per morbum, ſolùm inſtrumento apto ad hoc conſtructo ut in ipſo aqua ponatur ſufficiens pro corporis lavacro; quod fieri etiam tempore Hippocratis & Galeni conſtat 3. *acut. tex.* 48. ubi ſic ait. *Via ad ſolium brevis ſit:* in cujus *comment.* Galenus ſic ait. *Id eſt ſive in balneo hominem laveris, ſive in domo aliqua ſtruxeris pyram, & labrum aquâ impleveris. Quod & nunc ſit ſæpiùs, deficiente balneo.*

Licèt hoc verum ſit, examinare & determinare eſt neceſſum, an ordo antiquus in balneis ſervandus ſit, tum ut cognoſcamus quod utilius, tum ut modo poſſibili tali ordine procedamus; quia licèt diſpoſitio illa domorum ſeu cellularum deficiat, & unico inſtrumento aquâ repleto balnea exerceantur, tali diſpoſitione aqua poterit alterari & miſceri, ut jam calida, jam temperata, jam frigida exiſtat juxta balnei neceſſitatem. Quod videtur ſignificare Hippocrates 3. *acut. tex.* 51. per hæc verba. *Multa quoque aqua mixturâ parantur.* In cujus *comm.* Galenus ſic ait. *Qui rectè valent, à balneo calido in frigidam ſeſe projiciunt aquam; ſed qui ægrotant, contactum frigidæ non ſuſtinent, quapropter frigidam calida mixtione frangimus.* Quam doctrinam recipiens *in comment.* Valleſius, balnea diſponenda eſſe docet aquâ calidâ & frigidâ exiſtente, ut juxta neceſſitatem, jam de illa, jam de hac addatur in balneo, ut ad temperiem requiſitam trahatur. Eſt ergo quærendum quid faciendum.

Ordinem antiquum balneandi utiliorem eſſe in ſtatu ſalutis propter autoritatem Hippocr. & Galeni adductam, oſtendit ratio: nam balneum in ſtatu ſanitatis potiùs eſt ad corporis mundificationem & attemperationem, quàm ad evacuationem, ſeu reſolutionem alicujus humoris: ſed dicti fines conſequuntur meliùs, ſi priùs calidum ſit balneum & poſteà frigidum. Ergo. Major conſtat ex Galeno *cap. 4. de ſanit. tuen.* ſic dicente. *Quare elui ſibi in balneo ſudorem, & pulverem magis expoſtulat, quam calefieri*, agebat de corpore exercitato & temperato. Quod recipiens Avicen. ſic ſcripſit, *fen 3. lib. 1. doctr. 2. cap. 5. Huic homini in cujus regimine noſter conſiſtit ſermo, balneatio reſolutionem faciens non eſt neceſſaria.* Minor conſtat etiam: nam balneum calidum cutem laxat, aperit poros, & ad reſolutionem conducit, etſi admodum deſiccationem faciat, quam cutem denſat & firmat frigidum balneum ſupra calidum, reſolutionémque impedit, ut docet Gal. 10. *meth. cap.* 10. ubi ſic ait. *Tertia balnei pars habet corpus refrigerare, cutem denſare, & vires firmare, & hoc utiliſſimum eſt.* Et ideò *infrà* ſic ſcripſit, *habet refrigerare innoxiè.* Ergo ordo antiquus eſt ſervandus.

Præterea: nam adhuc illi qui balneo frigido egent, meliùs ſe habent ſi priùs balneum ingrediantur calidum: ergo ordo dictus eſt ſervandus ſemper. Antecedens conſtat primò ex Galeno 1. *meth. cit.* qui dicens hecticos balneandos eſſe in frigido balneo, quia ſolâ frigefactione egent, priùs calido balneo eſſe lavandos conſulit, ne maximè à frigore alterentur & lædantur, ſic ait *cap.* 10. agendo de hecticis: *Nam neque his tutus eſt frigidi ſolij uſus, niſi priùs fuerint in balneo æqualiter excalefacti.* Quo fundamento *infrà* priùs in calido balneo, & poſteà in frigido

hecticum

hecticum esse submergendum docet. Quod etiam ratio suadet. Nam balneum frigidum sine læsione aliqua attemperat, dum balneum præcesserit calidum; non ità si immediatè sumatur; ergo post calidum est sumendum. Patet: siquidem laxatis poris magis ejus activitas penetrare valebit, resistente calore, minori violentia operabitur: ergo frigidum balneum post calidum erit exhibendum. Quâ ratione exercitio suppleri balneum calidum consulit: sic ait in ipso *cap.* 10. *Siquidem cujusmodi nobis est balneum, ejusmodi illis est exercitatio, ut quæ non tantùm calefaciat, sed ut frigidi impetui occurrat, & quò minus violenter in profundum ruens, viscerum aliquod feriat.* Erit ergo ordo antiquus in balneis servandus.

Cùm verò ex alia parte difficilè inveniatur dispositio pro hac balneorum differentia, mixturas parare docet Hippocrates 3. *acut.* per quod non solùm intelligendum est aquas diversimodè temperatas esse disponendas, ut non subitò de calido in frigidum balneum vivens mutetur, sed de calido in tepidum, & ab hoc in frigidum, ut docet *in comment.* Galen. ne æger lædatur; verùm etiam intelligendum est aquas diversimodè temperatas disponendas esse, ut juxta indigentiam balneum ad temperiem requisitam trahatur, mixtione factâ illius aquæ cujus fuerit indigentia, ut voluit *in comment.* Vallesius, quod diximus insinuare Galen. per hæc verba. *Ob id qui rectè valent, à calido balneo sese in frigidam projiciunt aquam; sed qui ægrotant, contactum frigidæ non sustinent citra læsionem; quapropter frigidam calida mixtione frangimus.* Docet ergo balneum juxta Doctrinam traditam disponendum esse, ità ut priùs aqua calida sit, & posteà loco balnei frigidi aqua frigida addita in temperiem conducentem balneum paulatim trahatur: Nam licèt in sanis non ità nocivam judicet Galenus subitam mutationem, nihilominùs quamlibet subitam mutationem prohibere non erit præter rem; præcipuè cùm hoc modo balnei consequantur utilitates, quas ex tali modo procedendi adduxit Galenus *locis citatis.*

De utilitate prioris partis balnei nemo dubitat; siquidem aërem calidum convenire priùs, ut corpus à vestibus denudetur; cuilibet compertum existit, ut pori aperiantur magis, humores & expellenda liquentur pro ipso balneo calido disponantur, & sic licèt domos & cellulas ad hoc non inveniamus dispositas, modo possibili aërem taliter temperatum optamus, & aliter à balneo communiter fugimus. Dubitandum tamen est quomodò, si doctrina dicta verum tenet, Avicenn. *fen* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 19. partes balnei enumerans, dicat frigidam esse primam domum, & humidam; secundam calidam & humidam, & tertiam calidam & siccam. Sic ait. *Prima casa est infrigidans & humectans: Secunda calefaciens & humectans: Tertia calefaciens & exsiccans.* Cujus contrarium docuit Galenus expressè 10. *meth. cap.* 10. per hæc verba. *Quippe ingredientes in aëre versantur calido, posteà in aquam calidam descendunt, mox ab hac egressi in frigidam, postremo sudorem detergunt.*

Respondetur tamen Avicennam in præsenti non adducere omnia requisita, ad completum balneum, sed solùm de balneo absolutè agit quod supponit pro illo quod ex aqua calida fit: quâ ratione & Hippocrates 4. *acut.* de balneis agens, absolutè calidum intelligit, ut constat enumerans quibus utile sit, aut nocivum. Aristoteles etiam 4. *Meteor. cap.* 2. per balnea cibum perfectiùs coqui scripsit; quod non esset verum, si balneo absolutè pro calido non supponeret. Quod significavit Galenus *lib. de salub. diæt. comment.* 13. super illa verba, *Semel cibum assumere, balneis supersedere*, sic ait. *Balneum corpus calefaciendo ad digestionem refert, & digestorum appositionem.* Est ergo per balneum absolutè, balneum calidum intelligendum; & sic cùm de ipso absolutè agat Av. *dicto in loc.* & *fen* 3. *c.* 5. manifestũ est de balneo calido intelligi. Et cùm balneũ debeat fieri mutato corpore ab aqua calida ad minùs calidam, & sic deinceps, ut ad frigidam mutatio subita non fiat, ideò inquit Avicenn. primam domum refrigerare; quod non significat frigidum esse primum balneum, sed tepidum, quod refrigerare docet Galenus 3. *de sanit. tuend. cap.* 4. quem sequitur Avicenn. *dicto cap.* juxta illud quod 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. docuit Galenus, dicens, *Si quis in potabili aqua natet, non frigida, sed ex sole tepente, necessariò refrigerabitur.* Non ergo Avicenna contrarius est Galen. sed potiùs oppositum constat *fen* 3. nam postquàm *cap.* 5. de balneis egit absolutè, ibique balnei calidi dedit doctrinam, *cap.* 6. de balneo frigido agit, & sic ait. *Et est cùm hoc fit post ablutionem aquâ calidâ factam, ad hoc ut exteriora fiant fortiora, & ut calor retineatur naturalis.* Constat ergo cùm propter hos fines balneum frigidum concedat Galenus post calidum; idem docere Avicen. & sic dum primam domum balnei refrigerare dixit, solùm significavit parum calidam debere esse primam balnei partem, ut lentè corpus in calidam mutetur, ut docet Galen. 3. *acut. comm.* 51.

Ad argumenta Respondetur, quòd licèt corpus exquisitè temperatum & exercitatum, non videatur aliquâ mundificatione indigere, minor noxia fiet, si modo dicto balneum sumatur, saltem quoad dispositionem aquarum.

Ad tertium Respondetur quod licèt aqua tepida frigefacere habeat, non erit utilis balneatio ex ipsa sola, quia non valet calefacere sufficienter pro laxitate & resolutione requisita plurium excrementorum quæ inveniuntur. Si tamen dicas quod utamur aquâ calidâ quâ posteà refrigerabimur; Respondetur, hoc idem esse aquam frigidam miscere, quòd utilius erit quàm permanere intra aquam usque ad ejus attemperationem, seu frigefactionem, quia corpus patietur necessariò cum tanta mora.

Ad argumentum respondetur quòd licèt calefacere fiat à balneo calido, & frigefacere à frigido, non ità commodè fit à quolibet seorsim, ut ab utroque simul, juxta dispositionis indigentiam: nam frigefactio dum requiritur, fit sine noxa, membris priùs calefactis, sive per balneum, sive per exercitium, ut Galenus docuit, & calefactio requiritur, dum requiritur sine resolutionis periculo, aliquantulùm cute refrigeratâ; quod tamen impedit sudorem venire, ut *capite* 10. *citat.* docet Galenus: siquidem roboratâ naturâ balneo frigido à laxitate per calidum inductâ.

Ex hujus quæstionis solutione, manet quale debeat esse balneum in statu sanitatis: siquidem aquâ calida debet fieri, non calidissima; & in fine debet fieri mixtà frigidâ, ut ad teporem aqua trahatur: aut talis reductio est expectanda primùm, ut excrementa & humores attenuentur, &

pori laxentor pto resolutione, quam impedit aqua calidissima; & ultimum, or cute toboratâ, & calore attempetato, vites firmentur, ut docet Galen. 10.*meth. c.*10.& 3.*de sanit. tuend.cap.*4. in quo etiam *cap.* aquam calidam calefacere & humectate docet; calidissimam verò calefacere & exsiccare, frigus condensare certum est. Sic ait Gal. *Dulcium calefactarum aquarum si mediâ sint temperie, vis calida & humida est; si vero tepidiores sint, humida & frigida; Quod si justo calidiores fiant, calida quidem, sed tamen non proindè humida.* Quod recipiens Avicenna, *cap.* 19. *cit.* sic scripsit. *Cùm aqua multa est caliditatis, cutis horripilatur, & spissantur ejus pori, &c.* Ratione cujus communiter balneum sive natutale, sive artificiale calidum quæritur, ut dicti fines consequantut: siquidem actuali calore & humiditate, cutis laxatue, & humores attenuantur per resolutiooem & frigoee quod resolutione factâ resultat, cutis & totum corpus eoboratur. Proptee qnod Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 9. Balnea calida aquæ dulcis potentiâ tefrigerate docet, non tamen balneum frigidum absolutè sustinetut, tum quia non semper, imò taiò cotpus ità rohustum invenitue, ut ejus alterationem ferat sine noxa; tequiritue enim corpus optimam habens temperiem, exercitatum, & sine alicujus partis debilitare, ur ex professo *cap.*4. *cit. de sanit. tuend.* docet Galenus, quem seqoitur Avicenn. *fen* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. tum calefactione deficiente, & plures fines propter quos balneum requiritur, frustrari est necessum, & sic solùm quieti, exeteitio calefacti & altetarì, sine sensibili noxa in flumina, aquâ nondum calefactâ se projiciunt; sustinet enim solùm eorum robur alterationem ità molestam, & supplet exetcitium balneum calidum, ut ex Galeno diximus.

Sed dices: Balnea calidissima habent densare cutem, ut docene Avicenn. & Galen. *locis cit.* sed balneum ftigidum instituitur ad auferendam laxitatem ab aqua calida inductam: Ergo non est ad ipsum corpus reahendum, sed ordine ab Aviceona ità sunt instituenda, ut primùm sit aqua tepida, posteà calida calefaciens & humectans, & demùm calidissima, ità ut desiccet. Patet: nam roboratio quæ inducitur ex balneo frigido, in tantùm inducitur, in quantùm impeditur resolutio vitturis: sed cute densatâ à calote balnei exsiccantis, talis tesolutio impeditur: ergo balneum frigidum non est necessarium, præcipuè cùm ex propria natura opponatue propriæ & nativæ temperiei; & ex hac parte augmentum corporis impediatur, ut *cap.*4.*cit.* scripsit Gal. qui sic ait. *Corpus quod augetur, non est frigidâ lavandum, ne ejus incrementum moretur.*

Respondetur tamen quod tertiom balneum validè calidum, cutem densare habet, non ipso corpus roboratur: siquidem tale patiebatur non solùm vi laxitatis, sed eriam vi caloris excedentis, qoi non cottigebatut, imò augebatur balneo calidissimo, & sic in tali casu potiùs frigidum baloeum peo oativa conducit tempetie, augmento tamen & frigidum & calidissimum opponitur.

Dices iterum: Hippocrates 3. *acut. text.* 56. sic ait. *Neque extrema membrorum partes, neque caput, neque reliquum corpus refrigerari debet.* Sed utile est balneum ftigidum, ergo non erat timenda refrigeratio quæ fit ab aëre, dum corpus à balneo calefit; ergo non est utendum balneo usque ad refrigetationem seu teporem aquæ. Nec valet intelligere Hippocratem de refrigeratione magna & excessiva, qui & ipsam prohiberi docet: Nam de hoc non poterat esse quæstio, & omnibus est notum excessivas alterationes esse cohibendas, & sic de calida non fuit loquutus, aliàs de omnibus debebat loqui. Antonius Musa loqui Hippocratem voluit de ægrotantibus in quibus non trahendum corpus ad balneum frigidum, sed ad tepidum: Et cùm constet Galenum doctrinam Hippocratis recipere, & in ægrotantibus post calidum frigido utatue balneo, ut constat 10. *meth. cap.* 10. & 3. *acut. comm.* 49. de omnibus intelligendum est Hippocratem loqui. Tenuit quidem Antonius Musa adhuc in sanis balneo frigido uti, quod præter rationem est si corpus & tempus, ut Galenus & Autores describunt, inveniantur, illud robustum, calidum & siccum & exercitatum; hoc calidissimum, & tranquillum: siquidem conditionibus his balnei frigidi necessitas invenitur. Hippoctates verò medij frigidam alterationem prohibet, præcipuè dum corpus in balneo calido est, quia & ejus effectus impeditut, & cùm pori apetti sint, penettat magis aët, & lædit ad intrà.

QUÆSTIO III.

Quantum Balneum debeat esse.

CUM illa balneorum ordinario quâ utebantur Antiqui in usu non sit, nostra disputatio in omnibus quæ dicentur de balneis erit eo modo ac in usu sunt nunc: Et ptimò de balneis aquæ dulcis in statu sanitatis agemus; quæ ex aqua tepida, aut aliquantolùm calidâ constant, qualique in fluminibus aut stagnis communiter æstate babetur, aut per artem disponitur, quantum & quando applicandum sit, scire est necessum, quod cùm in subjecto sano exerceatur, non est mensurandum defectu virium: siquidem tunc tantùm mensurari, dum qoodlibet aliud remedium exercetur, notum est: Prætetquàm quod in subjecto secundum rationem operante, viriom defectus determinans non expectandus, & sic ex alio capite balnei quantitas est determinanda.

Quantùm expediat debitâ quantitate & mensurâ, balnei durationem determinare, nil magis quàm effectus ipse valebit demonstrare: siquidem propter ipsum determinatiùs balneum execcetur, & secundum diversam balnei durationem etiam effectus variatur, ut docet Hippocrates *lib. de affection. prope fin.* sic ait. *Calidum balneum moderatum quidem emollit & auget corpus; largum verò siccas partes corporis humectat, humidas verò siccat.* Ideò Galenus sit scripsit 2. *de sanit. tuend. cap.*7. ex ipso Hippocrate *lib. de Officin. Medici, cap.*15. *Calidum primò auget corpus, deindè minuit.* Quod repetit Avicenn. *fen* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 19. quod non solùm in his, verùm & ipsis effectibus quos balnea parrare babent per se, diversitas invenitur ob diversam durationem; calefacit enim balneum frigidum, si moderatè sumatur, in juvene carnoso, ratione cujus tetanum solvit, docuit Hipp. 5. *aphor. tex.* 21. quod de brevi balneo quoad durationem intelligit Mercatus: etsi longum balneum sit, refrigerare necessariò nemo dubitabit, cujus contrarium in balneo calido constat; nam breve calefacit, longum verò, saltem resolvendo, refrigerat, ut 2. *de diæta post medium,* docuit Hippoctates.

Ex

Ex dictis constat per effectus quos inducere conamur, durationem balnei esse mensurandam; ad quod attendendum est an effectus balneum per se, an per accidens producere habeat; habet enim utroque modo rationem remedij balneum, ut 10. *meth. cap.* 10. docuit expresse Galenus, qui sic ait. *Quædam námque remedia complicatam quodam modo, duplicémque habent facultatem, ità ut & prima ratione proficiant, & ex accidenti; quod genus & balneum est.* Attendendum ergo est ad effectum, ut quantum debeat esse balneum deducamus: at cùm juxta præsens institutum balneum sanorum requiratur non pro evacuatione alicujus, sed pro conservatione debiti caloris & humiditatis, ut docuit Avicenn. *fen* 3. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 5. ubi sic ait. *Homini in cujus regimine noster consistit sermo* (agebat de temperato) *balneatio resolutionem faciens non est necessaria, quoniam corpus ipsius est mundum; & neque qui balneo indiget, eget ipso, nisi ut ab ipso habeat calorem subtilem & humiditatem temperatam*, vel requiratur, ut docuit Galenus 3. *de sanit. tuend. cap.* 4. ut corpus mundificetur à sordibus: in ordine ad hos effectus balneum est mensurandum, dicemus tamen aliquid de alijs.

Cùm ergo attemperatio mediocris & mundificatio qualis requiritur, fiat breviter, breve debet esse balneum, id est sine mora: siquidem cùm hoc intendimus, conandum est ne virtus patiatur, resolutis, aut alteratis humoribus, qui in debita proportione & mensura supponuntur in corpore, quod ex Avicenn. diximus. Quod etiam ipse immediatè docuit *cap.* 5. *cit.* per hæc verba. *Quapropter isti in ipso non multam debent facere moram, imò & utantur tunâ usu tam longo quousque in ea rubeat ipsorum cutis & infletur, & in principio resolutionis ab ea removeatur.* Quibus verbis non solùm breve debere esse balneum significat, verùm & signa adducit quibus tempus balneis detur, manere debeat, id est cùm inflatur & rubet cutis, quia jam attracti sunt humores ad extra, ut cutis color mutatus, nondùm tamen resolutio fit. Propter quod Galenus 2. *de sanit. tuend. cap.* 7. dixit, *Balneum calidum primò auget, corpus, deinde minuit*, quatenùs ipsum ad foras trahere habet quod resolvere valebit, si duret actio.

Hanc doctrinam desumpsit ex Hippocrate Avicenn. *lib. de Officina Medici par.* 3. *text.* 16. in quo mensuram balnei per eadem signa determinat. Nam postquam docuit balneum debere esse mediocre, sic ait. *Moderatio autem in perfusione ea est, quod dum attollitur pars, priùs quam concidat, desistere oportet; nam primum attollitur, postea attenuatur.* Cùm igitur balneum sanorum modicum debeat esse, siquidem finis non est propter quem aliter exhibeatur, manifestum est balneum debere mensurari per signa ab Avicenna adducta. Si dicas Hippocratem loqui de balneo conducente pro fractutis, non de balneo sanorum, inquit, moderatum debere esse: Et explicans quale sit moderatum, verba adducta profert: Ergo absolutè per balneum moderatum definit; & cùm ex alia parte ipsum convenire pro sanis constet, eisdem signis esse mensurandum, rectè docuit Avicenna.

Ex dictis etiam fiet notum, cùm ipsi effectus balnei mensuram determinent, quod cùm resolvere conamur contentos humores & excrementa, longum debet esse balneum; mediocre verò cùm hoc non convenit; tale tamen dicitur quod ferè immutare non valet, quod tamen inutile non est. Sic ait Hippocrat. *text.* 15. *lib. cit. de Officin. medic.* loquens de brevi aut longa quaque perfusione, seu balneo. *Copia verò, ubi laxandum quidem & attenuandum, maxima: ubi autem carne implendum & molliendum, modica, optima est.* Ad quod respiciens Galenus *in comm.* & 2. *de sanit. tuend. cap.* 7. docuit, *Calidum primò auget corpus, deinde minuit.* Quasi diceret, ad partes externas movet, à quibus coquuntur, durante verò balneo resolvuntur ipsi & partes; ratione cujus plures alij adveniunt effectus præter eos quos per se causare habet: Ex propria natura balneum refrigerat, etsi calida aqua sit, dum longum existit; calefacit tamen etsi frigida, dum breve, & utrumque pro ratione dispositionis corporis evenire docuit Hippocrates 2. *de diæt.* & *lib. de affectionibus*, cujus verba suprà posui, quem sequutus Avicenna, sic ait, *fen* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 19. *Et cùm in balneo diù morantur, & exsiccat propter resolutionem; & cùm in eo parùm morantur, & humectat, cùm corpus ab eo exsiccatur antea quàm adveniat sudor: & cùm in balneum ingrediuntur jejuni & vacui, exsiccat & macrescere facit, & debilitat; & cùm ipsum ingrediuntur illicò post comestionem, impinguat.*

Constat ergo ab effectibus ipsis quos patrare conamur, balneum esse mensurandum, quod intelligendum potiùs est in ipsis qui per accidens producuntur, quàm in illis qui per se: utroque quidem modo balneum operatur. Dixit Galenus & 10. *meth.* & 3. *de sanit. tuend. cap.* 4. & ob hanc rationem ad omnes effectus balnei quantitatem facere docuit. Sic ait *cap.* 4. *Cæterum ab his incipiendum quæ medium temperamentum obtinent, quæ per se semper calefaciunt & humectant; evenit tamen ex accidenti, ut aut per habitum digerantur humores, aut supervacanea fluxione corporis particulas impleant, aut molliant, aut concoquant, aut vires firment vel infirment; siquidem ad hoc quantitas quoque earum non minus confert.* Quibus verbis non solùm docet balneum per se, sed per accidens in nobis effectus patrare, velut & ad ipsos quantitatem balnei conducere: in præsenti tamen cùm de balneo sanorum agamus, in quibus solùm attemperatio & mundificatio est necessaria, ejus quantitatem seu mensuram mediocrem debere esse propter effectum ipsum, docet Galenus *infrà* agens de juvene temperato & exercitato per hæc verba. *Elui sibi in balneo sudorem & pulverem magis, quam calefieri expostulat. Ergo transire tantùm ad solium usque, non in laconico immorari is debebit. immò lotus, ut comprehensum est, ad frigidam festinet; atque ipsa quoque mediocris esto.* Breve igitur seu mediocre debet esse balneum omne tam calidum quàm frigidum, si hoc utendum forsan sit.

Modus tamen dignoscendi balneum mediocre calidum, docuimus ex Hippocr. & Avicenn. ex eo quod cutis ruborem & inflammationem aliquam adquirat, quia tunc sine virium dispendio corpus sufficienter est lotum. Restat tamen scire quomodò balneum frigidum mediocre cognoscatur, si ad ipsum perveniendum more Antiquorum procedamus, aut saltem attemperatione aquâ frigidâ, factâ ut docuit Gal. Respondeo tamẽ quod licèt balneum quo per sanitatem utimur juxta doctrinam traditam, moderatum debeat esse calidum, & posteà frigidum quando non præcedit

corpus exercitatum ; frigidum tamen tantùm quando præcessit, cùm ferè nunquam in statu sanitatis solùm mundificationis gratiâ balneo utamur, & ferè numquam corpus temperatum sit, sed pluries excrementis aliquibus & sanguine abundans, balneum calidum aliquantulùm debet excedere mediocritatem, ut talium substantiarum liquatio & resolutio fiat ; & sic in tali casu non est desistendum à balneo calido cùm rubet cutis & inflatur, sed cùm jam diminuitur per resolutionem, ut ex Hippocrate vidimus.

Circa mesuram balnei frigidi dicendum est ipsum semper mediocre debere esse, ut docuit Gal. *cap.4.cit.* tum quia alteratio illa sine incommodo non tolleratur per tempus aliquod, tum quia finis propter quem sufficienter consequitur mediocri duratione ejus ; est enim finis cutim laxatam roborare, & virtutis resolutionem impedire, & ad debitam temperiem corpus trahere calore balnei attemperato, cujus mensura dignoscetur optima, si corpus post ipsum facilè in proprium calorem & caloré trahatur levi frictione factâ, quod docuit in ipso *c.4.*Gal. *Ipsum vero immorandi tempus a quotidiana experientia est conjectandum: nam si egressus frigida coloratior ex frictione citò redditur, mediocriter moratum indicat ; quod si tardiùs ei calor redeat, & decolor diutiùs maneat, plus æquo moratum docet.* Quod idem repetit Avicen. *fen 3. lib. 1. doctr. 2. cap.6.*

Notandum tamen est quod balneum frigidum, præcipuè in sanis, non debet esse aquæ frigidæ valde adhuc in fine, sed minùs quàm tepidæ, ut docet ipse Galenus *cap. 4. cit.* per hæc verba. *Esto verò & aqua ipsa nec tepida, nec planè cruda & glacialis : Altera nàmque repercussum caloris non efficit, altera ferit insuetos, ac refrigerat.* Quibus verbis non solùm qualis debeat esse aqua docet, verùm & rationem reddit : si ergo finis frigidi balnei est resolutionem impedire, & cutim roborare, aqua tepida neutrum faciet, & frigidissimam molestare est necessum. Ideò Avicenn. *cap. 5. fen 3. lib. 1.* valde timet post balneum calidum ad refrigerationem suscipiendam exponi, præcipuè medij. Sic ait. *A Balneo verò egredi debēt, si tempus fuerit hyemis, suis bene cooperti pannis.* Diximus enim ex Hippocr. aëris alterationem timendam valde esse propter penetrationem ad interà : quare *cap.6. sequenti* ipse Avicenn. ex Galeno in ipso *cap. 4.* dum sine vento debere esse docet adhuc in Galeno frigido.

Circa numerum balnei, quoties sit sumendum, examinare oportet, quod dupliciter est intelligendum : aut quia in una hora pluries balneum conveniat ; aut quia diversis diebus, aut partibus diei. De hoc ultimo notum est toties balneum convenire, quoties necessitas occurrat, conditionibus existentibus, sive sit ratione mundificationis, sive ratione resolutionis, seu attemperationis alicujus. Et licèt idem dici posse appareat de repetitione in eadem hora, non est ità ; quia quærere quoties sit balneum sumendum, est quærere quoties erit necessarium pro unica vice, ut finis intentus consequatur : nam de repetitione balnei loquendum est, ut de quolibet alio remedio ; toties enim sanguinem mittimus, quoties permittit facultas, & morbus petit, & sic de balneo est loquendum : dubitamus tamen de repetitione ingressûs in aquam pro unico balneo.

Non posse unico ingressu fines balnei consequi, videtur significare Galenus 3. *de sanit. tuen. cap.4.* Nam postquam dixit pluribus diebus balneum posse sumi calidum & frigidum, de frigido bis tamen posse sumi scripsit, non ampliùs. Sic ait. *Procedente tempore ad eundem modum frigidum item ingredi jubebimus, post eam quæ priori ingressui successit frictionem. Verùm tertiò eam ingredi non laudo.* Ergo bis balneum sumendum est de sententia Galeni. Quod ipse loquutus est de balneatione pro unica vice sumenda, constat : nam immediate antea, primo, secundo, tertio, & quarto die balneum esse sumendum consulit. Ergo non quod non debetur tertio scripsit, de repetitione pro unico balneo loquitur, quod immediatè ostendit, rationem reddens per hæc verba. *Nam & iterùm id fecisse, abunde satis mihi esse videtur ; cùm pro arbitrio nostro immorari hominem jubere liceat.* Ergo cùm repetitio sit in supplementum moræ faciendæ in balneo, & de hoc loquens dicat bis balneum esse sumendum, non unico ingressu fines balnei consequuntur.

Hanc sententiam deducit Galenus ex Hippocrate 3. *acut. text.* 50. dicente, *Celeres ergo habeant perfusiones.* Per quæ verba non solùm celeriter debere fieri aquæ irrigationes intelligit, verùm & frequenter. Sic ait *in comment.* Galenus. *Celeres referre oportet non ad ea solùm quæ in perfusione fit actionem, verùm quoque & ad illud quod actiones interjacet, spatium.* Quibus verbis perfusiones seu balneationes frequentes esse debere docet : Ergo repetendum est balneum pro unica balneatione, ut dejectiones pro unica purgatione repetantur. Quod Avicenna recipit *fen 3. lib. 1. doctr. 2. cap. 6.* sic. *Et est cùm post fricationem & caloris & coloris reversionem, iterùm aquam ingreditur.* Ergo balneum non unicâ aquæ perfusione est faciendum, sed repetitâ. quod adhuc agens de balneo hecticorum docuit Galenus 10. *meth. cap.10.* per hæc verba. *Nec capiti infunde quidquam velim, cùm sit satis id quoque bis térve unà cum toto corpore in aqua mergi. Mox hinc eductus, in frigidam semel totus tingatur.* Ergo balneum repetendum est calidum, cum dicat, semel tutum esse sumere frigidum.

Contra hanc doctrinam stat difficilis ratio ex ipso Galeno desumpta : nam ipse docet *capite 4. citato,* posse pro arbitrio Medici hominem in balneo immorari : sed si immoretur donec appareant signa ostendentia finem esse consequutum, inutilis, & potiùs nociva balnei repetitio : ergo non est ingrediendum bis in aquam pro unica balneatione. Major est certa, minor constat, cùm ipse Galenus quem sequitur Avicenn. ut durationem in balneo convenientem determinet, signa adducit in ipso *cap.* ostendentia finem esse conquutum. Patet. Nam ubi solùm mundificatio requiritur absque evacuatione aliqua partium, intumescentia est respicienda : dum verò evacuatio requiritur, ipsarum externarum est diminutio attendenda : Ergo semel corpus est in aquam immergendum pro unica balneatione.

Nihilominùs utiliùs judico balneum repetitâ aquæ ingressione esse sumendum, ut docuit Galenus & Avicenna *locis citatis :* Nam cùm parum seu moderatè esse immorandum doceant ipsi, & hunc terminum non facilè cognoscamus, etsi dicta dentur signa, utiliùs est bis balneum ingredi : siquidem tali proportione majori securitate operabimur, ità ut

cognoscamus

cognoscamus quando sistere, aut ulterius procedere debeamus: nam priori Balneo est facta, aliquo interposito temporis spatio, quantùm desiciat cognoscetur faciliùs, ut si in altera minùs, aut plus esse immorandum deducamus pro consequutione finis. Quod docuit in ipso *cap.4.lib.3. de sanit. tuend.* Galenus. Nam postquam scripsit ex reditu caloris ad antiquum statum mensuram Balnei cognosci, sic ait. *Si ergo cutis notus intentus fis, facilè cognosces an par tempus posteà in frigida immorari conveniat, an potius ad majus minusve aliquid sit mutandum.* Utiliùs ergo est Balneum duplici aquæ perfusione partiri: Nam licèt Avicenna de Balneo diversorum dicrum hoc intelligat *cap.6. citat.* Galenus absolutè loquitur, & sic de utroque est intelligendum; præcipuè cùm hanc doctrinam adducat immediatè, postquàm dixit Balneum esse iterandum, & non terrepetendum.

Advertendum tamen hanc doctrinam propriè intelligi de Balneis quæ in fluminibus accipiuntur, aquâ à sole temperatâ: nam cùm ipsa rarò plusquàm tepida sit, & de ipsa affirmet Galenus *1. de simplic. medic. facult. cap.3.* corpus refrigerari tarò unico ingressu, consequitur resolutio requisita & refrigeratio, quibus ferè semper adhuc in statu salutis corpora egent, dum Balneo utimur: Nam cùm illius aquæ calor moderatus valdè sit, remissè ad resolutionem facit; & cùm postea cutis ab aqua refrigeretur, fuligines seu vapores detinentur, & major sentitur calor, ut pluries experientiâ est compertum. Ideò Avic. *fen 3. lib.1. cap.6.* post Balneum frigidum majorem calorem oriri scripsit, sic ait. *Aquâ frigidâ lavari calorem subitò ad intra pellis, posteà confortat ipsum, ut fortior fiat, & egrediatur extra in duplo plusquàm erat multum.* Ergo est iterum in aquam tepidam ingredi, ut sufficiens duratio sit ad excrementorum resolutionem; aut si minùs quàm tepida aqua sit, ut majoris frigoris vincat activitas; si verò Balneum sit quale per artem in domo communiter paratur, ex aqua supra teporem calida, non ità necessaria est repetitio, præcipuè in morbis in quibus vitium specialis est habenda cura, & infrà subsistere melius est, quàm plurimùm evacuare: siquidem unico ingressu potest fini satisfieri; in sanis tamen utilior erit repetitio, ut moderamine dicto ad terminum requisitum veniamus, in quibus vires non facilè labascunt. Opposita contra nos ex dictis manent soluta.

QUÆSTIO IV.

Quando Balneum sit conveniens.

Non quærimus quando sit Balnei necessitas; hæc enim existit quando aliquid cujus sit auxilium Balneum inveniatur, quod constabit dum Balnei utilitates adducemus. Difficultas tamen est, necessitate existente, quando Balneo utendum sit, quod est quærere & examinare conditiones Balnei, & dispositiones quæ requiruntur ut Balneum exhibeatur, necessitate petente, & facultate constante in statu sanitatis; nam de morboso constabit *infra* ex professo. Neque ex eo quod aliquæ dispositiones repetiantur in nobis, propter quas utimur Balneo per sanitatem, dicendum est nos in verbis implicari; siquidem sanitatis status nil permittit Balneum petens; hoc enim non obstat, quia statum sanitatis nominamus, dum corpus nullo afficitur sensibili vitio, propter quod in operati læditur, etsi alia quantulùm à debita recedat moderatione, quia pro tunc ut sanùm vivens habet se; tum quia adhuc in corpore temperato Balnei necessitatem cognovit Galenus *3.de sanit. tuend. cap.4.* & Avicen. *fen 3. lib.1. doctr.2. cap.5.* cùm de ipso agentes Balnea ad sanitatem conservandam instituantur. Ergo adhuc in statu sanitatis habet locum Balnei necessitas, ad ejus conservationem.

Ad Balneum dispositiones ex duplici sumuntur capite, & ex parte temporis, & ex parte subjecti, quarum quæ à tempore sumuntur, facilè explicantur à Galen. *cap.4. cit. de sanit. tuen.* per hæc verba. *Est igitur anni tempus, æstatis initium, dies quam maximè tranquillus, & quod id tempus feret, calidissimus, cujus etiam deligendam esse calidissimam partem nemo dubitet.* Ergo ex parte temporis calor est necessaria dispositio, & tranquillus dies; propter quod utilius æstatis tempus. Quare Avicenna idem repetit *fen 3. lib.1. cap.6.* Et licèt id proferant Galenus & Avicenna agentes de Balneo frigido, idem de Balneo calido intelligendum venit; cùm potiùs calor sit necessarius in medio, dum Balneum ipsum quod calefaciat curamus: Ideò Hippocrates *3. acut. text.54.* agens de Balneo calido scripsit, *Nec caput ipsum modò, verùm & extrema, & quamvis aliam corporis partem à frigoris injuria prohibere convenit.* Quibus verbis expresè docet frigidum medium nocere valdè, ut ostendit *in comment.* Galenus, & consequenter loquitur Antonius Musa *comment.44. ejusdem libri*, per illa verba, *Aquâ copiosâ & crebra lavatione est utendum*, dicens aquam debere esse copiosam, ne partes extra aquam existentes ab injuria medij alterentur, si, ut decet, non est calidus aër.

Sed dices: Galenus *10 meth. cap.10.* expresè docet aërem in omni domo requisitum pro Balneo debere esse temperatum, maleque dictum est tempus & diem debere esse calidum. Antecedens patet per hæc verba. *Esto autem & aer cujusquam domus nec summo calere, neque etiam frigens, sed admodum temperatus & humidus modicè:* non ergo tempus calidum est eligendum.

Respondetur, hæc non contrariari inter se; verum enim est aërem debere esse temperatum in omni domo Balnei, ut corpus temperie conservetur mediocre: ideò Hippocrates refrigerari timet corpus extra Balneum, quia temperatum frigidum est respectu calidi; ad hoc etiam dies & tempus calidissimum est eligendum, ut ejus excessiva temperies valeat aquam Balnei ad calorem condecentem, frigore aquæ resistente, consumptis & extractis pluribus excrementis frigidis & humidis, quæ ex tempestate hyemis in aqua communiter existunt: Quapropter Galenus dum aërem temperatum debere esse docet, id fiet si aqua temperata ex labro sit liberaliter projecta sic ut prosluat per omnes domos. Quibus verbis aërem temperatum reddi ratione irrigationis copiosæ factæ aquâ temperatâ docet: quasi diceret, cùm tempus calidissimum debeat esse, & aër temperatus, irrigentur domus aquâ copiosè, ut ad temperiem requisitam aër trahatur; quod, ut dixit, locum habet in Balneis fluminum, in quibus tantus calor requiritur in temperie, etsi

aërem ad mediam temperiem trahere utiliùs esset in Balneo; in Balneis verò quæ in domibus parantur, medij solùm requiritur attemperatio, siquidem aqua ab igne disponitur.

Difficultas major est de conditionibus requisitis ex parte subjecti ut Balneum exerceatur, & inprimis cùm de corpore agamus sano, nullum est impedimentum ex propria natura, præter illud quod ex accidenti evenire potest: contingens enim est corpus cibum assumpsisse, vel secùs, vigilasse, aut dormisse, plenum aut inanitum esse: Et cùm non medicamenti ratione Balneo utamur, taliter debet esse dispositum corpus, ut medio modo se habeat in his. Quod docet Avicenna *sen* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. sic. *Qui Balneum agere voluerit, gradatim in ipso procedat, & calidiore die, & sibi caveat ne ventus sit ibi, & ne illud post coctum peragat, nec post cibum qui non sit digestus, nec post vomitum, nec evacuationem, nec post cholericam passionem, nec vigilias, nec corporis debilitatem, nec stomachi, nec post exercitium.* Quibus verbis principaliores conditiones ad Balneū posuit: supponit enim *in princip. cap.* corpus esse robustum, rectè temperatum, & in juventute; quod cum conditionibus dictis rectè poterit Balneo uti. Et licèt de Balneo frigido hoc scribat Avicen. de utroque eadem est doctrina; quam etiam docet Galenus 3. *de sanit. tuend. cap.* 4. per hæc verba. *Esto illi ætas quarti maximè septenny medium, nulla in ipso die, nec qua eam præcessit, noctè alterata, sed pristinam salubritatem ad unguem servanti.* Et 5. *de sanit. tuend. cap.* 12. sic. *Quippe quod Balneum non tutum est nisi prius corpus inanitum sit.* Ergo ex mente Galeni Balneum corpore bene se habente, nullâ alteratione præcedenti debet exerceri.

Sed contra ea quæ dicta sunt opponuntur plura. Primum: Balneum ad coctionem juvat: ergo utile erit post cibum nondum digestum. Antecedens ostendit Philosophus 4. *meteor. cap.* 2. in quo postquam docuit coctionem à proprio calore fieri, sic ait. *Etiamsi auxilio aliquo eorum quæ externa sunt compleatur, ut cibus per Balneum, & alia ejusdem generis adjumenta conficitur.* Ergo Balneum ad coctionem facit, ac per consequens post cibum rectè poterit administrari. In quo hæret *lib. de salub. diæta comm.* 13. Galenus, dicens Balneum ad digestionem & digestorum appositionem facere per calorem: ergo post cibum erit utile. Jacobus *in comment.* inquit loqui Avicenn. de Balneo frigido, dum non convenire post cibum indigestum scripsit, quia frigore ejus impeditur digestio; Philosophum & Galenum de Balneo calido loqui, cùm ipsum ratione caloris ad ciborum digestionem facere ostendat.

Hæc tamen solutio non satisfacit: Primò quia licèt de Balneo frigido agat *in dict. cap.* 6. *in* 5. *anteced.* de calido agens sic scripsit: *Qui sanitatem vult conservare, Balneum ingredi debet postquam digestum est quod est in stomacho.* Ergo non solum Balneum frigidum, sed calidum etiam prohibet cibus indigestus. Et *cap.* 19. *sen* 2. *lib.* 1. Balneum calidum post cibum, obstructiones facere docet; ipso enim indigesto attracto, non erit post cibum Balneum sumendum. Quod manifestum magis facit Hippocrates 3. *acut. tex.* 55. per hæc verba: *Et neque post recentem sorbitionem, neque post potum lavandum, neque statim a Balneo sorbendum aut bibendum.* Ergo ità cibus Balneum prohibet, ut nec ante, nec post ●bibendum sit

Ostendit hoc etiam Galenus *in comment.* sic. *Non in ægris modò, verùm & in sanis nullus confestim à cibi vel potûs sumptione lavari debet*, agebat enim Hippocrates de Balneo calido: Ergo ipsum cibus prohibet, ac per consequens malè Jacobus ob frigiditatem balneum prohibendum docet, post cibum præcipuè; cùm *in eodem comment.* Balneum frigidum post calidum conducere dicat ad roborandam cutim, & calorem naturalem ad intra, juxta doctrinam Gal. 10. *meth. cap.* 10. Ergo in tali casu adhuc balneum frigidum utile erit post cibum.

Secundò opponitur quod Balneum aquæ dulcis tandem refrigerare habet, ut diximus, propter quod utile esse judicavit Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 14. exhibentibus, ut docuit etiam 3. *acut. comm.* 58. Malè ergo inquit Avicenna non convenire post cholericam passionem, cùm talis affectus calorem & siccitatem arguat.

Tertiò: nam *in ipso cap.* Avicenn. docet Balneum frigidum post exercitium convenire juxta doctrinam Galeni 10. *meth. capit.* 10. malè ergo inquit infrà Balneum frigidum post exercitium convenire.

Nihilominùs nobis dicendum est Balneum nullum convenire in casibus dictis, ut docet Avicen. siquidem facultate patiente Balneum, quod ad ejus labefactionem facit nocivum est, quod constabit ex argumentorum solutione.

Ad primum dicimus quod licèt Balneum ad coctionem ciborum faciat, quatenùs calorem communicat, post cibi assumptionem inutile est, quatenùs calidum trahit cibum ad extrà antequàm coquatur, obstructionésque parit, ut docet Gal. 3 *acut. c.* 55. *lib. de salubri diæta, c.* 12. Oh quod sic scripsit Avic. *cap.* 5 *fen.* 3. *lib.* 1. *Qui impinguarè desiderat, balneum post comestionem ingrediatur; si non timeat oppilationes.* Quod totū intelligendum est, si modum excesserit; nam breve calidum calorem ad coctionem sine attractione, aut resolutione communicat, ut voluit Philosophus 4. *meteor.* & Galenus *lib. de diæta.* Breve tamen frigidum tetanum solvit, ut 5. *apho.* docet Hippocrates: Et hoc modo intelligendum est 1. *de diæta*, dum hæc scripsit. *Balnea frigida vacuo corpori brevem caliditatem; at cibo ingesto ac humido detrahuntur, & frigidum existens siccitate replent, primò expressione facta humidi partium externarum ad intrà replet corpus quod frigidum erat.*

Ad secundum Respondetur quod quando Avicen. docuit post cholericam passionem Balneum non convenire, intelligit choleram morbum, non passionem aliquam animi, itam, seu furorem dictam; & in tali morbo patitur valdè facultas, propter quod Balneum interdicit frigidum, quatenus retinet excrementa acria & mordacia ad intrà, & quæ fluxionem & morbum augent. An alvo fluente, aut vomente stomacho balneum conveniat calidum; dicemus ex professo dum de balneo ægrotantium agemus.

Ad tertium Respondetur velle Avicennam forte debere esse subjectum, ut balneum post exercitium exhibeatur, propter debilitatem quæ ex ipso processit, & sic prohibet balneum post exercitium dicens, *ni forte subjectum sit.* Quod confirmat, dum balneum frigidum post exercitium concedit, suppositis requisitis loquitur. Quod explicat *in fine capit.* dicens non esse faciendum nî subjectum sit valde forte; quo casu balneum frigidum concedit Galenus ut remedium in cholera

lera morbo *1. de remed. cap. 16.* quia longa alteratio solùm in subjecto robusto sustineri potest. Ex parte etiam subjecti aliam dispositionem requirit Galenus *10. meth. cap. 10.* dicens non esse lavandos qui excrementorum mordacium quantitate abundant majori quàm resolvi potest, laxitate cutis per balneum inductâ: è contrà verò qui aut excrementa non habent mordentia, aut cutis laxa est, pro eorum resolutione lavandi sunt; excitant enim humores mordentes horrorem dum resolvi non possunt & agitantur, ut *in ipso cap.* docet Galenus. Horrori tamen balneum non convenire significat; sic ipsum evenire cùm intempestivè fit balneum, scripsit etiam Galenus, & Avicenna ipsum fugiendum esse docet *cap. 6. fen 3. lib. 1.* per hæc verba. *Perseveret in balneo quantum tolerare valeat, antequam superveniat horripilatio.* Cùm ergo horror frigidus fit, & ab humoribus mordentibus evenire doceat Galen. balneum non esse exercendum dum tales humores abundant cum densitate cutis impediente resolutionem, agitatione à balneo factâ: ideò postquam doctrinam dictam dedit Galenus, sic scripsit. *Ergo quamobrem horreant in balneis, omnes jam causas invenimus; pari modo & cur non horreant in balneis quibus aut nullum est excrementum in corpore mordens, aut tantillum, ut facilè evacuetur.*

Sed dices balneum esse utile in febribus causatis ab humore acri & mordaci, docet Hippocrates *3. acut. tex. 58. in comment.* cùm dicat convenire in febribus ardentibus & æstuantibus: sed humor faciens talem intemperiem biliosus est & acris: ergo quando ipsi abundant humores, utile erit balneum. Quod clariùs constabit *5. de sanitate tuen. cap. 12.* per hæc verba. *Quibus mordax calor naturâ, adeò ut fumida gignat excrementa, his balneum salubre est.* Ergo abundanti humore mordaci utile erit. Ratio est nota: nam balneum aquæ dulcis humectare habet & madefacere: sed humectatio & madefactio valent humorum acrimoniam evellere, ad quod conducit frigiditas, quæ tandem ex ipso balneo resultat: ergo utile erit dum humores acres sunt, etiamsi cutis densitas resolutionem impediat. Quod significavit Galenus *1. de usf. part. cap. 13.* per hæc verba. *Nihil itaque invenias, quod valido æstu occupatos præsentiùs refrigeraro, aut magna frigiditate affectos promptius calefacere, quàm balneum possit. Cùm enim naturâ humidum sit, & moderatò calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat*, &c. Quasi diceret, pro imbibitione substantiæ madefacit & humectat, & consequenter acrimoniam cohibere valet.

Respondetur, quod cùm balnei frigiditas tanta non sit, ut valeat interiorem calorem corrigere, humores potiùs per coarctationem pororum agitantur magis (loquor nunc de frigido balneo) calore ad intrà retento: tanta verò frigiditas] ut veniat iterum excrementorum calefactio & activitas, non est tuta; nam forsan interiora ustionem patientur majorem, aut calor nativus suffocabitur forsan, nî subjectum valde forte sit, & cum signis coctionis; in quo casu balneum frigidum concedit Galenus *11. meth. cap. 9* in febre ardenti: Propter quod Galenus *7. aphoris. cap. 42.* in febribus balneum non convenire docet, nî humores cocti, aut evacuati sint, quod non esset necessarium, si utilis esset refrigeratio vehemens, balneum tamen calidum potiùs calore mordacitatem auget, tum densitas cutis resolutionem impedit: docet tamen *10. method. cap. 10.* balneum horrorem parere, & qui cruditate laborant, & qui excrementis acribus abundant, & qui extra declinationem febre afficiuntur, quia humores commoventur & agitantur, quando resolvi non possunt; ad quod & acrimoniam majorem conducit balnei calor, ut docet ipse Galenus *2. de caus. sympt. cap. 3.* nî coctio, aut inanitio præcedat, videlicet *3. acut. comm. ult.* balneum pro febre ardenti conveniens docet.

QUÆSTIO V.

De utilitatibus Balnei & nocumentis.

EX hujus quæstionis resolutione, quibus balneum utile, aut nocivum sit, constabit in statu sanitatis, & id quod pro morbo facere debet, saltem generaliter, erit notum. Pro cujus perfecta intelligentia perpendere oportet verba quæ adducit Galenus *10. meth. cap. 10.* ubi sic ait. *Si quis enim balneum ingressus non inhorruit, sed laxata est illi rarefactáque cutis, huic planè necessariò prædicta succedent, excrementorum evacuatio, æqualis per totum corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, tensorum relaxatio, & densatorum fusio.* Quibus verbis, suppositâ corporis dispositione balneum non impediente, quæ significatur per illa verba, *si quis non inhorruit*, docet balneum laxare, & rarefacere cutem, humores, & excrementa resolvere, corpus æqualiter calefacere, tensa emollire, & densa fundere: id est, ea quæ dura sunt, laxando emollire, seu cedentia facere, & humores liquare. Quod totum de balneo calido est intelligendum; & sic de prima & secunda parte balnei id docet Galenus. Diximus suprà primam & secundam partem balnei, domum calidam & aquam calidam esse, & consequenter balneum absolutè calidam partem significare; & ideò inquit, *Si quis balneum ingressus.* Et *inf. à: Neque his tutus est frigidi solus usus, nî prius fuerint in balneo æqualiter calefacti.* Et *infrà: In frigidum solium post balneum ingredimur.* Et ulteriùs. *Cujusmodi nobis est balneum, ejusmodi est illis exercitatio*, ut quæ non tantùm calefaciat, sed etiam insiti caloris motum à profundo corpore extrorsùm concitet. Et consequenter hæc *in eodem capite* scripserat. *Transeamus ad secundam balnei partem, quæ erat id, quod maximè proprium lavacrum vocant.* Ergo de balneo calido loquendum est in præsenti: siquidem de frigido cutem roborare, resolutionem impedire, & vires firmare, dictum est ex Galeno.

Juxta doctrinam dictam loquitur Gal. pluries per *libros de sanit. tuend. & meth. meden.* & alibi, sequens Hippocratem *3. acut.* & *2. de diæt.* & *lib. de affectionib.* sic dicentem. *Balneum calidum moderatum, emollit & auget corpus; quod verò opportunum modum excedit, siccat partes humectat, humidas verò reficcat.* Nos tamen in præsenti de balneo moderato agimus; nam excedens nec pro sanitatis conservatione est, nec calidum sub dubio immoderatè agere, & consequenter effectus diversos causare, juxta ejus activitatem. Quâ ratione Avicenna *fen 3. lib. 1. cap. 5.* postquàm docuit in corpore rectè temperato & disposito balneum esse solùm ad ejus temperiem conservandam, non ad evacuationem alicujus: Et postquàm

quàm dispositiones corporis significavit conducentes, aut non conducentes, ut balneum ministraretur, sic scripsit. *Balneum est calefaciens & infrigidans, humectans & desiccans, juvans & impediens; & ejus juvamenta sunt somnum facere, aperire, abstergere, resolvere, digerere, & nutrimentum ad cutis superficiem trahere.* Quibus verbis effectus per se & per accidens, quos balneum facere valet, enumerat: quod intelligendum est in requisita moderatione, ut juvamenta dicantur; nam ultra ipsam nocumenta esse docuit ipse Avicenna.

Fient tamen manifestæ balneorum utilitates, aut nocumenta, si effectus per se considerentur, ex quibus effectus per accidens deducendi sunt juxta proportionem balnei, id est juxta modum in exhibitione. Habet quidem balneum aquæ dulcis tam in qualitate, quàm in duratione, calefacere & humectare, ut docet Galenus 1. *de usu part. cap.* 13. ubi sic ait. *Cum enim balneum natura humidum sit, & moderatè calidum, humiditate natam ex caliditate siccitatem irrigat: caliditate verò ortam ex gelu frigiditatem perfunat.* Quod idem ostendit Avicen. *fen* 2. *lib.* 1. *cap.* 19. ità. *Scire autem debes quod operatio naturalis balnei est calefacere suo aere, & humectare sui aqua.* Quod de moderato intelligendum est, cùm immediatè post oppositos adducat, qui ex balneo eveniunt immoderato tam ex parte qualitatis quàm ex parte durationis: Ergo balneum tale calefacere & humectare habet per se, attenuare humores, cutem laxare, & consequenter ad extrà resolvere per accidens necessum est, moderatè saltem. Ideò verba adducta scripsit Galenus 10. *method.* & 2. *de simplic. medic. facult. cap.* 4. sic. *Si temperata adhibeatur aqua, & moderatè calida, laxare, rarefacere, fundere, & digerere*; calor enim & humiditas ad laxitatem & tenuitatem inducendam conducunt, sic ad resolutionem & motionem humorum ad extrà.

Ex hac doctrina facilè deducitur balneum frigidum adstringere & condensare, & ad expulsionem ad intrà facere, frigefacere extrà, intràque calefacere, nisi ità vehementer agat, ut ejus activitas interiora & exteriora vincat. Ideò Galenus 2. *de sanit. tuen.* calida ad extrà movere docet, frigida ad intrà, & 2. *de simplic. medic. facult. cap.* 4. sic ait. *Apparet enim aquam, si frigida applicetur, condensare, constipare, contrahere, constringere, & repercutere.* Quo fundamento ultimam partem balnei frigidam instituit 10. *method.* ad cutem robotandam, & resolutionem impediendam, & tetanum solvere concessit ex Hippocr. 2. *aphor. comment.* 21. dum calorem nativum non vincet; nam vincere & non vincere scripsit. Sic ait. *Aqua frigida occursu aut vincit nativum calorem, aut colligit: vincit quidem, cùm debilis fuerit, colligit cùm fortis calor augetur, frigore resolutionem impediente.* De hac frigefactione loquitur Avicen. *fen* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. dum dixit majorem calorem sentiri ad extrà, frigidum post balneum; ipso interiùs robotato; nam cùm frigoris activitas vincit, tardus, aut nullus est caloris ad extrà reditus, ut ipse *in eodem cap.* scripsit.

Balneum refrigerare duobus modis docet Avicen. *fen* 2. *lib.* 1. *doct.* 2. *cap.* 19. quia frigidum, & quia humidum. De primo dictum est refrigerare ad extrà, dum breve. Id est dum ejus frigiditas non vincit interiorem caliditatem, refrigerare tamen absolutè dum ejus activitas vincit. Restat verò an aliter frigefacere habeat. Sic ait Avicenna. *Duobus námque infrigidat modis: unus est quoniam aqua naturaliter est frigida; quare infrigidat in ultimo rei, licèt calore accidentali calefacias, qui non permanet, sed tollitur, & remanet operatio naturalis propter illud quod ex aqua penetravit in corpus, & est infrigidatio; & etiam quia aqua sive sit calida, sive sit frigida, est humida.* Quibus verbis non loquitur de frigido balneo ab aqua frigida facto, non enim tale absolutè balneum appellat, sed quamvis ut quid notum supra balneum refrigerare, dum aqua frigida est, scribat de balneo loquens, quod ex calida paratur aqua, duobus modis docet refrigerare, & quatenùs frigiditate naturali aquæ, tandem corpus refrigeratur, hoc est in fine balnei, quamvis aqua calida sit, & quatenùs humidum balneum est. Primum significavit Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. dum ait. *Si quis in aqua potabili totum diem innatet, at etiam non admodum sit frigida, sed ex sole tepens, necessariò refrigerabitur.* Et 1. *ad Glauc. cap.* 9. dicens, *Balnea calida ex aqua potabili prosunt, nam omnia humectant, & potentia refrigerant*, ut constet aquam calidam refrigerare, saltem reductione factâ.

Quomodò balneum quatenùs humidum frigefacere habeat, difficile appatet: nam humiditas per se, non est productiva frigoris, per accidens tamen non constar: nam licet Avicen. *fen* 1. *lib.* 1. *doctr.* 3. *cap.* 1. doceat intemperiem simplicem non diù durare, quin alteram pariat, & sic humidam frigiditatem parere, non habet in præsenti locum; loquitur enim tunc Avicenna de intemperiebus viventis, quatenùs ad hanc aut illam intemperiem corrigendam conducunt, sive ad productionem harum, sive ad consumptionem excrementorum, seu calida parit siccitatem, & frigida humiditatem; hac humidum balneum hoc modo non refrigerat, quia non conducit pro hoc aut illo humore consumendo, aut generando: Ergo non valebit refrigerare.

Sanctus Thomas *lib. de vita longitud. aut brevit. lect.* 3. humidum frigefacere docet, quatenùs suffocare habet, quod ostendit: nam docens ad longitudinem vitæ conducere calidum & humidum proportionari, sic ait. *Si enim humidum esset quantum, id est magna quantitatis, & non quale, id est non benè proportionatum, tunc calidum consumeretur citò, & suffocaretur à multo humido.* Quibus verbis docet ratione suffocationis frigidam humidam parere intemperiem. Noster Petrus Garcia *disp.* 9. *supra Avicennam cap.* 12. non rectè loqui S. Thomam conatur ostendere, ex eo quod suffocatio non ità ab humido quàm à corporatura fiat, & sic intemperies humida solùm valebit suffocare, quatenùs ad generandum humorem suffocantem conducit: quod idem de qualibet intemperie poterat affirmari, cùm quælibet ad humorem generandum possit conducere, quod de balneo intelligi non potest.

Licèt id quod objicit Noster Petrus Garcia verum sit, si de humido qualitativo loquamur, Avicenna balneum sive calidum, sive frigidum frigefacere docet, quia humidum quatenùs suffocare valet. Per quæ verba non est intelligendum ideò suffocare quia humida qualitate afficitur, non est ità; suffocat enim per corporaturam, sed quatenùs humidum est, prout humidum fluxile significat, juxta mentem Philosophi 4. *Meteor. cap.* 1. rectè humidum frigefacere docet, quia quod

quod fluxile eſt, ſpecialiter ad fluxionem facit, quatenùs faciliùs applicatur, & intra partes ponitur, ut diſpoſitiones ſuffocantes reſultent. Qua ratione loquitur Avicenna *cap.19. cit.* dum rationem reddit propter quam balneum humidum frigefacere valeat, ſic ait. *Ideò cùm multum humectaverit, calorem conſtringit innatum propter multam ſui humiditatem, & extinguet ipſum, & infrigidabit; cùm verò humiditas non valeat extinguere calorem, id ſuffocando efficiet*; ideò calorem conſtringere dixit, id eſt veluti comprimit, & ad denſitatem incompoſſibilem trahit. Et hac ratione etiam rectè oſtendit S. Thomas humidam intemperiem ſuffocatione parere frigidam, quia ad generationem fluxibilium humorum, humidorum ſcilicet ſuffocantium conducit.

Etſi modis dictis balneum frigidum frigefacere valeat, aliter etiam frigefacere docet cum experientia Hippocr. 2. *de diæta poſt medium*, ſic. *Calida autem balnea jejunum attenuant ac frigefaciunt.* Quod non eſt intelligendum ſolùm juxta doctrinam datam, quatenùs tandem ad antiquum reducit ſtatum, ſed quatenùs reſolvere habet calorem naturalem, ratione cujus frigidum corpus reſultat, quod fiet manifeſtum ſi deinceps legamus, ſic ait: *Per caliditatem enim humiditatem de corpore auferunt, evacuatâ autem de carne humiditate, corpus perfrigeratur.* Conducit ergo balneum ad frigefactionem quatenùs ad reſolutionem caloris facit, loquitur enim Hippocrates prout calor in humido conſervatur, ut docet Avicenna *fen 1. lib. 1. doctr. 4. cap. 3.* Ideò etiam *fen 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 19.* ſic ait. *Eſt námque, quum accidit balneo ut ſuo infrigidet aëre propterea quod multum caloris reſolvit innati; & ut membrorum etiam ſubſtantias exſiccet.* Propter quod balneum moderatum debere eſſe diximus; aliàs dum calefacere & humectare intendimus, frigida & ſicca ſequetur paſſio.

Sed dices; frigefactio quæ ſequitur ex reſolutione caloris per longum balneum cauſata, jam non minùs debet timeri corpore jejuno, quàm corpore repleto. Ergo non rectè docet Hippocrates hoc evenire corpore jejuno. Antecedens patet. Nam reſolutio in quolibet habet locum, & hæc durante reſolutione cauſari debet à balneo reſolvente, ac per conſequens de omnibus æqualiter eſt loquendum.

Reſpondetur, quod cùm Hippocrates docet balneum calidum frigefacere jejunum, de balneo quoad omnia temperato loquitur: quòd ſi jejunum corpus non ſit, potiùs ad augmentum facit, ut ipſe Hippocrates docet; à cibo autem accepto, calefaciunt ac humectant. Quo fundamento & *lib. de ſalubr. diæta comm. 14.* & 2. *de ſanit. tuend. cap. 7.* Galenus calidum balneum primò augere corpus, deindè minuere docet: quia cùm balneum ad cutem trahat, ſi anteà quàm attractum reſolvatur, balneum ceſſet, augmentum facit; ſi verò duret, reſolvit & diminuit; & ſic in corpore jejuno cùm parum trahendum ſit, facilè reſolutionem cauſat & refrigerat; in pleno ad coctionem & commutationem juvat, ut conſtat *ex comment. 13. de ſalubri diæta*, quod repetit Avicenna *cap. 19. cit.* ſic. *Cùm balneum ingrediuntur jejuni, exſiccat & debilitat, & cùm ipſum ingrediuntur poſt ſaturitatem, impinguat*, &c. Quâ ratione intelligendus cùm *in ipſo cap.* ſic ait. *Etiam balneum reſolutione calefacit, dum invenit nutrimentum non digeſtum, aut humorem frigidum.* Cujus reddit rationem, dicens, *Illud enim digerit, & hunc maturat*, id eſt, ad reſolvendum ſuperfluum, & ad coctionem illius quod non poterat coqui, conducit.

Dices iterum: Balneum ex aqua intensè calida, potiùs reſolutionem impedit; ergo non valebit refrigerare. Antecedens oſtendit Galenus 3. *de ſanit. tuend. cap. 4.* per hæc verba: [Dulcium calefactarum aquarum, ſi mediâ temperie ſint, vis eſt calida & humida; ſin tepidiores ſint, humida & frigida; quòd ſi juſtò calidiores fiant, calida, ſed non proindè humida, quippe horrere corpora, contrahique ex illis eorum meatus ſubigunt, ità ut nec madeſcere poſſint, nec excrementi quod intùs latet quidquam emittere;] & conſequenter Avicenna *cap. 19.* ſic ait. *Cùm ergo balneis aqua multa eſt caliditatis, cutis ex ea horripilatur, & inſpiſſantur pori.* Ergo balneum calidum non refrigerabit ratione reſolutionis quam facit.

Reſpondetur, quod cùm balneum reſolutionem facere valet, dicimus refrigerare; dum verò multæ caliditatis eſt, potiùs reſolutionem impedit; calefaciens & exſiccans; ideò 2. *de ſimplic. medic. facult. cap 4.* Galenus, Aquam intensè calidam adurere ſcripſit; ſic ait. *Apparet enim aquam, ſi frigida applicetur, condenſare, ſi fervida, adurere.*

Habet ergo balneum calefacere & humectare; & quæ ad hæc ſequuntur, laxare ſcilicet, aperire, attrahere, attenuare & reſolvere, utilia aut nociva, juxta ſubjecti diſpoſitionem; hoc tamen moderatè fieri ferè ſemper convenit, etſi aliqua nocumenta ferè ſemper ſequantur, ultra ea quæ ex prava adminiſtratione ſequi neceſſum eſt. Docuit id Hippocrates 3. *acutor. text. 5.* ubi ſic ait: *Tanta ex lavacro proveniunt commoda, quibus nimirùm omnibus indigemus; quod ſi in apparatu, vel in re unica peccatum incideris, tantùm abeſt ut proſit, ut etiam noceat: Itaque ut habet debitam temperiem, coctionem, & diſtributionem alimentorum ſervare balneum rectè adminiſtratum, etiam alia incommoda cauſat.* Sic ait Avicenn. *cap. 19. fen 2. lib. 1. In balneo cum multis ejus juvamentis adſunt nocumenta; facit enim ſuperfluitates ad membra in quibus eſt debilitas, leviter deſcendere, laxat corpus, impedit nervos, & reſolvit calorem innatum, & comedendi deſiderium dejicit, & coeundi debilitat virtutem.* Quod in corpore bene valente locum habere non poteſt, nî per longam moram, ſeu repetitum uſum eveniat, ut docet *cap. 5. de compoſ. medic. ſecund. loc. cap. 1.*

Inter commoditates balnei adjunxit Avicenna ſomnum conciliare; de quo ſpecialis eſt dubitatio: ſiquidem alios effectus à balneo cauſati notum eſt, ratione caloris & humiditatis ad ipſos conducentium. Difficultas tamen eſt quomodo ſomnum conciliet. Jacobus *in comment.* id evenire docet, quia delectat, humectat, & reſolvit ſpiritus animales, & quia fumos acres ex capite ad cutem; trahit quod non apparet omninò verum, quia defectus ſpirituum non adducit, ut ſomnij cauſa. Ab obſtructione quidem potiùs evenire receptum eſt magis de ſententia Philoſophi, Galeni, & Avicennæ, de ſomno agentium, ſeu de affectionibus ſoporoſis: at quia ab aliquibus ut cauſa ſomni adducitur, difficilius eſt ſomnum conciliare per retractionem fumorum à capite. Nam Hippocrates 3. *acut.* Balneum prohibet dum ſanguis è naribus fluit; quod licèt Anton. Muſa ratione virium intelligat *in comm.* fallitur ſiquidem.

dem, dum oon completè fuit, balneo esse otendum docet *in ipso comment.* Galenus, ut sanguis moveatur: Ergo balneum dum fluit sanguis è naribus nocet, quia movet in caput. Nec ob aliam causam balneum prohibet Galenus, dum vapor aut flatus in caput ascendit. Sic ait 4. *acut. comment.* 42. *Verùm cùm spiritus calidus flatuosúsque ad caput fertur ob humorum pravitatem, lavare hos non confert.* Et 2. *de compos. medic. secund. loc. cap.* 1. in dolore capitis ab ardore balneum damnat. Sic ait: *Vitanda maximè sunt vinum, sol & balneum:* Ergo non conciliat somnum retractione fumorum acutorum.

Hoc non obstante, dicendum nobis est somnum conciliari per balneum, quatenùs vapores ascendunt in capuc humidi, & à caliditate & mordacitate temperati; habet enim balneum fluxiones commovere, & sic ut ruant in caput vapores obstruentes conducit: Et ex alia parte dum in parva quantitate sunt vapores acres, ipsos resolvit, & aliquantulum corrigit, secùs verò dum in magna quantitate sunt: Nam tunc potiùs movet eos magis, ut irritent. Ideò 6. *Aphor. comment.* 31. super illa verba, *Dolores oculorum, meri potio, aut balneum,* convenire docet Galenus, dum humores acres dolorem causant, & corpus plenum non est. Et 7. *aphoris. comment.* 45. super eadem ferè verba, dum plenum est corpus, inutile esse balneum scripsit, juxta illud quod docuerat 10. *method.* scilicet balneum utile esse dum vapores seu humores acres in quaotitate sunt, ut per cutim resolvi possint; dum verò cutis deositas pro resolutione eorum obstat, balneum horrorem causat, rectéque dictum est balneum somnum conciliare, quatenùs vapores acres resolvit, dum in parva quantitate sunt; & ad elevationem aliorum humidorum, & pro somoo conducentium juvat: qua de causa, dum plures sunt humores acres & calidi, & balneum oondum ipsos attemperare & refrigerare valuit, sive ob parvam moram, sive ob majorem calorem ejus, tantùm abest ut somnum conciliet, ut potiùs agitatiooe factâ, vigiliam conciret, & pro operari vapores moveat, & dolorem augeat; ideò ipsum prohibet Galeous in dolore capitis.

Balneum syncopem causare, & facultatem debilitare, dum ultra requisitum procedit, nil mirum est, ut docet Avicenn. *fen* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. qui sic ait. *Balnei tamen impedimenta sunt, debilitare cor, si multùm morati fuerint, & facere syncopem & nauseam, & humores quietos movere, & eos ad putrefactionem praparare, & cum eis ad membrorum debilium receptacula declinare, ita ut accidant apostemata.* Quod idem significat *cap.* 19. *fen* 2. *lib.* 1. juxta Hippocratis mentem 3. *acut. text.* 61. in quo docens quibus balneum non conveniat, sic ait. *Lavacro committi non debent hi quibus vires imbecilles sunt, aut qui fastidio, aut vomitione affecti sunt:* habet enim balneum ad evacuationem humorum acrium seu biliosorum facere, & sic ventriculum turbare. Erit ergo inutile ubi cibi existit fastidium, sive nauseabundus iovenitur ventriculus, quia tenues ad ipsum concitat vapores irritantes; quod præcipuè evenit dum balneum modum excesserit; oam moderatum ipsos ad extrà movet, excessivum verò & virtutem minuit, & attenuat valde; ità ut ad ventriculum fluat, quod oauseam & fastidium excitat: Et hac ratione nil mirum quod fluxiones in partes debiles moveat, & ad putredinem agitatione humores præparet, præcipuè mixtione pravorum factâ cum bonis. Nec aliter intelligi potest extraneos augeri humores per balneum, nisi quateoùs biliosi moventur & agitantur & melancholici, resoluto tenui, contumaces redduntur magis; nam ex se ad ipsorum generationem facere præter rationem est.

Per balneum vias aperiri docet Avicenn. *in ipso cap.* 5. dicens, *Somnum facere, aperire &c.* juxta doctrinam Galeni 10. *meth. cap.* 10. docentis medicamenta deobstruentia debere esse quæ sine calore aperiant, tale esse balneum scripsit, quatenùs tandem refrigerare ostensum est. Quo fundamento *cap.* 9. omnes evacuationes movere docuit. Sic ait. *In hoc tempore si vinum aquosum bibatur, omnes evacuationes movet, idem faciet & temperatum dulcis aqua lavacrum: sed hoc, nisi valeat vias aperire, non faciet:* Ergo balnenm apetitivum est.

Sed dices: Balneum obstructiones causat; ergo non est aperitivum. Antecedens ostendit Galen. *lib. de salub. diat. comm.* 12. per hæc verba. *His qui habent in jecinore arctos transitus alimenti, lavacra obstructiones creant:* Ergo non sunt aperitiva.

Respoodetur Galeoum loqui in præsenti de nocumento quod advenit dum post cibum exercitatio fit, & tunc inquit evenire si balneum exhibeatur, quia cibo nondum digesto, obstructiooes facere necesse est: sic per balneum ipse in vias astrictas moveatur. Propter quod Avicenna *cap.* 5. & 19. *citatis.* Balneum post comestionem ad impinguandum facere scripsit, nî obstructiones faceret, movendo materiam crudam: at balneum ipsum ex se aperire notum est; ideò Hippocrates 3 *acut.* urinas ciere scripsit.

QUÆSTIO VI.

De modo administrandi Balneum.

TANTA debet esse ad Balneum ministrandum præparatio, ut propter hoc præcisè non esse communiter in uso possit judicari. Nam cùm Hippocrates 3. *acut.* doceat quòd si in re onica peccatum inciderit, potiùs balneum noceat; quid mirum, ut non mioùs per defectum in administratione, quàm in quolibet alio non exerceatur: siquidem dum plura concurrere necessum est, ut debitè ministretur, cùm non facilè propter quid eveniat noxa, percipiatur, non facilè corrigitur id quod à balneo factum est. Si non habetur ut decet, pendet ex ignorantia Medicorum, maximè oon cognosceotium ea propter quæ utile aut nocivum existat: ideò Mercatus *cap.* 13. de balneis agens *lib. de recto præsidior. usu*, sic scripsit: *Hoc ego unum certò scio, nullum esse in Arte Medica tam utile, tam commune, tam securum præsidium, ni id, nescio qua rustica timiditas ex auxiliorum gremio depulisset. Propter quod,* ut ipse de Balneis scripsit, *nos eorum omnia requisita ex professo explanare tentamus.*

Notum tamen est balneum ex aqua dulci tepidum communiter in statu sanitatis exerceri, utiléque esse non solùm pro corporis mundificatione & detersione, sed etiam pro aliquorum excrementorum resolutione, & caloris attemperatione, ratiooe cujus utilis est, & refrigeratio quæ aut mixtione aquæ frigidæ advenit in fine, aut

reductione

reductione factâ, etsi pro aliis particularibus effectibus, hoc aut illud balneum speciale utile sit, ut videmus dum de curandis morbis agimus. Cùm ergo quantitas & tempus balnei, ex dictis determinata sint, solùm restat scite modum utendi ipso: ad quod etiam attinere videtur præparatio quæ ad balneum requiritur; quærimus semper in balneo de quo agimus, humectationem, & sic nec validè calidum balneum, nec frigidum esse debet; habet enim utrumque adstringere, densare & siccare, ex Gal. 2. *de simpl. medic. facult. c.* 4 sic dicente, apparere enim aquam, si frigida applicetur, condensare & constringere: sicut si extremè calida, adurere; ideò balneum temperatum in calore applicamus, quod humectare docuit idem Gal. 3. *de sanit. tuend. c.* 4. Et ob hanc rationem medium humidum debere esse scripsit Avic. *fen 2. lib. 1. c.* 19. sic. *In balnei terra multam projiciant aquam, ut vapor multiplicetur, & aër humectetur.* Et *c.* 5. *fen* 3. sic. *Et aer in circuitu eorū aquā dulcē fundendo humectetur.*

Circa modum administrationis examinare debemus an totum corpus, an aliquâ parte seclusâ balneandum sit: an celeriter in ipsum, an lentè projici debeat; an cum variis motibus, an quieto existente corpore, & sic de aliis. Circa primum non est dubium balneum particulare competere pluries, ratione particularis partis affectæ, ut dum capite distemperato ipsum aquâ irrigat Galen. 4. *acut. comm.* 42. dicens. *Sanè capitis solius, quovis aliter modo habentis, caliditatem balneum juvabit.* Quod idem de qualibet alia parte intelligendum est: in quo casu aliam partem lavare, forsan nocere valebit. Difficultas tamen est dum balneum universale ministratur; id est dum in statu sanitaris balneo utimur, vel ad mundificationem, vel ad resolutionem aliquorum excrementorum totius & attemperationem simul, an caput etiam lavandum, vel ipsum à balneo servandum.

Ratio tamen difficultatis stat; quia experientiâ pluries compertum est; post balneum dum caput etiam humectatur, dolore capitis molestari: Ergo balneum non debet tangere omnes partes. Pro quo etiam facit id quod Gal. 4. *acut. comm.* 42. scripsit, scilicet, *Cùm spiritus calidus flatuosus in caput fertur, lavare non confert* Et 2. *de composit. medic. secund. loc.* Balneum prohibet in ardore capitis dolorem causante, ex eo quod humores attenuare habet ut in caput moveantur: non ergo totum corpus balneandum est, ità ut caput humectetur. Hoc videtur insinuare Avic. *c.* 19. sic dicens. *Marina autem aqua caput ejus, qui in eis balneatur, replem:* ergo non est caput in aqua lavandum, sed fugiendum est quod aquâ tangatur. Quod universaliter magis docuit Gal. 6. *de sanit. tuen. cap.* 9. dicens, *Calidarum aquarum noxius est usus in capite.*

At si res ut decet pertractetur, inveniemus, quod dum pro toto remedium quærimus in balneo, totum etiam secundum omnes partes balneandum esse: Id insinuat Hipp. 3. *acut. sex.* 54. dum inquit, *Quantum fieri potest nec caput ipsum modò, verùm & extrema, & quamvis aliam corporis partem à frigoris injuria prohibere convenis.* Quæ verba corpus secundum omnes partes in balneum fuisse submersum docent. Quod etiam invenimus in Gal. 10. *meth. cap.* 10. qui agens de balneo hecticorum sic ait. *Nec capiti ejus infundi, quidquam velim, cùm sit satis id quoque bis serve unà cum toto corpore in aquam mergi, hinc eductus in frigidam semel totus tingatur.* Quibus verbis tam balneum calidum quàm frigidum in omnibus partibus fieri docet Gal. Ergo nulla excludenda est pars. Quod ratio suadet: siquidem totum corpus auxilio eget; ergo nulla pars est ipso privanda; ad quod conducit Doctrina Gal. & Avic. quam adducemus, imperantium subitò & non lentè balneum esse sumendum, ut omnes partes simul alterentur, ne horror accidat paulatinâ immutatione, faciet frigidi occursus vaporū mordentium retractionem in partem non alteratam, hoc est in caput, non ergo à balneo caput excludendum est, ac per consequens simul cum toto est lavandum. Dum verò Autores balneum in capite prohibēt, aut loquuntur de medicinali balneo, quod in calido affectu; aut capite calido, calidum prohibet Gal. nam major fit vaporum calidorum commotio & attractio: non tamen negat quod ex aqua dulci conficitur; aut loquuntur de partis balneo ex aqua dulci quod in capite prohibet Galenus ob alterationem quam causat, nî forsan inanitum corpus sit, quo casu balneum commendat Hippocrates.

De modo ingrediendi balneum, non minùs est loquendum. Circa quod Gentilis super Avic. paulatim balneum esse sumendum scripsit, dicens, *Non statim ac quis ingressus est primam domum, pertranseat ad secundam, nec statim ad tertiam, sed aliquod tempus est immorandum in qualibet, anteà quam in alteram transeat.* Quod idem servandum esse voluit ad egressum, ne subitam mutationem corpus patiatur. Quod videtur cohærere verbis aliquibus Avic. quæ talia sunt. *Præterea sibi caveant ne citò balneum ingrediantur.* Quæ verba videntur docere, paulatim debere fieri regressionem à balneo, ut ingressum ob rationem dictam:

Si Gal. respiciamus, tantùm abest ut doceat paulatim debere fieri ingressum & regressum, quod ex professo moneat subitò balneum esse ingrediendum, & in nulla domo moram esse faciendam. Sic ait 3. *de sanis tuen. c.* 4. *Transire autem ad solium usque, non in laconico immorari is debet, sed nec immorari in piscina huic est opus; imò lotus ad frigidam festinet, atque ipsa quoque mediocris esto; ab his in frigidam descendat, non tamen cunctanter, sed celeriter, vel etiam semel totus insiliat; huc utrobique spectans, ut uno maximè tempore omnibus corporis partibus humor circumfundatur; quippe cùm si sensim, his accedat, horrorem concitaturus sit.* Quibus verbis subitò esse sumendum balneum, seu saltu in ipsum esse ingrediendum docet, ut corpus secundum omnes partes alteretur simul: Et rationem reddens inquit, ne horror excitetur; humore magis in unam partem quàm in alteram alterato & moto. Quod idem repetit 10. *meth: c.* 10 sic. *Se ab exercitatione in frigidam immittant.* Et infrà *Esto autem media domus tantè scilicet primâ calidior, quantò tertiâ frigidior est.* Et paucis interpositis, *Tantisper in prioribus domibus morabuntur, dum in alteram transferantur demum.* Non ergo lentè balneum est ingrediendum aut egrediendum, sed breviter. Ideò Hipp. 3. *acut. sex.* 50: sic ait, *Celeres fiant perfusiones.* Et suprà, *Celeriter perfundere multam aquam oportet.* Quod totum brevem debere esse actionem ipsam fundendi, seu ingrediendi in balneum significant, ut docet *in comment.* Galenus.

Sed dices: Contra hoc stat Gal. quia non solùm 3. *de sanit. tuend. cap.* 4. Verùm 3. *acut. comment.* 49: ità renuit subitas alterationes in balneis, ut potiùs aquas diversimodè temperatas debere esse supponat, ut corpus non à calido in frigidum immediatè & subitò mutetur, nec è contrà, sed à

calido in minùs calidum, & ab hoc in minùs frigidum. Sic ait 3. *acut. Probè autem faciet qui a calido balneo tepidas trium generum aquas parabit. Prima quidem admodum tepida sit; secunda verò minùs tepida, & tertia quæ magis ad frigus declinet; ut paulatim à calido ad frigidum procedat.* Ergo non est subitò balneum sumendum, ut etiam *quæst.* 2. diximus.

Respondetur, hæc non contrariari: Nam dum subitò esse sumendum balneum docet, & non lentè, non permittit subitas alterationes; sed solùm ostendit, simul debere submergi secundum omnes partes, ut æqualiter alterentur: dum verò balnea ex aquis parum differentibus constituit, subitas & violentas alterationes renuit; attamen non tollit totum corpus simul esse submergendum, & sic dicta non contrariantur.

Etsi tota doctrina ex Galen. adducta de balneo loquatur frigido, & de ipso agens etiam Avicen. *fen* 3. *lib.* 1. *c.* 6. dicat, subitò in frigidam post exercitium corpus esse submergendum, quoad hoc idem intelligendum est de ingressu in balneum calidum; tum quia Hipp. de calido balneo agit, dū celeres esse perfusiones scripsit: siquidem idem est perfundi aquam celeriter, ac subitò balneum intrare; nam finis est ut partes omnes aquâ tangantur breviter, ne aliquæ ante alias alterentur, & accidat horror, & inæqualiter humores moveantur: tum quia ipse Gal. non de balneo omninò agit, sed ex illo quod ex aqua repente in sole fit, quod refrigerare docuerat 1. *de simpl. medic. facult.* & hoc est communiter in usu, tum quod saltu dimittuntur exercitati, ut experientiâ compertum habemus. Ergo non solum ingressus in frigidum, sed etiam in calidum balneum subitò debet esse. Sic ait *lib.* 3. *cap.* 4. *de sanit. tuen. Lotus ad frigidam festinet, atque ipsa quoque mediocris esto, utpote ad medij temperamenti corpus.* Et infrà. *Esto verò & aqua ipsa nec tepida, nec planè cruda, & glacialis.* Et 10. *meth.* exemplum adducit juvenum qui in flumina se conjiciunt; agit ergo de balneo communi, & de ipso inquit saltu esse sumendum, etsi in fine capitis de balneo hecticorum agens, verè frigidum convenire scribat.

Ex hac doctrina constat non rectè loqui Gentilem, dum Avic. non esse egrediendum subitò dixit, hoc enim significat non esse trahendū corpus à calido in frigidum subitò, nec è contrà, sed paulatim, ut molestæ alterationes cohibeantur; erit tum ex balneo subitò egrediendum ad temperiem non dissimilem. Quod constat ex verbis quæ sequnt, hæc sunt. *Nec citò è balneo egrediātur & caput post ipsum discooperiant, & corpus ad recipiendam frigiditatem exponant, egredi debent, si fuerit hyems, suis bene cooperti pannis.* Ergo molestam alterationem fugit, non egressum è balneo subitò.

Ex dictis venit examinandum, an exercitati subitò sint in aquam submergendi immediatè post exercitium; an verò quiescendum priùs sit: siquidem Avic. jam unum, jam alterum faciendum esse significat, *cap.* quidem 5. *fen* 3. *lib.* 1. sic ait. *Oportet prætereà ne exercitatus ad balneum velociter pergat, donec perfectè quiescat. Cap.* verò 6. *in fine,* Balneum prohibet post exercitium. Quod idem videtur significare ac priùs esse quiescendum; in ipso tamen *cap.* 6. sic ait. *Deindè post exercitium in aqua frigida subitò natet, ut ipsius membra simul dura fiant.* Quod videtur cohærere cum doctrina Gal. 10. *meth. cap.* 10. sic dicentis. *Multi juvenes, ejusmodi confectis itineribus, ubi illicò se in aquam frigidam conjecerint, juvantur.* Quod repetit infrà, sic. *Se ab exercitatione in frigidam saltu dimittunt; siquidem cujusmodi nobis est balneum, ejusmodi illis est exercitatio.* Constat ex Gal. illicò post exercitium in balneum frigidum corpus esse submergendum doceri, ut pueri communiter faciunt. Nec potest intelligi loqui de ingressu ipso, quod non tollit priùs post exercitiū esse quiescendum, siquidem exercitium supplere balneum calidū docuit, calorē inducendo in corpore resistentem frigori, qui non esset, si corpus non quiesceret priùs.

Dicendum tamen nobis est, Avic. diversis in locis loqui de diversis balneis: *cap.* 5. loquitur de balneo calido; & ad ipsum non esse perveniendum immediatè post exercitium, ne calor calori exercitij addatur, & major adveniat noxa, suffocatio scilicet, & respiratione pro tanto calore deficiente, seu non sufficiente: *Capit.* verò 6. loquitur de balneo frigido, ad quod illicò post exercitium esse perveniendum esse docet, ut illicò post balneum calidum ad frigidum pervenire scripsit Galen. quia tunc melior est dispositio, ut balneum frigidum sumi possit: siquidem & calor qui resistat frigori est, & humores pro resolutione dispositi: Quod intelligendum est non factâ mutatione de extremo ad extremum, ut diximus, nî affectus ille expostulaverit, ut in hectica, aut vires valentes sint; ut accidit in juvenibus pluries inordinatè procedentibus: ideò de balneo calido loquens Hippoc. 3. *acutor. Via ad solium brevis sit, facilisque tum egressus, tum ingressus.* Cujus ratio est ne exercitium procedat, debilitans & alterans.

Cùm igitur ità commendet Hippoc. ne virtus patiatur, ad balneum viam debere esse brevem: quod est dicere, aut balneum debere esse propinquum, aut sine labore ad ipsum perveniendum, & ab ipso revertendum: manifestum est in balneo corpus quietum debere servari, præcipuè in calido, ne virtus valdè resolvatur. Quod *text.* 48. 3. *acut.* sic docuit. *Qui lavatur componat se se, taceat, & nihil agat: sed alios perfundere & detergere sinat.* Quibus verbis constat omninò juxta regulas Artis procedere, qui in balneo à ministris lavari, fricari, & quomodolibet tractati consuevêre, ut majori voluptate, & minori virium dispendio finem consequatur; in quorum defectu quàm minùs operari debet qui lavatur: propter quod utilius judicatur balneum, quod aquâ debito modo temperatâ exerceretur in loco fluente impetu quodam, non tali ut laboriosè fiat, sed commodè, & cum voluptate: Et in tali casu aquâ circa humeros impetum facere utilius erit, ut ad pedes fluat, & versus ipsos aliquantulum humores commoveat: ideò judico antiquitùs balnea non fieri per submersionem intra aquam, sed per irrigationem, seu perfusionem aquæ supra corpus, & sic communiter fit. Quod docet Hipp. dicens, *Perfundere autem multam aquam oportet, & celeres debent esse perfusiones:* quod utilius sit quia perfusio à parte superiori debet esse, ut humores à capite retrahantur in partes inferiores.

Totum hoc verum habet, & intelligendum est, dum exerceri corpus in aqua non est necessarium, id est dum balneum pro exercitio non sumitur, ut sumebatur antiquitùs; Natalio reste, & balneum inter exercitationis genera trahente, ut etiam docet Aristoteles 2. *de partibus animal. cap.* 2. qui ob laborem cursui natationem comparat. Et ob eandem rationem Gal. 3. *de caus. sympt. cap.* 1. Balneum Rationem vitæ appellat. Sic ait. *Voco Rationem*

vitæ,

vita, equitationem, venationem, balnea, ambulationes & omnia denique in quibus aliquid corpore agimus. Quod recipiens Andreas Bazius *lib. 7. de Thermis, cap.* 8. inquit antiquiorem fuisse natationum usum, quàm balnea: siquidem ex usu exercendi se in fluviis & stagnis, homines, balnea ad alios fines instituta fuere; erat enim, quæ nunc appellatur natatio in aqua frigida facta, ad mundificationem corporis instituta in subjectis robustis, ut simul ad fugienda aquæ pericula homines apti fierent, & exercerentur: Et sic dum balnea antiquitùs parabantur diversitate domorum, seu cellularum, prius disposita erat domus quædam seu spatium in quo natabant homines, tum ut exercitarentur præcisè, tum etiam ut ad balneum exercitio disponerentur.

Diximus ex Gal. & Avic. ab exercitio in balneum corpora mitti; at cùm exercitij ratione jam pro balneo, jam sine ordine ad ipsum; domus illa aquâ frigidâ plena constitueretur major quàm pro balneis communibus instituebatur, quia major multitudo in ipsa concurrebat. Et hac ratione judico loquutum fuisse Avicen. *cap. 19. cit.* dum primam domum quasi frigidam constituebat.

Meritò exercitij ratione natatio exercebatur in aqua frigida, id est minùs quàm tepida, quia balneo calido magna fieret resolutio & calefactio; & sic dicimus balneum debere esse quieto existente corpore; quia supponendum est corpus in balneum moderatè calidum intrare, ut mundificetur, & attemperetur, resolutis excrementis aliquibus calidis, ità ut tandem restigeret ad temperiem mediam: aut supponendum est in aquam frigidam mitti post balneum calidum, seu post exercitium, quatenùs unum alterius suppleat calorem. Cùm verò in fluviis seu stagnis balnea assumuntur, quæ antiquitùs natationes dicebantur, calor aquæ remissus est potiùs ad frigefactionem corporis conducens, jam resolutione aliquâ, jam reductione aquæ factâ ad propriam temperiem, & sic utilis est agitatio seu natatio, cum circumstantiis positis, quod non habet locum in balneis quæ privatim parantur in tina, seu labro ligneo, aut aliter confecto; in quo cùm aqua calefiat plus quàm tepidè, sufficit sine exercitio pro resolutione & mundificatione, & ut fines desiderati consequantur, præcipuè si attemperatio aliqua aquæ expectetur, dum alij sunt consequuti fines.

Non minùs ad modum administrandi balneum, conducit cognoscere an corpus ungendum sit oleo, aut aliquo alio liquore ante aut post balneum. Nam Gal. 10. *meth. cap.* 10. mediam domum quæ ante balneum est ad corpus oleo perungendum instituit. Sic ait, *Esto autem media domus, non tantùm situ media, sed etiam temperie. In hac domo oleum tepidum esto, quo æger super sindone illatus protinùs perfundatur: hoc facto tertiam ingrediatur domum ubi solium est.* Quibus verbis ante ingressum in solium, hoc est in balneum, oleo ungendum esse corpus ostendit. Avic. *cap. 19. fen 2. lib. 1.* corpus ungendum esse docet post balneum calidum: nam de ipso agens sic ait. *Qui balneum ingrediuntur, ut humectentur debent in aqua mergi, & posteà ex oleo inungi.* Quod confirmat *cap. 6. fen 3. lib. 1.* Ergo ante balneum & post ipsum, corpus perungendum esse docent Autores.

Antonius Musa 3. *acut. comm.* 52. hæc componere conatur, dicens corpus oleo perungendum esse juxta aliquorum consuetudinem, quæ jam non prævalet ante balneum, & post ipsum ratione finis quem consequi intendimus; si enim balneum ad detergendum sordes est, ante balneum unctio est facienda, ut sordes emolliantur oleo, & faciliùs detergeantur balneo: si verò sudor expectandus erat, olei unctio post sudorem convenit; nam ante ipsum impediet, meatus occludendo, sicque unctione sudorem prohibere conamur; ideò unctionem propter diversos fines fieri fatetur, & consequenter propter ipsos jam in uno tempore, jam in alio debere fieri. Quod videtur insinuare Gal. 3. *de sanit. tuen. cap. 4.* in quo sic ait. *Dehinc oleo, prout assuevit, fricetur, & inde exerceatur: ab his in frigidam descendat.* Et paucis interpositis sic ait. *Exeunti verò ab aqua fricari oleo, id quod pluribus expedit.* Docet ergo diversis temporibus olei unctionem convenire, quod juxta diversitatem finium est intelligendum.

Hoc unum notandum est in fine quæstionis; quod balneum frigidum actu exhibere non convenit in ætate augmenti, quia cùm comprimere, condensare & adstringere habeat partes externas, habet repellere nutrimentum à partibus, & consequenter earum impedit augmentum & nutritionem. Conveniet tamen quando augmenti non est necessitas, ut 3. *de sanit. tuen. cap. 4.* docet Gal. qui sic ait. *Corpus quod augescit non est frigidâ lavandum, ne ejus incrementum moretur; ubi verò abundè est auctum, jam frigida quoque assuefaciendum.* Non ergo balneum actu frigidum indiscriminatim est exhibendum. Dixi actu frigidum, nam quod tale est potentiâ, ut voluit Gal. 1. *ad Glauc. cap. 9.* ex aqua frigida actu non fit, sed ex calida. Sic ait, *Balnea calida ex aqua potabili prosunt: nam omnia humectant, ac potentiâ refrigerant,* juxta id quod 1. *de simplic. medic facult. cap. 3.* dixit de aqua sole tepida necessariò refrigerante. Balneum quidem etsi refrigerare habeat reductione aquæ factâ ad propriam temperiem, non ità prohibet augmentum; quia cùm calidum primò supponatur, attrahere valet alimentum ad partes; & cùm ejus frigiditas remissa sit, non valet pro expulsione condensare, præcipuè cum partes calidas calore actuali supponat: Balneum tamen frigidum actu non supponit calidum, aut ejus activitas major debet censeri, & sic intensè condensare valebit & constringere.

Advertendum etiam est, quod cùm humectare intendimus intensè, olei inunctio utilissima est; sive ante frigidum, sive post; habet enim oleum ob ejus modum substantiæ validiùs humectare, ut docuit Hippocr. 2. *de diæt. post med.* ubi sic ait. *Vnctio verò calefacit, humectat ac emollit*; ideò in balneis particularibus, seu embrocationibus oleo & aquâ utimur dum emollire aut humectare partem conamur, juxta doctrinam Gal. 5. *de simplic. medic. facult. cap. 5.* sic. *Oleum & aqua calida humectant simul & calefaciunt; quod si ambo in unum misceantur, multò magis tunc calefaciet, tum humectabit.* Circa quod 3. *de aliment. facult. cap. 15.* uti eo consulit, dum oleum deficit, & consequenter in balneis ità esse faciendum juxta consuetudinem plurium frigidarum regionum. Sic ait. *Quòd si partem aliquam butyro inunxeris, cernes cutem pinguem non aliter ac si oleo fricuisses; Quin imò homines in frigidis pluribus regionibus in quibus oleo carent, butyro utuntur.*



SECTIO II.

De Balneo ægrotantium.

QVÆSTIO I.

Quid sit ægrotantium Balneum, & quotuplex.

PRÆCEDENTIS sectionis non est possibilis completa notitia, quin hujus doctrinam addiscamus, nec istius dabitur manifesta quin ex præcedenti plura sumamus: non enim balneum sanorum perfectè administrabitur, si plura quæ in statu sano inveniuntur, an balneū impedire valeant, vel secùs, non cognoscamus. Nam licèt in rigore cum statu sanitatis simpliciter non copatiantur, cùm non constituant corpus in statu morboso, hoc est impediant operari, status sanitatis dicitur, saltem ut nunc: Et cùm talia accidentia sint quædam quæ morbum instituunt, philosophandum est de eis, ut de ipsis philosophatur dum morbum faciunt, & sic ex hujus sectionis resolutione, quid faciendū constabit, corpore alvum humidam aut constrictam plus justo habente, aut aliquo alio modo patiente, extrahes statum morbosū, neutro scilicet corpore: & sic similiter, cum balneum ægrotantium generale rationem balnei supponat, ea quæ dicta sunt prævidenda, ut quid balneum, quibus dispositionibus & conditionibus applicandum sit cognoscamus, quantum, quando, & quale, juxta morborum diversitatem, & sic una sectio integrè intentum manifestare non potest.

Dictum est sanorum balneum esse quod pro conservatione propriæ temperiei corporis conducit, & pro mundificatione ejus, sine alteratione sensibili; propter quod Gal. corpus nullatenùs alteratum ad balneum requirit 3. *de sanit. tuen.* c. 4. quia non ut remedium, in sanis est exhibendum, & sic notum est ægrotantium balneum esse quod corpus in propriam & nativam dispositionem attrahere habet, sive alterando, sive evacuando, sive aliquo modo disponendo, & consequenter ægrotantium balnea sunt propriè quæ fiunt ex aqua medicinali, sive per artem, sive per naturam; id est quæ ex aqua supra modum alterata fiunt, aut quia naturaliter tales oriuntur aquæ, aut marina, aut sulphurea; aut quia per artem aqua medicinalis fit, ut dum mixtione aliquarum rerum talis resultat, aut alteratione aliqua, alióque modo aquam mixtam appellat Galenus 1. *de simplic. medic facult. cap.* 4. ubi sic ait, *Vt enim si sedem aqua miscueris ex confesso fuerit composita; sic multo magis si igneam, aut essentiam aut qualitatem adjeceris, compositam quodammodo effeceris.*

Erunt ergo balnea ægrotantium juxta affectuum diversitatem diversa, quorum ea quæ ex aqua naturaliter medicata procedunt, solùm corporibus morbosis conveniunt, ut sunt sulphurea, nitrosa, bituminosa, salsuginosa, & similia; quia cùm eorum facultates activæ valdè sint propter miscellam mineralium talem activitatem habentium, solùm in corporibus ægrotantium locum habent, id est solùm ubi morbus, seu ejus causa talium balneorum activitati resistat, alias non sine noxa exercentur; sunt enim omnia quæ mineralium naturam referunt, calida, ut docet Gal. 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 6. nam postquam omnium mentionem fecit, sic ait. *Ex quo claret has omnes facultatibus esse calidas, solam verò aquam potabilem esse frigidam.* Quod respiciens *in comment.* Vallesius, sic dicit. *Aqua omnes sponte nascentes præter potabilem calida sunt.* Ex quo deducendum est corporibus calidis necessariò nocere, prodesse verò dum morbus frigidus est: calefacere & exsiccare docet expressè Hippocrates 2. *de diæt. post med.* Gal. 7. *de composit. medic. secund. loc. cap.* 1. idem refert de omnium mineralium aqua agens.

Ut aquæ mineralium naturam eorum referunt, & similes qualitates in activitate ostenrant, & sic balnea spontè nascentia inveniuntur talis naturæ, ut quæ calida & sicca sint saltem in virtute; alia etiam reperiuntur metallorum naturam referentia, & eorum qualitates in agendo, qualia sunt quæ per loca, aurum, argentum, ferrum, plumbum, & similia metalla generantia, communicanr, quorum imitantur naturam, aqua chalcanthosa, quia ex materia metallorum conficitur chalcanthum, de quibus Galenus diversis in locis. Avicen. verò *cap.* 19 *fen* 3. *lib.* 1. omnium mentionem fecit, & vires enumerat, quem sequitur Mercatus *lib. de recto præsidior. usu, cap.* 13. dixitque metallorum balnea frigida & sicca esse, propter-eáque æris aut chalcanthi naturam referunt, quæ omnia habent calefacere, exsiccare tamen expressè est in Gal. 7. *de composit. medic. secund. loc. cit.* & in Avicen. *in ipso cap.* 19. præcipuè Gal. 1. *de simplic. medic facult. cap.* 4. sic ait, *Alia aqua universè ulcera desiccant*, agebat de potabili. Et 1. *de sanit. tuen. cap.* 7. sic. *Balnea quæ medicam vim præse ferunt, omnes exiccant.*

Difficiliùs tamen est quid dicendum sit de balneis metallorum quoad frigefactionem, quia Avicenna dum effectus aquæ æreæ, salsæ & ferreæ adducit, sic ait. *Iuvant in ægritudinibus quæ sunt ex frigiditate & humiditate*: Ergo sentit talium aquarum balnea calida esse, aliàs potiùs nocerent. Et licèt Gentilis *in comm.* ferreas & æreas aquas frigidas dicat, non rectè pro Principe satisfacit; siquidem inquit conferre dictas aquas, quatenùs calidæ in declinatione pro resolutione conducunt, frigidæ verò in principio ad repellendum, & omnes ad confortandum; quod etiam dissonum, ut de quolibet remedio calido aut frigido possit dici convenire in quolibet morbo, ratione diversorum temporum.

Gal. verò 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 6. omnes aquas spontè nascentes præter potabilem calidas appellat. Quod Vallesius *in comm.* tanquam verum recipit. Et quamvis videatur Gal. loqui de aquis mineralium, & quæ referunt naturam medicamentorum calidorum, non satisfacit, nam ipse absoluté sic ait. *Ex quo claret, has omnes facultatibus esse calidas, solam verò aquam potabilem esse frigidam*: Si autem aliquæ aliæ aquæ frigidæ essent, non solùm potabilem excluderet. Quod ostendit Vallesius: nam postquam dixit omnes spontè nascentes præter potabilem esse calidas, inquit. *Meritò dictum est spontè nascentes, nam arte rectè possunt aqua confici frigida ex decoctione rerum frigidarum* Quod si verum est, etiam metallorum aquas calidas appellat, cùm spontè procedant aliàs excluderentur à Galeno & Vallesio.

Tot reperiuntur pro utraque parte patroni, ut difficile

difficile quid dicendum sit inveniamus. Gentilis & Jacobus *super fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 16. & 19.* aquam metallorum frigidam appellant. Idem sentit Andreas Bazius *lib. 1. de Therm. mixt. cap. 2.* & Metcat. stat etiam ratio ostendens frigidam posse esse aquam sponte nascentem: Nam sicut mixtione rerum frigidarum per artem talis resultat pluries, cur per naturam talis esse non poterit? Ad quod metalla frigida esse, ut est ferrum, plumbum, argentum, &c. ac per consequens quæ ex eorum materia aliquid participant, frigida quoque debere esse certum apparet; non minus sapor qui in aquia apparet aliquibus sponte naris, catu ostendit frigiditatem; siquidem sapor acidus ex Gal. 4. *de simpl. medic. facult. cap. 6.* frigiditatem ostendit: sed plures reperiuntur aquæ acidæ sponte natæ, ut oppido de Almagro notum est; Ergo datur aqua sponte nascens frigida præter potabilem.

Nec valet si dicas Gal. & Vallesf. dixisse omnes sponte profluentes aquas præter potabilem calidas esse; metallorum verò quæ frigidæ, potabiles esse; & sic rectè compati non potabiles quæ sunt frigidæ: sub quibus comprehenduntur ferratæ & argenteæ, & plumbosæ: Hoc inquam, nil valet; siam etsi ad usus medicos utilis sit aqua ferrata in poto sumpta, ut docet Avic. *cap. 19. cit.* Nihilominùs ad communem usum inutilis est omninò, tum quia communis potus humidus esse debet, aqua tamen ferrata sicca est, ut diximus, & ità sitim mitigare non valet; tum quia est ad gustum inepta, seu molesta; præterquam quod Galenus *1. de simplic. medic. facult. cap. 3.* per aquam potabilem dulcem intelligendam esse docet: non ergo accipienda est aqua ferrata aut plumbea pro potabili; siquidem tales aquæ neutiquam dulces dici possunt eo modo ac potabilis dulcis à Medicis appellatur.

Mihi tamen videtur dicendum quamlibet sponte nascentem esse calidam præter potabilem, ubi per potabilem, eam intelligo, quæ à Gal. dulcia appellatur, & per sponte nascentem quamlibet aquam naturam cujuslibet mineralis aut metalli sapientem ex propria natura; id est talem emanantem, ad differentiam aquarum quæ per artem medicatæ sunt, & calidæ & frigidæ possunt esse juxta naturam rei permixtæ. Hoc placitum ità certum apparet in Gal. ut solùm aquam potabilem secludat à calore inter sponte procedentes, ut videre est quoties de ipsis aliquid refert. Quo fundamento loquutus fuit Vallesius. Avic. verò dum de aquis his sermonem instituit, effectus facere docet qui solùm cum calore connexionem habent, & in ipsis proprium ventriculum roborare, ad coitû, & morbos frigidos facere, & ad splenis resolutionem conducere, etsi præter siccitatem hoc evenire velint Gentilis & Jacobus, quod difficile est. Nam ut docet Gal. *5. de simplic. medic. facult. cap. ult.* sicca sine calore non valdè exsiccare habeat, quod erat ut humiditatum necessarium consumptio reperiretur, & ut partes roborarentur. Sic ait Avic. ***Illa enim in qua virtus ferri superat, juvamentum præstat ad hoc, ut interioribus fortitudo tribuatur, & ut exsiccentur virtutes aperitivæ.*** Et infrà: ***Ferrea quidam splenem resolvunt, & non coire valentes adjuvant.*** Quod idem repetit ***cap. 19. Et conducebant in ægritudinibus frigidis.*** Ergo sunt calidæ.

Non minùs constabit hæc veritas, si attendamus aquam ferri sive sponte procedentem, sive igne-factione factam, obstructiones aperite ex communi Medicorum placito, quod proptietate quadam fieri voluit Gentilis & Jacobus *super Avicen. comment.* præter rationem tamen est, & sine fundamento talis virtus concessa, ubi sufficit calor, nec gravitate propria fieri est dicendum, ut ostenduut aquæ terrestres & plûbosæ, graves & deobstruentes: Nec est dicendum procedere condensatione facta ipsorum viscerum intensè, ità ut cavitates augeantur: nam etiam cavitates minores resultare debebant, si totum visceris corpus constringeretur, dicendum tamen est fieri ratione aliquorum vaporum, seu exhalationum, quæ elevantur de materia ex qua metalla conficiuntur; quæ exhalationes calidæ sunt, & aperire habent, etsi metallum ipsum posteà frigidum resultet. Quod confirmat Galen. *7. de comp. 1. medic. secund. locos cap. 2.* ubi docet aquam per plumbeos canales derivatam, seu procedentem, dysenteriam facere, ut etiam *cap. 16.* repetit Avicenn. Ergo quia partes aliquæ ex ipso communicantur mordaces.

Probat hanc partem fortiùs materia quæ ex communi Chymistarum doctrina, est sulphor, & argentum vivum: sed ex metallorum materia elevantur vapores, aquam hujus, aut illios naturæ facientes: ergo aqua quæ metallorum naturam sapit ex propria natura, seu sponte procedens calida debet esse, cùm calida sit materia ex qua elevantur vapores permixti. Patet in sulphure quod calidum est, quod idem judico dicendum esse de argento vivo, etsi plures frigidum esse dicant; non tamen video probabile resolvere, attenuare & penetrare, quod habet cum frigiditate, præcipuè cùm ex ipso tot inveniantur transmutationes calorem significantes, ut est pulvis de Soliman, sublimatum & præcipitatum, quæ omnia calida sunt, & ex argento vivo igne conficiuntur.

Sed dices: Sicut per artem fit aqua marinæ, sulphureæ, nitrosæ, bituminosæ, aluminosæ, & salsæ naturam referens, quæ non solùm per saporem talis apparet, qualis quæ sponte procedit, verùm & eosdem facit effectus, ut docet Gal. *1. de simplic. med. facult. cap. 3.* quo modo per artem ferrea, plumbea, aut similis naturæ aqua non fit qualis sponte procedit, cùm nec ejus saporem manifestum ostêtet, nec ejus vires Nec valet dicere talem esse aquam chalybeatam quâ communiter utimur in fluoribus alvi, & in dysenteria, & sanguinia dejectionibus, quæ propter siccitatem dictam cohibet fluxiones, ulcera sanat, & adstringit. Hoc inquam, non valet, quia nec saporem habet, nec effectum, ut illa quæ sponte procedit, quæ per artem fit non cognoscitur talis, nisi quia ità factam fuisse constet, cui actioni saporem astringentem quem habet, tribuimus; quæ verò metallica est ex natura ejus refert accidentia, & effectus adhuc plures, & efficaciùs patratos alvum movet, urinam & sudores, ut docet Andreas Bazius, quod faciet metallica per artem facta.

Respondetur tamen hanc esse differentiam inter aquam mineralium & metallorum, quod cùm quælibet fiat ex vaporibus qui elevantur de materia ipsorum, & ipsi non fiut nisi in loco in quo minerale aut metallum generatur, tales aquæ solùm possunt ex propria natura esse in locis generationis taliom rerum: Ideò dixit Gal. fieri mixtione ipsarum. Sic ait *cap. 4. cit. **Si qua verò per bituminosa, sulfurosa, nitrosa aut aluminosa loca destil-***

lans, substantia eorum aliquid absterserit, secúmque traxerit, mixta jam ea est. Ex quo patet solùm per artem fieri similem aquam quando fuerit possibile per artem, aut vapores illos misceri, aut quid simile. Cùm verò inter minerale & metallum hæc sit differentia, quòd minerale in qualibet terra fieri potest, & vaporum naturam referre, secùs metallum; hinc fit quod mineralium possint per artem rectè imitari; ità ut similes in omnibus actionibus sint, non verò metallorum aquæ, hæc tantùm aliquantulùm assimilantur, & hoc adhuc igne mediante adstrictione partium subtilium conducente.

Ad dictam differentiam juvat, quod metallum, ut inquit Andreas Bazius *lib.6. de Thermis, cap.2.* fit ex sulfure, aut alio minerali cum argento vivo, frigore ad ipsam formam metalli disponente; unde procedit quod nullum excedentem habeat calorem, nec aqua ejus, & consequenter postquam metallum factum est, parum caloris relinquitur; & sic licèt aqua sponte procedens metallica calorem habeat producere ob vapores sulphuris, salis, & argenti vivi, jam ad naturam metalli vapores aliquantulum refractos, ut aquæ ostentant accidentia, aquâ per artem metallica factâ; nec est undè tantum valeat calefacere, nec licèt esset undè calorem haberet, posset ipsum participare ob indissolubilem metallorum naturam.

Cùm ergo metallorum aquæ calidæ remissæ sint, hinc est quod inter medicinales sponte procedentes utiliores judicentur, adhuc in affectibus calidis, ubi exsiccare est necessum, aut aliter aquis medicinalibus operari; siquidem quod parum calidum est, frigidum dicitur, respectu calidioris, præcipuè cum tales aquæ per artem fiunt, quia & minùs calidum est in metallo, & minùs ejus communicatur, quando in loco generationis metalli, ejus naturam aqua participat, & in ipso adhuc loco jam naturam metalli vapores haberent, aliquantulùm remissum etiam continent calorem: undè nascitur ad deobstruendum utiliùs exhiberi aquam, seu syrupum factum ex infusione calidorum, ut fecit noster Petrus Garcia talem componens syrupum, quàm chalybem ipsum; siquidem infusione factâ, si aliquid est subtile naturam mineralis sapiens, extrahitur quod deobstruere valet, ut aqua sponte procedens, potiùs quàm substantia ipsius chalybis quæ adstringens est; chalybeata námque aqua solùm exsiccando utilis est, & sic confortando valet fluxiones cohibere, præcipuè ubi alvos exsiccationem expostulat, aut laxitas adstrictionem.

Ex dictis patet balnea ægrotantium aut esse ex aquis sponte procedentibus, aut per artem factis: Prima omnia calidissima sunt, & sicca magis aut minùs prout naturam referunt mineralium, seu metallorum, majorem aut minorem calorem aut siccitatem petentium; Balnea verò per artem facta aut frigida humida, aut sicca sunt, ratione rerum commixtarum, has aut illas qualitates communicantium; & sic tot erunt balneorum ægrotantium differentiæ. Notandum tamen est quod balneum sponte procedens calidum est actu plusquàm ex propria natura petit aqua ejus pluries, & è contrà frigidum etiam actu est, etsi aqua calida sit virtute, & hoc ratione loci à quo procedit, accidit in terræ cavernis ignem invenire, ut Plinius scripsit *lib.31. cap.6.* quibus in locis si minerale aut metallum inveniatur, calorem aquæ communicans, erit aqua calida actu & virtute; si verò tale minerale non sit, calida erit aqua actu, virtute verò frigida; sicut si minerale inveniatur, & ignis ibi non sit, erit frigida actu aqua, virtute verò calida: nam ut ex Galeno habemus *tract. de alimentor. facult. quæst. 3.* medicamenta calida potentiâ talia sunt, & sic habent calidam communicare virtutem, non verò aquam actu talem facere nisi ignis existat, qui ex sulfure exhalationibus concurrentibus elevatur ferè semper.

QUÆSTIO II.

Qualis sit Aqua acida, & ejus Balneum.

EA quæ *in antecedenti quæst.* inveniuntur, ostendentia balnea posse reperiri medicinalia sponte procedentia frigida, fient manifesta, si dicamus ex illis quæ ex aqua acida fiunt, fiunt tamen talia aquâ ex excremento æris participante, ex quo resultat chalcanthum, chalcitin &c. sed talia calida sunt; ergo & balnea calida erunt. Minorem cum experientia docet Andreas Bazius *lib.6. de Therm. mixt. cap.* 21. de acidis agens aquis, sequens Dioscorid. *lib. 5. materiæ medicin. cap.72.* Minor patet in Galeno *cap.6. de simplic. medic. facult lib.1.* dum aquas omnes sponte nascentes calidas appellat. *Quæcunque sulphur, aut bitumen, aut nitrum, aut chalcanthum, aut Misin, aut chalcitin, aut ut simpliciter dicam, quæ calidorum naturâ medicamentorum gustu aliquod referunt, inimica sunt omnes calidis corporum nostrorum affectibus.* Ergo omnes sunt calidæ de sententia Galeni & Dioscoridis. Difficultas tamen est quomodo sapor frigiditatem ostendere dicat Gal. *4. de simplic. medic. facult. cap.6.*

Andreas Bazius qui latissimè balneorum aquarum mineralium differentias scripsit, *lib.6. cap.* 21. postquam docuit aquas acidas fieri, aut quia dulcis aliquid recipit floris, seu excrementi cujuslibet metalli, à quo in ipsa omnis pervenit acor, aut quia ipse flos, seu excrementum alterant venas ut aqua dulcis resultet, aut quia ex ipsismet aqua producatur tali acore, ipsas aquas qualitates aceti habere significat, id est calorem & frigus secundum diversas partes, quas cùm cognoscat & concedat Galenus *4. de simplic. medic. facult, cap.3.* & eosdem facere effectus, etsi quoad calorem remissos videat in acidis aquis, eodem modo philosophandum voluit in quacunque re acida, esse tamen remissiorem calorem in aqua acida ostendit, quia parum caloris habet id ex quo resultat acor & aquæ naturalis frigiditas ipsius remittit.

Si autem legamus *cap.16. lib.1.* sic ait Andreas Bazius. *Sicca, sed non ante egressa caliditate, sunt omnes acida, sulphurea, bituminosa, aluminosa, nitrosa, gypsee, atramentosa, area, ferrea, argentea, aurea, omnesque quæ mineras vel metallorum abluunt, vel quæ etiam eorum fumis implentur, calidam & siccam qualitatem acquirunt.* Non ergo determinatè quid dicendum sit significat. Siquidem *c.16.* omnes calidas appellat, & *cap.* 21. frigidas esse, etsi cum aliquo calore. Non minùs rem dubiam reliquit cum communi sententia id quod Dioscorides scripsit *lib.5. cap.54.* ubi docuit aquam potentiùs refrigerare dum in mortario plumbeo fortiter agitatur, & magis quò plus de plumbo participaverit. Ergo aqua mineralium omnium

non

non est calida: quo fundamento plumbo loto utimur ad revulsionem plurium fluxionum, præcipuè oculorum.

Nobis tamen res difficilis apparet, saltem quoad acidas aquas; dicendum tamen videtur cum Galeno, Avicenna, & Dioscoride, aquas omnes mineralium sponte procedentes calidas esse, etsi simpliciter acidæ sint frigidæ. Quod ut intelligatur, advertendum est, non quomodolibet aquam sponte nascentem hunc aut illum comparare saporem; sed magnâ quantitate vaporum existente, quæ sufficiat ad hoc ut continuò fluat aqua, aliàs jam uno, jam alio teperitetur sapore, prout substantia mixta esset, aut deficeret. Cùm ergo continuò aqua nascatur hujus aut illius naturæ, quæ etiam permanent per multum tempus, necessum est causam esse permanentem intra terræ cavernas, & in magna quantitate; in illis tamen multa alia teperiri potest, nisi minerale, aut metallum, aut vapores & substantiæ ex quibus ipsa fiunt (nil enim aliud intra terræ cavernas invenitur præter ignem, aërem & aquam): sed metallum, minerale & vapores eorum non possunt non facere aquam calidam, quidquid sit de sapore advenienti: ergo aquæ sponte procedentes calidæ debent esse.

Ità certum est suppositum, ut non alia de causa nascantur aquæ aliquæ actu calidæ sponte, nisi quia ignis generatur quoudie, sufficiens pro aquæ calefactione in cavernis terræ, & aqua frigida fluit, aut quia nil calidum est quod generetur, aut quia vincitur ab aqua, ideò flumina, lacus & maria nunquam calida visuntur, quia pro tanta aqua nullus generatur naturaliter ignis, etsi pro parvis potionibus fit quæ cum multitudine miscentur & occultantur, ut ex Vittuvio docet etiam Andreas Bazius: cùm ergo intra terram nil inveniatur præter dicta, non est vere aqua sponte procedens, cùm aliam possit participare qualitatem.

Hoc placitum deduci potest ex Dioscoride *lib. 6. cap. 7.* in quo agens de veneno aconiti, inquit venenatos aconito medicari vino in quo extinctum fuerit aurum, aut argentum, aut ferrum: sed nullo remedio utitur in toto capite nisi calido: ergo calidum putat id remedium, ac per consequens aqua metallorum talis erit; & Galenus omnem metallorum aquam calidam appellat, cum quibus Avicenna pro affectibus frigidis commendat aquas metallorum omnium, & calida enumerat omnia ex quibus acidæ fiunt aquæ, ut patet *lib. 2. cap. 170.* & ubi de quolibet agit minerali: dicendum ergo est calidam aquam calorem aliquem habere supra frigiditatem.

Sed dices experientia compertum est, acida ità refrigerare, ut pro affectibus calidis nullum detur majus remedium quàm id quod acido constat sapore, & aquâ tali utimur pluries, ut videre est dum aliquid olei vitrioli injicimus in potionibus quibus utimur dum sitis ingens est in febribus malignis & ardentibus; ergo talia refrigerare habent.

Non esset dubium solvere si attendamus ea quæ dicta sunt; diximus enim nullam metallorum aquam, neque quæ illorum excrementorum naturam sequuntur, calorem intensum habere adhuc virtute, sed remissum. Verùm si Galenum consulamus *lib. de Officin. Medic. part. 3. comm. 15.* certum est tales aquas refrigerare affectus calidos, & calefacere frigidos: siquidem quod modicum habet calorem, calidum est respectu frigidi, & frigidum respectu calidi, quod de balneo dulcis aquæ docuit per hæc verba. *Balneæ aquæ dulcis eos calefaciunt qui ex itinere immodico frigore moriuntur, exustos verò non lædunt.* Citat hos tamen habet *lib. 1. de usu part. cap. 13.* sic. *Omnis calida moderatè humiditas utrisque immoderationibus scilicet frigiditatis & æstus, æqualiter prodest.* Nil itaque invenies quod valido æstu occupatos potentiùs refrigerare, aut magna frigiditate affectos potentiùs calefacere quàm balneum. Cùm ergo balnea metallorum, & præcipuè acida, calida remissè sint, nil mirum quod refrigerent calidos, & calefaciant frigidos, effectûsque utriusque activitatis juxta subjecti capacitatem eliciant. Ad id accidit quod acidus sapor tenuitatem magnam partium petit, ut Galenus docuit *4. de simplic. medic. facult.* ratione cujus magis penetrare habet & refrigerare consequenter magis quàm alia quæ frigidiora sunt, cùm propter eandem rationem citiùs enecare venena frigida doceat Galenus *3. de simplic. medic. facult. cap. 20.* dum calida exhibentur, quia magis ejus penetrat frigiditas.

Difficultas tamen est quomodo comparientur balnea metallorum & acida remissè calida esse, si acida resultat aqua ex mixtione floris æris, seu chalcanthi; siquidem ex tali excremento chalcanthum fieri docent Autores, quod permixtæ humiditate acorem comparat: Et Galenus de aqua chalcanthi expressè asserat ità calidam esse, ut corporibus calidis & affectibus calidis noceat: non ergo est remissè calida; nam quod tale est, potiùs refrigerat & corrigit affectus calidos: Ergo si eos lædit, calidissima est: præcipuè cùm æqualiter de aqua chalcanthi & sulfuris loquatur. Sic ait *lib. 1. cap. 6. de simplic medit. facult. Quæcunque sulfur, aut bitumen, aut chalchanthum, aut misy, aut chalcitin, aut ut simpliciter dicam, quæ calidorum natura medicamentorum gustu aliquod referunt, omnes inimicæ sunt calidis corporum nostrorum affectibus.* Ergo nulla est remissè calida; nec flos æris qui præcipuè materia ad aquam acidam est; nec flos cujuslibet metalli remissè est: ergo nec aqua quæ ex ipsa resultat acida.

Respondetur tamen aquam acidam non fieri quomodolibet ipsa participet de vaporibus chalchanthi, seu de flore, aut excremento metallorum, sed dum de ipsis tali determinata proportione participat; ità ut cùm ipsi naturam chalcanthi simulem reddunt, ut est misy & melanteria, aquam non acidam, sed acorem fortem calidissimam & siccissimam faciunt, naturam causticam habentem, & chalcanthi saporem referentem, potui omninò inutilem, seclusa ratione medicinali: dum verò vapores ipsi in parva quantitate sunt cum humiditate multa, acida resultat aqua quæ inutilis judicatur omninò pro potu; etsi ejus plures inveniantur medicinales usus, est verò remissa caliditate, minùs tamen est, quæ minùs talium vaporum recipit, & potui apta magis, etsi pro usu medicinali non sit ità, ratione cujus etiam aqua quæ ex loco nitroso, aut aluminoso procedit, quæ communiter nitri, aut aluminis accidentia refert, dum eorum vapores in parva quantitate recipit, acida resultat, ut compertum est in aquis juxta tales locos repertis, ut Andreas Bazius commonstrat *lib. 5. cap. 11.*

Hujus doctrinæ manifesta est ratio: nam multitudo vaporum habet trahere aquam ad acci-

dentia ipsorum, secùs verò dum aquæ quantitas vincit; dum autem medio modo se habent, tertius resultat sapor duorum, ut constat dum aliquid amarum cum insipido miscetur: nam si amarum vincit, amarum redditur totum; si insipidum, amaritudo non percipitur; si medio modo se habent, salsus resultat sapor, ut patet in lixivio ex mixtione aquæ & cinerum amarorum, & in pituita salsa ex mixtione bilis amaræ, & pituitæ insipidæ, ut cum Avicenn. *fen* 1. *lib.* 1. *doctr.* 4. *cap.* 1. docent communiter Medici. Et hoc modo etiam judico pituitam acidam resultare ex permixtione atræ bilis, etsi acida atrabilis non sit, sed quia sicca, & tenuium partium, est mordax.

Dixi aquam fieri acidam spontè procedentem mixtione vaporum chalcanthi &c. & sic cum aliquo calore mixtione alicujus succi acidi frigidi ex propria natura, ut si oxalidis succus aut aggrestæ misceretur, quia non est per natutâ possibilis tantus succus ut aqua spontè acida procedat in fonte, ut est possibile permanere meatus mineralium, metallorum ex quorum flore, aut excremento aliquid communicetur acorem faciens, cum quo rectè compatitur acida simplicia frigida esse, quia non ex mixtione fiunt, sed ex propria temperie ad talem saporem facientem, quæ frigida est cum tenuitate partium, ut docuit Galenus. Ad illud de plumbo dictum est metalla tandem resultare frigida; etsi aliquæ ejus partes naturam sulfuris sapiant: nil mirum ergo quod infrigident ratione partium crassarum, & quæ veram naturam talis metalli comparatunt: nec mirum est quod partes tenues, quæ magis habent de natura materiæ quàm ipsius metalli calidæ sint, ratione cujus oppositi effectus inveniantur in plumbo: refrigerat propter id quod crassum ipsius plumbi, quod ex mortario terendo extrahitur; calefacere & abstergere propter tenue & sulfureum materiæ, quod ad dysenteriam Galenus & Avicenna facere docuerunt.

Ægrotantium ergo balnea sunt quæ medicinalia dicuntur (nam quæ ex aqua dulci fiunt, etsi ipsis ægroti utantur, non ipsorum propria, sed sanorum) aut arte, aut spontè procedentia, calida, aut frigida, humida, aut sicca, diversa juxta diversitatem aquarum quibus constant; quod est, diversa esse juxta diversitatem effectuû quos faciût. Nâ etsi metallorû & mineralium balnea ferè conveniât in qualitatibus primis, quia, ut dictum est, omnia sunt calida & sicca, ex quibus deducuntur effectus alii ratione diversitatis quam habent, diversos habent producere effectus, de quibus seorsim dicemus; sunt enim alia sulfurea balnea, alia bituminosa, alia aluminosa, alia nitrosa, alia attamentosa, alia ferrea, aut his similia ex arte, aut natura; ex arte tamen tot erunt, quot diversorum simplicium potest esse mixtura.

QVÆSTIO III.

De utilitatibus Balneorum medicinalium.

Non est difficultas de illis quæ per artem fiunt refrigerandi & humectandi gratiâ; siquidem de ipsis eodem modo est loquendum ac de balneo aquæ dulcis, cujus *infrà* erit specialis disputatio, qualo sit circa ægrotantes, & quid faciat. Difficultas existit de balneis medicinalibus spontè aut per artem talibus, qualia sunt quorum aqua naturam alicujus mineralis aut metalli sapit, seu repræsentat, aut eorum natura constat, ut acida, quæ nullius ostentat acetidentia; quorum, si Andream Bazium legamus, ità ex professo sermonem fecit, ut mira & laudabilia adducat, diversis in regionibus balnea, ob diversos & mirabiles ipsorum effectus, quisque per otium legere potest: latè sanè de ipsis scripsit, & latiùs quàm pro nostra tractatione expediat, non tamen sine magna eruditione & doctrina: dicemus verò quid pro nostra faciat.

Cùm ergo balnea medicinalia omnia juxta doctrinam datam calida & sicca sint ex Galen. 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. & 7. *de compositione medic. secund. loc. cap.* 1. & quoties de ipsis agit, & etiam docet Hippocrates 2. *de diæt. post medium*, sub nomine salsi, quos sequitur Avicenna *fen* 2. *lib.* 1. *cap.* 16. & 19. valide ad resolutionem humorum crudorum & crassorum conducunt; siquidem ipsos attenuant, & pro resolutione disponunt; calida enim & sicca medicamenta resulventia sunt, dicente Galeno 5. *de simplic. medic. facult. cap.* 9. docente talia esse emollentia prout ad resolutionem faciunt. Ideò 4. *aphorif. comment.* 2. talia balnea æqualiter evacuare totum corpus scripsit, ac per consequens utilia pro talium humorum functione, & pro affectibus ab ipsis procedentibus, nisi aliàs corpora calida & sicca maximè sint; tunc est cum attentione procedendum, ne affectus tollere conantes, in habitum contrarium corpus trahamus: dum verò humiditatibus abundat, audaciùs est procedendum; nam substantiæ illæ excrementitiæ consumendæ activitati resistunt, ut corpus non possit præternatuam calefieri & exsiccari: sic extenuatis periculosum balneum hoc. Cùm verò Hippocrates *lib. de salubri diæt.* plus gracilibus convenire docet, quàm corpulentis seu carnosis, loquitur de salubri & communi balneo quod humectare habet: præterquàm quod magis elucet cujuslibet balnei actio in gracilibus.

Habent etiam prædicta balnea diversos elicere effectus, prout intensione qualitatum differunt: sic acida quia minùs calida, non ità intulia in corporibus calidis & effectibus ejusdem intemperiei, talia tamen minùs pro resolutione facienda, etsi pro attenuatione humorum crassorum conducant, & consequenter lapides frangunt, arenulas dejiciunt, nec tamen ventrem & urinas movent pluries, quod ferè omnibus medicatis aquis commune est dum in potu sumuntur: Ideò Galenus 4. *de sanit. tuend. cap.* 4. curam lassitudinis ulcerosæ adducens, considerandum docet, an quis assuetus sit purgari usu aquarum medicinalium. Aquæ verò quæ ex arte metallicæ sunt, potiùs adstringentes sunt quàm laxantes; spontè tamen procedentes, nitrosum, aut sulfureum habent magis, quia magis de materia metallorum participant, & sic licet propter siccitatem adstringant & corroborent, calore etiam consumente, nihilominùs ratione acrimoniæ & mordacitatis irritate, & ad expulsionem facere notum est: quarum nitrosæ adstringunt minùs, detergent, & ad resolutionem faciunt magis; cujus naturæ sunt salsuginosæ omnes; at prout ratione qualitatum, activæ sunt magis, pro affectu medicando valent etiam. Sic metallicæ quæ minùs calidæ & siccæ magis pro affectibus calidis

dis & humidis valent plus; sulfureæ verò pro frigidioribus affectibus; bituminosæ pro minùs humidis; æreæ tamen pro humidioribus, æs siccissimum est, bitumen verò parum tale; ità ut emolliens dicatur prout ad resolutionem conducit, juxta doctrinam datam ex 5. *de simplic. med. facult.* Quâ ratione bitumen humidum dicitur à pluribus, ut videre est in Galeno 1. *aphoris. comment.* 14. quod quatenùs liquabile est intelligendum esse judico, in contrapositionem rerum quæ liquari non possunt; & sic nullatenùs humidi dici possunt, bitumeo maximè, saltem prout fluxile.

Inter balnea medicinalia illa sunt adducenda quæ ex lacte, vino, aut oleo conficiuntur, & quæ ex solida aut aërea substantia, quæ solùm morbis curandis sunt in usu. Ex lacte & oleo humectationis gratiâ; hoc ad calefaciendum, illo ad refrigerandum, ad somnum conciliandum ambo utilia; ex vino potiùs roborandi vires gratiâ quàm alius alteriùs etsi calefacere, exsiccare, & aliquantulum adstringere habeat, mustum verò potiùs emolliens non ità corroborat, neque calefacit; reliqua verò non tam balnea quàm sudorifica dicuntur; balnea tamen sunt quatenùs ut ipsa ad evacuationem humorum, & corporis mundificationem faciunt: sic aërea conficiuntur aëre calefacto per solem aut ignem, seu vapore calido communicata; qua ratione stupha calida constituitur pro sudore conficiendo super balneo calido, ut dictum est, balnea tamen solida sunt quæ ex arena, aut tritico, aut vinaceis conficiuntur, id est cùm vinaceorum seu arenæ, aut tritici magna conjungitur quantitas, solique exponitur, & calefit, & foveâ factâ, corpus intra ea submergitur, capite excepto, & ità disponitur & alteratur, ut sine sensibili calefactione exsiccetur, corroboretur, & extenuetur per humorum, seu excrementorum humidorum consumptionem, quod sicut dicta faciunt; sal & milium ad idem valent.

Vinacea balnea idem valent efficere, ac cætera balnea solida; hæc tamen differentia, ut quò magis prælo exprimuntur vinacei, magis sicciores sunt, & pro humidiori affectu faciant magis, secùs verò dum minùs expressi sunt; semper tamen calore actuali constare debent, quem ex propria natura contrahunt vinacei ipsi dum à prælo sunt extracti, & sic recentes debent esse, habentque moderatè calefacere, & aliquantulum emollire, præsertim prout humidiores persisterint, & ad resolutionem facere, licèt ratione acinorum & corii nonnihil exsiccent & corroborent; unde podagricis & œdematosis & induratis tumoribus etiam utiles sunt, sive calida, sive frigida sit intemperies, propter eorum moderatum calorem, ne de baloeis acidis dictum est; sunt tamen calidiora quæ ex dulcioribus fiunt uvis, frigidiores quæ ex austeris aut acerbis.

Unum tamen notandum, cujuslibet balnei usum pendere ex debita cognitione qualitatis & quantitatis requisitæ simul cum occasione & dispositione ejus, quorum qualitas ipsa causâ significatur, necnon & affectu ipso, cùm propter utrumque balneum instituatur: sic ratione utriusque balneum ipsum immutatur vel secundum qualitatem, vel secundum substantiam; nam ob diversam ejus qualitatem, balneum in substantia immutatur, ut dum crassum & humidum humorem resolvere conamur, non solùm balneum commune de frigido in calidum mutamus, verùm de balneo communi in medicinale, ità ut forsan utile judicetur hoc, secus alterum; quantitas tamen balnei idem quod duratio significat; quæ ex intensione affectûs & virium validitate est deducenda; ratione cujus utilior judicatur balnei partitio, ut meliùs cum viribus & affectûs necessitate proportionetur.

Circa occasionem balnei morbi status est respiciendus: nam cùm potiùs pro resolutione sit; propriè in declinatione habet locum, ut docet Galenus 8. *meth. cap.* 5. & 10 *meth. cap.* 10. dispositionem verò, seu ordinem assumendi ipsum; affectus etiam significat, & laborantis status: siquidem ratione ejus balneum disponitor; juxtà ipsius patientis capacitatem & possibilitatem; jam frigidum, jam calidum, jam utrumque successivè.

QUÆSTIO IV.

De Balneo communi in statu ægritudinis, & ejus indicantibus.

Etsi balneum aquæ dulcis proprium sanorum sit, ægrotantium potest dici, & dicitur quoties remedium in ipsis exercetur, aut aqua alterata requiritur, aut ipsa suprà modum calida, aut frigida, juxta affectûs necessitatem; quo casu propriè dicitur medicinale balneum; cum hæc merè ut remedium exerceatur, & talis aqua non simpliciter aqua dicatur; ut docet Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 4. per hæc verba. *Ut enim si salem aquæ miscueris, ex confesso fuerit composita: sic multò magis si igneam qualitatem adjeceris, compositam quodammodò efficies.* Cujus ratio est, quia extra commune requisitum pro balneo aqua alterata existit: nunc ergo tam de balneo speciali aquæ dulcis, quale pro affectûs indigentia in toto requiritur, agimus, quàm de balneo aquæ dulcis, quale pro sanis requiritur in toto, quomodo sit administrandum in statu ægritudinis, & in statu sanitatis, datur accidens quoddam, vel aliquid ægritudinis invenitur, etsi corpus non cogatur ab operibus cessare.

Supponit ergo balneum commune pro morbis utile esse, quod ut certum ostendit Hippocr. 3. *acut. text.* 44. ubi sic ait. *Balneum in plerisque morbis confert.* Cum quo consentit Galenus *in comm.* & per *libros de sanit. tuend.* & *meth.* præcipuè *lib.* 10. *cap.* 10. & Avicenn. *fen.* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 19. & *fen* 3. *cap.* 5. & 6. Ratio quoque idem demonstrat: nam morbi vel fiunt seu constituuntur, intemperie aliqua existente, vel ab aliqua causâ hoc'ant illo modo intemperante: at balneum iotemperiem immutare valet, & causam resolvere & corrigere, ergo & pro morbis utile erit balneum, ut etiam Mercatus docet 1. *de recto præsid. usu cap.* 5. Vallesius & Antonius Musa *sup.* 3. *acut.* & Andr. Bazius *p.* 7. *lib. de Therm.* quod tali excellentia esse significavit Mercatus, ut hæc scribat. *Hoc unum certò scio, nullum esse in Arte Medica tam commune, tam utile, tamque securum præsidium.* In quo Andreas Bazius convenit, cùm ferè nullum morbum excludat, qui auxilium à balneo non expostcat.

Etsi balneum pro morbis, & in sanitate utile judicetur,

judicetur, plura supponuntur, sine quibus præter rationē & inutile erit: in primis virtutis tolerantia est necessaria, ut in quolibet alio evacuatorio auxilio vires debilitante, seu spiritus resolvente: ideò non esse lavandum, inquit Hippocrates 3. *acut.text.* 59. debiles, aut qui affectus debilitantes habent, qui in morbis alvum plus justo humidiorem habent, lavandi non sunt, nec quibus vires languent, nec cibum fastidientes, &c. In cujus *commentar.* Galenus sic ait. *Nempè hos viribus ità defici metus est, ut succedat ea quæ stomachica appellatur syncope.* Non ergo sine respectu virium Balneum exhibendum. Quæ Balnei requiratur necessitas, & ejus existat indicatio, cuilibet notum est: nam quodlibet sine necessitate exerceri remedium, quam præstabit utilitatem? At cùm tot efficere Balnea cognoscamus, difficile est indicationem propter quam exhibeatur deficere; sic pro quolibet morbo balneū commendat Andreas Bazius, & Mercatus *loco citato.* sic ait. *Profectò morborum genus nullum propè est quod inmedicatis fontibus suum remediū non inveniat*; quapropter deffectu indicātis non ab ipso est abstinendū, sed ratione alicujus impediētis, quod hoc sit, & quotuplex est explicatione dignum, constabit tamen de accidentibus agendo.

Dum dicimus vitium indicationem esse perpendendam ut Balneum exhibeatur, dicimus de Balneo esse loquendum ut de quolibet alio remedio vires petente: nam ut sanguinis missio aut purgatio suspecta, non solùm dum vires deficiunt, vel dum timentur lapsuræ, seu accidentia ad hoc facientia existunt; sic Balneum nec cùm vires deficiunt, nec cùm deficere timemus, aut accidentia hoc minantur, non est exhibendum. Dixi de Balneo loquendum esse ut de quolibet remedio vires petente, quatenùs per remedium, medicamentum & victum, seu alimentum intelligo, quia cùm hoc vires etiam petat, eodem modo de omnibus est philosophandum; ità ut nec cùm adsunt, nec cùm venturæ sunt accessiones, victus & Balnea exhibenda sint, sed cùm declinant aut cessant, & cùm maximè ab initio distare videntur, ut docet Hippocrates 4. *acutor. tex.* 34. ità ut accessiones, seu accidentia ipsa, propter vires, tempus, seu occasionem Balnei demonstrant, ut de victûs ratione dictum est.

Ordinem & modum assumendi Balneum non minùs perpendere debemus, ità ut talis habeatur, qualis pro affectûs necessitate requiritur, calidum pro frigido affectu, frigidum pro calido, ità ut vires firmentur & non labantur, ut docet Galenus 11. *method. cap.* 10. vel quia moderatum Balneum sit, aut quia frigidum post calidum minùs lædit. Quod respicit Hippocrates 3. *acutor.* dum inquit, *Tergimine indiget ager, ut fumus non accedat, aqua abundantia quæ non sit impetuosa, via ad solium brevis, ingressus & egressus facilis sit; qui eluitur taceat & quiescat: caput siccandum, quin reliquæ corporis partes à frigoris injuria tueri debent.* Quibus verbis modum quem debet servare qui balneo utitur adducit, ut commodè & cum utilitate exerceatur, aliàs nocivum erit. Propter quod sic scripsit *text.* 60. *Quod si in apparatu, vel in re unica, vel pluribus peccatum inciderit, tantùm abest, ut prosit, ut etiam noceat.* Quod *in comment.* & 10. *meth.* docet quoque Galenus, & Avicenna *fen* 3. *lib.* 1. *cap.* 5.

Tria habet generaliter Balneum, aut evacuat, aut implet, aut attemperat: sic Hippocr. *lib. de Affect. prope finem. Balneum calidum moderatum emollit & auget corpus: quod verò opportunum modum excesserit, siccas corporis partes humectat, & humidas resiccat:* Habet ergo dictos effectus facere: Ideò Gal. 1. *de us. part. cap.* 13. ad quamlibet intemperiem Balneum utile judicat. Et 4. *aphoris. comment.* 2. corpus totum æqualiter docet evacuare; ipsum tantùm replere *lib. de salubr. diæt. cap.* 14. Totum quod repetit Avicen. *cap.* 5. *cit.* attemperat enim quatenùs qualitatibus quas habet, corporis intemperiem excedentem corrigit; evacuat prout ad resolutionem facit; replet verò prout circa partes alimentum trahit, & suo calore ad coctionem seu commutationem facit: Cujus videtur rationem reddere *comm.* 13. sic. *At verò Balneum corpus calefaciendo maximè, foris ad digestionem confert, & digestorum appositionē* Quasi diceret, Balneum per calorem alterat, foras trahit, quo modo ad digestionem facit, & ad digestorum coctionem, id est attrahendo humores, facit ad ipsorum concoctionem, & coctorum conversionē. Ex quibus effectibus quomodo se habeat in morbis deducemus; siquidem propter ipsos optatur aut prohibetur Balneum, & sic ex ipsis quibus conveniat, aut non, conabimur manifestare.

Erit ergo utile Balneum quando aliquod invenietur indicans effectu aliquo ex his quos valet facere balneo indigens, quod vel erit intemperies, vel repletio, aut inanitio; illa attemperationem petit, hæc repletionem, & inanitionem alia ex Hippocrate 2. *aphor. text.* 22. dicente, *Morbos quos causat repletio, sanat inanitio: quos verò inanitio, repletio curat, & illorum contrarietas.* Quod est intelligendum, sive per se, sive per accidens fiat; nam utroque modo Balneum se habere docuit Galen. 10. *meth. cap.* 10. Alterat enim per se, & per accidens; replet verò & evacuat non ità, sed per accidens semper: alterat quidem per se, prout qualitatibus quas habet, similes sunt affectibus, ut dum calidum calefacit, & frigidum refrigerat; per accidens tamen dum contrarij sunt, ut dum calidum & humidum resolutione refrigerat & exiccat, ex Hippocr. 2. *de diæt. post medium*, sic ait. *Calida Balnea jejunium attenuant & frigefaciunt;* idem facit frigidum moderatè, ut dum in juvene carnoso tetanum solvit, ut ex Hippocr. 5. *aphor. text.* 21. Indicat ergo intemperies Balneum; repletio tamen & inanitio Balneum quoque indicat, ut ex dictis constat: nam cùm resolvere & evacuare habeat, ex Galeno, pro his indicationibus convenire, nequit dubitari. Et hac ratione ab affectibus pluribus indicatur, quatenùs hoc modo laxare, emollire, extenuare, acrimoniam hebetare, lassitudinem tollere, aut è contrà, reficere, impinguare, & similes effectus facere Balneum habet; sic pro morbis pluribus conferre, aut non conferre est dicendum, ut videre est in Gal. *per libros de sanit. tuen.* præcipuè *in* 3. *c.* 4. & 7. & *in libris meth. in* 10. & Avic. *fen* 2. *lib.* 1. *c.* 19. & *fen* 3. *c.* 5. Quod docuit Hippocr. 3. *acut. text.* 60. sic. *Lateris dolorem mitigat, materiámque maturat & educit, facilémque reddit, fatigationem lenit, articulos & ambientē cutim emollit, urinam ciet, capitis gravitatem solvit.* quod modo dicto est intelligendum.

Cùm Balneum oppositos eliciat effectus per accidens, saltem medio uno & eodem effectu per se, advertendū est hoc non posse veritatem habere, si de eodem Balneo eodē modo disposito & applicato agamus: nam idem in quantùm idē, semper idē debet facere; evenit tamen hoc Balneo immutato,

saltem

saltem quoad quantitatem, ut ex Hippocr. *lib. de affectionib.* diximus; siquidè moderatū calefacit & replet, excedens verò extenuat, refrigerat & resolvit; quod adhuc quoad primas qualitates præcisse fieri est notum, siquidem in juvene bene carnoso moderatum & frigidum, calefacit; longum verò refrigerat, ut 5. *aphoris. comment.* 21. docet Galenus; hoc quia vincit calorem, illud quia non ità, sed retrocessum facit ad intrà, & sic valde considerare expedit, juxta affectûs necessitatem, quale, quantum & quando exerceri debeat balneum: nam, ut diximus, corpore jejuno extenuat, post cibum verò replet, ex Hippocrate 2. *de diæt.* & consequenter quod balneum habeat facere, ex dictis est deducendum, ut inde ejus indicantia completè cognoscantur, ratione quorum applicari debeat, aut non.

QUÆSTIO V.

Utrum plenitudine, aut inanitione existente Balneum conveniat, & quomodò.

CUM balneum evacuare habeat, & plenitudo evacuationem indicet, meritò sub dubio cadit, an ità balneum indicetur à plenitudine, ut ipsâ existente, balneum exhibendum sit; quod non ità intelligendum est, ut necessariò sit exhibendum, & an possit exhiberi sine noxa; aliquam balneum plenitudinem tollere manifestum est. Partem affirmativam ostendit Galenus & ratio. Nam 4. *acut. comm.* 19. docet pluties balneis plenitudinem deposuisse. Sic ait. *Neque etiam plethoricâ factâ syndrome sanguinem semper mittimus, sed & frictione, & balneo multo & abstinentiâ ad id quod naturale est revocamus.* Idem repetit 4. & 13. *meth. cap.* 6. Ergo balneo possumus uti plenitudine existente. Quo fundamento 3. *de sanitate tuenda, cap.* 8. lassitudinem tollere docet ex Hippocr. *text.* 58. 3. *acut.* Ratio quoque idem ostendit: nam balneum evacuare habet totum corpus æqualiter, ut docet Galen. 4. *acutor.* & 2. *aphor. comm.* 27. Balneum in quinto ordine evacnationis omnium humorum adducit: sed plenitudo evacuationem desiderat ex ipso Galeno, & *lib. de plenitudine & de sang. missio.* & 13. *meth. cap.* 6. Ergo utile erit plenitudine existente.

Non minùs hanc partem ostendunt affectus alij quos balneum facere habet: nam ex Hippoc. *lib. de affect.* & 3. *acut.* balneum moderatum emollit, ex laxatione aliquo modo acrimoniam humorum obtundit: sed ij effectus utiles sunt, in qualibet plenitudine; Ergo & balneum ipsos causans. Major est nota. Minor probatur: nam laxatio & emollitio tollit tensionem in plenitudine ad vasa necessariò repertam, quatenùs ad resolutionem humorum replentium valet, evacuatio acrimoniæ lassitudinem ulcerosam tollit, & pro plenitudine ad vires etiam utilis est: Ergo & balneum in qualibet plenitudine utile erit, ut dicitur 3. *de sanit. tuen. cap.* 8. & 4. *cap.* 4. quibus in locis lassitudinibus quæ non sine humorum multitudine, aut acrimonia inveniuntur balneum accommodat; ergo & cuilibet plenitudini.

Si verò Galenum legamus 7. *aphoris. comm.* 46. inveniemus plenitudine existente nullatenùs balneum convenire: nam super illa verba Hippocr. *Dolores oculorum balneum solvit*, sic ait. *Nec vinum, nec balneum tolerat plethorica dispositio absque maximo detrimento.* Ut super similia verba 6. *aphoris. comment.* 31. balneum convenire docet dum corpus plenum non est. Et 5. *de sanit. tuen. cap.* 12. sic ait. *Quippe quod balneum tutum non est, nisi prius inanitum corpus sit.* Non ergo exhibendum est plenitudine existente. Quod etiam ratio demonstrat: nam balneum trahit ad partes externas, ut docet Galen. 4. *de sanit. tuen. cap.* 6. ideò post cibum frigidum esse, ne obstructiones causet, docet Avicen. *fen* 2. *lib.* 1. *cap.* 19. sed corpore existente pleno necessum est quod humores in majori quantitate moveantur ad cutem, quàm possint resolvi; ergo causabit obstructionem, quod est magnum inconveniens ac per consequens non est faciendum. Major & Minor patent in Galeno 10. *meth. c.* 10. ubi docet balneum convenire dum humores mordentes, & acres in parva quantitate sunt, ità ut possint resolvi; dum verò ipsi abundant, nullatenùs, quia tùm horror excitatur; ergo quando humores abundant, non poterunt resolvi à balneo, ac per consequens moti obstruunt, & febrem agitati causabunt.

Pro resolutione quæstionis advertendum est, aliud esse balneum conducere ad deponendam plenitudinem, aliud verò an securè ministrari possit plenitudine existente. Primum verum est, ut docet Galenus *locis citat.* cum quo rectè compatitur non sine detrimento ministrari, ut *locis cit.* dicitur; quia licèt evacuare balneum habet, non valet pro multitudine auferenda, ac per consequens cùm ex alia parte humores habeant moveri versus cutim in majori quantitate, quàm valet resolvere, ventilationem impedier, factâ protsus obstructione, febrisque excitabitur. Quo fundamento judico loquutum fuisse Hippocrat. *lib. de salub. diæt. text.* 11. hæc scribens. *Gracilibus plus convenit balneum quàm corpulentis*; quia cùm propter multitudinem illam carnis, resolvere non valeat quod movet, plus convenit gracilibus in quibus quod alteratur resolvitur. Quod est fundamentum ut balnea medicinalia in corpulentis febres excitent, & minùs prosint quàm in gracilibus, quia in illis multum movent & calefaciunt quod non resolvitur ob corpulentiam, & sic excitatur febris; in gracilibus verò quod movetur, facilè evanescit: non ergo balneum utile erit corpore existente pleno, præcipuè si febris adest, quia causa ejus augetur à tenuitate & calefactione: dum verò febris non adest, minori periculo balneo utimur. Propter quod Galenus 13. *meth. cap.* 6. plenitudinem tollendam esse docet sanguinis missione, aut balneo, aut frictione, aut inediâ, dum febris non est; febre verò existente, phlebotomiâ, aut purgatione, non verò alijs, quod non tollit quod quando corpus ex se sine humorum redundantia existit, nulla præcedat evacuatio ad balneum, ut in hectica, in extenuatis, affectibus siccis, & nudis intemperiebus, ut ex Gal. 7. *de sanit. tuen. cap.* 3. & *lib. de Marc. cap.* 7. constat.

Licèt verum sit balneum pro resolutione facere, & consequenter evacuare, non quomodolibet est monstrandum, ut tunc producat effectum: nam si modicum sit, potiùs contrarium habet facere, ut Hippocr. docet *lib. de affect.* sic ait. *Balneum calidum moderatum emollit, & auget corpus*

corpus, excedens verò siccat, juxta id quod *lib. de Offic. Medic. part. 3. text.* 16. docet, dicens. *Quibus aqua calida desuper infunditur.* Quod explicans Galenus 7. *meth. cap.* 6. sic ait. *Vbi carne implere corpus studemus, id calefaciendum est dum intumescat; ubi verò digerere & evacuare cupimus, eatenus continuandum est, dum quod priùs intumuit, subsidat*: quod non quomodolibet hoc facit balneum, sed moderatione quadam per repletionem & cutatione majori per inanitionem. Quod etiam *cap.* 19. *lib.* 1. docet Avicenna. *Et est cùm in ipso diù morantur, & exsiccat propter resolutionem, Et est cùm in ipso parum moratur, & humectat, cùm corpus ab eo exsiccatur antequam egrediatur sudor; Et est cùm balneum ingrediuntur jejuni & vacui, & vehementer exsiccat, & macrescere facit; cùm verò ipsum ingrediuntur illico post saturitatem, impinguat, quia materia trahitur ad exteriora.* Quibus verbis non solùm docet quomodo balneum utrumque faciat, verùm & rationem reddit & quando balneum exhibendum sit ad utrumqne effectum. Totum quod *cap.* 16. *de Opt. Med.* docet Galenus, qui sic ait. Quocirca aquæ calidæ & ob corporis modum, & ob diuturniorem & breviorem usum contrarij effectus videntur, quoniam corpore inani digerit, magis quàm evacuat; at repleto, magis evacuat quàm digerit, cùm parvo tempore admota implet ampliùs quàm detrahat: sed si longior mora in perfusione sit, digerendo plus potest quàm implendo.

De balneo exhibendo inanitione existente constabit ex adducta doctrina, si advertamus non quamlibet inanitionem balneum indicare, sed illam quæ in partibus externis invenitur, tabes, seu extenuatio dicta, balneum enim moderatum implet attractione ad extra; ergo inanitione existente in partibus internis, balneum nullatenùs juvabit, idcò extenuare jejuno existente ventriculo, impinguare verò post cibum, docet Avicenn. *cap.* 19. *cit.* & Hippocr. *lib. de salub. diat.* gracilibus plus quàm corpulentis convenire. Quod verissimum est quatenùs attractione factâ ad partes externas ab internis, has inaniri, & illas repleri est necessum: Et hoc modo 7. *meth. cap.* 6. Galenus balneum commendat donec intumescat corpus, dum ipsum carne replere conatur, juxta id quod docuit etiam *comment.* 12. *lib. cit.* Est ergo utile balneum ad replendum carne partes externas, & ad evacuandum ex internis, dum moderatum est: quo modo voluit Mercatus intelligendum esse Hippocr. dicentem balneum excedens humidas partes exsiccare, & siccas humectare, quatenùs attenuatas & siccas externas humiditate attractâ humectat, & internas humidas siccat, ablatione humiditatis ad extra.

Nec in hac re rectè tenet Mercatus: Nam hoc in balneo moderato invenitur quòd partes externæ humectentur per attractionem ab internis quæ siccæ relinquuntur; cùm verò posita de balneo excessivo sint, non possunt intelligi modo dicto, potiùs balneum excedens extrinsecùs & intrinsecùs trahens ad extra exiccat, & attractum resolvens, juxta id quod docet Hippocrates *lib. de Offic. Medic. text.* 15. *Multitudo perfusionis ad laxandum & attenuandum plurima, ad carne implendum moderata, optima est.* In cujus *comm.* Galenus, & 7. *meth. cap.* 6. docet balneum moderatum ad intumescentiam facere, alimento ad extra attracto, excedens verò ad resolutionem intumescentiæ, ac per consequens ad exsiccationem absolutè, ut *cap.* 15. *cit.* docet Avicenn. Habet ergo balneum replere inanitum extrinsecè dum moderatum est, inanire verò interiùs, utrumque verò dum excedit. Quo modo siccas humectet partes, explicatum est suprà.

Constat ergo ex dictis balneum convenire, prout replere & evacuare habet, nullo existente impedimento, de quibus posteà, dum corpus tabidum seu extenuatum est; dum humores à partibus internis ad externas, hoc est à centro ad circumferentiam avocare conamur; dum plenitudo talis seu tanta non est, ut magna timenda sit avocatio humorum obstruentium ad extra, & eorum est necessaria evacuatio, & partium laxatio; & dum excrementorum, seu humorum cutim fœdantium est necessaria resolutio. Sic in hecticis seu extenuatis balneum commendat Galenus *cap.* 17. *de Marcore*, & dum purgationes sistere conamur, 4. *Aphor. comment.* 5. & in lassitudinibus, 3. *de sanit. tuen. cap.* 6. & in icteritia, 9. *de compos. medic. secund. loc. cap.* 1. Et hoc modo etiam pluribus confert morbis, in doloribus partium externarum & renum tam ex lapide quàm ex humore, illic laxando, hîc revellendo & evacuando; convulsionibus, sive evacuando, sive humectando; scabiei & impetigini, & oculorum doloribus tam ex crasso quàm ex humore mordaci, plenitudine depositâ, huic fundendo, & illic humores consumendo, ut 6. & 7. *aphor.* videre est, sicut in plurimis alijs morbis compertum est in Galeno, etsi Mercatus in dolore oculorum, ubi spiritus flatulentus est, balneum prohibeat, quando ob humorum pravitatem procedit, ex eo quod Galenus 4. *acutor. commentar.* 42. sic ait. *Cùm spiritus calidus flatuosúsque ad caput fertur ob humorum pravitatem, lavare hos non confert.* At cùm Galenus de balneo solius capitis agat, rectè ipsum prohibet, dum ob ascensum vaporum ad caput dolor oritur; siquidem balneum potiùs vel vapores haber, vel refrigerando resolutionem impedit; at cùm nos agamus de universali balneo, dum plenitudo non obstat, adhuc cùm vapor ascendit, balneum utile est. Quod verò Galenus de balneo particulari capitis agat, constat ex littera; sic enim ait. *Sanè capitis solius, quovis aliter modo habentis, caliditatem balneum juvat; cùm spiritus calidus, &c.*

QVÆSTIO VI.

Vtrum intemperie existente Balneum conveniat.

PRÆCIPUUM indicans pro balnei exhibitione, intemperies est; cùm ipsa per se contrario remedio corrigi desideret, est balneum commune quod ex aqua dolci constat pro qualibet intemperie corrigenda valeat, & sic ab ipsa indicari dubitabit nemo. Quod docet Galenus 1. *de usu part. cap.* 13. per hæc verba. *Nil invenies quod valido æstu occupatos præsentius refrigerare, aut magnâ frigiditate affectos potentius calefacere quàm balneum possit: cùm enim naturâ humidum sit, & moderatè calidum, humiditate quidem natam ex caliditate siccitatem irrigat.* Idem *lib. de Offic. Medic. part.* 3. *comm.* 15. clariùs tamen *lib. de*

lib. de Marcore cap. 7. sic ait. *Etenim hoc admirabile habent balnea, quod & calidas & frigidas passiones juvant, quemadmodum & hoc, quod non sitientibus sitim accendunt, & sitientibus eandem tollunt.* Quibus verbis balnea & refrigerare & calefacere docet, tanquam medium inter extrema; hoc est per se humectare semper, nisi per excessum resolutione exiccent; juxta id quod diximus ex Hippocrate *lib. de affect.* non tamen ipsis ad exiccandum utendum, nisi forsan medicinalia sint.

Hoc supposito, quæstio est an ità indicet intemperies balneum, ut ipsâ existente sit exhibendum: Nam cùm alia aconducant præter balneum pro intemperiei ablatione, non quætimus an debeat, sed an possit balneum administrari, ut de plenitudine diximus. Quod debet intelligi nullo alio dato impediente, propter id quod intemperies indicans ex propria natura habuerit: nam impedimento dato, nil mirum quod fugiendum sit balneum; & cùm distemperies simplex calida sit, aut frigida, humida, aut sicca, de qualibet est dicendum, vetè constabit de composita intemperie. Circa quod unum tanquam certum supponendum est, quod balneum commune pro sicca intemperie aufetenda est utilissimum, reliqua verò pro humida intemperie medicanda. Quod fiet manifestum 7. *de composit. medicam. secund. loc. cap.* 2. ubi sic ait Galenus. *Cæterùm communis materia auxiliorum ad vocis organa, prater reliqua, est qua ex balneis contingit. Manifestum est autem quod dulcium aquarum dixi: Marina enim balnea, & sulfurea, & aluminosa, & bituminosa, præter ea quod fortiter resiccant, ineptæ sunt.* Docet ergo balneum commune humectare semper, reliqua verò exiccare. Propter quod 2. *ad Glauc. cap.* 9. sic ait. *Semper igitur in balneis intentio sit ut corpus madeat atque humectetur, ut idcircò nec nitrum, nec sal inspergere oportet.* Quod idem videre est 1. *de temperam. cap.* 2. & 2. *usu part. cap.* 13. Ex professo tamen 1. *de simpl. medicam. facult.* à *cap.* 3. *ad* 7. in quibus aquam potabilem & ejus balnea humectare docet, reliqua verò siccare. Quod intelligendum est secluso intenso calore exiccante & adurente; ut *cap.* 4. *lib.* 2. *de simplic. medic. facult.* docuit.

Constat ergo balneum commune convenite quoties humectatione indigemus: ideò Hippocrat. 3. *acut. text.* 60. sic ait. *Peripneumonicis magis quàm febribus ardentibus auxiliatur lavacrum; nam lateris & pectoris & dorsi dolores mitigat; sputum maturat & educit, spiritum facilem reddit, fatigationem lenit; articulos & ambientem cutim emollit, & nares humectat:* Quibus verbis & effectus enumerat quos facit; & rationem reddit quare magis quàm atdori in peripneumonicis convenuiat, quia non solùm attemperat, verùm & humectando ad dictos affectus facit, qui pro tali affectu utilissimi sunt. Quâ etiam ratione in tabidis, in laxatione, in parotidis, in passionibus animi, utile censendum est balneum commune; medicinale verò in hydrope; in paralysi, in sopore, in distensione replente, & in affectibus in quibus humiditas prævalet, & siccitas desideratur; præcipuè cum calore, in quibus etiam utile judicatur, quatenùs aqua eorum ebibita ad humores dejiciendos & excrementa deponenda conducit, ut medicamentum expurgans, ut docet Galenus 4. *de sanit. tuen. cap.* 4.

Difficultas tamen est de intemperie calida, aut frigida: nam cùm balneum commune calorem actualem habeat, etsi tandem refrigeret, ut docet Galenus 1. *de simplic. medic. facult. cap.* 3. & 1. *ad Glauc. cap.* 9. dubium est utrum qualibet intemperie calidâ, aut frigidâ existente, balneum conveniat & exerceri possit. Calidis intemperiebus ab omni materia destitutis, balneum convenire, estque proprium remedium, ex dictis in principio quæstionis certum apparet: Siquidem contraria contrariorum sunt remedia; & cùm balneum commune frigidum tandem sit, pro intemperie calida utile erit, juxta id quod 1. *de usu part.* docuit Galenus, & *lib. de Marcor.* Ad rem tamen 6. *de sanit. tuen. capite* 3. in quo balneum commendat pro intemperie calida & sicca affecto. Quod etiam intelligendum est, si balneum frigidum actuale ministretur in duratione convenienti, subjecto robusto, & valentibus viribus, ut 11. *methodi capite* 9. docuit Galenus: Nam aliàs aut intemperiem augebit calidam, retrocessu facto, aut corpus frigore valde alterabitur, quod fugiendum est; ideò in tabidis non esse exhibendum docet Galenus 10. *methodi*, *capite* 3. nisi calidum præcedat, ne convulsio, aut quid simile accidat ac Alexandro, ut *libr. de causis procatarticis, cap.* 2. constat.

Hinc fiet manifestum juxta Galeni doctrinam 10. *methodi, capite* 10. & *capite* 7. *de Marcore*, hecticis utile esse balneum pro intemperie illa calida & sicca aufetenda: nam cùm talis febris à causa non pendeat remedium indicante, juxta Galeni mentem, in quo cum diariis convenite docuit, & intemperies solùm per contrariam alterationem tollatur, bene stat balneum commune qood tandem refrigerare habet, pro tali intemperie, seu pro febre hectica aufetenda conducere. Et licèt Galenus balneum actu frigidum pro tali febre curanda commendet ob majoris caloris permanentiam & adhærentiam, ità ut hæc scribat 10. *methodi. Qui hecticâ febricitantes ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi, nil juvantur.* Nihilominùs non ità intelligendum est, ut in qualibet hectica in frigidum balneum post calidum submergendum corpus sit, sed in marasmo torrido in quo mortis imminet periculum; ità ut utiliùs judicet Galenus tale corpus in marasmum mutari, quàm in periculo versari: at in aliis hecticæ speciebus sufficit ut ad tepidum ex balneo moderatè calidum trahatur corpus, ut ipse Galenus docet in ipso 10. *method.* habet enim aqua ex sole tepens refrigerare corpus, ut ex 1. *de simplic. medicam. facult.* docuimus.

Ut in hectica utile judicatur balneum pro intemperie calida aut sicca auferenda, in febre diaria utile etiam judicatur balneum commune, à quacunque proveniat causa; est enim talis febris intemperies independens, ut de hectica dicitur à Galeno 8. *method. cap.* 9. in quo postquam docuit hecticam à nulla dependere causa, sic ait. *Illud námque commune cum diariis hectica habent, quod videlicet non amplius fiant*; id est quod non habeant causam à qua incrementum suscipiant; omitto occasionales, quæ in quavis repetiuntur febre, balneúmque non impediunt, dummodò per accidens putredo, aut plenitudo non inveniatur; nam hæc jam per se impediunt ratione febris: Vtitur námque Galenus Balneo 8. *meth.* à *cap.* 2. *ad* 7. in curatione febris

febris diariæ in qualibet causâ, depositâ plenitudine, aut ventriculi crudirare: siquidem in dictis capitibus de omni diaria curationem adducit, à qualibet proveniente causa, & meritò; nam cùm simplex indicatio inveniatur in eis, materialis siquidem morbus non est, solùm attemperationem expostulat, seclusis causis occasionalibus, pro quibus non inutile est Balneum; siquidem calor attemperationem desiderat; ea verò quam causæ occasionales fecerunt, vel attemperationem, vel laxationem cutis ad fuliginum expulsionem, vel humectationem, ut videre est 8. *meth. cit.* ideò 10. *meth. cap.* 1. sic scripsit. *Ergo in diariis febribus simplex quidam est in corpore præternaturam affectus, utpote causis, quæ primùm eas excitarunt, jam ademptis.* Quasi diceret, indicatio in febre diaria, seclusâ causâ occasionali, simplex est, & sic simplex debet esse curatio. Dixi seclusâ indicatione causæ occasionalis, quia in putrida febre, adhuc tali indicatione seclusâ, composita est indicatio causæ & affectûs, quod proprium est morbi materialis.

Non est nostrum in præsenti methodum medendi febres in particulari adducere, sed tale remedium, Balneum scilicet, in febribus convenire; & hoc ità utile expertus fuit Galen. & à suis recepit Præceptoribus, in declinatione primæ accessionis solo balnei usu plures sanasse gloriatur, carpens Medicos qui repetentias & dispositiones essentiales expectabant ad auxiliorum applicationem: sic ait 4. *meth. cap.* 4. *Accidit sæpè tabescere in lectulis horum culpa homines, qui statim secundo die explicari potuissent, quippe non semel nos, aut bis, terve, sed sexcensies tum ipsi multos febricitantes simul, ut prima accessio desiit, lavavimus, tum Præceptores nostros id ipsum facere vidimus, ceu post febri carituros.* Et consequenter 8. *meth. cap.* 3. sic ait. *Quippe in prima accessione inclinante ducendi in Balneum omnes sunt*, agebat de diariis ex pluribus & diversis causis. Et meritò hæc docet Galenus: nam cùm Balneum attemperare habeat, & ad resolutionem excrementorum conducat, & natura in declinatione febris expellere conetur id quod febrem facit, contingens, imò ferè necessarium est, ut morbus in totum finiatur, expulsa omni portione alteratâ sive humorum, sive spirituum, & reliquâ attẽperatâ materiâ ab alteratione, sive à causa externa, sive à febre præcedente, sive ab aliquo intùs existente quæ per Balneum fiunt: siquidem neque attemperatio, nec totius materiæ alteratæ resolutio & expulsio fiet sine ipso, adjuvat enim pro expulsione Balneum: fiet ergo vehementior à natura excrementorum motus. Dixi expelli adhuc humores: nam Gal. 4. *metho.* absolutè loquitur de omni febre, quod de putrida etiam intelligi potest, ut dicemus, non tamen in diariis actu frigidum debet esse Balneum, quia non ità habitualis est affectus, sufficit quod in fine sit à sole tepens, ut docet Galenus 10. *meth.*

QUÆSTIO VII.

An in febre putrida exerceri Balneũ possit.

NOn est dubium febrem putridam Balneo frigido non rectè medicari: nam etsi passio calida sit, quã siccitas comitatur ferè semper, & hac ratione frigidum & humidum debet esse remedium tanquam contrarium, juxta Hippocr. 1. *aph. tex.* 16. dicentem, *Victus humidus febricitantibus omnibus convenit:* cùm non rectè medicatio fiat talis febris, non sublatâ causâ, juxta doctrinam Gal. 10. *meth. cap.* 1. & Balneum frigidum ipsam tollere non habeat, non convenire per se notum est; non enim habet causam resolvere, aut aliter evacuare, etsi per accidens forsan attemperata natura ad expulsionem moveatur per sudorem, vel per aliam regionem, quod fiet valentibus viribus, tempore æstivo, febre ardentissima, corporis optimâ habitudine existente, & optimâ ætate, cum coctionis signis, in quo casu utiliter exhiberi docet Galen. 11. *meth. cap.* 9. At cùm hæc omnia difficilè conjungantur, & sic difficilè etiam evacuatio causæ possit expectari; imò contingens valde sit materiam incrudari magis, resolutione impeditâ, & fuliginibus detentis, balneum frigidum suspectum esse debet pro putrida febre adhuc ex humore bilioso. Diximus enim *suprà*, post calidum, aut post exercitium Balneum convenire frigidum in statu salutis, quia jam evacuatum supponitur evacuandum, & resolutum resoluendum, & solùm ad firmitudinem frigidum desiderari; non ità in febre in qua causa sensibilem exigens evacuationem cognoscitur pro tunc, ad quam non valet frigidum Balneum.

Circa calidum balneum ambigua valde est sententia: supponendum tamen est, in toto hoc Tractatu de Balneo communi & totius corporis agi, nam de Balneo medicinali, aut quod circa partem determinatam exercetur, non agimus; hoc enim tangit curationem particularem; verè constare debet resolutio, & dubitari non potest pro aliqua parte frigidum aut calidum competere juxta ejus necessitatem: siquidem nec resolutio nec retractio caloris ad intra timenda est in parte determinata, ut in toto; præcipuè dum ad partem principem non est retrocessus; de medicinali verò aliquid dicemus posteà. Ad rem tamen Galenus 4 *meth. cap.* 4. Balneum in febribus convenire docet, asserítque expressè non esse expectandam accessionis repetitionem ad Balneum, reprehendens illos qui ad operari repletionem expostulant: sed repletio in putridis invenitur; ergo ipsis Balneum est utile. Quod etiam 3. *acut. tex.* 60. docet Hippocr. dicens, *Peripneumonia magis quàm ardoribus auxiliatur.* Quibus verbis docet Gal. *in comment.* constare febri ardenti utile esse Balneum. *Et* 1. *ad Glauc. cap.* 9. agens de curatione tertianæ, sic ait. *Balnea verò calida ex aqua potabili prosunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia sua qualitate plurimùm juvant, nam hujuscemodi omnia Balnea humectant, ac potentiâ refrigerant.* Quâ indicatione usus est Balneo 9. *meth. cap.* 4. in synochi curatione, & 10. *meth. c.* 3. in curatione febris per accessiones tertio die repetentis. Ex professo tamen agens absolutè de febribus putridis curandis 11. *meth. cap* 9. Balneum commendat, tanquam id quod omnes evacuationes commovet, vult enim putridam febrem curari vacuata causa per regionem convenientẽ, ad quod Balneum adducit; & deinceps postquàm frigidum in ardentissima febre concessit, ut si mediocris est febris, & vires non validæ, sed cum notis concoctionis, his qui ita se habent Balneum prodest, & consequenter *cap.* 10. in declinatione morbi balneum convenire scripsit. Et 7. *aphor. comment.* 42. dum signa coctionis adsunt. Ergo ex mente Gal. Balneum utile est in febribus putridis,

Aviten.

Avicenna hoc placitum pattocinatur. Siquidem *fen* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. agens de cura febrium putridarum in communi, post phlebotomiam & clysterem, resolutionem commendat, ad quod sic ait. *Deinde fac ipsum sudare, & aperire menses cum illis in quibus non sit calor fortis, scilicet cum inunctione ex oleo chamam. & cum aqua dulci tepida.* Quod etiam *cap.* 20. supponit ad curam febrium acutarum: & *cap.* 39. de cura tertianæ, sic ait. *Balneo ne approximet nisi post digestionem; post ipsam autem & apud declinationem ipsi melior est curatio.* Et *cap.* 40. de tertiana non pura. Et *cap.* 42. de causone sic ait: *Et cùm declinat agritudo manifestè, tunc non est malum uti balneo, cujus aqua declinat ad frigus, & illi, in quibus magis diligitur balneum ex eis, sunt quorum febris est ex phlegmate salso*; & consequenter *cap.* 55. de cura phlegmatis febris salsæ, post declinationem balneum commendat; etsi *cap.* 58. ipsum prohibeat in syncopali humorosa. Et *cap.* 63. de cura quartanæ balneum utile judicat; sic ait. *Et de illis quibus fit juvamentum; est sessio in aqua dulci calida ante cibum omni die; & balneatio qua humectat; & non facit sudare, nec excitat caliditatem.* Quod ter in ipso capite repetit: Ergo de mente Avicennæ balneum convenit in febribus putridis.

Rasis ità suspectum judicavit balneum, ut pro qualiber febre ipsum inutile appellet; ex eo quod tot dentur balneum prohibentia dicenda & examinanda *infrà*, ut sunt cruditates, humores & alicujus partis debilitas, raro corpus invenitur quod aliquo dictorum non afficiatur; & sic raro est etiam cui balneum utile sit, præcipue in putridis in quibus materia pro putredine majori disponitur magis calore & humiditate balnei, & agitatione factâ, ut forsan obstructione causatâ, humoribus ad partes externas convocatis, & nondum resolutioni dispositis.

Pro hoc placito videtur facere Galenus 13. *meth. cap.* 6. in quo postquam docuit plenitudine existente, seu phlebotomiâ, aut frictione, aut balneo esse utendum; febre existente non esse per balneum evacuandum scripsit: Sic ait. *Si jam febricitet ager, nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec unctione qua excalefaciat, nec multa frictione, nec balneo, imo sanguinis missione, unà cum inedia, vel purgatione aliqua: at si nondum febricitat, omnibus jam dictis utare.* 11. *meth. cap.* 20. docet partem debilem, & primarum venarum cruditatem balneum impedire: sed nulla datur febris repetens in qua pars debilis non sit; siquidam non aliam causam adducit Galenus repetentiæ febris per circuitus, nisi partem debilem recipientem, aut generantem, ut videre est 2. *de different. febr. cap. ultimo.* Ergo balneum nocivum est in qualibet febre per circuitus repetente. Patet: nam balneum habet humores redundantes commovere & agitare, ità ut in partem debilem commoveantur: ergo existente parte debili in ipsa movebuntur; ac per consequens deteriorem facit morbum: propter quod, podagrâ; seu articulari morbo laborantes, balneo malè se habere docet Galenus *in ipso cap.* Ergo balneum in febre putrida incommodum est.

Hippocrates 7. *aphor. text.* 42. sic ait. *Si febris ex bile non habeat, multa aqua calida capiti superinfusa solvitur febris.* Quibus verbis videtur docere in aliquibus febribus putridis balneum convenire, in aliquibus minimè. Cum quo cohæret Gal. *in comm.* sic dicens. *Febres siquidem quæ ab ustione at frigiditate sunt, ii talibus balneis utilitatem sentiunt, nec minùs quæ ex lassitudinibus fiunt.* Et infrà. *Non tamen ubi inflammatio aliqua; aut absque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balnea utiles sunt, antequam noxij humores evacuentur, aut concoquantur.* Constat ergo balneum non absolutè in qualibet febre convenire, neque absolutè interdicendum esse in qualibet febre putrida, cùm dicat utile non esse; quoties putredo calorem accendit ante evacuationem aut coctionem humoris noxij. Quod est dicere; quando est febris: nam cùm coctus aut evacuatus est humor putridus, febris cessat; cùm non alio modo curari febrem doceat Galenus *cap.* 89. *Art. Medic.* quàm evacuatione, aut coctione causæ.

Pro hac parte stat etiam ratio ex doctrina Galeni & Autoribus desumpta. Galenus 10. *meth. cap.* 10. dum convenientiam balnei in febribus ostentare conatur, sic ait. *Si quis enim balneum ingressus non inhorruit, sed laxata illi est, rarefactáque cutis, huic planè necessariò prædicta succedent; excrementorum vacuatio, æqualis per totum corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, tensorum relaxatio, & densorum fusio.* At vacuatio quidem excrementorum omni febri est utilissima; pari modo & rarefactio: fusio tamen & calor non item: sed calor omni febri est inimicus; at fundi succus non perpetuò est utile. Ubi docet Galenus quod balneum plura habet facere; inter quæ calor per se lædit; fusio pro fusione humorum facit, quod periculosum est; & quia pars debilis ferè semper existit, & quia in partem principem poterunt humores ruere: ob quod in morbis acutis certas judicat prænuntiationes salutis aut mortis Galenus 2. *aphor. comment.* 19. alia etiam quæ utilia sunt adhuc non ità certè sequuntur, ut non possit fieri major humorum inculcatio, & consequenter major febris; si forsan aut cutis densa sit, aut pori adstricti; ità ut pro resolutione non sufficiant, ut *in ipso cap.* docet Galenus. Ergo non erit utile balneum in febribus putridis.

Balneum convenire in febribus putridis cum tota antiquitate docet Hippocrat. 3. *acut.* & Galen. *loc. cit.* & etiam Celsus docet. Quod ratio demonstrat: nam febris putrida curatur evacuatione & resolutione causæ remedio non calefaciente: sed balneum id habet facere; ergo est ministrandum in febribus putridis. Antecedens probat Gal. de ipsarum curatione agens 11. *meth. cap.* 9. & 10. sic ait *cap.* 9. *Expellenda quæ putruerunt per urinas & alvum & sudorem sunt.* Et paucis interpositis, sic. *Vinum aquosum omnes evacuationes movet; id facit & temperatum aquæ dulcis balneum.* Et *cap.* 10. sic: *Ubi autem quæ obstruunt detersa, dissectáque sunt, per urinas, sudorem & alvum tentandum evacuare: idque agendum ut quàm minimè calefaciat materia deligetur; quemadmodum in hoc casu balneum.* Ergo utile erit in febre putrida; cùm habeat movere materias per regiones convenientes ad terminationem ejus. Præterea utor ratione ipsius Galeni 11. *method. capite* 20. Balneum habet humores; & fuliginosum calorem evacuare; & resolvere: sed hoc utilissimum est in febribus; ut 10. *methodi* vidimus: ergo balneo debemus uti in febre putrida; febris per se indicat refrigerationem & humectationem, ut *capite* 7. *de marcor.*

docet Galen. sed balneum habet refrigerare & humectare, ut constat 1. *ad Glauc.* ergo balneum indicat, ac per consequens applicari debet.

Ut quæstionem resolvamus, advertendum est quod in quolibet remedio applicando, non solùm respiciendum est id quod per se, verùm etiam id quod per accidens facit, 1. *de simpl. medic. facult. cap.* 2. docet Galen. ut quale id sit dignoscamus, & consequenter ut convenientiam medicamenti inveniamus. Quod habet locum præcipuè dum composita est indicatio in curatione, qualis invenitur in febre putrida, cùm indicet affectus attemperationem; & hæc non solùm per se debeat fieri ab aqua balnei, sed per accidens etiam quatenùs causam resolvit, id quod utroque modo facit est dignoscendum, ut qualis sit præstantior effectus inveniamus, & consequenter an sit applicandum balneum: habet enim balneum commune, quod moderatum esse significat, aliquantulum calefacere, attenuare, & agitare humores quietos, ipsosque ad cutim trahere pro resolutione, ut docet Galenus 2. *de caus. sympt. cap.* 5. sic. *Sol, & balneum, & exercitatio, excrementa quæ priùs quieverant, calefaciendo, attenuando, & in spiritum vertendo, ad motum excitant.* Quod hoc modo etiam ad resolutionem faciat, ex dictis est notum: fiet tamen resolutio cùm balneum vincere habet quæ intra corpus sunt excrementa, ut ostendit ratio, & ipse Galenus etiam 10. *meth. cap.* 10. sic dicens. *Horroris causam esse dico excrementorum confertim actorum citatiorem motum. Proindè quibus horum est abundantia, cute verò, ac cutis densa, sive balneum sint ingressi, sive quoque modo sint dimoti, his horror accidit. Contra, quibus hæc pauca sunt, & corpus ut laxetur a balnei calore, ij non modò horrent, sed etiam meliores redduntur, excrementis vacuatis.* Docet ergo non quamlibet excrementorum quantitatem posse balneo resolvi, sed proportionatam, ac per consequens tunc cùm erit ministrandum, evacuatio necessaria est, & humores in quantitate sint, ut non solùm agitari, verùm etiam resolvi à balneo possint.

Ex hoc deducitur quod primò balneum ministretur humoribus existentibus proportionatis pro balnei activitate: si in parva quantitate sint, alterare valebit juxta qualitates quas habet; quod cùm moderatè calidum sit, & tandem aqua refrigeretur, potiùs attemperare habet in fine, resolutis in principio excrementis aliquibus. Præterea balnea medicinalia prohibenda sunt semper in febribus, quia extremè calefacere habent: Et licèt ad humorum resolutionem & evacuationem faciant magis qualitatibus propriis, alterant validè & movent, ut ostendit Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 9. ubi sic ait. *Marina autem aqua & salsa, plus quidem bilis educunt, sed minus quàm potabiles, prosunt; plus quidem qualitatibus nocent, quàm evacuationibus juvent.* Dum verò humores in majori quantitate sunt quàm possint resolvi à balneo communi, sive ob quantitatem præcisè, sive ob modum substantiæ resistentem agitantur, & pro majori putredine disponuntur, & horror causatur; & si pars aliqua debilis est, in ipsam moventur: totum quod non sine incommodo est. Ideò Gal. 11. *meth cap.* 20. tria consideranda docet ad febrem: sic ait. *In tribus hic balneo quod in febribus adhibebis intentus sis oportet: uni, ut citra horrorem sit administratum: Secundo, quod nullum prima notavisemus sit imbecillum. Tertio, quod multitudo crudorum humorum in primus venis non inveniatur.* Cujus ratio est quia cùm balneum movere & agitare habeat; si corpus plenum est, aut humores habet plures quàm valeat resolvere, horrorem causat, aut in partem debilem ruere poterunt, inflammationémque causare, cum quo etiam cruditatem primarum venarum adducit, ne per balneum ante coctionem ad partes externas trahantur, & obstructiones causent, ut *cap.* 19. *lib.* 1. docet Avicenn.

Cùm ergo horror causetur quoties balneum non valet humores, sive excrementa quæ alterat & movet, resolvere, quia non tam ejus valet alteratio, quantùm densitas cutis, & multitudo aut crassities humoris resistit, balneum fugiendum esse constat in principio & augmento, & statu morbi, quoties cruditates, aut humores mordaces abundant: siquidem humores commotione agitati, cute pro resolutione ineptâ, necessariò mordent, & incitant tempore principij & augmenti, & ferè usque ad totum statum, cutis & caro densa pro resolutione incapax, cùm humores crudi aut multi sunt, idem apparet, & consequenter horror excitatur. Totum quod docuit Galenus 10. *meth. cap.* 10. ex professo, & latè, ideò verba non adduco; propterea corpore existente pleno, aut aliquâ inflammatâ parte, aut febre à pituita pendente, balneum prohibet Galenus 3. *acut. comment. ultim.* quia fluxio excitatur & horror. Sic ait. *Si balneum non evacuato corpore exhibeatur, membris affectis fluxionem paris, quo fit ut ex febre ardente laborantibus his tantùm opituletur qui sine tumore vel phlegmones, vel erysipelatos laborant: fervente in illis per totum corpus bile. Verùm, si ardens febris ob salsam pituitam oriatur, adversissimum est balneum, nec enim pituitosus humor, ut biliosus per cutem evacuatur, tum quia crassus & glutinosus sit, nec extinguitur, longâ egens coctione.*

Dicendum igitur nobis est, balneum in febribus putridis solùm convenire materiâ existente coctâ, quod est in declinatione, aut plenitudine depositâ. Quod docet Galenus 7. *aphor. comm.* 42. per hæc verba. *Non tamen ubi inflammatio aliqua, aut absque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balnea utiles sunt, antequam noxij humores evacuentur, aut coquantur.* Quibus verbis manifestè docet balneum convenire plenitudine depositâ, aut humoribus coctis. Quod etiam 3. *acut. comm. ult.* significat sic. *Quo fit ut ex febre ardente laborantibus his tantùm opituletur, qui sine tumore laborant, fervente in ipsis per totum corpus bile: quòd si coctionis signa habuerint, his multò magis confert.* Docet ergo non semper coctionem prærequiri, præcipuè dum bilis peccat; cùm dicat præcipuè conferre dum signa coctionis sunt. Quæ verba significant sine ipsis signis utile in febri ardenti balneum, ut etiam 1. *ad Glauc. c.* 9. constat. Nam postquam lavacrum convenire docet in tertiana, sic ait. *Si verò etiam coctionis signa ostendantur, tum si sæpiùs laveris, nil deliqueris:* Ergo sine signis coctionis utile est judicandum balneum, si corpus vacuatum sit. Pro quo facit id quod *c.* 10. de tertiana notha docet idem Gal. sic ait. *In tertianis verò non exquisitis neque statim circa initia balneare expedit, sed cùm jam coctionis signa apparuerint.* Supponit ergo in aliis sine talibus coctionis signis convenire, plenitudine depositâ, ut dixerat ipsis capitibus.

Sed

Sed dices: balneum non est utile quando cutis densa est, & pro resolutione quam intendit balneum inepta; sed ante declinationem, etiam si corpus evacuatum sit, cutis est densa, & resolutioni inepta: ergo balneum ante declinationem nunquam est utile, corpore autè vacuato, ac per consequens solùm erit utile dum signa coctionis sunt, & corpus vacuatum, non quando unum aut alterum adest. Majorem ostendit Galenus 10. *meth. capite* 10. Sic. *Quibus caro, aut cutis densa est, si balneum sint ingressi, his horror accidit.* Minor etiam in ipso capite constat: nam ostendens cur ante declinationem balneum lædat, sic Galenus. *Quippe densata hoc tempore coarctatáque est & cutis ipsa, & quæ sub hac habetur, carnea substantia:* concludit ergo. *At in febris inclinatione, & nos sæpè, & alij Medici multi sæpenumerè ægrotantes lavantes non parum his consuluimus.* Præterea 11. *meth. cap.* 9. agens de cura putridarum, dum balneum frigidum pro febre ardenti commendat, signa coctionis requirit, sic ait. *Ergo si vires cunctæ valentes sunt, & febris ardentissima, & coctionis notæ planè evidentes, etiamsi in frigidam naturâ hunc demittas, nequaquam lædetur.* Malè ergo 3. *acutor.* commendat in febre ardente absque signis coctionis.

Tertiò, quia dum humor movetur intrà, non est occasio, ut ipsum ad extrà revocemus sine magna violentia, quam semper fugere debemus; ideò ad expurgationem naturam adminiculantem desideramus, ut docet Galenus 1. *aphorism. commentar.* 22. sed in augmento & in principio morborum materia ad intrà retrahitur, propter quod est pulsus coarctatus, & extrà minori calore & cum densitate: Ergo tunc non est balneum ministrandum, quod ad extrà habet movere; siquidem violentia magna induceretur naturæ quæ contrarium motum elicere conatur. Propter quod Galenus 10. *method. capite* 10. docens quibus balneum denegandum sit absolutè, inquit, denegandum esse omnibus qui in principio & augmento morbi sunt, & pluribus qui in statu, sic dicit. *Dicóque multos eorum qui cruditate laborant, plures verò eorum in quibus mordentium excrementorum abundantia subest: omnes præterea qui vel in febrili significatione, vel in ascensu, etiam omnes, qui in summo sunt incremento, praeter admodum paucos, sive sint in balneum ingressi, sive steterint in calido sole, sive exercitationes, frictiones, gestationésve tentaverint, meritò horrescere.* Ad quod accedit humorem tum propter crassitiem & cruditatem, quam habet, esse ad resolutionem ineptum, ut dixit de pituita.

Quartò: namsi unum aut alterum ad balneum sufficeret, pleno existente corpore, & humore cocto, posset administrari; sed coctio humoris non tollit quod ratione multitudinis plus moveatur à balneo, quàm posset resolvi, ità ut obstructio causetur in partibus externis humore attracto; ergo non est ministrandum. Major est certa. Minor probatur: siquidem propter obstructionem quæ timetur, humore advocato ad extrà, corpore existente pleno, balneum non exhibendum: sed per coctionem humoris non tollitur quantitas obstruens, sed potiùs crassities additur, juxta doctrinam Philosophi 4 *meteor.* dicentis coctionem crasim parere, & Galen. *capite* 89. *Art. Medicin.* appellantis coctionem actionem corrigentem putredinem, manentem substantiâ. Ergo valebit obstructionem causare; ut quando cruda erat materia.

Respondetur ad primum posse quantitatem humoris propter evacuationem præcedentem proportionari cum activitate balnei, & sic aliquando convenire, etsi coctio non sit, præcipuè quando humor tenuissimus & calidissimus est, ut in tertiana & febre ardenti ex bile, ex doctrina Galeni 3. *acut.* & 1. *ad Glauc.* Dum verò 1. *meth. cap.* 10. horrorem excitari per balneum ante declinationem; & quando plenitudo invenitur, sic scripsit: *Quibus excrementorum mordentium est abundantia, cutis verò & caro densa, his horror incidit.* Quasi diceret, si plenitudo aut abundantia non adset, horror non accideret.

Ad secundum respondetur, quòd licèt humor moveatur ad intrà dum in parva quantitate est, nil interest ipsum ad extrà advocare per balneum; siquidem nulla aut parva violentia naturæ inducitur: neque facit quod de expurgatione dictum est, quia medicamentum violentiùs & intimè magis agit qualitatibus activis valde, sic periculosa est ejus actio, naturâ resistente; in nostro tamen casu balneum solùm habet laxare & rarefacere & cutim, & aliquantulum humorem attenuare; totum quod sine resistentia naturæ est, potiùs ipsi conducens, & sic nec ei infertur molestia; sequitur tamen ad hoc humores exhalari, quod naturæ non est inimicum. Galenus verò dixit omnes horrescere in principio aut augmento morbi per balneum; agit enim de illis de quibus anteà loquebatur, in quibus dixerat excrementa abundare: nam quod minimè abundant etiam docet balneum non causare horrorem, & de his corporibus judico loqui 4. *met. c.* 4. dum prima die inclinante accessione balneum ministrasse fatetur, quod præcipuè intelligendum est, humore tenui peccante.

Ad tertium respondetur quod cùm signa coctionis sunt, quantitas non potest esse magna, quia proportionari debet prius cum facultate ut coquatur, sive quia præcessit evacuatio aliqua sensibilis, & sic numquam esse potest cum plenitudine magna balneum impediente; præcipuè cùm natura ad expulsionem faciat, & adjuvet, faciliùs expellit, sine eo quod obstruat: Ad quod accedit quod natura perficit quasdam operationes quas balneum solum perficere non valet, sed movere, expulsiones scilicet per balneum & urinam & alias regiones; ratione cujus sine timore obstructionis ministratur balneum dum signa coctionis sunt, etsi corpus plenum sit; quod balneum dictas evacuationes moveat, constat ex Gal. 11. *met. c.* 10.

Ex dictis patet ad balneum expectandam esse coctionem, ut id quod pro resolutione ineptum est, respectu activitatis balnei cum juvamine naturæ resolvi possit; ideò præcipuè expectanda est dum magna humorum seu excrementorum est quantitas, & quando materia grossa est, ut in tertiana notha, in quotidiana, & quartana; & consequenter constat cur rarò ante declinationem ministretur: siquidem rarò corpus sine multitudine est, & nos rarò sine timore multitudinis sumus: Diæta verò cùm transactâ accessione cesset, non eget balneo, ni forsan accidens aliquod sit propter quod exhibeatur; in hectica tamen semper convenit, ut inquit Hippocrates 3. *acut. text.* 59. & Gal. *in comment.* & 10. *meth.* bis aut ter in die, si consuetudo præcessit, aut balneo delectatur.

QUÆSTIO VIII.

De impedientibus Balneum in febribus.

EX his quæ in hac quæstione dicentur, manebunt soluta ea quæ dicta videntur contra conclusionem immediatè positam, & seorsim plura quæ impedire balneum habent in febre, & sine ipsa, dicemus *infrà*. Docuit Galenus 11. *meth. cap.* 10. tria esse consideranda ad balneum, ratione quorum balneum esse interdicendum voluit. Sic ait. *Tribus his in balneo, quod in quacunque febre adhibebis, intentus sis oportet: Vni, quod citra horrorem sit administratum. Secundo, quod nullum primæ notæ visceri sit imbecillum. Tertio, quod multitudo crudorum humorum in primis venis non contineatur.* Et rationem reddens, sic ait. *Horror námque non solùm intendere jam præsentem febrem potest, sed etiam, cùm non fuit, eam interim excitare; partes verò imbecilles liquatos jam humores magis recipiunt quàm anteà; crudorum verò humorum copia in totum corpus digeritur.* Quibus verbis constat manifestè, quæ & quomodo balneum in febribus prohibeant. Quod est intelligendum ratione illorum quæ cum febre ferè semper sunt, non tamen loquitur de illis quæ rarò & per accidens inveniuntur cum febre; dicemus quoque de illis. De his igitur quæ cum febre ferè semper sunt agimus: siquidem ferè semper aut horroris causa est, aut pars debilis, aut primarum venarum cruditas, quæ quatenùs majorum malorum per balneum causæ sunt: balneum prohibet horror majori agitatione per febrem, humores disponens pars debilis pro tumore & febre etiam, balneo humores commovente, sicur cruditatem primarum venarum ad venas trahente majores, febris resultat, obstructione concitatâ.

Etsi sciamus dicta balneum prohibere, nil erit si dubitamus quæ sint quæ horrorem causare valent, aliàs ipsum ministrabit aliquis, ità ut solùm agnoscat non convenire, cùm jam ministratum sit, & læsio facta; dubitabit tamen semper quæ ipsum impediant, & quibus non sit ministrandum: radicaliter enim est compertum existat frigidissimam & calidissimam aquam balnei fugiendam esse, quia horrorem causare valet, ut docet Galenus 2. *de caus. sympt. cap.* 5. & experientiâ compertum est. Siquidem frigida aut calida valde aqua superinfusa horrorem excitat; attamen quæ intra nos per balneum horrorem causent, scire oportet, aliàs non cognoscemus quæ ipsum prohibeant. Galenus 10. *meth. cap.* 10. postquàm commendavit attendendum esse ne horror per balneum excitetur, unicam horroris causam adduxit, excrementorum scilicet agitatorum abundantiam, in ordine ad resolutionem per balneum faciendam, quam explicat per ipsorum succorum redundantiam cum cutis densitate per balneum agitata, sic ait. *Horroris causam esse dico mordacium excrementorum confertim aliorum citatiorem motum: proindè quibus horum est abundantia, caro verò ac cutis densa, sive in balneum sint ingressi, sive in sole steterint, iis horror incidit.* Quasi diceret, motus excrementorum mordacium horrorem facit, qui excitatur quando excrementa abundant, cutisque est pro resolutione inepta, & balneo humores agitantur. Docuit Galenus 2. *de caus. sympt. cap.* 5. balneum, frictionem, & exercitationem commovere quieta, & ipsa per motum horrorem facere, quæ non faciebant quieta.

Hoc non obstante dubia manet adhuc quæstio: siquidem verum sit horrorem excitari, dum humores commoventur magis, quàm pro resolutione sufficiat; quomodo hoc fit, non est cognitu ità facile, nec apparet certum dicta ad horrorem requiri: nam etiamsi mordentium excrementorum quantitas proportionata sit pro resolutione facienda, propter cutis laxitatem, non videtur causam horroris deficere: Ergo solutio est nulla. Antec. patet: nam horror excitatur propter agitationem humorum ad sui exitum carnem pungentium, & irritantium, ut *cap.* 5. *cit.* docuit Galenus, sed esse quantitatem proportionatam pro resolutione respectu activitatis balnei, & laxitatis cutis, non tollit talia excrementa carnem ad exitum pungere & mordere, quia agentia naturalia sunt, & carni per motum agitatæ applicantur, ergo causabunt horrorem.

Dicendum tamen est horrorem nullatenùs excitari per balneum, quando excrementa mordentia sunt in quantitate proportionata per resolutionem respectu laxitatis cutis. Quod docuit Galenus *cap.* 10. *meth. cit.* dicens. *Quibus hac pauca sunt, & corporis habitus ut laxetur, rarefiatque à balnei calore promptus, ii non modò non horrent, sed etiam meliores redduntur, utpote excrementis per id vacuatis.* Ratio hujus manifesta existit: siquidem rarefacta cute, humoribúsque attenuatis, resolutio sequitur, irritatione qualibet seclusâ: dum verò quâtitas major excrementorum quàm pro laxitate sufficiat, invenitur, vapores agitari necessum est, quod hinc & illinc moveantur, & diversas pungant partes exitum quærentes, quod non evenit quando viæ apertæ sunt: Ergo excitabitur horror quando quantitas improportionatur pro resolutione respectu laxitatis cutis, quo solvitur objectio posita.

Contra stat autem quando improportionata judicabitur excrementorum quantitas pellenda respectu laxitatis. Ad quod Respondeo majus indicium debere sumi ex plenitudine corporis, & modi substantiæ humoris, ità ut quoties judicatur corpus plenitudine aliqua aggravari, aut licèt plenitudinis absint signa, dummodò multi humores appareant; aut si pauci, ità crassi & crudi sint, or specialis desitas, aut adstrictio in cute appareat, tunc judicandum est humores, seu excrementa esse in majori quantitate quàm pro resolutione requiratur respectu activitatis balnei, & consequenter horror timendus est. Totum quod evenire docet Galenus dum corpus cruditate laborat, aut ubi plenitudo est, ut in qualibet febre putrida ante declinationem, & sic in his balneum prohibet ob horrorem qui timetur. Sic ait 10. *meth. cap.* 10. *Dicóque multos eorum qui cruditate laborant, plerósque eorum in quibus excrementorum mordacium abundantia subest, omnésque præterea qui vel in febrili significatione sunt, vel etiam omnes qui in summo incremento sunt, præter paucos, sive ii in balneum sint ingressi, meritò horrescere.* quibus verbis doctrinam dictam explanat: supponit enim ante febrium declinationem cutem densam esse, & pro resolutione inepta tamen: Quod etiam invenitur dum plenitudo est mordentium succorum,

aut

aut dum humores sunt crudi. quâ ratione etiam 3. *acut. comment. ult.* in febre ex pituita salsa balneum prohibet.

Dignum tamen intertogatione est, si in dictis casibus horror est pertimescendus, cur non dicit omnes qui cruditate laborant, & omnes io quibus abundantia adest, sed multos illorum, & horum plutes; & de aliis dicit, omnes alios in statu excludens; nam dicta balneum fugiunt ob hotrorem qui timetur, nullus ergo erat excludendus; & quando essent, cur plures pleni, & multi cruditate affecti, & inæqualiter ipsi.

. Respoodetur rectè dixisse omnes ante declinationem horrescete præter paucos in statu, quia in principio & augmento semper cutis densa est, & humotes abundant; in statu verò jam cutis laxitatem aliquam acquirit, & humores in majori quantitate sunt, & attenuati magis, & cum coctione, & sic dispositio aliqua invenitur ut balneum conveniat; veluti dum humores non sunt multi, aut tenaces valdè, ant crassi, pauci tamen hanc habent dispositionem; ideò inquit, præter admodum paucos: dicit etiam multos eorum qui cruditate laborant, quæ nî parva sit cruditas, facultas debilis est, & horror excitatur; dum parva cruditas, balneum pro coctione juvat: difficilè tamen est cruditate laborare, & facultatem non pati, ut in pluribus invenitur: sic multos dicit horrescere, non omnes, nec plures inquit; tamen plures eorum qui abundant excrementis motdentibus, quia difficilè est ipsis abundare, & non borrescete; licèt aliquando tanta possit esse laxitas cutis, ut pro quantitate resolvenda sufficiat, & sic balneum sine borrore ministretur.

Eodem modo ac cruditates balneum prohibent in febre, intelligendum est pituitam salsam balneum probibere in febre ardenti, ut Galen. 3. *acut. comment. ult.* Difficultas tamen est quomodo Avic. *fen 1. lib. 4. tract. 2. cap. 42. in fine*, scribat hæc agens de curatione causonis, *Et cùm declinat ægritudo, manifestum tunc non est malum uti balneo, cujus aqua declinet ad frigus; & illi in quibus magis diligitur balneum, ex eis sunt quorum febris ex phlegmate salso.*

Respondetur tamen hos Autores non contrariari: Nam Galenus febri ardenti ex bile balneum concedit, materiâ existente crudâ, quod inquit nocivum esse dum à pituita salsa procedit, quia crassus & glutinosus cùm sit humor, difficilè resolvitur & coquitur. Avicenn. autem in declinatione ministrandum esse docet, quo tempore materia jam cocta est, & tunc inquit magis convenire balneum in febre à phlegmate salso, quàm ab alio humore, quia cùm crassior sit, indiget balneo resolvente magis quàm tenuis humor, quod convenit cum cura tertianæ nothæ, in qua Galenus 1. *ad Glauc. c. 10.* balneum tribuit post signa coctionis: Ergo phlegma causans febrem post coctionem non prohibet balneum.

Dices iterum: Hippocrates *7. aphor. text. 42.* balneum concedit febri ardenti, dummodò ex bile non sit; non ergo rectè dictum est quod in febre ex bile, adhuc crudâ materiâ balneum possit exhiberi, etsi utilius sit materiâ coctâ. Antecedens patet per hæc verba. *Si febris non ex bile fiat, multâ aquâ calidâ capiti superinfusâ, solutio fit febris.* Docet ergo febri ex bile non ità convenire sicut alijs balneum. Licèt appateat posse responderi, quod de febre ex pituita dictum est, quatenùs magis egent alij humores balneo resolvente quàm bilis, & sic illis propriè convenire; non est ad rem; nam in hoc casu non dicit magis competere alijs febribus; sed absolutè ait; febres non ex bile balneo solvi: quod est dicere; febres quæ ex bile fiunt, non solvi balneo.

Dicendum ergo est per bilem in hoc loco humores omnes esse intelligendos: quo sensu loquitur ipse Hipp. etiam *lib. de natur. hum. in fine.* ubi per bilem omnes bumores intelligit, & ab ipsa omnes differentias febriom fieri dicit. quid mirum, quod cùm febrem ex bile excludit, febrem humoralem intelligamus; ità ut sensus sit; si febris non ex humore habeat, aquâ calidâ superinfusâ, solvitur febris: quo modo intelligeretur etiã 2. *aphor. text. 15.* dum inquit, *Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosa fuerint, corpus unà ægrotat.* At cùm idem significent si pituitosæ sint, aut melancholicæ excretiones, intelligendum est per bilem omnes humores significare pluries Hippocr: ut doctè notavit Philoteus & Musa *in comment.*

Objicies iterùm: Ergo ex mente Hippocratis juxta hanc explicationem febri putridæ non convenit balneum: cùm dicat alias ipso solvi non ex bile pendentes.

Respondetur Hippocratem tunc docere absolutè alias febres præter putridas balneo solvi, quia in ipsis nil est propter quod non ministretur balneum, & sic de eis absolutè loquitur: quod non est negare febribus putridis convenientiam, sed affirmare id quod dubio caret; convenire tamen putridis docuimus *suprà* ex professo. Nec obstat calidum & humidum pro putredine facere: nam hoc verum est quando tales qualitates opponuntur termino quem intendimus producere, scilicet cùm violentæ sunt: at verò quando naturales, seu proportionatæ sunt pro aliquo termino, ipsum producunt, & ipse resultat: sic balneum calidum & humidum pro resolutione facit dum materia apta est, & terminus ad resolutionem resultat; dum verò materia resistit valde, forsan pro putredine conducit: attamen si majoris coctionis materia capax existit, materia coquitur, & balneum pro coctione facit, ut ex Philosopho 4. *meteor.* docuit Galenus *lib. de salubr. diæt. comment. 12.*

Ad aliud de parte debili, quæ in febribus putridis reperitur semper, dum datur per circuitus repetentia, ratione cujus balneum esse denegandum docuit Galenus, Respondetur verum esse in febribus non convenire balneum, dum pars aliqua est debilis: Propter quod etiam dum tumore afficitur balneum probibetur, quia attenuatione humorum, & agitatione factâ concitatur fluxio ad partem debilem; & ità non solùm quia humores crassi sunt, & cutis densa, ante declinationem balneum non est ministrandum, sed etiam quia major excitatur fluxio ad partem debilem; ad focum scilicet putredinis, sed majores & vehementiores resultabunt accessiones, & forsan febris continuabitur, si intermittens sit: attamen plenitudine seu multitudine depositâ competente, aut coctâ materiâ, fluxio ad partem debilem non est timenda; tum quia ideò declinatio est, quia focus putredinis aliquantulùm est correctus, aliàs non remitteretur febris, nec coqueretur materia, tum quia materia supponitur aut evacuata, ità ut pro attractione à balneo facienda ad extrà proportionata inveniatur, & sic nil quod fluere potest existit; aut quia cocta per

vias communes ejici à natura necessum est, & sic balneum non est timendum in declinatione febris, aut corpore evacuato.

Sed est in præsenti objectio: videtur enim nullatenùs balneum in febre putrida convenire; nam si solùm convenit dum humor coctus aut evacuatus est, ex Gal. & ipsa febris coctione aut evacuatione cesset, videtur balneum convenire dum febris non est. Quod etiam ostendit Avicenn. balneum prohibens in febre syncopali humorosa.

Respondetur convenire balneum, nec omninò coctâ, nec omninò evacuatâ materiâ, totum quod in declinatione est: nam si omninò emendata, aut evacuata esset materia, superfluum erat tamquam remedium balneum: Præterquam quod adhuc sine coctione ministratetur, ut quando ab humore bilioso procedit, juxta mentem Galeni 1. *ad Glauc.* & 3. *acut.* Dum verò Avicenn. Balneum in syncopali humorosa prohibet, ratione virium, & ratione crassitiei materiæ, quorum quodlibet prohibet remedium evacuatorium: nam virium defectus evacuationem prohibet, materia quoque; nam ut ipse Avic. docet *fen* 1. *lib.* 4. *cap.* 53. ab humore crudo, aut ex satietate provenit. Hæc ait. *Hæc propter phlegma crudum est secundum plurimum, quod est ex nauseativa satietate.* Ergo prohibet ex materia balneum fugiente; quod habet locum, etiamsi à bile proveniat: Nam sic ait, *Et quandoque accidit ex bile dominante grossa*; ergo semper provenit ab humore balneum fugiente, præcipuè quando virium est deffectus.

Objicies. Talis febris ab Avicenna curatur *cap.* 58. *cit.* per frictiones humores ad extrà moventes, ut voluit Galen. 12. *meth. cap.* 13. sed balneum etiam movet ad extrà; ergo utile debet judicari in tali febre.

Respondetur, quòd licèt balneum ad extrà movere habeat, non ità ut frictio, scilicet non ità securè: nam balneum movet & liquat ea quæ dum non possunt pro resolutione disponi, quia ex materia cruda non valet balneum resolutionem facere, pro fluxione in aliquam partem disponuntur, quæ fluxio timenda valde est, cùm cor patiatur & consentiat maximè in tali febre, ideò syncopalis est; frictio verò etsi non ità vehementer trahat, non liquat, conducit solùm ut id quod pro motu & resolutione est aptum moveatur ad extrà & resolvatur, quod sine alteratione & sine evacuatione universalis materiæ est, ac per consequens sine periculo quod imminet in balneo: ideò Galen. & Avicenn. *loco cit.* somno & frictione semper esse tractandos docuerunt, ut somnus coquat, & frictio cum vigilia ad resolutionem cocti conducat.

Ex dictis patet cruditatem ventriculi duplici ratione balneum prohibere, & ut horrorem valet causare, & ut timeri debet obstructio, materiâ ante coctionem ad partes externas commotâ & attractâ, ut 10. *meth. cap.* 10. & 11. *meth. cap.* 9. docuit ex professo Galenus; & sic toties à cibo balneum prohibet cum Hippocr. 3. *acut. text.* 53. Galenus *in comment.* & *lib. de salubr. diat. comm.* 13. quos sequitur Avicenn. *fen* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *cap.* 19. Difficultas tamen est quomodò hæc bene se habeant, cum his quæ docet Philosophus 4. *meteor. cap.* 2. ubi inquit. *Statim enim ac aliquid coctum est, perfectum est factum, & principium tamen perfectionis à proprio calore contingit, etiamsi auxilio eorum quæ extrà sunt compleatur, ut cibus per balneas.* Ergo balneum post cibum utile erit ad ipsius coctionem, ac per consequens non semper nocivum erit, imò pluries conveniens, cùm ad ciborum coctionem faciat. Quod etiam constat ex Galeno *lib. de melanch. in medio. Nam balnea benè coquenti non admodum sunt necessaria, ni lassitudo inveniatur*: ergo non bene coquenti necessaria sunt, ac per consequens à cibo utilia.

Respondetur balneum ut quodlibet medicamentum calidum, calorem nostrum posse augere, & consequenter ad coctionem alimentorum facere, ut Philosophus ait, cum quo bene stat post cibum balneum nocivum esse; nam licèt prout auget calorem utile sit, cùm ante coctionem distributionem cibi faciat, plura potest causare incommoda; ideò à cibo ipsum prohibent Autores; & eo utitur Galenus *comm.* 13. *de salubri diat.* ut moveatur alimentum ad partes externas, ubique coquatur. Sic ait. *At verò balneum corpus calefaciendo, maximè foris ad digestionem refert, & digestorum appositionem.* Quasi diceret, calefaciendo foris facit ad digestionem illorum quæ ibi sunt, & conversionem. Clariùs tamen hoc scripsit Galen. *lib. de melanch. prope fin.* sic. *Qui ventriculum habent ad coquendum non idoneum, hæic frequenter balneis uti prodest, vel jejuno, vel peractâ jam concoctione.* Quasi diceret, cùm ventriculus calore balnei eget, ministrandum est balneum, cùm cibus in ipso non reperiatur, ut tunc calor balnei sine attractione aut distributione, alimenti accipiet tempus.

Sed dices: Hippocr. 2. *de diat. post medium*, sic ait. *Calida autem balnea jejunum attenuant & frigefaciunt*: ergo non est utile balneum corpori jejuno, dum ventriculus calore roborante eget. Quod etiam videtur docere Avic. *fen* 2. *lib.* 1. *c.* 19. in quo ait. *Et cùm balneum ingrediuntur jejuni, vehementer exiccat & debilitat*: ergo non roborat ventriculum in tali casu, ac per consequens aut numquam est utile balneum pro ventriculo debili ad juvandam coctionem, aut post cibum est ministrandum.

Respondetur dubitari non posse balneum post cibos incommoda dicta facere; sic post cibum neutiquam convenire docet Hippocrates: siquidem deterius est obstructiones balneo fieri in hepare & renibus, quàm ventriculum sua debilitate relinquere, & sic roboratio est facienda balneo ministrato, dum cibo privatus est ventriculus, juxta doctrinam Galeni *lib. de affect. renum cap.* 7.

Nec ex quolibet balneo in corpore jejuno sequitur frigefactio & debilitatio assignatæ ab Hippoc. sed ex immodico; modicum tamen balneum potiùs sine damno calefacit; ideò dixit Galenus balneis frequenter uti prodest, ut calefactio per repetitionem comparetur sine debilitate, quæ ex mora in balneo poterat consequi. Quod explicuit Avic. *fen* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. per hæc verba. *Qui impinguari desiderat, balneum post comestionem ingrediatur, si securus fuerit, ne oppilationes accidant: qui autem vult resolutionem, & macrefieri, balneandus est, dum famelicus est, & ibi multùm moretur: sed qui sanitatem vult conservare, balneum ingredi debet postquam est digestum, quod est in stomacho & in hepate.* Constat ergo balneum modicum quale debet esse illorum qui tuentur sanitatem, ventriculo vacuo esse ministrandum, & tale non debilitare, & sic quando Hipp. debilitate

&

& refrigerare scripsit, de immodico intelligendum, ut Avicenn. loquitur.

QUÆSTIO IX.

Utrum Balneum in morbis ministrari possit.

DE impedimentis propriis & communibus balnei dictum est, nunc restat de aliquibus accidentibus quæ non communiter accidunt agere; quomodò se habeant circa balnei exhibitionem, à morbis capitis incipiendo. Circa quod pluries dictum est à nobis, agere de balneo communi totius corporis, ex eo quod de particulari balneo tractare, praxim attingat: & non dubitamus caput juxta affectûs necessitatem lavari, ut Galenus 4. *acut. comment.* 42. ait. *Sanè capitis solius, quovis aliter modo habentis, caliditatem balneum juvabit.* quo modo Practici omnes embrocationes diversas pro capite conficiunt, jam frigidas virtute aut actu. De balneo igitur agit præsens dubium.

Notum est imprimis morbos capitis esse & dolorem, sive partis, sive totius affectiones soporosas & desipientias, & alias quæ harum aut illarum naturam sapiunt, quatenùs læsionem ex sensibus internis supponunt, aliàs morbus non esset, ut vertigo; aut in aliqua potentia ex eis quæ in capite resident, ut dum visûs, gustûs, sensûs aut motûs actio mutatur, tum pati etiam caput dicimus, quatenùs potentia quæ in capite residet afficitur: at cùm caput qualibet intemperie mutari possit, cum humore, aut sine ipso; ergo debet esse de balneo totius & commune, quod etiam pro capite faciat: namsi solùm caput afficiatur, totum balneari præter rationem erit; ideò propriè locum habet dubitatio cùm à toto affectus capitis pendet, an balneum sit ministrandum solùm ratione affectûs partis capitis: nam si ratione alicujus conjuncti, aut alicujus etiam inclusi balneum fugiendum sit, ex alio constabit principio; ut si cum affectu capitis febris accidat putrida, aut quia casualiter accidat, ut in vertigine, aut quia eam affectus petat, ut in lethargo, ex dictis constabit solutio; dubium tamen præcisè ex ratione affectûs capitis examinatur.

Pars negativa ex dictis apparet vera: namsi balneum fugiendum esse docet Galenus dum aliqua pars debilis est, 11. *meth. cap.* 10. dum caput afficitur, ipsum debile esse constat; non ergo utile esse potest balneum in capitis affectibus. Ostendit hoc placitum Galenus etiam 2. *de composit. medic. secund. loc. cap.* 1. in quo vinum, solem, & balneum prohibet in ardore capitis. Et 4. *acut. comment.* 42. *Verùm cùm spiritus calidus flatuosusque ob humorum pravitatem ad caput fertur, lavare hos non confert.* Ex mente ergo Galeni in affectibus capitis non est ministrandum balneum. Cujus ratio est manifesta: nam balneum attenuare, agitare & commovere humores habet, ut Galenus 2. *de caus. sympt.* scribit; sed agitatione facta non possunt humores recurrere ad caput: ergo balneum non erit utile in affectibus ejus: quod præcipuè in affectibus soporosis apparet certum; siquidem cùm ferè semper à materia procedant crassa & frigida, pro resolutione non valet balneum, sed potiùs pro agitatione, & attenuatione, à quibus non potest non sequi fluxio major in caput.

Nihilominùs verum judico balneum in affectibus corporis utile esse debere ministrari; corpore evacuato juxta necessitatem affectûs. Dixi juxta necessitatem affectûs, quia ubi intemperies sicca capitis dolorem facit, propter humectationem juvat balneum; quatenùs in corpore pleno plus poterit elevare humectans, quàm in vacuo; & quatenùs qualitas balnei debet esse contraria, juxta necessitatem affectûs; humida pro sicca intemperie, & sicca pro humida, & sic de cæteris. Hanc sententiam docet Hippocrates 6. *aphor. sex.* 31. ubi sic ait. *Dolores oculorum meri potio, aut balneum solvit.* Ergo utile erit capiti patienti balneum, cùm valet pro humorum resolutione & coctione. Quod etiam *in comment.* docet Galenus & 6. *de sanit. tuen.* sic ait. *Expedit his frequenti balneo aqua potabilis fervere, quo & calidos vapores, qui in corpore sunt, evocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus.* Et licèt verba hæc de balneo partis possint intelligi, non tamen ità *in comm.* 6. *aphor.* siquidem balneum totius debet esse, ut humores acres ad oculos ascendentes retraherentur & evacuarentur, non ex solo capite, quia potiùs ejusdem partis balneum noceret, etsi corpus evacuatum inveniretur. Propter quod balneum prohibet 4. *acut.* ob spiritum calidum ascendentem ad caput, non ità esset prohibendum balneum totius, corpore evacuato, ut videre est 6. *aphoris.* Quo modo Andreas Bazius 6. *de Therm. cap.* 23. utile judicat balneum in dolore capitis, in phrenitide, lethargo, vertigine, epilepsia, mania, apoplexia, paralysi, convulsione, sive ex inanitione, sive ex repletione procedat, & tandem in qualibet capitis affectione; quatenùs aut pro resolutione humoris conducit, aut pro attemperatione intemperiei morbum facientis in declinatione, constantibus viribus.

Eo modo ac de morbis capitis dictum habemus, de morbis aliarum partium philosophandum est. Sic ad morbos pectoris, 7. *de composit. medic. secund. loc. cap.* 2. balneum commendat Galenus, qui sic ait. *Cæterùm communis materia auxiliorum ad vocis organa est, quæ ex balneis contingit.* Cujus ratio manifesta invenitur: nam thorax & pectus humiditatem admodum desiderant; quam valet communicare balneum aquæ dulcis: propter quod ad tales partes balnea medicinalia prohibet *loc. cit.* Quam doctrinam docuit Hippocr. 3. *acut. text.* 60. per hæc verba. *Peripneumonia magis quàm ardoribus auxiliatur lavacrum: namque lateris, pectoris, & dorsi dolorem mitigat, sputum maturat & educit, spiritum facilem reddit, fatigationem lenit, articulos & ambientem cutim emollit, urinam ciet, capitis gravitatem solvit, nares humectat.* Quibus verbis non solùm docet morbis pectoris conferre, verùm & rationem reddit ex effectibus quos habet balneum facere; siquidem calore & humiditate ad omnia dicta conducit, & sic de morbis pectoris, ut de morbis capitis loquitur, & corpore evacuato, morbo jam declinante est intelligendum, ne aliter major ad partem affectam fluxio concitetur.

Inter reliquas balnei utilitates, urinam ciere docuit Hippocr. cum quo consentit Galenus 11. *meth. cap.* 9. & 10. docens commune balneum evaporationes per alvum, & urinam, & sudorem sine calefactione movere: quod est intelligendum

facere

facere quatenùs vias laxare habet, pro resolutionéque à natura facienda conducit: Quo modo etiam in dolore renum à calculo, vel humore, utile est, menses movet, partum facilem reddit, & ad mortuum fœtum ejiciendum conducit: Et ut Aëtio placet, etiam in articularibus doloribus in declinatione confert. Dum verò Galenus 11. *meth. cap.* 20. fluxionem concitari docet, in corpore non evacuato, est intelligendum; etsi in prædictis affectibus balnea medicinalia utilia sint tanquam resolventia & roborantia articulos; habet enim balneum commune calefacere, humectare & laxare, & sic licèt ad resolutionem faciat, & hoc modo dolorem tollat, ad roborationem minimè conducit, nî forsan ratione intemperiei cottectæ pars roboretur.

Circa ea quæ immediatè posita sunt difficilis apparet controversia inter Hippocratem, Galenum, & reliquos Autores. Nam Hippocrates 3. *acutor. text.* 61. ait. *Quibus alvus est in morbis plus æquo humida, iis balneum minimè opportunum est, neque iis quibus plus justo sistitur, neque priùs soluta est. Sed neque eos qui viribus sunt exolutis lavare oportet, neque stomachi fastidio laborantes, neque vomiturientes, neque biliosum eructantes, neque quibus sanguis ex naribus profluit, nisi parciùs quàm occasio postulet effluat.* Quibus verbis ostendit alvo fluente & strictâ balneum non esse exhibendum: quod non potest verum tenere: nam si balneum ventrem movet, ut Galenus 11. *meth.* alvo strictâ ipsum ministrare erit conveniens; si verò adstringit, ministrandum erit alvo solutâ. Nec satisfacit, ratione vitium ipsum prohiberi alvo solutâ; nam tanquam prohibeos distinctum immediatè inquit noo convenire quibus imbecilles sunt vires: non ergo ratione virium balneum prohibet, alvo fluente, aut strictâ.

Prætereà quia Galenus docet *in comment.* balneum fluxum ventris cohibere: sed alvo fluente utilis est prohibitio, ergo & balneum. Constat antecedens per hæc verba. *Quibus complura per ventrem subducuntur, his balneum sistit.* Et 1. *ad Glauc. cap.* 14. ait. *Balnea verò in fluxionibus ad ventrem aptissima sunt:* malè ergo alvo fluente balneum prohibet Hippoc. cùm talem fluxionem cohibere utile sit. Idem docet 4. *aphoris. comm.* 5. per hæc verba. *Sicut enim balnea calida natura apta sunt obsistere purgationibus; sic & calor æstatis.* Ergo balneum alvo fluente ntiie erit. Quod placitum ut certum tenet Mercatus *lib. de rect. præsid. usu.*

Tertiò balneum humectare habet: sed alvo adstrictâ utilis est humectatio, ergo & balneum. Quod videtur docuisse Hippocrates 6. *epidem. part.* 7. *text.* 29. ubi sic ait. *Veratrum epotum si celeriùs purgare vis, lavare oportet.* Ergo ventrem movet balneum, ac per consequens utile erit alvo adstrictâ.

Quartò: Nam balneum habet movere humores a centro ad circumferentiam, ut Galen. 4. *de sanit. tuen. cap.* 6. docet. Quâ ratione ad cohibendum fluxum ventris utile judicatur: sed humores movere à centro ad circumferentiam est utile, ubi cibi fastidium est, aut vomitus: ergo utile debet judicari balneum in dictis affectionibus. Minor probatur: nam tales affectiones causantur ab humore in ventriculo existente, quod est in centro: sed per motum ad extra separantur apertè affectiones: ergo talis motus utilis erit in his & in aliis qui biliosa eructant; tum quia corrigit per contrarias qualitates balneum; tum quia ad l... lis evacuationem facit, ut Galen. 1. *ad Glauc. c.* 9. & Avicenn. *fen* 3. *lib.* 1. *doctr.* 2. *c.* 5. docuerunt.

Musa *supra* 3. *acut.* balneum prohibendum esse in casibus dictis voluit: nam quia verum non esset fluxum ventris prohiberi rettactione à centro ad circumferentiam factâ; sed quia cùm loquatur Hippocrates de balneo morborum acutorum, in illis dictis accidentibus balneum non convenit, ne materia fluens aut retenta, seu vapores ejus ad totum trahatur de ventre ipso, deterioremque faciant morbum, & sic licet utile sit balneum ad medicationem dictorum accidentium, non est exhibendum, ne majus malum eveniat, morbo acuto aucto per motum humorum ad circumferentiam, seu ad venas corporis: cùm etiam voluit balneum non solùm prohiberi in casibus dictis, sed ubi magna est obstructio: siquidem avocatione humorum obstructionem augeri apparet necessum, & ut fit quando alimento accepto balneum ministratur, ut Galenus *in comment.* 13. *de sanit. tuend.* & Avicenn. *cap.* 19. *fen* 10. *lib.* 1. scripserunt.

Vallesius *supra eundem* 3. *acut.* licèt verum fateatur balneum à centro ad circumferentiam movere, negat tamen ob hanc rationem prohiberi ab Hippocr. alvo fluente: nam potiùs utile foret ad alvum sistendam; sed quia humore vitioso commoto ad circumferentiam corporis, corpus vitiatur sine incommodo aut utilitate: quod ostendit, quia si corpus abundat humoribus plus quàm balneum resolvere & revellere habeat, potiùs liquabit eos, & ad motum reddet aptiores, ut dictum est, corpore existente pleno, & vias humectatione laxas faciet; & sic tantùm abest ut prosit, quin potiùs morbum & fluxionem augeat: si verò quantitas parva est & proportionata pro attractione facienda ad extra per balneum, totum corpus humore vitioso, & ad venas attracto, vitiabitur sine necessitate: siquidem cum portio quæ movetur parva sit, ex propria natura evanescet, & poterit aliis medicinis sine inconvenienti corrigi.

Pro solutione dubiorum advertendum est Primò, fluxum ventris, seu accidentia dicta vomitûs & nauseæ, caosari aut propter irritationem humoris, aut propter debilitatem ipsius ventriculi & intestinorum; utroque enim modo superfluum fuit, ut 3. *de simplic. medic. facult. cap. ultim.* docet Galen. & sic juxta diversitatem causarum horum accidentium loquendum est, dum de convenientia, aut disconvenientia balnei egimus.

Secundò advertendum est, quod dum quærimus an alvi facilitas, vel difficultas balneum prohibeat, aut secùs, intelligendum est de eo quod ratione illius affectûs est faciendum, non de eo quod ratione alicujus inconvenienti potest evenire, & loquendum est secluso aliquo impedimento, propter quod sit operandum: nam si aliud inveniatur impediens, jam non ratione affectûs de quo loquitur, erit operari, vel non operari.

Tertiò advertendum est, quòd dum accidens de quo loquimur invenitur, etsi cum alio morbo & accidenti, dum de ipso dubitamus, an balneum conveniat, vel secùs, intelligendum est ità esse ad ipsum accidens attendendum, ut alterius indicatio sit posthabenda, aliàs ratione illius non erit balnei ministratio, aut prohibitio. Et sic dum dicimus an alvus fluida in morbo acuto balneum prohibeat, sumenda est indica[illegible]o ab eo quod

babet

habet facere balneum respectu illius accidentis, & secundum id quod facit, dicendum est convenire, vel secùs: nam si ratione morbi acuti, prohibeatur, vel nō prohibeatur, nō erit ratione facilitatis, aut difficultatis ventris; an verò ratione morbi acuti, aut indicatione ventris debeat Medicus operari, pertinet ad medendi methodum dum indicationes oppositæ compleantur, quod non est hujus loci: sufficit tamen scire operandum esse pro urgentiori; in præsenti tamen solùm est dicendum an alvus soluta balneum impediat.

His positis, nobis dicendum videtur, alvo fluente, corpore non existente pleno, balneum convenire, dum fluxum sistere conatur, ut ostendunt ea quæ posita sunt; est tamen distinctione operandum, ità ut cùm fluxus à mordacitate, acrimonia, vel irritatione humoris procedit, balneum utilissimum sit, quatenùs propriis qualitatibus aliquo modo attemperat, & corrigit humorum mordacitatem humore dictante, sic moderato calore: Et ex alia parte commotione factâ ad extrà, contrarius inducitur motus; ideò judicat habere locum Galenus *5. de sanit. tuen. cap.* 12. dum calor est mordax, & fumida generat excrementa; præcipuè cùm in tali casu suspecta debeat esse intemperies calida partis attemperatione egens: Dum verò ex debilitatione ventriculi fluxus excitatur, etsi humor fluens retractionem ad extra petat, cum attentione est procedendum, ne balnei humiditas pro majori partium laxitate faciat, & consequenter pro fluxione majori; & sic in tali casu balneum aliquantulum calidum debet esse, ut vehementiùs trahat, & minùs humectet, habet enim calidior aqua exiccare; erit tamen utilius balneum medicinale ex aquis scilicet exiccantibus, quale est balneum metallorum & mineralium, præcipuè æris.

Solùm restat, quomodò Hippocrates balneum dictis in casibus prohibeat: Ad quod respondetur Hippocratem non significare quid esset faciendum ratione fluxûs, & reliquorum accidentium ventriculi: sed quid esset faciendum ratione morbi acuti dum talia accidentia sunt, & ratione ejus. Docet Hippocrates non esse ministrandum alvo fluente, quia periculosum valde est in morbo acuto humorem pravum ad corporis circumferentiam trahere, etsi fluxus tollatur. Quod est dicere tanti habendam esse indicationem morbi, ut quamvis utile sit alvum supprimere balneo ob majus periculum quod ex augmento morbi acuti timetur, humore ad circumferentiam attracto, alvus non sit supprimenda per balneum, sed indicationem symptomatis postbabendam esse respectu indicationis morbi: quod idem dicendum significat, etsi alvus adstricta sit ob retractionem humorum, & excrementorum retentorum ad venas, & dum ventriculus fastidiosus est, aut dum vomere, seu eructare affectat, causâ talium accidentium ad venas attractâ; hoc tamen non est docere, quod alvi fluxus, & dicta accidentia indicent ex se quid sit faciendum dum eorum prævalet indicatio cæteris; quod etiam in morbo acuto est possibile, saltem ratione virium. Ad quod respondendum est juxta id quod petunt & indicant dicta accidentia, quo casu dicimus balneum esse ministrandum tanquam remedium, dicta accidentia corrigens.

Ex his quæ posita sunt tertium dubium solutione eget: ad quod respondetur, quod licèt ratione humectationis balneum ad ventris duritiem & siccitatem corrigendàm faciat, & hoc modo etiam alvum movet, juxta id quod Galenus 11. *meth. cap.* 10. alvo fluente potiùs ad ipsius suppressionem conducet modo dicto: ideò Galenus super illa verba Hippocr. *Veratrum epotum si celerius purgare vis, lavare oportet*, sic ait. *Itaque veratro utentes lavare conducit, maximè ante purgationem: quòd si purgatione incipiente, aut mox inceptura hominem laves, humorum à purgante medicina tractorum ad interiora inclinationem retrahes ac retardabis.* Quibus verbis docet balneum ventrem supprimere, dum medicamento assumpto ministratur, retractione factâ; conducere tamen ad purgationem dum ante medicamentum ministratur, & hoc Hippocr. dicere. Quod intelligendum est quatenùs vias laxas, & humores fluxioni reddit aptos per humiditatem. Quod immediatè docuit *in ipso comment.* per hæc verba. *His qui purgandi sunt balneo priùs uti præcipit, quòd celerius & minus molestè purgatio fiat; satius autem fuerit, non eo duntaxat quo medicinam assumit die lavare hominem, sed etiam superioribus, quibus ad purgationem semper parabat.* Docuerat etiam supra hoc facere balneum, quatenùs laxare valet quæ densa aut concreta sunt, juxta illa verba Hippocr. 2. *aphor. text* 9. *Corpora dum quis purgare voluerit, oportet fluida facere.* Ergo prout retrahit balneum, ventris fluxus prohibet; juvat verò prout laxat. Quo modo judicandum est movere omnes evacuationes, ut voluit Galenus 11. *meth.* ideò dicimus, attendendum est dum balneo ad supprimendum ventrem utimur, ne forsan ipsum humiditate laxemus & debilitemus.

Musa noluit esse ministrandum balneum in morbo acuto cum prædictis accidentibus ob majus malum quod causatur retractione factâ, non tamen respondet quid indicent accidentia ipsa ex se: Et cùm negari non possit, saltem ratione virium posse urgere magis talium accidentium indicationem, quàm morbi acuti, quia per ea poterunt labefactari vires, ità ut curatio morbi confici non possit, non docet quid faciendum: Nos autem dicimus balneum indicare accidentia illa ex se, quatenùs ipso corriguntur, ità ut quoties eorum indicatione operandum sit, aut quia sola existant, aut quia eorum prævaleat indicatio, balneum sit ministrandum, quod docent ea quæ ex Gal. sunt posita: Hippocrates verò solùm docet id quod ratione morbi acuti est faciendum, ratione cujus rectè docet balneum non esse ministrandum, quoties talia sunt accidentia.

Aliud quod de obstructione dicit, falsum apparet: nam Hippocrat. urinam movere docet, quod non esset verum si balneum obstructiones augeret; & Galenus ad tollendas obstructiones & humores obstruentes evacuandos balneis utitur 11. *meth. cap.* 10. Quod debet intelligi multitudine depositâ, & ventriculo vacuo; nam post cibum obstructiones facere certum est, ut corpore pleno.

Vallesius etsi rectè doceat corpore pleno non esse ministrandum balneum ob rationem ab ipso adductam; ministrandum tamen est corpore pleno non existente, quia etsi portio quæ relinquitur non sit in magna quantitate, poterit continuatâ fluxione naturam debilitari, ità ut posteà fluat, quod non erat ferendum ratione laxitatis & debilitatis partis, ratione cujus fluxus ventris in tempus longum perdurat, ex eo quod ferè semper incipiente fluxione ab irritatione humo-

ris

ris posteà debilitatâ parte, aut per fluxum continuatum, aut usu medicamentorum humidorum ad prohibendam mordacitatem irritantem fluxio continuatur, & pluries difficilè corrigitur, quia forsan mutatio causæ fluxionis non dignoscitur: erit ergo utile balneum ad retractionem materiæ ad partes externas cum attentione, ad roborandum ventrem, quando laxitas timetur, & ne multitudo materiæ pro majori fluxione faciat: utile est non statim ac fluxio incipit ministrare balneum; sed postquam evacuationes aliquæ præcessère, quæ ad deponendam multitudinem sufficiant, quod sine magna cura contingit, quia non statim ac alvus solvitur, Medicis æger committitur.

Dices: Si balneum evacuare habet unum humorem, & fluxio ab illo excitetur, non erit remedium balneum; necessum ergo est scire quem humorem balneum evacuare habeat, & quam suppleat evacuationem.

Respondetur balneum totum corpus evacuare æqualiter, & sanguinis missionem consequenter supplere, etsi specialiter habeat humores calidos attemperare. Quod docuit 11. *meth. cap.* 10. per hæc verba. *Quippe balneum tum totum corpus evacuat, tum, quod fumidum est ac fuliginosum, digerit.* Ideò omnes evacuationes movere absolutè docuit *cap.* 9. *&* 10. *&* 2. *aphoris. comment.* 17. sic clariùs. *Evacuatio autem omnium humorum æqualiter fit per sanguinis missionem: proxima autem huic est, quæ per malleolorum scarificationem, & quæ per exercitia, vel frictiones, vel balnea, & præterea ex accidenti quæ per inediam.* Idem 4. *aphoris. comm.* 2. Propter quod etiam ad deponendam plenitudinem aliquo dictorum utitur 13. *meth. cap.* 6. dum febris non est; dum verò febris adest, sanguinis missione, quia magis pertimescendum est malum quod ex balneo evenire potest, febre existente, quàm aliter.

Contra hoc videtur scripsisse Avicenn. *fen* 2. *lib.* 1. *doctr.* 2. *capite* 20. in quo sic ait. *Et namque cum accidit balneo ut membrorum substantias exsiccet, propterea quod vehementer humores resolvit naturales, licèt extraneos augeat humores.* Quibus docet non æqualiter omnes evacuare, sed naturales tantùm, extraneos verò augere. Circa quod Iacobus *in comment.* per bonos humores sanguinem ad nutritionem deservientem intelligit, ipsúmque resolvi voluit; per malos verò humores intelligit, bilem & melancholiam, quos augeri dixit, quatenùs calore attenuato & calefacto sanguine, bilis redundat, seu ejus accidentia apparent, & resoluto tenui, terrestre resultat, quod melancholia est. Attamen talis solutio est præter rem: nam licèt videatur docere solum sanguinem esse partium alimentum quod resolvi voluit, & sic corpus exiccari: non docet cur bilis ante sanguinem agente calore non resolvatur, & licèt tardiùs melancholia ac pituita quoque, ac per consequens tota massa sanguinaria. Meliùs tamen dicendum videtur omnes quatuor humores æqualiter resolvi juxta capacitatem cujuslibet; & hoc velle Avicennam, dum dicit resolvi humores naturales: nam omnes quatuor naturales sunt ex consensu omnium, quidquid sit de alimento partium: Dixit verò extraneos augeri per balneum, quatenùs ipsum excedens non potest non conducere ad generationem plurium excrementorum, partes distemperando. Ideò Galenus 1. *de febrib. cap.* 3. balnea superflua causare febrem docuit, ut in Avicen. etiam videtur *lib.* 1. *fen* 3. *c.* 5. propter quod *part.* 2. *de natura humana comm.* 1. *&* 2. Gal. balneum causam esse plurium morborum scripsit. Et hæc de Balneis dicta sunto.



TRACTATUS

TRACTATUS DE PROGNOSTICIS, ET DE ARTE PRÆNOSCENDI.

QVÆSTIO I.

Quid sit Prognosticum, & circa quos morbos habeat locum.



IPPOCRATES juxta diversas translationes prognostirorum lib. prænotio, præsensio, vel providentia interpretatur; siquidem his diversis nominibus utitur Gal. *in comment. præfationis*, in quo providentiæ nomen explicans non pro diversis acceptionibus quibus potest accipi intelligendum esse docet, sed prout idem significat ac prævisio, idest, visio rei antequam fiat; quod ex eo est, quia cum providentia operari, cum attentione operari significat: quâ ratione providentiâ gubernare, rectè, & attentè gubernare est. Et cùm ad cognitionem rerum quæ non videntur hoc sit necessarium, ideò providentia idem est ac prævisio, & consequenter idem est ac visio, seu cognitio rei antequàm fiat. Sic Galen. *Mihi verò videtur non simpliciter, sed à communi significatione quod non videantur quadam antequam fiant prævidere, & idem providentia vocabulum factum est, & ab ipsa ea præsentire, & item præsensio.*

At cùm Hippocr. non solùm prædicere dicat præcognoscere ea, quæ facta non sunt, sed etiam ea quæ fiunt, & præterita non videntur, rectè prognosticum esse definitum per cognitionem rerum antequam fiant, non apparet. Sic ergo definiendum est præsagium. *Est rei ex ratiocinatione cognitio antequam intueatur.* Quam definitionem dedit *in comment.* Galenus per hæc verba. *Quocirca quidquid natura sensili ratiocinatione pervestigamus antequam intueamur, prævidere hoc meritò dicimus, indicantes verbo, ut talia videamus antequam fiant.* Quasi diceret: dignotio rei antequam intueatur, vel antequam per aliquem sensum percipiatur, prædictio est. quod significat verbo illo, videri antequam fiat: nam idem est cognosci antequàm sensibus offeratur, ac videri antequàm fiat, quæ defacto non solùm ad cognitionem futurorum significandam se habent, verùm, & præteritorum, & præsentium cognitionem non perceptorum se extendit, juxta Hippocrat. dicentem, *Si enim apud ægros præterita, præsentia, & futura, atque ea, quæ ipsi inter narrandum omiserunt, noveris, prædixerisque, res utique ægrotantium magis agnoscere credetur.* quibus verbis docet omnium quæ non percipiuntur per aliquem sensum cognitionem prædictionem dici, & adhuc magis in his, quæ præfuerunt, vel omittuntur, prædictio elucet: quia cùm cognoscat æger ea quæ fuerunt percaluisse Medicum, & morbum cognoscere non dubitat; non tamen ità se habet circa futura, quia etsi verum proferat, non constat ità esse.

Si quætas, quomodò, quæ non percipiuntur per sensus, cognoscantur? siquidem nil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensibus.

Respondetur, prænotionem non fieri sine perceptione alicujus, id quod prænoscimus significantis, signorum scilicet, quæ ex Gal. *cap.* 8. de historia Philosophi in cognionem rei nos ducunt; habent enim præter speciem sui quam ingerunt sensibus, aliquid aliud significare ex Philosopho *de interp. c.* 1. sic ipsis cognitis in alterius devenimus cognitionem, vel naturaliter, vel ad placitum id habeant. In morbis autem signa naturalia sunt quæ id quod dignoscere intendimus demonstrare habent, licèt sit morbi essentia, vel magnitudo, vel mors, vel tempora, vel terminatio, vel causa, vel ejus coctio, & cruditas; talia sunt accidentia aliqua morbi: ideò Galen. dixit Hippocr. agere de signis. Sic ait, *In prognostico verò, quanam signorum per quæ præcognitiones fiunt facultas sit, declarandum est*, nemo enim dubitat hæc accidentia symptomata esse, verùm & morbus ipse ad prognosticum conducit juxta Hippocrat. 1. *aphor. text.* 12. dicentem, *Accessiones & constitutiones morbi indicabunt anni tempora, & per circuitus successiva incrementa, & ex his quæ mox apparent indicia sumuntur, &c. & 1. epid. p. 3. text. 1. morbos dignoscimus ex communi omnium natura, & cujusque propria edocti*, post quæ plura accidentia adduxit, quæ signa sunt ad prognosticum facientia, propter quod ait Galenus *in comment. sunt hæc sanè prognostica Theoremata.*

Cùm ergo status corporis humani ex actionibus, facultate præcipuè patescat: Siquidem in tantùm saluris est, in quantùm ad rectè earum operari conducit, & è contrà ad cujus cognitionem alia symptomata conducere notum est ex Galeno, ex actionibus ipsis præcipuè, necnon ex symptomatibus ipsis morborum natura est indaganda, magnitudo, mos, & reliquæ differentiæ juxta ipsorum symptomatum differentiam quoque: docuit enim Hippocr. 1. *aphor. text.* 7. *Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores: & statim tenuissimo victu utendum est: ubi verò non: tantùm cibi indulgendum, quantum morbus extremis est mollior.* Ergo ex accidentibus ipsis juxta eorum diversitatem, morborum diversitas est indaganda, pro victûs ratione instituenda. Quod deducitur faciliter si naturale esse & operari partium viventis & facultatem ejus cognoscamus; cùm ex mensura à naturalium recessu morbi intensio sit indaganda, ut Hippocr. *ex communi omnium natura. & cujusque edocti propria*; necnon etiam, *ut in ipso textu docet*, ex mor-

bo, ex ægro, & ex offerente, atque accidentia diversa adducuntur ad præsagium sumendum, ut *in comment.* Galen.

Unum tamen speciale docet Hippocr. scilicet doctrinam horum lib. circa morbos acutos esse ex eo quod præcipuè ars præsagiendi in ipsis locum habet; ait *text.* 1. *Considerare autem oportet hoc per morbos acutos*. Et 3. *prog. text.* 36. sic. *Hæc autem dico de morbis acutis, & his, quæ fiunt ex ipsis*. Vti per acutos non solùm verè tales, sed qui ex decidentia fiunt debent intelligi, cùm dicat, *& his, qui fiunt ex ipsis*, & consequenter de aliquibus affectibus agit, saltem ex decidentia talibus, ut *lib.* 2. *cap.* 5. docet Galenus, egit tamen præcipuè de acutis, quod ex bis quæ de aliis dicenda sunt, constabit, & quia in acutis faciliùs præcognoscendi accidentia inveniuntur quàm in longis, ut 2. *prog. text.* 7. Hippocr. ait, *Morbos qui longiori spatio finiri debent ab initio perquam difficile discernere, quòd dissimillima sint eorum principia*. Et infrà: *Morbi autem tempore brevi, finem attingentes, faciliùs dignoscuntur*, utpote qui protinùs ab initio maximis distinguntur differentiis, idque Galenus 3. *de Cris. cap.* 1. *&* 3. docet, crises solùm in morbis acutis reperiri, alios verò morbos non tam crisi quàm solutione terminari. At cùm ars præsagiendi requiratur, præcipuè ad subitas mutationes prævidendas, in morbis acutis locum habet, præcipuè sunt illæ, quæ majori consideratione egent ad operandum, & in ordine, ad quas virtus vel facultas est perspicienda tamquàm quid non minimum terrorem inducens si absque prævisione accidat, ut *cap.* 2. *lib. de Cris.* docet Galenus.

Objicies Hippocr. 2. *aphor. text.* 19. dicentem, *Acutorum morborum non sunt omninò certæ prænunciationes salutis, vel mortis*, ergo ars prædicendi non habet proprium locum in eis. Patet: nam ars prædicendi talis debet esse quòd rarò fallat, ut Galenus in longa præfatione prognosticorum dicit. *Fidi Medici interest vestigare, quo pacto quispiam in ægris prædicendo ventura magna ex parte verus sit, rarè falsus*. Sed ubi incertæ sunt prænuntiationes salutis, vel mortis, timendum est magna ex parte falli, ergo non est in eis ars prædicendi propria. Vallès. 10. *acut.* 610. ut dubium solvat, prænoscendi tempus considerat, vel antequam signa coctionis appareant, vel post ipsam, & ait 2. *aphor.* loqui Hippocr. de quolibet tempore prænoscendi in morbis acutis, dummodò signa perfectæ coctionis non sint, nam semper verum est, non omninò certas esse prænunciationes in eis, nã materiâ perfectè coctâ existente; nam tunc certam esse salutem in quolibet morbo longo, vel acuto non potest negari, ut Galenus 1. *aphor. text.* 12. sic, *Memoriâ tenendum coctionis signa semper bona esse*, & 1. *de cris.* sic. *Coctiones celeritatem crisis, & securitatem ostendunt*: at verò cùm 3. *progn.* ait Hippocr. morbos breves faciliùs quàm longos discerni, & ad prognosticum facere, intelligendum esse voluit Vallès. antequàm signa coctionis appareant, nam tunc accidentia aliqua inveniuntur conspicua in morbis acutis, secùs autem in longis; & sic ad discernendũ facilior est in ipsis dispositio & magis ad præsagium, quidquid sit de securitate prognostici; dum verò signa coctionis sunt, æqualis est facilitas in omni morbo ad præsagium, quod æqualia signa reperiuntur coctionis.

Hæc tamen solutio non facit satis: Nam licèt verum sit manifesta, & distincta magis inveniri signa in morborum acutorum principio quàm chronicorum, & sic faciliùs fieri præsagium in illis, ut Hippocr. ex hoc non deducitur hoc esse verum solùm ante signa coctionis, est enim semper verum: nam sicut accidentia morbum sequentia, ante coctionem sunt distincta magis in acutis, vel ratione ipsius materiæ, vel ipsius naturæ morbi, propter quod celeriùs movetur, idem debet evenire materiâ coctâ manifestè, vel perfectè, comparatione factâ ad morbos longos: sed ante coctionem fit prænotio faciliùs in acutis ob destinationem accidentium, ergo & post coctionem. Major patet: nam una est materia ante coctionem & post ipsam, & idem morbus, & motus ejus solum differentia in coctione & cruditate: sed idem repetitur in longis, ergo eandem proportionem distinctionis quam habent acuti ante coctionem & post ipsam, debent habere longi, ac per consequens faciliùs absolutè fit prænotio in acutis, quod non tollit securiùs fieri in longis ob rationem adducendam.

Si dicas coctione existente esse signum propter quod æquali facilitate in utroque prædicetur, & æquali securitate, quod non invenitur ante coctionem. Contrà est, quia licèt ex hac parte æquale signum detur ad prædicendum in utroque morbo, cùm non solùm ex coctione sumatur prædicendi indicium, sed etiam ex aliis accidentibus, & hæc distincta magis sint in acutis quam in longis, faciliùs in ipsis, quàm in his fit absolutè prædictio.

Quòd in acutis morbis non sint omninò certæ prænunciationes, ideò esse docuit Galenus *in comment.* quia cùm à materia dependeant tenuiori, faciliùs movetur, in unam, vel alteram partem ruere possunt, præcipuè cùm in ipsis mutationes eveniant subitaneæ ob eandem causam, ratione cujus poterit forsan in aliquam partem primùm subitò mitti, & mors evenire, dum salus ob dispositionem materiæ expectabatur, & salus, quando timebatur mors, si ad extrà forsan materia mittatur: ex quo fit absolutè esse proferendum in acutis non esse omninò tutas prænunciationes. Ad dubium tamen dicimus verba hæc non significate incertas pluries esse, sed rarò, ut Galenus *in comment.* sic. *Nunc Hippocr. ostendit inquiens, non omninò certas esse prænunciationes, quamquam aliquando, quamvis rarò Medicus aberret*. Sed ut dixit ipse *in præfatione ad prognosticum*, rarò falli, non est falli: ergo dicere non esse omninò certas, non tollit morbis acutis propriè magis artem præsagiendi convenire, quia in ipsis, & faciliùs fit, & certò, & quia subitæ mutationes, propter quas valde necessarium est præsagium, in ipsis solis inveniuntur.

QUÆSTIO II.

Quæ sint in morbis præsagienda.

T*Ractatu* 2. *de rebus contra naturam* quæsitum fuit, quæ in morbis ad curationem essent prævidenda, ubi absolutè omnia, quæ cognosci desiderabant ad curationem perficiendam proposuimus, prout abstrahit à parte diagnostica, & prognostica: est enim in Medicina alia pars diagnostica, quæ circa cognitionem rerum

rerum naturalium, nonnaturalium, & contra naturam agit, nullo alio habito respectu; & alia prognostica, quæ rerum cognitionem supponit; & specialiter habet ex antecedentibus eventum deducere: propter quod Galenus præsagium dicit esse ex ratiocinatione rerum investigationem, & cognitionem: De hac ergo quærimus circa quæ locũ habeat, idest, quæ sint in morbis præsagienda in ordine ad victûs rationem seu curationem ad quam omnes aliæ Medicinæ partes ordinantur: Propter quod *tractatu cit.* diæteticam partem & pharmaceuticam sub eodem membro posuimus; non quatenùs victûs ratio curate directè sit, sed quatenùs victu & auxilijs omnis perficitur curatio.

Hippocr. *1. prog. in præfat.* videtur significare prognosticam Medicinæ partem quæ habet deducere ex antecedentibus eventum, versari circa præteritum, præsens, & futurum, ait sic. *Si enim apud ægros præsentia, præterita, atque futura noverit, prædixeritque, &c.* ergo ars prognostica non solùm de futuris, sed etiam de præsentibus & præteritis agit, ac per consequens pars Medicinæ est pro salutis conservatione, vel consecutione necessaria: nam, etsi Methodici antiquitùs hanc partem ad Medicinam non pertinere judicent, falluntur planè; nam ut ait Galenus 10. *Metho. capite 6. Curatio dignotionem, prænotionémque consequitur*, ut etiam Hippocr. *in ipsa præfatione*, ait, *Curatio autem optime molietur prævidens futura.* Ergo.

Galenus *in comment. præfationis* etsi ad artem præsagiendi, præterita, præsentia, & futura dignoscere velit pertinere, quatenùs ea quæ non videntur, ac si non essent cognoscuntur, sic ait, *Si enim quæ sensibus usurpantur quibusdam pervestigamus indiciis, meritò talia dicimus prævidere perindè quasi videantur, antequam fiant.* Nihilominùs solùm prævidere futura utile ad curationem dicit; sic ait. *Usu verò inter se admodum dissident; futurorum enim præsensio utilissima est, præteritorum autem inutilis*; ergo ars præsagiendi, quæ pars Medicinæ est, prout ad curationem facit, solùm debet esse futurorum. Ideò Hippocr. postquam dixit curationem optimè moliri futuris prævisis, hoc modo à calumnia Medicum liberare docuit; etiam dum æger peritorus est; non ergo præsagium utile est circa alia quàm futura: pateri; nam præterita nulla exposcunt.

Tamen verum est præsagium circa præterita, præsentia, & futura locum habere, ut Hippocr. docuit; & omni modo ad Medicinam utile esse. Quod patet: nam partes Medicinæ ideò utiles sunt; quia pro aliquo necessario ad consequutionem sanitatis conducunt: diagnostica prout ad cognitionem illorum; quæ conservationem, vel destructionem requirunt conducunt; ignoto omni namque conservando, vel destruendo pro quo, vel contra, quid operandum, ignotum erit; Pharmaceutica, & Diætetica prout ad medicamenta, & victum ministranda conducit. Prognostica etiam ad conservationem sanitatis facit; Ergo pro Medicina utiles. Major est certa: mini ostendit Hippocr. *In prognosticorum præfatione*, ubi sic ait. *Curationem optimè molietur prævidens futura.* Et Galenus *in comment.* sic ait. *Ex prædictione existimat æger Medicum agnoscere ægrotantis naturam*, sed hoc existimans se exhibet obsequentiorem, & sic morbo faciliùs vindicatur; at vindicari à morbo faciliùs conducit ad curationem: ergo ars prænoscendi ad curationem utilis est.

Præterea quòd de prognostico futurorum manifesta sit utilitas; ut longa præfatione docet Galenus ex Hippocr. propter quod status cognitionem ad crisim præsagiendam magnoperè commendat 3. *de crif. cap.* 5. De cognitione præsentium, & præteritorum probatur. Nam nullo modo meliùs applicatur remedium quàm cognitis indicantibus ab omnibus petentibus, vel prohibentibus: sed hæc cognoscuntur meliùs præsagio facto de præteritis & præsentibus, quàm non facto: ergo meliùs fiet curatio ipso facto, ac per consequens pro Medicina erit utile. Major est certa. Min. probatur; quia præsagio deficiente de præsenti, vel de præterito, plura quæ possunt obstare, inveniri possunt, & plura quæ indicent sine quorum indicatione fiet operatio; quod idem dicendum est de præteritis: siquidem ipsis cognitis plura, quæ subsequuntur discernentur de præsenti, vel de futuro, ut quid faciendum certiùs deducantur.

Probat hanc partem Hippocr. 1. *prog. text.* 4. ex facie, sic ait. *Quòd si inter initia hujusmodi facies appareat*, (adduxerat quam Hippocraticam appellamus) *nec ex aliis indiciis conjectura sumi possit, inquirendum est, an vigilia, vel ventris resolutio, vel inedia præcesserint.* Quibus verbis docet ad curationem præterita cognovisse utilissimum esse, cùm dicat, *si aliis signis non possit sumi conjectura, inquirendum est*, quasi diceret: si ex aliis signis non constent quæ præcesserunt, ut causam faciei Hippocraticæ inveniamus, interrogandum est; sed talis interrogatio est utilis ut id quod faciendum est deducamus: Nam si causa procatartica præcedat, levis est affectio, levi egens remedio; si verò non præcedat, gravis, attentione majori egens; ergo hoc ignoto non efficietur secundum rationem curatio, ac per consequens cognitio præteritorum ad curationem conducit. De cognitione præsentium minùs dubitari potest, & sic ars prognostica secundum omnes partes utilis est in Medicina.

Nec Galen. contrarium voluit: nam dum in longa præfatione dixit utilissimam esse futurorum prænotionem, præteritorum verò inutilem; est intelligendum prout ipsa præterita sunt, quæ cùm non sint, nec timeantur, nil indicant; quod non tollit ad curationem eorum prævisionem facere modo dicto; addit tamen unum speciale præteritorum præsensio; Medico scilicet authoritatem: Quod per illa verba docuit Galen. *Præteritorum prænotio inutilis aliis; sed utilis uni Medico, cui libeat artem suam ostentare*: docet enim aliquid particulare habere præteriti præsagium ad Medici ostentationem: nam, etsi quodlibet præsagium mirandum sit dum præteritum manifestatur, de scientia, & vera sufficientia Medici est certa notitia apud ægrum; non ità dum futurorum est præsagium, quia donec eveniat, de veritate non constat; ideò post prædictionem præteritorum ardentiùs ægri Medico committuntur, ut docet Hippocr. quod non minus pro curatione facere docet Galen. cùm hoc modo obedientiores remediis fiant, nullum renuentes; & sic perfectiùs curentur.

Dices: Ars præsagiendi nullo modo à diagnostica differt: ergo præsagij definitio verè diagnosi convenit, ac per consequens non rectè definitum est. Antecedens patet: nam dignotio morbi vel

vel alicujus alterius, per sua signa fit, ità ut ex illis hunc, vel illum esse affectum deducamus: sed hoc est dignotio rei ex ratiocinatione anteà quàm intueatur; ergo dignotio, & prænotio non differunt. Major est certa: minor constat, quia non alio modo cognoscitur res, quæ per præsagium comprehenditur, quàm quæ per veram dignotionem: ergo non differunt. Hoc patet magis in cognitione cujuslibet rei præsentis, quæ per sua indagatur accidentia; propter quod Galen. 1. *prognos. comment.* 1. ait, *Sed præsentium cognitionem proprio, & suo nomine dignotionem nominare consuevimus.*

Respond. verum esse rerum essentias indagari ex accidentibus, háncque indagationem dignotionem nominari; tamen hæc est defferétia ab indagatione, quæ verè dignotio est, & ab illa quæ dicitur præsagium, quæ dignotio fieri debet per signa ità naturaliter objectum cognoscendum significantia, ut naturalis sequela ferè nullo interveniente discursu cognoscatur. Non nego intellectûs ad dignotionem concursum, sed assero ferè naturaliter ex talibus accidentibus talem effectum immediatè deduci: prænotio verò etsi per accidentia fiat objectum significantia, non ità naturalem, & immediatam dependentiam dicit, ut non sine magno discursu, vel discursuum repetitione consequatur; ideò Galen. præsagium investigationem rei per ratiocinationem appellat, quasi non in repetitis discursibus, vel illationibus fiat, & consequatur, ità ut quoties paucis fundamentis vel principiis remissam connexionem habentibus aliquid indagamus, vaticinari dicimus, sive præsens, vel præteritum, vel futurum sit. Sic *in præfatione* Galen. *Vates mirandus est qui tamquàm præsentia dicat præterita quæ non vidit, quam qui futura prænuntiet: pari ratione, qui ea, quæ nunc geruntur, antequam videat*: Est ergo ars prænoscendi circa præterita, præsentia, & futura, ità ut quæ vates veluti sine principiis comparabit, Medicus signis remotis valde præcognoscat; dignoscat verò dum ipsis rei valde significativis operatur, etsi lato modo dignotio appellatur quælibet cognitio, tam præsentium quàm futurorum, & præteritorum, propriè magis, quæ præsentium est. Propter quod Galen. ità juxta consuetudinem dici docuit; in rigore tamen dignotio est cognitio rei propria ejus valde significativa; prænotio verò dum veluti vaticinando fit, idest, propria, vel accidentia parum connexa; ideò dicitur per ratiocinationem investigatio, & cum illorum quæ sunt, vel præcessêre ferè semper dentur indicia manifesta, & connexa valde, prænotio propriissimè de futuris dicitur, & sic Hippocr. in ordine ad futura doctrinam adducit *in hoc libr.* non in ordine ad alia.

Etsi certum existat artem præsagiendi circa præsentia, præterita, & futura locum habere, examinandum restat quæ sint in morbis præsagienda; quo non quærimus quæ sint ad curationem absolutè cognoscenda; sed quæ sint quæ ad præsagium prævidenda sunt: est enim præsagium omni proprietate quod in prænotionem futurorum antequàm fiant, terminatur, & tantò magis, quantò minor fuerit certitudo; ideò signa critica incerta & infida sunt, ut Galen. 1. *de cris. cap.* 14. sic ait. *Criticorum accidentium aliqua sunt causæ, & signa, aliqua signa solùm, infida verò est universa eorum natura.* Prænoscitur veluti vaticinando magis ex eis deducitur cognoscendum, quàm ex naturali indagatione, etsi hoc modo esse non dubitemus, & sic præsagium locum habet circa omnia quæ in morbis accidunt futura, ut est brevis vel longa terminatio, bonâ, vel malâ crisi, vel sine ipsa, hac vel illâ regione, die, vel horâ, pravis, vel bonis accidentibus; siquidem in ordine ad omnia hæc curatio est facienda, virtus conservanda, & victus & auxilia instituenda; ideò Galenus 1. *de diebus decretoriis cap.* 11. sic scripsit. *Quod nec victûs ratio proba sine statu morbi, & crisis præsagio institui possit declaratum est.*

Ex quinque signorum generibus, quæ 1. *aphor. comment.* 12. dedit Galenus, ad curationem omnem absolutè respiciendam, tria solùm adduxit 1. *de cris. cap.* 14. tamquàm ad prognosticum faciendum necessariò, coctionis scilicet & cruditatis, unum mortis, & salutis alterum, & quæ decretoria appellantur. Ex quibus omnia deducuntur præsagienda, coctionis & cruditatis signa, sunt mutationes quæ in urina, & sputo, & alvi excrementis apparent, ut Galenus 1. *de crisibus, cap.* 7. sequens Hippocratem 2. *Prognosticorum* per diversa capita, ità ut quò magis ab statu naturali recedant, cruditatem, quò minùs, coctionem determinant: & sic juxta hanc proportionem bonam vel malam fore terminationem in salutem vel mortem deducimus; bonam, si coctionis præcedant signa; malam, si cruditatis, ut ex ipso *primo de crisibus* constabit, signáque salutis, vel mortis dicuntur, præter plura alia, quæ adducit Hippocr. in *hoc lib.* & ratione diversarum mutationum, quas dicemus, signa critica ab Autoribus dicuntur crisim hac vel illa die & horâ, & regione, determinantia, & tandem ex omnibus quibus accidentibus evenire debeat, constabit.

Notandum tamen est coctionis vel cruditatis signa, quæ brevem, vel longam, pravam vel bonam, malis vel bonis accidentibus fore terminationem ostendunt, necnon diem crisis, & morbi tempora non eodem modo omnia significare; significant enim coctionem vel cruditatem excrementa dicta prout in statu naturali sunt, vel ab ipso recedunt. Sic ait Galen. *cap.* 7. *citato: Urina v. g. quæ benè colorata est, & albam, lævem, & æqualem habet substantiam, coctionis est signum: tenuis, & quæ nullam substantiam habet, semper est cruditatis*, quæ eo modo quo coctionem vel cruditatem significant, bonam vel malam, brevem vel longam terminationem prænuntiant, mortisque, aut salutis signa sunt, & ad prognosticum faciunt. Quod pluries repetit Gal. 1. *de cris. cap.* 5. & 14. & 15. Sic tamen scripsit, 1. *Aphorism. comment.* 12. *Itaque distincta sunt tum coctionis, tum cruditatis signa, tum etiam exitialia; ex his tenendum memoriâ coctionis signa semper bona sunt, ut quæ morbi solutionem fore ostendant brevi, quemadmodum exitialium signorum genus ægrotantis mortem brevi fore minitari solent. Cruditatis autem signa diuturnum fore morborum portendunt, non tamen moriturum vel evasurum hominem: Quod quidem in ipsis est judicare, diligentiùs tamen si ante vires ægrotantis expenderis, ista licebit prævidere.* Quibus verbis quid coctio, quid cruditas significet ostendit, & quo modo ad prævidendam morbi terminationem bonam, vel malam, celerem, vel tardam conducat.

Etsi verbis adductis Galen. videatur significare distincta esse signa coctionis & cruditatis à signis

exiti

exitialibus, noo eſt ità : docuit enim *in ipſo comment.* Galen. ſigna exitialia cruditatis ſigna eſſe : ſic ait. *Cruditatis ſigna primo morbi initio conſpiciuntur, & interdum poſteà ut exitialia.* Docet ergo exitialia ſigna cruditatis eſſe ſigna; clariùs 1. *de criſ. c.* 5. ſic ait. *Et hoc duplex eſt* (agebat de ſputo pravo) *unum quod ſolùm caret coctione : alterum quod etiam parvum exiſtit; ab his verè id quod coctum eſt ſeparatur.* Et infrà, *ut in angina non cruda ſolùm, ſed etiam lethalis eſt, eſt autem ſimpliciter crudum quod album, & tenue.* Intendit tamen Galen. his verbis docere quod etſi coctio ſit ſalutis indicium, cruditas ſignum mortis abſolutè non ſit, ſed illa quæ repugnantiam coctionis dicit. Sic diſtincta appellat cruditatis ſigna ab exitialibus, etſi omnia cruditatis ſint ſigna, quæ diſtincta morborum tempora ſignificare docet *comment.* 12. *cit.* juxta quam doctrinam Avic. *fen* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. tempora morborum ſic definit. [Principium eſt donec appareat veſtigium maturationis, vel maturationi contrarium : augmentum quando apparent ſigna coctionis, vel coctioni contraria]. Quæ ſigna ſic explicuit *in comment.* Galen. *Quod ſi ſpuatur, & tenue adhuc ſit, debilis, & obſcura coctionis eſt ſignum: ſi ſyncerum quàm minimèque permiſtum, vel flavum, vel rufum, improbandum : ſi lividum, vel viride, vel nigrum, perniciesiſſimum.* Quod eſt ſignificare, tale eſſe cruditatis indicium, & tale mortis : ideò 1. *de criſ.* urinam nigram lethalem eſſe dixit, crudam verò abſolutè, tenuem & albam.

Hac ratione *tractatu* 2. *de rebus contra naturam q.* 1. diximus non dici ſigna mortis ſigna cruditatis abſolutè, quia etſi talibus ſignis adveniat mors, cùm ex propria natura non ſignificent diſpoſitionem vincentem, vel invincibilem diſpoſitionem; hinc eſt quod oon ſigna mortis, ſed potiùs ſalutis dicantur; ſignificant enim quod à natura ſuperari poteſt; è contra verò cùm ſigna repugnantia coctionis ſunt, etſi ſalus advenire poſſit, quia natura poteſt abſque coctione materiæ morbum per ejus expulſionem vincere, ſigna tamen mortis ſunt, quia materiam ſignificant nullatenùs ex propria natura ſuperabilem : ratione cujus aliis ſignis deducenda eſt morbi terminatio, ex actionibus ſcilicet aliis : propter quod Hippocr. *de prog.* agens, ex aliis ſignis mortem, & ſalutem, bonam, vel malam terminationem eſſe deducendam edocuit, & conſequenter Galen. *comment.* 12. *citato*, alia ſigna coctionis dixit, alia cruditatis, alia verò exitialia : quaſi diceret, ex ſignis coctionis ſalus ſemper præſagienda eſt, ex exitialibus mors, ex cruditatis ſolùm longitudo eſt prædicenda, nî ex aliis ſignis mors deducatur, ideò dixit, *Si ante vires ægrotantis expenderis, iſta licebit prævidere*, hoc eſt, dum cruditatis ſunt ſigna, ſi vires pro victoria cognoveris, prævidebis ſalutem, mortem verò ſi ſecùs.

Sicut modo dicto mortem, vel ſalutem coctionis ſigna ſignificant, & ſic bonam vel malam terminationem, brevem verò vel lungam ex brevi, vel longa talium ſignorum apparitione deducendum eſſe docuit Hipp. 1. *aphor. text.* 12. ubi ſic ait, *Et ex his, quæ mox apparent indicia ſumuntur: quemadmodum in morbo laterali ſi ſtatim ſputum appareat, morbum breviat; ſi verò poſteà appareat, producit*, ideò Galen. 1. *de criſ. cap.* 5. omnia dicta comprehendens, ſic ſcripſit : *Quando igitur ſpatum ſtatim apparuerit, morbum facit breviorem; cùm verò nullo modo educitur, longum indicat morbum; ſiquid autẽ pravum ſpuitur, periculum imminere ſignificat; ſi quod autem malignum, mortẽ minatur.* Ut conſtet mortis eſſe ſigna ea, quæ cruditatem ſignificant; dum pravam cruditatem oſtendunt, ambigua verò dum oon tale oſtenderint, eſſéque ex aliis ſignis eventum determinandum; ſigna tamen coctionis ſemper ſecuritatem oſtendunt, brevem, ſi ſtatim, non ità ſi tardè appareant; ità ut ex dilatione in apparitione loogitudo morbi deducatur. Quod verò talia ſigna tẽpora morborum oſtendant, non eſt hujus loci.

Circa critica ſigna, quæ criſim oſtendunt examinandum eſt, quæ ſignificent criſim, vel ſecùs; quæ regionem, & horam determinatam. Ad quod advertendum eſt indicium ad criſim oon leve determinari ex ipſa natura morbi & temporis, ex eo quod morbi aliqui ſunt, qui ſudore, vel dejectione termioari habent, vel ex propria natura, vel ratione epidemiæ, vel pro illius quod in illo tempore agitur, ut Galen. 3. *de criſ. cap.* 3. & ſic ratione illius poterit præſagiri de criſi; at cùm hoc valde remotum ſit ad criſis determinationem, quia parum, vel nil præbet connexionem, cum ipſa habens, ſed valde contingens, non dicuntur in rigore ſigna critica, etſi cum aliis validum ſumatur ad præſagiendam criſim indicium.

Signa tamen critica in duplici ſunt differentia, alia, quæ ipſam hac vel illa die futuram prænunciant; alia quæ ipſam jam immineotem; illa ſignificavit Hippocr. dum 2. *aphor. text.* 24. docuit, *Septenorum quartus eſt index.* Quibus verbis oſtendit quod ſi in die quarto, iodicium maturationis reperiatur, ſeptimo perficitur criſis; ſi verò in undecimo perficitur, decimo-quarto, & ſic de aliis; cum quo cohæret 4. *Aphor. text.* 71. ſic. *Quibus ſeptima die criſis futura eſt, his urina rubram nubeculam die habet quarto.* Quibus verbis conſtat ſigna ipſa coctioois prout hoc, vel illo die appareot, in hanc, vel illam diem prænunciare criſim : ideò Galen. *in comment.* per urinam rubram quamlibet coctionis notam intellexit, illámque criſis diem prænunciare in ſuo ſeptenario. Quod cohæret cum dictis : nam cùm brevis vel longa terminatio ex brevi vel tarda apparitione coctionis deducatur, ſic ſimiliter cùm criſis, non cum ſignis coctionis eveniat, ex brevi, vel tarda apparitione ejus, brevi, vel ſerò futuram fore criſim deducemus, habito tantummodò reſpectu dierum indicantium ad judicativos, hoc eſt quaternarij ad ſeptenarium; quod infrà explicandum ex profeſſo; dicitur tamen ſignum criticum hoc ordine, mutatio qualibet in die indicante notabilis, quæ habeat io ſuo ſeptenario ſignificare criſim, vel bonam, vel malam, qualia fuerint accidentia, vel mutationes excrementorum in die quarto iodicantia, ut Galen. 1. *de diebus decretorys, cap.* 11.

Signa tamen omni rigore critica, & quæ talia ab omnibus communiter nuncupaotur ſunt, quæ inſtantem criſim oſtendunt, & meritò critica omni rigore dicuntur, quia cum ipſis criſis ferè ſemper immediatè conjungitur : de illis loquitur Hippocr. 2. *aphor. text.* 13. dum dixit, *Quibus criſis futura eſt, nox antecedens difficilis.* Cujus ratio invenietur ſi Galen. legamus *in comment.* ubi propter commotionem humorum ad ipſam evenire docet : eveniunt enim anxietates, vigiliæ, mutuæ

V 3

motus labij inferioris, & veotris, vel plura alia quæ motum materiæ facientis crisim sequuntur, ut 1. *de cris. cap.* 14. docet Galenus post quorum positionem sic ait. *Fiunt igitur & hac jam imminentis crisis indicia.* Quod sequens Avicen. *fen* 2. *lib.* 4. *Tract.* 1. *cap.* 3. docet quod signa crisis sunt dum eveniuot subitò; eveniunt tamen præcipuè dum non perfectè cocta est materia, & ad ejus expulsionem movetur natura, ut Galen. 3. *de cris. cap.* 10. sic ait, *Causa hujus intempestivi motus est morbi violentia, irratrix quadam existens. Videtur siquidem natura nil hujusmodi posse tolerare, sed statim properare ad expellendum id quod infestat.* Docet ergo Gal. critica ob irritamentum factum procedere à causa expellenda, quæ cùm benignior debeat esse dum crisis perfecta & facienda propter correctionem factam in ipsa per coctionem, remissiora necessariò sunt accidentia, ut constet bona, vel prava esse expectanda accidentia, proue signa crisis cum signis coctionis conjunguntur, vel secùs, quod deducitur ex ipso *cap.* 10. Nam postquam posuit irritamentum accidentium causam, sic ait: *Et hoc est maximum signum crisis intempestiva, qua enim in tempore opportuno fiunt, etiamsi nullum adsit irritamentum, fiunt.*

Regionem determinatam crisis ostendunt accidentia critica in rigore dicta quæ cum determinata regione connexionem habent, de quibus agit Galenus 3. *de cris. cap.* 11. in quo postquam critica signa dixit, rigorem, pulsum altum, indicatione factâ, noctem difficilem, & perturbationem, ut motum ejus per determinatam regiooem ostentet, sic ait, *Altus enim pulsus omnis excretionis indicium est, sicuti & vehement; si verò magnus fuerit motus, ad exteriora potiùs quàm ad interiora signum existit. Cùm verò uterque duplex sit, hic quidem qui ad exteriora, per fluxum sanguinis atque sudores: alter autem ad interiora per alvum & stomachum; undosus quidem pulsus sudores; magnus autem simpliciter, fluxum sanguinis praostendet. Motu verò ad interiora superante, cùm non adsunt signa vomitùs, per ventris excrementa crisis fiet. Si verò ea affuerint, per vomitum potiùs: Si verò ea affuerint, & venter insigniter subducatur, per utraque fiet crisis.* Dixerat *cap.* 10. sic: *Qua enim supernatant, per vomitus expellere tentat. Qua verò inferiora occupant loca, excernit per sedem.* Præter quæ signa plura alia rigorem determinantia adducit *cap.* 11. de quibus *infrà.*

Sufficiet nobis in præsenti dixisse signa critica in rigore esse accidentia quædam, vel symptomata, quæ crisim instantem ostendunt, eáque peculiaria rigorem determinare, sumptâ indicatione ab idea, & morbi tempore; signa verò quæ ostendunt crisim futuram in suo septenario, sunt mutationes quæ in die indicante conspiciũtur, hoc est in suo quaternario, quæ ut demonstrant diem, horam ejus determinare valebuot, si accessionis horam rescipiamus: siquidem crisis cùm motus humoris sit per hanc, vel illam regionem ob irritationem factus, tunc præcipuè fit, cùm natura ad expellendum specialiter mota, & irritata est, quod est in tempore accessionis, ut Galen. *cap.* 10. *suprà*, diem mortis determinant. Sic ait: *Hoc verò distinguitur accessionum circuitibus: quo enim die debeat accessio fieri, in illo morietur, & qua ejusdem diei horâ accidat, dignoscere est facilè:* constat ergo diem, & horam ex tempore quo indicatur crisis esse deducendas, attentâ accessionum repetitione, de quibus omnibus dictum est à nobis plurimum *tract. de rebus contra naturam*, dicemus tamen specialiter de Crisibus agentes.



TRACTATUS DE CRISIBVS, ET DIEBUS DECRETORIIS.

SECTIO I.

De Crisibus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Crisis.

CUM morborum tractationes quarum prænotiones dedimus pluries, crisi fiant, præcipuè in acutis, ratione cujus Galenus 3. *de crif. cap.* 1. & 3. *acutorum*, crises, mutationes appellat, de crisibus agimus: dicitur tamen crisis absolutè, ut voluit Galen. *cap.* 1. *citato*, quæcunque motatio morbi ad melius, vel pejus ipsum terminans, ut excludantur mutationes, quæ ex propria natura in morbo fiunt dum augetur & stat; nam cùm de mutationibus terminantibus agi, de ipsis est intelligendum, dum quamcunque mutationem crisim appellat; est enim crisis idem, quod judicium, à similitudine judicij extrinsecùs facti de reo, ergo absolvitur, vel damnatur à judice, ut Galen. 3. *de crif. cap.* 2. & sic ea quodam vulgari, sic scripsit, *Quispiam vulgaris cum istis adesset, ità pronunciavit, quod judicium tunc de vita hominis ageretur.* Nec dictum fuisse à vulgari, verum diaisse tollit, potiùs ut verum receptum, & probatum est à Galeno & à Medicis communitar, ut videra est in Avicenn. & in reliquis Interpretibus; est enim judicium de vita hominum circa pugnam naturæ cum morbo: hic vicem babet inimici; natura, cujus minister Medicus est, vicem procuratoris vel pugnatoris; causa superior, vicem judicis, & homo rei vicem, cujus sunt testes accideotia, ratione quorum dignoscitur de cujuslibet activitate, ut tandem judicium fiant.

Circa quæsitum duo examinanda veniunt; aliud quid propriè crisis sit, & in quo principaliter illorum natura quæ in ipsa reperiuntur consistat. Pro quo notandum est crisim ab Autoribus tam dici de mutationibus illis quæ terminant morbum, quæ paulatim fiunt, & de permutationibus, quæ subitò, tam de illis quæ ad mortem, vel ad pejus, quàm de illis quæ ad salutem vel ad melius, ut videre est in Avicenn. *fen* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 2. io quo tam exituras quàm evacuationes alias crises appellat, vel completè, vel diminutè se habeant, quæ & subitò & paulatim possunt pro salute, vel morte facere: siquidem completæ evacuationes subitò, diminutæ verò non subitò mutant; miatas namque eas appellat Galenus 3. *de crif. cap* 1.

Secundò notandum est in crisi reperiri perturbationem quamdam antecedentem ad crisim tam horribilibus accidentibus, ut inexperti perire hominem judicent. De quibus egit Galenus, & Avicen. *locis citatis*, & postquam ipsa posuit, quæ nos signa critica appellamus, sic ait Galenus. *Vndè non parvus invabit timor inspicientes.* Reperitur etiam evacuatio hæc, vel illa secuta ad perturbationem, vel agitationem inter oaturam, & morbum, ut ipsi Autores docent, ratione cujus salus, vel mors advenit, ità ut propriè per talem mutationem bomo mutetur ab statu morbifico ad pejus, vel ad meliùs.

His positis videtur crisim de omni morbi solutiooe posse dici, quatenùs quâ solvitur, vel damnatur bomo, sive paulatim, sive sobitò: ergo ratio crisis cuilibet morbi terminationi adaptatur propriè, quâ acceptione Hippocr. 1. *Epid. p.* 3. *tex.* 17. febres erraticas, & quartanam, & quintanam judicari fatetur, sed dictæ febres longissimæ sunt, ot *in ipsa sectione* docet, ità ut per anoum durare accidat, in quibus oon est expectanda subita mutatio, ratiooe cujus post quadragenarium diem coctione, vel abscessu morbos terminari, non crisi, docet Galenus 1. *de dieb. decret. cap.* 10. ergo judicario, vel crisis ex Hippocr. mente quamcumque morbi terminationem cumprehendit.

Prætereà: nam licèt Galeous *cap.* 10. *citato*, dicat terminari abscessu, vel coctione morbos post quadragesimum, & non crisi, non tollit crisim etiam debere dici mutationes illas per coctionem, & abscessum. Patet: Nam Galenus ipse 3. *de crif. c.* 2. sic ait. *Et omninè fit crisis per manifestas quasdam excretiones, aut effatu dignos abscessus; antecedit autem hujus modi excretiones & abscessus, non mediocris perturbatio:* ergo termioari subitò significavit; non tamen aliter quàm crisi absolutè, quâ ratione etiam *c.* 3. & 11. *sequentibus*, adducens crises, cuicunque morbo conveoientes, & earum signa, & abscessus enumerat, & pingit eorum signa, pro morbis diuturnis, juxta mentem Hippocr. 2. & 3. *acut.* abscessus pro aliquibus morbis utiles appellantes; ergo quod veram rationem crisis habent, aliàs si verum teneret in rigore proposito, non dicerentur dies critici olita quadragesimum; cujus contrarium & Galenus & Hippocr. docent 1. *epid. citato*, & 3. *prog. text.* 6. ergo omnes mutatiooes morbos terminantes crises sunt, cùm ob ipsas dies dicantur dectetorij.

Communis tamen dicendi modus crisim appellat non mutationem quamlibet, sed illam quæ subitò fit cum evacuatione sensibili. Quod probatur ex Galeoo 3. *de crif. cap.* 7. & 2. *aphor. com.* 13.

sic

sic crisim definiente, *Est subita mutatio in salutem, vel mortem.* Ratione cujus completæ dicuntur ab Hippocrate crises 3. *prog. text.* 3. *quod quæ subitò fiunt, impetu fiunt.* Quod verò cum sensibili evacuatione fit, docuit *cap.* 7. *citato*, his verbis. *Sicuti verò vel effatu digna evacuatio, vel omninò decubitus cum veloci perturbatione necessariò in crisibus fiunt, ità in solutionibus, nec agitatio aliqua, nec evacuatio, nec decubitus accidunt.* Et 3. *prognosticor. comment.* 1 sic ait. *Didicistis præterea ut omnis judicatio cum quadam evidenti fit evacuatione, vel abscessu.* Est ergo crisis ex communi consensu, mutatio subita cum evacuatione sensibili, ratione cujus mors subita, quæ in accessionibus accidit pluries, & salus quæ per somnum comparatur, præcipuè in pueris, ut *in comment.* 1 *cit.* docet Galenus, à natura crisis separantur, etsi subitæ mutationes sint.

Vt quæstionem resolvamus, advertendum est per verbum, *subitò*, non debere intelligi crisim fieri, nullâ aliâ dispositione præcedente. Quâ ratione Galenus 2. *de ca. symp. cap. ultim.* subitò fieri apoplexiam, & epilepsiam; fit enim crisis perturbatione, & evacuatione præcedente, & aliis diversis corporis dispositionibus. Nec intelligendum est per verbum, *subitò*, simultaneam productionem, qualem ad dolorem & voluptatem requiri docet Galenus *lib. de rig. cap.* 6. quà talis est, ut productio fiat intensione immutante, ne sensum lateat, quia etsi paulatim fieret immutatio, non lateret sensum, sed cognosceretur manifestè: ergo subitò requisitum ad crisim, est brevis vel repentina mutatio, de qua loquitur Hippocr. dum inquit, *Plurimùm atque repentè evacuare, vel utcumque corpus movere periculosum.* Propter quod Galenus 3. *de cris. cap.* 3. ait. *Crises repentinæ mutationes acutorum sunt*; Quod non debet in rigore instantaneam mutationem significare, sed illam, quæ brevissimo tempore fit.

Nobis tamen dicendum videtur crisim, vel sumi generali acceptione quâ comprehenditur quælibet terminatio, vel mutatio in salutem, vel mortem, in melius, vel in deterius cum sensibili evacuatione, vel subitò, vel paulatim, eveniat. Quâ ratione 1. *de die. decret. cap.* 10. ostendens magnas esse perturbationes usque ad 14. & 20. ab hoc ad 40. vehementiam remitti paulatim docet, & post ipsum, vel non fieri excretiones, vel raró, & per pluries dies fieri judicia, quod est paulatim, quia morbus debet cessare ad proportionem, quâ causa evacuatur; & sic cùm paulatim evacuatur, paulatim cessare habet, ac per consequens omnes mutationes dictæ crisis habent rationem: sic ait de diebus post 40. agens. *Accidunt in his quoque excretiones & judicia, sed raró, nec magnam habent vehementiam, & frequenter pluribus diebus judicia complentur, maximè cùm abscessum finiunt.* Quod ratio etiam ostendit: nam si morbus aliquis terminaretur per fluxum ventris pluribus diebus factum, ut accidit pluries vel in bonum, vel in malum, non est cur non terminetur crisi: ergo non est necessum subitam esse mutationem. Antecedens patet: nam pluries accidit die decretorio incipere evacuationem indicatam quæ non nisi per pluries dies perspiciatur: ratione cujus dubitavit Galenus 1. *de cris. cap.* 8. cui diei talis crisis tribui debeat: sed evacuatio die critico incepta & indicata, etsi per plures dies fiat, non potest non esse crisis, cùm non aliundè quàm à judicio crisis dicatur, & ob id dies criticus dictus est ille in quo fit: & Galenus ob eandem rationem diei indicato crisim esse tribuendam. Docet ergo quod quælibet mutatio cum evacuatione facta crisis debet dici propriissimè; quâ ratione abscessus morborum crises appellantur, etsi per plures dies fiant.

Si dicas crisim subitam mutationem dici, etsi per plures dies duret evacuatio, quia salus, vel mors, ratione cujus subjectum mutatur, & crisis mutatio dicitur subitò, dum materia morbi fuit omninò consumpta, vel virtus labefactata quod ferè in instanti, vel brevissimo tempore accidit, ratione cujus subitò diceretur talis mutatio, vel in salutem, vel in mortem, vel in meliùs, vel in deteriùs terminaretur, quidquid sit de duratione evacuationis: hoc inquam, nil valet, quia si hoc esset subitò mutari, nullus morbus esset qui subitò non solveretur, nec esset mors, quæ subitò non eveniret; sed est expressum in Galen. 3. *de cris. cap.* 1. mutationum, quæ in subjecto morboso accidunt, sex esse differentias; duas, quæ non subitò fiunt in salutem, vel mortem; duas quæ paulatim, quas non esse crises contrarij volunt; & duas, quæ mixtim fiunt: ergo penes hoc quod ultimò mors, vel salus brevissimo tempore vel in instanti accidat, non debet dici subita mutatio.

Præterea: quia experientiâ compertum est sanitatem, vel mortem paulatim comparari pluries, quatenùs paulatim aliquid sanitatis, vel aliquid pro morte faciens adquiritur. Ergo non est subita quælibet mutatio, quod explicuit Gal. *c.* 1. *citato*, sic ait. *Solutiones quæ sensim marcescente vel virtute, vel morbo contingunt, solutiones simpliciter nominantur.* Concedit ergo mutationes non subitas in salutem, vel mortem.

Si verò crisis sumatur pro famosiori, solùm illa mutatio subita, cum insensibili evacuatione crisis diceretur, quia ipsa sola omnes conditiones optimæ crisis importat; confundit enim Galenus crisim optimam, & crisim absolutè, ut videre est 3. *de cris.* nam *cap.* 1. postquam dedit sex mutationes in salutem, vel mortem, sic ait. *De prima igitur quæ repentè fit permutatione dicamus, quoniam omnium optima est.* Atque ideò ipsam per excellentiam crisim nominat, & *cap.* 2. sic. *Sola igitur subita ad sanitatem conversio, simpliciter crisis nominatur & quidem omninò fit per manifestas excretiones, vel effatu dignos abscessus.* Quod non tollit alias mutationes crises dici, sed tollit dici sine addito: nam vel malæ, vel imperfectæ dicuntur; qua ratione crisim deffinit Galenus, 2. *aphor. comment.* 13. sic, *Est subita mutatio in salutem, vel mortem*, agitatione, & evacuatione materiæ factâ. Ubi non solùm crisim appellat, quæ in salutem est mutatio, sed etiam quæ in mortem; quia cuislibet adæquata & completa ratio judicij convenit, etsi pro famosiori optimæ debeatur. Vallesi. 10. *controv. cap.* 11. crisim appellat subitam mutationem in salutem, vel mortem, etsi cum evacuatione manifesta non fiat; ex eo quod non tollit esse judicium de vita hominis si mors, vel salus resultet, materia insensibiliter per resolutionem consumptâ, ut accidit in pueris qui per somnum longum à morbis liberantur: ergo debet dici crisis, de qua Gal. 3. *prog. cap.* 1. inquit ab aliquibus crisim appellari, raró enim pueruli tantummodò per somnum longiorem celeres in melius fecerunt mutationes, quas

nonnulli

nonnulli volunt etiam nominare judicia.

Contra hunc modum dicendi constat quòd si terminari subitò sine manifesta excretione esset crisis, mors quælibet subita crisi fieri debebat, & morbi qui terminantur coctione, crisi quoque terminarentur necessariò, quod est contra Galenum 1. *de dieb. decret. cap.* 10. & contra rationem; quia tunc morbus cessat cùm subitò terminatur. Minor probatur: nam morbi est principium quando materia est cruda; augmentum quando apparet manifesta coctio; status quando summa, ut Galenus 1. *de cris. per diversa capita.* Sed perfectâ, & summâ coctione existente morbus debet cessare, quia materia jam est correcta; ergo in brevissimo tempore. Patet: quia morbus est in statu donec coctio perficiatur; & cessat postquam perfecta est: Sed est necessum pervenire ad perfectionem brevissimo tempore, vel in instanti, quia in illo coctio est tanta quo pervenit, & constituitur in esse perfectè; ergo in illo acquiritur salus subitò, ac per consequens si fieri subitò sine manifesta evacuationa esset crisis, morbi qui coctione terminantur, terminarentur crisi, quod est falsum.

Hujus dubitationis solutio intelligetur magis si attendamus quòd licèt generali ratione judicij possit dici crisis quælibet mutatio terminans vel paulatim, vel subitò fiat, sive cum manifesta excretione, vel sine ipsa; ratione cujus Galen. 3. *de cris. cap.* 7. in hoc non esset immorandum scribat, ut ipse optimè advertit: doctrina præsens est, ut terminis utamur quibus quod velimus explicemus, & intelligamus, ratione cujus licèt generali ratione dicta vera sint, ut omni similitudine nomen crisis à judicio exteriori deducatur in quo litigium præcedit, & conturbatio, reo & accusatore litigantibus, ad quod sequitur judicium; sic veræ crisis ratio debet adaptari quando conturbatione præexistente inter morbum, & naturam rei, & accusatoris vicem gerentes sequitur judicium; quod non potest esse nisi evacuatione materiæ factâ, ideò excretionibus & abscessibus fieri dicit Galenus 3. *de cris. cap.* 2. & per subitam mutationem in salutem, vel mortem cum agitatione & separatione mali à bono ipsam definivit 2. *aphor. comment.* 13. & subitam esse dixit, quia judicium hoc modo factum veluti in instanti accidit, sive in omnimodam terminationem fiant, vel in aliquo tantùm, etsi posteà paulatim reliquum subsequatur, ob quod Galenus vel subitas, vel paulatinas, vel mixtas omnes mutationes dixit.

Excludit tamen à ratione crisis mutationes paulatinas Galenus *cap.* 2. *lib.* 3. *de cris.* quia etsi mutationes & judicationes generali ratione sint, non sequuntur omnimodam similitudinem externi judicij; & cùm non appareant possibiles subitæ mutationes, sine evacuatione manifesta, ad cujus expulsionem debet præcedere agitatio & perturbatio, ut Galenus 3. *de cris. c.* 7. sic ait, *Si quis subitò morbo liberatur, omninò huic aliqua evacuatio effatu digna contingit, vel parotides.*

Quasi diceret, aliter non posse fieri propter quod crisim deffinivit per subitam mutationem cum manifesta excretione, vel abscessu. Quod non tollit etiam crisi terminari morbos per resolutionem, ut de pueris dictum est, & ut voluit Valles. quæ dicitur crisis obscura à Galeno 1. *de dieb. decret. cap.* 2. quod debet intelligi dum saltem per rationem talem evacuationem fuisse deducitur, idest, non ratione coctionis, quod erit dum materiâ existenta crudâ, nullis signis coctionis apparentibus morbus repentè cessat, causâ, vel dispositione aliquâ præexistente, quæ talem evacuationem fecisse demonstret, ut est in pueris somnus, & pororum excessiva raritas: erit ergo in tali casu illa mutatio subita vera crisis, & cum manifesta excretione, saltem per rationem: propter quod dum mors advenit, non solùm vi accessionis, sed quando agitatione existente, ante evacuationem virtus defficit, non dicimus crisi finiri, quia non vi evacuationis manifestæ saltem per rationem talis advenit mutatio.

Ex dictis manet per crisim non debere, nec posse intelligi perturbationem antecedentem, vel evacuationem ipsam, quia si expresè asserit Galenus esse mutationem secutam ad perturbationem naturæ pro expulsione materiæ, *& comm.* 23. *aphor.* 2. ideò probat subitam mutationem esse crisim, quia magna accidentia, quæ perturbationem, & morborum magnitudinem sequuntur necessariò, vel vires citò vincere, vel pro expulsione, & victoria causæ facere habent, & consequenter 3. *de cris. cap.* 7. necessariò in crisi effatu dignam evacuationem cum veloci perturbatione concedit: necessariò etiam dicendum est crisim, nec perturbationem, nec evacuationem ipsam esse, sed mutationem subsecutam. Nec antecedenter est mutari vicens per perturbationem ipsam, ut perturbatio crisis dicitur, quia perturbatio non est in salutem, vel mortem mutatio, maximè, illa quæ evacuationem sequitur: dicitur tamen perturbatio ipsa crisis à Galeno 5. *de dieb. decret. cap.* 1. per hæc verba. *Nos sanè turbationem in morbo adeò subitam judicium appellamus, seu crisim.* Non quia id intelligat, sed quia conabatur ostendere hanc præcedere ad crisim contra aliquos negantes, & ut eos convinceret, verbis utitur dictis, & sic ait. *Si quis aliud non hoc judicium dicat, opinionem suam, non me reprehendit.* Non ergo ipse crisim appellat perturbationem, potiùs 1. *de cris. cap.* 14. signa crisis appellat accidentia perturbationem sequentia, ut dolor, vertigo, &c. evacuationes tamen signa & causas: ergo non ipsis ratio crisis debetur, sed mutationi quæ sequitur, & indicant & causant.

Contra dicta solùm stat ultima ratio quæ probat subitò terminari morbos, qui coctione terminantur. Respondetur tamen quod argumentum haberet vim si quando perfectá & summâ coctione in statu ut manet correcta bilis materia, prout significat etiam cineritium correctum, ità maneret focus temperatus, ut aliqua portio in ipsum non flueret; fluit enim illa parva quæ facit in declinatione accessiones, ratione cujus non cessat morbus subitò, sed paulatim; & ex alia parte cum evacuatione subita non est, quæ est præcipuum connotatum ut dicamus crisi finiri, evacuatur enim materia paulatim dum morbum coctione & non crisi terminari dicimus.

Si objicias, etsi non sit subita mutatio in salutem, quia morbus omninò non cessat, est subita ad maliùs, vel mixta, quia subitò cessat summa intensio, & deinceps paulatim morbus finitur.

Respondetur quod evacuatio defficit, quam connotat ex propria natura crisis, & ex alia parte non est adhuc ad meliùs subita mutatio, sed paulatim, quia eâ proportione quâ morbus habuit augmentum, paulatim eadem cessat, & minuitur dum terminatur coctione, quia paulatim

latim etiam & circa materiam & circa cineritium foci resultat correctio, & evacuatio.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Crisis.

Crisis differentiæ vel possunt sumi facta divisione per differentias essentiales, vel accidentales, vel ratione connotati, quibus omnibus modis crisis differentias adducunt Autores: nam Hippocr. 1. *epid. p. 3. text. 16.* sic ait. *Oportet nosse in his temporibus judicationes futuras esse ad salutem, vel perniciem, vel inclinationem ad melius, vel ad deterius.* Quibus verbis quatuor crisis membra adducit sumptâ differentiâ ex termino ipsius mutationis, ratione cujus & mutationes ipsas essentialiter inter se differre est necessum. Quam divisionem esse sufficientem inveniemus: Nam solùm has mutationes vivens morbo affectum potest pati; Ergo ratione termini aliter non potest diversificari crisis. Quod etiam docuit Avic. *fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 2.* Crisim dividens in bonam, & malam, & eas subdividens in completam & incompletam; nam quæ in salutem vel melius terminatur, bona dicitur: Mala verò quæ in deterius, vel in mortem: quarum completa erit quæ in omnimodam salutem, & hanc vocat Avic. meliorem crisim, ut Galenus simpliciter talem; incompleta, quæ in melius tantùm, ut mala completa quæ in mortem, & incompleta, quæ in deterius terminatur: quam divisionem concedit etiam Galenus 2. *aphor. comment. 23.*

Licet ratione accidentium plura membra crisis adducant Autores, quorum aliqua cum dictis coincidunt, & aliqua diversificantur; at cùm non dentur per aliquid intrinsecum ipsi mutationi, non ità principalia sunt, sunt tamen cōsideranda pro usu Medico, ut valde necessaria, jam pro praxi, jam pro prognostico; siquidem ratione accidentium ejus de securitate, vel periculo præsagium deducitur, & an cessandum, vel operandum sit, fit manifestum, & sic malè à pluribus rejiciuntur: docet námque Galenus 3. *de crisi. c. 1.* mutationes in morbo sex esse, sic ait. *Sex sunt in morbis mutationum differentiæ: vel enim subitò ad sanitatem veniunt, vel subitò interimunt; vel paulatim horum utrumque contingit, vel mixtum.* Quibus verbis differentiam mutationis ex modo, & ex termino sumit: Ex modo, quatenùs paulatim, vel subitò, vel mixta fit mutatio: ex termino, quatenùs in mortem, vel salutem, in melius, vel in deterius est subita mutatio, cui associatur paulatina postea solutio; deficit enim morbus ipso, vel naturâ vincente: totum quod 3. *de cris. cap. 7.* modo dicto explicuit Galenus. Quibus verbis ratione termini quatuor membra ab Hippoc. adducta concessit, cùm non possint esse plura, tria verò ratione modi quatenùs vel subitò, vel paulatim, vel mixtum quælibet ex dictis mutationibus advenire potest, quæ si ad utramque mutationem attendamus, sex debent esse.

Dices; sicut mors, vel salus subitò, paulatim, & mixtim comparari possunt ut sex membra constituantur, mutatio in melius, vel in deterius, etiam tribus modis dictis potest esse, ergo duodecim debent esse differentiæ: Nam licèt verum sit quod Galenus eas non numeret, quia ex dictis intelligitur; attamen non debebat sex tantùm assignare, cùm plures sint.

Respondetur rectè dixisse Galenum sex tantùm esse differentias mutationum in morbis, quod mutatio mixta in salutem includit subitam mutationem in melius, & paulatinam deinceps solutionem, & mutatio mixta in mortem mutationem, etiam includit subitam in deterius, & paulatinam deinceps in mortem: nec aliter poterat fieri mixta in salutem, vel mortem mutatio, nec mutari in melius vel in deterius subitò, aliter poterat fieri quàm mixtum, sicut nec paulatim mutari in melius vel in deterius fit aliter quàm paulatim intendendo in salutem vel mortem: non ergo sunt plures quàm sex mutationum differentiæ ratione modi.

Hanc divisionem Galen. rejiciunt plures ex eo quod, paulatinæ mutationes à ratione crisis excluduntur à Galeno *in ipso capite 1. citato*, ubi sic ait. *Quæ sensim marcescente virtute, vel morbo contingunt mutationes, solutiones simpliciter, non crises nominantur.* Et *cap. 7.* sic ait. *Quicunque autem morbi paulatim finiuntur, solvi quidem in præsentiarū dicuntur, per crisim autē finiri, nequaquam:* Et consequenter cùm mutationes mixtæ non habeant rationem crisis nî ex parte, quæ subita sunt, talis divisio omninò excludenda est, nî accipiatur, quatenùs eum divisione Hippocr. coincidit. Quæ impugnatio non est admittenda, quia, ut diximus, nec de necessitate crisis est subitò fieri, nec hoc voluit Galenus, etsi per subitam mutationem pro famosiori definiatur: nam ut 3. *de cris. cap. 2. & 7.* docuerat, per evacuationem manifestam & abscessum fit crisis pluries, & parotides, vel abscessus fieri paulatim præter experimentum docet Galenus 1. *de dieb. decret. cap. 10.* sic. *Accidunt in his quoque per excretiones interdum judicia, sed rarò, nec magnam habent vehementiam, & frequenter pluribus diebus judicia complentur, maximè cùm in abscessum finiunt.* Docet autem paulatim fieri crisim cùm dicat pluribus diebus judicia compleri, præcipuè dum in abscessum finiunt, quâ ratione, etiam dixerat post quadragesimum morbos non terminari crisi, sed coctione, vel abscessu, scilicet non famosiori crisi, quam non excludit à rigorosa ratione crisis paulatinæ.

Nec Galenus à rigorosa ratione crisis mutationem paulatinam excludit, dum fiat cum evacuatione notabili, vel abscessu, ut videre est *in ipso cap. 7.* sic ait. *Vt vel efflatu digna evacuatio, vel omninò decubitus cum veloci perturbatione necessariò fiunt in crisibus, ità in solutionibus, neque agitatio aliqua, neque evacuatio, nec decubitus accidunt.* Quibus verbis solutiones à ratione crisis excludit, quia sine perturbatione & evacuatione fiunt, & consequenter infra quartum modum moriendi sine perturbatione, evacuatione, vel abscessu sine crisi fieri, ob eandem rationem dicit etiam & sic solutiones non crises appellat illas duas mutationes in ultimas in mortem, vel salutem, quia non fiunt evacuatione; dixit námque fieri virtute, vel morbo marcescente; si verò agitatione & evacuatione fierent, non dubito, quod eas crises appellaret. Quod patet; nam illam debemus dicere criticam mutationem, quæ sequitur causas crisis, licèt sit bona, vel quælibet alia, & quæ indicata fuerit: sed dum evacuatio & perturbatio indicata in suo quaternario incipit in suo septenario, debemus dicere

dicere causas crisis sequi etsi paulatim fiant, ergo talis mutatio critica erit. Patet : nam cui debet tribui commotio illa ni illo die in causis crisis ob quod criticus dies dicitur.

Si dicas illam mutationem dici subitam, etsi paulatim accidat, quia evacuatio, & perturbatio subitò fuit in illa die, quamvis per plures dies duret : Contra tamen est, quia si hoc est verum, nulla est mutatio vi evacuationis & perturbationis, quæ non sit subita ; nulla enim est quæ in aliquo die repentè non incipiat, & sic noster motus dicendi non deficeret à communi. Attamen cùm in rigore paulatinæ mutationes sint quæ per plures dies fiunt, quia paulatim salus, vel mors dictis in casibus veniunt, ut accidit dum sine evacuatione & perturbatione eveniunt in casibus qui à Gal. solutiones appellantur, crises etiam paulatim fieri est dicendum cum perturbatione, evacuatione, vel abscessu, juxta mentem Galeni, & sic definienda est crisis, est mutatio in salutem, vel mortem cum evacuatione & perturbatione, licèt Galenus eam definiat per subitam mutationem, quia illi veluti per antonomasiam ratio crisis convenit, vel quia sufficit perturbationem fieri subitò, etsi duret, ut mutatio subita dicatur, ob quod Galenus *cap. 7.* docuit evacuationem, vel abscessum cum veloci perturbatione necessariò in crisibus fieri.

Ratione accidentium, quæ crisibus accidunt, plures differentias adducit Galenus 1. *de die. decret. cap. 2.* Nam eam perfectam, & absolutam appellat fidam, firmam, vel securam, tutam, manifestam, cum bonis signis, & bonam, vel his oppositam : perfecta est, quæ morbum omninò tollit ; secura, quæ sine recidiva ; tuta, quæ sine periculosis accidentibus ; manifesta, quæ cum evacuatione, vel abscessu sensibili, cum bonis signis, quæ fuerit indicata ; bona tandem, quæ ad sanitatem tendit, qualis erit, quæ in meliùs terminatur, quibus contrariæ notæ sunt. Quæ divisio non minùs necessaria est, quàm prima ad usus medicos, siquidem si perfecta fuerit, & fida, cessandum erit ab opere, secùs si imperfecta, vel infida, juxta doctrinam Galeni 1. *aph. comment. 20.* Super illa verba. *Qui judicantur & judicata sunt integrè, nec novare, nec movere, &c.* Ad quod considerare an manifesta fuerit, vel obscura oportet, ubi per obscuram hic à Galeno adductam non est intelligenda, quæ absque evacuatione vel abscessu est, absolutè petit unum, vel alterum crisis necessariò, sed quæ est sine evacuatione sensibus manifesta : sic ait. *Obscura est quæ citra excretionem, vel abscessum evidentem evenit*, Talis erit, quæ per resolutionem fit, ut docuit Vallesf. ut constet malè reprehendi à Petrasitano 3. *prog. cap. 1.* ideò diximus debere fieri per evacuationem manifestam saltem per rationem.

Contra principalem divisionem est difficultas non debilis : nam crisis dividimr per differentias essentiales ratione terminorum : sed alium terminum præter dictos potest habere crisis, ergo sunt plusquàm quatuor differentiæ. Antecedens patet : nam dum morbus permutatur, vel terminatur in abscessus, non terminatur in salutem, vel mortem, non in meliùs, vel in deteriùs, quia potest esse æquale periculum in abscessu, ac in morbo antecedenti, ut pluries experientia visum est, sed talis mutatio est vera crisis ex Galeno 3. *de crif. cap. 2. & 11.* Ergo datur alia differentia ratione termini. Patet : nam sicut vivens transit ab statu morboso, vel à morbo in alios terminos, transit etiam in abscessum ; ergo datur mutatio diversa, ac per consequens diversa crisis ratione termini, quam dedit Avic. *fen 2. lib. 4. tract. 1. cap. 2.* sub nomine crisis permutationis.

Secundò videtur crisim non rectè dici mutationem ; nam crisis est mutatio qua vivens mutatur ab statu morboso, vel à morbo in terminos dictos : sed vivens non mutatur in ipsos per dictas omnes mutationes ; ergo aliqua earum non debet dici mutatio. Minor probatur : nam id mutatur quod est sub utroque termino, tum quod transit ab uno termino in alterum, illud vivens non transit ab uno termino in alterum, ità ut sit sub utroque, ergo non mutatur. Patet in crisi, quæ terminatur in mortem, non transit vivens ab uno termino in alterum, ergo non mutatur, ac per consequens talis crisis non est mutatio. Nec valet dicere subjectum quod mutatur esse materiam primam ; nam contra est, quia præterquam quod hoc non valet apud ponentes totum compositum subjectum accidentium, non poterit dici crisis mutatio absolutè, quia cùm tales mutationes accidentales, & substantiales sint, quatenùs aliæ terminantur ad aliquid accidens, & alia ad non esse subjecti, in mortem scilicet, non poterunt una definitione definiri, siquidem, ea quæ non conveniunt univocè, una definitione definiri nequeunt.

Respondetur ad primum meritò talem differentiam, ut distinctam non adduxisse, Hippocratem quod sub aliqua ex dictis necessariò comprehenditur ; nam cùm tales mutationes dicantur, quatenùs vivens mutatur per mutationem morbi, & dum fiunt abscessus morbus mutetur, vel quia finitur, vel quia minuitur, vel quia augetur ; hinc est quod sub una ex tribus mutationibus necessariò contineatur, & in esse mutationis non differat à dictis, quidquid sit de majoritate, vel minoritate, morbi advenientis : dixit enim expressè Galenus crisim nuncupari mutationem morbi, non quatenùs sit subjectum ejus, sed quatenùs mutatio in ipso facta est. Propter quam subjectum mutatur, hoc, vel illo modo, & sic cùm de mutationibus in morbo factis agat, rectè assignat illam, qua vivens perit, quia univocè cum aliis in hoc quod est mutationem in morbo fieri convenit, quatenùs ipsi deficit per corruptionem subjecti, sicut etiam deficit, dum à natura vincitur, vel dum minuitur, & dum in deteriùs mutatur.

Doctrinâ positâ solvitur quintum dubium, nam 1. *de crif. cap. 1.* ait Galenus. *Vel subitam in morbo mutationem, vel ad meliorem statum inclinationem, vel omnem morbi solutionem crisim voluerit appella, non morbi hoc in loco distinguere.* Et *lib. 2. cap. 1.* ait, *Vel universam in morbo transmutationem, vel subitam tantùm, vel velocem conturbationem, quispiam velit nominare crisim, non est meum in hoc loco definire.* Et 3. *de crif. cap. 3.* sic, *Propositum nostrum est, omnis in morbo mutationis præsentis dignotiones futura præcognitione dicere, sex sunt in morbis mutationes differentes.* Quibus verbis manifestè docet modos quibus mutatur, vel deficit, ratione cujus mutatio dicitur, & subjectum mutatur, per quod non est intelligendum, etiam morbum mutari prout sub utroque extremo est, sed quatenùs in suo esse variantur in ordine ad vivens, quod quadruplex differentia

..it, quia in ordine ad ipsum variatur morbus, l in deterius, vel in melius, vel vincens, vel ..ia vincitur.

Præter divisiones adductas Galenus 3. *de crif. cap.* 1. alias crisis differentias adduxit, sumptas ..diversitate evacuationis, quæ in ipsa crisi inveniuntur, sic ait, *Si quis subitò morbo liberatur, hic omninò aliqua evacuatio effatu digna contingit, vel per vomitum, vel per alvum, vel sudorem, vel urinam, vel sanguinis è naribus profluvium, vel ex se, vel per hæmorrhoidas, vel purgationem menstruorum, sed, & parotides in tempore opportuno non paucos liberarunt, & quidem antecedit, his omnibus non modica in ægrotantium corpore perturbatio.* Quibus verbis diversas crises ratione evacuationis adducit, sub quibus etiam est intelligenda obscura crisis, nam talis esse potest, vel per sudorem insensibilem, qualis est transpiratio, vel qui cum sudore ab exercitio præcedente permiscetur, & cum dejectione, vel vomitu quotidiano, vel ab aliqua causa externa excitato; st enim talis divisio crisis per causas, quatenùs ..docet Galenus 1. *de crif. cap.* 14. tales evacuationes signa & causas appellat, de quibus omnibus etiam egit *lib.* 3. *cap.* 3. *&* 11. dicens cui ..orbo quælibet propria sit, & quibus dignoscatur.

QVÆSTIO III.

De signis, & morbis proprijs pro qualibet Crisi.

QUAM necessaria sit cujuslibet crisis cognitio notum existit, quamvis minùs principalis appareat differentia, quæ ratione connotati, vel evacuationis datur, constabit ejus necessitas si attendamus Hippocr. t. *aphor. text* 21. dicentem. *Quæ ducere oportet, quò maximè vergunt, eò ducere oportet per convenientem regionem.* Quasi diceret, convenientem regionem esse respiciendam, dum natura ad expellendum movetur, ut Medicus juvet evacuationem si non sufficiat, ut voluit Galenus *in comm.* juxta illud quod dixerat Hipp. *tex.* 20. *Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, nec novare nec movere.* Idest, si non integrè judicantur, juvare per convenientem regionem, *Movetur horâ motu ejus*, ut Avicenn. *fen lib.* 4. *cap.* 7. dum natura non movet, id est, dum movere debet, totum quod petit; ut morbos quibus propria quælibet crisis sit, explanemus, & signa quibus eorum crisim esse futuram cognoscamus, ut forsan ne conantes aliquem hujus motum ciere, vel ipsum plusquàm requiritur augeamus, vel faciendum à natura contraria motu impediamus; habet enim ipsa pluries diversos motus utiles pro omnis morbi solutione sui crisi, ut ex Galeno 3. *de crif. cap.* 3. dicemus; si verò cujuslibet attentè signa non respiciamus, crisim futuram non cognoscentes, superfluum forsan faciemus, vel ipsius contrarium excitantes, motum impediemus, ità ut nullus perficiatur, opere naturæ modò impedito, & modò ab opere naturâ cessante, ideò signa, & morbos pro qualibet crisi adducemus.

Tractatu de rebus secunda naturam quæst. 2. à nobis de signis agentibus signa crisis explanatur sunt; at cùm propriè ad hunc pertineant, plura repetere est necessarium; signa námque critica, alia sunt commonia, alia particularia; communia sunt, quæ pro qualibet crisi sunt, vel quæ motum, vel agitationem naturæ sequuntur, & comitantur: asseruit enim Galenus 3. *de crif. cap.* 2. *&* 7. ad omnem crisim perturbationem præcedere, ferè eadem sunt verba in utroque. Sic ait. *Antecedit autem hujusmodi excretiones, & abscessus non mediocris perturbatio in corpore ægrotantis, nam & vigiliæ, & difficiles tolerantiæ, & deliria, &c.* Quibus verbis & sequentibus plura accidentia adducit, quæ agitationem humorum evacuandorum sequuntur, ratione cujus vivens angitur, inquietus manet, & prava eveniunt accidentia, quæ omnia 1. *de causs. cap.* 14. adduxerat dicens alia esse signa solùm, alia signa & causa: signa tantùm sunt jam dicta; signa & causa evacuationes ipsæ, quæ jam determinata crisis erunt causæ & signa, non tamen communia; ità ut quoties anxietates, delirium, inquietudo, & similia apparent, agitationis, & commutationis materiæ pro expulsione, est signum non tantùm fidum, & certum, ut *in ipso cap.* docet, ità ut necessariò debet esse. Crisis infida, inquit, est universa eorum natura & contraria significans: at si aliqua sunt, dicta sunt, & ex conjunctione signorum certitudo possibilis est indaganda.

Inter signa communia debet adduci indicatio in quaternario facta, ratione cujus Hippocr. 2. *aphoris. text.* 24. ait, *Septenorum quartus est index.* Et 4. *aphor. text.* 71. *Quibus dies septima crisis futura est, his urina rubram nubeculam die quarto habet.* Ità ut quando cum dictis signis cum perturbatione scilicet præcessit in die judicante mutatio, vel significatio aliqua certiora crisis absolutè erunt signa, quorum naturam significavit Hipp. 2. *aphoris. text.* 13. dicens, *Quibus crisis futura est, nox antecedens difficilis.* Ad quod non minùs faciet perturbationem fieri etiam in die judicatorio; erunt tamen hæc signa cum aliqua differentia: nam ea quæ perturbationem significant, vel sequuntur, instantis crisis indicia sunt, judicatio tamen, vel insinuatio in quaternario non imminentis crisis, sed ipsius in suo septenario futuro est signum, ità ut quæ imminentem crisim significant, verè critica signa dicantur, quæ verò in quaternario indicant, non ità, vel pro hoc, vel illo die sunt, talia enim sunt ipsa signa coctionis, scilicet, immutatione in urina, quæ prout in die judicante apparet, crisis dicitur signum, juxta doctrinam Hippocr. quæ signa in febre non lethali certiora crisis sunt, ut Hippocr. 8. *prog. text.* 32. Nam in lethali periculosa valde existunt, ideò infida ea appellat Galenus: nam signo aliquo lethali existente, ipsa perniciosa appellat Hippoc. *text.* 13. *ejusdem lib.* quod non tollit critica etiam esse posse in febre lethali, at si virium imbecillitas constet, potiùs mortis, quàm crisis timenda sunt indicia.

Signis commuoibus positis aliqua dantur determinatam crisim ostendentia, quæ jam particularia sunt, quia particularem demonstrant crisim, de quibus Galenus 3. *de ca. cap.* 11. Non particularem aliter quàm ratione evacuationis, ut constet quàm necessaria sit divisio crisis ratione connotati, vel evacuationis, quam requirit

quirit, & connotat, sicut etiam dedit diversitatem crisis ratione perturbationis, quatenùs 1. *de dieb. decret. cap.* 2. aliam dixit esse cum gravibus accidentibus, aliam sine ipsis: per quod non est intelligendum crisim aliquam sine accidentibus esse, licèt sine signis dicatur à Galeno quæ indicata non fuerit 3. *de crisi. cap.* 14. vel quatenùs ipsis non constat gravibus, cujus causam dabimus *infrà*, omnem tamen crisim supponere perturbationem docuit Galenus *suprà*, & sic sine signis esse repugnat, dicemus tamen cujuslibet signa particularia.

Galenus *cap.* 3. *&* 4. ut indicia optimæ crisis describat, morbi speciem vel naturam considerare docuit, ut inde quævis sit propria evacuatio dignoscatur; cognoscitur enim vel à priori, vel à posteriori, qualis sit morbus, & sic, & crisis conveniens à priori, vel à posteriori deducetur: Cognoscitur à priori morbus per causam; à posteriori per ejus accidentia: similiter crisis futura per causas crisis in morbo repertas epid. quod in simili morbo fuerunt: ad quod ætatem, tempus, & actualem dispositionem considerare docuit Galenus: nam si morbus ea illis est, qui ab humoribus calidis & tenuibus dependet, excretionibus potiùs quàm abscessu terminabitur, è contrà verò qui à crassis & frigidis humoribus nascitur, quà proportione de tempore anni est procedendum; de corporis temperie & ætate, ut Galenus 2. *prog. comm.* 65. & 3. *prog. comment.* 24. sequens Hippocr. quod cum ordine ad facultates esse intelligendum docuit etiam, ità ut facultas fortis pro humoribus crassis expellendis requiratur, etsi pro tenuibus si fiant abscessus, debilis sufficiat, sic non in senibus, sed in juvenibus fieri docuit Hippocrat. 3. *prog. text.* 26. ex eo quod morbus ipse facere habet, etiam crisis futura dignoscitur; nam juxta præsentem temporis dispositionem morbi vel per sudorem, vel abscessum, vel aliter terminantur, & sic idem de morbo pro tunc eveniente, præsagiendum; facit enim tempestas vel ratione astri, sive ratione loci, sive ratione ipsius anni mutationis ut omnes morbi pro tunc eadem evacuatione finiantur, sicut dum ratione materiæ evacuationes eveniunt cum ordine ad corporis dispositionem diversis evacuationibus morbi finiuntur in eadem tempestate; ad quod faciet magis cujuslibet morbi specialis dispositio, ut Galenus 3. *de crisi. cap.* 3. dicens, *Inspicere oportet, & speciem morbi, & morem, deinde si forma morbi excretio respondeat.* Et immediatè pro febre ardente quamlibet excretionem convenientem judicat, id est, per quamlibet regionem (de hoc est difficultas) pro tertiana verò sanguinis fluxum, non numerando alias, maximè pro quotidiana dejectiones & vomitiones pituitæ, necnò sudores, pro phrenitide sudores, & aliquando sanguinem narium; quam evacuationem non esse conducentem pro lethargo, & pulmonia fatetur, etsi plevritidem medio modo se habere inter febrem ardentem, & lethargum affirmat, pro lienis & omnium hypochondriorum inflammationibus, febre ouà existente, sanguinem narium commendat cum rectitudine eveniente, vel sudores, etsi pro parte cava hepatis utilior sit ventris fluxus, & pro gibba urinæ motus, sicut & pro affectibus renum & vesicæ; pro affectibus pectoris & thoracis sputamina; tandem pro communi febre sudores laudat, nec non, & pro inflammationibus, pro quartana vomitus, & dejectiones atras; pro semitertiana biliosas, & pituitosas, necnon pro parotidibus, lethargo, & omni capitis morbo, abscessus tamen pro febre qualibet longa, etsi immutatio pulsûs communis pro qualibet crisi sit, de ea non agit Galenus quia pulsum immutari, non tam crisim quàm corporis, & humorum quamlibet variationem sequitur, & pluries æqualis pulsus resultat, materià à corde semotà, immutario tamen quæ invenitur in qualibet determinata crisi, explicabitur de qualibet agendo.

Cùm ergo & morbus speciales habeat crises ea ejus quoque natura qualis sit futura deducemus, præcipuè si signa specificantia seorsim attendamus, ut ea eis, quæ pro quolibet morbo propria adducit Galenus eam determinatam cognoscamus, ità ut paucioribus signis existentibus pro crisi, tali morbi propria ipsa sit prædicenda, quàm si pluta etiam pro alia inveniantur, præcipuè si tempestas pro ipsa faciat: difficile tamen est an crises dictæ ità pro morbis positis faciant, ut alis pro ipsis non conducat, videtur enim ratione, & experientia contrarium demonstrari; quis namque expertus non est parotidibus pluries morbos acutos terminari, ergo non solum excretionibus; sed etiam abscessu poterit febris ardens judicari, ac per consequens malè Galenus solas excretiones nominat crises.

Probatur etiam ratione: nam si plurimùm tenue resolvatur in febre ardente, crassum quod remaneat optimè potest permutari in abscessum; ergo non solùm excretionibus judicatur. Antecedens patet, & adhuc de tota materia tenui potest verificari, cùm asserat Galenus 3. *prog. comment.* 24. abscessus fieri materià existente calidâ, & tenui cum facultate debili, ergo etiam febris ardens abscessu poterit judicari. Quod confirmat ipse dum parotides pro omnibus affectibus capitis utiles judicat, sed plures fiunt ab humore tenui, ut est phrenitis, ergo utilis erit etiam abscessus pro febre ardente.

Secundò, quia videtur fluxum sanguinis narium utilem esse pro tertiana, sicut alias excretiones. Patet: nam phrenitis fit à bile, & pro ipsa sanguinem narium commendat Galenus: ergo etiamsi tertiana fiat à bile, utilis erit sanguis narium.

Tertiò pro quotidiana debebat adducere abscessus, cùm à crasso pendeat humore qui aut coctione, vel abscessu morbum finit, ut Galenus 2. *prog. comment.* 65.

Quartò, nam si pro inflammationibus hypochondriorum sanguinem narium laudat, & pro plevritide, debebat etiam pro lethargo, & peripneumonia commendare, præcipuè cùm hi affectus sanguinis missione curentur: ergo si sanguinis missio ab arte facta medela est, critica sanguinis expulsio medela esse debet, ad quod facit connexio & rectitudo magna partis affectæ cum narium fluxu, quæ est major in lethargo, & pulmonia, quàm in plevritide, & jecoris vel lienis inflammatione.

Quintò: Nam sanguis narium est utilis quatenùs materia antecedens, & forsan conjuncta, evacuatur, liene, vel hepate patiente; sed hæc utilitas sequitur necessariò, etiamsi febris acuta non sit; ergo non solùm est commendandus sanguis narium in jecoris inflammatione febre unà acutà existente, ut voluit Galenus, sed etiam sine ipsa. Patet; nam etiamsi febris non sit, ter-

minabitur inflammatio, evacuato sanguine per artem, ergo sanguinis evacuatio per naturam utilis erit, etiamsi deficiat febris. Circa convenientiam sudoris in hepatis inflammatione non curo dixisse Mer. *lib. 4. de cur. morborum cap.* 2. sudorem notandum esse hepate inflammato; nam intelligi potest de sudore vi medicamentorum facto, vel de sudore absolutè inflammata parte sine febre acuta; Galenus verò loquitur de inflammatione cum febre acuta, sudore optimo à natura facto; sudor námque vi medicamentorum periculosus est ob calefactionem, & commotionem humoris ad partem affectam; qui verò à natura fit, potiùs expulsionem denotat: & facultatis robur, ratione cujus adhuc febre existente majorem convenientiam habet.

Tandem quia in phrenitide & similibus affectibus peccat bilis; sed critica & conveniens evacuatio debet esse juxta ideam humoris peccantis, ergo pro ipsis utilis erit bilis evacuatio, ac per consequens illa in qua alter humor evacuatur inutilis erit. Major patet ex doctrina Galeni, & Avicenn. Minorem ostendit Galenus *in ipso capite* 3. juxta doctrinam Hippocr. 1. *aphor. text.* 2. dicentis sic. *In evacuationibus ventris, & vomitibus spontè factis, si purgatio fiat qualis fieri debet, & confert.* Et *text.* 23. sic. *Dejectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia dejiciantur qualia conveniunt.* Ergo crisis debet esse juxta ideam humoris peccantis, sed sanguinis fluxus tantùm abest ut sit juxta ideam humoris peccantis in phrenitide, quin potiùs evacuatione sanguinis prohibeat Avicenn. bile peccante; ergo non erit conveniens crisis pro sanguine narium in tertiana, & phrenitide. Quod in his affectibus peccet bilis constat; nam Galenus 1. *de art. cur. ad Glauc. cap.* 9. expressè docet tertianam à bile fieri, & remediis contra ipsam facientibus curari: 3. tamen *de loc. capite* 5. phrenitidem à bile tantùm ortum ducere scripsit; ergo in his affectibus non erit utilis sanguis narium.

Nihilominùs verum est crises convenientes pro quolibet ex dictis affectibus esse assignatas à Galeno, alias verò non ità conducentes esse, etsi possint facere pro ablatione talium morborum: aliud enim est quæ sint evacuationes conducentes pro morbo, aliud verò an cum aliis possit morbus cessare. Primum docet Galenus *in hoc cap.* 3. nam agebat de conditionibus optimæ crisis, & de ipsis agens dixit quod formæ morbi excretio respondeat, id est, quod evacuatio sit juxta ideam humoris peccantis; nam talis meritò optima ex hanc parte dicetur, & in ordine ad hoc crises dictas numeravit pro morbis dictis: agit ergo de signis optimæ crisis, & sub hoc titulo inscripsit; & cùm crisis, quæ non sit juxta ideam, & regionem causæ, non debeat judicari optima pro morbo, etsi pro ejus ablatione faciat, hinc est, quod adducat evacuationes pro morbis, quæ sint propriæ juxta ideam causæ, non verò quæ juxta eam non sunt, etsi morbum solvant.

Ad primum Respondetur quod licèt abscessus pro febre ardenti possit facere, cùm non sit ejus propria terminatio, non adducitur à Galeno; est enim propria terminatio humoris facientis febrem ardentem, qui tenuis, & calidus est, excretio vel evacuatio, juxta doctrinam Galeni 2. *prog. comment.* 65. & 3. *prog. comment.* 24. crassi verò humoris abscessus: & cùm in febre ardente crassus non peccet humor, abscessus non adducit, qui non communiter eveniunt; quod non tollit id quod esse potest; potest etiam abscessus sufficere pro febre ardente, dum facultas est debilis, ut docuit 3. *prog. comment.* 24. At cùm hoc rarò sit, non potest adduci ut signum commune optimæ crisis, non negat Galenus in febre ardente, & in aliis abscessus posse accidere pravos, ut fit in principio plurium malignarum febrium, & ut docuit Hippocrat. 2. *prænot.* qui pravi sunt, & febris malignæ, & pestilentis efficax signum, sequitur enim irritatio malignæ causæ; Galenus verò in præsenti agit de optimis terminationibus morborum, quales sunt propriæ, & hac ratione etiam 1. *prog. comment.* 65. dicens cujus morbi proprij sint abscessus: sic ait. *Non enim si concoctu facilis sit per abscessum solvetur morbus, nec si exitiosus existat aliquis bonus abscessus apparebit.* Et sic dum ejus signa dedit Hippocr. *in ipso text.* & 3. *prog.* inquit esse expectandos in febre salubri, quasi diceret non ego posse esse abscessus in febre lethali, at abscessus boni non nisi in febre salutari sunt expectandi.

Ad secundum, jam diximus crisim propriam adducere conducentem tantùm, & sic licèt possit esse utilis sanguis narium, non est propria evacuatio in tertiana.

Ad tertium dicimus quod licèt non numeret abscessus agens de quotidiana, ipsos sub generali ratione comprehendit dum *infrà* sic ait, *Decubitus omnes febres diuturnas judicare consueverunt.*

Ad quartum Respondetur quod cùm lethargus & pulmonia communiter à pituita fiant, ut docet Galenus de lethargo 3. *aphor. comment.* 30. de pulmonia, 4. *de præsag. ex pul. cap.* 12. hinc est quod sanguinis fluxus non sit propria evacuatio, & sic non adducatur, etsi possint per ipsum solvi saltim evacuatione mixtâ, phlebotomia tamen fit in dictis morbis pro causa, vel materia antecedente, quàm pro conjuncta, & sic ut notat Merc. magis pro deponenda plenitudine sanguinis missio exercetur, quàm propter curationem.

Ad quintum Respondetur dixisse Galenum sanguinem narium esse utilem inflammato hepate, cum febre acuta, agebat enim de signis bonæ crisis; & cum crises sint acutorum morborum propriè, ut ipse dicit, hinc est quod non adducat crisim inflammationis tantùm, sed ipsius cum febre acuta & de ipsa etiam docet sudorem esse utilem.

Ad ultimum dicimus Galenum non adduxisse pro optima crisi phrenitidis sanguinem narium, sed potiùs sudorem: dixit tamen aliquando terminare sanguine narium, quod est dicere ejus esse propriam crisim, sed aliquando convenire, quod pluries sanguine & bile fit, pro quibus humoribus utilis est narium evacuatio sanguinea, dixit enim 2. *de caus. symp. cap. ult.* ob hanc rationem à calidis succis fieri, tertiana verò ex se à bile exquisita fit, & sic ei nunquam sanguis è naribus detrahetur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De signis ostendentibus Crisim per abscessum.

CUM plures crises, vel evacuationes pro quolibet morbo sint, est necessum cujuslibet adducere propria signa. Crisim per abscessum significavit Galenus 3. *prog. comment.* 25. in longa febre dum sine manifesta causa dolor in articulis apparet, præcipuè post vigesimum diem: & 2. *prognosticorum comment.* 65. si febre perseverante & dolore in pulmone, nec sputum excreatur, nec alvus biliosa, vel liquida excernit, nec urina multa, & crassa, sed cruda, & tenuis est, & alia salutem prædicant, abscessus expectandus est; suprà, si spiritus adsit difficultas; infrà, si dolor in hypochondriis, vel articulis appareat. Eadémque signa adducit *cap.* 11. *citato*, quibus addit surditatem, somnum & capitis gravitatem, ut post aures abscessus prædicemus motum humoris per illam regionem significantes, dixítque hoc in febre continua evenire cujus propriæ sunt crises, quæ longa debent esse ob humorum crassitiem: nam ob errorem, vel partem affectam difficilis curationis adveniat materia, apta pro abscessibus non est, & sic non sunt expectandi; est enim abscessus media terminatio inter illam, quæ per evacuationem & per coctionem fit, illa fortem facultatem, & humores ad expulsionem aptos demonstrat, coctio verò debilem facultatem in ordine ad expulsionem, ratione cujus abscessus facultatem demonstrat pro expulsione valentem, saltem ad alteram partem, quæ media est, ut docuit Galenus *comment.* 25. *prog. citato*, & Avic. *fen* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. evenire dixit dum facultas expellere tentans non valet extra propellere, valet tamen in alteram partem humorem rejicere; propter quod Galenus *comment.* 23. *supra*, facultatem fortem pro humore crasso requirit, etsi debilem sufficere debeat dum humores tenues sunt.

Ex dictis manet quod licèt abscessus possint accipi pro tumoribus suppuratis, ut docuit Galenus 14. *meth. cap.* 12. ex eo quod partes, quæ anteà erant conjunctæ abscedant, vel separentur, ut voluit 2. *ad Glauc. cap.* 7. & pro expulsione vel decubitu humoris ab una parte in alias etsi non firmetur: quà ratione Hippocr. 1. *epid. parte* 2. *text.* 35. dysenterias & alvi fluxiones abscessus appellat, ut docet *in comment.* Galenus sic ait. *Quod autem per missionem evacuationes abscessus appellet, per eam quæ infertur orationem determinavit.* Et licèt accipiatur etiam pro morbo in quem alter permutatur: quâ ratione 3. *epid. p.* 1. de Herm. appellat ictericiosum abscessum ictericiam in quam morbus fuit mutatus, in præsenti pro tumore in quem materia morbi permutator, accipitur, naturâ ipsam expellere conante, in quo vera ratio abscessûs reperitur, abscissio scilicet partium conjunctarum per imbibitionem, seu immissionem humoris expulsi in illam partem, ratione cujus abscessus dicitur à Galeno 2. *ad Gla.* & 14. *meth. citatis*, & ratione cujus ab ipso 3. *de cris. cap.* 3. & 11. & ab Avic. *cap.* 2. *citato*, crisis permutatio dicitur, non absolutè crisis abscessus, & per ipsum quemlibet tumorem in quem morbus permutatur intelligit Avic. etsi etiam alios affectus per nomen exituræ significet sub ratione permutationis.

Temporis temperies etiam ad abscessus facit, & sic ex ipsa deduci possunt, propter quod Hippoc. 3. *prog. text.* 29. ait. *Abscessus hyeme magis accidere, seriùs finiri, & non facilè reverti.* Facit enim frigida temperies ad materiam crassam generandam quæ febris longæ sit causa, cujus propriam terminationem dixit Hippoc. abscessum 3. *prog. citato* & 4. *aphor. text.* 44. ait. *Quibus febres longæ, his tubercula vel labores in articulis fiunt.* Quod tardiùs finiantur certum est, frigore ejus resolutionem, & calefactionem impediente, sicut & reversionem materiâ incrassatâ magis & refrigeratâ, sic ait Galenus *in comment. At frigidi humores moveri difficiliùs possunt.* Quid mirum ergo quod minùs recrudescant hyeme, quàm æstate, in qua humorum caliditas ad facilem motum conducit.

Docuit etiam Hippocr. abscessum esse expectandum dum urina non est multa, & crassa; quod idem est ac si diceret crudam & tenuem, ut 2. *prog. text.* 34. scripsit. *Quod significat non evacuari materiam morbi coctam paulatim, & sic ex tali materia crassa detenta abscessus est expectandus.* Ideò 4. *aphor. text.* 74. ait; *Liberat ab abscessu urina multa & crassa,* Quatenùs ejus materia evacuatur; ergo ex urina tenui & cruda per plures dies ejecta abscessus est præsagiendus: dixit Hippocr. si pluries mingatur, nam ex unica vice materia pro abscessu non conjungitur, conjungitur tamen si pluries detineatur: circa quod difficile resultat dubium: Nam si urina multa, & crassa plurimum habens sedimentum, liberat ab abscessu, quia materia paulatim evacuatur, vel talis evacuatio est critica, ità ut dicamus per crisim à crisi liberari, & concedamus crisim paulatinam, quam plures renuunt, vel est evacuatio facta paulatim materiæ coctæ, qualis reperitur in omni morbo qui terminatur per coctionem, quod est contra nostrum placitum, quo dicimus mutationem paulatinam cum evacuatione esse crisim, & consequenter omnis morbus, qui terminatur coctione, terminaretur crisi, quod est contra ipsum Galenum 3. *prog. comment.* 23. dicentem humores crudos vel per coctionem, vel per abscessum ejici, calidos verò per excretionem, ubi ponit distinctionem in hoc, quod est terminari crisi, vel coctione: nam si per coctionem crisis intelligeretur, omnis optima crisis coctionem requirit, & sic non erat adducenda distinctio inter hoc quod est finiri crisi, vel coctione.

Prætereà: quia si crisis debet supponere coctionem in materia propter quam in statu debet fieri, ut Galenus 3. *de cris. cap.* 5. & 6. non poterit expectari abscessus urinâ existente crudâ, & tenui, aliàs pravus erit, quod non concedit Hippoc. cùm agat de ipso in morbo, qui abscessu debet benè terminari. Nec valet communis solutio dicens abscessum esse expectandum quando per multum tempus urina tenuis, & cruda est, quia significat materiam detineri ad permutationem, non tamen est expectandus donec urina coquatur, quia sine coctione crisis non est, hoc (inquam) nil valet: nam urina non potest apparere cocta nisi quia signis coctionis in ipsa conspiciantur; sed quando ità apparet, materia evacuatur;

evacuatur; ergo non erit expectandus abscessus, quia dum urmina cum sedimento ejicitur, ab abscessu liberare docuit Hippocr. & in statu sedimentum debet esse, præcipuè ex materia crassa, quæ debet facere abscessum.

Ad primum dicimus dupliciter per urinam crassam & cum sedimento ab abscessu liberari, vel per crisim, vel per coctionem, quia utroque modo materia evacuatur cocta, ut Galenus docuit: nam 3. *de crif. cap.* 3. crisis bona cum signis coctionis debet esse, & dum morbus terminatur coctione, materia cocta debet extra corpus pelli, vel per dejectionem, etsi rarò, vel per urinam, ut 3. *prog. comment.* 23. docuit etiam: hæc tamen est differentia, quod dum materia evacuatur cocta per crisim subitò, evacuatio ferè totius materiæ est, aut majoris partis ejus; etsi posteà paulatim reliquum evacuetur, incipitque talis universalis expulsio, in statu, & tempore accessionis, ut 3. *de crif. cap.* 4. docet Galenus, quia tunc natura excitatur magis ad pugnam contra causam, & consequenter ad expellendum movetur; ideò Avic. *fen* 1. *lib.* 4. *c.* 3. definiens statum ait, *Et hora in qua est vehement pugna inter naturam & materiam, & apparet victoria unius supra aliam, & est hora pugna*, & sic in ipsis tota materia in unicam criticam expulsionem servatur, quin aliud ejiciatur præter id quod mutationem materiæ quoad coctionem & cruditatem significat; in aliis autem morbis qui ad unicam criticam expulsionem non servant materiam, paulatim ab augmento morbi incipit sensibilis, & manifesta materiæ expulsio, & sic deficit pro abscessu, ideò dixit, *Si pluries mingatur tenuis & cruda urina, expectandus est abscessus*, Quia deficit quod per plures dies erat evacuandum, non tamen erit critica evacuatio illa, quia nec in statu seu tempore pugnæ fit, nec perturbatione facta in die judicatorio à causis crisim facientibus.

Ad secundum dicimus non evenire abscessum bonum in urina cum signis perfectæ coctionis existat, quæ non dicunt evacuationem materiæ ab abscessu liberantem, de qua loquimur. Hipp. loquitur de multa urina cum multo sedimento; signa autem quæ augmentum, vel statum significant, non faciunt urinam multam crassam, & cum multo sedimento, & sic non tollunt abscessum, sed ipsum jam futurum significant cum aliis signis, significatus namque fuit anteà per cruditatem & tenuitatem præcedentem urinæ in morbis longis post vigesimum diem, perseverante febre cum salutis signis.

Circa partem in qua firmandus est abscessus, Hippocr. 2. *prog. text.* 66. quem sequitur Galen. *in comment.* & 3. *de crif. cap.* 11. inquit, [Si dolor vel phlogosis in hypochondriis appareat, infrà expectandus est abscessus, suprà verò bis deficientibus, præcipuè si difficultas respirandi adveniat, surditas, & alia, quæ capitis gravitatem significant.] Clarius tamen 4. *aphor. text.* 33. sic, *Si ante morbum aliqua pars laboraverit, in ea morbus firmatur.*

Vnum tamen notandum quod docet Vallef. 2. *meth. cap.* 13. abscessus scilicet majores evenire dum non fuit facta evacuatio satis inter initia, idest sufficiens, ut constet residuum materiæ quod debebat evacuari & evacuatum non fuit, abscessus fuisse causam, & sic nil mirum quod in quantitate ità parva materia faciens abscessum pro terminatione morbi sufficiant, nam non tota quæ morbum faciebat movetur, sed residuum quod post evacuationes redundabat, & forsan foci putredinis vitium, vel intemperiem conservabat; dum autem non residuum, sed tota materia, vel magna ejus quantitas existit pro abscessu, periculum magnitudinis valde lædentis diversimodò juxta diversitatem partis, vel per suffocationem, si post aures fiat, vel per corruptionem manûs, pedis, vel articuli: propter quod Hippocr. 2. *prognost. text.* 67. ait. *Si nec sputum probè excernitur, nilque residet in urina, ne ex eo articulo claudicet æger periculum est*. Quasi diceret, si nil materiæ ejectum fuerit, corruptionis articuli, hoc est partis affectæ periculum est, propter concursum magnæ humorum quantitatis ad partem, calorem nativum suffocantis & corrumpentis.

QVÆSTIO V.

De signis ostendentibus Crisim per fluxum sanguinis.

CRISIM per fluxum sanguinis fieri docet Hippocr. 2. *progn. text.* 36. & 3. *prog. text.* 13. & 1. *epid. p.* 3. *agroto* 7. Galenus 3. *de crif. cap.* 3. & 11. & Avicenn. *fen* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. Et quod magis est, experientiâ in Metone fuit ab Hippocrate comprobatum *lib.* 3. *epid.* & in Larissa *agroto* 12. *ejusdem libri*, ratione cujus sic exscripsit 1. *epid. parte* 2. *ante medium*, *Plurimis in febribus menses apparebant, quibusdam verò ex naribus sanguis profluxit, quibusdam & ex naribus sanguis & menses proruperunt, nec ullam mortuam novi ex his quibus aliquid horum probè factum est.* Docet ergo per fluxum sanguinis utiliter morbos terminari. Potest tamen fieri per triplicem regionem, & per nares, & per uterum, & per hæmorrhoidas, de quibus omnibus agit Galenus 3. *de crif. cap. ultimo*, & Avicen. *fen* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. & 10. & 11. sequentes Hippocratem diversis in locis: nam de fluxu sanguinis narium & menstrui egit *loco citato*; de hæmorrhoidibus 6. *Aphor. text.* 11. sic. *Atra bile vexatis, & renum passionibus, hemorrhoides supervenientes, bonum.* Et *text.* 21. sic. *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenian, insania solutio.* Quibus verbis docet prædictis morbis crisim convenientem esse hæmorrhoidum fluxio: quod licèt verum sit, quia præcipuè per dictam regionem humor melancholicus evacuatur, & crassus, ut voluit *in comment.* Galenus, & pro pluribus aliis morbis utilis est talis fluxus, ut Hippocr. 6. *epid. p.* 3. *text.* 31. sic. *Hæmorrhoidas habentes, nec pleuritide, nec pulmonia, nec furunculis corripiuntur*: Ergo si ab his præservant affectibus, utiles erunt, pro ipsorum terminationibus. Nunc ergo crisim per fluxum sanguinis præcognoscere docuit Hippocr. 3. *progn. text.* 35. & Galenus *in comment.* & 3. *de crif. cap.* 11. ait Hippocr. *Quibus in non lethali febre caput dolet, oculi verò illas imagines obscuras non vident, sed caligine hebetantur, vel splendentia cernere putant, ac pro ventriculi morsu in alterutra parte præcordia tenduntur, sine dolore, sanguis è naribus profluet.* Dolor enim capitis, communis ad assignandum vomitum vel narium sanguinem; diversificandum tamen est prognosti-

cum

cum; vel ex aliis signis adjunctis, vel ut Galenus *suprà*, quia pro vomitu facit dolor mordax, pro sanguinis verò fluxu, dolor gravans; bilis enim & vapores acres pro vomitu faciunt: sanguis tamen non mordax pro sanguinis fluxu, ideò gravat, & non irritat, præcipuè circa tempora per quorum vias sanguis movetur & compressionem aliquam facit, ut virtus ad visionem deficiat, & hebetudo causatur: si autem aliqua videntur, splendentia sunt, vapores tamen vomitum excitantes moventur cum alimento permixti, tenebrositatémque causant, ipsis communicationem specierum impedientibus, & objecta tenebrosa repræsentantibus, ut de imaginibus agens scripsit Petrus Garcia *d.* 23. *de loc. af. c.* 3.

Involuntarias oculorum lachrymas, etiam signum sanguinis narium adduxit Galenus *cap.* 11. *citato*, ex Hippocrate 1. *epid. part.* 2. *text.* 80. quia per motum humorum per vias dictas humidum quod juxta oculos est comprimitur & exit nullâ facultate propter compressionem operante; quod debet intelligi in febre non lethali, idest, nullo mortali signo existente: nam cum ipso facultatis debilitas potiùs est præsagienda, & mortis potiùs est signum, ut 1. *prog. text.* 6. docet Hipp. ad quod etiam præsagiendum colli dolor facit, siquidem motum sanguinis per illam regionem ostendit.

Sanguinis fluxus per uterum, vel hæmorrhoidas præsagiendus est in subjectis ad eum aptis dum signa generalia crisis sunt, nullúmque signum est motum humorum per aliam regionem significans; & ex alia parte dolor circa partes inferiores sentitur gravans, & irritatio, vel titillatio aliqua circa dictas partes, præcipuè si morbus juxta ideam evacuationum fit, & in regione cujuslibet, quales melancholici sunt pro hæmorrhoidibus, & pro utero qui ex suppressione menstruorum originem trahunt. Totum quod 3. *de cris. cap.* 11. docuit Galenus, & Avic. *fen* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 10. & 11.

Difficultas tamen est an sicut aliis evacuationibus benè terminatur morbus, etiam sanguis narium optimam crisim facere possit, cujus ratio dubitandi est, quia licèt tot terminationes optimas per sanguinem narium adducat Hippocr. & Galenus, *locis citatis*, toties morbos adducat quibus utiles sint sanguinis evacuationes per nares, ut constat experientiâ. Hippocr. 1. *prædict.* vel *prorrheticorum text.* 1. ait, *Stillatiò è naribus perniciosa, præcipuè si quarto ceperit die.* In cujus *comment.* Galenus ait. *Cùm itaque stillatio è naribus semper malum sit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die.* Idem repetit Hippocr. *part.* 3. *ejusdem libri text.* 49. per hæc verba. *Ex naribus cum surditate parva sanguinis stillatio, difficile habet*, In cujus *comment.* Galenus ait. *Nescio quomodo prævium malum esse intelligat sanguinem è naribus, stillicidij instar fluentem, cum ijs, quæ cerebrum affectum esse significant lethale signum erit sanguis è naribus stillicidij instar fluor.* Idem docet *text.* 56. & 1. *epid. p.* 2. *text.* 75. sic. *Nec erupit è naribus sanguis, sed parvum stillarunt, cæterùm ad sextum cum sudore moriebantur.* Galenus *in comment. quem etiam stillasse nares, quod perniciosum est tum aliis, tum maximè in febribus ardentibus.* Docent ergo Hipp. & Galenus sanguinis narium paulatinas evacuationes (ideò stillationes appellantur) pravum esse signum. Quam doctrinam sequuntur Avic. *c.* 74. *f.* 2. *lib.* 4.

Augetur difficultas, quia paulatinam esse mutationem non impedit esse materiam morbi per eam totaliter evacuatam: ergo non ex eo quod sanguinis sit stillatio per nares, mors erit præsagienda. Antecedens patet: nam paulatinam fore evacuationem non tollit naturam materiam totam rejicere; ergo nec causam morbi evacuari; ac per consequens non erit narium pravum signum; præcipuè cùm non implicet ità fieri materiâ coctâ ob remissum irritamentum naturæ, vel ob debilem facultatem, sufficientem tamen ad paulatinam expulsionem sine periculo, vel quia non per modum crisis materia paulatim ejiciatur, ut dum coctione terminantur morbi.

Confirmat assumptum historia Metonis 1. *epid. ægro* 7. in quo salus fuit consecuta signis cruditatis malignæ existentibus sanguine quarto die in parva quantitate fluëre & posteà quinto & deinceps repetito. Pro quo etiam facit quod docet Hippocr. 1. *præn. coacarum. Si superveniens in febre ardente fluxio sanguinis ex naribus quarto die, mala est, si non aliud quid boni coinciderit, verùm quinto minus periculosa est.* Ergo absolutè non est signum mortale. Idem ostendit *infrà* per hæc verba. *Quibus febrire incipientibus sanguis de naribus sternutatione fiente destillat, & urina subsidentiam albam die quarto habet, his in septimo die solutionem significat.* Et infrà. *Contingit etiam his in primo circuitu sanguinis eruptio è naribus, & valde prodest.*

Hanc difficultatem solvere conatur Recentior quidam, dicens sanguinem è naribus in primis diebus evenire, vel signis aliquibus coctionis apparentibus, vel signis cruditatis, & sic juxta horum signorum diversitatem malum, vel bonum esse; nam cùm adducit materiâ existente crudâ per pravum est, quia vel debilitatem facultatis, vel ejus irritamentû à multitudine vel malitia materiæ significat, ut docuit Galenus 4. *acutorum comment.* 67. propter quod Hippocr. 6. *epid. part.* 1. *text.* 9. evacuationes optimas non debere esse in principio scripsit, & de hac evacuatione intelligendus est quoties ipsam mortalem appellat; quâ ratione morbum regium ante septimum malum dixit 4. *aphor. text.* 62. quatenùs per septimum diem judicatorium intelligit, in quo coctio debet supponi, ut voluit Valles. 1. *contro. cap.* 9. quasi diceret; ante diem in quo est coctio malus est morbus regius; 4. verò *acutorum text.* 18. Hippoc. morbum regium cum rigore in biliosa febre ante septimum morbum solvere scripsit, quia ante septimum potest esse materia cocta, sicut potest esse cruda post ipsum, & sic per septimum diem intelligendus est judicatorius in quo materia est cocta, & principaliter, per septimum significatur, & consequenter dum Hipp. sanguis stillationem optimam appellat, signis coctionis est; ad quod historiam Metonis adducit Recentior, & verba illa, *Dum sanguis è naribus per sternutationem distillat*: Quibus verbis signa coctionis significantur: quod idem videntur ostendere alia verba, ex Hippocrate à nobis adducta, *Fluxio scilicet sanguinis è naribus quarto die mala est; si non aliud bonum coinciderit.*

Hæc tamen solutio nullatenùs mentem Hipp. assequitur: nam ipse absolutè sanguinis stillationem mortalem appellat, nullâ attentione ad signa coctionis existente, ut constat 1. *prorrh. text.* 1. & *part.* 3. *text.* 49. sic ait Galenus *in comment.* *Cùm itaque sanguinis è naribus stillatio semper*

malum signum sit; Et infrà. *Nescio quomodo parvum malum esse intelligat cum his, quæ cerebrum affectum esse significant, lethale signum erit*: ergo sanguinis stillicidium è naribus damnat, nullâ consideratione habitâ de coctione, ut etiam videtur 1. *epid. part.* 2. *comment.* 55. absolutè dicente Galeno perniciosum esse stillasse nares in febribus ardentibus, quod difficultatem reddit majorem: namsi in ipsis utilissima est sanguinis eruptio, ut in ipso *comment.* docet Galenus, sanguinis stillatio non debet damnari, potiùs ut congrua habenda est tamquam propria materiæ peccantis, juxta mentem Hippocr. 1. *aphor. text.* 23. sic, *Dejectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia dejiciantur, ut conveniunt.* Et consequenter cùm febribus ardentibus utilis sit sanguinis evacuatio, non debebat damnari sanguinis è naribus stillatio. Comprobat hác veritatem historia Methonis ab ipso adducta in qua potius signis malignæ cruditatis sanguinis utilitatem attulit: non ergo ratione coctionis præcedentis utilis fuit, ac per consequens non dicitur mala ratione cruditatis, vel bona ratione coctionis: cum quo cohæret quod Hipp. 1. *coaca.* scripsit, ubi solùm ratione diei malitiam evacuationis minui scripsit, non ergo ratione coctionis.

Nobis tamen dicendum est sanguinis stillationem pravum signum esse absolutè, quia insufficiens est evacuatio facultatem significans debilem, & irritatam, quod parvum est, præcipuè in acuto morbo in quo vires requiruntur ad victoriam causæ morbum facientis. Nec ob aliam rationem Hippocr. 2. *epid. part.* 1. *text.* 9. ait, *Indicatoria, quæ non decernunt partim lethalia, partim difficilis judicij*: Id est, evacuationes, quæ per modum judicij adveniunt si non in totum judicant, vel sunt lethales, quia irritatam ostentant naturam, & ipsam non sufficientem, vel terminationem difficilem, vel laboriosam; siquidem difficilè vincitur materia ubi natura debilis est; erit ergo stillatio narium pravum signum, quia judicatorium non decernens; hoc est, quia in parva quantitate pro terminatione morbi: nam si in quantitate esset sufficienti, morbus cessaret, etsi crudâ existente materiâ fieret, ut in Methone visum fuit in quo signis exitialibus morbus in totum fuit solutus quarto & quinto die & sæpè post judicationem sanguine è naribus fluente, sic ait Hippocr. *Quarto die omnia exacerbata sunt, fluebat à dextera nare hic sanguis modicus, urinæ sunt nigræ, habebant quiddam in medio innatans subnigrum divisum, quinto effluxit ex sinistra nare sanguis largus, merus, sudavit, judicatus est, sed sanguis erupit sæpè etiam post judicationem.* Docet ergo evacuationem hanc utilem fuisse, quia sufficientem, non quia præcedente coctione fuit, ac per consequens sanguis è naribus stillatio pravum signum est, quia insufficiens evacuatio est, debilitatem, vel irritationem facultatis significans.

Hanc partem probat etiam Hippocr. 1. *epid. part.* 2. *text.* 63. sic. *Erant febrium ardentium affectionibus quibus bene, ac largiter sanguis è naribus erupit maximè servabantur, & nullum novi, qui mortuus esset si rectè ipse sanguis profluxisset. Nam Filisco, & Sileno quarto & quinto die parum de naribus stillarunt & mortui sunt.* Docet ergo manifestè Hippocr. evacuationem pravam esse ob insufficientem quantitatem, utilem verò dum in quantitate sufficienti est, quidquid de coctione vel cruditate sit, ratione cujus sic scripsit Galen. *in comment. Quibuscunque abundè erupit sanguis, fuisse hos superstites, quibus parcè, vel prorsus nil stillarunt nares solos hos periisse.* Quibus verbis docet solùm propter quantitatem evacuationem illam pravam, vel bonam esse, cùm cætera supponat paria in coctione, vel cruditate; ergo propter parvam quantitatem sanguinis stillatio prava est, debilitatem, & irritamentum naturæ significans: quod deinceps significavit Hipp. nam sic ait. *Erant qui sexto die morbo regio afficerentur, sed his purgatio profuit per vesicam, vel turbata alvus, vel larga sanguinis eruptio.* Docet ergo solùm ratione quantitatis pravam esse stillationem, non ratione coctionis, cùm dicat utilem esse largam sanguinis evacuationem cùm morbus regius ante septimum fit, id est, materiâ existente crudâ, ut voluit *in comment.* Galenus: Propter quod etiam Hippocr. 1. *coacarum*, ait, *Sanguinis stilla pussilla mala*, id est parvæ. Clarius tamen 4. *acut. text.* 68. postquam stillationem sanguinis damnavit in die judicatorio, ait quippe in decretoriis perniciosum est, nî multus sanguis confertim, vel per nares, vel per alvum effluxus, & superaorem plenitudinem fiat; ergo stillatio sanguinis solùm ad parvam quantitatem prava est, quod scripsit expressè suprà *text.* 63. *ejusdem libri.*

Hoc etiam ratione probatur: nam quidquid fit de coctione materiæ, si quantitas requisita non evacuatur, debilitas facultatis significatur; sed pravum est facultatem debilem esse: ergo solùm ratione quantitatis pravum est signum; ideò evacuationes inceptas, & non perfectas juvandas esse docet Galenus 1. *aphor. comment.* 20. prava enim est sanguinis stillatio materiâ adhuc coctâ ob parvam quantitatem, quæ solùm ob debilitatem facultatis potest evenire; nam materiâ coctâ existente nil aliud potest impedire completam fieri evacuationem, ac per consequens cùm evacuationes materiâ existente crudâ pravæ sint, rectè dictum absolutè à Galeno stillationem sanguinis narium semper pravum signum esse, quia coctâ materiâ debilitatem significant, & materiâ crudâ irritamentum & debilitatem: ob quod Galenus de dictis stillationibus agens 1. *prorrh. cap.* 1. solùm ob debilitatem fieri dixit, propter quod etiam pravum judicat evacuationes inceptas non perfici, quod non solùm de stillationibus sanguinis, verùm de qualibet evacuatione protulit, & sic postquam de qualibet locutus fuit, ait in illis, quæ cœperunt, si protinùs defierunt, apparet excitatio quædam conante naturâ expellere molesta, atque ita ob imbecillitatem perficere nequeunte. Quo fundamento abscessus qui recurrunt damnat Hippocr. 2. *acut. text.* 68.

Dices Hippoc. 4. *acut. text.* 67. sanguinis stillationem robur facultatis significare docet; malè ergo dicimus ob ejus imbecillitatem procedere, sic ait: *In morbis acutis quæ æstate, & autumno fit repentina sanguinis destillatio, robur & inflammationem in venis significat.* Præterea: nam Galenus *in comment.* talem destillationem evenire docet, vel ob debilitatem facultatis, vel ob densitatem, vel ob crassitiem sanguinis; malè ergo dicitur pravum signum, quia debilitatem significat facultatis, non valentis evacuationem perficere. Respondetur quòd terminus Græcus qui inter

interpretatur robur, non ſignificat fortitudinem facultatis, ſed cauſæ, ut Galenus *in comment.* quatenùs ob intenſionem diſtemperiei, aut propter multitudinem ſui ad ſui expulſionem concitat, vel ſignificat tenſionem venarum, ut voluit Muſa, quatenùs quantitas ſanguinis pro expulſione irritans non poteſt non tenſionem facere. Ideò Hippoc. dixit robur, id eſt tenſionem, & inflammationem venarum ſignificari dum repentina eſt ſanguinis è naribus ſtillatio. Ad Galenum dicimus quod etiamſi propter craſſitiem, vel denſitatem non perficiatur evacuatio incepta, debilitati facultatis debet tribui; Namſi robur eſſet, ut unam portionem ejecit, ſufficientem quantitatem ejiceret; ceſſat námque, quia ſive propter hoc, vel propter illud facultas non valet ſupra cauſam.

Ulteriùs quia ſi ſtillatio ſanguinis è naribus prava eſt ob inſufficientem quantitatem, ſequitur falſum dixiſſe Hippocr. 2. *epid. part.* 1. *text* 9. ubi poſtquam dixit decretoria, quæ non decernunt eſſe prava, ſic ait. *Fuerunt autem & lethalia, quæ non parva*; Ergo non decernentia, non ſolùm ob parvam quantitatem prava ſunt, ſed etiam ob multitudinem vires labefactantem. Reſpondetur potiùs verba dicta oſtendere noſtrum placitum; nam dicens, *Fuerunt autem, & lethalia, quæ non parva*, idem eſt ac ſi dixiſſet, ſicut non decernentia lethalia ſunt ob parvam quantitatem, ſunt aliquæ evacuationes lethales quia non parvæ: propter quod Ianus ſic verba Hippocr. tranſtulit, *Poſſunt etiam fieri pernicioſa ea, quæ non parva ſunt*, quod eſt dicere decretoria non decernentia ob parvitatem prava ſunt.

Solùm reſtat examinare quomodò Galenus ſanguinis è naribus ſtillationem ſemper malam appellat, nullâ exceptione poſitâ, ut conſtat 1. *prorrh.* & 4. *acut.* cùm Hippocrates contrarium oſtendat 1. *coacarum*, & ratio etiam id demonſtrat: propter quod dicendum eſt non eſſe idem pravum ſignum eſſe, ac eſſe mortale: primum affirmamus, non ſecundum; Nam Hippoc. partim lethalia, partim difficilis judicij appellavit, non decernentia, quod eſt prava eſſe, non abſolutè lethalia: dicuntur tamen difficilis judicij, quæ non integrè terminant, ſed diverſis permutationibus, quod tutum non eſt, & ſic ad argumenta reſpondetur. Ad rationem quod licèt verum ſit poſſe morbum ſolvi repetitis evacuationibus in parva quantitate, cùm evacuatio illa inſufficiens non poſſit non ſignificare facultatem non valentem perficere evacuationem, pravum ſignum eſt neceſſariò, quia per accidens eſt evacuationem ſufficienter repetere, præcipuè cùm irritationem oſtendat naturæ dum materia cruda eſt; ſic evacuationes ſanguinis in Metone repertæ pravæ fuerunt, & irritamentum naturæ ſignificantes, etſi utilitatem attulerunt, fuerunt in magna quantitate, difficile tamen eſt parvam quantitatem pro cauſa morbi ſufficere, ſi verò ſufficeret, non parva quantitas eſſet.

Ad Hippocr. dicimus quod quando dixit *in coacis: Contingens etiam bis in primo circuitu ſanguinis eruptio è naribus, & valde prodeſt*, non eſt dicere talem evacuationem eſſe bonum ſignum ex ſe, ſed prodeſſe, ut in Metone viſum fuit, poteſt enim prava evacuatio propter irritationem naturæ quam ſignificat, morbum ſolvere, materiâ ſufficienter evacuatâ: quod rationabiliter de ſtillationibus non habet locum, nec de ipſis loquebatur Hippoc. dum autem dixit in ſeptima terminari morbum dum ſanguis è naribus diſtillat, & quarta die ſubſidentia alba eſt in urina, non eſt dicere talem ſtillationem eſſe bonum ſignum, eſt enim pravum ob dicta: contingens tamen eſt morbum cum ipſa ſolui, ideò non mortale eſt ſignum; poteſt tamen cum hoc materia à natura corrigi, ità ut ſeptima die ſolvatur, quæ ſolutio à mutationa in urina repertâ quartâ die indicatur, juxta quam adducit 4. *aphor. text.* 71. & Galenus *in comment.* & conſequenter dum loquit malum eſſe ſanguinis fluxum quarta die, ſi aliud non acciderit, bonum, idem eſt ac ſi diceret ità pravum ſignum eſſe ut ſi ex alio capite non conſtet de meliori indicatione, mors ſit præſagienda, quod non eſt affirmare bonum eſſe, ſed poſſe cum ipſo bene terminari morbum, quod ab alio ſigno optimo eſt deducendum, aliàs pravè terminabitur.

Dices etiam Hippocr. in quinto minùs periculoſum eſſe ſanguinis fluxum quod non negat eſſe pravum ſignum, ſed non ità tale; non ut aliqui putarunt, quia quintus dies magis diſtet à primo, & ſic cum minori conjungitur cruditate, jam diximus, non ab ipſa provenire malitia præciſè, nec quia ſidus magis quintâ quàm aliâ die adjuvet, ſed quia aliquo modo deterior eſt mutatio prava quæ die judicatorio apparet quàm in alio propter certitudinem majorem quam dicit malitiæ; ſicut melior mutatio in bonum in ipſa die facta ob eandem rationem, ut 1. *prorrh. comment.* 1. docet Galenus; & cùm reſpectu morborum à ſanguine pendentium judicatorius ſit magis quartus quàm quintus, ut docet etiam 3. *de criſ. cap.* 4. quibus proprium eſt moveri pares, hinc eſt quòd tales evacuationes in quarta die deteriores ſint, quia in ſuo judicatorio fiunt, non ità in quinto, etſi etiam pravæ ſint, propter quod 1. *epid. part.* 2. ſic ſcripſit, *In Filiſco & Filena quarta & quinta die parum de naribus ſtillabat, & moriebantur.* Ergo omnem ſtillationem pravam appellat.

QVÆSTIO VI.

De ſignis oſtendentibus Criſim per urinam vel ſudorem.

PER ſudorem, vel urinam plures morbos judicari præter experientiam docet Hipp. 1. *epid. part.* 2. *text.* 21. & 22. ſic ait. *Plerique igitur ægroti circa judicationem rigebant, qui poſteà exſudarunt, quibuſdam morbus regius accidit ſexta die, verùm bis purgatio per veſicam, vel alvus turbata profuit.* Ergo per dictas evacuationes morbos terminari, nequit dubitari. Hanc, vel illam fore evacuationem cognoſcemus, ſi Galenum 3. *de criſ. cap.* 11. legamus, ſic ait. *Si igitur præter rationem alvus comprimitur, vel urina jam prope criſi exiſtente, rigorem ſperare oportet; ſi is adveniat diſtinguendum eſt, numquid ſudor poſt ipſum ſequatur, vel vomitus, vel ſubductio ventris: conſiderandum etiam eſt nunquid urinis tantum, vel alvo compreſſa riguerit, ſi enim ambobus, neceſſariò ſudor multus ſubſequitur, & magis quando ægrotantes deliraverint increſcente acceſſione, & partes externæ calidiores & rubidiores conſtiterint.*

Quod si pulsus undosus fiat, adhuc ampliùs sudores expectare oportet. Hujus senteotiæ fundamentum videtur desumpsisse ex Hippocrate 6.*epid. part.* 1. *text.* 10. sic, *Ante rigorem urina suppressionem.* Quibus verbis, urinæ suppressionem, & rigorem sudoris esse signa intellexit, cujus ratio est, quia cùm otinæ, & sudoris eadem sit materia, humiditas scilicet & serositas, urinâ suppressâ in ambitum rotius homiditatem esse dispersam videtur necessariò, rigorémque excitari mareriâ illâ per partes sentientes motâ, & randem sudorem advenire, sic ait Galenus *in comment. Si alvus plura dejecerit, urina suppressa ad futurum rigorem præsentiendum fidere non convenit: at si alvus fluxa non sit, proximámque esse morbi judicationem prænoveris, ægrotum rigere, sudaréque necesse est.* Docet ergo urinæ suppressionem signum esse rigoris, & hunc sudoris, quibus mollitiem pulsûs, delirium, & partium externarum calorem addidit Gal. 3. *de crif. cap.* 11.

Si tamen rectè percalleamus omnia dicta, & quæ experientiâ inveniuntur, videtur nullum signum ex dictis sudorem determinare, quatenùs nullam necessatiam dixit connexionem: nam urinæ suppressio tantùm abest ut sudorem significet, quod vitium aliquod instrumentorum urinæ demonstret pluries, materiâ forsan per crisim ad vias urinæ communicatâ obstruente, ità adhuc signis judicantibus, & alvo non fluente urina sit suppressa, quin significetur sudor. Et quamvis hoc intelligendum sit nullo vitio existente in viis urinæ, propter copiosam dejectionem urinam supprimi vel minui, sine eo quod sudor adveniat, docet ipse Galenus 6.*epid. comm. citato*, & 3. *de crif. cap.* 11. sequens Hippocrat. 4. *aphor. text. ultimo*, sic dicentem. *Mictio noctu plurima facta, parvam significat dejectionem.* Quod ex eo est quia per utranque regionem humiditas superflua evacuatur, sicut & per sudorem, ergo rectè poterit urina supprimi, quin sudor significetur.

Secundò: nam sudor advenit pluries nullo rigore præcedente; ergo rigor non debet dici sudoris signum: & quamvis hoc fuisset intelligendum quod rigor sudorem futurum significet, non quod sudor rigorem prærequirat, dum modum dignoscendi crisim determinatam adducimus, id quod sudorem præcedit necessariò, erat adducendum: Præterquam quòd adhuc supposito rigore non est necessarius sudor, ergo non est signum sudoris. Antecedens patet: nam Hippoc. *text.*10. *citato*, suppressionem urinæ ad rigorem præcedere docet, non ad sudorem; non ergo ex hoc significatur rigor tanquàm signum sudoris: prætereà quia ipse 4. *aphor. text.* 58. rigore superveniente febrem ardentem solvi scripsit: ergo non est signum sudoris, aliàs non rigore solveretur, sed sudore, & quia juxta mentem Galeni *in comment. & 4. acut. comment.* 12. ratione evacuationis subsecutæ possit intelligi 3. *de crif. cap.* 13. urgent hæc verba. *Si præter rationem alvus comprimitur, vel urina, jam prope crisi existente, rigorem sperare oportet: si hic adveniat distinguendum est, nunquid sudor post ipsum sequatur, vel vomitus, vel subductio ventris.* Ergo nec rigor, nec urinæ suppressio sudoris est signum; siquidè rigore existente urinâ suppressâ distinguere docet Hip. an hæc vel illa evacuatio futura sit.

Hanc partem probat Hippoc. 1. *coacarum in principio*, ubi pluries rigores sine sudore eoucedit, & saltem facultate non valente pro expulsione materiæ, ità fieri apparet necessum, de quo loquitur. Hippoc. sic. *Rigor corpore jam debili existente lethalis*; & infrà, *Anxietates in diebus judicatoriis si in his sine sudore perfrigerentur, & omnes qui sine sudore persigerantur, malè habent.* Ergo rigor non est sudoris signum: De reliquis signis manifestum existit magis, nam delirium, calor cutis & pulsus undosus sine sudore inveniuntur pluries, ut io pulmonia, vel humore ad extrà communicato, nullâ evacuatione manifestâ existente; ergo nullum datur quod sudoris sit signum.

Quamvis verum sit nullum signum ex dictis, ità sudorem ostendere, ut per quodlibet sudor sit præsagiendus, nihilominùs verum est quod dum reliqua signa communiter judicationem ostendentia inveniuntur, & urina, & alvus supprimitur, vel unâ alterâ non valdè fluente, rigor est expectandus & deindè sudor: nam materia illa detenta cùm solùm per tertiam regionem propriè ejiciatur, ut docet Galenus 6. *epid. comment.* 10. & duæ ipsarum, alvus scilicet & vesica, non moveatur per sudorem, necessariò est evacuanda, & sic his signis existentibus sudor est præsagiendus, præcipuè si alia adsint accidentia, delirium scilicet, calor ad extrà, mollis pulsus & undosus humiditatem ostendens detentam, ideò dixit *si præter rationem alvus comprimitur, jam crisi propè existente*: Nam si alia crisis non essent signa ex dictis, potiùs pati facultatem constaret quàm determinata crisis futura, juxta doctrinam Hippocr. 3. *prog. text.* 13. & 32. in quo rigorem & capitis dolorem cum pravis notis lethale judicat, in febre verò non lethali crisis sunt signa, propter quod incerta ea appellat Galenus 1. *de crif. cap.* 14.

Ex dictis constat sulutio ad argumenta: ad prima dicimus quod dum signum sudoris appellamus urinæ suppressionem, est quando sine vitio impediente fit; nam cum illo, quid mirum quod sudorem non significet; id docuit dicens, *jam propè crisi existente*: Quasi diceret, dum propter crisim futuram supprimitur, & in tali casu etiam alvi motum esse respiciendum docet 3. *de crif. cap.* 11. sic ait. *Si urina sola supprimatur, considerare oportet, nunquid alvi excrementa plura ante crisim exierint; si enim plura, manifestè motum naturæ ad hunc locum esse cognoscemus; si pauciora, ad sudores.* Propter quod 6. *epid. comment.* 10. ait. *Si alvus plura dejecerit, urina suppressa ad futurum rigorem præsentiendum fidere non convenit: at si alvus fluxa non sit, proximamque esse morbi judicationem prænoveris ægrotum rigere sudaréque necesse est.* Docet ergo urinæ suppressionem signum esse sudoris dum alvus non humectatur ultra consuetudinem, & signa crisis sunt absolutè, id est, dum constat ob motum naturæ ad crisim faciendam urinam supprimi, & alterius evacuationis non est indicium.

Ad secundum constat quod rigor non est signum sudoris necessarium & quia sudor sino ipso accidit, & quia rigor sine sudore est, aut aliâ, vel nullâ evacuatione sequutâ, dicitur tamen sudoris signum dum adest, & alterius evacuationis signum non est, crisi prope existente. Ideò sic scripsit Galenus *cap.* 11. *citato. Si verò signa vomitûs non affuerint, solos sudores expectare oportet.* Dixerat Hippocr. 3. *progn. text.* 32. rigorem cum aliis signis vomitum significare, at

verò

verò ut adducitur à Gal. sudoris est signum; nam ipse non adduxit rigoré solùm ad rigorem ex suppressione humiditatis procedentem crisi instante, & alvo non fluente, quomodò necessarius est sudor; sic ait de suppressione urinæ 6. *epid. citato. Si alvus fluxa non sit, proximámque esse morbi judicationem, pranoveris, agrotum rigere, sudaréque necesse est.* Dixerat *supra* solùm per alvum, vesicam vel sudorem humiditatem superfluam evacuari, dum verò 3. *de cau. sympt.* distinguendum esse docet quæ futura sit evacuatio rigore existente, de ipso loquitur absolutè prout cum qualibet conjungitur, non verò prout ab urinæ suppressione provenit, & consequenter dum signa vomitûs adsunt cum rigore ex suppressione proveniente, non dixit vomitum esse expectandum tantùm, sed vomitum & sudorem, quatenùs utriusque evacuationis erant signa vomitûs, quæ supponit sudores, rigor ex suppressione, alias si rigor ex suppressione tam vomitûs quàm sudoris esset signum, ut est sudoris & fluxus ventris, signis vomitûs existentibus, non erat præsagiendus sudor; docet tamen sudorem & vomitum esse præsagiendum: ergo rigor ex suppressione non est vomitûs signum. Sic ait, *Si verò & vomitûs signa affuerint per ambas excretiones judicabitur, & per earum alteram magis, qua magis prævalet.* Etsi cùm vomitus significari à rigore docuit Hippocr. non ipsum ex suppressione, sed absolutè posuit, ut constet rectè Galenum ex collectione signorum sudorem præsagire, quomodo etiam reliqua signa sudoris sunt.

Ex verbis Galeni positis resultat difficile dubium, an ità evacuationis alicujus sit signum, ut si evacuatio manifesta non sequatur, morbus perfectè solvi non possit; nam Hippocr. 6. *epid. part.* 3. *text.* 10. & 1. *coaca.* nullam mentionem facit sudoris, sed rigoris præcisè, & ejus dixit urinæ suppressionem signum esse, & consequenter 4. *aphor. text.* 58. rigore terminari febrem ardentem docet: malè ergo Galenus & *in comm. epid.* & 3. *de cris.* rigorem hunc vel sudorem, vel vomitum, vel ventris motum significare affirmat: Nam si Hippocr. solum rigorem sequi docuit post urinæ suppressionem non est dicendum, *Distinguere oportet si rigor accidat an una vel altera evacuatio sequatur*; quasi diceret unam, vel alteram sequi ad optimam terminationem: sic ait Hippocr. 6. *epid. Ante rigorem urina suppressiones*: & 1. *coac. in principio: Quibus rigor, his urinæ suppressio.* Et 4. *aphor. text.* 58. *A febre ardento rigores supervenientes, solutio*: Ergo rigor solus poterit esse optima terminatio, & non debet habere necessariò rationem signi alterius evacuationis, ut benè morbus finiatur: de prava námque terminatione non est dubitandum, ut ipse docet 1. *coac.* sic: *Rigor jam corpore debili lethalis est*; Et infrà, *Omnes, qui sine sudore perfrigerantur citra judicationem, malè habent.*

Recentior quidam ità certum judicat rigorem esse signum alicujus evacuationis manifestæ, ut sine ipsa nullus morbus benè terminetur: quod probat ex verbis immediatè positis Hippocrat. 1. *coac.* quibus videtur constare rigores sine sudore non valere optimam terminationem facere, adducitque ad hoc Galenum *comment.* 58. *citato*, & 4. *de ratione victus comment.* 12. Quibus in locis Hippocratem intelligit dicentem rigore superveniente solvi febrem, non quatenùs solo rigore solvitur, sed evacuatione posteà subsecutâ: sic ait Gal. 4. *aphor. citat. Post rigorem, & alvi solvuntur, & sudores & vomitus biliosi superveniunt. Cùm ergo bilis ex qua febris ardens habet ortum expurgetur, solvitur febris.* Et 4. *acutorum*, ait. *Quod causo habito rigore superveniente solutio, verissimum est; rigorem autem de necessitate sequitur interdum sudor, interdum biliosorum vomitus, interdum dejectio.* Et 2. *de caus. sympt. cap.* 5. sic. *Adeò enim cùm rigent, febrire non desinunt, ut etiam multò graviore febre post rigorem urgeantur quàm antè, sed postquam largiter sudarunt, vel flavam bilem evomuerunt, vel per intestinum dejecerunt, tunc febris cessat*: Ergo rigor solus non potest optimè morbum solvere. Cujus ratio est, quia naturam significat irritatam non valentem evacuationem perficere, aliàs materiâ ad rigorem commotâ, necessaria debet esse evacuatio, ut solvatur morbus, & consequenter 1. *prorrh. p.* 2. *comment.* 27. super illa verba, *Inquietudinem absque sudore malam, & rigores supervenientes mali*, reprehendit Hippoc. eò quòd non dixit rigores absque sudore mali; sic ait Galenus. *Nam quæ sine sudore inquietatio est, minùs mala est, rigor verò sine sudore majus malum*, & 4. *aphor. comment.* 46. rigorem sine sudore & ut signum, & ut causa malum appellat.

Nobis tamen videtur dicendum quod licèt rigor sudoris & alterius evacuationis signum sit; non ità signum est, ut non possit ipse sine evacuatione sensibus manifesta, morbum perfectè solvere, ità ut rationem optimæ crisis obtineat: non affirmo morbum tantùm posse cessare rigore ut evacuationibus symptomaticis accidit pluries, ut in Metone visum fuit: sed assero posse rigorem sine evacuatione sensibus externis manifesta optimæ crisis rationem obtinere, quod in primis docet Galen. 4. *aphor. comm.* 29. per hæc verba. *Quicumque ad febres, & præcipuè ardentes, rigores superveniunt, judicium habere solent bonum, atque perfectum, ubi in die judicatorio fiunt & cum signis coctionis.* Ergo possunt habere rationem optimæ crisis, colligitúrque ex ipso Hippocr. *text.* dicente, *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, judicium habent difficile*; quod est, ut à Galeno & ab omnibus Commentatoribus scribitur, quia in die non judicatorio; ergo qui in die judicatorio fiunt, & cum signis coctionis, rectum judicium faciunt.

Nec valet per rigorem, sudorem, vel alteram sensilem evacuationem esse intelligendam, quatenùs rigorem sequitur semper sudor, vel vomitus, vel dejectio, ut Galenus docet *locis citatis*, quo modo voluit intelligendum esse *aphorismum* 58. *lib.* 4. dicentem, *A febre ardente habito rigore superveniente solutio*, hoc (inquam) nil valet: nam Hippoc. rigorem non rectè solvere febrem docet, si sexto die fiat, & ipso adveniente solvi affirmat; quod est intelligendum cùm diem excludat non judicatorium quando in die judicatorio fit: frustrà ergo & sine fundamento additur evacuatio, vel per rigorem evacuationem intelligit. Quod manifestum fecit Galenus 1. *epid p.* 2. *comment.* 75. sic. *Etenim judicare ardentes febres rigor solet, non tamen elicere decretoria oportet.* Agebat de his qui rigebant in principio, ergo sine evacuatione rigor solvit morbum.

Præterea Hippoc. 1. *coac.* diversas sententias adducit in quibus de rigore agit solo advenienre, & in quibus de rigore quem sequitur sudor

vel alia evacuatio, ut per *libros epid.* etiam videre est: ergo cùm in dictis casibus de rigore solo agat, rigor solus est intelligendus, quod deducitur ex 1. *coac. circa principium*, sic scribens. *Vocis defectiones ex rigore solvuntur tremore, & insuper rigentes tremores succedentes judicant*: sed tremor non dicit aliquam evacuationem manifestam, & solvit morbum à quo fit rigor: ergo sine evacoatione manifesta poterit rigor febrem solvere.

Tertiò: Nam rigor est concussio partium sentienrium ad expellendum humorem ad extrà, ut docet Galenus 3. *de crisf. cap.* 11. sed potest causa morbi ità attenuari ot insensibiliter evanescar expulsa: ergo in tali casu integrè terminabitur morbus rigore absque evacuatione aliqua sensibus manifesta. Major est certa: minor constat ex ipso *cap.* 11. in quo humorem biliosum causam rigoria appellat, quæ ità attenuatur ut resolutione evanescar: non implicat quod confirmant morbi qui sine crisi cessant paulatinâ resolutione, quas terminationes soluriones appellat Galenus 3. *de crisf. cap.* 1. & 7. ad differentiam crisis, quæ subitò fit omni proprietate: sed hi morbi cessant, materiâ paolatim resolutâ ut in accessiooibus portio eaa causans, sicut etiam resolurione virrus perit, ratiooe cujus otramque terminationem, solurionem appellat; ergo & materia morbi à quo fuit rigor, poterir resolvi insensibiliter, ac per consequens poterit rigore morbus rectè terminari per veram crisim sine evacuatione sensibus manifesta. Patet: nam erir termioatio subita in salutem cùm evacustione saltem per rationẽ manifesta, cùm rigor dicat actionem expellentis subitò factam, ut diximus de somno puetotum ex Galeno, non nego absolutè evacuationem esse, sed affirmo solùm per rigorem & evacuationem insensibilem ad ipsum necessariò secutam sine sudore, vomitu, vel dejectione, rectè posse terminari motbum.

Non minùs probat hanc partem morbus regins quem rectè terminare morbum docet Hipp. 4. *acut. text.*16. & saltem post septimum diem, 4. *aphor. text.* 62. sed non aliter morbum solvit nî naturâ motâ à paribus internis ad externas, ergo & rigor qui eundem motum habet facere, rationem optimæ crisis poterir habere. Hoc argumentum proponit Recentior, quod non solvit: siquidem cur non potest per rigorem vel motum musculorum & partium sentientium, humor ad partes externas pelli, ut in morbo regio? non inquam, explanatur: constat enim esse motum facultatis expultricis, ut Galenus 2. *de causf. sympt. cap.* 6. ratione cujus rigor quartanæ humorem crassum expelli, docer 5. *aphor. comm.* 70. & Avic. *fen* 2. *lib.*4. *cap.*16. ità certom judicat per rigorem expelli humorem in quartana, ot sic scribat. *Rigor rediens evacuat suâ expulsione materiam plurimam, quare rarò superfluit in eis exitura aliquid, hoc ergo contingit cùm rigor est solus, qualiter ergo erit cum sudore?* Dicendum igitur est rigorem sufficere pro optima terminarione.

Dices: si rigor movet ad extrema, quomodò vomitus, & dejectionis est signum, præcipuè cùm asserat Hippoc. 6. *epid. part.* 1. *text.*41. *Abscessus non fieri in febribus in quibus rigor adest, quia moto humore ad extrà per rigorem parum pro abscessu relinquitur intrà*, ut voluit *in comment.* Galenus. Ergo cùm rigor motum dicat humoris ad extrà, vomitus vel dejectio non erit præsagienda, sed tantum sudór, cujus contrarium docet toties Galenus.

Respondetur dictas evacuatiooes ooo præsagiri ex motu humoris rigorem causantis, sed ex motu humoris ad rigorem apti, qui arguit naturæ àgitationem specialem, ex qua evacuatio aliqua est præsagienda per unam, vel alteram regionem, quis quantitas, quæ in toto corpore commotionem illam caosant, noo sine evacuatione manifesta completè ejicitur, & sic una, vel altera est præsagienda juxta diversitatem signorum comitantium, cum quo non nego posse resolutione insensibili aliquando causam evacuari, communia tamen magis est sensibilis evacuatio, & ideò Galenus unam vel alteram evacuationem esse prædicendam docet.

Dices iterum: Ergo rigor cujuslibet crisis, vel cujuslibet evacuationis erir signum antecedens, quod est contra experientiam & authoritatem: siqoidem ad quamlibet criticam evacuationem præcedit agitatio materiæ, ratione cujus perturbationem in qoalibet crisi debere præcedere docet Galenus 3. *de crisf. cap.* 2. sed perturbatio sequitur agitationem materiæ, ideò hora pugnæ dicitur status morbi ab Avic. *cap.* 3. *lib.* 4. ergo & rigor in qoalibet crisi deber esse. Cujus contrarium prærer experientiam docet Galenus qui 4. *acut. comment.* 12. & 4. *aphor. comment.* 58. solum sudorem, vomitum, vel dejectionem esse expectandum scripsit; & quod magis est, Hipp. abscessus negat in febribus habentibua rigorem 6. *epid. part.* 1. *text.*11. & rigores concedit quando sanguis nnn erupit: 1. *epid. p.* 2. sic ait. *Plerique igitur ægroti circa judicationem rigebant, maximè hi quibus sanguis non erupit, ydem verò posteà riguerunt, & exsudarunt.* Ergo rigor non sequitur agitationem huooris ad crisim absolutè.

Respondetur rigorem sequi agitationem materiæ facientia morbum, quando talis est ut partes sentientes posset sufficienter irritare ad sui expulsionem, quod fit quando extra vasa movetur humor, qui propter magnam sui quantitatem vel vitium sufficienter irritat partes per quas movetur, & sic cùm ad vomitum, dejectionem, & sudorem, humor extra vasa moveatur, ad cavitates communes, vel ad cutem, rigorem causat, ut fit etiam dum extra vasa movetur in febre intermittente, dum verò intra vasa movetur non pervenit ad partes sentientea, oî vapor, & sic non causatur rigor, quia ipse non est in quantitate sufficienti, ut irritet partes sentientes pro rigore, oî forsan malignus sit, & ideò etiam io febribus continuis, & declioationibus intermittentium rigores non sunt, etsi vapores ad extrà moveantur: dum verò reperiuntur rigores, vapores maligni sunt, ut 1. *de coac.* docet Hippoc. sic ait. *Continui rigores in acutis pravi sunt*: dixit *continui*, quia si tempore eveniunt debito, non erunr pravi; qua ratione cùm ad abscessum faciendum, vel crisim, per urinam, vel sanguinis fluxum non extra vasa moveatur humor, non antecedit rigor, etsi ad sanguinem necessariom humorem præcedere posse doceat Hippoc. quatenùs ex materia illa vapores aliquid elevantur, qui etsi pro rigore non sufficienter moveant, pro horrore maximè, eveniet tamen hoc in qualibet crisi quando materia ubi maligna est, etiamsi non moveatur à vasis extra vasa. Sic ait Hipp. post verba passiva. *Qui inhorruerunt,*

horruerunt & exsudarunt judicatorio modo, & postridie praeter rationem horruerunt, si quis non vigiliis infestetur, nec concoxerit, ei sanguinem eruptnrum esse puto. Quasi diceret, quia post judicationem iterum horruerunt, si non terminantur coctione, nec vigiliis debilitantur, sanguinis fluxus expectandus, quia ad reliquas evacuationes cùm extra vasa ad cutem, vel cavitates communes esset movendus humor, rigorem causaret; materia verò abcessùs cùm sit, & intra vasa maneat, non potest ad humorem vapores communicare & sic solum fluxum sanguinis significat in tali casu horror.

Ad argumenta Respondetur ad Hippocratem verum esse rigorem in subjecto debili pravum esse, videtur non valere pro expulsione materiae, ut 4. *aphor. comm.* 46. docuit Galenus, non tamen hoc probat evacuationem debere esse sensibus externis manifestam: dum verò Hippocr. dixit malè se habere qui sine sudore perfrigerantur citra judicationem facit hunc sensum, *Qui rigent sine sudore, & non judicantur, malè habent*, quia pravum est judicatorium non decernens, vel quod certum est, loquitur Hipp. de eo quòd pro tunc experiebatur, non de eo quod potest esse, & sic nil mirum quod malè se habeant rigentes sine sudore, quod ostendunt verba sequentia, *Et qui insuper riguerunt ex his ubi vomuerunt meraca, anxy tremuli in febre, malum.* Quibus docet malè etiam se habere rigentes adhuc vomentes, sed ad crisim perficiendam, non magis faciebat sudor quàm vomitus, si defectu evacuationis malua foret rigor sine sudore, erat ergo malus ratione tempestatis, & sic non probatur ipsum non posse esse bonum.

Ad Galenum dicimus loqui de illo quod communiter accidit dum mediis evacuationibus dictis febrem solvi scripsit, non quia rigor non sufficiat aliquando: nam licèt motus, vel concussio illa malam appellet Galenus, ut causa; quatenùs ad augendam febrem facit: qua ratione 2. *de causis sympt. cap.* 5. fortiorem febrem resultare per rigorem docuit, donec adveniente sudore vomitu vel dejectione cesset; nihilominùs non potest negari pluries per rigorem causam febris sensibiliter elici, ità ut febris per ipsum cesset, & rigor sine febre inveniatur, ut ipse concedit, saltim ex frigidis humoribus.

Solùm restat explicare quomodo crisis per urinam dignoscatur, cujus nullum signum determinatum dedit Galenus 3. *de crif. cap.* 11. adducens pro quacunque crisi signa diversa. Avic. verò *fen* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. crisim per urinam dignosci ex vesicae gravitate, & virgae ardore cum duritie ventris & carentia signorum alterius crisis, suppositis communibus crisim significantibus absolutè: nam ipsis existentibus, crisis est praedicenda. Cùm ergo nullum indicium fit abscessûs, sudoris, fluxûs ventris, vel sanguinis, vel ex alia parte alvus aliquantulum astringatur, si pondus in vesica, & ardor in virga sentiatur, necessariò crisis per urinam est expectanda; praecipuè si morbus in parte gibba hepatis sit, quae cùm vesica magnam habent connexionem, sicut cava cum intestinis, ut Galenus 3. *de crif. cap.* 3. & Avic. *fen* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. ad quod hyemale tempus conducit, magis impediens motum humoris ad cutem, & pro humiditatum augmento faciens, licèt & senilis aetas.



QVÆSTIO VII.

De signis ostendentibus Crisim per vomitum, vel dejectionem.

VOMITU, vel fluxu ventris morbos plures terminari praeter expetientiam docuit Hippocr. 1. *epid. part.* 3. *agroto* 5. & Galenus 3. *de crif. cap.* 3. Utramque evacuationem significari per rigorem docuit: nam c. 11. ait. *Si rigor adveniat, distinguendum est an sudor post ipsum sequatur, vel vomitus, vel subductio ventris*; at cùm motus oppositi sint, sursum scilicet & deorsum, ad interiora, & exteriora, diversis signis uterque est deducendus motus. De sudore dictum est, de aliis dixit Galenus *cap.* 11. *citato*, pulsum altum cujuslibet excretionis esse signum; durum, & inaequale vomitum magis quàm sudorem significare; & cùm signum ex pulsibus ad crisim non sit magnae considerationis apud Hippocratem, ut voluit Galenus *loco citato*, signa ab Hippoc. data ad vomitum sunt attendenda. Sic ait 3. *prog. text.* 30. *Si in non lethali febre caput dolet, vel ante oculos obscura quadam obverfantur, aut cordis dolor accidit, is bilem evomet, si verò rigor adsit, & inferiores pracordiorum partes frigore afficiantur, citius ad vomitionem properabit, pracipuè si quidpiam ederit, vel biberit.* Quae verba ex professo explanata sunt *super text.* 35. ubi diximus signa aliqua communia esse pro crisi per vomitum, & sanguinem narium, quatenùs utraque evacuatio motus est ad superiora, sic dolor capitis commune est utrique signum, ut etiam ex Galeno diximus.

De indiciis motûs humoris per alvum, nec à Galeno *cap.* 11. *lib.* 3. *de crif.* aliquid positivum dictum, nec à nobis huc usque significata, tamen mollitiem ejus, vel crisim dum communia signa pro crisi sunt, & nulla inveniuntur per sudorem, vomitum, vel sanguinem narium demonstrantia: si autem attendamus ad dicta, de signis sudoris agens Galenus, urinae suppressionem sudoris signum cognovit, dum alvus non humectatur, quia materiam illam retineri constat & crisi prope existente, non aliter quàm per sudorem est expectanda evacuatio: qua ratione etiam diximus alvi, vel sudoris non existentibus signis urinae profluvium esse expectandum; ergo rectè ex urinae suppressione alvum moveri, poterit judicari, vomitûs, vel sudoris, deficientibus signis, praecipuè hepate secundum partem cavam patiente, vel humore aliquo crasso abundante circa ventrem infectiorem: ad quod positivum signum erit alvum aliquantulum humectari, sic Galenus *cap.* 11. *citato*, *Si urina sola supprimatur, considerare oportet nunquid alvi excrementa plura quam priora, vel pauciora, ante crisim exierint: si enim plura, manifestus motus natura ad hunc locum est cognoscendus; si pauciora, ad sudores:* Ergo jam mollities ventris major quàm antea significat per illam regionem crisim esse expectandam: nec intelligendum est jam non esse crisis signa, sed crisim, & motum ipsum humoris per illam regionem; nam ideò dixit Galenus: *Si ante crisim excrementa plura, vel pauciora fint*; Quasi diceret, si venter molliatur ante crisim, signum est quod ad illam regionem humor moveatur,

ideò

ideò dixit excrementa plora esse, crisis verò, non tam excrementa alvi quàm humores qui moventur, movetur enim ante impetum materiæ portio quædam quæ excrementa movet magis, quâ ratione inter signa vomitûs, spuitio multa ponitur ab Hippocrate & Galeno, ut *suo loc*, dictum est & 3. *de crif. cap.* 11.

Avic. verò specialia signa dedit vomitum, & fluxum ventris significantia; nam *cap.* 5. *fen* 2. *lib.* 4. oculorum tenebrositatem adducit quin aliquod splendidum appareat tamquam signum vomitûs distinctum specialiter à signis sanguinis narium; nam motum dicit humoris ad partes supernas alieni à natura sanguinis, additque oris amaritudinem, nauseam, pulsûs constrictionem, vel coarctationem, præcipuè dum bilis redundat, vel ægritudo à bile dependet, & color pallidus, vel plumbeus fit, tenebrositatem sine splendore adducit, quia sangnineus humor non est; & quamvis bilis vomitûs speciale, & præcipuum incitamentum aliquid splendoris haberet ob aliorum excrementorum crassorum, & alimentorum vapores permixtos, tenebrositas causatur splendore deobscurato: amaritudo ob bilis specialem naturam est; pulsûs constrictio & color mutatus ob tetractionem factam ad intra vi molestæ irritationis à bile causatæ ad expulsionem requisitæ; nausea verò humorem irritantem pro vomitu significat.

Dejectionis tamen cujus nullum dedit signum Galenus, plura dedit Avicenn. ipsam specialiter significantia *cap.* 9. *ejusdem libri primi*, crisim per fluxum ventris prægnoscit dum causas morbi superfluitatis dicit aptas ut per illum vacuentur, ut sunt crassæ fæces & excrementa in imo ventre existentia; inquit enim Avic. crisim per hanc regionem ostendi dum materia multa est non sanguinea, præcipuè si urinæ adstrictio existat, ventris morsus, & gravitas, dum signa vomitûs desunt, rugitus & inflammatio in ventre adsunt, excrementorum laxitas, & tinctura plusquàm per consuetudinē, pulsúsque coarctatio, vel urina alba invenitur: hæc ob motum humoris ipsam tingentis & ventrem moventis per regionem aliam, ut diximus de sudore, & sic excrementa tinguntur magis, & moventur, urina deficit, gravitas, morsus, inflammatio & rugitus advenit: quâ ratione Hippocr. 4. *acut. text.* 64. medicamentum expurgans exhibendum esse docet si venter murmuraverit, quia motus humoris per illam regionem significatur, sic ait. *Hos si à principio purgare volueris, ante diem quintum facito si venter murmuraverit, alias à medicamento abstineto.* Pulsus fit talis ob requisitum ad expellendum quod sensivas molestat membranas, quæ cum arteriis connexionem habent, dicuntur ergo signa positiva crisim determinatè per dejectionem ostendentia.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm Crisim futuram fore in morbo possit dignosci.

VIDATUR quæsitum esse præter rationem: nam si dictum est signa esse ostendentia crisim futuram absolutè, & ulteriùs alia concedimus ipsam per determinatam regionem demonstrantia, alienum à ratione videtur quærere an possit dignosci crisim in morbis fore futuram. Nascitur dubitandi ratio ex eo quod crisis futura prænoscenda sit per ejus signa, vel communia, vel particularia: sed per hæc non potest dignosci morbum crisi esse terminaturum: ergo nullo modo cognoscetur. Major est certa ex Hippoc. 3. *acut. text.* 37. & constat ex Galeno ipsa adducente *in comment.* & 3. *de crif. cap.* 11. ad quamlibet crisim cognoscendam, & ad crisim in communi *cap.* 4. Minor probatur: nam talia signa ità incerta, dubia, & fallacia sunt, ut non magis crisim quàm mutationem quandam morbi significent; sed ex signis contrarium significantibus non potest unum præsagiri, ergo nec crisis. Major hujus syllogismi constat ex Hippoc. 3. *prog. text.* 13. in quo dolorem capitis signum mortale, vel crisis dicit esse, & consequenter Galenus 3. *de crif. cap.* 11. ex Hippoc. involuntariam lachrymam, & labij inferioris tremorem signa crisis appellat, quæ morbi signa dicuntur ab ipso Hippoc. 1. *progn. text.* 13. & 15. Ergo non poterit eis crisis præsagiri.

Hoc confirmat Galenus 1. *de crif. cap.* 14. Sic. *Criticorum accidentium duplex natura est, infida verò universa eorum natura, & contraria significans, secundum aliam dispositionem critica sunt, secundùm aliam, vel morbi tempus, accidentia, vel signa prava sunt.* Ergo eis neutiquam crisis poterit dignosci, ac per consequens, nec morbum crisi terminari. Clariùs ait infrà. *Contingit autem nec in primis accidentibus, quæ tantum sunt signa crisis, nec in secundis, quæ & signorum & causarum vim habent, crisim ex necessitate sequi.*

Secundò: nam Galenus 3. *de crif. cap.* 10. ait, *Diximus optimas crises in statibus, in augmentis verò imperfectas, & non securas; in principio autem morbi non fieri, esse tamen optimarum exquisita præcognitiones, aliarum quidem cum conjectura, & maximè fuerint crises signo carentes.* Docet ergo dari crisim sine signo, sed ubi signum est, nil mirum quod significatum non cognoscatur, ergo non poterit dignosci morbi terminatio an futura sit crisi, vel secùs. Repetis idem 1. *de dieb. decret. cap.* 2. in quo aliam esse crisim cum signis, aliam sine ipsis scripsit: non cognoscetur morbum finiendum esse crisi.

Tertiò: signa crisis ipsam significant eo gradu quo sunt accidentia sequentia mutationem ipsius materiæ; sed materia non alteratur, nec accidentia causat, donec moveatur ad expulsionem: ergo non erunt signa crisis, nisi quando jam materia movetur, & expulsio fit, quod est in ipso die; ac per consequens non poterit cognosci quod morbus sit finiendus crisi in principio.

Hujus communis solutio est, alia esse signa antecedentia, qualia sunt species, & idea morbi, magnitudo, & motus, & indicatio in suo quaternario, de quibus posteà; alia verò instantem crisim ostendentia, ut anxietas, delirium, tremor labij, & similia: Et licèt per hæc non cognoscatur crisis in principio, sed dum jam movetur, & perturbatio causatur per alia, maximè cùm in primis diebus essentia, magnitudo, & morbi motus constet. Contrà tamen est, omnia dicta inveniuntur pluries nullâ crisi adveniente, ergo per ea non cognoscetur quod morbus sit crisi terminandus. Patet, nàm morbus qui terminandus est coctione, etiam signa coctionis habet;

bet; est enim valde contingens non reperiri mutationem aliquam sensibilem in aliquo die indicante, cùm ferè omnes aliorum indicantes sint: Et ex alia parte non implicat talem morbum esse magnum, & celeris motûs, & adhuc per signa antecedentia non constabit morbum finiendum esse crisi. Confirmatur: nam qui crisi esset terminandus, propter errorem Medici, ægrotantis, vel assistentis potest crisi privari, ut Galenus 3. *de crif. cap.*4.docet: sed talis morbus signa crisis habebit, & ipsâ carebit: ergo per ea non poterit cognosci morbum finiendum esse crisi.

Circa hanc difficultatem voluit Doctor quidam non esse dubitandum crisim dignosci dum signa ipsam instantem demonstrantia adsunt, quia causæ mutationem sequuntur, difficultatem tamen esse in principio morbi, in quo talia signa non sunt, cognosci tamen in ipsa ea morbi idea, magnitudine, & motu ejus. Quod probat primò ex Galeno 3. *de crif. cap. 4. Virum verò per crisim terminabitur morbus, vel non : primum quidem ex motu, vel magnitudine inspicies, deinceps ex idea ipsius.* Ergo his tribus crisis poterit præsagiri in principio. Quod explicat, quia non quilibet morbus magnus crisi terminabitur, ut ulcus, & magna inflammatio in cute, & sic morbi ideam vel naturam debemus inspicere, quæ sit communis toti ex materia tenui & calida, ut facilè vincatur, seu ejiciatur ab una parte in aliam, & communiter crisi non finiri quotidianam & quartanam expressit, ex eo quod Galenus 2. *de crif. cap.* 11. *Eas igitur qua cum magno & cito se inclinante certamine fiunt morborum solutiones* (quas præcipuè crises nominari dicebamus) *febrium earum qua ex calidis humoribus accenduntur, proprias esse existimandum est, post has earum, quacunque membrorum sunt principatum habentium, facile mobiles, & calida dispositiones.* Docet ergo ad cognoscendam crisim morbi ideam esse respiciendam.

Magnitudinem morbi attendendam esse quoque scripsit hic Auctor ad crisim futuram prædicendam, quatenùs solùm expectanda est dum propter magnitudinem natura ad certandum irritatur, defectu cujus dum parvus est morbus, non fiunt subitæ mutationes. Propter quod non esse crisim in tertiana exquisita voluit, & sic dum morbi natura pro crisi facit, & magnitudo est, crisis est expectanda, ad cujus cognitionem etiam facere motum morbi scripsit, quatenùs morbus, qui celiter movetur, necessariò arguit, dum magnus est, magnam irritationem ad crisim conducentem ob symptomatum magnitudinem quæ ob celerem motum ità adveniunt, & sic ex omnibus rectè potest deduci crisis in morborum principio, quia omnia signa hæc ostendentia in principio sunt, & consequenter ad dicta impugnat Argen. *lib.*4. *de signis cap.*18. dicentem crisim sufficienter dignosci ea morbi magnitudine, & robore virium, ex eo quod plures morbi sint magni cum virium robore, & crisi non terminantur, ut sunt ingens inflammatio, quæ morbum magnum constituit ratione essentiæ, febris hectica, diaria ratione partis, & carbunculus anginosus ratione malignitatis: ergo non sufficit morbum esse magnum cum virium robore, ut crisi esse terminandum cognoscamus, sed ideam ejus etiam, inspicere oportet & motum.

Hic modus dicendi plura habet à veritate recedentia. Primò affirmat instantem crisim rectè dignosci per signa ipsam imminentem demonstrantia, fallitur tamen: nam signa imminentem crisim demonstrantia sunt anxieras, pervigilium, dolor, tremor, rigor, & plura, quæ adducit 3. *de crif. cap.* 2. & 11. Sed hæc accidentia non certò significant crisim, ut probat primum argumentum: propter quod Galenus 3. *de crif. cap.* 11. adducens signa crisis in particulari, quæ imminentem crisim demonstrant, quia sequuntur mutationem particularem materiæ, inquit talia esse crisi jam prope existente: ergo non per ipsa sufficienter erit prædicenda crisis imminens, ac per consequens dubitatio de omnibus signis est.

Affirmat præterea cognosci morbum terminaturum esse crisi in principio, ea idea, magnitudine, & motu morbi, cujus contrarium docuit expressè Galenus 3. *de crif. cap.*4. in quo docens modum dignoscendi morbum esse terminandum crisi, vel solutione, sic ait. *Sit in exemplo ægrotus qui primo die habeat signa manifesta salutis; huic omnino in primo quaternario finietur morbus, utrū verò per solutionem vel crisim, magnitudine, & parvitate distinguitur : siquidem magni, judicantur omnino : qui autem parvi, solvuntur solum, sed dies crisis ex motu invenietur.* Docet ergo expressè motum morbi ad diem crisis ostendendum facere, non ad crisim futuram, vel non futuram, magnitudinem verò ad crisim futuram, sicut parvitatem ad contrarium. Quod deinde repetit *infrà* sic, *Si verò per crisim, vel sine crisi salus sit subsecutura, hoc ex morbi magnitudine noscitur, liquet enim quod si magnus fuerit, omnino per crisim morbus finiatur.* Ergo ex magnitudine tantùm de mente Galeni crisim futurā fore est deducendum.

Præterea, quia si motus morbi crisim futuram fore ostenderet, vel esset celer, vel tardus, sicut magnitudo ità significat crisim futuram, ut parvitas non futuram ostendat; sed si crisis accidat morbo existente magno, advenit sive celeri, sive tardo motu, ergo motus non significat crisim futuram. Major est certa, alias ea motu nil deduceretur. Minor probatur ex Galen. & Hipp. assignantibus dies judicatorios usque ad centesimum adhuc, 2. *progn. text.* 57. & 3. *prog. text.*6. & pluries alibi, & *in comment.* & 1. *de dieb. decret. c.*10. sed morbi qui ultra vigesimum terminantur non sunt celeris motûs: ergo ex motu non potest colligi morbum esse finiendum crisi.

Nec valet si dicas, quod licèt uterque motus crisi possit reperiri, nihilominùs celeritas morbum magnum crisi esse terminandum significabit, quia significat celeriter advenire accidentia irritantia pro crisi, ratione cujus magnitudo crisim ostendit; contra enim in tali casu, est rationa magnitudinis significatur crisis futura, non ratione celeritatis; nam si celeritas illa existeret sine magnitudine, crisis non foret, ut in diaria; si autem magnitudo, quæ ex celeritate advenit, in morbo magno reperiretur, vi magnitudinis præcisè in morbo tardo crisis foret, ut fuit *in ægroto* 5. & 6. 1. *epid.* ergo non ratione celeritatis est præsaganda crisis in morbo.

Nec obstat quod affirmat de idea morbi verum est: inquit enim ideam morbi significare morbum totius pendentem ab humore calido, & tenui defectu cujus tertiana, & quotidiana crisi non terminantur; & consequenter morbus totius ab humore calido pendens terminabitur crisi. Hoc etiam fallum est, & contra Hipp. & Gal. nam in- primis

ptimis non minùs terminantur crisi qui terminātur abscessibus quàm excretiunibus, ut Gal. *3.de crif. c.2.& 7.* sic. *Sola dubia ad sanitatem conversio simplex crisis nominatur, & fit per manifestas quasdam excretiones, aut essatu dignos abscessus.* Sed abscessus fiunt ex materia crassa, & frigida, ut Hipp. *3.prog. text.*23. Gal. *in comm.* ità ut solùm dicat differte erises quatenùs ex humore tenui fiunt per excretiones, & ex ctasso, per abscessus: ergo ex idea morbi non significatur ctisis futura, quatenùs peodent ab humore tenui, & calido etsi forsan significetur modus crisis.

Si dicas intelligi per crisim exetetiones, prout differunt ab abscessibus: contra est, quia ipse Gal. *5.progn.comm.*24. abscessus ex humoribus calidis fieri fatetur, dum facultas est debilis: ergo adhuc licèt de crisibus agat prout solùm excretiones comprehendit, male affirmat ideam significare motbum à calidis bumoribus pēdentem. Ptæterquàm quod cùm agar de cognoscenda terminatione morbi, & hæc possit esse per abscessum, vel excretionem, tatione cujus signa ad quamlibet barum retminationem cognoscendam Gal. adducit, in eadem tamen laritudine est intelligendum dum signa ustendentia, an ctisi terminandus sit morbus, adducit, ac per consequens cùm tam murbus pendens à crasso, quàm à tenui humore crisi terminetur, malè per ideam motbi esse intelligendum qui à calidu pendet humore scripsit; docuit enim expresè Gal. *3.de crif. c.3.* quotidianas, quartanas, & tertianas excretionibus, & abscessibus terminari, & consequenter idea morbi hac tatione nō significat fore crisi terminandū morbum: nec ratione magnitudinis est excludenda tertiana exquisita, tū quia ex propria essentia, & ratione partis morbus magnus potest esse, tū quia in ea crisim cōcedit Gal. & experiētia.

Tandem non rectè nbjicit contra Atgenterium dicens morbos magnos esse quia crisi non terminantur; cettum enim est crisim competere morbis à materia totius pendentibus, & de illis, est quærenda solutio; nam de illis in quibus est possibilis crisis, non erat dubitandum an etisi terminarentut: est etgo dubium in illis in quibus potest esse & non esse, & cum solùm possit inveniri, in illis qui à materia pendent, quia illis solùm convenit posse subitò mutari cùm sensibili evacuatione, de illis solum est conttoversia, ut videamus nō babere locum quod objicit de diaria, hectica, ulcere, inflammatione, & catbunculo; nam morbi, qui terminantut coctione, crisi uon terminantur, non coctionem ad ctisim non tamē dicimus terminari coctione in illis qui absque expulsione manifesta paulatim terminantur; & cùm ità terminentur motbi qui à materia depēdēt, nō est de eis cōtroversia; sūt enim morbi partiales, seu partes determinatæ in quibus universaliter nun movetut natura ad expulsionē, movetur quidē in morbis totius à materia depēdētibus, & cōstātibus viribus, & sic de illis controversia est.

Pro solutione quæstionis advertendum est signa ctitica esse in duplici differentia, ut Gal. *1.de crif.c.*14. alia sunt signa tantùm, alia sunt signa & causa; signa tantùm sunt accidentia ostendentia materiam moveri ad expulsionem ab actione narnræ, talia sunt, quæ motum materiæ, vel perturbationem sequuntur, dolor scilicet, anxietas, pervigilium, delirium, vertigo, difficilis anhelitus, labij rremor, rigor, involuntariæ lacbrymæ, & cætera, quæ ante crisim accidunt: Signa & causa evacuationes omnes quæ inveniuntur per quas mutatut vivens ab statu ægritudinis in melius, vel in deterius, ratione cujus signa, & causæ dicuntur; signa quatenùs crisim futuram significant; causæ quia vi evacuationis talis mutatio accidit. Quorum omnium sic scripsit Gal. *Criticorum accidentium duplex natura est, quoniam aliqua sunt tamquam causa, & signa, aliqua tamquam signa solum, infida vero est universa eorum natura, & contraria significans.*

Præter bæc omnia, alia in morbis reperiuntur accidentia quorum alia sunt pathognomonica, alia concomitantia, alia mortis, aut salutis; alia coctionis & cruditatis, de quibus omnibus egit *1. aph.com.*12. & nos ex professo *quæst.* 2. *de rebus contra naturam.* Ad tem tamen, etsi signa in rigore critica sunt omnia posita sub duplici differentia, ratione cujus sic scripsit Gal. *Quæ unà cum crisi ab initio invadunt, vel paululum anticipant, ipsa judicatoria nominamus.* Nihilominùs motbum crisi terminaturum, vel secùs non solùm ipsis dignóscitur, sed aliis ex pluribus, quæ in morbis inveniuntur sunt pathognomonica signa, quæ essentiam ostendunt, concomitantia quæ morem, mortem, aut salutem, quæ pravam, vel bonam naturæ dispositionem significant, vel vitium aliquod vincibile, vel secùs coctionis, vel cruditatis, excrementum tantùm naturalem dispositionem, aut ab ea recedens quæ tatione temporis in quo apparent, motum motbi, & plura alia significare valent, ità ut non solùm coctionis & cruditatis, verùm, & critica comitantia signa sint, seu morem ostendentia: Ptoptet quod omnia signorū genera sub duplici membro comprehendit Gal. *1. de crif. c.5.* sub pathognomonicis, & mox apparentibus, quatenùs omnia alia præter essentialia mox sunt, & his quæ mox apparent significantur.

His positis, nobis dicendum est rectè posse à principio dignosci morbum terminaturum fore ctisi, si ertor aliquis in curatione nō præcedat: attamen aliud est, quo cognoscatur, aliud verò quod ad hoc cognoscendū juvet; dicimus tamen morbū esse crisi terminaturū, vel secùs, ex magnitudine, & parvitate dignosci præcisè, supposita virium vehementiâ, vel robore, ut voluit Argenterius; nam vitium robore deficiēte crisis esse non potest. Sic ait Gal. *3. de crif. c. 9. Ubi natura plurimum a morbo superatur tunc, nec certare adversus ipsum aggreditur, nam sine certamine crisis non fit.* Et c. 10. Defectu viriū non fieri crisim in motbis mortalibus docet, sic ait. *Virtus prostatà ad pugnā cōtra morbū non excitatur.* Est ergo qua vittute existēte, & morbo totius à materia depēdēte, aliàs nil mirū quod crisis non esset. Hoc docet Avic. etiā *f.2.l.4.tr.1.c.*94. ubi ait. *Cū fuerit virtus fortis, & paroxysmi augmētati in qualitate & quātitate, & ætas, & cōplexio, & tēpus, declināt ad motionē, ægritudo cōsumetur cū crisi.*

Crisi terminaturū fore morbū, vel secùs, cognoscemus præcisè ex magnitudine, vel parvitate morbi. Cōstat hoc ex Gal. *3.de crif.c.*4. id est ptofesso docēte, cujus verba suprà sūt. Probatur etiā ratione: nā crisis fit materiâ correptâ, & pro sui expulsione totâ simul irritāre; sed valētibus viribus in morbo magno materia simul corrigitur & pro sui expulsione simul & vehemēter excitat facultatē; ergo eo ipso quod morbus magnus sit, crisi terminādū esse dignoscemus. Major est certa, ob quod Avic. *c.4.l.4.* sic morbi statū definit *Est hora in qua apparet pugna inter naturam & materiā, & apparet victoria unius supra aliā, & est pugna hora.* Certum enim est Galeno *3.de crif.c.5.& 6.* Crisim in statu fieri, propter quod hora pugnæ dicitur, nec alia

ratione horâ acceſſionis crisis fit, nî quia irritatur magis per eam ad expulsionem, ut Galenus *cap*. 4. *citato*, docet. Minor probatur: nam in morbo magno materia in ſtatu ad ſummam pervenit correctionem, quâ ſuppoſitâ cùm non ſit ad quid detineatur, à natura neceſſariò facultas expultrix excitatur; ergo in illis expectanda eſt crisis.

Dices: in morbo parvo etiam materia coquitur in ſtatu, & non eſt ad quid detineatur, ergo excitabit facultatem pro crisi.

Reſpondetur, crisim non fieri quomodolibet naturâ ad expellendum commotâ, ſed quando ità excitatur ut impetu operetur contrarium, propter quod crisis impetus nuncupatur à Galeno 3. *prog. comment*. 3. ſequente Hippocratem *in text*. commovetur tamen ità ut impetu operetur dum cauſa morbi taliter excitat facultatem, ut valde irritet, quod ſolùm cauſa morbi magni facit; nam cauſa morbi parvi paulatim vincitur, & reſolvitur, aliàs non faceret morbum parvum, & ſic crisibus caret, propter quod etiam die quietis crisis non fit adhuc in morbo magno, ut Avic. *fen* 2. *lib*. 4. *cap*. 1. & Galenus 3. *de criſ*. *c*. 4.

Dices iterum: Ergo eo ipſo quod morbus magnus ſit, crisi eſſe terminaturum eſt prædicendum, dummodò ſit ex illis qui à materia dependent toto corpore patiente, cujus contrarium docet experientia, cùm pluries ſine crisi terminentur morbi magni.

Reſpondetur morbum magnum crisi terminari neceſſariò, nî ratione diſpoſitionis ſubjecti, remediorum, vel alicujus alterius materia taliter fuerit paulatim evacuata, ut non maneat quantitas ſufficiéter pro ſubitanea expulsione irritans, vel vires taliter fuerint labefactæ, ut non valeant pro ſimultanea expulsione facienda, & ſic paulatim reſolvatur, vel coquatur materia. Diximus, tamen ſine certàmine crisim non fieri, ad quod valde facit aptitudo, vel ineptitudo materiæ, ratione cujus Galenus 3. *prog. comment*. 54. à materia tenui excretiones evenire, à craſſa abſceſſus, vel coctione morbum terminari, quia ob ineptitudinem materiæ ad expulsionem, cùm non poſſit ejici à natura, vel abſceſſus ſiunt, vel neceſſum eſt quod paulatim materia corrigatur, ratione cujus, etſi magnitudine crisim futuram colligat, ex aliis quæ dicemus, prænotio juvatur.

Etſi magnitudine, vel parvitate crisi morbum terminaturum eſſe cognoſcat Galenus, cùm propter dicta, magnitudine adhuc exiſtente, pluries crisis deficiat, plura conſiderare docet Galenus, ut certiùs ipſam cognoſcamus futuram, non quia crisim prænunciant, ſed quia ipſa cum magnitudine certiorem faciunt cognitionem, & hac ratione ideam morbi, & motum, tempus anni, & ægrotantis temperaturam, ſicut & accidentia critica conſiderare docet Galenus 3. *de criſ*. *cap*. 4. quatenùs omnia hæc certiùs morbi terminationem demonſtrant, ſic ait. *Virum per crisim terminabitur morbus, vel non, primum ex motu, ac magnitudine, invenies; deinceps ex idea ipſius, deinde ex anni tempore, & ex aliis, qua ejuſdem ſunt ordinis, & ex ſupervenientibus accidentibus*. Docet ergo magnitudinem oſtendere crisim, & poſt alia ad hoc facere; motûs celeritas & magnitudo faciunt, quia valent irritare naturam, ut ad expellendum moveatur; idea, quia morbum dicit ex his qui crisi terminantur; tempus, pront dicit qualitates aptas ut humor moveatur, & expellatur; accidentia ſupervenientia, prout oſtentant motum materiæ, quæ omnia multum faciunt ut de crisi non dubitemus, intelligit tamen per ea, quæ ejuſdem ordinis ſunt regionem, victum, & tempetiem, ſicut per ſupervenientia critica ſigna, ut ipſe explicat.

Nec obſtat dixiſſe ex motu, & magnitudine crisim futuram deduci: nam *infrà* poſtquàm dixit magnitudine tantùm dignoſci, ſic ait, *Sed dies crisis ex motu inveniatur*, Quasi diceret, motus morbi indicat diem crisis cognitæ futuræ per magnitudinem. Et ulteriùs *infra* ſic ait. *Liquet enim quod ſi magnus fuerit, omninò per crisim morbus finietur, quod ſi etiam motûs velocitas adjungatur, multò magis id fiet*, Docet ergo per magnitudinem crisim dignoſci, reliqua verò adjuvare. Quâ etiam ratione *cap*. 11. *ſequenti* dum ſignum ſudoris adducit, urinam ſuppreſſam, quasi ſignificans non eſſe ſignum criticum ſufficiens ad crisim prædicendam, dicit rigorem eſſe expectandum urinâ ſuppreſsâ ſi crisis prope ſit, ſcilicet dum ex alio capite de crisi conſtat ſi urina ſupprimatur, rigor eſt expectandus.

Non eſt minimum ſignum ad crisim prædicendam indicatio facta in ſuo quaternario, ſcilicet dum aliquod ſignum coctionis manifeſtè apparet in extrementis, quod oſtendat materiam pro expulsione diſponi in aliquo die indicante: nam cùm non adveniat crisis nî materia cocta, dum mutatio aliqua ſensibilis cognoſcitur in tali die, in ſuo ſeptenario expectatur crisis; oſtenditur enim mutatio materiæ in ordine ad ipſam. Quâ ratione etiam dum perturbatio advenit die judicatorio indicata in ſuo quaternario, & ſubitò, etſi ex ſe non ſint critica ſigna, certa, verè critica eſſe conſtat, ex eo quòd docet Hippocr. 4. *aphor. text*. 71. *Quibus crisis ſeptima ute futura eſt, his nebula rubra in urina apparet quarta die*: juxta id quod docet 2. *aphor. text*. 24. per illa verba, *Septenorum quartus eſt index*; ita ut ſigna coctionis prout hac, vel illa die apparent, crisim indicent in ſuo quaternario, ut oſtendit Galenus 3. *de criſ*. *cap*. 4. ad quod conducunt accidentia illa, quæ critica dicuntur, id eſt, quæ perturbationem ſequuntur dum ſubitò veniũt, ut Avicenn. *fen* 2. *lib*. 4. *tract*. 1. *cap*. 3. Siquidem critica ſigna talia eſſe docet ſi ſubitò eveniant: cognoſcetur ergo morbũ crisi eſſe terminaturum ex magnitudine viribus conſtantibus, præcipuè ſi idea morbi & accidentia, quæ inveniuntur ad hoc faciant; & ex alia parte materia morbi, tempus, victus, & reliqua pro commotione, irritatione & expulsione ſint, & ſigna coctionis inveniantur cum mutatione facta in ſuo quaternario: quibus deficientibus, vel aliquo eorum, non ità certa erit prædictio: propter quod Galenus *cap*. 4. *de criſ*. *citato*, optimam crisim certò dignoſci dicit ex dictis, quia omnia dicta, debent præcedere ad eam, reliquæ verò non nî conjecturaliter cognoſcuntur, quia plura deficiunt in eis, defectu quorum optimæ non ſunt; ſiunt enim plures nullâ præcedente mutatione indicante, ut Galenus docuit.

Ad argumenta Reſp. quòd licèt ſigna critica incerta, & fallacia valde ſint, eam tamen crisim oſtendunt dum cum aliis ſignis conjunguntur, non tamen, dicimus ipſa rectè oſtendere morbum crisi fore terminandum, ſed ſigna magnitudinem oſtendentia, quæ ſunt eſſentialia in tali

tali intensione, quia significant morbum sufficienter irritantem naturam pro expulsione suæ causæ viribus constantibus, ad quod facit coctionis signum die indicante sensibiliter mutatum, & reliqua dicta.

Ad secundum Respond.quod licèt crisis possit esse sine signo indicante, propter quod non adducitur indicatio tanquam certum signum, non tamen potest esse sine signis ostendentibus magnitudinem morbi,quam dicimus futuram crisim ostendere, nec poterit esse sine signis ostendentibus perturbationem, ut in ipso *cap.* 10. docet Galenus & sic non dabitur morbus in quo crisis futura non possit dignosci.

Ad tertium dicimus non præcognosci crisim tantùm per signa sequentia mutationem actualem materiæ quantùm dignoscitur per antecedentia signa, per magnitudinem scilicet, necnon per alia juvantia: & quamvis signa magnitudinis pluries inveniantur, quin morbus crisi terminetur (idem probat, etsi ideam, & motum facere dicamus ad crisim) nihilominùs magnitudo crisim futurã ostendit in morbis pèdentibus ex materia totius, viribus constantibus; deficit verò vel ob aggravationem, vel ob parvitatem materiæ detellictam, vel ob debilitatem virium inductam, ratione cujus paulatim materia coquitur, ad quod etiam facit ineptitudo ad expulsionem, vel ex parte materiæ. Propter quod Gal.3. *progn. comment.* 23. dum facultas est parum fortis, etiamsi materia tenuis sit, abscessus fieri fatetur, dum verò materia est crassa, si facultas sit fortis, vel abscessus fient, vel coctione terminabitur morbus, quia non valet ejicere, aut ob resistentiam materiæ, aut ob remissum robur, & sic quamvis morbus magnus sit propter quem crisis erat prædicenda, pluribus est attendendum conditionibus ut eam fore dicamus, si nullus accidat error, ut toties repetit Galenus *cap.* 4. *citato*, quia facultas potest debilitari, aut ità remissè exonerari, ut expellere non valeat, vel tanta potest esse evacuatio, ut pro irritatione ad crisim non relinquatur humoris quantitas.

QVÆSTIO IX.

Quando prædicenda sit Crisis, & quibus signis.

QUÆSTIO habet locum tam de tempore in quo Medicus prognosticum debet elicere, quàm de tempore in quo futura est crisis: primum constat ex dictis; nam si ex magnitudine morbi est prædicenda, primis diebus morbi est prædicenda; nam in ipsis signa sufficienter magnitudinem & vires significantia reperiuntur, ut morbum fore crisi terminandum dicamus ex propria natura, nî error accidat, & in ipso adhuc motus, & idea morbi constabit, sicut, & tempestas, victus, & temperatura subjecti: si verò ad signum indicans diem decretorium attendamus, augmentum morbi expectandum est, ut signa coctionis existant, & prognosticum dici proferamus; est enim augmentum morbi ex Avicenn. *cap.* 4. *lib.* 4. quando apparent signa coctionis, vel ei contraria. Difficultas tamen magis ad rem attinens est determinare tempus in quo futura sit crisis: duo sunt resolvenda, & quo tempore morbi crisim futuram fore sit prædicendum, & quo die.

Circa quod si dicta attendamus, diem crisis ex motu morbi inveniemus. Sic ait Galenus 3. *de crisi. cap.* 4. *Dies crisis ex motu invenitur.* Quod probans *infrà*, sic ait: *Contingit enim in tertio, vel quinto die crisim fieri, in tertio si morbus magnus sit, ac motum velocitatem habeat; in quinto autem si neque valde magnus sit, nec velociter moveatur:* Ergo ex motu morbi diem crisis determinat, & eadem proportione tempus crisis breviter, aut tardè venturum ostendit *in ipso cap.* quatenùs qui celeriter movetur, brevi, qui tardiùs, tardè finitur, & crisi judicatur: Quo fundamento *cap.* 6. sic ait. *Si morbus salubris inveniatur, & nec acumen, nec magnitudo festinent, nec error admittatur, statùs tempus morbus expectat: si verò vel propter morbi magnitudinem, vel motùs celeritatem, vel aliud irritamentum ante statum crisis venire cogatur, &c.* Docet ergo ex motu morbi, & magnitudine ipsa tempus & diem crisis indagari, cùm asserat non solùm celerem motum brevi facere crisim, verùm & ante statum, tardum verò tardè.

Iuxta hanc doctrinam Recentior ità ex celeritate, vel tarditate morbi, tempus, & diem crisis deducit, ut licèt ideam & magnitudinem morbi attendere consulat simul cum temperie regionis, victûs & temporis omnia hæc concurrere affirmat ad tempus crisis prædicendum, quatenùs morbi idea, celer, vel tardus motus, tempus, victûs, & regio ad idem faciunt, prout materia genita vi hujus temperiei apta, vel inepta ad motum magis est, juxta verba Hippoc. 2. *aphor. text.*26. sic ait. *Æstivæ quartanæ breves; autumnales verò magna ex parte longæ,præcipuè,quæ hyemem attingunt.* Et consequenter eùm magnitudo major, vel minor pro majori, aut minori celeritate faciat, etsi omnia dicta tempus & diem crisis ostendere dicat, ratione motûs morbi hoc esse intelligendum deducitur.

Hæc tamen doctrina sic intellecta non solvit difficultatem quæ est, morbum celeris, vel tardi motûs, & consequenter talem esse ideam, magnitudinem & motum ejus, necnon tempus,temperiem, & victum solùm ostendunt brevi futuram esse crisim, vel tardè, non tamen tempus, vel diem ejus: Patet; nam omnia dicta solùm faciunt pro crisi prædicenda quatenùs pro celeri, aut tardo motu conducunt: sed hoc modo solùm deducitur crisim futuram fore in his qui celeri moto moventur, & tardè in his qui tardo; ergo non deducitur tempus crisis, vel dies. Major est certa, minor constat; nam celer, vel tardus motus morbi solùm significant ità moveri morbum, ut ejus tempora celeriter, vel tardè eveniant, & licèt crisis in aliquo tempore ejus sit futura, non significatur per motum aliud quàm juxta proportionem tali motûs crisim futuram fore, non tamen quando. Propter quod Hippoc. 1. *aphor. text.* 12. Signa adducens ad cognoscendum motum morbi, ait. *Accessiones, & constitutiones morbi indicabunt & anni tempora, & per circuitus successiva incrementa, sive quotidie, vel alternis diebus fiant, sive per majora intervalla fiant. Sed ex his quæ mox apparent indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali si statim sputum appareat, morbum breviat, si verò postea appareat, producit.* Docet ergo signa ostendentia motum

momm morbi solùm significare brevitatem, vel longitudinem, non verò tempus aut diem io quo futura sit crisis.

Nobis tamen dicendum est quod factâ suppositione quod crisi terminandus sit motbus ex magnitudioe morbi deducta simnl cum aliis, quæ diximus, tempus crisis ex signis ostendentibus statum, deducetur: dies verò ex signis coctionis tali vel tali die immutatis, primum docet Galenus 3. *de cris. cap.* 5. in quo expressè scripsit omnem crisim in statu fieri nî ratione alicujus erroris, vel irritamenti antecedat, quæ tam à perfectione distabit quàm ab statu recedit. Sic ait. *Si forma victûs ad statum instituitur, & crisis optima in illo fit, atque omnium crisium ipsa est regula, in nulla re adeò exercitandus est Medicus quantùm in statûs præcognitione.* Ergo crisis omnis perfecta in statu fit. Idem repetit *cap.* 6. sic. *Si verò vel propter morbi magnitudinem, vel motûs celeritatem, vel propter aliqued aliud irritamentum ante statum crisis venire cogatur tantò hac optima deterior erit, quò statum anticipaverit.* Ergo cognoscetur tempus crisis ex signis ostendentibus statum morbi. Idem Avic. *fen* 2. *lib.* 4. *c.* 2.

Probatur etiam ratione: nam crisis est mutatio subita in salutem, aut mortem cum sensibili evacuatione, quatenùs natura movetur ad expelleodum id quod molestat, ratione cujus expulsionis salus acquiritur: sed natura movetur ad expellendum quando aggressa est coctionem in universali materia, ergo io statu, ac per consequeos crisis in statu fit. Patet: nam status constituitur per coctiooem perfectam, ut Galenus 3. *de cris. cap.* 18. sed crisis perfecta fit coctione præcedente, ut dicemus, ergo in statu, ac per consequens tempus crisis ex sigois ostendentibus statum morbi dignoscetur.

Diem crisis dignosci ex signis coctionis speciali immutatione hoc, aut illo die apparentibus, docet Galenus 3. *de cris. cap.* 4. sequens Hippoc. 2. *aphor. text.* 24. dicentem, *Septenorum quartus est index*, &c. & 4. *aphor. text.* 71. dicentem. *Quibus crisis septima die futura est, his nubecula rubra in urina quarta die apparet.* Ergo ex mutatione reperta in sigois coctionis, hac aut illa die indicante, dies judicatorius, hoc est dies crisis deducitur; dicitur enim dies io quo indicium reperitur crisis futuræ dies indicans, sicut dies indicatus io quo fit crisis, dies judicatorius, juxta verba illa, *Septenorum quartus est index.* De quo ex professo de diversitate dierum indicantium, & judicantium agentes dicemus.

Ex dictis deducitur quantum ad crisim prædicendam, necnoo ad rectam curationem sit statûs cognitio necessaria, sunt enim vires usque ad statum servandæ, & in ordine ad ipsum facta comparatione de optima, vel prava terminatione morbi est dicendum. Propter quod Hippoc. 1. *aphor. text.* 9. ait, *Conjecturare oportet an æger sufficiat cum victu perdurare usque ad statum, vel morbus anteà defficiat.* Et sic in ordine ad ipsum victum præbendum esse docet *text.* 10. Et cùm ex alia parte 2. *aphor. text.* 29. in principio esse operandum dicat, & in statu quiescendum, tum quia omnia in ipsu fortiora sunt, tum quia concoctio debet perfici, ad quam sequitur crisis, ut dictum habemus. Propter quod Galenus 3. *de cris. cap.* 5. sic scripsit. *Si forma victûs ad statum instituitur, & crisis optima in illo fit, atque omnium crisim ipsa est regula, in nulla re adeò exercitandus est Medicus quantum in statûs præcognitione*; Et suprà sic dixerat, *Exquisita coctio fit tempore statûs, atque idcircò admonuimus nulli alteri exercitationi tam esse intendendum, quàm ad morbi statum præcognoscendum.*

Circa signa statum significantia videtur ideam morbi esse respiciendam; siquidem alij sunt morbi celeris motûs ex propria natura, alij tardi; quâ ratione in illis, qui celeris motûs citò status venturus est prædicendus, in aliis tardè, juxta Hippocr. 3. *progn. text.* 2. dicentem, *Ut saluberrimæ febres, quæ tutissimis firmantur notis, die quarto, vel ante quiescere solent, ità pessimæ, & quibus periculossima adsunt signa, die quarto vel citiùs interficiunt*, juxta id quod 1. *aphor. tex.* 7. sic ait. *Ubi morbus peracutus est, statum extremos habet labores.* Quam doctrinam recipiens Galenus 1. *de cris. cap.* 16. per signa dicta morbum terminaturum esse quarto die colligit, & per carentiam ipsorum longiùs, ad quod fuit anni tempus, victûs ratio, ætas, & omnia quæ pro celeri, vel tardo motu conducunt, & docet ipse *capite sequenti.*

Cùm ità necessaria statûs cognitio sit, necnon omnium morbi temporum, alium modum dignoscendi statum dedit 3. *de cris. cap.* 3. ex accidentium iotensione perseverante; sic ait, *Cùm verò symptomata, quæ ad accessiones ambas pertinent æqualia fuerint, morbum consistere demonstrant.* Sequitur in hoc Hippocr. 1. *epid. part.* 1. sic, *Accessiones esse invicem conferendas si citiùs fiant, vel non, si in longius tempus, vel non, si denique magis, vel non*, Quibus verbis per anticipationem, longitudinem, & intensionem accessionum, aut per contrarium tempora morbi dignosci docet, & consequenter 1. *aphor. text.* 12. sic ait. *Accessiones & constitutiones morbi indicabunt anni tempora & per circuitus successiva incrementa.*

Galenus etiam doctrioam Hippoc. repetens ex mox apparentibus signis scilicet coctionis, & cruditatis, celeritatem, vel tarditatem dignoscit, ex eo quod statim aut posteà appareant; quod repetit 1. *de cris. cap.* 5. ex eodem Hippoc. sic dicente. *Et ex his, quæ mox apparent indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali. si statim sputum appareat, morbum breviat, si verò posteà producit.* Constat ergo signis coctionis motum morbi dignosci, necnon & tempora ejus, ratione cujus in ipso *comment.* Galenus & 1. *de cris. cap.* 18. per ipsa coctionis signa tempora morborum cunstituit &. distinguit, quem sequitur Avic. *fen* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. à morbo tempora morbi deffiniens, sic; *Si ab eo quod est nil expuere ad expuere liquida, & omninò cruda fiat transmutatio, nondum est finitum primum ægritudinis tempus, quod principium nominamus, integrè ad augmentum morbus convertetur quando cæperis expuere pauca, & cocta, cùm verò exquisitè cocta fuerint & multa, & fine educta, tunc status est tempus.* Docet ergo statum dignosci peoes hoc quod signa perfecta coctionis appareant, quod de morbo salubri est intelligendum; nam in aliis per signa repugnantia coctionis significatur, ut docent Galen. & Avic. *locis citatis.*

Etsi verum sit tempora morbi, & præcipuè statum per doctrinam dictam manifestari à Gal. & Avic. non rectè deducitur per omnia dicta, & quamvis deducatur per aliqua, non facit ad id quod intendimus: primum constat; nam idea morbi vel natura ejus necnon tempus, tempe-

ties, & victus, solùm ostendunt longum vel brevem fore morbum, acutum, vel secùs, tardè, vel celeriter moveri, sed hoc est significare motum, non tempora: ergo per ideam & naturam morbi, & per ea quæ ad ejus motum faciunt non significatur status, nec motus, morbi statim fore significat, sed citò futurum: ergo nec ex motu, nec ex rebus ipsum significantibus tempora dignoscuntur. Nec valet dicere ideam morbi ostendere morbum esse ex illis qui terminantur quarto, aut septimo, & consequenter per eam dignoscitur quarto vel septimo futurum fore statum; contrà enim est, quod licèt idea morbi significet tali vel tali die futurum fore statum, non significat determinatè & directè statum, sed talem esse motum ejus; ergo per ea quæ significant motum, non significatur status. Patet: nam, quæ significant motum, significant tot diebus omnia tempora comprehendi; sed significare hoc, non est adducere signum status, nec dicit quibus diebus erit; ergo non significant statum, quæ motum significant.

Quod verò ad intentum non faciant ea, quæ ex dictis statum morbi ostendant, patet: nam accessionum perseverantia, & intensio, & coctio perfecta, seu repugnantia coctionis, quæ statum significant, existunt dum morbus jam est in statu, ut docent Galenus & Avic. *locis citatis*, præcipuè *cap.* 4. *lib.* 4. sed ad prædicendam crisim futurâ in statu, non est expectâdus status, quia jam non esset prædictio, sed dignotio, præcipuè cùm status in unica accessione vel duplici consistat, ut *cap.* 3. *lib.* 4. docet Avic. ergo signa posita statum ostendentia, non faciunt ad crisim futuram præsagiendam. Major est certa: minor quoad omnes ejus partes constat ex Galeno 1. *de crif. cap.* 3. sic dicente. *Sæpè in morbis nullum sensibile tempus invenitur hujusmodi, quoniam status momentaneus extiterit, adeò ut nemo eum adesse agnoverit, sed ut exquisitè dignoscatur, primum tempus declinationis sit necessarium, quod rem maximi momenti in Medicina destruit, præcognitionem scilicet: generosi autē Medici est futurum statum prænoscere, cùm omnem victus rationem ad ipsum instituat.* Quibus verbis non esse prædictionem, nec statum signis dictis cognoscendum demonstrat, vel quia insensibile tempus est, aut quia declinatio est expectanda, ut fuisse statum cognoscamus, ac per consequent ad prædicendum tempus, & diem crisis futuræ in principio non facit quod dictum est; agimus enim in præsenti de signis ostendentibus crisim futuram, & tempus ejus ad prædicendum.

Supposito igitur quod crisis tempus status est, & quod in principio status debet cognosci ut recta victûs ratio instituatur & crisis prævideatur, ut Galenus 3. *de crif. cap.* 5. signum proprium ad ipsum prædicendum ex constitutione, morbi desumitur, seu ex signis ejus constitutionem ostendentibus, habet enim morbus hanc, vel illam constitutionem, ità ut ejus duratio talis sit, quod tantùm temporis consumatur, à primo sui esse, ad primum esse augmenti, quantùm consumitur in toto tempore augmenti usque ad statum, vel judicationem, ità ut fine principij cognito, & tempus crisis dignoscatur. Quatenùs obscuræ coctionis signum in medio principij invenitur ex Galeno, ac per consequens post æqualem dierum numerum finem principij inveniemus, & tempus crisis post tot dies, ac fuerunt in toto principio consumpti cognoscetur: ergo status, seu crisis tempus in morbi principio ex constitutione legitima morbi, & ex signis ipsam ostendentibus quæ sunt coctionis, & cruditatis signa. Quod signa obscuræ coctionis in medio principij inveniantur docet Galenus 1. *de crif. cap.* 10. sic: *Si ad hoc respexeris nil erit ampliùs difficile invenire si tot primi dies jam abscesserint quo die primum talia apparent*, (agebat de obscuræ coctionis signis) *quot supersunt usque ad manifestam coctionem, indè autem ascensus incipit.* Docet ergo signa obscuræ coctionis in medio principij esse.

Signa manifestæ coctionis in primo esse augmenti reperiri jam ex dictis constat, jam ex *comment.* 12. *aphor.* 1. jam ex *cap.* 18. *lib.* 1. *de crif.* quibus in locis augmentum per signa coctionis constituit, ut fecit etiam Avic. *fen* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. esse tamen medium tempus à principio morbi usque ad judicationem dum signa manifestæ coctionis conspiciuntur, & quòd talis sit morbi constitutio legitima, colligitur ex Hippocrate 4. *aphor. text.* 71. juxta doctrinam Galeni *in comment.* ait enim Hippocr. *Quibus septima die crisis futura est, nubecula rubra apparet quarto die in urina.* Sed ut docet Galenus *in comment.* ideò nubecula in quarto apparens ostendit crisim in septimo quia signum manifestæ coctionis est, quod crisim futuram æquali dierum numero cum præcedentibus ostendit: Sic ait, *Si quarto die fiat æquale tempus priori, id quod sequitur assumens, non est impossibile, quod judicationem ostendat. In undecimo autem apparens non mihi admodum videtur tribus solis egere diebus, sed etiam pluribus. Cui igitur in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit judicatus.* Docet ergo signum manifestæ coctionis in medio morbi inveniri, ac per consequens ex nativa constitutione morbi in principio rectè invenitur & dignoscitur tempus crisis, vel status per signa obscuræ coctionis in medio principij apparentia, vel per signa manifestæ coctionis in primo esse augmenti reperta, quod etiam 3. *de crif. cap.* 4. repetit.

Sed dices, vel augmentum morbi est æquale cum principio in constitutione legitima morbi, vel augmentum, & status æquali dierum numero finiuntur; quidquid sit, non sufficienter determinatur tempus crisis, ergo ex signis coctionis constitutionem ostendentibus non constat tempus crisis. Antecedens patet: nam si augmentum est æquale principio, etsi principium status determinet, tempus determinatum crisis non declarat, potest in longum durare, si augmentum, & status durant quantùm principium, minùs constat tempus crisis, cùm possit brevius esse augmentum, quàm status, & non constet, nec significetur quando status est.

Secundò quia crisis fit pluries in augmento morbi, ergo status non est tempus ejus, ac per consequens ex signis ostendentibus statum, non deducemus tempus crisis. Antecedens patet ex Galeno 3. *de crif. cap.* 5. & 6. ubi expresè fatetur crisim ante statum futuram, ergo non semper status crisis est tempus: quâ ratione *cap.* 4. propter diversas dispositiones temporis, temperiei, victûs, vel alicujus alterius crisim anticipari, vel secùs, docet. Sic ait, *Qui die septima aliquod coctionis signum habeat manifestum, si morbus magnus extiterit, & celeriter moveatur, undecimo potius quàm decimo-quarto die crisim patietur; quod si minor fuerit, nec celerem motum habuerit,*

habuerit, id est decimo-quarto potiùs quàm undecimo. Ergo concedit crisim ante statum, aut concedit signa manifestæ coctionis, quin tot dies adjudicationem percurrant quod præcesserunt.

Tertiò : Hipp. 2. *aphor. text.* 24. signa coctionis in quarto, judicationem in septimo docuit ostendere, quæ verò in undecimo apparent, in decimo quarto crisim ostendunt: ergo constitutio legitima non significat tantùm temporis consumi usque ad signa manifestæ coctionis, quantùm ab his consumitur usque ad judicationem ; sic ait. *Septenorum quartus est index. Est autem, & undecimus contemplabilis : ipse enim quartus est alterius septimana :* Quâ ratione Galenus *in comment.* undecimum indicem appellat decimum quartum, & decimum septimum vigesimi : ergo signum manifestæ coctionis non apparet in medio morbi; est enim index dies quartus septimi, quatenùs in illo aliquid coctionis signum apparet manifestum.

Urgentiùs arguo : morbus in qua prima die apparent signa coctionis manifesta primo quaternario, terminatur tertio die, vel quarto, vel quinto juxta diversitatem motûs legitimi morbi: ergo non est tempus æquale à principio usque ad augmentũ cum tẽpore quod est à principio augmenti usque ad judicationem. Antecedens patet ex Hipp. 3. *prog. text.* 20. in quo febres mitissimas adducit quarto die terminari, quod explicat Galenus 3. *de crisi. c.* 4. de illis in quibus prima die signa coctionis inveniuntur ; ergo non est æquale tempus à principio esse morbi ad signa coctionis manifestæ ac est ab ipsis ad judicationem.

Ad argumenta respondetur : ad primum, idem esse ad intentum, vel principium, & augmentum æqualis durationis sint, vel principium solum æquale sit augmento, & statui ; nam status supponendus est in acutis præcipuè brevissimæ durationis, ut ferè non percipiatur, ut docuit Gal. 5. *de cris. cap.* 3. *&* 10. & sic vel augmento tantùm æquale sit principium, immediatè est prædicenda judicatio, vel æquale sit augmento, & statui, ultima die prædicenda est, rationi tamen consonum apparet æquale esse principium duratione subsequenti morbi, quatenùs eadem duratio debet judicari necessaria ad perfectè coqui, quanta fuit requisita ut materia ad manifestam coctionem alteretur.

Ad secundum respondetur solutionem habere locum in morbis, qui legitimè moventur, qui verò aliter moventur, nil mirum, quòd non servent proportionem, cognoscetur tamen an legitimè moveantur, vel secùs penes hoc quod moveatur morbus postquam signa manifestæ coctionis apparuerint ea proportione, ac anteà : non dico eandem servare intensionem, major debet esse in augmento, sed quod eodem ordine, & proportione moveatur, ac anteà dum celeriùs vel tardiùs movetur, citiùs vel tardiùs expectanda est crisis ut *c.* 4. *lib.* 3. *de cris.* docet Galenus.

Ad tertium dicimus Hippoc. non ostendere 2. *aphor.* diem in quo apparent signa manifestæ coctionis qui est primus augmenti, sed diem indicantem in quo aliqua mutatio in signis coctionis anteà apparentibus reducet, ut Galenus docet 3. *de cris. cap.* 4. *Si manifestum coctionis signum die undecimo appareat : nec tamen morbi magnitudo, aut velocitas festinaverint, ultra diem decimum quartum crisis differetur, sed si ætas, & tempus ad frigus declinaverint, speranda non est morbi solutio ante vigesimum diem, quòd si mixta signa fuerint, & dies decimus quartus coctionem insigniter auxerit, die decima-septimâ crisis occurret, si verò nec die decimo-quarto aliquid novatum fuerit, ad decimum septimum, diem est respiciendum : si enim in eo aliquod signum apparuerit, vigesimo die crisim præmonstrabit.* Docet ergo dies indicantes non constitui per primam apparitionem signorum coctionis manifestæ, sed per immutationem aliquam in ipsa coctione denuò apparentem.

Ad ultimum dicimus, quod dum primo die signum coctionis apparet, in primo quaternario morbum terminari est certum in uno, aut altero die juxta celeritatem, aut tarditatem motûs morbi, ratione cujus ex motu morbi diem crisis determinari docuit Galen. *c.*4. *citato*, id est, indicata crisi in suo indicante determinatur dies juxta proportionem motûs morbi in tertio, si celeriter; in quinto, si tardè moveatur ; & in quarto, si morbus ex his qui moventur per pares est, ut synochis ; tales sunt morbi à sanguine pendentes, de quo aliquid diximus agentes de crisi per fluxum sanguinis, quod non est contra dicta; quia qui primo die coctionis signa concedit, diem viginti & quatuor horarum cum Hippocr. intelligit, cujus finis, est medium ad tertium ; & cùm ex alia parte die accessionis crisis debeat fieri, ut docet Galenus *cap.*4.*cit.* & Avic. *f.*2.*lib.*4.*c.*2. quatenùs ad pugnam movetur natura cùm irritatur, & accessiones fiant, vel tertio, vel quinto die in febribus continuis, in tertio, vel quinto, fit crisis, juxta motum morbi, ità ut in quarto ratione tertij diei adveniat, ex ipso Galeno, nî in Synochis quibus proprium est per pares judicari, quod ostendit per pares moveri sanguinem, si circuitus haberet sub propria forma, etsi in communi opinione per tertios moveretur, ut bilis, de quo *suo loco.*

QUÆSTIO X.

De signis Crisis optime.

OPTIMA & quæ simpliciter crisis dicitur à Gal. est, quæ in salutem integrè terminatur, sic ait 3. *de cris. c.* 1. *De prima igitur, quæ repentè fit permutatione dicamus, quæ omnium optima est, ipsamque per excellentiam crisim nominant, quoniam naturâ, quæ præternaturam sunt superante, exquisitè perficitur*, & *c.* 2. sic, *Sola igitur subita ad sanitatem conversio simpliciter crisis nominatur.* Idem repetit *c.*7. & pluries alibi : Ex quo patet simpliciter crisim dici illam quam nos fidam, tutam, perfectam, bonam, manifestam, & indicatam dicimus, ex Gal. 1. *de dieb. decret. c.* 2. nam simpliciter crisis est subita ad sanitatem conversio, naturâ superante, quæ præter naturam sunt: sed non potest esse subita ad sanitatem conversio, naturâ molestantia pellente, quin omnes conditiones habeat optimæ crisis, quales sunt, quæ ipsam fidam, tutam, perfectam, bonã, manifestam, & indicatam faciunt ; ergo crisis simpliter dictas conditiones habet; nam ea ex parte quâ deficit ab aliqua ex dictis ab esse optimæ crisis deficit, & consequenter dum signa quærimus crisis perfectæ, & optimæ, modum dignoscendi, omnem perfectionem ejus quærimus.

Ut signa crisis optimæ inveniamus, primũ examinare est necessũ quæ sint cõditiones ejus, cùm ipsæ crisim optimã ostẽdãt; est nãq; crisis bona, vel mala absolute quarum quælibet perfecta, vel imperfecta esse potest, quod per completã, vel defectuosam explicuit Gal. 3. *de cris. c.* 7. quarum mala, & bona, per deffectum in aliqua ex conditionibus requisitis, imperfecta, vel deffectuosa fiunt; ex

eo tamen quod Galenus 1. *de dieb. decret. cap.* 2. crisim dicat, aliam tutam, aliam firmam, aliam perfectam, aliam bonam, aliam manifestam, aliam indicatam, conditiones esse optimæ crisis voluerunt plures, non tamen loquuntur consentaneè quia nec Galenus eas esse conditiones optimæ crisis dixit, sed potiùs differentias, nec ita optimæ crisis conditiones existunt; ut sine aliqua ipsarum non possit dari optima, & perfecta crisis. Primum docuit Galenus per hæc verba. *Hoc intercedit discriminis inter illas, quod alia bona, alia mala, &c.* Ergo membra crisis non conditiones adduxit.

Quod sine aliqua conditione ex dictis optima crisis inveniatur constat: nam sine evacuatione sensibili conceditur ab aliquibus optima in salutem subita mutatio, ut Galenus 3. *prog. comm.* 1. de pueris qui per somnum à morbis liberantur, ergo non debet esse manifesta crisis optima, quod etiam aliud membrum bonæ crisis significat; nam si códitio esset optimæ, non differret à conditione perfectam constituente; siquidem, quæ perfecta est in salutem terminatur ut bona, si verò significat mutationem in meliùs, differentiam aliam constituit à dictis quæ non convenit optimæ; ergo dictæ non sunt conditiones crisis, vel sine aliqua ipsarum optima invenitur crisis, & adhuc, quamvis conditiones essent, non ex ipsis optima crisis significaretur, & cognosceretur: nam optima crisis, vel est prænoscenda, vel dignoscenda; sed hoc quod est futuram esse fidam, tutam &c. non est antequam crisis fiat, nec constat nî postquam visa est: ergo hæc accidentia, & conditiones non manifestabunt ipsam optimam, potiùs ipsa optima tutam, & fidam esse demonstrabit, ac per consequens per has conditiones ipsa non cognoscetur, sed ipsæ conditiones cognoscentur per optimam crisim, & signa ejus.

Galenus 1. *aphor. comment.* 10. per principium optimæ crisis voluit quod excretione potiùs quàm abscessu fiat. Secundò quod humor peccans evacuetur. Tertiò, quod fiat cum rectitudine. Quartò quod adsit tolerantia. Quintò quod præcedat coctio. Sextò, quod fiat die judicatorio: quæ omnia, etsi utilissima in crisi sint, ad ejus perfectionem minori numero comprehendit 3. *de crisi. cap.* 3. tribus scilicet conditionibus tamquam in proprio loco optimam crisim constitui, dixit. Sic ait, *Primum quidem, & maximum optimæ crisis indicium sunt coctiones: secundùm quod ab aliqua die indicatoria anteà indicetur, cui annexa est diei judicantis potentia; deindè si forma morbi excretio respondeat.* Quibus verbis si attentè procedamus, non solùm optimæ crisis conditiones pauciori numero explanat, verùm etiam distat à contradictione, ut aliqui voluerunt, quòd potiùs his tribus omnes alias comprehendat, ità ut optima crisis necessariò futura sit his conditionibus existentibus.

Probatur primò: nam crisis in die judicatorio indicata in suo quaternario cum signis coctionis per excretionem convenientem morbo, non potest esse sine tolerantia facultatis, quam indicat opus ipsum naturæ ità regulariter factum, & necessariò arguit esse humoris peccantis evacuationem, quia naturâ regulariter operante, quod pellendum est cum rectitudine pellit; & quod magis est, dicit fieri excretione, vel evacuatione fore morbo conveniente, quod est meliùs quàm dicere terminari excretione & non abscessu: nam licèt melior terminatio fiat excretione quàm abscessu, quia significat majus robur facultatis pellentis ad extra, ut Galen. 3. *progn. comment.* 26. in morbis in quibus abscessus conveniunt, sunt qui ab humore crasso pendent, crisis per abscessus conveniens est, ut in ipso *cap.* 3. docet, sic ait, *Aliique decubitus omnes febres diuturnas securè judicare consueverunt.* Adducit ibi Galenus crises convenientes juxta cujuslibet morbi naturam. Quod docuit etiam *cap.* 2. dicens, *Quæ sit simpliciter crisis, inquit excretione vel abscessu fieri:* ergo cùm dicat crisim optimam esse, quæ fit per excretionem morbo convenientem, meliùs ejus perfectionem explanat, quàm dicens esse, quæ excretione, & non abscessu fit, vel ad minus utrumque comprehendit, ac per consequens tribus conditionibus dictis rectè explanatur optima crisis.

Prætereà: nam optima crisis est in qua omnia requisita ad esse talis inveniuntur; sed his tribus conditionibus existentibus omnia requisita sunt; ergo sunt conditiones sufficientes optimæ crisis. Major constat ex Galeno 1. *aphor. comment.* 20. optimam crisim explanante per hæc verba. *Quænam igitur est perfecta, & indeficiens judicatio? nempe in qua cuncta bene procedunt, & cui nullus numerus deficit judicatorius.* Minor probatur: nam coctione existente in evacuatione convenienti pro morbo die judicatorio facta, & indicata, non possunt non cuncta bene procedere, & nil deficit judicatorium: ergo his tribus conditionibus existentibus omnia requisita sunt ad optimam crisim: ostendit enim Hipp. 1. *epid. p.* 2. *text.* 45. quem sequitur Galenus 1. *de cris. cap.* 5. ut cuncta rectè procedant in crisi, solam coctionem esse optimam dispositionem, sic ait Hipp. *Coctiones celeritatem judicij, & securitatem ostendunt:* Sed ubi celeritas judicij, & securitas est, nil timendum esse potest, præcipue cùm nil deficiat judicatorium, id est, nec indicatio in suo quaternario, nec motus in die judicante; ergo tribus signis dictis bene cuncta procedunt, & nil deficit ut optima crisis fit.

Nobis tamen videtur dicendum, quòd licèt omnia dicta verum teneant, conditiones crisis, aut sunt attendendæ ex præcedentibus ad ipsā, vel ex effectibus, quos causant; primum significatur à Galeno 3. *de crisi. cap.* 3. cùm dicat fieri coctione præcedente indicatione facta in suo quaternario, & evacuatione congruente, in die judicatorio, & sic tres erunt conditiones ad crisim præcedentes, cùm crisis mutatio fit in salutem, vel mortem, & mutatio mediâ evacuatione eveniat ad quam alia præcedunt: si verò attendendæ sint conditiones ex effectibus, qui simul cum mutatione adveniunt, conditiones optimæ crisis possunt dici differentiæ illæ adductæ a Galeno 1. *de dieb. decret. cap.* 2. scilicet quòd sit tuta, fida, perfecta, manifesta, bona, & indicata, ubi per bonam illa, quæ malæ opponitur, significatur, & ad esse optimæ contrahitur per alia accidentia, ideò eam sic explanat Galenus *Bonam esse quæ ad sanitatem desinit, non puto quempiam latere:* dicitur tamen crisis indicata, sumpta ex effectibus, quatenùs mutatio certius advenit dum indicata est crisis: conditiones verò, quæ 1. *aphor.* adducuntur, ex antecedentibus & effectibus sumuntur & cùm tres conditiones dictæ clariùs optimā crisim significēt, ipsas esse optimæ crisis cōditiones ad prænotionē dicendum est.

Facit

Facit ad hoc omnes alias conditiones comprehendi, & subsequi necessariò ad dicta: ergo solùm istæ conditiones optimæ crisis debent dici, quod jam constat de conditionibus 1. *aphor.* de aliis verò, quæ 1. *de dieb. decret.* adducuntur, cōstabit singulas explanando; sunt enim coctio, materiæ evacuatio, conveniens morbo, indicata, & die critico facta: quòd evacuatio conveniens morbo conferat ut crisis omni commoditate fiat, nemo dubitare potest, inquit enim Hip. 1. *aphor. text.* 2. *In evacuationibus ventris, & vomitibus sponte factis si purgatio fiat, qualis fieri debet, confert, & leviter ferunt: sin minus contra. Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: sin minus contrà*: ergo ex evacuatione conveniente omnes conditiones, & effectus optimæ crisis sunt; ideò *text.* 23. *sequenti*, sic ait. *Dejectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur qualia conveniant*, cujus ratio est manifesta.

Dices Hip. immediatè inquit, *æstimanda sunt si deyiciantur qualia conveniunt, & ægri facilè tolerant*, ergo non est idem, *deiici qualia conveniunt, & facile tolerare*. Aliàs eo ipso quod dejiceretur, quale convenit, esset bona tolerantia.

Resp. primo loco Hip. loqui de evacuationibus sponte factis convenientibus, de quibus affirmat sine dubio conferre, & leviter ferre, quia non tantum re operante dum qualia conveniant ejici bona est tolerantia, ideò *text.* 20. ait. *Nil novandum dum indicatio integrè fit, & facta est*: textu verò 23. agit de evacuationibus à medicamento, ut *text.* ipso *antecedenti & subsequenti* constat; & dum à medicamento fit evacuatio, non solum attendendum est, si quale conveniant evacuantur, sed etiam ægri tolerantia; quia cùm non sit opus naturæ regulariter operantis, sed medicamenti, potest modum excedere: *textu* tamen 25. inquit *Si qualia oportet purgentur confert, & facilè ferunt*, quæ verba referenda sunt ad *text.* 2. vel per illud *qualia*, non solùm qualitas humoris, verùm mensura etiam est intelligenda, qua ratione evacuatio respondens morbo, quantitatem & qualitatem significat.

Quod evacuatio in die critico facta, & indicata optimam crisim significet, ostendit Hip. 3. *prog. text.* 24. sic; *Quibus febres nec salutaribus notis apparentibus, nec in diebus decretoriis conquiescunt, ij reversionem timere debent*. Quasi diceret, dum notis salutaribus apparentibus, id est coctionis signis judicantibus in die critico febres cessant, firma est crisis: è contra dum sine ipsis, & in die non decretorio, quod de qualibet circunstantia hujus conditionis repetit diversis in locis, sic ait *text.* 21. *Cum deletur erysipelas, sed non in diebus decretoriis, nec in exteriores partes convertitur, vel mortem significat, vel dolorem reversurum*. Et 1. *epid. part.* 3. *text.* 25. postquam dies judicatorios pro quolibet morbo enumerat, sic ait, *Si indicatio fiat extra præscriptos dies, recidivas fore significat*.

De judicatione sine signo idem repetit 2. *epid. part.* 3. *text.* 8. sic *Quæcumque sine signo indicationis disparent, male indicata sunt*. Docet ergo rectè judicari, quæ signo judicatorio judicantur: qua ratione 4. *aphor. text.* 71. nubeculam rubram in quarto præcedere docet quibus crisis septima die futura est, quasi diceret crisis bona in septimo non est sine signo in quarto. Constat ex Galeno 3. *de cris. c.* 2. crisim absolutè & pro famosiori dici, quæ in salutem terminatur, & sic cùm ad ipsam signum præcedere doceat, optimam crisim signum requirere ostendit: dicitur crisis cum signo, quæ cum signis indicantibus sit, sine ipso verò, quæ ipsis caret; ut 3. *de cris. c.* 10. constat, & 1. *de dieb. decret. c.* 2. quo intelligetur Hip. 2. *prorrh. text.* 17. dicens, *Perniciosa sine signis levantia, mortem indicant*, idest sine indicante, ideò Galenus *in comment.* sine signis coctionis dixit esse: ergo crisis cum signis adveniens in die judicatorio optima est. Quâ ratione 1. *prog. text.* 22. ait; *Sudores saluberrimi censentur in morbis si in diebus decretoriis oriantur*, & 4. *aphor. text.* 36. dies enumerans ait. *Hi sudores indicant morbos; qui verò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam*: ergo optima crisis indicata fit in die judicatorio. Quid hoc faciat ad convenientiam crisis constabit *infrà*, & cuilibet pro quolibet morbo critici dies.

Signum præcipuum optimæ crisis, vel præcipua conditio est coctio, quia ipsâ perfectâ existente, nullateaùs prava, aut aliquo incommodo potest advenire crisis. Hoc Ita certum fecit experientia, ut hæc scribat Hip. 1. *epid. part.* 2. *text.* 45. *Colliones celeritatem iudicij, & securitatem ostendunt*: ergo coctione existente, secura salus per breve judicium consequetur: ideò Galenus 3. *de crisi. c.* 3. sic ait, *Neminem unquam interceuntem vidi, qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset*: ergo præcipua conditio ad optimam crisim est coctio, & ità optima dispositio est, ut adhuc in morbis qui non terminantur crisi coctio perfecta salutem necessariò futuram significet. Propter quod 3. *de cris. c.* 5. post statum morbi nullum mori posse docuit; si ergo quando adhuc morbus est, coctione perfecta mors implicat, quantò magis dum per crisim declinatione morbus privatur, quâ ratione crisim optimam in statu fieri necessum judicavit Galenus in ipso *c.* 5. ità ut tantùm ab unitate privetur, quantùm statum antecedat; eveoit enim in tali casu ob irritamentum aliquod materiâ existente crudâ, & sic aut gravibus fier accidentibus, vel non secura, nec perfecta, & juxta hanc doctrinam 1. *de cris. c.* 9. in principio nullam judicat possibilem crisim, & de ejus signis sic ait: *Etenim hæc si absque coctionis signis apparuerint, sunt pessimarum dispositionum indicia*.

Ità verum habuit Galenus coctiones optimæ crisis significasse, ut de signorum differentiis agens 1. *de cris. c.* 14. signa critica infida, & incerta appellat; signa verò coctionis, & cruditatis è contra, quia illa jam cum coctione, jam sine ipsa inveniuntur, & sic jam critica, jam mortis sunt, bonam aut malâ dispositionem ostendentia; signa verò coctionis semper bona, cruditatis non ità: nam si hujus exitialia sint aliqua, mortem significant; alia verò etsi mortem non ostendant, necessariam longitudinem saltem significant, sic ait. *Cruditatis, & coctionis signa semper stabilem habent potestatem, criticorum verò accidentium infida est universa natura, & contrarium significans*. Docet ergo de quolibet seorsim, quod certum, quod incertum sit, quod bonum, & quod pravum; sunt enim coctionis & cruditatis signa, urina, sputum, & alvi excrementa, prout magis accedunt, vel recedunt à dispositione quam habent per salutem, ut dictum invenite est 2. *prog.* vel constabit perfectam coctionem esse dum

album, læve, & æquale subsidet io urina, etsi principio morbis ex bile nebula seu appendiculum sufficiat aliquando, ut Gal. 1. *de crif. cap.* 17. quod intelligendum est in morbis cujus cruditas, & coctio significatur in urina; nam in quibus non ut pluries in maligna accidit febre, non invenitur securitatis signum in ea cognoscetur, tamen si præcedenti cruditate morbo debita mutetur paulatim, ad coctionem urina sufficiat, tamen in præsenti quod signa perfecta coctionis crisim futuram optimam significant, non quia ipsa crisim significant, sed ipsam optimam. Ideo Hip. judicij celeritatem, & securitatem significare dicit, non judicium ipsum, etsi ex die in quo indicia coctionis inveniantur, dies judicij significari diximus.

Propter quod cur coctio requiratur ad optimam crisim, & cruditas ad pravam conducat, deducetur facilè, si operari facultatum naturalium inveniamus, quibus ità subordinatè operari convenit, ut facultas traheos, id quod pro coctrice & retentrice facit, trahat, hoc est propter potiti, sive particularis sit facultas, sive verò propter totum aliqua operetur, in ordine ad ipsam operatur, quod non est hujus loci. Expultrix verò id quod de objecto coctricis oon est, habet expellere, nî forsan irritata operetur, ut dum in principiis accessionum expultiones adveniunt, & cùm materia cocta jam sub facultate coctrice non sit, ab expellente pellitur, & crisis adveniet in statu; tuta, quia operari proprium, & naturale facultatum, tutum est, aut natura non procederet ut decet; fiunt namque omnes naturalium facultatum operationes sine incommodo, & periculo in suo naturali operari; ergo & crisis tuta erit, materia coctâ ad expulsionem commotâ, nullum valet causare accidens molestum, & consequenter erit bona, & perfecta; nam cùm in statu universa materia cocta fit, tota causa morbi ejicitur, & sic fida, seu firma, tandem resultabit crisis, & dum natura ordine perturbato operatur, crisis erit indicata, quia ipsâ regulariter operante, coctionem manifestabunt signa in suo quaternatio.

Dum verò natura à suo naturali modo operandi extrahitur, nec indicatio præcedit, nec tuta, nec fida, nec bona erit crisis, ut Galenus 3. *de crif. c.* 5. sic, *Si propter morbi magnitudinem, vel velocitatem, vel aliud externum irritamentum crisis anticipet, nec ipsam perfectam, nec omninè bonam quimus sperare; quod si salubris morbus apparuerit, verendum est ne crisis, vel eum gravibus fiat accidentibus, vel non perfecta, vel omninè revertatur.* Totum quod Hip. *text.* 45. *citato* comprehendit, sic ait, *Coctio, crisis celeritatem & securitatem significat; cruda autem & incocta & in males abscessus conversa crisium defectum, aut vehementes labores, aut mortem, aut eorumdem malorum reversionem significant.*

Cujus doctrinæ fundamentum est, quia cùm natura à suo regulari operari extrahatur, ad pellendum movetur id quod de objecto ejus non est, id est quod à retinente amplexatur; propter quod corpora sana non esse purganda docet Hip. 2. *aphor. text.* 31. ut voluit Galenus *in comment.* quia cùm oatura coetur retinere, id quod conatur attrahere medicamentum, qoid mirum quod prava adveniant symptomata, & quod totum pravum ejiciendum non ejiciatur, & quod bonum, multum exeat, utrumque noxium hoc, quia cæco impetu natura pellit illud, quia cùm ob irritamentum operetur facultas dum quantitas minorata est, non est quod irritet, ut anteà, sic imperfecta resultat crisis, si mala non sit & insida; oam *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas facere consuevère*, ut docet Hip. 2. *aphor. text.* 12. ad quod accedit specialis horum symptomatum ratio, quia cùm materia cruda naturæ sit inimica, in ejus commotione pravi, & putridi elevantur vapores, cor & partes principes molestantes, ut accidit in stetquilinio, ratione quorum valde vires patiuntur io evacuationibus symptomaticis, totum quod dum materia cocta est deficit, cùm vapores correcti sint, ut tota materia, etsi pro aliquibus accideotibus sufficiant magis, aot minus, prout magis, aut minus correcta materia est, ut accidit dum pus conficitur, & in summo morbi vigore in quibus febres, & dolores fiunt, quia ob effervescentiam, vapores, & fuligines elevantur in majori copia ad dicta accidentia causanda, donec tota materia stet correcta, & ipsi resolvantur.

Neque valet contra hoc, quod si crisis debet fieri materiâ summè correctâ, jam morbus non esset, aut saltem io declinatione fieret; quod est contra Gal. 3. *de crif. c.* 5. ratione cujus signis manifestæ coctionis existentibus perfectam fieri crisim voluerunt plures, de temporibus morbi aliter philosophantes, quàm debetur. Hoc (inquam) non valet, quia Galenus exprefsè in statu fieri optimam crisim fatetur, oon in declinatione, nec in augmento; si verò signis manifestæ coctionis fieret, in augmento fieret, juxta doctrinam Gal. 1. *de crif. cap.* 17. & 1. *aphor.* 12. & juxta ipsorum doctrinam fieret in declinatione morbi, cùm jam morbum declinaotem concedam, dum materia incipit corrigi, tamen Galenus docuit *c.* 5. *citato* morbos, qui terminantur crisi, declinatione carere universali, & in declinatione universali, non posset vivens petire, cujus contrarium esset verum, si morbus minueretur, dum materia coquitur, qoia per crisim posse vivens perire nemo dubitat ante perfectam materiæ coctionem, ergo in declinatione quoad entitatem ægritudinis periret, & ipsa non careret morbi qui terminantur crisi. Sufficiat in præsenti docuisse Galenum in statu crisim fieri cõctione summâ existente, saltem in ultimo fieri per quam status constituitur, ratione cujus *dum pus conficitur, dolores, & febres fiunt magis quàm dum jam confectum est*, ut Hip. 2. *aphor. text.* 47. & ob eandem rationem *text.* 30. omnia esse fortiora in summo vigore scripsit, & consequenter 1. *aph. comment.* 8. & 2. *aphor. comment.* 29. coctionem & summum vigorem morbi coincidere docuit, propter utrumque alimentum & remedia in statu prohibeat.

QUÆSTIO XI.

Vtrum ad perfectam Crisim conducat nocte, vel die fieri.

CUM conditiones optimæ crisis quæramus, & omoe quod pro ejus perfectione conducat, ipsam faciat optimam, meritò præsens quæstio examinanda venit, in quantum dubitamus, an hâ crisis perficiatur nocte, ut die non possit perfici; potest die, & nocte perfecta, &c

& optima inveniri, & sic non est conditio necessaria, quid tamen pro ejus majori perfectione faciat, quærimus: quod intelligetur faciliùs si attendamus ea facere pro majori crisis perfectione, quæ conducunt ut ea quæ mutationi ipsi accidunt commodiùs fiat, hoc est minori molestia, & majori utilitate; antecedunt enim perturbatio & evacuatio ad mutationem, & sic difficultas est an hæc commodiùs fiant nocte quàm die. Circa quod Vallef. 10. *contro. cap.* 11. evacuationes criticas omnes copiosiores fieri noctu, quàm die affirmat; perturbationes verò cōmodiùs die quàm nocte, & consequenter asserit crisim perfectiorem, & commodiorem fieri si perturbatio die fiat, & evacuatio nocte quàm è contrà: si verò die, aut nocte evacuatio, & perturbatio adveniat, quando major est debilitas, quàm humorum multitudo, melior erit die, si autem humorum multitudo, quàm debilitas facultatum, melior erit nocte.

Copiosiorem fore evacuationem nocte quàm die in crisi probat Vallesius, quia si per motum humorum ab excrementis ad intrà fiat, ut est per vomitum, dejectionem & renes, sequitur motum naturæ, quæ noctu ad intra humores retrahit, & sic copiosior fiat evacuatio; si verò fiat per motum ad extrà, ut per sudorem & sanguinem narium, cùm facultas naturalis fortior sit ex retrocessu sanguinis, & spirituum ad intra, copiosior evacuatio, nocto fit, & consequenter omnis crisis copiosiorem evacuationem habebit nocte quàm die. Quòd verò perturbatio commodiùs die quàm nocte feratur, ostendit ipsa consuetudo quiescendi nocte, & laborandi die, ratione cujus labores perturbationis diu feruntur faciliùs, juxta Hippocr. 2. *aphor. tex.* 49. dicentem, consueti solitos labores ferre, etiamsi imbecilles, faciliùs ferunt fortibus: Et juxta hanc doctrinam Gal. *in comment.* 13. *ejusdem libri* noctem ante judicationem difficilem appellat; sic ait. *Gravitas hac nocte fit manifestior: nam hoc tempore dormire consuevimus, somno igitur à turbatione interrupto, clarius gravitas percipitur: licèt similis fiat interdiu turbatio.* Erit ergo optima, & melior crisis dum perturbatio die advenit, evacuatio tamen nocte.

Quòd facultate patiente melior sit crisis, in qua omnes ejus partes diu fiunt, constat, quia facultate patiente, tunc erit melior crisis, quando ex evacuatione, & perturbatione minùs patitur facultas; sed quando omnes crisis partes fiunt diu, minùs patitur facultas; ergo diu debent esse. Minor probatur: nam minùs patitur facultas cùm perturbatio minùs molestat, & evacuatio moderata est magis; sed hæc ità sunt diu, ùt ex dictis constat, ergo diu præferenda est crisis, facultate patiente; è contrà verò multitudine humorum abundante cum facultate robusta, est enim tunc quærenda evacuatio copiosa magis; sed hoc est nocte, ergo facultate robustâ, & multitudine existente, noctu facienda est crisis.

Contra Vall. doctrinam dixerunt plures nullatenùs esse verum copiosiorem evacuationem noctu fieri, ex eo quod talem motum ad intra per noctem non judicant naturalem, nì per somnum; & cùm difficultas solùm sit de crisi nocturna, aut diurna, nullo somno existente, quia ipse potiùs evacuationis cohibet omnes prætet sudorem, ut ipse Vallef. 1. *meth. cap.* 13. de crisi nocturna intelligendum est nullo somno existente, & tunc affirmant non esse ad quid sanguis, & spiritus retrocedant ad intrà, ut evacuationes quæ per motum ad intra fiunt augeantur, & aliæ ex robore facultatis; siquidem somno deficiente, & retrocessus ad intrà deficit: nec ad hoc facere tenebras, cum fugere contrarium sit agentis cognoscitivi proprium, & defectus caloris ad extrà non inveniatur in his, qui judicantur nocte, ut propter frigus cute constipatâ calor recedat: siquidem febricitantes, quales sunt, qui judicantur, non ità possunt à temperie noctis immutari, ut cutis constipetur, ac per consequens, nec evacuatio fiet copiosior noctu quàm diu; fatentur tamen cum hoc, quod si evacuatio & perturbatio debent fieri in diversis temporibus, diu debet fieri perturbatio, noctu verò evacuatio, ut commodiùs molestia feratur, non ut copiosior fiat evacuatio; si verò perturbatio, & evacuatio in una parte diei fiant, meliùs est die quàm nocte, quia meliùs toleratur molestia, & evacuatio non minor fit.

Alij verò absolutè crisim nocte factam meliorem judicant, quorum fuit Conciliator, ex eo quòd natura minùs distracta est pro tunc, quàm diu, & sic fortior ad expellendum manet, & consequenter perfecta, & completa fiet crisis, ad quam luna juvat, cùm ipsa magis noctu influat.

Alij ob rationem perturbationis meliorem judicant crisim die factam; est enim apud istos deterius malum, quod ex perturbatione advenit, quàm utile bonum ex evacuatione; è contrà verò apud illos, etsi juxta diversitatem facultatis operantis aliam crisim diu perfectiùs fieri quàm noctu dicant alij, & aliam noctu, illam, quæ à facultate animali juvatur, ut vomitus, & dejectio, hanc, quæ à facultate naturali tantùm perficitur, ut sudor & sanguinis fluxus.

Nobis tantùm videtur dicendum crisim optimam ex parte temporis, juxta doctrinam Vall. esse præferendam, ob ejus rationes. Quod probatur quantùm ad evacuationem, de qua est difficultas, nam tantùm fit copiosior evacuatio quando natura minùs resoluta, & distracta est; sed noctu est minùs distracta & resoluta ob minores, & pauciores operationes quæ in ipsa nocte fiunt quàm die; ergo copiosior fiet nocte omnis critica evacuatio. Major est certa. Minor probatur ex Avic. *fen* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. dicente sic. *Et scias quòd ægritudines & accidentia fortiora fiunt in nocte, quoniam natura occupatur in ea in digerendo materiam semotâ ab omni re.* Ergo minùs distracta, & magis robotata est noctu natura. Probatur etiam ratione, quia facultas labefactatur magis dum ad plures actiones concurrit anima, quàm dum ad pauciores: sed non potest negari diu ad plura objecta percipienda concurrere vivens ad quæ non concurrit noctu, tum quia lux diei ad majorem sphæram illuminat, ratione cujus plura objecta, & ad majorem distantiam percipiuntur, tum quia, ipsa dispositio nobis adhuc absque somno, ut potentiæ retrahantur pro sui roboratione conducit, jam crassitie aliquâ inductâ adhuc in febricitantibus, jam cognitâ per rationem, roborationis necessitate, ergo noctu valet magis facultas, ac per consequens in ea copiosior fit evacuatio.

His positis manifestum est crisim perfectiùs & commodiùs fieri, dum perturbatio die fit, &

evacuatio nocte; si quidem minùs labefactatur natura dum non privatur requie, & somno, quàm dum ipsis privatur; sed adveniente perturbatione diu, cùm dormiendi & quiescendi tempus non fit nō privatoreis, ut noctu: & ex alia parte copiosior fit evacuatio noctu: ergo crisis tali participatione commodè, & utilitet fiet. Si dicas etiam per evacuationem privari quiete, & somno laborantes, ergo etiam evacuatio diu debet esse. Antecedens patet; cùm tales evacuationes somno opponantur, præcipuè illæ, in quibus facultas animalis operatur, ut sunt vomitus, & dejectio, ad quorum augmentum motum consulit Hipp. 4. *aphor. text.* 44. necnon omnes aliæ, etiamsi à facultate naturali tantùm fiant, sudore excepto, eùm omnes evacuationes præter sudorem somnus cohibeat, ut experientia, & Vall. 1.*meth. cap.*3. probant: ergo diu desideranda est evacuatio, ac per consequens absolutè melior erit crisis die facta secundum omnes ejus partes.

Respondetur quod licèt evacuationes quieti opponantur, & somno, cùm non ità molestent naturam, nec ità continuè ut perturbatio, major utilitas consequitur eò quòd fiant copiosè, quàm damnum ex inquietudine, præcipuè cùm seclusio vomitu, & dejectione, cæteræ evacuationes corpore quieto fiant, perturbatio verò antecedens eùm continuò molestet, & nullam præstet utilitatem, fugienda est dum quies desideratur.

Quod verò facultate existente robustâ cum multitudine humorum dum ambæ partes crisis simul debent esse, utiliùs sit fieri noctu quàm diu, patet quia tunc copiosa est magis evacuatio, etsi patiatur facultas, sed dum humores abundant, & facultas valet, utiliùs & copiosam fieri evacuationem, etsi facultas patiatur; ergo noctu debet fieri in tali casu. Major est certa. Minor probatur, quia dum facultas valet, est resistentia sufficiens pro molestia, à perturbatione veniente, & ex alia parte evacuatur quantitas proportionata juxta causam morbi; ergo major est utilitas ex evacuatione copiosa, quàm damnum ex passione facultatis: dum verò è contrà facultas debilis est, & humores non abundant, dum ambæ partes crisis simul debent esse, meliùs est diu fieri quàm noctu, quia magis timendus est lapsus facultatis ex molestia perturbationis, quàm utilitas amanda ex evacuatione copiosa; sed noctu factâ crisi magis patitur facultas, quàm diu, etsi evacuatio fiat copiosior: ergo diu est eligenda talis crisis.

Ad opposita respondetur quòd noctu adhuc somno defficiente, sunt plura quæ impediunt distractionem naturæ, & motum spirituum ad extrà, & alia, quæ pro retractione ad intrà faciunt; defficit enim lux extrà & objectorum naturalis proportio ad quorum cognitionem potentiæ excitantur, & spiritus movenntur ad extra, & est ipsa hora & necessitas quiescendi, ratione cujus & naturaliter & voluntariè ab operari cessant facultates, & consequenter spiritus non resolvontur ad extrà, immò etiam retrahuntur in facultatum patientium subsidium, aut non communicantur ad sensoria, & intùs manent; quid mirum ergo quòd pro copiosiori evacuatione facultas interior valeat.

QUÆSTIO XI.

Utrùm sine conditionibus optimæ Crisis possit perfecta evenire.

NON est idem quærere utrum sine signis optimæ crisis possit esse perfecta, ac si dicamus posse esse optima; esset enim implicatio in terminis; nam si requiruntur conditiones dictæ ad optimam crisim, fine ipsis optima non erit: quærimus tamen an perfecta crisis fine talibus conditionibus possit evenire; certum enim est bonam crisim esse posse, siquidem in meliùs mutatur vivens, etiamsi evacuatio congrua non sit, scilicèt integra, ut visum est pluries, adhuc materiâ existente crudâ, & nullâ indicatione præcedente, nec in die critico facta, ut videre est 1. *epid. part.* 3. *ægrot.* 6. ubi Hippocr. plures evacuationes humoris crudi fatetur incompletas, & ad meliùs trahentes, nec indicatas, nec in die critico factas: ergo sine conditionibus optimæ crisis bona poterit esse, ipsámque manifestam, non tutam esse deducemus faciliter, cùm fiat evacuatione manifesta humoris crudi, ex cujus commotione plura incommoda & prava symptomata advenire ostensum est *quæstione* 10. ratione quorum non esse tutam crisim docuit Galenus 1. *de diebus decret. cap.* 2.

Dubitamus ergo an sine dictis conditionibus crisis ità possit fieri, ut perfecta, & fida sit, id est, ut in salutem ægrotantis completam terminetur secutè, hoc est sine recidiva, conditiones etiam optimæ crisis, ex Galeno. Si quæ fiat indicata in die judicatorio cum signis perfectæ coctionis, cum evacuatione congruenti morbo, quarum ultima necessaria, ut ipsâ deficiente, non solùm non optima fit crisis, verùm nec perfecta nec secura, asserit Hippoc. 2 *aphor. text.* 12. *Quæ reliquuntur in morbis post judicationem, recidivas facere consuevère*; Quod est ut voluit *in comment.* Galen. quia reliquiæ malorum humorum, quæ in corpore manent, necessariò debent causare febrem; debet ergo evacuatio proportionari morbo, id est, sufficiens, & qualis convenit, quod significavit 3. *de crisi. c.* 3. dicens. *Deinde considerare oportet, quod forma morbi excretioni respondeat.* Hoc fiet dum evacuatur humor peccans, per regionem & rectitudinem convenientem, in debita quantitate, aliàs non responderet formæ morbi excretio, ut in ipso *cap.* docet Galenus, & consequenter super illa verba, *Quæ judicantur, & judicata sunt*, 1. *aphor. comment.* 20. non esse impetrandum inquit, dum integrè fit judicatio, maximè tamen dum defficit, si per loca conferentia fiat, est ergo simpliciter necessaria ad completam, seu perfectam, & securam crisim, quod formæ morbi excretio fiat & respondeat.

Difficultas major est de duabus aliis conditionibus, utrum sine signis coctionis, & in die non judicatorio evacuatio non indicata possit facere crisim perfectam & fidam; quæ difficultas communiter proposita est de evacuationibus symptomaticis, nam cùm tales sunt, quæ sine signis coctionis sunt in die non indicata, quærimus an utiles possint esse symptomaticæ evacuationes, ità ut completa, & secura sanitas consequatur; circa quod

quod major difficultas est de coctione: nam cùm ipsa securitatem significet ex Hip. & Gal. videtur necessariò crisim perfectam esse non posse coctione deficiente, sic ait, Hip. 1. *epid. p. 2. text. 11.* *Cottiones securitatem iudicationis & celeritatem sanitatis significant: cruda verò, & incocta, & in malos abscessus conversa, aut indicationis sublationem, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundē recidivas significant.* Videtur ergo coctione deficiente perfectam, & firmam non posse advenire. In cujus confirmationem 2. *epid. part. 1. text. 9.* ait Hip. *Quæ indicant in melius non statim apparent*, ubi per verbum *statim*, principium intelligit Gal. 1. *de crisi. c. 7.* ut ex ipso text. constat, sic ait immediatè, *Iudicatoria non indicantia, partim lethalia, partim debiles iudicij: Quæ vero præmatura indicationem dum adhuc cruda sunt omnia occupant, morborum recidivas convehunt*: Ergo in coctione perfecta, esse non potest crisis.

Ità certum iudicavit Gal. evacuationes materia cruda, factas pravas esse, juxta doctrinam Hip. ut pluries eas damnet, non posse bonas esse affirmans; ergo nec crisim perfectam causare. Antecedens constat 4. *aphor. comment. 21.* super illa verba: *Deiectiones nigræ spontè venientes; vel cum febre, sine fine illa, pessima*, sic ait Gal. *Quare ab initio nunquam ad bonum fiunt huiusmodi evacuationes.* Et in hujus confirmationem Hip. adducit, *& comment. sequenti* idem repetens sic ait. *Quo enim tempore à causis morbum facientibus, natura gravatur, adest cruditas humorum, tunc aliquid bene evacuari est impossibile.* Et infrà, *Si excernantur sine signis coctionis, exitialis est casus.* Quantum in morbi principio semper signa sunt cruditatis, mala semper erit humorum talium evacuatio: constat ergo sine signis coctionis perfectam crisim esse non posse.

Probatur etiam ratione: nā coctio ideò signum est optimæ crisis, & securæ sanitatis, quia materia victa à natura ejicitur sine incommodo, & irritatione: sed materiā existente crudā, necessariò operatur natura irritata, & contra internam inclinationem: ergo non poterit perfectam expulsionem facere, ac per consequens, nec crisim perfectam. Major est certa. Minor constat, quia coctio expectatur ex eo quod natura non rejicit id quod coquere valet, quod probatur, quia dum natura operatur contra internam inclinationem malè se habet, valde patitur, & non sine magno labore, ut videre est quando movetur ad expellendum humores vi medicamenti in corpore sano, ob quod non esse purgandа corpora sana docet Hip. 2. *aphor. text. 37.* sed quando natura pellit materiam crudam operatur contra internum impetum, ergo non faciet perfectam crisim. Confirmatur hoc, quia Hip. & Gal. dictas evacuationes damnant, pravásque appellant, sed non alia ratione pravæ sunt nī quia natura valde patitur vi commotionis materiæ crudæ, & quia plurimum boni evacuatur simul cùm malo; ergo semper hoc est timendum, ac per consequens perfecta crisis sine coctione esse nō potest.

Quod non detur perfecta crisis si in die judicatorio non fit, & indicatio præcedat probatur etiam; nam crisis perfecta, & fida est, quæ in integram ægrotantis salutem sine recidiva terminatur: sed quæ in die judicatorio non fit non est sine recidiva; ergo crisis perfecta in die judicatorio debet fieri. Major constat ex Gal. 1. *de crif. cap. 2.* Minorem probat Hip. 1. *epid. p. 3. text. 15.* in quo postquam dixit morbos aliquos judicari per pares, alios per impares, sic ait, *Nosse oportet quòd si aliter judicatio fiat extra præscriptos dies, recidivas fore significat, & fuerit sanè perniciosa*, ergo extra diem criticum non erit fida. Idem affirmat 4. *aphor. text. 36.* sic *Sudores febricitanti si inceperint boni, 3. die, & 5. & 7. & 9 & 11. & 14. & 17. & 21. & 27. & 31. & 34. Hi sudores indicant morbos, qui verò non ità fiunt, labores significant, & morbi longitudinem, & recidivam.* Quibus verbis ostendit Hip. id quod dixerat 1. *epid.* de crisi materiā crudā existente; ergo in die non judicatorio non erit perfecta crisis, & *text. 61.* sic ait, *Febricitantem nō diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare.* Quā ratione *suprà text. 29.* sic ait, *Quibus in febribus 6. die rigores fiunt, solent recidivare*, & consequenter Gal. 1. *de diebus decret. c. 4.* sextum diem tyrannum appellat, septimum verò benignum.

Tandem Hipp. 3. *prog. text. 22.* comprehendens ad crisim perfectam coctionem, & diem criticum, sic ait, *Quibus febris, nec salutaribus notis apparentibus, nec in diebus decretoriis conquiescunt, hi reversionem timere debent.* In cujus *comment.* Gal. intelligens per signa salutaria signa coctionis sic scripsit. *Quoties neutrum existat ex his, quæ dixi, tantum expectare oportet recidivam, & ubi alterum adsit, alterum desit*; ergo non solùm per defectum coctionis crisis fiet imperfecta, sed etiam quia fiat in die non judicatorio; & licèt plures vertant, *Expectare oportet recidivam, non ubi alterum adsit, alterum desit*: Non ità intelligendum est, ut advertit Mus. in margine, in qua ut in aliis Galeni locis constat virtus diei ad perfectionem judicij facit, aliàs non interesset magis uno, quàm altero die judicium fieri, tum quia deficiente coctione, etsi dies sit judicatorius, non est secura crisis: ergo non solum deficiente coctione, & die prava erit, sed etiam una, vel altera deficiente, ità ut verum sit non solùm recidivam esse expectandum dum crisis fit, neutro existente, sed etiam ubi alterum adsit, & alterum desit.

Hanc partem probat etiam ratio: nam quidquid sit de causa dierum criticorum, certum est faciliùs & securiùs crisim fieri in die ex propria natura judicatorio, quàm extra ipsum, quia causa ejus conducit pro perfectione crisis; sed in diebus aliis tale juvamen deficit: ergo extra dies criticos non erit perfecta, & fida crisis. Major est certa ex Hip. Galeno & Avic. & cōstabit *infrà.* Minor probatur: nam si eadem virtus adjuvans pro crisi esset in omnibus diebus, non magis unus quàm alter judicatorius diceretur: sed sic est quod omnes non sunt judicatorij, ergo quia in aliis est juvamen, quod deficit in aliis, ac per consequens extra diem criticum ob defectum juvaminis non fiet perfecta crisis. Quod argumentum non solum probat de die judicatorio, sed etiam de indicante; est enim indicatio utilis quia significat pro tali die concurrere specialem causam crisis: sed ubi talis indicatio deficit, talem causam deficere significatur, & adhuc coctionem & dispositionem ad crisim, cùm per coctionem, seu per ejus signa dies criticus indicetur, ergo perfectā crisis sine indicante coctione, & die judicatorio esse non potest.

Nobis tamen videtur dicendum, quòd licèt crisis optima tres illas conditiones requirat, ità ut per eas, seu per earum signa sufficienter dignoscatur

catur, futura crisis optima, nihilominùs rectè potest perfecta, & fida crisis resultare aliqua, aut utraque ex conditionibus duabus deficiente. Ostendit hanc veritatem Hippocr. 1.*epid. part.* 3. per plures ægrotantes præcipuè per sextum de quo plures evacuationes symptomaticas fatetur habuisse, & in omnibus diebus, quibus tandem perfectè judicatus fuit, & ægrotum septimum adducit, quem adhuc, cum signis repugnantiam coctionis ostendentibus à duabus ad quinque evacuationes symptomaticas habuisse scripsit, & ipsum sine recidiva judicatum fuisse; ergo utraque conditione deficiente, crisis perfecta, & fida esse potest: quod idem visum fuit *ægroto* 10. & 13. & *lib.* 3. *epid. part.* 1. *ægroto* 1. sudore decimo die facto judicari fatetur, etsi abscessum postea subsequi affirmet, & *ægrot.* 3. variis & diversis evacuationibus omnibus diebus factis materiâ crudâ existente, & malignè putrida absolutus est: ergo sine coctione in die non critico crisis perfecta esse potest.

Probatur etiam ratione: nam tunc erit perfecta crisis cùm integra salus sine recidiva speratur: sed non implicat naturam ità robustam dari ut materiam morbi pellat in principio sine reliquia ad recidivam, sive materia putrida sit cum capacitate coctionis, sive secùs: ergo poterit dari perfecta, & fida crisis coctione deficiente in die non critico. Major est certa. Minor probatur: nam etiam si aliquid boni simul cum malo ejiciatur, & facultas patiatur propter commotionem materiæ crudæ, & malignæ, non implicat facultatem valere ut materia illa pellatur, ipsâ perseverante cum sufficienti robore, ex eo quòd potest esse major utilitas ex evacuatione, quàm damnum ex debilitate; ergo poterit dari evacuatio symptomatica faciens fidam & perfectam crisim. Quod confirmat id quod diximus ex Hipp. & Galeno de stillicidio sanguinis, ubi constat evacuationem illam, in quantitate sufficiente utilem esse, & morbum terminare, ergo dabitur crisis perfecta & fida materiâ evacuatâ crudâ in die non critico: non dico crisim esse optimam, sed perfectam, & fidam, quæ in omni modam salutem sine recidiva terminatur, sive una evacuatione, sive pluribus repetitis.

Ad ea quæ posita sunt respondetur, tales evacuationes damnâsse Hippocratem & Galenum, quia ferè semper periculosæ sunt, & in perniciem ægrotantis; est enim ferè semper majus damnum, ex debilitate facultatis ob accidentia talis commotionis & irritationis, quàm utilitas ex evacuatione materiæ; siquidem talis crisis fit semper propter causæ irritationem, sive ratione velocitatis, sive magnitudinis morbi, & sic nec tuta, nec perfecta est. Totum quod docuit Galenus 3. *de crif. cap.* 10. sic. *Quacunque verò prærumpunt, ob aliquod irritamentum, id patiuntur, & tantò deterior fit crisis, quam illa qua in statu fit, quantò magis anticipaverit.* Quæ omnia sic explicat *cap.* 5. *Esto igitur ut in die decimoquarto spes sit fore statum, & aut ob morbi magnitudinem vel motûs velocitatem, vel propter aliud externum irritamentum crisis die undecimo, anticipet, nec ipsam perfectam, nec omninò bonam quivimus sperare; quod si salubris apparuerit, verendum est ne crisis, vel cum paucioribus fiat accidentibus, vel gravibus, vel non perfecta, vel omninò revertatur.* Quibus verbis id quod communiter evenit explicatur; quod non tollit posse, etsi incommodo aliquo morbum omninò evanescere, materiâ totâ evacuatâ & consequenter materiâ existente crudâ in die non judicatorio fiet perfecta, & fida crisis, non tamen tuta, cùm natura operetur irritata & præter ordinem debitum facultatibus, ratione cujus symptomatica est evacuatio, & majori molestia & resolutione virium quàm dum optima est crisis.

Difficultas major est cùm evacuationes symptomaticæ aliquando in bonum, aliquando in malum terminentur, quomodò cognoscendum sit cujus naturæ sint; siquidem cohibendæ, & timendæ sunt pravæ, & quæ in mortem ducunt; juvandæ tamen, aut permittendæ saltem, quæ in salutem, aut in meliùs; ad quod discernendum nulla regula invenitur præstantior, quàm illa quam dedit Hipp. 1. *aphor. text.* 2. inquit. *In perturbationibus ventris & vomitionibus sponte factis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt, sin minus è contra.* Quæ verba, etsi de qualibet evacuatione ab intro procedant, propriè locum habent in evacuationibus symptomaticis, ubi per conferentiam, & tolerantiam, evacuandum evacuari determinat, & consequenter ejus quantitatem per eadem signa mensurat: *text.* tamen 23. sic ait. *Dejectiones non multitudine sunt æstimanda, sed si talia dejiciantur, qualia conveniant, & ægri facilè tolerant. Text.* tamen 25. jam de evacuationibus à medicamento agit per eadem signa describens, ità ut tunc benè judicandum sit de evacuatione, cùm confert morbo, & vires tolerant, ut etiam docet 1. *prog. text.* 22. & Galenus *in comment.*

Recentiores sequentes Vallesium 2. *meth. c.* 13. etsi vera sit doctrina apposita non valere ad determinandam evacuationis bonitatem, vel vitium, affirmant, quia conferentia, & tolerantia posteriores sunt evacuatione ipsa, & sic post damnum, aut utilitas erit consecuta, dum conferentia, aut tolerantia evacuationem discernit, & consequenter non fiet cognitio quando ad ejus juvamen, aut prohibitionem deber fieri, ratione cujus bonam, aut malam fore determinant ex qualitate, quantitate, impetu, & rectitudine evacuationis, ex regione & die; ità ut quando qualitas humoris, qui evacuatur formæ morbi respondet. Impetu, & quantitate proportionali per regionem convenientem cum rectitudine in die judicatorio bona sit prædicenda, vel utilis evacuatio; è contrà verò prava, ut si pro tertiana, utriusque ventris adveniat fluxus cholericus, aut sudor in quantitate, & impetu proportionali, utilitas est expectanda; si verò aliquod horum defficiat, contrarium, ut 3. *de crif. cap.* 3. docet Galenus, aut si affecto lieoe venter solvatur modo debito, congruens est crisis, non ità si urina, teste Galeno 13. *meth. cap.* 16. & 2. *ad Glauc. c.* 2.

Etsi omnes evacuationes optimæ conditionis attendere utile sit, ad ipsam prædicendam bonam, futuram, aut malam, quatenùs melior debet judicari, quæ pluribus bonis conditionibus est, quàm quæ paucioribus, id est, si una mala aliis principalior non sit, nihilominùs ad dignoscendam evacuationis symptomaticæ malitiam, aut bonitatem, impertinenter se habene signa dicta, hoc est insufficientia sunt; sit enim cruda, ergo non die judicatorio; nam dies judicatorius non est quartus, aut septimus, sed qui pro illo morbo est talis ut pro morbo terminandus

dus decimus quartus, ſeptimus non eſt judicatorius, ergo non ex inde bonitas evacuationis deducenda eſt; eſt enim implicatio in terminis evacuatio ſymptomatica, & quod fiat die judicatorio; nam talis eſt materia cocta, & quod magis eſt, quia evacuatio materiæ crudæ in die judicatorio, ſeu indicante, deterior dicitur ab Hippoc. *text.* 1. *prorrh.* ergo bonitas non eſt prædicenda ex eo quòd fiat die judicatorio.

Præterea: Evacuatione exiſtente humoris peccantis per convenientem regionem cum rectitudine, & impetu proportionali, quotidie dubitamus de utilitate, non ergo per dicta ſigna bonitas, aut malitia eſt prædicenda. Antecedens patet: nam adveniente fluxu ventris bilioſo, aut ſudore pro febre continua, non dubitatur de qualitate, & regione, ut Gal. 3. *de criſ. c.* 3. & adhuc impetu, & quantitate proportionali, dubitatur de convenientia, aut quia ſimul cum malo plurimum boni poteſt ejici, quod non dignoſcitur antecedenter, aut quia talibus accidentibus, ut tandem virtus deficiat, quod etiam antecedenter non dignoſcitur, ergo adhuc dictis conditionibus non diſcernitur evacuatio utilis ab inutili. Nec valet dicere per prava accidentia diſcerni ſufficienter. Contra eſt: nam difficultas conſtat de evacuationibus ſymptomaticis, & in ipſis prava accidentia debent eſſe neceſſariò, unde ergo dignoſcetur talia eſſe futura, ut debeat evacuatio prohiberi, vel ſecùs, ſiquidem omnia antecedentia dubia ſunt.

Mihi tamen videtur dicendum in criticis evacuationibus rectè ex die & indicatione ex coctione, & congruentia bonitas evacuationis prænoſcetur magis aut minùs prout plures, aut pauciores fuerint conditiones optimæ criſis, ratione cujus 3. *de criſibus cap.* 6. ſic ait Galen. *Status tempus criſis ſpectat, & hæc quidem optima criſis eſt, fit enim morbo jam cocto, ſi verò propter aliquod irritamentum ante ſtatum criſis venire cogatur, tantò hac optima deterior erit, quantò ſtatum anticipaverit.* Significat enim his verbis coctionem, & diem deficere, quantùm à ſtatu receſſerit, & cùm hæ evacuationes, quæ ſymptomaticæ dicuntur, malæ, & bonæ eſſe poſſint; malæ prout natura irritata operatur; bonæ, prout humor peccans evacuatur, nil antecedens invenitur, ut utilis ab inutili ſecernatur, ſed ſolùm per effectus ſunt diſcernendæ quod eſt per conferentiam, & tolerantiam, ut Hipp. *locis citatis*, nil eſſe antecedens ex dictis conſtat, & quia licèt facultatem fortem cognoſcamus, ipſam ſufficere ad tolerandam evacuationem, & accidentia prava ejus non eſt cognoſcibile, ratione cujus ad prædicendam ſalutem ex pulſu non deſumunt Medici ſignum certum.

Quod per conferentiam, & tolerantiam de utilitate evacuationis ſymptomaticæ ſufficienter, ſit judicandum, patet: nam evacuatio, aut tollit plus de morbo, quàm de virtute, vel plus de virtute, quàm de morbo, aut æqualiter de utroque: unum, aut alterum fateri neceſſum eſt; nam adhuc veræ criticæ evacuationes vires reſolvunt, & minuunt, reſolutis & evacuatis ſpiritibus pluribus cum humoribus ſimul: vires namque ſolùm per accidens augentur in criſi gravitate ſublatâ, non quia verè augeantur; ergo cùm adhuc in criticis evacuationibus vires patiantur, multò magis in ſymptomaticis, & ſic dum morbi cognoſcitur diminutio major, quàm virium debilitas, permittendæ aut juvandæ ſunt evacuationes, præcipuè cùm pravæ naturæ ſunt: nam non aliter materiæ putredo ceſſare poteſt pro morbo; poſt modum verò virium debilitas major eſt, aut æqualis cum diminutione morbi, ſi vires conjecturabiliter cognoſcuntur futuræ ſufficientes, ut maneant, etſi debiles, morbo jam victo, permittenda eſt evacuatio; ſecùs verò ſi ipſas ante morbi ablationem deficere timemus, aut ſimul cum morbo, quia nec major utilitas ſpectanda eſt in morbo quolibet, quàm quod vires maneant morbo ſublato, nec majus damnum quòd ipſæ deficiant ante morbum, aut cum ipſo: ergo evacuatio illud faciens, eſt permittenda; aliæ verò cohibendæ.

Ex dictis patet evacuationes ſymptomaticas eſſe diſcernendas attendendo ad id quod faciunt, & ad mutationes, quæ in facultate conſpiciuntur in pulſu ſcilicet: nam licèt verè non augeatur prout magis, aut minùs percipitur debilitas, eſt judicandum ſimul cum diminutione accidentium morbi, ad quod aſſiſtentiam Medici commendat Vall. ut attendendo uni, & alteri mutationi, de utilitate, aut malitia certò judicet; quod cùm ità difficile ſit, inexperti Medici in magna incidunt incommoda. Totum quod intelligendum eſt dum vires ex ſe pro evacuatione valent; Nam aliàs adhuc critica evacuatio non eſſet permittenda, quantò minùs ſymptomatica, quæ ſaltem ut ſignum prava eſt ſemper, & ex hoc capite plura cauſaret incommodà, quæ mala, ut cauſa dicitur, cùm plus lædit quàm prodeſt, & ſic dum evacuatio ex ſe debilem facultatem ſignificat, quatenùs ipſam inſufficientem oſtendit, prava omninò eſt habenda, quia etſi pro morbo eſſet, plus læderet quàm prodeſſet; talis eſt ſudor frontis, vel pectoris, vel frigidus, ut Hippocr. 1. *progn. text.* 22. & evacuationes, quæ inceptæ non perficiuntur, de quibus 2. *prog. text.* 68. de abſceſſibus agens, & 1. *prorrh. text.* 1. & Gal. *in comment.* ſic. *Sudores quoque, qui cœperunt, ſed protinùs ceſſarunt pravi ſunt, dejectiones item, & quæ ſanguinis eruptiones, vel in mulieribus per uterum vacuantur; omnia ſiquidem hæc deteriora his ſunt, quæ nullo apparent pacto; ſi ubi cœperint, ceſſent, in illis verò apparent, veluti excitatio quædam conante naturâ excernere quæ moleſta ſunt, atque ità ob imbecillitatem quod propoſuerat perficere nequivit.* Conſtat ergo quod dum vires debiliſſimæ non ſunt, aut evacuatio languorem facultatis non ſignificat per conferentiam, & tolerantiam, evacuationis ſymptomaticæ eſt diſcernenda utilitas, vel damnum.

SECTIO II.

De diebus Decretoriys, &c.

QUÆSTIO I.

Utrum in morbis dies Critici, aut aliter contemplabiles inveniantur, & qui.

CRises morborum tutiores & omni ex parte perfectiores fieri in aliquibus diebus quàm in aliis, docet ex profeſſo Galen. per *lib. de dieb. decret.*

decret. sequens Hippoc. *lib. de morbis vulg.* & *aphor.* in quibus experientiâ approbatum dedit, ità fieri ut crisis in septimo tutior, perfectior, & firmior sit, quàm in sexto, & sic de aliis diebus scripsit Hippoc. de crisibus seu judicationibus, & diebus ejus libros duos, docens morbos alios unis diebus, aliis alios judicari perfectè. Sic ait, *lib. de dieb. decret. In principio oportet exactè prædicere temporum constitutionem, & morbum, & qui morbus bonus sit, & qui periculosus, & qui longus, & lethalis, & qui longus, & non perniciosus, & qui acutus, & lethalis, & qui acutus, & superesse finens, ex his enim ordinem dierum criticorum considerandi, ac prædicendi facultas datur.* Quasi diceret, ex ipsa natura morbi deducendus est cujuslibet critici dies; nam, etsi plures tales sint pro quolibet morbo, non omnes, sed illas, in quo futura est terminatio juxta ejus naturam, sive ex morbo, sive ex constitutione; nam alij morbi sunt breves ex se, ut tertiana, & longi ex constitutione, sive ratione regionis, aut victûs, aut alicujus alterius. Totum quod docuit *loco citato*, Hippocr. & juxta eandem doctrinam *in fine*, & *lib. de crif.* scripsit, quod 3. *prog. text.* 4. repetit sic, *Placidissimæ febres, & signis securissimis quarto die desinunt, aut prius, lethalissimæ verò & signis horrendissimis quarto die aut prius occidunt. Primus igitur ipsarum insultus sic definit; alter ad septimum deducitur, alter ad undecimum, &c.* Docet ergo alias febres aliis diebus, alias aliis judicari, quâ ratione etiam 1. *epid. part.* 3. *text.* 14. diversos dies criticos numerat pro diversis morbis juxta diversum motum eorum.

Ità certam dierum criticorum doctrinam judicavit Galen. ab Hippoc. adductam, ut nil aliud posse per experientiam confirmari doceat, sic ait 3. *de dieb. decret. cap.* 5. *Si veritatis studiosus quis extiterit, sophistarum nugis relictis, ad experientiam ipse veniens, cùm elloginta, seu mille ægros conspexerit, hunc indubiè novi, non alia de diebus decretoriis pronuntiaturum quam Hippocr. indicavit.* Avic. etiam mentem utriusque amplectitur, quos communi experientiâ commoti sequuntur ferè omnes Medici: videtur ergo dies criticos necessariò esse concedendos, in quibus bene terminentur morbi respectu aliorum in quibus terminatio tuta non est, ideò Hippocr. *text.* 14. *cit.* postquam dies criticos numeravit sic ait. *Si judicatio fiat extra præscriptos dies recidivas fore significativa* Et 4. *aphor. text.* 36. adducens dies ad sudores optimos sic ait. *Hi sudores judicant morbos, qui non ità fiunt, laborem significant, morbi longitudinem, & recidivam.* Negandum ergo non est quod tot experientiis Hippocr. & Galen. confirmarunt, dies scilicet reperiri in quibus crisis utilis sit, alios verò in quibus inutilis.

Contra hanc veritatem non deficit ratio ostendens talem dierum differentiam fictitiam esse, nihilque ad morbi optimam, aut pravam terminationem facere hoc, aut illo die crisim fieri, ratione cujus ante Hippocr. pluries talium dierum differentiam non invenerunt, & consequenter Recentiores rationem eorum manifestam non invenientes, ipsos omninò negant, per accidénsque judicant crisim bonam, aut malam fore hoc, aut illo die.

Probatur primò: nam Hippocr. 3. *prog text.* 1. sic ait. *Febres terminantur eodem die, sive ad mortem, sive ad salutem.* Ergo nulla differentia est ad crisim ratione diei. Patet; nam si dies criticus aliquam differentiam haberet, ità ut utilior esset in septimo crisis quàm in sexto, non eodem die liberaretur æger, & periret; sed asserit Hippoc. eodem die perire & liberari, ergo ad crisis bonitatem nihil facit dies.

Secundò: Crisis fit naturâ ad expulsionem materiæ morbificæ commotâ: sed materiâ existente coctâ non est ad quid diei specialis requiratur virtus, sive à se, sive ab alio, ad crisim bonam, ergo frustrà ponitur. Major est certa, & ostenditur ab ipso Gal. 3. *de dieb. decret. c.* 8. Minor probatur: nam facultas expultrix materiam coctam expellere habet postquam coctrix cessavit à sua coctione; sed dato requisito ad opus frustrà ponitur aliud fundamentum: ergo materiâ existente coctâ virtus diei non est concedenda. Majorem ostendit Galenus plories, præcipuè in ipso *cap.* 8. sic ait, *Quippe virtus ipsa est alienorum expultrix*, agebat de facultate faciente criticam evacuationem, *Tempus autem coctionis post finem alteratoriæ facultatis est.* Minor constat, quia talis virtus diei non habet physicum fundamentum: ergo non est concedenda, certum enim est crisim coctione existente, fieri, ut docuit Galen. 3. *de crif. cap.* 1. ergo requisitum ad optimam crisim datur sine dierum speciali virtute.

Neque valet dicere hoc probare de optima crisi, non verò de prava in qua coctio non præcedit, & sic facultas, expultrix non ni ratione diei movetur ad expulsionem: hoc inquam non valet, est enim difficultas de virtute diei ratione cujus crisis bona fit, quæ cum signis coctionis debet esse, & ut ad expellendum moveatur nihil aliud petit natura, & sic non constat, quod dies adjuvans requiratur: præterea quia si dies adjuvans aliquid haberet, non condoceret ad pravum morbum, qualis reperitur in crisi prava, potiùs est ob irritamentum naturæ, ut ipse Gal. docet, sed irritatione existente, datur etiam sufficiens determinans, ut expultrix facultas operetur, ergo diei virtus sine necessitate conceditur.

Tertiò: Crises fiunt die accessionis, propter quod Hippocrat. 1. *epid. part.* 3. *text.* 12. sic ait. *Morbi qui moventur per pares, terminantur per pares: qui verò per impares moventur, per impares terminantur*, & consequenter asserit quod qui aliis diebus judicantur, pravè judicantur: sed accessiones quotidie possunt esse, ergo quotidie possunt fieri judicationes utiles. Patet: nam si judicari debent morbi in diebus in quibus fiunt accessiones, ut utiliter judicentur, accessiones in qualibet die possunt esse, & in qualibet die erit utilis judicatio, præcipuè cùm hoc doceat Hippoc. tam de morbis, qui moventur per pares, quàm per impares.

Quartò: quia crisis debet fieri materiâ existente coctâ; sed materia potest ad perfectam coctionem pervenire in qualibet die; ergo in qualibet poterit fieri perfecta crisis. Major est certa: minor probatur, quia coctio materiæ fit agente naturâ circa ipsam; sed contingens est materiam coqui sufficienter tribus, quatuórve diebus, aut pluribus, ratione cujus alij sunt morbi longi, alij breves: ergo contingens est coqui ad quartum aut sextum, aut ad septimum, ac per consequens in qualibet die potest advenire crisis perfecta. Antecedens patet ex proportione cujuslibet agentis ad passum, actio tardiùs, aut citiùs fit

fit ratione activitatis, aut resistentiæ: sed potest natura valere ad coctionem alicujus materiæ per quatuor dies, pro nunc, & postea, per sex; ergo contingens est hac vel illa die crisim perfectam fieri; siquidem contingens est facultatem sufficere pro coctione facienda per quatuor dies, quæ postea sex indigeat. Quod confirmat; quia si materia quæ ad septimum non erat cocta, in octavo perfecte coqueretur cum eadem facultate non est, cur talis expulsio infeliciter fiat, ergo dierum criticorum diversitas sine fundamento est.

Huic difficultati communis est solutio, virtutem diei non conducere ad coctionem, sed excitare ad pugnam, & ad expulsionem juvare. Tamen contra est, quia eo ipso quod natura coctionem perficit, à retentione cessat, quæ propter coctionem erat; sed cessante natura à retentione, operatur expultrix, ut dictum est ex Galen. ergo ut expultrix expellat, & ad id excitetur sine necessitate ponitur virtus diei, præcipuè cùm constet in tertio & quinto fieri crisim, etiam si quartus, & non ipsi decretorij sunt, ex eo quòd ratione accessionis excitatur ad crisim, seu expulsionem, & pugnam natura, ut Galenus 3. *de crif. c. 5.* ergo ut excitetur natura ad pugnam, & fiat expulsio, frustrà ponitur virtus diei.

Quintò: quod si dies haberet aliquam virtutem facientem pro crisis perfectione, sequeretur quod signum malum in die decretorio apparens esset minus malum quàm si alio die appareret, cujus contrarium docet Hippocrat. *text. 1. prorrh.* sic ait. *Stillatio è naribus perniciosa, tum aliàs, tum si quarto die ceperit.* Galen. *in comment.* sic ait. *Cum itaque stillatio è naribus semper malum signum sit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die:* Ergo non est concedenda virtus aliqua in die critico. Sequela probatur, quia crisis in die decretorio est bona, ex eo quòd virtus diei conducit pro perfectione ejus; sed melior esse debet evacuatio, seu minùs mala quando est aliquid adjuvans, & condoceos pro bonitate ejus, quàm quando non est, ergo minùs mala erit evacuatio prava in die critico quàm in aliis.

Hoc non obstante dicendum nobis est veram esse Hippocrat. & Galeni, & Avicenn. sententiam, asserentium aliquos dies dari in quibus crisis omni perfectione, & securitate fiunt, alios secùs. Totum quod experientiâ compertum est, sed in arte Medica nullum efficacius desumitur argumentum quàm quod ab experientia procedit; ergo dicendum est criticos dies esse concedendos: non alia ratione 3. *method. cap. 1.* ait Galen. sic. *Ejus rei duplex cognitio est, nec potest addi tertia, altera per experientiam, cui longo usu est opus; altera per ipsius rei naturam.* Et *cap. 2.* sic. *Hoc igitur, aut per experientiam, aut rationis ope dignosci omninò opertebit.* Docet ergo experientiam esse viam dignoscendi, ea, quæ à nobis dignoscenda sunt, ac per consequens cùm longa experientia dierum criticorum diversitatem invenisset Hippocrat. ut constat per *libros epid.* & docet Galen. 2. *de diebus decret. cap. 3. & 5.* dies critici concedendi sunt, id est, dies aliquos esse in quibus crises securiores & perfectiores fiunt, alios verò in quibus pravæ sunt, & infidæ, & sic solùm per experientiam id esse deducendum ostendit: sic ait *cap. 5. Si enim quispiam, quæ agris accidunt observare velit, & ab Hippocrat. dictis credere, is nil adhuc nostrâ experientia indigebit: at si sophismata evidenter apparentibus digniora esse existimet, & Hippocrat. dictorum nullam rationem habet, hujus modi frequenter dixi esse despiciendos: si verò veritatis studiosus, quis existat, sophistarum nugis relictis ad experientiam veniens, cùm octoginta vel mille agros conspexit, hunc indubiè novi non alia de diebus decretorys pronunciaturum quàm Hippocrat. indicavit.* Ergo per experientiam hæc veritas est deducenda, aut qui contrarium tuentur, rationem reddant diversitatis expertæ.

Ad opposita respondetur ad primum doctrinam Hippocrat. potiùs ostendere dies aliquos criticos esse, cùm asserat eisdem diebus terminari morbos ad bonum, & ad malum; nam cùm ratio specialis terminationis ad unum, aut ad alterum pendeat ex virtute naturæ supra morbū, aut ex contrario, qualis hæc fuerit, erit terminatio; & cùm dies criticus unus sit in quolibet morbo ad bonum, aut ad malum, eodem die fiet terminatio. Quid dies faciat, dicemus infrà.

Ad secundum respondetur quòd licèt verum sit expultricem operari factâ coctione, nihilominùs crisis bona diei juvamen requirit, & sine ipso non fit perfecta, cujus concursus fundamentum est, quod tali die melior, & cum melioribus accidentibus fiat ferè semper crisis, in septimo scilicet, in sexto verò deterior, & deterioribus accidentibus, & quod dierum determinatione compertum sit naturam ad expulsionem criticam moveri, & aliis secùs: ergo credendum est has experientias non ex speciali die virtute evenire, eveniunt enim crises septimo, vel undecimo, vel decimo-quarto die, ut dicemus, non duodecimo, aut decimo quinto, aut decimo sexto, & similibus; ergo quia aliquid est, pro motu materiæ in illis dieb. quod non est in aliis; quod tam probat de bona quàm de mala crisi, quatenùs ad motum diei faciendum virtus juvat, & movet uno die & non in altero, evenit, ut diximus, malitia, aut bonitas crisis ex virtute naturæ, & licèt irritatio aliqua pro crisi conducat facienda; quâ ratione tempore accessionis crises fieri docuit Hippocrat. 1. *epid. parte 3. textu 12.* irritatio tamen quæ crisim antecedere facit, vehemens irritatio est, & quæ diei virtutem non expectat, nec coctionem requisitam, & sic talis crisis prava est, ut 3. *de crif. cap. 6.* Galenus docet.

Tertium argumentum petit causam constituendo dies criticos; siquidem ex ejus examine pendet argumenti solutio, dicemus *quæstione 5.* interim dicimus ipsum argumentum probare dies criticos esse in morbis; nam cùm asserat per pares terminari morbos qui moventur per pares, & terminari per impares qui per impares moventur, & aliter pravè docet dies criticos esse pares in aliis morbis, & impares in aliis; ergo dies criticos concedit determinatos respectu cujuslibet morbi, & etsi accessiones, quotidie fieri possint.

Ad quartum resp. quod etiamsi coctio possit retardari, aut accelerari ratione facultatis, nihilominùs crisis determinato die fiet perfectiùs ratione virtutis diei conducentis, & commoventis ad expulsionem, quæ virtus dum concurrit coctio, & robur naturæ sufficiens est ut perfectè operetur expultrix,

expultrix ; dum verò materiæ, ant facoltatis aliquid deficit, aut non movet sufficienter, aur imperfecta crisis fit, & sic pluries, ut docet Galenus 3. *decis.* 4. crisis futura septima die ob aliqnem errorem fit nono, aut undecimo, quia illis dirbus jam sufficienter materia cocta fuit, & virtus diei, quæ noo valuit movere in septimo, valer in aliis diebus.

Ad replicam dictum est constare convenientiam concursûs diei per experientias plures an in quinto, & in tertio virtus detur, dicemus infrà jnxta doctrinam Galeni; interim dicimus virtutem quarti operati tertio aur quinto die ratione accessionis ad expulsionem excitaotis in morbis acutis, qui per ternarios moventur, quæ excitario in quarto deficit, & sic in ipso non fit crisis nî rarò, quia rarò morbus est in quarto accessinnem habens. Pro quinto argumento sit quæstio sequens.

QUÆSTIO II.

Utrum crisis, vel signum criticum pravum die critico deterius sit.

NON facile soluru videtur dies conedere criticos per virtutem juvantem, & commovenıem natoram ad crisim, & pravam crisim, seu ejus pravum signum deterius esse die critico factum quàm aliis diebus, primum à nobis resolutum est ex Hip. & Gal. secundum ferè communiter receptum est ex doctrina Hipp. & Gal. ramen etiam à rationibus est deductū : ergo apparet manifesta implicario : nam ubi virtus adjuvans est, minùs molesta drber esse alteratio mala, quàm ubi juvamrn deficit : sed in die critico juvamen conceditur, ergo crisis minùs mala debet esse in die critico, & mions malum erit in ipso signum pravum quàm alio die : cùm verò deterior crisis prava, aut pravum signum die critico appareat, quàm alio die, nullum juvamen nullamque virtutem esse concedendam in die crioco quàm in alio videtur necessnm ac per consequens dies critici non sunt admittendi.

Quòd crisis prava, seu pravum signom deterius sit die critico factum quàm aliis diebus, docet Hip *text.* 1. *prorrh.* sic ait, *Stillatio de naribus perniciosa, tum aliàs, tum si quarto cœperit die.* Gal. *in comment.* sic : *Cùm stillatio è naribus semper malum signum sit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die.* Universaliter verò de quolibet die judicatorio loquitur Gal. 1. *prorrh. p.* 3. *comment.* 56. nam super illa verba Hip. *Undecimo die sanguinis stillicidium instar fluores difficiles*, sic ait Gal. *Cùm autem omnes è naribus stillationes difficiles sint ; si verò tale quidpiam diebus quibusdam, vel indicatoriis, vel judicatoriis contingat, certius praostendisse licet.* Eandem doctrinam docet Hip. 2. *prog. text.* 34. ubi sic ait. *Ex suppurationibus quacumque pus effundunt valde lethales sunt, maximè si septimo die morbi incipiat separari suppuratio.* Gal. *in comment.* sic. *Id commune est cuiusvis per diem decretorium excretionis.* Et *prog.* 3. *comment.* 19. sic ait, *Materia si diebus transeat decretoriis in pulmonem, non solum bonum non est, sed etiam malum maximum, propterea qui ex diei fide firmiorem assumat pravitatem.* Ergo crisis mala, seu pravum signum die critico factum deterius est, quàm aliis diebus.

Ratione etiam probatur : nam crisis bona eò perfectior fit in die critico, & ejus indicatio melior est in sua quaternatio facta, quia juxta ordinem naturæ legem servat ; sed etiam pravum signum in sno quaternario factum, & crisis prava in suo die judicatorio etiam ordinem, & legem naturæ servant ; ergo sicut illa perfectior & securior est, etiam crisis prava dicto ordine facta deterior, & firmior debet esse quàm aliis diebus, io quibus tanta certitudo non significat. Quod docuit Gal. s. *prog. comm.* 54. per hæc verba : *Si enim sudor fiat septimo die, vel dejectio, vel sanguinis fluxio, meliorem si reddiderit agrum in. dictum bonum ; si deteriorem, malum est, & alterutrum firmius esse ostendi non quemadmodum si alio die existat.* Ergo ratione diei drterius est signum, & crisis mala.

Secundò probatur : nam fieri crisim die judicatorio fortitudinem significat, qoia juxta naturæ leges, & mutationes fixas fit ; sed mutationes fieri fixæ, ità ut firmitudinem arguant, sicut in bonum factæ meliores sunt, in malum factæ deteriores esse debent; ergo crisis die critico facta prava deterior est. Major est certa juxta Gal. min. probatur : ideò meliores sunt in bonum mutationes, quia arguunt caosam non facilè vincibilem, & mutabilem, sed etiam ad malum factæ idem arguuot ; ergo deteriores fiunt tales mutationes, ac per consequens crisis die critico facta, prava, & indicationes pravæ deteriores sunt.

Confirmatur hoc ; tunc deterior est prava crisia, cùm majus robur morbi significat ; sed majus significar in die critico quàm in alio ; ergo deterior est io ipso prava crisis, & signum pravum. Major est certa. Minor probatur : tunc significat majus morbi robur cùm plura vincenda sunt victa, quia significatur materia & virtus diei superata, quæ non existit in aliis diebus : ergo significatur majus morbi robur crisi pravâ die critico factâ, quàm aliis diebus, ac per consequens deterior erit in ipso prava crisis, seu pravum signum. Quod constabir magia si crisim seu signum malum esse dicamns, dum dies pro malitia ejus facit, sicur bonus pro bonitate ejus, quâ ratione crisis die septimo, melior est, quia diei bonitas ad id facit, & quæ die sexto deterior, quia diei malitia ad hoc conducit ; sed si die critico prava sir crisis, significatur prava virtus diei, quando bona debear esse ; ergo significatur majus malum, qoàm si die, in quo oulla virtos diei aufertur.

Mihi tamen videtur dicendum crisim pravam, seu pravum signum minùs tale esse, & minori molestia die critico, qoàm aliis diebus, ex Gal. 1. *de die. decret. cap.* 4. in quo expresè docet, crisim io septimo factam ferè semper bonam esse, & quando malam mitioribus accidentibus, è contrà verò, quæ in sexto fit, ferè semper mala est, & quando bona pravissimis accidentibus, ergo crisis, seu sigoum malum, in die judicatorio minus malum est, quàm aliis diebus : ad quod ostendendum sic air. *Mihi autem frequenter in mentem venis septimi diei naturam regi assimilare, sexti verò tyranno. Ille si quidem providet tanquam bonus aliquis Princeps iis, quos indicat, vel supplici partem adimit, vel illustrat victoriam ; sextum verò diem è contrario finxeris,* vel

vel pernicie illius, quem judicandum accepit gaudet, vel salute dolet, quartaque ubi animum expleat, & malè agrum, qui in ipsum incidit tractet. Docet ergo malam crisim in septimo minùs malam esse; bonam tamen in sexto minùs talem, malam verò deteriorem, septimum námque decretorium esse, non sextum expressum est in ipso.

Probatur ratione. Illa est melior crisis, quæ cum minori ægrotantium molestia fit, & tale debet judicari signum eam ostendens: sed quæ in die critico fiunt, cum minori molestiâ fiunt, ergo minùs mala erit in ipso crisis. Major est certa. Minor probatur: Illa crisis fiet cum minori molestia, quæ fit majori juvamine quàm quæ majori resistentia, & minori juvamine fit; propter quod evacuationes à medicamento materiâ existente crudâ, damnat Gal. 2. *aphor. comment.* 22. sed quæ die critico fiunt, fiunt juvante virtute diei, & naturâ, propter ipsum juvamen ad expellendum commotâ, quæ verò in aliis diebus fiunt, sine tali juvamine fiunt: ergo majori molestiâ fiunt in die non critico, quàm in critico, ac per consequens minùs talis est evacuatio prava die critico, quàm aliis diebus. Constat hoc; nam crisis bona, bonitate aliquâ caret, præcisè penes hoc quod fiat die non decretorio, ut docet Galen. 3. *de cris. c.* 3. ergo aliquam accepit bonitatem à die, ac per consequens crisis prava in die decretorio facta, aliquam participavit bonitatem à die, ratione cujus cum minori molestiâ fiet, quàm aliis diebus.

Secundò, evacuatio, seu crisis extra diem decretorium facta, fit ob irritationem, & molestiam naturæ, causæ malitiam ostendens, è contrà verò dum in die decretorio fit: sed deterior est crisis, in qua natura irritatur violenter; ergo crisis prava deterior erit in die non decretorio quàm in decretorio. Antecedens constat, quia dum natura ad expellendum movetur ante tempus requisitum, ob irritationem moveatur, ut docet Galen. 3. *de cris. cap.* 10. sic ait. *Determinati, ac ordinati sunt naturæ motus tùm valida fuerit, & materia dominatur, & suis propriis rebus operatur: indeterminati verò, atque inordinati, atque incogniti quando succumbit: causa verò hujus intempestivi assultus est morbi violentia irritatrix, quadam existens*: Ergo pariter magis natura, & ejus debilitas demonstratur dum ob irritationem ad crisim faciendam movetur quàm dum virtute diei, & ex propria natura ipsa ad nocivi expulsionem movetur, ac per consequens minùs mala erit crisis prava die critico quàm aliis.

Pro difficultatis solutione advertendum est, aliud esse crisim, & signum pravum in die critico factum, minus malum esse quàm alio die, aliud verò certius, mortem esse prædicendam signo pravo, aut prava crisi in die critico quàm aliis. Primum dicimus, & probatum habemus, cum quo non negamus secundum, imò probatur etiam, nam motus naturæ ordinati, & determinati sunt, ut docet Gal. *c.* 10. *cit.* sed motus naturæ ordinari, & determinati fiunt mutationibus factis in causis per dies criticos: ergo mutatio prava in die critico determinatam, & ordinatam, & fixam mortem significat, & ostendit, sicut mutatio bona salutem. Minor constat in ipso *c.* 10. & *in* 4. *ejusdem lib.* & pluries alibi, propter quod Hipp. 2. *aphor. text.* 24. ait. *Septenorum quartus est index.* Et 2. *aph. text.* 71. *Quibus crisis septima die futura est, quarta die in urina nubecula apparet rubra.* Ergo certiùs terminationem dignoscemus, sive bonam, sive malam signo apparente in die critico quàm in alio in quo ob irritationem operetur facultas non juxta ejus naturalem motum.

Totam nostram conclusionem ostendit Galenus ipsis *in loc.* pro contraria parte positis; nam *text.* 59. *prorrh.* super illa verba. *Undecimo sanguinis stillicidum difficilè*, ad ostendendum malitiam evacuationis prava signa adducit, & ad ostendendum certitudinem eventûs fieri in dia critico, sic ait. *Cùm omnibus ex naribus stillationibus difficiles sint, quoties crassa, & nigra fuerint, maximè perniciosas has reperies; si verò diebus quibusdam judicatoriys, vel indicatoriis contingat, certius praostendisse licet.* Ostendit ergo ex crassitie, & nigredine perniciosas dignosci evacuationes, ex eo tamen quod die critico fiant, certiùs dignosci. Et 2. *prog. text.* 34. super illa verba. *Suppurationis ruptio lethalis, maximè si septimo die incipiat*, sic ait, *Id commune est cujusvis per diem decretorium excretionis; decretorius enim ad judicationis firmitudinem conducit. Verum verò bonum, aut malum sit, alys cognoscitur signis.* Docet ergo expressè ex die firmitudinem seu certitudinem prognosticum deduci, malitiam verò, aut bonitatem ex alijs signis, ex hoc scilicet, quòd signis coctionis fiat, vel secùs.

Hoc fundamento supposito 4. *acut. text.* 63. sic scripsit Hippocrat. *Signorum autem multa fiunt in numero impari, potiùs quàm pari, utro tamen horum fiant perniciosè superveniunt.* Quasi diceret, multa accidunt in die judicatorio, at ex dictis quotiescunque appareant perniciosum; id est, mala signa semper mala sunt. Dicit tamen *text.* 68. meliora esse in diebus paribus, id est, in diebus judicatoriis, ut voluit Galen. *in comment.* quia minùs certam ostendunt malitiam. Propter quod 3. *progn. comment.* 19. ait Galen. *Si materia diebus transeat decretoriys in pulmonem, non solum bonum non est, sed malum maximum, propterea quod ex diei fide firmiorem assumat pravitatem*: Ergo mala sunt signa, & crises pravæ in die critico, quia certiorem mortem prænuntiant, non quia deteriora sint, & propter firmitudinem hanc absolutissimam malitiam habere, signum pravum in die critico, docuit *comment.* 1. *prorrh.* quo manet explanatum verum esse signa prava in die critico, ex Hippocr. & Galen. firmiora esse ad prædicendum, non tamen deteriora.

Ad primum argumentum respondetur, motum naturæ in die critico certitudinem eventûs ostendere, non malitiam, aut bonitatem.

Ad secundum respondetur, quod die critico fieri evacuationem criticam bonam, addit supra bonitatem certitudinem eventûs, & omni commoditate fieri, totum quod in crisi mala non reddit ipsam deteriorem; nam bonum est crisim pravam commodè, & sine molestia fieri, licèt firmam esse malitiam, pravum sit, non tamen ità pravum, ac est fieri deterrimis accidentibus, ut fieret die non judicatorio; & licèt in die non judicatorio firmitudinem non ostendat, non ità dubius relinquitur aventus, ut etiam mora non sit prædicenda; nam prava signa semper prava sunt, ut docuit *textu* 63. *citato* Hippocrates.

Ad confirmationem dicimus esse falsum majus morbi robur significari, dum crisis, seu signum pravum apparet die critico, nam non significatur victoria supra virtutem diei, potiùs diem prævalere constat, cùm juvamine ejus expulsio fiat, quæ forsan poterit utiliter fieri, ut pluries accidit, & in Telone visum fuit, quia diei virtus facit, ut sine molestia expulsio fiat, quod non invenitur extra diem criticum. Dictum enim est dies criticos ad perfectiùs & ad commodiùs fieri evacuationes conducere, sicut deffectus talis concursus ut non fiant, ità commodè facit.

QUÆSTIO III.

Quæ dierum diversitas in morbis sit attendenda.

QUÆSITI resolutio magis ex relatione pendet, quàm ex difficultatis alicujus solutione, historia nimirum rerum, quæ scripta sunt ab Hippocrate & Galeno deducenda est, non illatione; nam ut Galen. docuit 2. *de dieb. decret. cap.*2. non ratione, sed experientiâ dierum efficacia quærenda est, etsi ratione experientia sit examinanda: sic ait, *Ni quispiam experimento decretorios dies disquisiverit, vehementer errabit, & quidem in experientia ipsa judicium tale est, ratione verò quemadmodum judicari experientiam convenit, post enarrabo.* Docet ergo dies decretorios non aliter quàm experientia posse dignosci, ac per consequens dierum diversitas cùm in morbis invenitur, experientiâ est deducenda, non argumentorum solutione; ad quod cùm tot reperiantur experientiæ factæ apud Hippocrat. & Galenum, dierum diversitas solùm ex dictis deducenda est: fuit enim ab ipsis in hoc omnis adhibita cura, & idem ab utroque fuit expertum eorum; ergo doctrina statuenda est. Nos scribentes non possumus per experientiam tot deducere solutiones, ac ipse Hippoc. & Gal. deduxerunt; nec est credendum diversum posse deduci: sic ait Gal. *Si veritatis studiosus quis existat ad experientiam veniens, cùm octoginta vel mille agros conspexerit, hunc indubiè novi, non alia de diebus decretoriis pronunciaturum, quàm Hippocr. judicavit*; ergo ex ejus doctrina diversitas dierum in morbis est deducenda.

Dierum ergo diversitas ab Hippoc. & Galen. deducta, quos sequitur Avic. *fen* 2. *l*. 4. *tract*. 2. ex eo quod dies habent facere deducitur, aut ex eo quod fieri permittunt; quâ ratione debent alij dies dici omni rigore critici sive judicantes, alij verò indicantes, seu speculatorij, alij intercalares, seu intercidentes, alij tandem Medicinales, seu non critici, hi sunt, qui Medicum operari permittunt, alij tamen, non ità eâ efficaciâ, & intensione qua aliquid habent facere, operari impediunt. Sic scripsit Avic. *fen* 2. *lib*.4.*cap*.10. *Et oportet ut in die crisis, & qui ei proximus est, regatur æger regimine proprio, non ergo moveantur omnino cum Medicina.* Quod docuerat Hipp. 1. *aphor.text*. 10. sic. *Quæ judicantur, & judicata sunt, nec novare, nec movere, &c.* Dicuntur igitur omni rigore dies critici, illi in quibus crises, seu judicia ferè semper adveniunt; indicantes verò illi in quibus signa aliqua crisim demóstrantia futuram conspiciuntur, judicatéque valent: intercalares, qui licèt non ità efficaces sint ad crisim in ipsis faciendam, morbos judicare habent pluries; Medicinales verò, nec significant crisim, nec judicant morbos. De quibus ex professo Gal. 1. *de dieb. decret. cap*. 5. & 10. & Avic. *fen* 2. *lib*. 4. à *cap*. 3. *ad* 8. Circa determinationem dierum criticorum dictorum (inquam) advertendum est Hippoc. & Gal. per septimanos, & quaterniones ipsos dividisse, ità ut omnes septimos criticos, & judicantes appellent, quartos judicantes, medios verò intercalares alios, alios Medicinales, hac ratione Hippoc. 2.*aphr. text*.24. sic scripsit, *Septenorum quartus est index. Alterius septimana octavum principium. Est autem & undecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimana. Rursus verò, & decimusseptimus contemplabilis, ipse quidem quartus est à decimoquarto, septimus vero ab undecimo*: In quo docet per quartos & septimos dies indicantes, & judicantes inveniri, ut etiam voluit Gal. *in comm.* non tamen intelligendum est judicantes dies ità esse tales, ut judicantes non sint, & è contrà: docet enim Hippocr. decimumseptimum esse contemplabilem, quia quartus est à decimo quarto, & septimus ab undecimo. Docet ergo eundem diem indicantem, & judicantem esse, quod inveniemus manifestum magis 3. *prog. text*. 3. ubi numerans dies in quibus terminantur morbi, per quaternarios eos dividit. Sic ait; *Primus itaque febrium insultus in quarto finitur, alter in septimum diem producit; tertius in undecimum, quartus in decimumquartum, quintus in decimumseptimum, sextus in vigesimum*; numerat ergo dies ipsos judicantes, quos indicantes dixerat.

Cùm tamen experientiâ compertum fuisset ab Hippocr. alios dies præter quartos, & septimos pluries terminasse morbos, alij dies intercalares concessi sunt ab Autoribus, medij inter septimos & quartos quales sunt tertius, quintus, & nonus, de quibus Hippoc. 4. *aphor. text*. 36. sic scripsit. *Sudores febricitanti si inceperint boni tertio die, & quinto, & septimo, & nono.* Ergo præter dictos dies decretorios judicantes, & indicantes, alij dantur intercalares judicantes etiam, cùm dicat sudores in ipsis diebus factis in febribus bonos esse, non ità in aliis diebus. Quod repetit etiam Gal. 1. *de dieb. decret. cap*. 5. additque decimumtertium medium esse inter judicantes, & non judicantes, quia non ità efficax, ut illi, efficacior tamen reliquis est, & sic ut alius intercalaris ponendus est.

Si attendamus omnia quæ ab Hippoc. & Gal. scripta sunt, inveniemus etiam sextum & decimum, & octavum, & decimum octavum diem inter judicantes esse ponendos, non consideratione septimorum, nec quaternionum, quia nullam harum mutationem sequuntur, sed ut intercalares in quibus crises visæ sunt. De sexto egit ex professo 1. *de cris. c*.4. Gal. & *c*. 5. ipsum, & decimum octavum magis judicatorios quàm decimum tertium, appellat: quod fatentur omnes qui vigesimum primum magis decretorium, quàm vigesimum cognoscunt, quorum fuit Archigenes decimum & octavum aliquantulum naturam sexti sapere docuit Gal. in ipso *c*. 5. & sic rarò in eis crisim venire. Propter quod Hippoc. 1. *epid.* dies judicatorios adducens pro morbis motum habentibus per pares, aut impares dies, omnes dictos enumerat, etsi Gal. decimum esse auferendum

dum velit, docet *in comment.* totum quod intelligendum eſt, uſque ad vigeſimum diem ſeu vigeſimum primum, ut omnes voluerunt: nam à vigeſimo uſque ad centeſimum, ſeu vigeſimum ſupra centeſimum ea proportione eſſe procedendum docet hoc ordine, uſque ad quadrageſimum per quaternarios & ſeptenarios à quadrageſimo verò per vigeſimos, quia cùm criſis impetus langueat tempore, ità ut aſſerat Gal. 1. *de dieb. decr.cap.*10. potiùs coctione & abſceſſu, quàm excretione morbos terminari poſt quadrageſimum, ideò poſt ipſum non ità conſpiciuntur dies per quartos aut ſeptimos, quàm per vigeſimos; ratione cujus poſt quadrageſimum Hippocrat. enumerat ſexageſimum & octogeſimum uſque ad centeſimum vigeſimum; quæ numeratio jam menſium menſuram, ſeu numerum ſequitur, quæ etiam per quaternarios aut ſeptenarios fit, ſicut etiam per annos fieri voluit Gal. 3. *de dieb. decret. cap.* 7. & Avic. *f.*2. *lib.*4. *cap.*4.

Ex dictis patet omnes dies primæ ſeptimanæ judicantes, aut indicantes eſſe præter ſecundum: in ſecunda & tertia ſeptimana pluries privari tali ratione: nam primus ut Galenus 1.*de criſ.c.*16. & 3. *de criſ. cap.* 4. dum ſigna coctionis habet, terminationem oſtendit in primo quaternario, & hoc modo loquitur Hippoc. 3. *prog. text.* 2. dum inquit, *Mitiſſimæ febres, & quæ primo die ſignis ſecurriſſimis ſunt, quarto die finiuntur in ſalutem; in mortem verò maligniſſimæ, & cum ſignis graviſſimis.* Et cùm ea alia parte 1. *de dieb. decret. c.*5. Galen.tertium & quartum, quintum & ſextum, & ſeptimum, decretorios enumeret omnes dies optimæ ſeptimanæ præter ſecundum, indicantes, aut judicantes appellat, in ſecunda verò ſeptimana excluduntur octavus, decimus, & duodecimus, ſi Gal. attendamus *cap.* 5. *citato*, & 1. *epid. p.*3. *comment.* 14. juxta verſionem Ianij, etſi juxta verſionem aliorum octavus & decimus decretorij ſint, rarò tamen: in tertia quoque ſeptimana decimus quintus, decimus ſextus, & decimus nonus decretorij non ſunt, aut tariſſimè decimus quintus decernit juxta eandem doctrinam.

A vigeſimo die uſque ad quadrageſimum nullus datur dies intercalaris, id eſt, nullus datur dies in quo criſis, aut indicatio inveniatur præter illos qui per ſeptimanas, & quaterniones deducuntur, quia ſolùm in illis mutationes viſæ ſunt ſenſibiles, & ſic ſolùm facta diverſitate diei, tertiam terminantis ſeptimanam jam vigeſimum primum appellaſſe, nam *text. citato* 14. 1.*epid.* dies decretorios numerans pro morbo impari, vigeſimum primum addncit; juxta quam conſiderationem, ut voluit Archigenes, vigeſimus octavus plus eſt quàm vigeſimus ſeptimus decretorius; at ut vetiùs habetur, & ut pluries experientiâ confirmatur ab Hippoc.& Gal. ut conſtat 4. *aphor. text.*24. & 3.*prog. text.*4.& *in comment.* & 1. *de dieb. decret. c.*5. & 10. vigeſimus dies decretotius eſt magis quàm vigeſimus primus, tertiam ſeptimanam terminans,& ſic poſt ipſum numerandus vigeſimus quartus, & vigeſimus ſeptimus, & trigeſimus primus & trigeſimus quartus, & trigeſimus ſeptimus, & quadrageſimus: deindè verò conſiderabiles ſolùm ſunt qui additione trium ſeptimanarum reſultat ut ſexageſimus & octogeſimus uſque ad centum vigeſimum: totum quod docuit per modum epilogi Galen. 2. *de diebus decretorijs capite* 8. & Hippocrat. 1.*epid.*

Reſtat tamen ut ſolvamus aliqua, quæ videntur contrarium in Hipp. demonſtrare; nam in primis ſi quartus dies decretorius eſt,& adhuc in opinione Galeni motum lunæ ſequitur à qua virtus dierum judicantium provenit; quo modo 4. *aphor.* dum dies optimos pro ſudore adducit, alios nominat, qui motum lunæ non ſequuntur, & ex ſe, & propriè critici non ſunt, ſed intercalares, & quartum omittit.

Eodem fundamento etiamſi ſextus decretorius ſit,cum omittit dum alios intercalares comprehendit; 3. tamen *prog.* enumerans poſt vigeſimum dies criticos, primum ponit trigeſimum quartum,poſteà quadrageſimum, deindè ſexageſimum: ergo reliqui intermedij critici non ſunt: prætereà,quidquid ſit de cauſa dierum criticorum dies intercalaras ex communiori placito virtutem diei critici non habent, ſed ratione acceſſionis ſunt tales: ſed poſt decimum quartum ſunt dies acceſſiones habentes, & etiam ante ipſum, ſive morbi moveantur per pares, ſive non; ergo omnes alij debent dici decretorij intercalares, ac per conſequens plures alij enumerandi ſunt dies critici, quàm ab Hippocrate & Gal. enumerantur. Patet: nam acceſſionum inſtigatio propter quam 3. *acut. text.*5. fiunt criſes, non minùs poteſt eſſe in aliis diebus imò magis, quia quò motbus intendit in augmentum, acceſſiones majores debet habere, ergo in morbo terminaturo in vigeſimo poſt decimumquartum debent eſſe dies intercalares.

Pro quæſiti reſolutione advertendum eſt quòd licèt non alia reperiatur diverſitas præter dictam inter poſitos dies, Avic.*fen* 2. *lib.*4. *tract.*2.*cap.*3. talem poſuit differentiam ut eos differat per fortitudinem aut imbecillitatem quam in judicando habent. Sic ait, *Dierum criticorum alij ſunt fortes in ultimo, alij ſunt debiles valde, alij medij.* Fortes in ultimo appellat quartos & ſeptimos, ſcilicèt qui per quaterniones, & ſeptenos, tales ſunt ut ſi ſeptimo, & undecimo, & decimo-quarto, & decimo-ſeptimo, & vigeſimo, & quarto, qui ſex ſunt tres ſepteni trium ſeptimanarum, & tres quarti ipſarum indices, & ea ſe indicantes, ſcilicèt ex propria virtute tales, ideò de ipſis ſic ſcribit Avic. *cap.* 5. *Dies illi, quos diximus ſunt dies critici radicales:* Sed hi ſunt dies critici ob virtutem aliquam ipſis propriam, & conſequenter de intercalaribus agens *eodem cap.* 5. ſic ait. *Verùm quandoque accidit diebus criticus propter aliquam cauſarum evenientium extrinſecùs*, quod dies intercalares ſunt tales ob aliquod accidens eatenum magis quam ea diei virtute; in cujus contrapoſitione dies medicinales ſen debiles valde ſunt, quod nec virtute propria diei, nec ratione alicujus accidentis critici ſunt.

Totam hanc doctrinam adduxit Avic. *f.*2. *l.*4. *cap.*8. dicens, *Dies ſunt qui nec intentione prima, nec ſecunda critici ſunt*: Numerat tamen inter verè decretorios, qui per quaterniones & ſeptenos ſunt, tales inter medios quintus & tertius, nonus, ſextus, & decimus-tertius. Inter Medicinales, primus, ſecundus, decimus,duodecimus, decimus nonus, & decimus ſextus, & decimus-quintus. In nullo tamen capite dicm octavum adduxit, quia nulla ratione criticus eſt, ſextum verò ut malum intercalarem numerat. Totum quod juxta Galen. doctrinam ſcripſit 2. *de dieb. decret. cap.* 8. qui expreſsè ſeptimum primum

decretorium enumerat, sic ait, *Decretorius itaque fortissimus est dies septimus* : & *lib.* 1. *cap.* 4. sic, *Primum itaque omnium dierum decretoriorum septimum dicimus, non numero, & ordine primum, sed potentiâ & dignitate.* Postquam omnes qui per septimos aveniunt enumerat, & omnes qui per quartos usque ad vigesimum; dictum enim ast à vigesimo dies criticos virtute minui post septimum, etsi malè terminantem esse sextum, septimi tamen naturam habere decimum quartum, hos sequitur nonus & undecimus & vigesimus, post hos decimus septimus, & quintus, quos tertius & decimus-octavus sequuntur, omnes tamen dictos 13. ut videre est, *cap.* 5. *lib.* 1. *de dieb. decret.* quos Hip. comprehendit 1. *epid. p.* 3. *text.* 14. Omnium morborum dies criticos enumerans, dummodò sub vigesimo intelligamus vigesimum-primum, & ejus indicem.

Præterea advertendum est, quod intercalares dies dictos nullâ additâ diversitate præter positam in esse criticorum, alij sunt paras, alij impares quibus ratio criticorum dierum indicantium, judicantium, intercalarium, & medicinalium convenit juxta motum ipsius morbi, ut ipse Hip. docet 1. *epid. citato* ita ut dum morbi moventur per pares dies, judicantes per pares accidant, indicantes, intercalares, & medicinales, sic ait, Hip. *Morbi, qui moventur per impares, judicantur per pares, qui verò per impares moventur, per impares judicantur.* Et diebus enumeratis sic ait, *Si aliter indicatio extra hos praescriptos dies fiat, recidivas fore significant, & fuerit sanè perniciosa.* Docet ergo ità esse judicandos morbos per pares, qui per pares moventur quàm alij per impares, & consequenter quoties Hip. & Gal. dies impares superiores appellant, in aliorum contrapositione per impares intelligunt, illos qui judicatorij sunt, ut videre est 4. *acut. text.* 63. ubi sic ait Hip. *Signa hac diebus imparibus potiùs quàm paribus deprehenduntur, in omnibus tamen perniciosa* : Quasi diceret, signa hæc tam in diebus judicatoriis quàm aliis sunt, in omnibus tamẽ perniciosa. Quod explicat *infrà* sic, *Id verò salubriùs est si paribus eveniat diebus, quippè in decretoriis perniciosum est.* Hujus rationem deducemus ex eo quod communiter morbi acuti, quibus crises accidunt per impares moventur, & sic communiter impares dies decretorij sunt, non quia aliter esse non possint. Ideò 4. *aphor. text.* 61. inquit, *Febricitantem in diebus imparibus si febris reliquerit, solet recidivare* : Idest nî diebus judicatoriis, juxta id qood 3. *prog. text.* 24. ostendit, sic ait, *Quibus febres nec salutaribus notis apparentibus, nec in diebus decretoriis conquiescunt, hi reversionem timere debent.*

Respondetur ergo ad opposita, ad primum quod licèt quartus dies ea se decretorius sit, meritò eum omisit, quia cùm de morbis acutis ageret, & isti per impares moveantur, & per impares terminentur, non bene terminatentur in quarto, moventur enim morbi acuti per impares, ut dicemus, & qui per impares moventur, non bene terminantur per pares; morbi tamen qui in primo quaternario terminantur, acutissimi sunt, & sic non in quarto, sed ante ipsum terminantur, aut si longiores sunt, in quinto; ob quod rarò in quarto visa est crisis, quia rarò morbus, qui movetur per pares invenitur, de quo *infrà*.

Ad secundum Resp. sextum diem non numerari ab Hip. inter alios intercalares *aphor.* 36. quia agebat de bonis diebus, & bonis terminationibus; cùm verò in sexto, communiter non sit bona crisis, præcipuè in morbis acutis de quibus agebat, ideò sextum non adduxit.

Ad tertium dicimus 3. *prog.* post vigesimum enumerasse trigesimum-quartum, quia cùm jam de variatione per septenos, & quaternos egisset, à vigesimo incipit determinatione facta variatione per quatuordecim dies, cæteræ notæ erant, & illam tribus septimanis complet usque ad quadragesimum, postquam variatione facta per tres septimanas enumerat terminationes, ut omnes constent.

Quartum argumentum petit quæstionem de causis dierum criticorum, interim dicimus, quod cum eo passu, quo morbus prolongatur, crises cessent, seu virtus ad ipsas minuatur, ut 1. *de diebus decret. c.* 10. *& lib.* 2. *cap.* 8. docet Galenus. Hinc est quod non sit tanta dispositio, ut crises eveniant in tertia, & reliquis septimanis, ac in primis, & consequenter dies intercalares in primis septimanis esset, non in reliquis.

QUÆSTIO IV.

Vtrum sint numerandi dies integri ad Crisim.

Vtdquid sit de dierum criticorum causa, quæstio præsens examinanda venit, nam Hip. qui dierum criticorum causam non adduxit; sed solùm experientiâ eos investigavit 3. *prog. text.* 5. postquam dies criticos per quaterniones, & septimanas in vigesimo terminavit, valuti probans vigesimum, & non vigesimum primum esse decretorium, sic ait, *Hujusmodi computatio per dies integros nimirum fieri non potest, quippe quum neque annus, nec mensis integris numerantur diebus* : Quasi diceret menses, & anni non habeat integros dies, ergo nec septimanæ, & consequenter nec dies qui septimanas constituunt integri numerandi sunt ad crisis terminum adducendum, ità ot, & tres septimanæ constent viginti duobus diebus, cùm à quolibet die saltem unica tollenda sit hora, tertiæ septimanæ terminatus vigesimus erit dies, non vigesimus primus. Quam doctrinam recipit Gal. 3. *de die. decret. c.* 9. ad eundem intentum comprobandum, & consequenter dies integri non erunt attendendi, & sic vigesimus magis decretorius, est quàm vigesimus primus, ut experientiâ fuit comprobatum. Quod videtur docuisse Hip. 2. *aph. text.* 24. dicentem, *Septenorum quartus est index. Alterius septimana octavus principium. Rursùs & decimusseptimus contemplabilis, ipse quidem quartus est à decimo quarto, & septimus ab undecimo* : docet ergo secundam septimanam ab octavo incipere die, & tertiam à decimo-quarto, quod non esset si dies integri essent numerandi.

Non minùs constat dies integros non esse numerandos, si plurium Autorum Theologorum, nec non Astrologorum, & doctrinam Galeni adducamus quam proponunt, ad reddendam rationem dierum criticorum; docent enim ferè omnes Lunam moveri taliter ut dum ad dimidium cursûs pervenit, oppositionem aliquam habeat cum aspectu, in quo morbus fuit factus, & in ipso crisis adveniat, hoc est in decimo-quarto: dum

verò

verò ad quadraturam cursûs majorem oppositionem habeat, hoc est in septimo, & consequenter dum ad quadraturam post oppositionem advenit Luna, vigesimum constituunt, quatenùs Lunaris mensis, vel illuminationis intelligatur, vel peragrationis, vel medicinalis, non ex integris componitur diebus, & sic nec medietas, nec quadratura motûs, ac per consequens, cùm integri dies motus non sint, quibus Luna movetur, & per quos crisis causa deducitur, ut dicemus, nec integri dies numerandi sunt, id à quolibet aliquid auferendum est, ut sic vigesimus decretorius relinquatur, non vigesimus primus, ut cum experientia Hip. & Gal. voluerunt.

Veriùs tamen mihi videtur dies integros esse numerandos ad crisim, prout viginti-quatuor horis constat, ita ut septimus verè talis existat, & deinde decimus-quartus, quia secundæ septimanæ fuit octavus principiū, posteà verò vigesimus, non ità vigesimus primus, quia tertiæ septimanæ decimus quartus principium fuit, ut voluit Hip. 2. *aphor. text.* 24. cum quo consentit Gal. ex quo probatur 1. *de cris. c.* 16. ubi sic ait, *In primo quidem die (sic verò me ubique intelligas, totum ex die & nocte tempus in viginti quatuor horas partitam accipientem*) docet ergo dies integros esse accipiendos, cùm asserat tempus viginti-quatuor horarum esse considerandum, & agat de computatione ad crisim faciendam.

Probatur etiam ratione, nam licèt doctrina Gal. & Autorum vera sit circa motum Lunæ conducentem ad constituendos dies criticos, integri sunt numerandi; ergo sine fundamento dicitur oppositum. Antecedens patet: nam etiamsi dies motus Lunæ integri non sint, & consequenter dies motus oppositionis, seu medietatis, & dies quadraturæ integri ex hac partitione non resoltent, recta fiet computatio diebus integris numeratis; ergo integri numerandi sunt. Patet: nam quod ultimus dies ad conficiendum motum, non omnes ejus horas comprehendat, non tollit antecedentes ad ultimum integros esse, imò integri debent esse & enumerari; siquidem illis totis diebus, & horis ultimi diei totus motus perficitur, & medietas medietate dierum, & horis ultimi diei, & sic quadratura, ergo integri dies numerandi sunt, ac per consequens quamvis dies critici numerari debeant, per motum Lunæ, integri sunt accipiendi, ultimo secluso, præcipuè cùm per tam parvam horarum mutationem in qualibet die non tollatur dari influxum ad crisim in die illa quartum, aut septimum, aut vigesimum sextum constituente.

Hunc modum dicendi tenet Vallesius 1. *contr. c.*2. & tenentur deffendere Amatus, & Carta. & omnes qui Pythagoricum placitum sustinent citra dierum criticorum causas Lunam rejicientes, cur autē vigesimum plusquàm vigesimum primum decretorium appellemus ex nostra resolutione difficile manet, constabit tamen *quæstione sequenti*. Hip. verò non negat quamlibet diem integram debere sumi, & numerari, sed affirmant omnes integros non esse, quatenùs, nec menses, nec annos dies integri habent, quod ut constat in ultimo die est attendendum, reliquis integris manentibus, quod intelligendum est juxta tribuentes causam dierum criticorum motui alicujus astri, ut voluit Gal. & credendum est voluisse etiam aliquos tempore Hip. loqui, non quia ità esse affirmet, aut neget, sed quia ità significetur, attamen adhuc juxta dictum placitum dies integri numerandi sunt, ut numerantur etiam in anno, & mense, etsi ultimus non ita esset.

QVÆSTIO V.

De causa dierum criticorum.

Nil difficilius inter omnia, quæ huc usque scripta sunt invenitur, & si tot numero prædicta tangant difficultatem. Iam dum hæc ago præter affectum, & curationum essentias omnia pro viribus enodare, & commentari conatus sum, & feci jus Universitatis disputationem pro actibus ad Lauream Doctoratûs requisitis: inveni igitur plura difficilia examinata, & dubia, soluta tamen aut efficaciter, aut probabiliter saltem, dubium tamen præsens cognosco semper, etsi enodare ipsum tot, quot alia conentur, unum tamen cognosco, cognovique semper, quod ea, quæ parentes difficilia omiserunt, semper manent difficilia. Fugit solutionem dubij propositi Hip. solùm experientia doctrinam in medio protulit, quid mirum quod alij dubij solutionem fugiant, cùm experientia ad ipsum fieri fateatur pluries, præcipue 2. *de dieb. decret. c.*9. ità ut cùm rationem eventûs reddere vidimus, non tam ex se quàm amicorum suasu fuisse dicat, quasi non bene fecisset, ut constat etiam 3. *de die. decret. c.*1. in quo recognoscens assumpti difficultatem, quod ab ipso abstineant, commendat in omni conatu; ideo Avic. *fen* 2. *lib.* 4. *tractatu* 2. *c.*2. non solùm id fugit, verùm inquit Medicos non debere causam dierum criticorum adducere, sic ait, *Et Medico quidem non inest, nisi ut cognoscat quod egreditur, cum crisibus pluribus: & non pertinet ei, ut sciat quæ sit causa ejus, cùm declaratio illius causæ extrahat eum ad artem aliam, imò oportet, ut sit sermo de diebus crisis, sermo quem loquimur secundum semitam experientiæ, aut secundum viam positionis & axiomatum.* Quasi diceret per experientiam dies criticos deducendos, causas tamen eorum non ad Medicum pertinere: quid mirum ergo quod reliqui post ipsos Scriptores insolutam difficultatem relinquant, seu non bene solvant, quod idem est.

Galenus ergo, ut ab ejus autoritate incipiamus, 3. *lib. de die. decret.* scripsit, ut causam dierum criticorum reduceret non ex proprio conatu, sed instanti cum conatu, quasi significaret ipsum à tali determinatione ob difficultatem obtinuisse, nî amici ad id faciendum concitassent: sic ait *c.*10. *Nos siquidem hæc paucis planè iisque invito scripsisse affirmamus. Vos ô dij immortales novistis, hæc me amicorum quorundam precibus vehementer adactum scriptis mandasse.* Tota difficultas stat in assignanda causa cur alij dies decernāt, alij secùs, cur alij bene, & securè, & cum commoditate, seu sine molestia, etiamsi mortem, ut quartus & decimus quartus; alij verò, & molestè, etiamsi in salutem & sine securitate, ut sextus; & tandem cur alij magis, alij minùs judicantes inter verè tales: idest alij ferè semper judicantes, alij verò ità ut ex eadem doctrina, aut ex alia cum ipsa connexa etiam deducatur; cur tertia septimana, cum secunda conjungatur, non secunda cum prima, & secundus quaternio cum

secunda

secunda conjungatur; nî tertia cum secunda, etsi resultet vigesimus potius quàm vigesimus primus esset decretorius terminans tertiam septimanam juxta doctrinam per experientiam ab Hip. deductam, nam causa hæc solvens omnia, recta dierum criticorum causa debet dici.

Hanc difficultatem cognoscens Gal. & oppressus ab amicis, ut responsum præberet, nullam aliam rationẽ invenit præter concursum causæ cœlestis, & superioris simul cum dispositione subjecti, seu materiæ, dixitque, quod cùm dies critici alij sint aliis fortiores, & verè critici, alij verò non ità; sed intercalares, alij tamen nequiquam judicantes, illos judicat verè omninò, & primo loco decretorios, qui virtute Astri tales sunt, ut septimus & decimus quartus, & vigesimus, & eos judicantes quartus, quintus, undecimus, & decimus septimus: coincidentes, seu intercalares, qui non astri virtute, sed vehementiæ motus morbi tales sunt; id est illi in quibus crises fiunt ratione accessionis; fatetur enim *cap.* 28. ex doctrina Hip. 2. *epid.* ratione accessionis ad expellendum conaitare naturam, & sic dies illos in quibus crisis vi accessiones adveniunt criticos intercalares appellat, ut sunt tertius & quintus, & sextus & nonus, & decimus tertius, non tamen tales, ut qui astri juvantur virtute, cæteri autem, quibus nec astra juvant, nec accessio viget, decretorij non sunt; & cum ex cōmuni Astrologiæ consensu Luna in corporibus inferioribus sensibiliter validè influat, ità ut juxta ejus immutationem etiam, & terrena immutentur, pluviæ adveniant, & sterilitates, ossa vacua, aut medullæ plena appareant, & similia, hos effectus Luna causare valet in nobis, quatenùs immediatum Astrum magis pro nostris immutationibus facit juxta diversos motus.

Ut tandem vigesimum diem decretorium magis quàm vigesimũ primũ habeamus, & determinatos dies consequenter magis criticos, inquit Lunam considerari debere aut tantum motum quem facit, & tempus, quod consumitur ab una conjunctione in alteram, ratione cujus mensis conjunctionis constituitur, constituiturque mensis quilibet per Lunæ motum; aut consideretur tantum motus, quem fecit; & tempus quod consumitur ab uno puncto ad idem punctum, qui dicitur mensis peragrationis; aut tantum tempus quo illuminat inferiora, & dicitur mensis illuminationis; aut tantum quandam compositionem, quam ex his duobus mensibus facit, & dicitur mensis medicinalis, & asserit mensem conjunctionis non esse ad rem; siquidem cùm talia motus vigintiocvem diebus, & dimidio, aut triginta fiat, non rectè proportionatur, quod dimidium motum ejus constituat decimum quartum diem, & tres ejus partes vigesimum vel vigesimum primum, quod erat necessum, ut dies critici talem motum sequerentur relicto mense conjunctionis, mensis peragrationis esset, constituitur per motum Lunæ ab uno puncto ad idem punctum, quia motus conficitur juxta commonem Astrologorum doctrinam viginti septem diebus horis octo, & cum tempore quo hic motus fit Sol recedat à puncto in quo conjunctus erat cum Luna, ut iterum Luna cum Sole conjungatur eget duobus diebus, & quatuor horis cum quibus viginti novem dies, & dimidium integrantur mensem conjunctionis constituentem, qui mensis cùm divisus per septimanas, quatuor constituat, tertiam septimanam compleri viginti diebus, & duodecim horis, ratione cujus non magis vigesimus quàm vigesimus primus decretorius resultet, etiam rejicitur à Gal. vult ad motum Lunæ sequi dies decretorios, taliter ut vigesimus, non vigesimus primus, decretorius sit juxta doctrinam expertam ab Hipp. ob quam etiam rationem mensem illuminationis rejicit Gal. etiam quia ille viginti sex diebus & duodecim horis constat quatenùs per tres dies ferè adjuncti Luna nondum illuminat hæc inferiora, & sic nec crisis illum motum potest sequi, & consequenter tribus his diebus ablatis à mense conjunctionis mensis illuminationis viginti sex diebus constabit, & horis duodecim, cujus tres partes nondum complent vigesimum diem.

Rejectis igitur his duobus mensibus ut suum consequatur intentum, mensem quendam finxit medicinalem dictum compositum ex mense peragrationis, & illuminationis, ità ut ex viginti septem & octo horis, & ex viginti sex, & duodecim horis resultant, quinquaginta & tres dies, & viginti boræ, cujus medietas est vigesimus dies, & duodecim boræ, quibus vult constitui mensem medicinalem, cujus tres partes viginti diebus & horis quatuor constat, & duæ partes tredecim diebus & undecim horis, & quarta pars diebus sex & septem decim horis, & dimidia, per quas septimus dies resultat, & decretorius per septemdecim horas & dimidiam, decimus quartus per undecim horas, & vigesimus dies per integrum, ità ut in vigesimo primo, solùm relinquantur quatuor boræ: cùm ergo constet Lunam hæc inferiora immutare, & effectus criticos fixos esse, causam fixam esse quærendam, judicavit necessum Gal. hanc esse Lunam, quatenùs fixè id habet facere; & cùm hoc inveniat manifesta causa cur primi decretorij septimus, decimus quartus, & vigesimus, & non vigesimus primus, cur judicantes quartus, & decimus septimus, & cùm decimus quatenùs diversis aspectibus Luna diversum valet facere, dum aspectu sextili à puncto in quo morbus incipit Luna est, constituitur quartus dies dum quadraturam habet septimi, & sic deinceps, ità ut dies judicantes, & indicantes per Lunæ motus constituantur coincidentes, non ità supposità materiæ dispositione, coctione scilicet, quatenùs non habeat pro expulsione facere in materia disposita, ideò alij pro aliis morbis decretorij sunt coincidentes etiam materiam dispositam requirunt, aliàs potiùs irritationem facerent, ut symptomata.

Astrologorum sententia parum à Gal. placito recedit: nam solùm quatenùs mensem finxit medicinalem separat, quatenùs ipsi mensi peragrationis tribuunt, quod Gal. mensi medicinali vidistis tribuere, quare ipsum rejicit Gal. asserunt tamen Astrologi cùm motus Lunæ ab uno puncto ad idem punctum fit per omnia duodecim signa Zodiaci, & juxta diversum signum diversimodè Luna influat, quia quodlibet diversas habet qualitates taliter fieri motum, ut tempore duorum dierum, & sex borarum percurrat quodlibet signum, & sic in aspectu sextili est in quarto die, in septimo verò in quadratura, hoc est in quarta signorum parte, quæ oppositas omninò habet qualitates in decimo quarto in oppositione & medietate non in oppositione absolvi qualitatum, quia per unam tantum est oppositio, est tamen

est tamen in majori oppositione possibili, cùm ab illo accedit ad punctum à quo recessit, quod ipsum constituatur per finem sexti signi, deinde in vigesimo cum duodecim horis in qua natura post oppositionem est Luna, ut tandem vigesimo septimo die cum horis octo ad idem punctum perveniat Luna cùm incepit moveri, & mensem peragrationis compleat, & consequenter diem septimum, & duodecimum, & vigesimum, & vigesimum primum, criticos numerant Astrologi, quatenùs ultimus tertiæ septimanæ medietatem habet in vigesimo, & medietatem in vigesimo primo: ex quo etiam resultat septimanas aliquas coincidere, aliàs secùs, aliósque dies decretorios esse, alios minimè, necnon dies esse indicantes per aspectum sextili.

Recentior alius postquam sententiam Gal. & Astrologorum impugnat, alium finxit diem, patum, aut nil à dictis diversum; asserit enim dies criticos ex dispositione materiæ pendere, fierique natura expulsionem operante, Lunâ juvante tanquam causa universali ipsam per proprium motum peragrationis tantum aspectum quadraturæ ad punctum cœli venire naturæ auxiliatrix, deinde moveri donec ad medietatem cœli ad punctum etiam auxilians perveniat, ità ut per omnes quadraturas oppositiones, & octavas ad punctum faciens deveniat ut natura roboretur, & expulsio fiat, maretiâ existente dispositâ, ratione cujus concludit, quòd cùm omnes Lunæ aspectus auxiliantes sint, solùm inspicere debemus materiæ dispositionem, ut juxta ipsam de malitia, aut bonitate crisis, & eventus judicemus, non tamen in qualibet die esset in quadraturis, & oppositione & in medietatibus quadraturæ cujuslibet, quia in illis, & non in aliis aspectus benevolus cognoscitur respectu dispositionis materiæ, respectu cujus operatur, & determinatur causa æquivoca ad operandum, quæ lis est Luna, hoc ordine, ut celeritas, aut tarditas crisis non tam ex aspectu, quàm ex proportione facultatis ad materiam adveniat celeritas, si facultas valeat, & humor facilis motus, tarditas, si è contrà, & sic fortiores erunt crises in primo septenario, quia pendent ab humore tenuiori, & calidiori, & fortiori facultate, & eadem ratione & proportione quâ repetentiæ accidunt pares, aut impares, etiam & crises per pares, aut secùs fiunt, perfectiùs tamen per quartos, aut septimos fieri, à Luna pendere modo dicto.

Tota hæc doctrina, nec secundum peculiare quod habet, nec secundum particulare dubio satisfacit; nam in primis medicinalis Gal. factus est, & ad intentum nullum, agimus enim de influxu physico reali, ratione cujus Lona facit hunc diem & non alterum verè & physicè decretorium; sed quia fit ex nihilo, non potest influere reale, & physicum: ergo talis mensis nihil facit ad dubii solutionem. Patet: nam talis mensis non influit prout Luna movetur motu peragrationis & ad hoc, aut illud punctum pervenit; non prout movetur motu illuminationis, ut ipse Gal. vult, sed aliter non movetur, nec diversimodè se habet in ordine ad partes cœli: ergo aliter non influit. Minor probatur: nam mensis medicinalis nullum alium motum dicit præter dictos, nec conjunctio utriusque motûs aliquid facit, nam influxus realis septimo die factus, aut est quatenùs Luna in tali loco est & illuminat; & hoc non, quia per illuminationem, & punctum per quod movetur noluit Gal. fieri, sed alia considera-tione non est, quia non est alius motus physicus & realis, ergo mensis medicinalis non reddit causam dierum criticorum.

Secundò, quia mensis non constat diebus in quibus illuminatio non est, aut in quibus Luna non apparet: sed in his diebus etiam morbus est, & crisis pluries: ergo sine concursu Lunæ. Quod argumentum etiam probat adversus illos, qui motum illuminationis sequuntur, ut insinuavit Avic. *f.* 5. *lib.* 4. *c.* & *tract.* 5. ad quod respondet Vega 3. *prog. comment.* 1. non interesse mensem illuminationis semper esse præsentem, quæ solutio non comprehenditur, cùm ex utroque mediam componat, nisi dicat sequi mensem peragrationis, tum quia semper est verum Lunam moveri ab uno puncto ad idem punctum; quod si verum, etiam fatetur juxta mensem peragrationis dies criticos evenire, quod negat.

Tertiò: quia sequeretur ex Gal. doctrina decimum tertium diem magis decretorium esse quàm decimum quartum: si quidem medietas, per quam secunda septimana constituitur tredecim diebus & undecim horis fit, ubi plus habet decimus dies, quàm decimus quartus, propter quod vigesimum magis judicatorium quàm vigesimum primum appellavit ipse Gal. Nec satisfacit Vega dicens etiam, Gal. concedere decimum tertium judicantem; nam ut constat 3. *de dieb. decret. cap.* 5. minus judicatorium esse docet quàm judicantes, & coincidentes; sed si vera esset ejus doctrina, mensis medicinalis magis judicatorius esset, quàm decimus quartus: ergo talis doctrina non est sustinenda: Tandem ex Gal. sexagesimus non esset decretorius, sed sexagesimus primus; siquidem novem septimanæ sexaginta diebus & tredecim horis, & dimidia completur, ergo sexagesimus primus esset decretorius, cujus contrarium refert ipse, & Hipp. propter hæc, & alia plura quæ dicemus vim habere contra Gal. opinionem Astrologorum recipiunt plures, qui mensem peragrationis Lunæ dies criticos causare volunt, ut sunt Ugosc. 2. *aph. comment.* 24. Planerium 3. *de dieb. decret.* & Vall. 10. *controv.* at non minùs hoc placitum difficile est, siquidem finxit tali dispositione Astra esse, ut necessariò à quolibet puncto in quo incipit morbus ad oppositum signum Luna perveniat in octava parte totius peragrationis, & in quadratura, & in oppositione seu medietate: totum quod non constat illa esse, quamvis verum sit quod impugnat, rectè & ex professo Carthag. *lib* 2. *tract.* 4. *de sig. dier. crit. c.* 3. *in fine*, potiùs apparet resultare aspectum in prædictis positionibus symbolo signo pro morbo facienti, sicut & alios contrarios. Argumentor tamen in forma: si existente Lunâ in principio unius signi, advenit morbus, & ad principium quarti signi, stat oppositio contra morbum in septima die, quia tria signa percurrit Luna sex diebus, & novemdecim horis, sequitur, non minus esse octavum decretorium quàm septimũ, quia toto die sequenti etiam in tali signo est, & etiamsi existente lunâ in fine primi signi morbus advenit, & ad finẽ quarti septimus constituatur, sextus cãdem oppositionẽ habebit contra morbũ, & æqualiter erit cum septimo judicatorius, quod est contra Gal. ergo talis doctrina non est neganda: Nec valet dicere nil interesse contra Gal. quia certum est Gal. motum peragrationis rejecisse: contra tamen est, quod dicit nil intersit esse contra Gal. id quod experientiæ non convenit, accipiendum non est, sed experientiâ constat crisim in septima

commodè, securè, & sine molestia fieri, non ità in sexto: ergo doctrina ex qua sextus, & septimus æqualis virtutis sunt, non est recipienda. Quod argumentum etiam fieri potest de aliis diebus judicantibus; resultarent enim plures dies judicantes contra Hippocr. & experientiam.

Ferè easdem difficultates patitur modus dicendi Recentioris, cùm non sit fundamentum utrum constet Lunam in puncto quadraturæ, & oppositionis habet influere in auxilium naturæ præter ejus liberum arbitrium, proloquium; inquam; militant ramen contra hunc modum dicendi plura ex positis, & ponendis. Primò quia si motum Lunæ sequuntur dies etirici juxta partes quas Luna tangit, sequitur motum peragrationis ipsius Lunæ, & consequenter militant contra hoc placitum, ea quæ contra motum peragrationis sunt, scilicet dies alios resultare criticos præter assignatos ab experientia, quatenùs viginti diebus, & duodecim horis tres septimanas constituentibus aliis tribus additis septimanis, dies quadragesimus primus resultat decretorius, non quadragesimus, quod est contra Gal. præterea: nam vel Luna in qualibet parte cœli est in auxilium naturæ, & contra morbum, aut solùm in quadraturis & oppositione: si primum, ergo omnes dies sunt judicantes, & optimi; si alterum, talis debet esse determinata positio, & consequenter si Luna stante in dimidia cursûs quadraturæ morbus adveniat, erit in quadratura ante diem septimum, & sic dies decretorij non oriretur à motu Lunæ.

Nec valet dicere, quadraturam esse considerandam respectu proprij morbi, ubicunque Luna inveniatur; hoc non valet; nam hoc quod est dicere in qualibet parte cœli Lunam in auxilium naturæ influere, cùm in diversis locis ipsâ existente diem criticum causare affirment, quòd est concedere omnibus diebus eandem virtutem. Præterquam quod si negat hic Author ratione qualitatum signorum dictum auxilium, aut contrarietatem, cur hoc quod negat concedit partibus cœli in quibus Luna in quadraturis, & oppositione existit; quod minùs receptum est, præcipuè cùm pro arbitrio dicat Lunam auxiliari naturæ dum in hac parte cœli est dies suæ quadraturæ, & in parte ipsa dum suæ quadraturæ non est dies respectu alterius morbi non auxiliari, cujus non est fundamentum, cùm Luna idem influat physicè ex se in una, & eadem parte, & eodem tempore. Nec valet dicere eundem influxum respectu diversæ dispositionis subjecti auxiliari, aut non auxiliari, & sic die septimo morbi auxiliari, & altera minimè; non valet, nam difficultas est de influxu cœli dies criticos facientes, hunc dicimus eundem esse: ergo ex se æqualiter constituit dies criticos in altera die, nt in septimo per accidens tali die esse materiam, vel secus, ac per consequens, non magis criticus constituitur septimus quàm alij dies.

Præterea contra omnes modos dictos argumentor: Primò: nam influxus hic auxiliaris, aut est per qualitates manifestas, aut occultas: si primum, cùm Luna in una parte cœli in eodem tempore unum locum habeat facere, hoc est unas solas qualitates producere, calorem aut frigus, dum morbus per similes qualitates, illis quas valet Luna producere fuerit, factus potiùs nocebit quàm auxiliabitur, non ergo dies septimus bonus decretorius erit, etiamsi forsan coctâ materiâ existat: si secundum, ergo in qualibet idem producetur, & ex parte cœli æqualis erit virtus in omnibus dicbus, ac per consequens solùm erit bona dies coctâ materiâ, & ex contià.

Secundò, quia si influxus quadraturæ diem septimum constituens bonum decretorium, ipsam facit, est quia producit aliquid auxilians; hoc autem est contrarium influxui producto in die principij morbi, aut simile, aut ab hoc abstrahit; simile non potest, quia potiùs augebitur morbus: si autem contrarium sit, aut ab utroque abstrahens; sequitur quod quando Luna recedit ad idem punctum quod facit pro morbo, dies decretorius non sit, quia in illo puncto non producit aliquid connexum cum illo quod naturæ auxiliabatur in aliis diebus, hoc est contra Hip. & Gal. & experientiam, diem vigesimum septimum criticum constituentes, sicut & reliquos, ut constat 1. *epid.* & 4. *aph.* & quoties de ipsis agunt Autores, ergo talis modus dicendi non est sustinendus.

Confirmatur; nam sequeretur virtutem dierum criticorum non esse minùs efficacem post vigesimum quàm ante siquidem Luna per easdem partes movetur cœli in secundo circulo quàm in primo, ergo si per motum in primo circulo in suis quadraturis, & oppositionem virtutem dedit efficaciter auxiliantem, per se dum circulum idem debet facere, ac per consequens ex se æqualiter faciat omnes dies criticos efficaces; & non implicat eandem dispositionem materiæ esse in trigesimo quarto, quæ in vigesimo potuit esse, quod est contra Gal. *1. de dieb. decret. c.* 10. & *lib.* 2. *c.* 8. expressè docentem à vigesimo dies criticos fieri efficaces.

Tertiò: tota difficultas dierum criticorum stat in assignanda ratione ipsorum, ità ut ex se assequatur illos dies esse criticos, qui per experientiam tales fuerunt cogniti ab Hip. & Gal. eo modo, ac ab illis fuerunt cogniti: sed ex doctrina dicta à Gal. Astrologis, & aliis, non est ratio talis, ut experientiæ conveniat, ergo talis doctrina non est tenenda. Major est certa. Minor probatur: nam unum ex receptis per experientiam est, diem septimum, taliter esse decretorium, ut efficaciter, clementissimè, & ferè semper in bonum decernat; diem verò sextum omninò contrarium: sed ex nullo modorum talis eventûs ratio deducitur; ergo nullus modus ex dictis sufficienter solvit difficultatem. Major docet Gal. 1. *de dieb. decret. c.* 4. & 11. sequens Hip. 1. *epid. p.* 1. *text.* 57. in quo ex eo quod morbus moveretur per pares, & prava haberet in quarto signo, mortem in sexto dixit, & in ipso esse prædicenda docet Gal. *c.* 11. *citato*, etsi non moveatur per pares si morbus est celeris motûs, qualis debet esse qui tam brevem habet terminationem: Minor probatur: nam ex [illegible] Lunæ per quadraturas, & oppositiones auxiliante, & ex eo quòd crisis die accessionis adveniat, non redditur ratio cur deterior expectanda sit crisis in sexto quàm in septimo, etiamsi ad salutem terminentur, cùm in sexto etiam accessiones fieri possint, ut sit dum morbus movetur per pares, de influxu Lunæ, dictum est; ergo doctrina posita non solvit dubium.

Cùm ità difficilem solutionem prævideret Pythagoras, causam dierum criticorum ad numeri perfectionem reduxit: asserit enim numerorum imparem perfectiorem esse ex propria natura, ratione cujus talibus diebus potiùs, & principaliùs fiunt crises, præcipuè in septimo, quia septenarius numerus omnium perfectissimus est: totum quod seorsim fiet manifestum; nam in prima

nis de perfectione numeri imparis convenit Mazo, dum dixit, *Numero Deus impare gaudet*, & ad rem Hippocr. 4. *aent. text.* 63. sic scripsit. *Horum signorum plura diebus imparibus magis quam paribus deprehenduntur*, agebat de critteis, & consequenter 4. *aphor. text.*61. ait *Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare*. Quod etiam scripsit 1. *epid. p.* 5. nil mirum ergo quod propter numeri perfectionem crises adveniant diebus imparibus, ità ut perfectiores fiant, & in bonum magis in illis diebus quàm in aliis. Quod verò per septenarios hoc accidat, ex ipsa numeri perfectione procedit: siquidem propter hoc in septimo quievisse Deum dicitur, & talis naturæ est, ut Hipp. *text.*24. de septimis in partu sic ait, *Dies maximè insignis in plurimis, primi, & septimi existunt, multum quidem potentes in morbis,& embrionibus*; asseritque consequenter septimo die conceptionem fieri: & alibi sic scripsit, *Vita hominis septem dierum est*, quid mirum ergo quod ob numeri perfectionem crises in diebus imparibus adveniant, & maximè per septenarios quatenùs septimi sunt perfectiores.

Alij tamen quorum fuit Amatus, & Carthagena, non ad numeri perfectionem hoc reducunt, sed ad assonantiam, & dissonantiam ipsorum numerorum inter se, ità ut dies ille cujus dissonantiam cum primo dicit, numerus ipse, ad crisim aptus sit, quatenùs propter dissonantiam excitabat ad pugnam, per quam crisis resultabat, ratione cujus die sequenti in somno salus resultabat, dicebátque numeros dissonantes secundum, & quartum, & septimum & duodecimum, & decimum sextum, & decimum octavum. Ad primum reliquos consonantes usque ad vigesimum, eo modo, ac in Musica voces, & chordæ eadem proportione dissonæ, aliæ verò consonantes seu uniformes censentur, si & numerus ipse talis est, ut crisis in diebus fiant dissonantes ad primum, in aliis secùs, aut non ità. Cujus eventûs rationem quærere stultum judicant hîc Autores, sed solùm experientiâ id esse consequendum fatentur, quatenùs, talibus diebus crisim fieri compertum est.

Hi etiam modi dicendi non minùs inutiles sunt quàm præcedentes, imò magis; quia præter quam quod non solvunt difficultatem; rationem quam reddere conantur non adducunt, & sic à tali assensu excusarè debebant: est enim difficultas unde adveniat crisis talibus fieri & non aliis, assequunturque propter perfectionem numeri & dissonantiam, unde hoc non tangunt, ergo nec tangunt vere crises talibus diebus nam impugno hunc modum dicendi authoritate Galen. 2. *de dier. decret. capit.* 5. & *libr.* 3. *cap.*8. quia eùm nec ejus placitum admittant, nec ejus authoritas est admittenda. Argumentor tamen sic, in quarto die, & diebus aliis paribus crises eveniunt, ergo non ob numeri perfectionem, aliàs quando in die impari advenit bona, non ob perfectionem numeri evenire est dicendum. Præterea quia neque tales modi dicendi respondent cur in vigesimo potiùs quàm in vigesimo primo, crisis adveniat, potiùs contra experientiam vigesimum primum præstantiorem ad crisim ostendunt, cùm ipse impar, & dissonus juxta utrumque placitum; & quod magis, non solvitur cur in sexto deteriores adveniant crises quàm in reliquis diebus, quod si propter paritatem,par etiam quartus & decimus, & eodem modo etiam assonantes plures;ergo tales modi dicendi sustineri non possunt.

Rejectis igitur aliis dicendi modis, aut quia nullum circa causam dierum criticorum sequuntur, aut quia aliud ità difficile affirmant, quorum fuit Miran. & pluresalij, ut Fracastorius qui ex professo libellum constituit *de causa dierum criticorum*, illámque reduxit in humorem melancholicum ad quod supponit ferè semper humore uno putrido, reliquos putrefieri, præcipuè melancholicum, & consequenter affirmat febrem omninò simplicem non dari ex uno humore pendentem, docétque humores hos plures reduci ad unam formam, seu ad unam dispositionem, ità ut uno motu moveantur; quâ ratione febres nothas concedimus quotidie, & hoc modo affirmat idem esse, ac si à simplici humore penderet, & tunc dies critici non sunt determinandi aliqui, nî illi qui ratione accessionis fiunt tales, quatenùs materia existente coctâ, & accessione instanti natura ad expellendum movetur, & fit crisis, de quibus non intelligit, ea quæ de diebus decretoriis loquuntur Autores.

Affirmat deindè quod si humores omnes non reducuntur ad unam formam, seu ad unam dispositionem, ità ut uno motu moveantur, sed diverso, ut ferè semper contingit de humore melancholico, quia minùs aptus ut reliqua permisceatur, cùm crisis fiat quando natura vi accessionis molestatur magis, ille dies erit criticus, in quo plures conjunguntur accessiones, quia tunc molestatur magis natura, & consequenter cùm continuè repetitiones morbi conjungantur, & copulentur diebus in quibus melancholicus est circuitus, causam constituentem dies criticos in melancholiam reduxit: quâ ratione incipiente morbo per ternarios cum in quarto, repetat melancholiæ portio parva, insensibilis fit circuitus ejus, aut parum immutans, qui ulteriùs ad septimum transit in eum accessione per ternarios conjunguntur, & dies criticus constituitur ipse, & sic de reliquis; fatetur tamen parvam, & subtilissimam esse portionem melancholiæ, quæ ad morbum terminandum quarto aut septimo movetur, ut facilè etiam corrigatur, & putrescat, majorem verò ad morbum terminandum deinceps, quia quotidie alteratur magis humor melancholicus.

Cùm motus humoris melancholici talis, & complicatio talis non constituat dies criticos undecimum & decimum-quartum, & decimum-septimum, & vigesimum,& plures alios quos Autores per experientiam cognoverunt,quia motus per quartos proprius melancholiæ dictis diebus non correspondet, affirmat dies criticos ab Autoribus assignatos nó concedi omnes in quolibet morbo, sed alios pro aliquibus morbis, & alios pro aliis juxta diē in quo primò putrescit melancholia, ità ut in illis morbis in quibus primò melancholia putrescit, quartus erit judicatorius pro morbo pari,& septimus pro impari,quia in illis complicantur accessiones propriæ morbi cujuslibet cum melancholia in illis: tamen quod secundo die primò putrescit melancholia, quintus erit pro morbo impari, & octavus pro pari; in illis ta-

men tertio die melancholie primò putrescit, sextus erit pro pari, & nonus pro impari, & sic de aliis; itè ut juxta diversitatem puttedinis melancholiæ, diversis diebus complicentur melencholiæ circuitus cum circuitibus propriis humorum, & sic resultent dies critici diversi pro diversis morbis: pares pro morbo pari, & impares pro impari, juxta cujuslibet morbi motum accessiones propriæ adveniunt, & in suis diebus debet fieri complicatio: ergo fiunt crises juxte motum morbi ed melancholiæ motum.

Hanc melancholiæ necessariam permixtionem dicit hic Autor constare ex eo quod plures accessiones inspiciantur præter mensem, & motum proprium morbi, quod non aliter evenire est credendum, nì ob dictam complicationem, & ex eo quod per quartos dies indicantes constituantur juxta mentem Hippocrat. & Galen. dicentium *Septenorum quartus est index.* Ergo dicendum est melancholiæ circuitus per complicationem cum circuitibus morbi instigare naturam, ut illo die potiùs quàm altero ad expellendum moveatur, & crisis fiat, ità ut dies criticus à melancholie constituatur diversus pro diversis morbis juxta diversitatem motûs ipsius morbi, & putredinis melancholiæ, contre mentem Autorum, & experientiam.

Hunc modum dicendi impugnat Planerius, *de dieb. decret.* agens, primò ex eo quod neget febres simplices dari; siquidem, ut docet Galen. *cap.* 2. *de differentys feb.* simplices & compositas febres agnoscit; ergo sunt concedendæ febres exquisitæ ex simplici humore putrido.

Secundò quia non apparet necessum uno humore putrido, melancholiam putrefieri, præcipuè cùm constet adhuc unius humoris corruptione, totam massam non corrumpi, excitabitur ergo magis humor ab illo diversis.

Tertiò quia negare crisim, & criticos dies in simplici febre est contra Hippoc. 4. *aphor. text.* 59. sic dicentem, *Tertiana exquisita septem circuitibus terminatur.* Ad quod facit quod rationi magis cosonum apparet, commodiùs, & fortiùs se habere naturam contra morbum ab unico humore pendentem quèm è pluribus, cæteris paribus; ergo meliùs movebitur ad expellendum, & crisim faciet, ac per consequens in morbo simplici, crises etiam in diebus determinatis sunt concedendæ.

Quartò quia ex hec doctrine sequitur melancholiam faciliùs putrefieri reliquis humoribus, aut ità facilè, ut afferat ferè semper peccare humore alio peccante: sed hoc est alienum valdè à natura melancholiæ, quæ frigida, & sicca est; ergo non est concedendum; frigida enim & sicca magis putredini opponitur, quàm reliqui, novit quisque ex Philosopho 4. *meteor. cap.* 1. & ex Galen. 8. *meth. cap.* 8. de corporibus ad febrem paratis: ergo non corrumpitur ità citò melancholia, ac reliqui humores, & consequenter, nec ità citò coquitur: nam quod propter naturalem dispositionem resistit magis alterationi, tam coctioni, quàm putredini erit oppositum; ergo non coquetur ità citò, ac reliqui humores, ac per consequens, non erit causa ut crisis fiat.

Propter hæc quæ à Planerio objiciuntur non erat rejicienda sententia Fracastorij: nam ad primum dicendum simplices dici febres, etiamsi ferè semper alij humores corrumpantur, quia non est necessum, & quia solùm indicatione unius humoris fit earum curatio, quando accessiones seu accidentia non sunt manifesta, aut sensibiliter compositionem & complicationem alterius humoris ostendentia.

Ad secundum dicimus quòd licèt non sit necessum uno humore corrupto alterum putrefieri, ità ferè semper contingit: quod si non accidat, dies critici non erunt extre illos quia per accessiones resultant tales.

Ad tertium respondetur non negari crises in febre simplici, negat tamen Fracastorius dies criticos ordine ab Autoribus assignetos, quia tunc solùm erunt tales, illi in quibus accessiones fiunt materiè coctâ.

Ad quartum respondetur humorem melancholicum non putrefieri ita facilè, ac alij humores putrescunt, etsi prima die putrescat, quia humor febres causans putrescit ve celoris alicujus externi & dispositionis materiæ, melancholia verò ab alio humore putrido, est tam efficacior ad agendum, quod putridum est, approximatum quam fuit ceusa putrefactionis non putrida: præterquam quod ad causam morbi putrescendam fuit celor violentus cum dispositione materiæ ad humores melancholicos, facit ipse calor, & humor putridus: quid mirum ergo, ità citò putrescat melancholia, ac alij humores, cùm agens fortius sit pro melancholia quàm pro humore morbum principaliter faciente.

Quoad correctionem dicimus non esse necessum coqui portionem facientem melancholicum circuitum, sicut in opinione non coquitur portio faciens accessionem die crisis; coctio námque requiritur in tota & communi masse in qua materia morbi, seu in cineritio ejus, non in portione accessiones particulares faciente, cùm hæc resolvatur in accessione ipse, aliàs non ità breviter cessaret, cùm non possit, ità breviter coqui humor ille; nec in principio morborum cessarent accessiones, cùm nulla in eo coctio adsit, ideò particularis dicitur crisis accessio quælibet, quia natura ad espellendum movetur, ut Galen. 6. *epid. part.* 2. *comment.* 23. sic ait. *Indicationem verò, aliqui eam intellexerunt in qua repentina quadam, atque insignis mutatio fit, aliqui simpliciter accessionem significare voluerunt:* Ergo expellitur, & solvitur porrio ecceßionem particularem faciens, & siccius cineritium relinquatur in foco donec nature per crisim ad expulsionem per accessionem excitata coctum expellat, & simul illud, quod motum est, & accessionem faciebat; nam cùm causa principalis illius morbi, une sit, illius requiritur correctio, illius verò quod veluti causabiliter conjungitur, & morbum per se non facit, propter quod complicate quartana non dicitur, sed simplex febris, nil existit putridum præter quod accessionem particulerem facit, nec ad putredinem dispositum, & sic non est illius necessaria coctio dum morbus complicatus est verè suos circuitus habens, cum proprio foco pro quolibet humore cujuslibet coctio requiritur ad diversam crisim, aut unus cessabit, altero manente morbo; ut Galen. 2. *de diff. febri. cap.* 7. dicens cessasse tertianam per crisim quotidianâ manente, quod non est necessum quando complicatio non tam sequitur vitiosum humorem, & focum determinatum, quàm alterationem venientem ab humore putrido permixto.

His positis constat opinionem Fracastorij probabilitatem

babilitatem habere, & quantum ego assequor, plura continet vera, etsi in omnibus non constet: in primis crises fieri ratione accessionis, itâ verum judico, ut solùm hoc dies criticos facere infrà ostendere conabor, non tamen explicuit ipse quomodo hoc verum habeat, cùm doctrinam in aliquo verum hoc habere ostendam, & manifestum faciam circuitus per quartos, quia die undecimo adducuntur ab Autoribus usque ad quadragesimum, non tamen necessarium judico, nec modo à Fracastorio adducto esset accipiendum,& sic aliter quæstio est solvenda: Primò quia non est unde constet talis complicationis necessitas, nec autoritas alicujus magni viri hoc docuit, dicitur ergo gratis.

Secundò,quia si satis melancholicus circuitus concederetur, deberent repetiri duæ accessiones sensibiles pluries, præcipuè die crisis, aliam à morbo, aliam à melancholia, hoc nullus est expertus; ergo non est dicendum talem complicationem requiri. Si dicas insensibilem esse; contrà est, quia si crisis fit ex eo quod molestetur natura à duplici accessione, sensibilis debet esse; nam ab eo quod insensibile est nequit molestari, nec potest dici occultari cum accessione propria morbi; nam cùm quælibet diversa sit, & à diverso humore, necessum est ut quælibet sua tempora & accidentia præstet distincta, quod non experitur.

Tertiò: quia cùm hac doctrina debet salvari sextum diem deterrimum, decretorium esse septimum, sed non salvatur; ergo non est sustinenda. Minor probatur: nam rationi consonum est melancholiam secundo aut tertio die corrumpi quàm primo,quia id quod resistit magis secùdum rationem tardiùs debet putrefieri: sed ex tali proportione non magis complicatur circuitus melancholicus sexto quàm septimo, ergo non erit deterior judicans sextus quam septimus,quod est contra experientiam.

Quartò,quia sequeretur omnia remedia, quæ exercentur in morbo acuto cum periculo exerceri; siquidem periculosum est quartanos circuitus habentes non tractari leviter in principio, ut docet Gal. 1. *ad Glauc.* sed constat sine periculo operari, ergo non est complicatio circuitùs melancholici.

Quintò argumentor sic: experientiam quam adduxit Galen. 3. *de crisibus cap.* 4. ubi docet quòd æger judicandus septimo, si nullus accidat error, septimo judicabitur; at verò si error accidat, in noveno crisis fiet, sic ait. *Si aliquis error, non magnus tamen, circa ægrotantem factus fuerit, sperandam esse crisim in septimo venturam, quòd si non multùm velociter moveatur, aliquis verò error circa hominem fiat, ad nonum diem crisis transfertur.* Hoc quidem docet de ægroto judicando undecimo aut decimo quarto. Et 3. *de dieb. decret. cap.* 8. ait de die nono. *Rariùs quidem septimi, sæpè undecimi crisim assumit. Est enim peculiare septimo diei crisis non ad nonum, modò pauci errores commissi sint, unquam pervenerit.* Docet ergo ratione erroris in morbo in quo crisis futura erat in septimo, resultare in nonum; sed dies critici si fierent per complicationem circuitus melancholici, non poterat itâ fieri, quia in nulla proportione quando ad septimum fecit circuitus, complicatio ad nonum poterat transferre; ergo non fiunt dies critici propter circuitus melancholicos; nec valet si dicas tum crisim in nono non fieri propter humorem melancholicum, sed vi accessionis, ut docet Galen. contrà est, quia si vi accessionis fit, frustrà ponitur complicatus circuitus melancholiæ, cujus complicatio non est necessaria, cùm sine illa fiat ordine expetto, ut dicemus.

Quæstionis resolutio.

Itâ difficilis visa fuit solutio præsens, ut delirium potiùs quàm actio docta judicetur à Doctore Cartagena id attingere, & ut suam resolutionem adducat, sic ait *lib.* 3. *cap.* 18. *Omnibus post delirandi licentia conceditur, quid mirum quod mihi concedatur*; Habet ergo pro delirio quæsitum solvere, eadem tamen licentiâ utens, mihi videtur idem esse in resolutionibus Physico-Medicis ad astra currere,ac causam eventûs ignotare; siquidem,illius quod tangimus manifestam causam quam non cognoscimus ipsi tribuentes, prout nostra fuit indigentia, illo fundari, quod universalis sit causa plura virtute continens, forsan quia nos itâ volumus, non quia reverà itâ sit, non est nostrum in præsenti disquirere, sufficit scire non posse non facere ignorantiam, tribuentes id causæ cujus nullum est indicium: fateor inferiora à superioribus Astris immutari, nego tamen quod constet criticas immutationes ab Astro pendere; siquidem diversitas, quæ in crisibus invenitur in Astro, in luna scilicet, non apparet fundamentum; non nego posse Astrologum concursum juvare, aut nocere, pro immutatione aliqua in corpore sano, aut ægro faciendas;juvabit námque cum qualitatibus subjecto similibus, lædet tamen cùm contrariis corpus immutat, nego verò tot mutationes in astris inveniri, ac pro crisi requiruntur, illas quæ proportione dicta esse, & crises ab eis pendere.

Ad rem tamen mihi videtur dicendum crises diebus evenire, in quibus fiunt accessiones tali proportione, ut quando materia cocta est facultate valente crisis adveniat, naturâ ad expulsionem per accessionem irritatâ, itâ ut dies criticus pro tali morbo, ille sit, in quo immediata accessio advenit, materiâ existente coctâ, nullo alio concurrente, & consequenter omnes dies in quibus accessiones adveniunt, dummodò tempus pro coctione præcedat, critici sunt, quia in quolibet illorum coctio est possibilis, & instigatio pro crisi invenitur, alij secùs. Hanc judico esse mentem Hippocr. siquidem 1. *epid. part.* 3. *text.* 13. solùm ratione accessionis dies determinat criticos, & enumerat, irà ut crises, quæ aliis diebus fiunt, infidas, & periculosas appellet; ergo Hippocr. per accessiones constituit dies criticos, sic ait, *Quæ verò paribus diebus exacerbantur, paribus indicantur*, & consequenter numerat dies criticos pro quolibet morbo: sic ait: *Circuituum autem qui diebus paribus judicant primus est decretorius quartus, sextus, decimus, decimus-quartus, vigesimus-octavus, trigesimus,quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus, centesimusvigesimus: Circuituum verò qui diebus imparibus judicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimusseptimus, vigesimusprimus, vigesimusseptimus,& trigesimusprimus.* Post quorum numeratione immediatè ait: *At verò nos expedit scire quod si aliter judicatio fiat extra præscriptos dies,recidivas*

facere significat, & fuerit sanè perniciosè. Ergo ex mente Hipp. solùm ratione accessionis dies criticos evenire est dicendum, ità ut ipsi fiot decretorij in quolibet morbo, & ille determinatur in quolibet, in quo materia cocta jam est, & accessio fit.

Hanc eandem doctrinam noo renuit concedere Galenus, etsi aliam rationem dierum criticorum adducat: nam 3. *de crif. cap.* 4. etsi diem quartum judicatorium appellet, per motum Lunæ ratione accessionis fieri docet, ut tertio, aut quinto die adveniat crisis in morbis acutis, non in quarto, ità ut si in ipsis morbis in quarto crisis adveniat, ratione accessionis tertio dici & convenire dicat: sic ait. *Continua autem, quæ in accessionibus crisim habent, tertio die, seu quinto rationabiliter finiuntur. Nam si quandoque etiam quarto die judicantur, ratione ejus accessiones, quæ tertio die fit, id patiuntur*: ergo accessionea sunt, quæ dies criticos constituunt, non Luna, cùm ipsa potiùs per retrogradum influat in quartum, & io ipso adhuc die ratione accessionis tertio die crisim evenire dicat in acutis morbis (de Synochis dicemus infrà.) Quod specialis dies criticus pro quolibet morbo determinetur ex coctione, & accessiooe docet io ipso *cap. infrà*, in quo solùm propter diversitatem apparendi coctionis signa determinare diem criticum scripsit, sic ait. *Nam si magnitudo seu velocitas morbi motus in eisdem diebus intendatur ac coctionis signis offatu digna accessio facta fuerit, hujusmodi ægrotus die undecimo crisim patietur: sicuti si contra se habuerit, in decimo quarto.* Docet Galen. accessiones cum sigois coctionis diem criticum determinare.

Ulteriùs *cap.* 10. *ejusdem lib.* ut fecerat *cap.* 4. motûs celeritate diem crisis determinat, ità ut quando crisis indicata fuit in quarto ratione celeritatis motûs in sexto aut septimo esse futura cognosceretur: docet etiam celeritatem ex accessionibus ipsis dignosci: sic dixit *cap.* 4. *Contingit enim in tertio seu in quinto die fieri crisim: In tertio quidem si morbus sit magnus, ac motum velocem habeat: In quinto autem, si nec valde magnus sit, nec velociter moveatur. Oportet enim crisim in idem tempus concurrere cum accessione.* Et *cap.* 10. sic. *Age enim in quarto die visa sit primùm nubecula in urinis nigra, vel suspensio nigra, vel tale aliquid hujusmodi, sint verò & omninò alia signa & accidentia perniciosa: morietur quidem omninò hic ægrotus. Sed, si in imparibus quidem accessio facta fuerit, septimo die crisis accidet: si verò in diebus paribus, in sexto. Certiorem verò tibi expectationem faciet morbi motus: si enim acutè moveatur, crisim accelerantem consignificat, hoc est, in sexta venturam: si verò tardè, ad septimam differetur.* Et quod magis est 3. *de dieb. decret. cap.*8. agens de crisibus evenientibus tertio, & septimo, & quinto, & aliis diebus coincidentibus, seu intercalaribus, quos ab una non pendere dixit, expressè docet ratione accessionis ad pugnam moventis evenire. Sic ait: *Unum jam ex illis, quæ naturam stimulant, & veluti provocant, accessio est: unde acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim & accessiones sunt.* Docet ergo crises perfectas quales sunt quæ dictis diebus eveniunt, vi accessionis proveoire; quam doctrinam sequitur Avic. & Medici commuoiter.

Ex dictis sic formo argumentum. Talis est accessionis vis ad crisim faciendam, ut quamvis concedatur virtus Lunæ io quarto, in ipso crisis non fiat, nî ità ratò, ut cum visa fuerit ab Archigene, & semel tantùm à Galen. ut refertur *c.*4. *lib.*3. & sæpè accidat in tertio aut quinto, quamvis in his Luna non influat ratione accessionis, tali proportione, ut quando apparet in quarto ratio accessionis tertij sit; ergo majus stat fundamentum ut dicamus dies criticos ab accessione constitui ipsos, quàm determinari ab accessione & coctione, quàm à motu Lunæ, aut alicujus alterius astri. Quod coofirmat doctrina etiam, quam adducit de diebus intercalaribus: concedit enim ipsos judicantes nullatenùs virtute Lunæ concurrente, sed ratione accessionis, ità ut plures ex coincidentibus fortiores judicantes & efficaciores apellet quàm alios, in quibus virtus Lunæ conceditur: ergo non à Luna judicantes dicuntur, sed ab accessione. Patet: nam 1. *de diebus decret. cap.* 5. post septimum, & decimum quartum, & sextum, sic ait. *Proximi his sunt nonus, undecimus, & vigesimus. Prope hos verò septimus decimus, & quintus, post hos quartus, hunc sequuntur tertius, & decimusoctavus.* Ergo judicantes magis docet esse sextum & nonum, quamvis tales à Luna non sint, quàm undecimum & vigesimum sunt à Luna, & sic non à Luna tales sunt concedendi.

Secundò argumentor sic ratione quâ utitur Gal. ad probandum non virtute propria diei, id est, non à numero dierum crisim fieri, vel criticum diem resultare, quia si à Lunæ motu dies criticos fieret, esset talis quàm qui virtutem Lunæ participat, sed sic est quod alij tales sunt præter participantes virtute Lunæ; ergo non à Luna dies critici resultant. Patet: oam id quod à Looæ virtute peoderet, semper fieret ab ea; sed non ità fit, ut constat ex doctrina posita & de diebus intercalaribus; ergo non fit virtute Lunæ: at ex alia parte constat semper crises io accessionibus fieri: ergo per accessiones dies constituuntur critici, ac per consequens, illi critici erunt, in quibus adveniunt accessiones determinati talea in quibus accessio & coctio coincidit.

Hujus conclusionis veritas constabit si ex ipsa aperta faciamus omnia, quæ diximus debere solvi ex solutione dierum criticorum. Primum est, cur vigesimus dies potiùs magis criticus dicatur quàm vigesimus primus, si accessiones dies criticos constituunt magis uno die quàm altero, accessio advenite possit.

Secundum est, cur sextus dies malus decretorius dicatur, si ratione accessioois talis constituitur, septimus verò bonus, cùm non magis unus quàm alter accessionem habeat, & consequenter cur rariùs quarto quàm tertio & quinto fiat crisis, cùm non apparet accessiones rariùs per pares, quàm per impares evenire.

Tertium est, cur fortiùs judicet septimus quàm alij dies, cùm seclusâ virtute superadditâ, non valeat plusquàm alij.

Quartum est, cur per septeoos, & quaterniones crises, & indicationes fiaot, nam ratione accessionis dies constuerentur critici, tales motionea sine fundamento essent, & sic nec per annos, oeque per meoses.

Quintum est, sequeretur omnes dies impares esse decretorios, in morbo impari, & omnes pares in morbo pari, cùm in omnibus talibus diebus accessiones sint, cujus contrarium docent Gal. Avic.

Avic. & Hipp. cum experientia, & consequenter decimus tertius, decimusoonus, & decimus quintus, & plures alij essent decretorij pro morbo impari sicut & octavus, & decimus, & duodecimus, & pluries alij pro morbo pari, & sic oon per vigesiioos à die quadragesimo essee procedendum, sed per pares, aot impares. Tandem videtur nostram solutionem non esse juxta mentem Hippoc. nam ipse ut constat 3. *prog. & lib. de crif.* docet dies integeos non esse numerandos, sed dies non nnmerari integros pendet à motu lunæ, cùm compleatur ejus motos à diebus non integris, ergo Hippocr. per motum lunæ voluit dies criticos esse constituendos; nam si per accessiones eos constitueret, integri deberent numerari dies, & potiùs vigesimus primus quàm vigesimus decretorius deberet dici.

Satisfaciamus omnibus ptopositis dubiis completè, nec dubitari causam potest dierum criticorum adæquatè adduxisse, cùm nulla alia esse possit quàm quæ eorum experiuntor rationem reddit; dicemus tamen pro omnibus. Ad primum respondetur in opinione Hippocr. ità dectetorium esse vigesimum ac vigesimum-primum, quod constat; nam diversis in locis jam unum, jsm alretum adducit, & adhuc in eodem loco tantùm diversitas versionis ponitur vigesimus dies & vigesimus primus, nam 3. *prog. text.* 3. sic ait Hipp. *Primus itaque insultus sic definitur secundus verò ad septimum deducitur, tertius ad undecimum, quartus ad quartum decimum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum:* ubi vigesimum decretorium nominat: at 4. *aph.* 36. sic ait, *Sudores febricitanti si fiant tertio die & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & decimo-quarto, & vigesimo-primo, & trigesimo primo, hi sudores morbos judicant, qui vero non sic fiunt, dolores significant.* Docet ergo *in eodem lib.* jam vigesimum, jam vigesimum primum, decretorium esse, idem fecit 1. *epid. part.* 3. *text.* 14. in quo, & vigesimum, & vigesimum primum decretoeios posuit pro diversis morbis, & quod magis, 4. *aphor. text.* 36. *& lib. de diebus judicato, in fine*, ubi Isnus, & alij posuerunt 21. judicatorium pro sudoribns bonis, Laurentins & alij posuerunt 20. Galen. verò eandem doctrinam recipit, etsi decretoriom magis judicer 20. quàm 21. ut constat 3. *de dieb. decret. cap.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 3. in quo adhuc juxta mentem Hippocr. vigesimum magis judicatorium collige, quia ipse decimum septimum magis judicatorium quàm decimum-octavum nominavit, cùm plures in ipso judicatos perfectè adducat 1. *epid. part.* 2. *text.* 82. & 83. & decimus septimus judicèt sicut vigesimus, & decimus octavus sicut vigesimus primus.

Ratio tamen propter quam magis judicatorius vigesimus, & in ipso plures quàm in vigesimo primo judicentur, ut experientiâ compertū est, ex duplici capite pendet, ut voluit Gal. & quia morbi ad 20. venientes jam diututni sunt, & morbi diuturni moventur per pares, & quia septimanæ non constant integris diebus, & sic tres septimanæ viginti complentur diebos, quarum rationom oltimam non esse ad nos, quia dies esse integros, aut secùs pendet à motu lunæ; nos verò motum lunæ ad hoc concurtere negamus. Alteram impugnat Planerius 3. *de diebus decret. cap.* 6. sic, dies magis decretorius vigesimus est, quia experientiâ constat pluries crises in eo fieri; sed morbi acuti terminantur magis crisi, raò tamen diuturni: ergo ex eo quod morbi diuturni moveantur per pares, non erunt plueies crises in vigesimo, sed potiùs in vigesimo primo, cùm morbi acuti qui per impares moventur, magis crisi terminantur: ideò Gal. 3. *de crif. cap.* 3. dicens cur oon adduxit terminationes morborum diuturnorum, sic ait, *Sed nondum de diuturnis morbis dicere proposuimus; nam repentinæ mutationes acutorum sunt:* Quasi diceter non ago de terminationibus morbi diuturni, quia subitæ mutationes quales sunt crises, solùm acutis conveniunt; ergo ex eo quod vigesimus morbis conveniat diuturnis potiùs, minùs decernere debebat.

Secundò argumentatur à Planetio: si vigesimus est terminus morbi diuturni, sequitur breviùs terminari morbum longum quàm breve, quod est absurdum: nam asserit in vigesimo diuturnum, in vigesimo primo acutum terminari.

Tertiò poterat objici; quia ex eo quod morbus diuturnus moveatur per pares, & vigesimo terminetur, non sequitur plures crises in eo fieri, quia si terminus acutorum est vigesimus primus, ità poteroot dari crises in vigesimo primo ex morbo moto per impares, sicut in vigesimo ex morbo moto per pares. Ergo non inde probatur magis decreroriurn vigesimum.

Nobis tamen videtur non posse negari vigesimum magis decretorium esse quàm vigesimum primum, ot experientiâ est compertum; non quod efficaciùs decernat, nec in meliùs, non docuit experientia, ità enim efficaciter, & bene fit crisis in vigesimo primo quàm in vigesimo, propter quod utrumque diem decretorium concedimus cum Hippoc. quod ostendit falsum esse à motu lunæ peodere, ut voluit Gal. cùm motus unum, aut alterum efficaciorem faceret: dicimus tamen magis decrerorium vigesimum, quia in ipso plures crises quàm in alio adveniunt; tum quia morbi qui moventur per pares io ipso terminantur, tum quia morbi acuti qui per impares moventur ab undecimo die per quartos incipit moveri, ità ut ab illo primus decretorius sit decimus quartus, rarissimè nàmque decimus tertius indicat, secundò decimus-septimus, tertiò vigesimus. Cur ab undecimo die jam incipiat moveri per quartos morbus acutus, qui per impares movebatur, est quia acutus quatuordecim diebus terminatur, ut dicemus, & ab hoc termino jam naturam diuturni comparat, saltem in modo motûs, ac per consequens in die vigesimo cùm fiant crises, quæ adveniunt in morbis qui moventur per pares, & in pluribus illorum qui per impares movebantur, hinc est quod plures crises in vigesimo sint quàm in vigesimo primo.

Quod ab undecimo incipiat morbus, qui movetur pec impares, moveri per quaternarios probatur, & ex Hippocr. 3. *prog. & lib. de indi.* & expresè post undecimum ponente decimum quartum, & posteà decimum sepeimum, & posteà vigesimum. Et quamvis in his locis videatur loqui de terminationibus advenieotibus mutatione facta per quartos; non solùm post undecimum, sed ante ipsum *lib.* 1. *epid.* & 2. *aphor. & in ipso de judic.* post ondecimum non adducit alios dies judicantes nisi per quartos, ante undecimum verò plures adducit, tertium scilicet, quartum & quintum, & sextum, & septimum, & nonum; ergo ab undecimo morbi qui per impares movebantur incipiunt moveri per quartos, non verò anteà. Quod idem colligitur ex Gal. eandem doctrinam

ctrinam de dieb. decret. addoceote, præcipuè 3. *de illis cap.* 5. agente de diebus usque ad vigesimum & *cap.*10. *de ipsis* usque ad quartum judicantibus: Quod etiam repetit *lib.* 2. *cap.* 8. ergo solùm per quartos ab undecimo moventur morbi, etiamsi anteà per tertios moveretentur. Hanc eandem doctrinam docet Avic. eosdem dies decretorios recipiens *fen* 2. *lib.* 4. *tract.* 2. clariùs tamen *cap.* 3. agens de proportione, & efficacia dierum criticorum inter se, sic ait, *Et dies undecimus non est in virtute quartidecimi, verùmtamen in ægritudinibus in quibus paroxysmi earum incipiunt in imparibus, ut tertiana, est fortis valde, & fortior quartodecimo.* Et in eodem *cap. infra,* sic, *Et scias quòd ægritudines, quæ paroxysmum faciunt in imparibus, sicut tertiana, & plures acutæ sunt velocioris crisis, & earum crisis fit in imparibus; quapropter expectatur in tertiana undecimus & non expectatur decimus quartus nisi parũ.* Quasi diceret undecimum esse verum, & proprium terminum eorum qui moventur per tertios, non decimus quartus, ut inde constet in vigesimo fieri crises illorum qui moventur ex propria natura per pares, & crises illorum acutorum qui post undecimum habent per quartos moveri, & consequenter plures crises in eo quàm in vigesimo primo: juxta quam doctrinam Carthagena de hoc agens circuitus per tertios usque, undecimum dicit habere solùm, ad vigesimum per quaternarios, ad quadragesimum per septenos.

Dices primò: vel circuitus per quartos est per pares, vel per impares: si per pares, debet terminari morbus per pares, si per impares, debet terminari per impares juxta Hippoc. sed isti morbi, qui moventur per quartos ab undecimo neque moventur per pares nec impares absolutè: ergo nullo modo terminarentur. Patet: nam moventur per decimum quartum, & decimum septimum, & vigesimum, & vigesimum quartum, & vigesimum septimum, & trigesimum & trigesimum quartum, & trigesimum septimum. Qui dies pares & impares sunt, ut ex ipso Hipp. constat; ergo morbus qui unico motu movetur, per omnes dies terminatur.

Dices secundò: in vigesimo primo nullum morbum terminari, non par, quia vigesimus habet terminari, non impar quia ab ondecimo movetur per quartos, & terminatur vigesimo: ergo nullus terminatur in vigesimo primo.

Respondetur ad primum moveri per impares, morbum incipientem per impares, etsi posteà per quaternarios moveatur, quia motus ille cùm dies pares, & impares comprehendat, sub motu ex propria natura morbi debet computari, & consequenter per impares terminabitur magis, quàm per pares, juxta Avic. doctrinam *cap.* 3. *citato*, dicentis fortiorem esse undecimum diem decimo quarto die in morbis qui exacerbantur per impares, etsi tales morbi in decimo septimo magis quàm in vigesimo terminabuntur. Quâ ratione Hippoc. 1. *epid. part.* 2. *text.* 24. quem sequitur Gal. 2. *de dieb. decret. cap.* 3. diem decimum septimũ ex firmiter & efficaciter judicantibus appellat, cum quo non est negandum etiam in aliis diebus paribus per qoos movetur, terminari aliquando. Nam Hippoc. solùm docet morbos judicari per dies per quos moventur, & sic morbi patea terminantur per pares, & morbi impares per impares, morbi qui per impares, & pares moventur, per omnes terminari debent, etsi fortiùs per propriores.

Ad secundum dicimus adhuc plures morbos esse, qui per tertios moventur solùm, & etiam in suis decretoriis sic judicantur, ut tertianæ plures continuæ, quod noo tollit in morbis acutis alterum accidere.

Non minùs difficilem solutionem habet secundum quæsitum quàm primum: dicimus tamen verum esse in sexto deteriores crises quàm in septimo & aliis diebus evenire, & rariùs in quarto, etsi verum sit accessiones omnibus diebus fieri posse: Ratio tamen hujus est, quia cùm crises propriæ sint communes magis acutorum morborum, ut docuit Gal. 3. *de cris. cap.* 3. sic. *Repentinæ mutationes acutorum sunt*, & morbi acuti à bile dependent, ut Hippoc. *de diebus judic.* & Gal. 3. *prog. comment.* 34. frequentiores sont crises, & propriæ magis in morbis à bile pendentibus, qui cum per tertios habeant moveri ex propria natura per tertios crises ipsis eveniunt, ut Galen. 4. *aphor. comment.* 36. & 3. *de diebus decret. cap.* 8. sic ait. *Unde acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim & accessiones sunt.* Et cùm ex alia parte Hippoc. demonstret crisim alio die factam periculosam esse, duo necessariò sequuntur; aliud est communiter crises in diebus imparibus securiores esse, & minùs molestas, propter quod Hippôc. 4. *aphor. text.* 62. recidivam prædicit quando febris diebus imparibus non terminatur, non quia ità oecessum sit, sed quia ità ferè semper cootingit ob morborum acutorum materiam, & sic in sexto parum secura est crisis communiter, & in quarto rarò fit, secùs in aliis diebus, etsi aliquando in sexto securissima adveniat crisis, & in quarto etiam, ut quando morbus sanguineus est, seu per pares movetur, ut Hippoc. 3. *epid. part.* 3. *ægrota* 12. de Larissa sexto die optimè judicata.

Hanc veritatem docuit Gal. 3. *de cris. cap.* 4. reddens rationem cur rarò in quarto crisis adveniat per hæc verba, *Nam causa est, ut crisis sæpiùs ex quarto ad tertium & ad quintum terminans mutetur. Nam morbus qui tam subitò crisim habet, omnino peracutus est. In omnibus autem morbis peracutis necessarium est febres, seu synochos esse, vel cõtinuas quidem, sed quæ per tertiam exarcerbantur, synochi quidem rarò eveniunt, & ubi nullus sit error, in quarto finiuntur per crisim, naturâ propriis circuitibus ad crisim perveniente. Rarò etiam est, ut nullus sit error. Continuæ autem febres, quæ in accessionibus crisim habent tertio die, vel quinto rationabiliter finiuntur.* Quasi diceret, synochi rarò sunt qui crisim habent in quarto juxta sui circuitus oaturam qui per pares est, & sic rarò in quarto est crisis, cootinuæ tamen, quæ per impares moventur, communes sunt magis, & sic crises in diebus imparibus magis accidunt; & cùm crises aliàs extra dies accessionis periculosas judicet Hippoc. sexto die periculosa est communiter, non ità io septimo. Quod idem intelligendum de alio die pari in morbis qui moventur per impares. Propter quod sic scripsit Galen. 1. *de dieb. decret. cap.* 5. *Si aliquando in octavum diem, seu decimum, subita morbi solutio accidat, similis ferè est ei, quæ sexta accidat.* Et consequenter dicendum est in morbo qui movetur per pares, si crisis in die impari accidat, secura non est. Sic ait Hippoc. 1. *epid. Nosse expedit si judicatio fiat extra præscriptos dies recidivas fore significat, & fuerit sanè perniciosa.* Dixerat anteà judicari

per

per pares morbos, qui per pares moventur, & è contra, & Avicenn. *fen* 2. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 10. sic, *Tu scis quod dies par (alicui ægritudini) inquam, est melior cuidam ægritudini, & impar alicui ægritudini est melior.*

Dices: si crises fiunt ratione accessionis, sequebatur febres continentes non magis terminari crisi quarto die quàm tertio & quinto: Sed sic est quod terminantur crisi quarto die, ut Galen. 3. *de cris. cap.* 4. ergo ratione accessionis non resultat dies criticos; sed ratione aspectus retrogradi lunæ: constat, cùm febres continentes non habeant accessiones, sed eundem servent tenorem, & sic non magis excitaretur natura uno quàm altero die ad expulsionem materiæ faciendam; ergo ut potiùs quarto die fiat, aliud determinans est concedendum.

Respondetur quòd licèt febres continentes non habeant accessiones, negandum non est terminari per pares non ratione lunæ, sed ratione molestiæ continuatæ, per quam excitatur ad expellendum natura. Propter quod Galen. 3. *de diebus decret. capite* 8. adducens morbos qui in sexto, & aliis diebus paribus terminantur bene, continentes adducit febres, & illas, quæ etsi per tertios moveantur diebus intermediis, vehementes habent accessiones pro crisi irritantes; & sic Amatus Lusitanus morbos sanguineos per pares moveri docet, sequens Gotdonij sententiam, quæ est in continentibus aliqualiter irritari magis: propter quod sic scripsit Galen 3. *de cris. cap.* 4. *Sinochi quidem rarò eveniunt, & ubi nullus fit error in quarto finiuntur, natura proprijs circuitibus ad crisim perveniente.* Et *cap.* 8. *citato* non solùm quarto, sed secundo & sexto terminari docet, ergo quia irritat specialiter diebus paribus, quod est per pares moveri non à luna, cùm ipsa secundum & sextum non constituat decretorios; non dico irritationem ad crisim bonam requiri, contrarium docuit Galenus 3. *de cris. cap.* 10. sed naturam accessione irritari, seu excitari ad pugnam, in crisi tamen prava irritari.

Dices iterum: si morbi qui moventur per pares, debent per pares terminari, & illa est optima crisis, quæ in die accessionis fit, cùm nulla crisis adveniat in accessione instante & instigante, sequitur optimam debere esse ex hac parte omnem crisim in quolibet morbo. Siquidem omnes vi accessionis fiunt, at sic est quod ex ea solùm quod accessiones sint per pares, & crisis in sexto accidat, prava judicatur ab Hippocr. 2. *epid. part.* 2. *text.* 75. ergo non est prava dies judicatoria sexta, quia extra diem accessionis fit crisis. Quod ostendit Galen. *in comment.* & 1. *de dieb. decret. cap.* 4. & 11. ubi signum malum in quarto, motrem in sexto, præsagire docet: ergo fieri crisim diei accessionis, aut secùs, non facit ipsum diem bonum, aut pravum: pro quo facit etiam quod Galen. 3. *de cris. cap.* 5. & 6. crisim pravam dicit esse quando ratione accessionis instigantis anticipatur: & 3. *de dieb. decret. cap.* 8. idem repetens qui crisim pravam in sexto dicit, dum accessiones per pares fiunt, sic ait. *Cùm morbus ad septimum festinat, media verò accessionis magnitudo naturam ante suum tempus ad crisim venire compellit: sic crisis sexto die prorumpit, quæ tantò pejor est eâ quæ septimo futura erat, quantò magis ipsam prævertit.* Et paucis interpositis: *Invadũt quidem morbi secundum diem primo graviorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus, judicium tamen prævertunt, ut acuti propter accessionis vehementiam, hi etiam secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos:* ergo ratione accessionis fiunt in sexto crises, sicut in septimo, ac per consequens non est pravus dies sextus, quia non fit crisis die accessionis; nec est optimus, quia die accessionis fiat crisis, scilicet motus morbi, cùm illi qui adducuntur à Galen. moveantur per pares, & in eis prava prædicet judicia in diebus solùm qui per pares moventur.

Pro hujus difficultatis solutione advertendum est crisis securitatem, aut bonitatem non pendere ex die præcisè, sed ex materiæ coctione; nam ex tribus conditionibus optimæ crisis inferior est dies. Nam evacuari materiam juxta ideam morbi ad bonitatem simpliciter facit, quatenùs pro morbo solùm causæ ablatio solutio est; coctio verò materiæ ad celeritatem, & securitatem crisis, teste Hippoc. quatenùs naturâ rectè operante fit, nullâ existente resistentiâ, dies enim juvans est, non simpliciter necessarius; etsi pro expulsione completè facienda conducat, sive astro juvante, ut voluit Galen. sive diei perfectione, ut Pythagoras, sive accessione instigante, & ad motum faciente, ut volumus, & sic non ità præcipuum requisitum est. Galen. 3. *de cris. cap.* 3. conditiones optimæ crisis adducens, præcipuam dicit coctionem, sic ait; *Primum quidem, & maximum bonæ crisis judicium sunt coctiones.* Quod desumpsit ex Hippoc. 1. *epid. part.* 2. *text.* 45. dicente, *Coctiones celeritatem judicij, & securitatem sanitatis ostendunt.* Quâ ratione nullo alio considerato sic scripsit Gal. 3. *de cris. cap.* 5. *Neminem unquam interemptum vidi qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset*: Ergo securitas crisis magis ex coctione pendet, quàm ex die, etsi ad firmitudinem ejus dies ità faciat, ut si diebus judicatoriis non fiat, recidivam prædicet Hip. 3. *prog. text.* 24. & alibi pluries, ex eo quòd juvamine diei completa evacuatio fiat, non tamen hoc ità necessum est, ut salus sine tali juvamine esse non possit coctione existente, ut quando sine crisi terminatur morbus.

Ad objectionem respondetur quod morbus, qui movetur per pares ex propria natura est longus, ut constabit *infrà*, & sic in sexto nequit bene terminari, hoc est coctâ materiâ; dum verò morbus acutus per pares movetur, morbo sanguineo secluso, fit propter multitudinem materiæ, aut alicujus crassæ permixtæ, ratione cujus accessiones ad pares extenduntur, aut etiam per pares repetunt; quo casu etiam coctio ad septimum fieri non potest, & consequenter in quolibet morbo pari crisis in sexto incoctâ materiâ fit, pravâque est ex propria natura ob irritationem facultatis. Quid mirum ergo quod etiam si ratione accessionis crisis fiat in sexto, prava fit communiter, non solùm in chronico; sed etiam in acuto morbo, quia fit irritatâ naturâ, ut ostendunt ea quæ posita sunt, quod non tollit aliquando bene terminari; ut visum fuit in Metone materiâ crudâ existente, & in synochis materiâ coctâ; qui tardè accidunt, ut docuit etiam Galen. *capite* 8. *lib.* 3. *de dieb. decret.* & *c.* 4. *lib.* 3. *de cris.* & sic ferè semper crisis prava est in sexto, optima verò in septimo.

Ad tertium dicimus quod morbi quibus propriissimæ crises sunt intra quatuordecim dies terminentur ex Galen. & isti ab humore bilioso fiant, ut dictum est, facile, & celeriter moventur, faciléque ad statum perveniunt, verè advenit quòd ferè semper in septimo jam materia cocta sit, ut in ejus accessione ad expulsionem moveatur natura: & cùm ex alia parte ipsa non valde labefactata sit, hinc est quòd tali die ferè semper optimæ fiant crises, quia regulariter his diebus sufficienter disponitur materia ad eas; antecedunt tamen dum materia tenuis valde, morbum peracutum faciens propter ejus facilem coctionem, ut Galen. 3. *de crif. cap.* 4. & 3. *progn. comment.* 1. sequens Hippoc. *in text.* & *de lib. de crif.* dicentem, *Placidissima febres, & cum securissimis signis quarto die desinunt, & priùs: lethalissima verò, & cum signis horrendissimis quarto die, & priùs occidunt*, juxta illam doctrinam 1. *aphor. text.* 7. *Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & statim tenuissimo victu utendum est.* Quod ex eo est quia cùm facilè coquatur, primo die signa coctionis conspiciuntur, ut optima crisis in tertio, aut quarto, aut quinto evenire possit, ut 3. *de crif. capite* 4. docet Galen. & 3. *progno. citato*, quod non ità commune est, ut in septimo: dum verò morbus peracutus non est, sed acutus, jam materia non ità facilè movetur, nec ità facilè vincitur, & sic non coquitur ad septimum, sed ad alium transit diem, nonum scilicet, undecimum, aut decimum quartum & sic deinceps, juxta materiæ aptitudinem, & facultatis robur; & consequenter cùm facultas debilitetur quotidie per morbum magis, & materia crassior sit, propter quod morbus est longior, necessum est, quod post septimum non ità perfectè & completè fiant crises, ut anteà, ideò Galenus hæc scripsit 1. *de diebus decret. cap.* 20. & *lib.* 2. *cap.* 8. *Decretorius itaque fortissimus omnium est dies septimus.* Et paucis interpositis: *Hæc cum vehementissima pugna sunt crises, quæ usque ad decimum quartum diem veniunt, cum minori, quæ ad vigesimum usque pertingunt, indè usque ad quadragesimum magis earum vehementia exsolvitur ab illo die perfectè exoluta redditur.* Quid mirum ergo quòd septimus dies fortior sit ad judicium, quia sufficiens tempus est pro communi materia morborum acutorum coquenda, & facultas robustior ad expellendum.

Ad quartum dicimus juxta Hippocr. mentem dies judicatorios non magis fieri per septenos, & quartos, quàm per tertios & vigesimos, solùm est verum quartos esse judicantes septenorum, quia tres dies requiruntur ad coctionem perficiendam sufficienter pro crisi post apparitionem immutationis factæ in materia, dummodò signa anteà coctionis manifestæ apparuerint, ut experientiâ compertum est: ideò dixit Hippocr. 4. *aphor. text.* 71. *Quibus septima die crisis futura est, nubecula rubra apparet quarto die in urina.* Et eodem fundamento 2. *aphor. text.* 24. ait, *Septenorum quartus est index*, habet enim, ut diximus, septem diebus communiter materia morborum coqui, nî forsan valde tenuis sit, aut crassa, & facultas immutetur valde, & sic communiter in septimo fit crisis, non ità ante septimum, & pluries post ipsum, quia commune valde est materiam crassam misceri; & hac proportione diximus ex Galen. *quæstione* 9. *de tempore crisis*, constitutionem legitimam morborum signis coctionis metiri; ità ut dum signa coctionis obscurè apparent, usque ad manifestam coctionem tot dies debent esse, ac fuerunt à primo esse morbi ad illa signa, & à signis manifestæ coctionis morbi principium terminantibus usque ad statum, tot etiam, ac præcessère, talis enim est natura, ut duplo majori numero dierum perficiat materiæ coctionem, quàm obscura coctione ad manifestam coctionem consumpsit, & consequenter, quid mirum quod tres dies ad ultimam mutationem perficiendam requirantur, ratione cujus, *Septenorum quartus est index*, sicut probabiliter tali numero dierum materia biliosa corrumpitur, & tali melancholia, de quo suo loco, & sic solùm verum est indicationem fieri in quarto respectu septimi, non quia verum sit per septimos fieri mutationes: nam Hippocrat. 2. *aphor. text.* 24. decimum septimum diem septimum appellat, etsi tertiæ septimanæ quartus sit, quod est non moveri per septimos verè, sed ità numerari factâ computatione à quolibet die, ut si undecimus septimus diceretur, à quarto potiùs apparet, per quartos fieri mutationes, juxta naturam humoris, qui vincitur, & alteratur. Propter quod Hippocrat. 3. *progn.* & *lib. de judic.* per quartos tantùm dies criticos divisit, etsi verum sit sufficienter materiam acutorum morborum septem diebus communiter coqui; aliquando tamen tardiùs, aut citiùs ratione majoris, aut minoris multitudinis, aut resistentiæ materiæ commixtæ, & sic annuales, aut menstruales mutationes quoad hoc casuales judicandæ sunt, etsi negari non possit temporis mutationes pro his, aut illis humoribus facere, & consequenter pro his, aut illis morbis, & ipsorum terminationibus, non aliter.

Ad quintum dicendum est quod licèt omnes dies critici possint dici quatenùs in quolibet potest crisis advenire juxta varietatem motus morbi, propter quod Gal. 1. *de dieb. decret. cap.* 2. sic scripsit: *Iudicia enim seu crises ipsa omnibus diebus accidunt, sed nec pares numero, nec ex æquali fide.* Nihilominùs pro quolibet morbo solus, ille dies judicatorius dicitur, in quo accessio ex propria natura fit tempore conducente pro coctione; & cùm non fiat in instanti coctio, ferè semper septem requiruntur dies pro communi acutorum materia, & sic in ipso crisis ferè semper, etsi aliquando tardiùs aut citiùs juxta materiæ varietatem: dum verò materia cocta est, aut propter majus naturæ robur, aut propter materiæ parvitatem, seu dispositionem, non est in sexto crisis, donec adveniat in septimo accessio, & etiam quando parum de coctione deficit, sufficit accessio ipsa, ut natura ad expellendum moveatur. Ex quo patet in septimo fieri crisim ferè semper, non in sexto, aut octavo in morbo impari, & sic de aliis diebus, post undecimum verò jam materia aliquid includit crassitiei, ratione cujus protrahitur ad quartanos circuitus; est enim proprium materiæ quæ ultra decimum quartum protrahit morbum naturam melancholiæ sapere, & sic per quartos moveri, nulli alteri humori hoc convenit: Et cùm experientia constet ultra decimum octavum

sic

sic moveri, etiam naturam dicti humoris sapere est dicendum. Idémque de septimo dico respectu morbi imparis, ita ut diebus intermediis etiamsi materia cocta sit defectu accessionis non excitetur natura ad expellendum, ut fiat crisis: diximus tamen accessionem fieri illo die in quo humor proprium circuitum habet.

Contra hoc tamen est, quòd licèt verum sit moveri per quartos usque ad quadragesimum, non constat ex doctrina dicta cur post ipsum non constituantur dies critici per quartos, sed per vigesimos, ità ut primus judicatorius post quadragesimum sit sexagesimus, & postea octogesimus, & sic deinceps ex Hippoc. nam accessiones non ita fiunt, sed quotidie, aut per ternarios aut per quartos: præterea quia adhuc dierum criticorum à vigesimo quarto ad quadragesimum non datur sufficiens causa; non enim est necessum semper aliquid melancholicum esse permixtum, ut tales circuitus dentur; & quamvis sit, non sufficit accessio diebus intermediis; ergo non est cur quartis tantùm tribuatur.

Secundò, quia licèt usque ad vigesimum per quartos fieri appareat, à vigesimo non fiunt per quartanos circuitus: nam ab ipso ad vigesimum quartum quinque dies sunt, & quartanus circuitus solùm duos dies habet medicos, quod idem constat à vigesimo septimo ad trigesimum primum: ergo non servat quartanos circuitus.

Ad primum dicendum hoc dubium locum habere etiam in opinione Gal. & Pythagoræ, quia non est cur virtus langueat in aliis diebus, & non post vigesimum: respondetur tamen quod morbi qui ultra quadragesimum procedunt crassam arguunt materiam, & debilem facultatem; & sic non sunt apti pro crisi, ut Gal. 3. *progn. comment.* 24. sic. *Sæpè dictum est, ut morbi, quos humores commitunt calidiores, cùm agri viribus valentioribus per excretiones judicentur, his contraria sunt affectiones in quibus facultas debilis est, & humor frigidus, quæ nec excretione; nec abscessu judicantur, sed aut corrumpunt agrum, aut perquam longo temporis spatio vix coquuntur; porrò inter has media incidunt, quæ per abscessus finiuntur.* Ergo nil mirum ut post quadragesimum rarò fint crises, ut docet etiam 1. *de dieb. decret. cap.* 10. fiunt tamen in qualibet accessione naturà ad pugnam excitatà, & solùm dum valida est, sufficienter reparatur, ut tertio aut quarto die pro expulsione valeat, post quadragesimum languida est: Et cùm materia crassa sit, non sufficienter roboratur ab illo, quod patitur in quadragesimo,& sic expulsionem non fecerit,nisi per multum tempus, hoc fit vigesimis diebus parum, magis, minúsve: propter quod Galen. *capite* 10. *citata* alios dies decretorios prædictos, post quadragesimum inquit ab Autoribus adduci, quod est propter diversitatem reparationis facultatis, etsi communiter modo dicto fiat.

Ad secundum respondetur quod communis criticus circuitus ab undecimo per quartos fit ob rationem dictam, dum verò id melancholicum permixtum non est, non erunt tales circuitus, nec dies critici erunt, tamen tunc per tertios, adducuntur verò dies secundum id quod commune magis est; & quamvis diebus intermediis sint accessiones, non excitabunt ad pugnam, ut illæ, quæ juxta naturalem motum humoris, & morbi sunt, nisi violentia aliqua fiat symptomatica evacuatio.

Ad ultimum dicimus quod licèt verum sit à vigesimo ad vigesimum quartum, & ad vigesimum septimum, & ad trigesimum primum, tres mediare dies, hoc non evertit doctrinam positam, quia hoc procedit juxta diversitatem incipiendi circuitus per quartos: nam qui incipit in decimo quarto usque ad vigesimum terminatur, qui decimo quarto non incipit, tertianos circuitus servat usque ad vigesimum primum, quia per impares movetur, & per impares terminatur, aut incipit circuitus per quartos die vigesimo quarto, & terminatur in trigesimo: si verò non incipiat in vigesimo quarto, servat tertianos circuitus usque ad trigesimum primum, & incipit per quartos die trigesimo quarto, & sic procedit, ratione cujus Hippoc. 1. *epid.* & Autores communiter dies criticos numerant ab undecimo diverso valdè juxta varietatem inceptionis per quartos, jam decimum tertium, jam decimum quintum, & decimum septimum, & decimum octavum, & vigesimum, & vigesimum primum, & sic de aliis,& consequenter Hip. dies impares adducens ultimũ posuit trigesimum primum,quia solum usque ad ipsum morbus movetur per tertios impares, pro paribus verò centesimum primum posuit; quia usque ad ipsum servatur motus per pares. Quid sit moveri per pares, aut impares, *infrà* constabit.

Dices: coctione existente natura movetur ad expellendum, ut docet 3. *de dieb. decret. cap.* 8. sed non implicat sexto die materiam morbi coctam esse, aut propter robur facultatis, aut propter parvitatem materiæ; ergo in ipsa erit crisis optima, etiamsi morbus moveatur per impares. Patet: quia non est,cur talis expulsio pravè fiat: nec valet respondere naturam sexto die non expellere, quia non est accessio excitans, non implicat etiamsi morbus per impares moveatur quod adveniant accessiones aliæ diebus paribus per quas excitetur ad expellendum quod intelligendum est de quolibet die pari in morbo impari.

Respond. tamen quod etiamsi coctio possit in qualibet die dari perfecta, non excitabitur natura ad expulsionem, nisi dum ipsa secundum naturalem motum movetur ad accessionem faciendam, & ab ipsa excitatur. Quòd si forsan accidat excitari ad motum, vel vi alicujus accessionis additæ, vel alicujus alterius irritamenti, crisis fiet bona, non tamen omnioò perfecta, & secura, quia fit naturà ad expellendum vi irritationis commotà, non ex se.

Advertendum tamen est, quòd cùm accessiones adveniunt in die pari,quæ valeant excitari pro crisi, quando morbus est impar, aut fiet parva crisis ante tempus coctionis propter irritationem quam illum aditum causat,aut expectatà coctione fit in die motùs proprij morbi, etsi aliquid immediatè perficiendum resultet, dummodò parvum sit, non enim quælibet accessio pro crisi movet, sed quæ irritat plusquàm valet tollerare facultas, materià in summa coctione existente, ideò primæ accessiones, etsi validæ sint, cùm naturam robustam inveniant, & indispositam materiam propter cruditatem crisim non movent, nisi molestè, & validæ sint, & tunc sym-

ptomaticas causant evacuationes: dum verò deinceps, accessiones procedunt, cùm natura debilior fiat, faciliùs irritatur, & per expulsionemovetur, crisésque fiunt juxta materiæ dispositionem. Totum quod Gal. docuit 3. *de diebus decret. c.* 8. in quo postquam docuit crisim fieri in sexto anticipatam, pravam, ratione alicujus irritantis in morbo impari, & in illo qui deteriores habet accessiones per pares, sic scripsit. *Hi etiam secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos; etenim in secundo die natura quodammodo valida est, item in quarto adhuc valida magis quàm in sexto, sed non in certamen venire audet; at in sexto accessionis vehementia frequenter eam ad certamen provocat.*

Ad ultimum dictum est Hippoc. locutum fuisse juxta commune placitum de causa dierum criticorum dum dies criticos non esse numerandos docuit, etsi ex se causam crisis accessiones dixerit, cùm nullo alio respectu considerato doceat morbos terminari per dies per quos moventur; solùm solvere restat ea, quæ adversus Gal. posuit Plazerius.

Dicimus ad primum, quòd etsi morbi acuti per tertios moveantur, cùm ab undecimo moveantur pluries per quartos, rectè docet Galenus magis judicatorium esse vigesimum primum, quia in vigesimo terminantur morbi omnes pares, qui permutantur per quartos ab undecimo.

Ad secundum decimus in vigesimo terminari morbos diuturnos qui aliàs terminaturi erant in undecimo, aut decimo quarto, & facta mutatione pro quartos ad vigesimum fuerunt prolongati, morbi tamen qui in vigesimo primo terminantur, quia per tertios moveantur ad ipsum breves sunt, qui ab ipso per quartanos circuitus prolongantur ad trigesimum, ut constet breves debere dici quia vigesimo primo terminantur, respectu terminationis propriæ erunt diuturni, qui vigesimo respectu propriæ terminationis.

Respondetur ad tertium esse jam dictum quod etsi plures sint morbi impares quàm pares, quia illi ab undecimo per quartos moventur, & terminantur in vigesimo plures crises in ipso fiunt quàm in vigesimo primo.

QVÆSTIO VI.

De morbo pari, & impari, & eorum diebus judicatoriis.

Hypp. 1. *epid. part.* 3. *text.* 14. expressè docet morbos, alios esse pares, alios esse impares, & totum dies decretorios appellat pares, aut impares, juxta cujuslibet motum, sic scripsit, *Quæ diebus paribus exacerbantur, paribus judicantur, quorum verò sunt in imparibus, in quam accessiones in imparibus judicantur.* Docet ergo morbos alios esse impares, alios pares, ratione dierum in quibus accessiones habent, & in ipsis judicia similiter fieri. Totum quod repetit pluries Galenus, præcipuè 2. *de diebus decretor. capite* 6. nunquid alia sit differentia in hoc quod est moveri per pares, aut impares ad præsagiendum de terminatione morbi, examinare licet, & in primis videtur nullam dari posse: nam moveri per pares, aut impares solùm est, quia portio accessionem faciens secundo die, major est, quàm illa quæ pro accessione tertij diei condocit; aut quia accessio tertio die facta deteriorem sui partem in quarto habet, & sic de aliis, aut è contrà: sed totum hoc evenire potest ab eodem humore eodem modo putrefacto cum ejusdem viribus subjecti: ergo nulla differentia in morbis est attendenda penes hoc quod moveatur per pares, aut impares. Majorem ostendit quoad repetentiam per pares Galenus 3. *de diebus decretor. capite* 8. per hæc verba. *Invadunt quidam morbi secundum diem primo graviorem habentes, quartum tertio & totas accessiones in diebus paribus, &c.* Quo ad partem accessionis per pares ostendit Valles. 1. *epid. citato in comment.* Minor nullam includit repugnantiam; ergo nulla differentia est attendenda in morbis penes hoc, quod moveatur per pares, aut impares.

Hanc doctrinam confirmat Galen. 3. *de dieb. decret. cap.* 8. in quo omnes dies primæ septimanæ à secundo judicatorios appellat propter accessionis vehementiam, quia in omnibus possunt vehementes fieri accessiones, & ad hoc posuit exemplum, sive morbus moveatur per pares, sive per impares, ità ut quomodolibet moveatur morbus sit peracutus: sic scripsit; *Accessionis vehementia crisim alio, quàm status tempore fieri compellit. Quare in omnibus ferè diebus peracutos morbos judicari, videre licet: quoniam ultimus ipsorum dies decretorius est septimus, & ante hunc non quartus modò, sed etiam tertius, quintus & sextus aliquando decernunt.* Quod dicit evenire in continentibus febribus, & in illis, quæ per circuitus repetunt, pares, aut impares sunt, quod est necessum ut crises diebus omnibus concedat: ergo nulla differentia deducitur penes hoc quod morbus moveatur per pares, aut impares. Quod videtur docuisse Hippoc. 4. *acut. text.* 63. per hæc verba. *Signa multa diebus imparibus magis, quàm paribus deprehenduntur, quamquam utrolibet eveniunt perniciosa accensenda sunt*: quasi dejiceret, non deteriora fieri accidentia quocumque die eveniant, ac per consequens nulla diversitas est prædicenda penes hoc quod morbus moveatur per pares, aut impares.

Præterea probatur ratione; nam morbus potest differre, vel quoad acutiem, vel quoad securitatem, hoc est quatenùs brevis, aut longus est, cum periculo, vel sine illo; sed omne hoc potest esse quomodocunque morbus moveatur: ergo nulla est differentia ex hac parte. Major constat, cum de morbis agamus in quibus crisis evenire contingit: & licet acutis propriè crisi terminari conveniat, etiam longos pluries crisi terminari docet Gal. 1. *de die.decret. cap.* 10. Minor probatur: nam esse morbum peracutum, sive moveatur per pares, sive per impares, ostendit Gal. 3. *de dieb. decret. c.* 8. adducens morbos, qui in prima septimana terminatur; sic ait, *Omnes dies post morbi principium in peracutis, propter accessionum vehementiam decernere videntur. Universi autem tales morbi alterum duorum habent, vel Synochum vel febrem aliam, quæ etsi manifestas habeat inclinationes, & accessiones, non tamen ter-*

tio

tio quoque die manifestas tamùm habet, verùm in ipsorum dierum quoque mediis. Et *infra. Invadunt quidam morbi, secundum diem primo graviorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus.* Docet ergo morbos peracutos esse, sive moveantur per pares, sive per impares: quod idem dicendum est de longitudine, & periculo: ergo nil diversum est prædicendum in morbo pari in contrapositionem imparis, præter diversitatem diei, motûs, & crisis.

Ex eo præcisè quod per pares, vel impares movetur morbus, optimè judicari, vel secùs, voluerunt plures, & sic ex motu morbi optimè, vel pravè judicari prædicendum esse; quod deducitur ex Hip. 4. *aphor. text.* 61. sic dicente, *Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare*: Et consequenter *text. sequenti, sic morbos regius ante septimum malum*, si verò septimo, vel nono, vel undecimo, vel decimo quarto bonum: Intelligit tamen per decimum quartum, secundum septenarium: quâ ratione locutus fuit *tex.* 36. dum dies sudoris optimos enumerat, & ideo *text.* 29. sic dixit: *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, & difficile judicium sequitur*, in quo sensu locutus fuit 4. *acutorum text.* 63. dum de signis criticis sic scripsit, *Et hujusmodi signorum plura diebus imparibus, potiùs quam paribus deprehenduntur.* Et infra sic ait: *Id vere salubrius est si paribus eveniet diebus, quippe in decretoriis perniciosum est*, quasi diceret, in diebus paribus nulla est crisis, in diebus tamen imparibus, quippe judicatorij sunt, signa prava perniciosáque sunt: ergo de mente Hip. dies impares sunt considerandi in morbis tanquam judicatorij. Quod sequens Gal. 3. *de dieb. critic. c.* 8. sic scripsit, *Verè acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim, & accessiones sunt.* Et consequenter 4. *aphor. text.* 36. ait, dies impares multâ pollere virtute, non simpliciter, sed in acutis morbis est intelligendum super illa verba *Maximè verò numerus impar est observandus*, ideò Avic. *f.* 2. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. sic ait, *Et impares fortiores sunt secundum plurimum: & cap.* 10. sic, *dies impar melior est, ex eo quod movetur de ægritudinibus in die impari*: ergo attendendus est motus morbi, an per pares vel impares sit, ut inde cognoscamus an crisis judicandus feliciter, vel secùs.

Nobis tamen videtur dicendum morbum parem duo habere, duóque esse prædicenda per eum, non dico ex eo pendere simpliciter, sed cum hoc quod esse moveri per pares ferè semper duo conjungi, vel esse morbum longum, vel esse periculosum magis, vel deterioris moris, quam morbus qui per impares movetur. Primum docet Gal. 4. *aphor. comment.* 36. in quo postquam docuit morbos acutos per tertios moveri, accessionesque per impares habere communiter, sic ait, *Didicimus autem quod in vehementioribus accessionibus judicia fiunt, & quod morbi, qui in diebus imparibus accessionem habent, citiùs judicantur: qui verò paribus tardant. Atque ideo si etiam in principio aliquis morbus exacerbatur, hoc magis accidit in diebus imparibus: si tardare debeat, ad dies pares vehementiores incidunt accessiones.* Ergo ex eo quod moveatur per pares longiorem morbum prædicere debemus, quàm si per impares moveretur: Idem Avic. *f.* 2. *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 3. sic ait: *Et scias, quod ægritudines, quæ paroxysmos faciunt in imparibus sicut tertiana, & plures acutæ, sunt velociores crisis, & illæ quæ faciunt paroxysmum in paribus sunt tardiores*: ergo solùm ex eo quod morbus movetur per pares, vel impares, longitudo, vel acuties est præsagienda.

Ratio autem propter quam morbus qui per pares movetur longus est prædicendus si alia signa non adsint eum acutum ostendentia, est quia bilis motum proprium habet per tertios, quatenùs ex propria natura tertio die sufficienter accumulatur, & putrescit, ut accessiones faciat: ergo morbus qui movetur per pares, dum alia bilis excessum ostendentia non sunt, ab humore crasso dependet. Patet: nam si bilis per tertios habet moveri, & die primo accessionum causa, per impares debet causare circuitus, ut 3. *de die. decret. cap.* 8. ergo ut ad pares extendatur accessio, crassa debet esse materia, vel tanta multitudo, ut una die resolvi nequeat, ac per consequens morbus, qui per pares movetur, longus debet esse, quia materia crassa vel multa non potest nî longo tempore vinci. Ideò Vall. 1. *epid. p.* 3. solùm longitudine differre scripsit morbum parem ab impari, nec ob aliam rationem Hip. sudorem frigidum cum remissa febre longum morbum prædicere docet 4. *aphor. text.* 37. & 1. *prog. text.* 30. nî quia à materia frigida & crassa pendet, quæ non nî longo tempore vincitur, ut Gal. *in comment.* ergo morbus per pares longus est, quia à materia crassa procedit.

Dices: morbus longus, vel movetur per pares, quia per quartos, seu quotidie movetur, vel quia per tertios: sed neutrum est moveri per pares; ergo nullus movetur per pares. Major patet, quia non aliter morbus omnis movetur communiter (dixi communiter propter quintanam, sextanam, & septimanam) Minor probatur: nam quotidie fiunt accessiones non magis paribus quàm imparibus; quæ verò quarto die tam die pari, quam impari fiunt, cùm alia quarto, alia septimo eveniat, & sic deinceps; ergo per hos motus non magis pari quàm impari fiunt accessiones. Quòd verò accessiones per tertios non sint per pares, probatur: nam morbi acuti per tertios moventur, & per impares habent accessiones: ergo nullus motus est per pares. Antecedens ostendit Gal. 3. *de dieb. decret. c.* 8. sic *Vnde acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim & accessiones sunt.* Hujus reddens rationem *infra* repetit, quod 4. *aphor. comment.* 36. dixerat, hoc est, *Morbi peracuti primam statim accessionem vehementissimam habent, & ipsi proportionalem eam quæ die tertia fit*: ergo moveri per tertios est moveri per impares. Clariùs *cap.* 8. postquam dixit morbos acutos moveri per tertios, sic ait: *Si enim ponamus, ut etiam apparent, secunda ab initio accessio ad tertium diem dilabetur, tertia ad quintum, quarta ad septimum, quinta ad nonum: Omnes autem in impares incidunt*: ergo morbus longus nullus est per pares.

Respondebit aliquis, morbum longum moveri per pares, etiamsi accessiones aliquas in diebus imparibus eveniant quando movetur quotidie per quartos, quatenùs circuitus per dies pares fiunt, à quarto ad quartum, vel singulis diebus, nulla attentione ad impares existente. Quod videtur docuisse Gal. *c.* 8. *citato* explicans quid sit moveri per impares, sic ait, *Quæ igitur causa sit ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimùm accessiones fiant, in longis autem, vel quotidie, vel quarto, non promptum est invenire: nec*

in præsentia disquirere necessarium. Quasi diceret: sicuti per impares moventur, quæ sit causa, ut quam acuti per impares moveantur, & longi per pares, non est hujus loci: ergo moveri per tertios est moveri per impares, & moveri aliter est moveri per pares.

Hæc tamen responsio admittenda non est: nam si moveri per quartos, vel quotidie, esset moveri per pares, quia circuitus fiunt per pares dies, hoc est per quartos, & singulos talium circuituum dies, deberet numerari per pares; sed sic est, quod Hip. 1. *epid.* quem sequitur Gal. & communiter Medici solùm numerant pares dies, qui verè sunt tales, ergo moveri per alios non est moveri per pares.

Respondebit alius: moveri per tertios habere locum etiamsi morbus per pares, vel impares moveatur, quatenùs secūdi accessio minor est primâ, & tertia primæ respondens; vel è contrà quatenùs secunda est major primâ, & quarta respondens secundæ. Quibus in casibus primus morbus erit per impares, quia imparibus majores adveniunt accessiones, & alius erit per pares, quia in diebus paribus accessiones majores sunt, quod docuit etiam Gal. *cap.* 8. *citato*, in quo ad probandum sextum diem decretorium esse, postquam dixerat morbos acutos moveri per tertios & impares, sic ait. *Invadunt quidam morbi secundum diem, primo graviorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus:* ergo moveri per tertios & per pares potest coincidere ut coincidit etiam moveri per tertios & impares.

Hæc tamen solutio non videtur sufficiens: Nam moveri per tertios est quia, illi tres dies requiruntur ut humor sufficiens conjungatur & disponatur ad faciendam accessionem: tunc sic argumentor, vel moveri per tertios est proprium alicujus humoris, biliosi scilicet, vel cuilibet commune: si proprium, ergo non competit humori facienti morbum longum, ac per consequens, nec ipse movebitur per pares, quatenùs moveri per tertios est moveri per pares, quia bilis morbum longum facere non potest, cùm septem circuitibus exquisita terminetur tertiana, quæ à bile provenit, ex Gal. 1. *ad Glauc. c. de tertiana*: si autem commune sit moveri per tertios cuilibet humori, non magis conveniet morbo longo quàm brevi, & sic moveri per pares non ostender morbum longum.

Nobis tamen videtur dicendum moveri per pares nil aliud esse quàm moveri per dies qui verè sint pares, quales enumerantur ab Hip. & hoc esse quatenùs morbus movetur per tertios & accessio, seu deterior, & major ejus pars ad diem parem evenit, id est quatenùs accessionis primo die factæ plurimum, ad secundum devenit, & secundæ accessionis plurimum ferè semper ad quartum: dixi ferè semper, quia etiam contingere potest accessionem secundi diei deteriorem, & majorem esse primâ, & accessionem quarti majorem tertiâ, ut *cap.* 8. docuit Galenus: attamen communiter durante accessione primâ ad secundum diem fit: Et cùm hoc non possit esse nî propter crassitiem, vel multitudinem humoris accessiones multiplicantis, vel durare facientis; hinc est quod morbus longus sit prædicendus quoad salutem saltem, quia non nî longa duratione vinci potest: Ideò Vallesius 1. *epid. citato*, non aliter deteriorem judicat morbum parem impari, nî quatenùs morbum significat longiores accessiones habentem: & cùm ex alia parte morbus par dum accidentia non sunt, multam bilem ostendentia sb humore crasso dependear, quia quando multitudo non adest, solam materiæ crassitiem significat, meritò dictum est longitudinem, vel periculum significare illud quando morbus acutus per alia non significatur signa, hoc quando significatur, quia morbus acutus à tanta multitudine proveniens quoad diem parem accessio protrahatur, vel secundo die altera adveniat, vinci non potest brevi tempore.

Totam hanc doctrinam docuit Galenus 3. *de die. c.* 8. sic, *Secunda peracutorum differentia, etsi per triduum magnas habeat accessiones, & veluti principia circuituum, medius ipsorum dies tantam in peracutis morbis affert accessionem, ut magnis aliorum morborum accessionibus, nihil sit inferior.* Quasi diceret etsi per tertios repetat morbus, & principium circuitus habeat dies medius accessionis, habebit partem tantam, ut alij magni morbi, quod significant illa verba, *Principia circuituum per tertios*: nam si tota accessio qualibet die consumeretur, cùm nihil aliud sit circuitus, quàm accessio, non diceret principium circuitûs: ergo cùm dicat per tertios esse principia circuitûs, & diem medium tantam accessionem habere, ac in aliis morbis ad diem parem accessionis devenire significat, seu majorem ejus partem, hoc est paroxysmus; vocatur enim à Gal. 1. *aphor. comment.* 12. paroxysmus deterior totius circuitûs pars. Quod videtur significare in ipso *cap.* 8. ubi alio modo crisim pravam in sexto concedit, sic ait: *Pessima verò crisis secundum aliam rationem sexto die accidit, invadunt quidam morbi secundum diem, primo graviorem habentes, & totas accessiones in diebus paribus.* Quasi diceret, uno modo fit quando accessio incipit die impari, & ad parem durat deterior ejus pars: alio quando tota deterior accessio die pari fit. Ergo de mente Gal. utroque modo morbus movetur per pares, etiamsi per tertios moveatur, & quis secunda accessio deterior est primâ, & quarta deterior tertiâ: Et quia accessio diei imparis ad parem ostenditur, quo modo crisim fieri in quarto, etiamsi ratò, docuit 3. *de cris. cap.* 4. sic ait. *Continua febres, qua in accessionibus crisim habent tertio die, vel quinto rationabiliter finiuntur. Nam, si quandoque etiam quarto judicantur, ratione ejus accessionis, qua tertio die fit, id patiuntur.* Docet ergo accessionem diei imparis ad parem extendi, & sic per pares moveri tunc, cùm afferat in quarto judicari ratione accessionis diei tertio, & crisis in die accessionis fit, quid mirum ergo quod longitudo prædicetur ex motu per pares, cùm vel crassitiem materiæ significet, vel multitudinem humoris per tertios accessiones facientis, quæ facilè vincitur.

Ex dictis patet quod dum motus per pares conjunguntur cum signis morbum acutum ostendentibus, vel multitudinem bilis, periculum majus sit prædicendum quàm dum per impares est: cum quia periculosus magis est morbus ab humore calido dependens, quàm à frigido: siquidem ille celeriter movetur, & accidentia ejus molesta sunt magis, quia ab humore activo, & irritanti magis procedunt; morbus verò à frigido humore proveniens, minùs activus est, lentéque agit, & moram habet, ut à natura vincatur: ideò Hip. 1. *prog.* sudorem frigidum cum acuta febre mortem significare docet, cum mitiore verò longitu

longitudinem morbi. Et de tumoribus agens *text.* 33. calidum, & ab humore calido pendentem periculosum appellat, non ità illum, qui ab humore frigido pendet. Cùm ergo morbus qui per pares movetur, dum accidentia sunt ipsum acutum ostendentia ab humore calido procedat io magna quantitate, nil mirum quod periculum ostendat majus quàm qui ab eodem humore accessiones habeat per impares, quia non tantam ostendit causam, eùm secundum naturalem motum ejus ita fiat, & eùm ea alia parte dum dicta signa non sunt, hoc procedat propter naturalem humoris crassitiem & frigiditatem, dictum est meritò moveri per pares, ostendere, aut morbi longitudinem, vel periculum magis quàm dum morbus per impares movetur. Et ob hanc rationem Vall. *comment.* 13 & 1. *epid.* sic ait: *Quo fit ut tanto deterius sit moveri acutum morbum per pares quantò deterius est, quamcumque exacerbationem esse longiorem.* Quasi diceret cæteris paribus, morbus par, deterior est impari, quia crassitiem majorem, vel multitudinem ostendit ejusdem causæ; est enim proprium cujusslibet humoris suoa habere circuitus, & sic cùm ad alios extenduntur, multitudinem ostendit intra eandem lineam.

Hanc doctrinam dedit Hip. 1. *epid. p.* 2. *text.* 75. in quo addacens morbos illa tempestate venientes dicit, ipsos signa habere quibus mortales esse significabantur, & inter signa adducit moveri per pares; sic ait, *Cum igitur febres ardentes inciperent, significationem de se præbebant, quibus pernicies immineret: statim enim ab initio febris acuta, parum insuper rigebant, vigiles erant, exacerbationes in diebus paribus: plurimi quarta die dolores maximi, nec recidiva ulli horum advenit, sed sexta die cum sudore moriebantur.* Docet ergo moveri per pares esse signum ostendens morbum esse mortalem: *in cujus comment.* Galenus sic ait. *Iam accessiones cum diebus paribus fiunt à principio statim, interim ad sextum diem pessimum iudicium fore pronuntiant: interim in longum producendum morbum.* Quasi diceret morbum per pares, vel mortem, vel longitudinem significare; illud cùm prava signa sunt acutum ipsum ostendentia; hoc cùm non ità: quod significavit his verbis; *Si admodum moveantur quarto die pravam habente accessionem, ad diem sextum de vita recedunt, ut hi de quibus sermo habetur*, id est si quarto die pravum signum sit, mors est prædicenda, ut in his, quos adduxit Hip. ergo motus per pares in acutis, mortem, in aliis longitudinem significant. Præterea Hip. 4. *acut. text.* 57. sic ait, *Si febris exacerbetur in tertium diem, consideranda sunt tertiana, exacerbationes:* dixerat 7. *aphor. text.* 66. tales febres esse periculosas, & io hoc textu 57. addidit hæc, *Quin etiam, alia quadam inspicere oportet. Nam si dies quarta in aliquo iam dictarum fuerit similis tertio, scire vult infirmum in periculo versari.* Quasi diceret periculosa est febris continua per tertium repetens; at quarta similis tertiæ, infirmum in periculo significat: est enim motus per pares in tali casu, & significat in morbo acuto qualis est qui per tertios repetit moltitudinem causæ, & sic periculum majus, ideò diait si movetur per tertios & quartos est tertio similis: nam ubi non est motus per tertios non significatur morbus acutus, & sic quatto iocrementum, longitudinem, non periculum demonstrabit. Quod significavit Gal. *in comment.* dicens malum signum esse quia eptimi est pravum signum, & quia novam accessionem significat præter debitum morbo, quod est multam esse causam, sic ait, *Nempe quartam diem, quæ septima est index, rem novam edere ex gravibus est notis. Rei autem novæ editio, designatioque patet omnibus: nam si prima die, & tertia accessio fiat, & secunda facta nequaquam fuerit, quod quinta accessionem habitura sit, par est, & non quarta. Quapropter, si quarta habuerit, mali cuiuspiam alterius generationem demonstrat* Docet ergo malum esse motum illum per pares, quia motbus acutus ex propria natura solum per tertios debet habere accessiones, & sic dum quatto eam habet, novum est quid malum alterum ostendens.

Quartum diem pravum mortem in sexto significare dixit eodem fundamento Hip. 1. *ep. tex.* 75. & Galenus *in comment.* & 3. *de dieb. decret. c.* 4. & 11. non solùm quando motbus movetur per pares, sed etiam per impares; quod ex eo debet esse quia talis motus jam per pares est, quâ ratione etiam Hipoctat. 1. *coacarum in principio*, sic ait. *Febres tertianæ naturam referentes erroneæ, impares dies translapsæ, difficiles sunt.* Quasi diceret febres tertianæ, quæ per tertios moveotur, si per pares accessiones habeant, difficiles sunt: difficile quidem idem significat, ac mortale, vel longum, & sic longas, vel mortales eas prædicit. Quod difficile mortem, vel longitudinem ostendat, docuit Galenus 4. *aphor. comment* 29. super illa verba, *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur*; sic ait: *Difficile habere iudicium, hoc est, vel malum afferre iudicium, vel non firmiter, vel longum tempus:* cùm Hip. de morbo impari in parem mutato dicat difficilem esse, longitudo, aut malitia est prædicenda.

Dices: videtur morbum parem non posse fieri à multitudine causæ facientis morbum acutum & sic non esse prædicendum periculum majus. Patet: nam bilis, quæ morbos acutos ferè semper facit, per tertios repetit, quia per tertios habet commutari, & corrumpi sufficienter pro accessione, ideo per tertios repetere docet Galenus *comment.* 36. *lib.* 4. *aphor.* sed si quotidie repeteret, quotidie debebat corrumpi; ergo non est dicendum etiam per pares facere accessiones, aut non est dicendum per tertios corrumpi. Præterea: nam si moveri per pares, febres quæ per tertios repetont, periculosum est, sequitur magis periculosum esse morbum dum ab undecimo per quartos ad vigesimum transit, quàm anteà dum per tertios, tantùm movebatur; sed nemo diait morbum eundem periculosiorem esse, post decimum quartum quàm ante; siquidem definit esse acutum, vel saltem ejus activitas languet: ergo non est dicendum motbum esse periculosiorem ea eo quod moveatur per pares. Tandem Hip. 4. *acut. tex.* 56. ait: *Maximè verò numerus impar est observandus:* quod alij vertunt, *Maximè verò impares dies metuendi sunt qui videlicet agros in diversas affectiones distrahere consueverunt.* Videtur ergo deteriorem esse motum per impares: quod significavit ipse Hip *text.* 68. *sequenti*, nam postquam dixerat signa prava magis apparere in imparibus, ait sic, *Salubrius verò est si paribus eveniat diebus, quippe in decreteriis perniciosum est.* Quo fundamento videtur loqui *text.* 62. dum dixit. *Cùm autem in febribus quinta die terrificum quidpiam fuerit, & animi defectus, paulò post in flati moriuntur.* Docet ergo motum per impares deteriorem esse.

Ad

Ad primū resp. quidquid sit de motu febrium per circuitus, humorem biliosum, qui ex se, & ferè semper movetur per tertios ut valida dispositio morbosa, aut quantitas ad hoc faciat, dum motus est per pares, periculum ostendere majus, quod multitudinem dicit propter quam, aut durant accessiones ab impari ad parem, vel die pari etiam eveniunt, vel quia quotidiè propter intensum virium morbosum corrumpitur, & propter multitudinem conjungitur, sive quia diversus est focus, ratione cujus per diversos tertios repetit circuitus, alius per pares, alius per impares, arguit tamen utrumque multitudinem, & virium maximum, & consequenter periculum.

Ad secundum respondetur dies impares esse metuendos ex Hip. quia loquebatur de morbis acutis, qui ex se per imparea moventur communiter; etsi alterum aliquando accidat, ex eo quod talis est motus proprius bilis, à qua morbus acutus procedit, quo sensu loquitur *locis sequentibus*, & 4. *aphor. text.* 36. & 61. dum febres in diebus imparibus terminari docet, ut constat *comment.* 56. in quo Galenus ait sic, *Dies impares multa pollere virtute non simpliciter, sed in acutis morbis est intelligendum*; quasi diceret dies impares non esse absolutè considerandos, sed in morbis acutis quatenùs ipsi communiter per impares moventur, quæ cùm simpliciter necessarium non sit *comment.* 61. per dies impares judicatorios esse intelligendos docet.

Ad tertium dicimus quod dum Hip. dixit moveri per pares esse signum ostendens morbum mortalem, non dixit quomodolibet, sed cum aliis signis pravis acutum morbum ostendentibus, quod docuit Galenus, *comment.* 75. 1. *ep. p.* 2. sic. *Accessiones cum diebus paribus fiunt à principio statim, Interim ad sextum diem pessimum judicium fore pronuntiant; interim in longum producendum morbum. At si admodum moveatur quarta die pravam accessionem habente, ad diem sextum de vita decedunt.* Docet ergo motbum parem non ostendere mortem, nî quando à principio talis est & prava signa sunt; ideò diximus unum, vel alterum significare; dum verò naturali motu per quartos movetur ab undecimo, orc à principio, nec absolutè, est pravus circuitus per quartos in omnibus eveniat diebus: præterquam quod non tollit talis motus morbum suas habere accessiones, quales habebat antea, solum tamen habet illas manifestas esse magis, & molestiores, propter quod pro crisi faciunt.

Dices: contra hoc stat Hip. 1. *coac.* sic scribens: *Febres tertianæ naturam referentes erronea, in pares dies translapsa, difficiles sunt.* Quibus verbis videtur significare tales febres primò fuisse tertianas per imparea repetentes, & posteà ad pares mutari, cùm dicat *in pares translapsa.*

Resp. Hip. non significare priùs fuisse tertianam, sed tantùm docere febres tertianas ad pares translapsas erroneas difficiles esse, quasi diceret febres, quæ per tertios repetunt in diebus paribus sunt febres, naturam tertianæ erroneæ referentes, quæ difficiles sunt; est enim proprium tertianæ moveri per impares: cùm ergo ad tertios pares transferri naturam impropriè habet tertianæ; quid mirum ergo quod dicat naturam tertianæ erruneæ habere, quia per tertios pares movetur, & ex alia parte difficilem esse.

Hic habet locum id quod Fracastorius de humore melancholico dixit, non quod causa sit dierum criticorum, nec quod necessariò putrescat ad ipsos in omni morbo; sed quod pluries per pares circuitus efficiat, cùm motus per quartos plures habeat per dies pares. Verum enim est pluries multum melancoliæ corrumpi in pluribus morbis acutis, ratione cujus deterioris motis resultant, periculosioresque fiunt molestissimis accidentibus, in quibus etiam plures apparent circuitus inopinati per quartos, quod pessimum signum est, quia humor est valde nocivus nostræ naturæ temperie contrarius, prava inducens accidentia, propter quod dum ejus complicatur putredo, anxietas est major, difficilè febres solvuntur, cor patitur, & cerebrum, spiritus corrumpuntur, & plura alia pravæ naturæ eveniunt, cùm ejus corruptione connexa; ideò Hip. 3. *aph. text.* 9. sic scripsit, *Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte*, quod repetit 1. *epid. p.* 1. *text.* 5. & ex eo est, quia ipsorum materia prava est, & nostræ naturæ inimica valde: nam licèt ob bilem ustam ab æstate resultantem evenire dicat Galenus *in comment.* etiam ob pravitatem humoris tunc excedentis procedere docet *comment.* 25. *ejusdem lib.* dum morbos autumno proprios enumerat, quos procedere ab atra bile dixit: quid mirum ergo quod quando illius aliquid permisceatur, in morbis prava inveniantur accidentia, & morbus periculosus resultet magis.

Vall. 2. *epid. comment.* 5. *citato*, ità verum judicat morbos acutos à melancholico humore pendentes deteriores esse, ut reddens rationem cur exitiales sint autumnales morbi, sic dicat: *Ut æstivales acutiores, ità autumnales magis lethales sunt, quia succi autumnales crassiores, sed deterioris speciei, atrabiliary enim.* Et consequenter asserit pecitoros, perire citiùs autumno, quam æstate, etsi tardiùs liberantur. Dicendum ergo est deteriores esse morbos in quibus aliquid melancholiæ conjungitur; & cùm hæc motum habeat per pares, etsi non omninò ea ex parte, qua ad motum per pares facit, ad periculum majus conducit; ac per consequens dicendum est motum per pares periculum majus ostendere, vel longitudinem, dum morbus non est acutus; ideò sic scripsit Vallesius *Sunt enim autumnales, mortales, vel difficilis judicy.*

Elucescere concursum melancholicum in pluribus morbis, præcipuè in his, qui prolongantur, ostendit manifestè motus omnium morborum ab undecimo ad decimū quartum, in quibus per quartos dies critici constituuntur non solùm ex Hip. 1. *ep. & lib. de indi.* verùm & ex Gal. 1. *de dieb. decret. c.* 5. & 10. & ex omnibus Medicis: ergo quia aliquid speciale habet morbus in illis diebus ut magis pro crisi faciat, cùm in omnibus accessiones habeat, habet enim melancholia specialiter pro duratione morbi facere, si antea non deficiant vires: ideò Hip. 2. *aphor. text.* 29. autumnales quartanas longas appellat, & sic dum morbus prolongatur aliquid ejus videtur esse, melancholia scilicet. Quod docet 2. *de crisi.* Galenus *c.* 6. sic ait. *Diuturna, sunt quotidiana intermittens, & illi adhærens continua, sicuti quartana, & quæ per quartum excrescit.* Propter quod Vallesius *loco citato* de autumnalibus morbis sic scripsit, *Sunt difficilis judicy, vix unquam sine productione morbi, aut malis abscessibus, vel permutationibus, vel recidivis relinquentes: quo fiet, ut etsi acutæ*

habeat

habeat primas invasiones, tamen multi ex acutie decidant, sunt enim autumnales, vel difficilis judicy. Docet ergo de ipsis esse prædicendum, quod de morbo pasi docuit Hipp. ac per consequens in illis in quibus melancholiæ apparent accidentia, longitudo vel mors est prædicenda, quod motus per pares videtur significare qualis à melancholie causatus.

Cisee quod non solùm non admittimus necessariam complicationem humoris melancholici ad dies criticos constituendos, verùm negamus etiam hoc fieri ex eo quod melancholia suos faciat complicatos circuitus, & accessiones, ratione cujus duobus accessionibus cõplicatis, alia morbi, alia melancholiæ natura ad crisim faciendam excitetur, hoc etiam negamus; dicimus tamen hoc fieri quatenùs aliquid melancholiæ permixtum est, vel resultat vi ustionis per transmutationem crassi alterius humoris putridi in aliquibus morbis, præcipuè in illis, qui protrahuntur ab undecimo, & dies criticos habent præter naturalem, & proprium motum eorum, quod permixtum simul cum proprio humore unam facit accessionem, naturam, & accidentia utrius humoris ostendentia, ut quando febris notha fit; quo casu humor melancholicus non putrescit, nec movetur extra quartos, sed etiamsi ad focum fluat, & natura expellat putridũ ad proprias accessiones, id permixtũ relinquitur, ut suo quaternario accessionẽ faciat simul cum humore propriam accessionem faciẽte.

Fiet hoc manifestum si attendamus in febre continua tertiana quotidie incrementum habente portionem v.g. pro die quarto à die secundo fluxisse ad focum, manereque in ipso usque ad quartum, etiamsi die tertio expellatur, & moveatur, id quod à die primo ad focum fluxit, quia non expellitur, nec movetur à foco, quidquid est, sed quod propter putredinem fervet. Quod probat communis doctrina docens bilem per tertios moveri, propter quod & morbos acutos per tertios moveri dicimus: moventur ergo febres juxta præcipui humoris motum, maneote, eo quod putridum non est, donec putrescat, juxta suam dispositionem, ut accessionem faciat, etiamsi, id quod anteà putridum est moveatur, & ejiciatur.

Dices, etsi verum sit bilem per tertios moveri, & corrumpi communiter, non implicat tale esse vitium in corpore, ut id, quod per tertios dies debebat corrumpi, per duos aut per unum corrumpatur, ratione cujus quotidie bilis repetat: ergo melancholia etiamsi per quartos habeat corrumpi, poterit ob interiorem intemperiei corporis per tertios, vel quotidie corrumpi, ac per consequens non erit dicendum manere in foco, etiamsi juxta proprium motum alia humoris portio moveatur, donec juxte ejus naturam corrumpatur, & expulsioni apta fiat melancholia; quod ostendit febris tertiana intermittens notha ex bile, & melancholia, quo casu si melancholia non moveretur nĩ per quartos, debebat dari accessio in quarto illius melancholiæ, quæ in foco erat nondum putrida, ut expelleretur tertio die quando bilis accessionem fecit, quod est falsum, & contra experientiam; ergo non est dicendum manere in foco ut expelletur in quarto, sed febrem notham fieri ex eo quod à duplici humore quælibet accessio proveniat. Quod confirmat modos operãdi communis facultatum naturalium, quæ in quantũ possunt operãtur, ergo si movetur ad expellẽdum, quod in foco est molestum, totum debebat expellere facultas, ac per consequens non relinquetur portio aliqua, ut altero die fiet accessio.

Contra hoc tamen est quidquid sit de motu cujuslibet humoris suo loco dicendum, bilis ferè semper de 3. in 3. movetur, & putrescit, & sic dum in eodẽ foco sit putredo, relinquitur quod 3. die debet facere accessionẽ, etiamsi moveatur, id quod 2. die accessionem, vel incrementũ facit; loquor de febre tertiana continua quotidie incrementũ habente, in qua certum est, unum esse focum, nõ dubito duplicem focum reperiri aliquãdo, ut duplex tertiana fiat, non quia simpliciter requiratur, sed quia plures accidit propter quod una aufertur pluries, alterâ manente: at verò in febre continua una debet judicari pars affecta, & unus focus, aliàs non unus morbus, sed morbus complicatus diceretur: cùm ergo non semper debeat supponi tãtùm & tale vitiũ quod id quod per quartos habet corrũpi corrumpatur quotidie, rationabilius dicendũ est per quartos corrũpi, & in foco manere, donec pro suo circuitu sit putredo, & cum humore, pro accessione propria moveatur, ipsaque notha fiat.

Ad argumentum resp. verum esse fieri tertianam notham ex melancholia, & bile intermittente, erit tamen in tali casu, aut quia vitiũ est tale quod anteverrat corruptionem melancholiæ, vel quia sine ejus corruptione tertiana fiat utroque humore moto, altero corrupto, altero secùs; non enim necessum est ut id quod per periodos movetur corruptum sit, ut docet Gal. *c. ult. de diff. febrium*, etsi in tanta quantitate ut excitet ad expulsionem sequiratur, poterit ergo fieri febris notha ex duplici humore, altero corrupto, altero non, nothaque dicetur, quamvis ab uno solùm dependeat febris, quia in causa utriosque accidentia inveniuntur, & in affectu quoque; si verò complicatio fiat ut supponebatur, erit casus positus, & potiùs complicata erit febris, non notha, cùm illi circuitus non causentur à duplici humore conjuncto, sed quilibet ab uno.

Ad confirmationem resp. rectè posse unum humorem in foco relinqui, altero expulsu accessionem faciente, quia etsi facultas naturaliter pellat, id ejecit quod de objecto ejus est; & cùm de objecto expultricis non judicetur, nisi id quod coctrix jam immutare non valet; hinc est ut etiam si in foco pellatur id quod putridum est non ejiciatus, quod adhuc talem dispositionem non acquisivit; manet enim adhuc sub objecto coctricis, id est, adhuc facultas coctrix habet erga id operari, ut accidit in cineritio, quod non expellitur à foco, etiamsi tot adveniant accessiones, in quibus natura pellat, quia adhoc facultatis coctricis habetur objectũ, & expultricis objectum non est nĩ quod rejicit coctrix, ut docet Gal. 3. *de dieb. decr. cap.* 8. aut quod ità irritat quod extra naturalem modum cogatur operari facultas, ut fit quando in crisi non solùm coctum, sed etiam crudum faciens accessionem particularem, & in evacuationibus symptomaticis.

Videtur ergo ex dictis necessariam concedẽdam melancholiæ permixtionem in omni morbo, ut voluit Fracastorius. Cùm non aliud dies criticos post undecimum inveniamus per quartos, quod supra compugnavimus. Respond. nos impugnasse Fracastorium, quatenùs dixit dies criticos non aliter fieri quã irritatâ naturâ propter cõplicationẽ accessionis melãcholicæ cũ propria morbi, & quatenùs hoc judicabit necessariũ, hoc nos negamus: dicimus enim dies criticos resultare juxta motum cujuslibet

cujuslibet morbi per pares, aut impares, nullo bomore melancbolico concurrente solum ratione accessionis. Quâ ratione Gal. c.2. *de dieb. dec.* in omnibus diebus crises concessit, sic qui per impares moventur tantùm ab undecimo crisim habent decimus tertius, & decimus quintus, & decimus septimus, & decimus nonus, & vigesimus primus, &c. qui verò per pares in aliis, habent tamen inæqualitatem dicti dies in judicando, ut magis judicatorius sit decimus septimus & vigesimus primus, quàm decimus tertius, & decimus quintus, quia cùm crassa materia sit quæ ultra undecimum protrabit morbum, non nisi post aliquot dies coquitur, & sic plures judiciatos dedit Gal. *de dieb. dec. c.5.* ex Hip. 1. *ep. p.2.* quod est, quia qui per impares terminantur, aut undecimo, aut decimo septimo, vel vigesimo primo terminantur; etsi aliquando aliis diebus imparibus: dum verò extra proprium motum humoris morbum moveri dicimus, hoc est permutari saltem quoad crisim, dicimus fieri propter alicujus alterius permixtionem quam ipse motus ostentat: & cùm motus per quartos melancholiæ debeatur, ipsam dicimus permisceri dum juxta talem motum sit crisis quæ resultat, aut ipsâ denuò corruptâ, vel quod verius judico aliquo crasso humoris facientis morbum vi ustionis in melancholism murato, ut Gal. 2. *de diff. fe. c.9.* quod crassum dû morbus prolongatur, necessariò est concedendû, & vi ustionis non ni in melancholiam rarioinabiliter mutatur.

Dices: ex Hip. morbi qui judicantur per dies per quos moventur, benè judicantur, quomodo ergo dicimus malas esse terminationes diebus paribus factas, & periculosiores esse morbos, præcipuè cùm morbus sanguineus per pares moveatur, & optimè judicetur per pares, ut Gal. 3. *de crif. c.4.* & ex alia parte morbos ex sanguine securiores judicet Hip. 6. *aph. text.53.* per hæc verba. *Dispientia cum risu securiores, quæ verò cum studio, periculosiores.* Ubi per desipientiam cum risu eam debemus intelligere, quæ à sanguine sit, ut Avic. *f.1.l.3.tract.3. c.2.* sic. *Dicemus ergo quod primum signorum sit sectum falli à sanguine est, quod accidit cum risu.* Et sic id licèt non referat Gal. *in comm.* colligitur cùm alias species ab aliis humoribus evenire dicat, & hanc securiorem omittat: ergo si morbus sanguineus movetur per pares, non debent dici periculosiores morbi, & dies pares.

Resp. rectè dixisse Hipp. benè terminari morbos, qui terminantur diebus sui motus, quod intelligendum est comparatione factâ ad terminationem extra dies sui motus, non quod absolutè benè terminentur, terminantur enim meliùs propriis diebus accessionis morbi, benè tamen, aut malè juxta cujusque morbi naturam: & cùm illi qui moventur per pares deterioris naturæ sint, quia multitudinem significant, aut humorem atrabilarium, hinc est ut terminationes per pares deteriores sint, meliores tamen quàm si diebus imparibus fierent, quia juxta proprium motum, ut voluit Hipp. & sic fallitur Vall. *in comm.* dum dixit meliores terminationes fieri diebus imparibus, quia sine fundamento opponitur Hippoc.

Ad id quod de morbo sanguineo dicimus (quidquid sentiat Valetiola) verum esse tutiorem morbum dici etiamsi per pares moveatur, & benè judicari per pares, est tamen malum signum motus per pares, non absolutè, sed juxta id quod communiter accidit: & cùm rarò sint sanguinei morbi, ut Gal. 3. *de crif. cap.4.* & communes sint magis morbi acuti qui per tertios impares moventur, hinc est, quod rectè scriptum sit, morbum parem periculosum esse, dum acuti sunt signa, quia morbus acutus communiter per impares movetur, oî tanta sit materiæ multitudo, quod accessiones protrahat ad dies pares, vel ipsas multiplicet, totum quod deterius est, quàm per impares moveri; si verò morbus acutus non sit, multa materia, vel ejus crassities longitudinem significat.

Argumenta opposita ex dictis manent soluta, cùm moveri per pares non eveniat in acutis nisi ob multitudinem materiæ, & in non acutis ob crassitiem, totum quod aut periculum majus, vel longitudinem ostendit communiter, etsi aliquando moveri per pares securissimum sit acuto existente morbo à sanguine pendente, rarò tamen; dum verò diebus imparibus debere fieri judicationem docent Autores, loquuntur de eo, quod communiter accidit in morbis acutis, non quia in omnibus crises non fiant.

QVÆSTIO VII.

De diebus terminantibus quemcunque morbum.

Pluribus modis morbus accipi potest, ut attendamus ejus dies terminantes; est enim quæstio de diebus terminantibus morbum, qui sint. Ad quod advertendum est morbum materialem (illi enim tantùm crisi terminantur) posse considerari prout terminantur in mortem, vel salutem, & posse considerari prout periculosus, vel sine periculo existit, & tandem prout longus, aut brevis est. Primo modo consideravit morbum Hipp. 3. *prog. text.* 1. dum dixit eisdem diebus terminari morbos in salutem, vel mortem secundo & tertio. Galen. cum depinxit 2. *de dieb. decr. cap.13.* & *lib.3. c.12.* dum morbos acutos significare intendens alios celeris motûs, alios tardi, alios cum periculo, alios sine illo supponit, ut tandem concludat morbum acutum esse, qui celeriter & cum periculo movetur, debet ergo morbus secundum omnes has terminationes considerari, ut ejus dies terminantes adducamus.

Videtur tamen nullo modo esse dies determinatos ostendentes morbum in mortem, aut salutem terminari, longum, aut brevem esse, cum periculo, vel sine illo, ac per consequens alios esse dies prout morbus in salutem terminatur, prout in mortem aliàs; alios prout longos, alios prout breves, alios prout cum periculo existunt, alios prout sine ipso. Hoc probatur primo nam Gal. 1. *de dieb. decr. c. 4.* dum quartus pravè indicat, mortem in sexto cognoscit: si verò benè indicat, salutem in septimo: ergo dies terminantes morbum in salutem, aut mortem non sunt idem. Sic ait Gal. *Qui in quarto ad pejorem statum recidunt, plerique sexto moriuntur, è contrario verò si bona conversio contingat, septimo crisim expectabit.* Idem docet *capite* 11. ergo diversi dies constituendi sunt pro terminatione in mortem, ac pro terminatione in salutem. Quod confirmat Hippocrat. 2. *progn. text.* 23. sic ait, *Variegata excrementa quamquam diutius mortem differunt, nihilominus sunt lethalia,* Gal. *in comm. c.* 11. 1. *de crif.* id evenire docet quia multæ significantur affectiones, quæ non nisi per longum tempus corriguntur

guntur, si corrigi possunt, at periculum majus ostendunt: ergo docet in mortem citiùs terminari, tardiùs verò in salutem, ac per consequens diversi sunt constituendi dies prout morbus, in salutem, aut mortem termin[illegible]tur.

Præterea: morbus salubri, qui per crisim terminatur post coctionem materiæ in statu terminatur; sed morbus mortalis non pervenit ad statum: ergo diversis diebus morbus terminatur in salutem, ac in mortem. Antecedens ostendit Gal. pluries, præcipuè 3. *de crisi.cap.*10. in quo docens optimam crisim in statu fieri; imperfectam verò ob irritationem anticipari, sic ait. *In exitialibus morbis eodem modo res se habet, necnon crisis statûs tempus expectat, aut admodum raro, sed maxima ex parte in augmentis interficit, vel in principio*: Ergo dies terminantes morbos pro salute non sunt illi, qui pro morte terminant, quod ratio ostendit; nam morbi terminantur per salutem materiâ coctâ; sive per crisim expulsâ, vel paulatim evacuatâ, sed dum morbus terminatur in mortem, ad declinationem non pervenit; ergo non finiuntur æquali numero dierum. Major est certa, cùm non nisi coctione peractâ crisis perfecta fiat. Minor constat, cùm mors adveniat materiâ existente crudâ, ac per consequens in æquali dierum numero finietur morbus in salutem, ac in mortem.

De morbo longo, & brevi minor est dubitatio, cùm ille constituatur talis per magnam ejus durationem, brevis verò per parvam, & sic diversis diebus debent terminari, qui si periculosi extitant, eam durationem habebunt, qualem ex se morbus habebat si periculo careret, ut indè conflet longi, & brevis morbi terminationem esse quætendam, cùm sub hac differentia periculum esse, & abesse possit. Ad quod advertendum est, quod morbus brevis potest esse celeris aut tardi motûs; diaria enim febris brevis est morbus, & tardi motûs, synochus verò celeris motûs est, & brevis morbus, etsi longior sit diariâ, quia velociùs movetur humor calidus Synochum causans, quam spiritus, irritat enim ille magis: Quæstio tamen solùm est de morbis crisi terminandis, & sic rectè potest dari accessiu ab humore frigido, vel crasso pendens, quæ immediatè cessit tardique erit motûs, etsi brevis sit morbus, in cujus contrapositionem synochus celeris est motûs, & longus, ut docet Gal.3 *de dieb.dec. c. ult.* at verò si ad rem loquamur; morbus brevis est, qui celeris motus est: nam ut Gal. *loco cit.* quod celeriter movetur non potest morari, & sic morbus brevis, seu celeris motûs, aut est cum periculo, aut sine ipso; cum periculo autem constituit, non ità si periculo careat: difficile tamen est celeriter moveri, & periculum non habere, qui verò longus est, tardè movetur: potest tamen etiam cum periculo esse; aut sine illo, & sic ut dies terminâtes morbû cognoscamus morbum acutû, aut longû respicere debemus, quatenùs acutus brevis est, & celeris motûs, non ità longus.

Morbum acutum intra quadraginta dies terminari videtur docuisse Hip. 1 *prog.text.*25. per hæc verba. *Facilis inspiratio in acutis morbis quibus febris copulatur, & intra quadraginta dies judicari solent, magnum habet ad salutem momentum.* Ergo terminus morborum acutorum quadragesimus, dies est assignandus. Quod videtur ostendere etiam 3.*prog. text.* 3. & *seq.* in quo postquam acutorum morborum per quartos, statuit vigesimum etiam quadragesimum & sexagesimum adduxit, sic ait; *Igitur accessiones ex acutissimis morbis per quatuor in vigesimo aucta finiuntur, deinde eadem additione primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad sexaginta dies perveniet:* Morbi ergo acuti saltem ad quadragesimum protrahuntur, & ab hoc termino debent censeri longi; manifestè tamen hoc docuit Hip. *lib. de dieb. jud. in fine* per hæc verba. *Indicantur autem febres quarto die, septimo, & undecimo, & decimo quarto, & decimo septimo, & vigesimo: Ex his verò acutis trigesimo, deinde quadragesimo, postea sexagesimo. Cum verò hos numeros excesserint, diuturna jam febrium constitutio fit.* Docet ergo manifestè morbum acutum ad sexagesimum protrahi ab illóque termino longum fieri morbum.

Cùm Hipp. *lib. de jud.* dies ad vigesimum tantùm numeraslet, vigesimum morbos acutos terminare voluerunt plures; nam postquam dies judicantes ad vigesimum per quartos adduxit ait, *Ha in acutissimis morbis per quatuor ad viginti appositiones fiunt*: Ergo post vigesimum morbus est longus. Quod videtur significare Gal. 2. *de dieb. decret. cap.* 12. sic ait, *Exactè peracutus morbus est, qui quartum diem attingit: non exactè qui ad septimum usque producitur. Eadem ratione inter acutos, alius exactè acutus qui usque ad decimum quartum porrigitur. Non exactè verò qui ad vigesimum usque durat, quamquam & ipse acutus sit.* Ergo morbus ultra vigesimum longus est, acutus verò ad ipsum protrahi habet: si tamen attendamus quæ à *aphor.* docet Hip. *text.* 23. videtur morbum acutum ad quadragesimum tantùm extendi, longum verò ab ipso incipere, sic ait. *Acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur.* Ergo non est dicendum morbos acutos ad quadragesimum aut vigesimum extendi.

Quamquam ab Autoribus diversi assignentur dies morbos acutos terminantes, nihilominùs rationi consonum videtur morbum omninò acutum ferè semper intra quatuordecim dies terminari, aliquando ad vigesimum extendi à quo ad quadragesimum seu ad quemcunque alium diem, jam longus constitnitur morbus, cum hac differētia, quod usque ad quadragesimum longus morbus ex decidentia vocatur, à quadragesimo verò longus absolutè dicitur; tamen morbus longus ex decidentia, cùm non solùm per multum tempus morbus protrahitur, sed cùm accidantia & circumstantiæ acutiei relucent in ipso, propter quod longus ex decidentia dicitor, scilicet morbus longus ex acuto decidens procedens, seu factus, & ob hanc rationem à decimo quarto ad quadragesimum diverso modo movetor morbus, quàm anteà, & post, antcà per tertios movetur acutorum morborum proprium, ut Gal. 2. *aph. com.*36.& 3.*de dieb.dec.c.*8. à 14. ad 40. per quartos & pares morbotû longorum proprium, ut in ipso *c.*8. docet Gal. post 40. verò per vigesimos constituūtur dies critici, ut ex dictis constat: ergo morbus qui ultra 14. diea protrahitur, longus est non absolutè, sed ex decidentia, acutus verò qui non transit decimum quartum, longus tamen absolutè, qui ultra quadragesimum procedit.

Hanc veritatem docuit Hip.*l.de jud.* sic. *Acuti morbi in* 14. *dieb. plerumque judicantur.* Quibus verbis significavit non terminari absolutè, & semper intrà 14. diem, sed plerumque; & juxta hunc sēsum locutum fuisse 2.*aph.* & sic Gal. *in com.* & 2. *de dieb.decr.c.*12.& 13. ex professo nostrû placitû tuetur:

tuetur: nam postquam dixit acutum morbum exactè decimo quarto terminari, acutum absolutè vigesimo sic ait. *Acuti ergo simpliciter non usque ultra decimum quartum diem progrediuntur, non judicati.* Quasi diceret qui ad vigesimum, aut quadragesimum protrahuntur, jam non simpliciter acuti, sed ex decidentia tales appellandi sunt: quod ità esse intelligendum ex Hippoc. docet in ipso *cap.* 12. infrà per hæc verba. *Si non acutorum duplicem naturam cognovisset Hipp. aliam absolutè acutorum, aliam ex decidentia, non sanè distinxisset appositione suam sententiam.* Ostendit ergo Galen. morbum alium dici absolutè acutum, alium ex decidentia ab Hipp. quod videtur significare 1. *prog. text.* 25. dum dicit, *Facilis spiratio in morbis omnibus acutis, qui intra quadraginta dies judicari solent, signum salutis putanda est.* Nam si acuti absolutè essent intelligendi, non dixisset in acutis intrà quadraginta dies terminandis.: ergo alij sunt appellandi simpliciter acuti, alij non ità, sed cum additamento.

Probatur hoc ratione: nam morbus acutus, simpliciter ille est, qui à bile dependet, ut Hip. *lib. de dieb. judic. circa principium,* & Galenus 4. *aphor. comment.* 36. & 3. *prog. comment.* 32. idcò celeris motus est, & cum periculo; est enim humor calidus, & tenuis; ergo breviter debet terminari: propterea Hippoc. 4. *aphor. text.* 59. sic ait. *Tertiana exquisita septem circuitibus, quod longissimum est, terminatur*: ergo debet morbus acutus intra quatuordecim dies terminari, quia illis diebus sufficienter potest coqui materia: & cùm illi inveniantur in septem circuitibus, rectè dictum est, quod longissimum est ipsis terminari tertianam exquisitam; ità ut eo gradu, quo ab esse exquisito deficit, jam decedat ab acutie morbus, & in longius protrahatur.

Probatur prætereà: nam morbus acutus à bile fit per tertios, quæ movetur: sed à decimo quarto tam est motus per tertios, quàm per quartos: ergo non fit ut anteà à bile, ac per consequens non habet simplicem naturam, quam habebat. Patet minor: nam etsi per tertios dentur accessiones, ut anteà, constat per quartos esse accessiones majores, cùm ipsas sequantur crisis, & per quartos constet dies criticos resultare: ergo diversam naturam habet morbus, ac habebat, ac per consequens ad decimum quartum simpliciter acutus erat morbus, à decimo quarto verò non ità; sed ex decidentia tales à quadragesimo absolutè, & simpliciter longus. Quod confirmat Galen. *cap.* 8. *citato* per hæc verba: *Quanam causa sit ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum accessiones fiant, in longis autem, vel quotidie, vel quarto quoque die, non promptum est invenire: quod verò si veniant, oculis usurpare licet.* Docet ergo motum per tertios proprium esse acutorum morborum, per quartos longorum, ac per consequens, cum à decimo quarto per quartos moveatur morbus, qui anteà movebatur per tertios, acutum anteà fore simpliciter est dicendum, posteà verò non ità, sed acutum dicendum.

Neque est admittenda concordantia, quam adduxerunt plures circa Hip. verba: dicunt enim quod dum quatuordecim diebus morbum acutum terminari scripsit, sic intelligendum quatenùs intra quadraginta dies quatuordecim inveniuntur judicantes, & sic verum est morbum acutum ad quadraginta extendi, & quatuordecim diebus judicari. Quam concordantiam impugnat ex professo Galen. 2. *aphor. comment.* 24. & 2. *de diebus decretoryis:* nam, vel dies judicatorij sunt per septimanas numerandi, & sunt sex, vel sunt numerandi per septimanas, & quadraturas, & sunt duodecim, quartus scilicet, & septimus, post undecimus, & decimus quartus, post decimus septimus & vigesimus, post vigesimus quartus & vigesimus septimus, post trigesimus primus & trigesimus quartus, post trigesimus septimus, & quadragesimus; & hoc modo non sunt quadraginta dies: vel sunt numerandi etiam intercalares, & plusquam quatuordecim sunt, cùm ad minùs addantur tertius & quintus & nonus, & apud plures, plures alij; ergo dicta concordantia non est admittenda, sed dicendum est locutum fuisse Hippoc. de exquisitè & verè acutis. Dum ipsos quatuordecim diebus terminari docuit, quia ità ferè semper fit, etsi aliquando ad vigesimum protrahantur eadem acutie; propter quod toties vigesimum terminum acutorum assignavit, dum verò ad quadraginta extendi docuit, locutus fuit de acutis ad longitudinem decidentibus, quatenùs qui acuti erant in principio ob aliquem errorem ad longitudinem devenerunt, & sic acuti decidentes nominantur, seu longi ex decidentia, etsi verè longi ad illum terminum, & ulterius protrahantur, dicunturque tunc planè nocturni.

Ratio autem deceptionis propter quam plures morbi acuti, qui intrà 14. dies terminantur tardiùs judicamus terminari, adducitur à Galeno 2. *aphor. comment.* 23. & 2. *dieb. critic. cap.* 13. dicente, accidere pluries morbum aliquem remissè incipientem, & tardi motûs quarto aut septimo, aut altero die acutum fieri, celeriterque moveri, ratione cujus decimo septimo, aut vigesimo, aut altero die judicatur à principio, seu à primo esse morbi, etsi verè decimo quarto à permutatione judicatur. Patet ultra decimum-quartum terminari à prima invasione, & decimum quartum à permutatione; nam illius morbi debet dici terminatio, & judicatio, cujus est ablatio, illius judicationis vi, & cujus motus sequitur judicatio: sed terminatio vigesimo die facta sequitur motum inceptum, seu permutationem factam in septimo: ergo debemus dicere ab illo die incipere morbum acutum, ac per consequens die judicatorio, juxta ejus motum sunt attendendi, non à primo esse morbi; nam anteà, aut morbus non erit magnus, aut forsan non erit ex illis, qui tali crisi terminantur, & sic, nec ipsi est tribuenda crisis.

Dices: ab undecimo seu à vigesimo mutatur motus morbi quoad dies criticos: ergo ab illo die debebat fieri computatio: sed hoc est falsum; ergo non ex eo quod permutetur morbus à die permutationis est numeratio facienda.

Resp. non esse idem motum morbi permutari quoad dies criticos, ac permutari morbum: primum est verum ferè in omni morbo ob rationem dictam: secundum non est verum; nam permutatio quoad motum nascitur præcisè penes crassitiem aliquam repertam, aut resultantem in ipsamet causa morbi vi ipsius morbosæ dispositionis, quod omninò naturam morbi non variat, etsi aliquam immutationem intra eandem speciem causet: Dum verò dicimus morbum permutari, dicimus naturam mutari, ità ut si anteà morbus erat intermittens, fiat continuus si; compositionis,

nis, fiat intemperiei, ut si ea somno profundo excitetur febris, aut ex putrida lenta, acuta resulret: in tali casu verè mutabitur morbus, & certum est, quod etiamsi à primo esse morbi vigesimo judicetur, non erit vigesimus dies respectu morbi qui judicatur, sed qualis à permutatione fuerit.

QVÆSTIO VLTIMA.

A quo die debeat fieri Computatio.

DUBIUM antecedens hujus quæstionis resolutionem desiderat, quæ propter plura examinanda venit, & inprimis habet locum, in cujusvis morbi enumeratione in recidiva, & in partu; certum enim est quod cum dies morbi numerandi sint, à primo debet incipere computatio, ut voluit Galen. 1. *de dieb. cit. cap.* 6. nam etsi principium morbi sumatur, & pro tempore cruditatis, & pro primis diebus, & proxima ejus invasione, in duabus primis acceptionibus accipiendum non est: siquidem tempus cruditatis ad septimum usque diem extenditur pluries; & in secunda acceptione ad quartum diem, & dies critici constituuntur tertius, & quartus, & septimus: non ergo computatio habenda est à principio morbi prout principium tempus cruditatis significat, seu primos dies; sed prout primam invasionem ostendit: quo modo bene stat dies criticos constitui, vel per motum lunæ, quatenùs ab uno puncto ad alterum hunc, vel illum aspectum habet, hunc, aut illum effectum facit, ut voluit Galen. vel per assonantiam unius diei ad alterum, ut voluit Pythagoras; vel per accessiones ipsas, ut cum Hipp. volumus.

Nec facit contra hoc, primum diem morbi pluries non cognosci, & sic nec computatio dierum criticorum certè posse fieri: ex quo deducitur dies criticos à prima invasione non esse numerandos, quia cùm dies critici certi & determinati adducantur ab Autoribus, qui sine certa notitia primi diei non possunt cognosci, non poterit fieri computatio à primo die morbi. Hoc inquam, nil valet: nam, ut docet Galen. *cap.* 6. *cit.* dies criticos in morbis quorum est manifesta prima invasio cognoscimus: sic ait, *Morbis itaque alijs in quibus obscura principia sunt, omissis, decretorios dies in manifestis experiamur.* Quod ut ostendat docet difficile esse morbum dari quin ejus primum esse constet, non solùm Medico, verùm etiam cuilibet hora, magis minúsve, quod non esse ad rem judicat: siquidem die critico cognito parum interest an hac, vel illa horâ futura sit crisis, præcipuè cùm id ex hora accessionis sit deducendum, ut docet ipse Gal. 3. *de crif. c.* 4.

Etsi verum sit dierum criticorum computationem à die invasionis incipere, intelligendum est manente morbo intra eandem speciem, & naturam: nam ut docet Galen. 2. *aphor. comment.* 23. & 3. *de dieb. crit. c.* 13. dum morbus permutatur ab una natura in alteram à die permutationis computatio est facienda, sic ait: *Qui námque ad decimum septimum diem vel vigesimum, exciderunt, acuti morbi planè inceperunt, tanquam submersi lento motu, gravique, deinde alij primo, alij secundo quaternione exactè acutorum motum recipientes ad 17. & 20. exciderunt, quamquam & hi intra decimum quartum suum judicati sint: nam in dierum primo quaternione vehementiam incipientes, deinde decimo septimo judicati decimum quartum suum diem non excesserunt.* Docet ergo computationem faciendam esse à die permutationis, cùm asserat intra suum decimum quartum terminari morbum acutum, etsi decimo septimo terminetur à prima invasione, quatenùs vehemens facta fuit in primo quaternione, id est, quatenùs à die permutationis, quæ facta fuit quarto, aut quinto die est facienda mensuratio.

Secundo aphor. comm. 23. idem repetit, sic ait. *Nullus inventus est unquam, qui ab initio velociter moveretur, hunc transgredi terminum, ut quidam lèvis, ac parvi circa primos dies existentes 4. aut 5. die continui vehementes, & acuti fieri incipientes ad decimum septimum terminarunt; alij verò sexto aut septimo die exacuì incipientes, ad vigesimum terminarunt, adeò ut morbi continui acuties nunquam possit plures quam quatuordecim obtinere dies.* Ergo à die permutationis computatio est facienda.

Probatur ratione: nam cùm dies critici continuantur, & numerentur ratione dispositionis conducentis ad crisim dum morbus est unus, una debet esse computatio; dum verò morbus diversus est, diversa computatio debet esse; nam diversi sunt assignandi dies dum morbus celeriter movetur, ac dum lenìè, & tardè movetur, ut Gal. 3. *de crif. cap.* 4. sed potest incipere morbus lento motu, & post aliquot dies vehementer & celeriter moveri; ergo diversa computatio est, dum morbus permutatur, ac anteà, ac per consequens à die permutationis dierum computatio est facienda.

Dices: In tertiana intermittenti fit permutatio ab uno die in alterum; ergo quolibet die debet fieri diversa computatio; nam nulla potest esse major diversitas, quàm, illa quæ invenitur inter esse, & non esse febris, quæ datur in exquisita tertiana.

Respond. computationem debere fieri juxta dispositionem conducentem ad crisim, & cùm in febre intermittente una dispositio sit foci, sicut in continua; siquidem dispositionis vi illius repetit febris, & unus morbus dicitur; hinc est quod una computatio sit facienda tam in febre intermittente, quàm continua, unam naturam habente. Ideò Gal. 1. *epid. part.* 2. *comm.* 7. de septimana agens unum morbum inquit esse quando secunda accessio, sive quinto, sive septimo, sive octavo die accidat, non casu; sed ratione alicujus seminis derelicti ex prima accessione, seu dispositione eveniti; tertianam exquisitam septem circuitibus, quod longissimum est terminari docuit Hipp. 4. *aphor. text.* 59; quia septem circuitibus intra quatuordecim dies sint, & intra ipsos terminentur morbi ea bile facti: tertiana quando longiùs protrahitur, si exquisita sit septem terminatur circuitibus; nam etiamsi in intermittentibus ijdem sint circuitus, ac dies in continuis, ut voluit Gal. *in comm.* cùm major dispositio ad correctionem detur die intermissionis, id est, quando magis septem circuitus sunt expectandi, quia quatuordecim dies comprehenduntur in ipsis, ad quos morbus acutus extenditur, nî longitudo superveniat, quam impedit dispositio major ad correctionem in intermittenti, quod non tollit etiam paucioribus terminari posse, ut docet ipse Galen.

Difficultas major est de recidiva, & partu, an

computatio facienda sit à die febris, an à die partûs, & recidivæ, ad quod supponendum est recidivam non quemlibet morbi regressum appellari: sed dum morbus eusdem rationis est ab eadem foci dispositione, seu vitio procedens, aliàs dum morbus in abscessus terminatur, recidiva dicetur, ut dum febris erratica in quartanam transit, quod potiùs permutatio est quàm recidiva; ut dum post unum morbum alius, etsi ejusdem rationis, resultat, totum quod recidivæ rationem non habet: siquidem ità sit, ac si novus affectus esset, aut nullo supposito resultaret: quo casu à die regressus computatio est facienda, quod est notum; nam si diversus affectus est, cùm propter diversam naturam, diversam arguat dispositionem, diversa debet esse computatio, & adhuc, quando morbus ejus naturæ est à diversa dispositione seu vitio procedens, nil supponit antecedens commune, ratione cujus non sit ab illo seorsim computatio facienda.

Neque ex hoc colligendum est diversam esse habendam computationem à die suppurationis, ac à primo die inflammationis, quatenùs morbus alius diversæ naturæ considerandus sit à suppurationis die, ut voluit Vall. 10.*contr.c.*5. nam licèt diversum quid sit materiam suppurati, ac crudam esse, non diversum morbum constituunt, sed eundem in diversis temporibus; nam ut febris non constituitur diversa ex eo quod nunc materia cruda sit, & posteà cocta juxta temporum diversitatem, sic tumoris idem considerandus est morbus quando materia fluit, & cruda existit, & quando coquitur, quatenùs juxta has mutationes diversa constituuntur ejusdem morbi tempora: sed per diversa tempora non est facienda diversa computatio in morbis: ergo nec in tumore diversa computatio est facienda quando materia fluit, ac quando suppuratur. Quod morbus non constituatur diversus ratione temporum per coctionem, & cruditatem materiæ, est expressum in Gal. *lib.de tot. morbi temp.* & 1.*aph.*& in Avic.*f.*1. *l.*4.*c.*3. quod per diversitatem temporum non sit diversa computatio constat; cùm à primo die morbi usque ad crisim computationem faciat Gal. 1. *de dieb. decr. c.*6. & crisis in statu morborum debeat fieri materia quando cocta existit, ut docet etiam 3.*de cris. c.*5. ergo ratione diversorum temporum, aut ratione coctionis, aut cruditatis non fit diversa morbum computatio.

Quod ratione suppurationis tumoris non sit diversa computatio facienda probatur: nam ratione diversorum temporum non fit diversa computatio: sed ratione suppurationis constituuntur tempora tumorum, diversa; ergo non est facienda diversa computatio, ratione suppurationis. Major est certa; Minorem ostendit Gal. 1.*de feb.c.*6. ubi expressè docet actionem sedimentum facientem ejusdem rationis esse, cum illa, quæ in tumoribus est puris generativa: sed puris generatio dicitur suppuratio: ergo de suppuratione philosophandum est, sicut de actione sedimentum facientε. Hanc constituere augmentum morbi, & statum, dictum est: ergo & suppuratio diversa morbi tempora debet constituere. Quod ex professo docuit Gal. *c.* 3. *de tot. morbi temp.* dicens, principium tumoris constitui toto tempore quo materia fluit, augmentum quando materia putrescit, status dum in pus vertitur: ergo per mutationem in pus, seu per suppurationem non est facienda diversa computatio in tumoribus: nam suppuratio solùm diversa tempora significat; comprehendit enim suppuratio, ex Hip. materiæ putredinem, & mutationem in pus: quà ratione 6.*aph.sex.*20. scripsit, *Si sanguis in ventrem fluxerit, necesse est suppurari. In cujus comm.* Gal. per suppurationem mutationem, quam recipit sanguis extra proprium locum intelligit, quod est corrumpi, ut tandem in pus vertatur. Quà ratione judico supporationem actionem participem coctionis & putredinis intelligunt plures, quatenùs coctio, seu mutatio in pus non datur absque putredine, sic augmentum, & status per actionem transmutantem materiam tumoris inpus constituuntur.

Dices: sequitur non esse dies tumoris numerandos à prima invasione, quod est contra Gal. 1. *de dieb. decr. c.*6. nam febris incipit dum materia putrescit: sed in augmento incipit putrescere; ergo incipit febris: at Gal. à die febris numerat dies *c.* 6.*cit.* ergo non à principio tumoris. Quod ostendit Hip. 2.*prog.text.*58. sic. *Suppurationis initium observare oportet, quod ab eo die putandum est quo primò quis febricitavit.* Nec valet respondere, quod etiamsi febris incipiat in augmento, cùm tumor habeat esse à sui principio, ab illo numeratio est facienda: nam mutationes illæ sequuntur tempora diversa morbi, ut quando morbus augetur & viget, non præbet diversam considerationē ad computationem dierum; & licèt sic febris in augmento incipiat, à primo esse tumoris dies sunt constituendi. Quod etiam constat in morbo signa repugnantia coctionis habente in augmento sui, ut Gal. 1.*aph.comm.*12.& *c.*3. *l.*4. Avic. & dies à primo sui esse numerantur, ergo etiam in tumore. Hoc inquam nil valet, quia dum morbus diversæ materiæ constituitur, antea diversa computatio est facienda; sed dum advenit febris morbus diversæ materiæ resultat, ac anteà: ergo nova computatio est facienda à principio febris, ac per consequens, non erit facienda à primo esse tumoris: non verò morbus viget & augetur, etiamsi lethalia sint signa, non mutatur natura morbi, quia intra propriam quam habebat anteà viget, & augetur, & dicta habet accidentia.

Et licèt hoc argumentum petat constitutivum temporum morborum suo loco explicandū, resp. dies à primo esse sensibili tumoris esse numerandos, quatenùs proprium quod durat toto tempore fluxionis sine putredine brevissimum est, & sic à primo esse febris, & tumoris computatio fit: dum verò Galen. docuit in augmento incipere putredinem, intelligit actionem ad opus facientem, quæ suppuratio dicitur, quatenùs actio caloris elucet, quæ in statu perficitur: ideò dictum est à Galen. & Avic. *locis citat.* augmentum constitui dum signa coctionis manifesta sunt; statum dum perfectæ, & actionem pus facientem assimilari actioni sedimentum generanti, quæ etiam per signa manifesta coctionis augmentum constituit, & per perfectiora statum: ergo dum per putredinem incipere docet, quoad correctionem intelligendum est, non in esse putredinis: impossibile enim est toto tempore fluxionis sine putredine humorem inculcatum manere. Dicitur tamen actio, quæ in augmento incipit suppuratio, quam participem ex coctione, & putredine voluerunt plures, de quo suo loco. dum verò Hippoc. dixit suppurationem à febre incipiente cognosci, intelligitur à febre vehementiùs incipienti, quàm antà, ut docet *in com.* Galen. & ab illo die numerat ruptionem, non quia

quia computatio ab illo die fit, & non primo morbi, sed quatenùs à die, in quo apparent signa coctionis tot sunt expectandi, quot præcesserunt antcà, ut diximus.

Ad rem ergo est difficultas utrum dum recidiva datur, à die regressûs computatio fiat, vel à primo die morbi antecedentis. Circa quod communis opinio est, quam sequitur Vallesius 10. *controv. cap.* 5. à primo esse morbi recidivam esse computandam, non à die recidivæ, primò quia Hipp. 1.*epid. part.* 2. plures, & varias historias adducit ægrotantium, qui sexto vel septimo die judicati fuerunt, duodecimo recidiva facta fuit, & quinto die à recidiva à morbo fuerunt liberati omninò die decimo septimo, quas historias adducit etiam Gal. 2. *de dieb. decr. c.* 3. ergo à die primo morbi est facienda computatio; & non à recidiva, aliàs non affirmarent Hipp. & Gal. decimo septimo fuisse judicatos, qui quinto aut tertio recidivæ judicabantur. Quod probant etiam, quia tertiana intermittens unus dicitur morbus, etiamsi diebus intermediis febris deficiat, quia una dispositio est in corpore pro omnibus accessionibus faciendis: ergo idem dicendum à recidiva; quod ostendunt accidentia, quæ cognoscuntur in corpore dum morbus terminatus est, & recidiva timetur, sitis scilicet, oris amaritudo, intemperies, & similia quæ adducit Hippoc. 6. *epid. part.* 2. *text.* 19. & 20. & 22. sic. *Si ex effusis intus relinquitur, paratus est abscessus.* Et ejus adducens signa, sic ait, *Sitis intus relicta, & oris reficcatio, & injucunditas, cibi fastidium eodem modo.* Et reddens rationem inquit, *Quæ relinquuntur post judicationes recidivas facere solent.* Ergo dicendum est à primo esse morbi computationem esse faciendam, non à recidiva, cùm ab uno, & eodem vitio dependeant, seu ab eadem causa reducenda.

Mihi tamen videtur dicendum à die recidivæ esse computationem faciendam; nam dierum computatio debet fieri à tempore cruditatis usque ad coctionem materiæ, quâ suppositâ crisis fit; sed recidiva fit materiâ denuò incrudatâ coctione præcedente in ipsa prout morbum antecedentem faciebat: ergo diversa est habenda computatio à die recidivæ. Major est certa, quia computatio fit à primo esse morbi usque ad diem crisis, quæ fit coctâ materiâ. Minor probatur, quia solùm penes hoc quod die critico non fiat crisis, recidivam prædicit Hippoc. 1. *ep. p.* 3. *text.* 14. & 3. *prog.* & *aphor.* 4. *text.* 61. dicens, *Nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare*, Ubi per impares judicatorios intelligit Gal. *in comment.* sed hoc potest fieri materiâ coctâ; ergo in tali casu diversa cõputatio est facienda à die recidivæ, ac antè.

Probatur ratione: nam omnis recidiva fit, vel quia aliquid materiæ expellendum relinquitur post primam judicationem, naturâ completam evacuationem facere non potente, aut quia benè cocta non fuit materia, aut quia dies non currebat; ideò Hippocr. 3. *prog. text.* 22. sic ait: *Quibus febres, nec salutaribus notis apparentibus, nec diebus decretoriis conquiescunt, hi reversionem timere debent.* Sed quomodocumque accidat à die recidivæ, est facienda computatio; ergo non à primo esse morbi. Major est certa. Minor probatur: nam morbus qui cessat, & redit à quacunque causa ex dictis, aut ob intemperiem partis ad novam corruptionem faciendam, novam arguit alterationem: ergo sicut in quolibet morbo continuo à primo esse usque ad coctionem fit computatio, sic in recidiva à primo ejus esse debet fieri computatio diversa, ac antcà fiebat. Probatur antecedens: nam morbus qui cessavit expulsâ, aut resolutâ materiâ, cessavit quia jam coctâ materiâ aut aliter disposita fuit sufficienter pro morbi terminatione. Ergo recidiva facta fuit portione denuò corruptâ remanente ex materia antecedenti, seu denuò genita. Quod confirmat Gal. 1. *de dieb. dec. c.* 6. in quo docet à die febris faciendam esse computationem, non à die, quo caput dolet, vel accidentia neutra sunt, quæ tempore convalescentiæ reperiuntur: ergo à recidiva est facienda computatio.

Præterea: nam unius morbi non debent dari duo principia: sed si à primo esse morbi fieret computatio, duplex principium, duplex augmentum, & status invenirentur: ergo à primo esse morbi non est computatio facienda. Major est certa. Minor probatur: nam essent tempora prioris morbi, & tempora recidivæ: siquidem dum recidiva fit, materia corrupta est, & ad judicationem corrigitur; ergo percurrit sua quatuor universalia tempora, ac per consequens duplex morbi constitutio invenitur, & sic duplex debet esse computatio.

Huic argumento respondet Mercatus, in recidiva morbum antecedentem esse in augmento, quatenùs aliquid coctum est, & aliquid crudum, quod manifestæ coctionis est signum, augmentum constituens, & sic unicum morbum esse computandum primum & recidivam: quod idem est ac dicere morbum esse in augmento, tantùm radicem totalem, etsi quoad portiones particulares signa cruditatis sint in recidiva; quia id à portione faciente accessiones provenit, quæ cruda est, etiamsi radix totius morbi coctionis indicia præbeat, ut videte est dum in statu, aut declinatione morbi accessiones fiunt: ergo etiamsi per recidivas cruditas appateat, non tollit augmentum dici totius morbi, quatenùs signa coctionis præcedentia non perseverant, sed jam coctionis, jam cruditatis fuot.

Hæc tamen solutio nulla est, neque in præsenti locum habet; siquidem in præcedẽti morbo signa coctionis præcesserunt, verè augmentum, & statum ostendentia, & etiamsi crudâ materiâ facta fuisset crisis, morbus cessabit, ità ut regressus verè fiat, ut si novus morbus produceretur corruptâ novâ materiâ: ergo diversa debet esse computatio. Patet: nam prior morbus finitus fuit, aut materiâ expulsâ, sive coctâ, sive crudâ, aut materiâ correctâ, ità ut nova corruptio fit ad novam febrem inducendam, aliàs non cessaret prima: ergo diversa est attendenda computatio, præcipuè cùm in recidiva verè reperiantur signa cruditatis, nullo coctionis existente signo, quod ostendit cruditatem in tota morbi materia esse, non in portione accessionem faciente; dum verò in hac sola est cruditas, coctio tamen, quoad universalem materiam invenitur, ut fit in febribus, communiter signa coctionis apparent, non cruditatis, quod debebat esse in recidiva si eodem modo esset philosophandum in febre intermittenti, etiamsi febris cesset quoad universalem materiam coctio, aut cruditas est, respectu cujus una dispositio judicatur, hujus sit una computatio; quo solvitur, quod de tertiana diceabatur: ubi sit materia, quæ coquitur in febre intermittẽte, nõ est hujus loci dicẽdũ suo loco.

Pro solutione dubitationis advertendum est recidivam dupliciter dici, aliam propriam, aliam im

impropriam; propriam quando vi alicujus dispositionis derelictæ in corpore, seu alicujus portionis materiæ antecedentis denuò resultat regressus, quia portio illa, seu dispositio antecedens ad novam fecit corruptionem materiæ morbum causantis: siquidem, aut correcta derelicta fuit, aut putrida non sufficiens pro morbo faciendo sine nova corruptione, & de hac loquitur Hip. *6.ep.* quæ relinquuntur in morbis recidivas facere: impropria verò recidiva dicitur quando materia morbum faciens, etiam in statu cruditatis, veluti delitescit, seu occultatur, ità ut febris,& accidentia morbosa cessent, & deficiant repentè sexto, vel septimo die per tres aut sex dies, donec iterum sparsa materia, quæ forsan in aliquo membro ignobili detenta erat febrem faciat, & coquatur, & tandem in terminationem veniat, sive per crisim, sive secùs, aut quia repentè febris, & accidentia cessent sexto aut septimo die, plurimo materiæ resoluto, crasso putrido manente, nondum pro morbo faciendo sufficienti, donec natura coctionem aggrediente febris redeat post aliquot dies, sine nova putredine, juxta mentem Hipp. 2. *aph. text.* 47. dicentis, *Dum pus conficitur &c.* ut docuit expressè Gal. 1.*de cris.c.*18. quibus modis plures cognovi judicatos benè, & malè; & de hac recidiva loquitur Hip. 1. *ep. part.* 2. dum tot ægrotantes decimo septimo judicatos adducit à die primo morbi; & de hac etiam loquitur dum scripsit 2.*aph.text.*27. *His quæ præter rationem levius se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt.* Quod non tollit plures etiam judicatos numerasse Hipp. à die recidivæ, cùm afferat in ipso 1. *ep. Indicati sunt quarto, aut tertio, aut 5. die à recidiva.*

Ex dictis constat, etiam à die febris computationem esse faciendam, febre veniente post partum, sive naturalem, sive violentum, non à die partûs: nam cùm debeat fieri computatio quãdo morbus diversæ naturæ incipit ab illo initio, & febris incipiat post partum, ità ut morbus alterius naturæ sit, si alius in partu supponitur, à die febris est facienda computatio. Patet, quia à die febris unus incipit morbus, & una dispositio cruditatis in causa, cujus motiones, & alterationes sequuntur dies critici: ergo ab ipsa computatio est facienda.

Præterea: si ratione agitationis, & commutationis humorum factæ in partu ab ipso computationem esse faciendam dicamus, ut voluit Vega; contra stat Gal. nam 1.*de dieb. dec. c.*6. expressè docet non à die accidentium computationem esse faciendam, sed à die febris: ergo etsi accidentia præcedant causæ alterationem ostendentia, à febre est computandum sic ait. *Non idẽ sunt capitis dolor, & febris, nec vigilia, & cibi fastidium, & corporis totius gravitas, seu lassitudo, verùm singula hæc, diversa à febre existentia, febrem denuntiant.* Et *infra: Hippocrates non ubi primum capite doluit, sed cùm primo febricitavit morbi initium constituens.* Ergo non est à partu computatio facienda. Patet, nam motus humorum, seu agitatio facta in partu, nil facit ad crisim, cùm crisis non sequatur agitationem illam, sed coctionem materiæ pro sui expulsione moventis: sed ad hanc dispositionem conducit materia prout alterata, non prout mota: ergo non sequitur commotionem factam per partum, sed alterationem conducentem pro febre, ac per consequens à die febris non à partu est computatio facienda.

Tandem si à partu computatio deberet fieri, in omni febre acuta aut intermittenti à die ante febrem, & non à febre computatio esset facienda: sed hoc est falsum & contra communem Medicorum consensum: ergo non est à partu computatio facienda. Antecedens probatur: nam ideò à partu computatio est facienda, quia ratione alterationis, & agitationis ab ipso factæ materia disponitur ad febrem causandam: sed etiam in omni morbo, sive à causa extrinseca, sive intrinseca ante diem febris disponitur, movetur, & alteratur materia, ut febrem faciat, præcipuè si verum est bilem de tertio in tertium corrumpi: ergo à die ante febrium est computatio facienda. Patet: nam non aliter partus unum morbum facit, ut ab ipso computatio fiat, nisi quatenùs alteratur materia ad febrem: sed si bilis de tertio in tertium corrumpitur, aut quotidie propter causæ efficaciam, etiam à die ante febrem alteratur, agitatur, & disponitur ad febrem: ergo à die ante febrem est facienda computatio. Hoc nullus recipit, nec recipere debet: ergo nec à partu est facienda computatio febre postea veniente. Quam sententiam habet Avic. *f.*2.*l.*4.*tr.*2.*c.*1. ubi sic ait. *Si peperit mulier, deinde accidat ei febris, tunc fiat cõputatio ex febre, nõ ex partu, ex illo enim est error.*

Contra hoc stat Hip. 3.*prog.tex.*10. sic scribens: *Pari modo in mulieribus morborum judicia à partu numeranda sunt.* Gal. *in com.* hoc placitum recipit, sic ait: *Principium numerationis tibi fiat, non quo die febricitare cœperint, sed quo pepererint:* Ergo à die partûs non à febra computatio est facienda. Et confirmatur: nam si febris præcedat à partu, & ejus accidentibus, aut saltem intendatur, & violentior fiat febris, quæ ante minis erat, diversæ naturæ fit; ergo à partu, & non à febre est cõputatio facĩeda.

Resp. dubium non esse de febre ante partum existente: nam in hac à die febris est facienda computatio, nĩ per partem febris natura mutetur, ut ex dictis constat: de febre tamen post partum veniente difficultas stat, circa quam dicimus Gal. historiam Hip. narrare, non suam proferre sententiam *in com.* posito: Hip. autem, etsi in loco dicto à partu computationem esse faciẽdam scribat, contrarium docet 1.*ep. p.*3. *ægroto* 4. io quo enumerationem à febre fecit, & non à partu, & 3. *ep.p.*3.*ægroto* 2. etiamsi febris ante partum præcessisset à die permutationis febris in acutam, quæ fuit tertia post partum, computationem fecit: non ergo à die partûs est computatio facienda, de mente Hip. perpetuò, sed quando ab ipso febris incipit: dixit tamen à die partûs, quia quando partus qui febrem facit violentus est, & eadem die ipsam accendit, quia tanta alteratio, & agitatio quanta in partu invenitur violento, eadem die febrem facit, & ideò à partu vult Hip. esse computationem faciendam: dum verò post partum advenit febris, jam partus non est, & sic à febre est faciẽda computatio, etiamsi vi purgationis repentè, aut aliter alterante procedat, quia tunc partus, tamquam causa procatarctica se habet, quæ, etsi ad corruptionem conducat, in ipsa non indicat, ut Gal 8. *meth. c.*1. quia præfuit, & non est ut sui ablationem indicet, etsi ad curationem faciat, quatenùs ejus cognitio ad cognitionem effectus producti febrem causantis conducat.

TRACTATUS

TRACTATUS
DE FACULTATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Facultas, & quotuplex.

ACULTAS generali ſignificatione accipitur, pro qualibet potentia ad operandum, ſive effectum ſimilem, ſive diſſimilem; quâ ratione qualitas quælibet habet potentiam, ſeu facultatem operandi ſui ſimilem. Conſonat Philoſophus *cap. de qualit.* ubi ſecundam ſpeciem qualitatis explicuit per naturalem potentiam, prout eſt qualitas principium operativum: ſic Gal. *de ſimpl. medicament. facult. cap.* 2. Facultatem explicuit per ſequentia verba: *At facultas cauſa quædam eſt effectrix.* Quam ſequitur Princeps Avicen. *fen* 1. *lib.* 1. *doctr.* 6. *cap.* 1. ubi docuit facultatem *eſſe initium operationis:* Ergo ex his hucuſque conſtat, facultatem eſſe principium quoddam operationis elicitivum.

Cæterùm, licèt verum ſit quamlibet qualitatem primam eſſe principium elicitivum ſui ſimilis, & in hac ſignificatione habere rationem facultatis: nihilominùs in præſenti agimus de facultatibus ſtrictiori ſignificatione quoad uſum medicum, & quatenùs à naturali temperamento diſtinguitur: facultas ergo propriè dicitur, principium elicitivum effectûs diverſæ rationis ab ipſo principio; quippe de qualitatibus, quæ ſimilium ſunt productivæ, nulla ſpecialis ſe offert controverſia, & ſi forſan aliqua eſt, ad Philoſophos potiùs, quàm ad Medicos ſpectat. Solùm igitur de facultatibus agimus, quæ corpori humano, quatenùs ſpeciale vivens eſt, debetur, de quibus experientia nos docet, effectus diverſos parare à ſuo principio elicitivo, ſive ſint accidentia ſuperaddita animæ, & ab ipſa diſtincta, ut Thomiſtarum opinio acriter tenet; ſive identificentur realiter cum ipſa anima, ut altera Schola firmiſſimis fundamentis deffendit. Utcumque tamen philoſophari pro libito quis voluerit: Certum eſt, potentiam de qua agimus, eſſe principium operativum, effectûs diverſi à cauſa, à qua dimanat.

Circa ſecundum quod inquirimus, (relictis diviſionibus facultatis naturalis, & ſupernaturalis, & aliis ſubdiviſionibus, quæ noſtri inſtituti non ſunt) ſolùm de illis facultatibus, & diviſionibus in præſenti agemus, quæ competunt corpori humano, quatenùs ſpeciale vivens organicum eſt. De quibus Gal. 6. *de uſu partium, cap.* 5. dixit, tres eſſe facultates, quibus noſtrum corpus gubernatur; quem ſequitur Princeps noſter Avic. *fen* 1. *lib.* 1. *doctr.* 6. *cap.* 1. ubi ſpecialiùs prædictas facultates numeravit: perpendite verba. *Virtutum autem genera, & operationum ex eis provenientia, apud Medicos ſunt tria, quæ ſunt, genus virtutum vitalium, & genus virtutum animalium, & genus virtutum naturalium.* Ex his planè conſtat, quòd eâ proportione, quâ conceſſit Avic. tria principalia membra in ordine ad individuum. Quæ *noſtro Tract. de partib.* diximus eſſe cor, cerebrum, & hepar, eâ ipſâ ratione fatetur tres facultates præcipuas, quæ in partibus principalibus relatis habent proprium domicilium. Vitalis quidem facultas, in corde, animalis in cerebro, & tandem naturalis in jecore; quæ quidem in corpore humano inveniuntur, & specialem conſiderationem Medico præbent, quatenùs ſpeciale vivens organicum eſt, non quidem quatenùs corpus mixtum, & ens naturale eſt; nam juxta hanc conſiderationem competit ipſi gravitas, ſicut competit lapidi: de his ergo ſuo ordine ſpecialis erit ſermo.

Facultas igitur vitalis, quæ ſita eſt in corde, eſt illa, à qua opera vitam oſtendentia procedunt; ſic Avic. *cap.* 1. *ſuprà citato* per ſequentia verba: *Vitalis facultas eſt, quæ cùm in membris recepta fuerit præparabit ea ad recipiendum virtutem ſenſûs, & motûs, & operationes vitæ.* Ubi advertas, obſecro, quòd licet vitalis facultas, mediis ſpeciebus vitalibus, quas producit, diſponat, & præparet membra ſentientia, ad ſenſum, & motum; eo quòd omnia membra à principio vitali dependeant, ut vivant; tamen certum eſt, virtutem ſentiendi, & movendi, à cerebro communicari mediis ſpiritibus animalibus, ut poſteà dicemus: ſolùm igitur à corde procedit virtus, ſeu facultas vitalis, à qua opera vitæ procedunt, & dependent. Et cùm cor producat ſpiritus vitales, & qualitatem illuſtrantem, quam Galen. fatetur, & cum ipſo communis Medicorum Schola; ideò dividitur facultas vitalis, in generativam ſpirituum vitalium, & productivam alterius qualitatis illuſtrantis, ſeu irradiantis. Ulteriùs etiam conſtat pulſum, ſeu motum cordis, & arteriarum à facultate vitali celebrari, Galeno autore 4. *de diff. pulſ. cap.* 2. quæ quidem valdè diverſa eſt à generativa ſpirituum, & productiva qualitatis irradiantis, cùm illa ſit motiva, & reliquæ alterativæ ſint facultates; hinc fit ut communiter dividatur facultas vitalis in tria membra. Cæterùm cùm Avic. *lib.* 1. *doctr.* 6. *c.* 4. non concedat qualitatem illuſtrantem, juxta illius opinionem, facultas vitalis ſolùm dividitur in generativam ſpirituum, & motivam cordis, & arteriarum: Et *cùm noſtro Tract. de partib.* dictum ſit, non eſſe neceſſariam aliam qualitatem præter illam, quæ ab ſpiritibus per continui alterationem producitur; conſequenter cum Avicenna dicimus, ſolùm in duo membra eſſe dividendam facultatem vitalem.

Animalis facultas ſecundo ordine numeratur, quæ

quæ in cerebro residet, tamquam in suo propeio domicilio, & ab ea, opera animalia dependrot, quæ in sensu, & motu consistunt; non quidem in motu quolibet, sed, quæ à motu spontaneo procedunt, ad quem præcedit sensatio, quæ ostendit vivens esse sensibile, & animal; idcóque opera animalia dicuntur, opera sensûs, & motûs voluntarij, seu spontanei, ut constet motum cordis, & arteriarum, necoon etiam, motum attrahentis, & expellentis facultatis minimè pertinere ad animalem facultatem; quippè fiunt quin præcedat sensatio, solùm ab ipsa natura; idcóque motum pulsificum fieri à facultate media docuimus *nostro Tract. de Pulsibus*, quæ neque sit sensitiva, neque merè vegetativa; propterea quod motiones cordis, & arteriarum elaborantur à facultate vitali, quin præcedat aliqua sensatio; & præterea quia altiori modo operatur facultas vitalis, quàm reliqua agentia merè vegetabilia; utpote pro ratione urgentiæ, & finis operatur: ideò nobis visum fuit pertinere pulsum ad facultatem mediam, quæ nec sit merè vegetabilis, neque purè sensitivs, de quo plura *ibi* dicta sunt. Restat ergo, quod solùm motiones spontaneæ, quæ in nobis inveniuntur, procedant à facultate animali, quæ est in cerebro.

Et juxta hanc considerationem noster Princeps Avicen. *fen 1. lib. 1. doctr. 6. cap. 5.* dividit facultatem animalem, in sensitivam, & motivam: illa dicitur, quæ producit virtutem ad sensum; hæc, quæ ad motum: differunt tamen secundum magis, & minus. Quippe *suprà* dictum est, eandem esse virtutem ad sensum, & motum; ità ut virtus, quæ valet ad motum, valeat ad sensum; non tamen, quæ valet, & sufficit ad sensum, est sufficiens pro motu; undè hæc divisio facultatis non est essentialis, sed accidentalis valdè, & secundum magis, & minus, licèt opera sint valdè diversa. Ulteriùs, facultas sensitiva dividitur in externam, & internam: illa dicitur, quæ ad extra facit sensationem, & subdivitur in visivam, auditivam, olfactivam, gustativam, & tactivam, facultatem; de quibus sensibus quinque externis Philosophi specialiter disputant *in lib. 6. de anima*, & in usu medico specialem etiam habent considerationem. Interna facultas sensitiva dicitur, quæ sensationem intra elicit, & dividitur in sensum communem, phantasiam, imaginativam, cogitativam, seu æstimativam, & memoriam: quarum potentiarum internarum quælibet, habet propria munera, per quæ ab aliis secernitur: nam officium sensûs communis, est percipere actuales sensationes sensuum externorum; phantasiæ verò munus, est percipere prædictas sensationes in absentia objectorum: ad imaginationem autem attinet, impropriè componere unum ex simplicibus distinctis. Cæterùm cogitativa, seu æstimativa potentia tota versatur in cognitione disconvenientiæ, aut convenientiæ; memoria de præteritis recordari, cum differentia temporis.

Demùm facultas naturalis, quæ in hepate residet tamquam in membro principali dicato ad subministrationem, & elaborationem sanguinis pro nutritione totius corporis: illa dicitur à qua dependent opera naturalia nutritionis, & augmenti, dividitúrque in facultatem ministrantem, & ministratam; illa dicitur, quæ aliis servit, eò quòd ejus actio ordinatur ad opus alterius facultatis; Ministrata facultas dicitur, cujus actus dependet ab actione alterius facultatis ministrantis; de quibus noster Prioceps Avicen. agit *lib. 1. doct. 6. cap. 5. & 3.* ubi dividit facultatem ministratam, in nutritivam, augmentativam, & generativam: ex his nutritiva est, quæ convertit alimentum in substantiam propriam illius quod alitur; augmentativa, quæ in adquisitionem novæ quantitatis terminatur, per unionem quantitatis alimenti, cum quantitate viventis: tandem generativa potentia in productionem similis versatur.

Ministrans facultas, dividitur in coquentem, attrahentem, retinentem, & expellentem. Coquens facultas dicitur, quæ disponit alimentum, ut convertatur, de qua specialem instituimus tractatum. Trahens est cujus munus est appropinquare alimentum ad partem ubi celebrari debet coctio. Retinentis autem officium est, conservare alimentum in illa potentia adquisita per tractionem. Et ultimo expultrix est, quæ separat quidquid non est necessarium, & illud expellit.

CAPUT II.

Utrum facultas distinguatur ab anima, & à temperamento?

CIRCA primum, quod in controversia ponitur, communis opinio est Sancti Thomæ *1. part. quæst. 77. art. 1.* quæ tenet potentias realiter ab anima distingui: hanc sententiam communiter deffendunt omnes hujus doctrinæ Professores. Fundamentum præcipuum Divi Thomæ est, quod cùm anima sit immediatum principium essendi, minimè potest esse immediatum principium operandi; atque adeò, animam non esse immediatè operativam; sed potiùs indigere comprincipio aliquo superaddito ad operandum, quod realiter ab anima distinguatur, & per consequens potentias realiter ab anima distingui. Cæterùm, hoc argumentum minimè videtur efficax, ut suadet assumptum; nam calor est principium immediatum principale essendi calidum, & etiam est principium immediatum essentiale producendi alterum calorem: ergo sicut in entitate accidentali optimè compatitur esse principium immediatum essendi, & esse principium immediatum operandi; ità in entitate substantiali, optimè potest inveniri esse principium essendi, & operandi, ac proindè anima poterit esse immediatè operativa. Fundamentum ergo Sancti Thomæ non convincit assumptum. Premitur etiam ratio Sancti Thomæ, ex eo quod non implicet contradictionem, quod Deus faciat creaturam aliquam per suam essentiam potentem operari, absque alterius entis adminiculo: Ergo non reperitur repugnantia, ex eo quod anima de facto sit principium essendi, & operandi, absque superaddita potentia. Neque valet si respondeas talem creaturam habere summam simplicitatem soli Deo propriam. Nam contra instatur, quoniam, etsi illa creatura, & anima de facto esset principium essendi, & immediatum operandi, tamen in tali substantia posset esse compositio actûs, & potentiæ quæ repugnat Deo: ergo minimè haberet simplicitatem Deo soli debitam; ac proindè nullam involuit contradictionem si anima sit principium immediatum essendi, & operandi.

Videtur tamen favere sententiæ Thomistarum

Aristoteles:

Aristoteles: nam 2. *lib. de anima cap.* 2. tenet animam esse actum corporis physici, & organici; & *inferius* asserit intellectum non esse actum corporis: ergo sentit intellectum differre ab anima. Rationibus etiam suaderi potest Angelici Doctoris opinio; nam formæ inanimatorum, quales sunt elementorum formæ, operantur, mediâ potentiâ superadditâ realiter distinctâ, ab ipsis formis: ergo etiam formæ animatorum debent operari mediis potentiis realiter distinctis. Antecedens patet in igne qui operatur medio calore realiter distincto à forma ignis. Cùm possit corrumpi calor, & remitti secundum aliquos gradus, quo aliqua pars substantialis ignis corrumpatur, neque remittatur; quippe substantiales formæ non sunt intensibiles, neque remissibiles: ergo planè constat formas inanimatorum operari mediâ potentiâ realiter distincta ab ipsis formis, & perinde à simili de formis animatorum eadem ratio currit.

Vlteriùs fulcitur idem assumptum, quia potentiæ animæ sensitivæ tàm internæ, quàm externæ, necnon etiam potentiæ animæ vegetativæ, nutritiva scilicet, & generativa, sunt potentiæ materiales, & corporeæ: ergo necessariò debet distingui realiter ab anima rationali, quæ spiritualis est; siquidem una entitas, nequit esse corporea, & incorporea, materialis, & spiritualis, ac proinde ideo argumentum debet currere, de potentiis spiritualibus: etenim si anima indiget potentiis ab ipsa realiter distinctis ad opera vegetabilia, & ad internas, & externas sensationes; potiori jure ad intellectionem, & volitionem, cùm hujusmodi operationes longè perfectiores sint. Premitur etiam idem assumptum; nam potentiæ omnes materiales, suot vitales, ac proinde operantur vitaliter, & immanenter: ergo debent recipi in eodem principio à quo eliciuntur: sed si immediatè procederent ab anima rationali, in ipsa deberent recipi; implicat autem materiale recipi in spirituali: ergo tales actiones materiales debent recipi in potentia materiali à qua eliciuntur, realiter distinctæ ab anima rationali.

Vlteriùs: omnis potentia creata immediatè operativa, est qualitas (ut constat ex Philosopho, qui inter species qualitatis numeravit potentiam, & impotentiam): ergo nequit identificari realiter cum substantia animæ, ac proinde quando ipsa operatur, necessariò operatur mediis potentiis, seu qualitatibus accidentalibus realiter à se distinctis.

Tandem fulcitur eadē opinio, ab inconvenienti; quoniā si anima immediatè est operativa, immediatè debet elicere volitionem & intellectionē: ergo posset anima rationalis velle absq; prævia cognitione, quod alienū à bona Philosophia est. Consequentia probatur; quia voluntas, neque intellectus est quid realiter distinctū ab anima, ordine prioris, & posterioris potentiæ: ergo anima ipsa erit principium immediatum volendi, independenter ab intellectione; pro libito ergo poterit elicere actum volitionis, sine actu intellectionis, ac proinde poterit velle sine prævia cognitione; sicut etiam poterit se determinare ad eliciendum actus intellectûs, absque prævia volitione.

Probabilior sententia est, potentias non distingui realiter ab anima. Hanc opinionem communiter tenent Patres Iesuitanæ Familiæ, tum Antiqui, tum etiam Recentiores. Probant plures testimonio Philosophi 2. *lib. de anima, cap.* 2. ubi fatetur animam esse, quâ vivimus, sentimus, & loco movemur: ergo non indiget potentiis realiter ab ipsa distinctis. Hoc tamen testimonium non convincit assumptum; nam etiam in contraria opinione, conceditur animam esse, quâ vivimus, &c. Tamen intelligenda est Philosophi doctrina de principio radicali, quod est anima, non de immediato, quales sunt potentiæ. Clariùs tamen nostram assertionem tuetur Divus Augustinus 3. *lib. de spirit. & anima cap.* 4. per sequentia verba. *Dicitur namque sensus, imaginativa ratio, intellectus, intelligentia, & hæc in anima nihil sunt aliud, quàm ipsa.* Si ergo nihil aliud est inter operationes dictas, & reliquas sensationes, quas latè describit *loco citato*, acutissimus Augustinus, signum est animam esse immediatè operativam, & sortiri varia nomina, propter varias operationes. Etenim si mediarent potentiæ inter animam, & operationes, falsò proferret, *& hæc in anima nihil sunt quam ipsa.*

Rationibus etiam validatur nostra conclusio. Prima sit; nam sicut se habet agens in ordine ad actionem, sic passum in ordine ad receptionem; sed passum ad receptionem nullâ indiget potentiâ passivâ superadditâ: ergo neque ut forma agat, & operetur indiget potentiâ activâ realiter ab ipsa distinctâ. Neque valet si respondeas pati esse imperfectionem, atque ideò fieri absque aliquo superaddito; at verò agere perfectionem esse, proindeque sine potentia superaddita non posse animam operari, secùs autem accidere in passo (fatentur Contrarij:) unde aiunt materiam primam minimè egere potentiâ superadditâ ad recipiendum; formam verò substantialem nentiquam posse operari absque potentiis superadditis.

Instatur tamen solutio; nam potiùs videtur perfectionem majorem esse, non indigere aliquo à se distincto ad operandum, ut constat in summo Opifice, qui propter suam immensam perfectionem operatur immediatè, & independenter: Ergo ex eo quod agere sit perfectiùs, quàm pati, non sequitur necessariò, animam egere potentiis distinctis ad operandum. Neque ex eo, quod anima operetur immediatè, sequitur operari, ut causam primam; etenim hæc semper operatur independenter à concursu alterius, & altiori perfectione; anima verò, licèt immediatè influat in suas operationes, tamen dependenter à concursu causæ primæ, necnon etiam imperfectiori, ac rudiori modo: Præterquam quòd nec perfectio, aut imperfectio in agenti arguit necessitatem multiplicandi potentias, seu entitates distinctas ab anima; nam Deus est summa perfectio, & non indiget potentiâ diversâ à se ad operandum.

Rursùs accidentia sunt agentia imperfecta, & tamen operantur immediatè, & independenter ab aliis accidentibus, ut patet in calore, & frigiditate: anima ergo neque ob perfectionem, neque ob imperfectionem indiget potentiis superadditis ad operandum, ac proindè sicut materia prima recipit absque potentia superaddita, sic forma poterit agere sine potentia superaddita: unde ne multiplicentur entitates absque urgenti necessitate, probabilius putandum est animam non indigere potentiis superadditis ad operandum, præcipuè, quando ex hoc nulla sequitur contradictio, nec repugnantia.

Ulteriùs etiam fulcitur assertum nostrum: nam anima producit immediatè omnes suas potentias, necnon etiam temperamentum immediatè, absque altera entitate intermediâ (aliàs daretur processus in infinitum) ergo etiam poterit prorumpere in operationes diversas à se, & immediatè, quin sit necessarium adstruere, & multiplicare potentias diversas.

Respondent communiter Adversarij, huic argumento, potentias oriri immediatè ab anima, & similiter temperamentum, per emanationem, quoniam requiruntur pro complemento, & perfectione animæ, ad operandum, non autem per veram actionem realem, qualiter est illa per quam operantur potentiæ; hæc autem non invenitur in anima respectu suarum potentiarum, nec temperamenti, & sic non operatur immediatè actione vera, & reali, proindéque eget potentiis superadditis ad operandum.

Contra tamen potest instari hæc solutio. Primò, quia anima habet propriam entitatem completam à se, independenter ab accidentibus extrinsecis: ergo non indiget potentiis pro sua perfectione entitativa, & formali. Si ergo producit potentias diversas à se, & immediatè, etiam poterit operari diversas operationes à se. Præterquam quod non probant Adversarij, emanationem non esse actionem realem, etsi concedamus esse grammaticalem actionem; si hæc sufficit, ut anima prorumpat in entitatem realem accidentalem distinctam à se; qualis est potentia, quæ est species qualitatis, & terminus realis emanationis, eadem ratione poterit prorumpere anima immediatè in operationes diversas: Patet consequentia, quia non minùs est terminus, & entitas realis potentia, quàm operatio: sed anima per emanationem potest producere potentias immediatè: ergo eadem ratione, & per eandem actionem poterit operari, & prorumpere in omnes actiones quas producunt potentiæ.

Demùm, quod emanatio sit actio vera, & realis ex eo probatur, quod habet pro termino entitatem realem, accidentalem, qualis est potentia, quæ ponitur à Philosopho inter species qualitatis: ergo est actio vera; si autem forsan actio non vera, poterit habere pro termino entitatem realem, poterit anima operari immediatè, & prorumpere in operationes reales diversas: ergo erit immediatè operativa.

Si ulteriùs respondeas animam indigere potentiis distinctis, ut per ipsas determinetur ad operandum, cùm ipsa ex se sit indifferens, ad unam, aut alteram operationem. Contra instatur solutio; quippe organisatio diversa, & temperies diversa sufficit, ut anima operetur unam, aut alteram operationem. Constat, nam eadem potentia nutritiva quæ residet in toto, in una parte producit ros, in mammis producit lac, & in testiculis semen fœcundum, & hoc solùm ratione diversæ dispositionis, quæ ad diversa opera determinat ipsam nutritivam: ergo eadem ratione sufficit diversa dispositio, & organisatio, ut anima, quæ ex se indifferens est, ad unam, aut alteram operationem, determinetur ad hanc potiùs, quàm ad illam, absque multiplicatione potentiarum, solùm propter diversam temperiem, aut organisationem.

Doctissimus Emanuel Martinez, Magister meus, conatur fulcire hanc nostram opinionem, suo *Tomo de rebus naturalib. nonnaturalibus*, & *contra naturam*, *fol.* 132. speciali argumento. Nam in effectu producto (exempli gratia) in intellectione, nihil speciale reperitur, quod correspondeat potentiæ intellectivæ, ratione cujus sit necessaria talis potentia diversa, ab anima: ergo absque necessitate ponitur talis potentia, & sic de reliquis currit argumentum. Antecedens probat: nam si aliquid correspondet potentiæ intellectivæ, maximè ratio talis vitalis, cùm vitalitas absolutè tribuatur necessariò animæ: sed hoc minimè probat necessitatem potentiæ: ergo non est adstruenda. Minorem probat, quia nulla est productio in rerum natura, quæ non sit individualis: ergo si in intellectione ratio vitalis correspondet animæ, etiam debet correspondere ipsi animæ, ratio talis vitalis, videlicet intellectionis; quin sit necessariò ponenda potentia intellectiva distincta ab anima. De hoc argumento disputat Petrus Garcia Carrero *in sua parte naturali, disp.* 30. *super Avicenn.* & conatur satisfacere dicendo animam, & potentias subordinari in agendo, & sic non esse necessarium, quod correspondeat aliquid peculiare in effectu potentiis, quæ non correspondeat animæ; quod commune est in omni causa principali, quæ operatur medio aliquo instrumento, & unica actione, & indivisibili operatur; & hoc concedit Doctor Martinez citatus: tamen acerrimè negat potentias subordinari cum anima ad operandum, nam hoc videtur gratis dictum. Tamen mihi videtur etiam esse gratis dictum non subordinari, unde ex eo non invalidatur solutio nostri Petri Garciæ; præterquàm quòd si anima est principium indifferens ad plures operationes, bene compatitur, quod cùm in intellectione sit ratio vitalis, & peculiaritas intelligendi, possit correspondere potentiæ intellectivæ, versari in verum, & animæ possit correspondere ratio vitalis; nam etsi nulla sit productio quæ non sit individualis, non tamen tollit, quod individualitas non correspondeat concausæ: ergo non probat, nec urget ratio à Doctore Martinez adducta.

Deindè etiam contra ipsum insurgo ex his, quæ docet *fol.* 128. *columna* 2. ubi asserit, quod in visione ratio vitalis, est eadem realiter cùm ratione talis visionis, diversa tamen formaliter, quæ diversitas sufficit ut colligamus necessitatem duarum causarum. Ex quo sic retorqueo argumentum contra ipsum; nam in anima dum operatur mediis potentiis, ratio vitalis, & ratio visionis, aut intellectionis, aut volitionis, est eadem realiter; & formaliter diversificantur etiamsi nulla sit productio vitalitatis in communi, sed in particulari; & tamen, etsi hoc sit verum, datur distinctio formalis inter rationem vitalis, & talis vitalis in effectu, quæ sufficit ad multiplicationem causarum (in opinione hujus Doctoris:) ergo non cohæret cum suis assertis, dum format argumentum contra Thomistas de necessitate causarum, quæ ex aliquo reperto distincto in effectu debet constare. Cùm ergo sit distinctum formaliter inter potentiam, & animam, dum operatur visionem; ex eo non convincitur non esse ponendam distinctionem inter animam, & potentias, sed ex aliis rationibus, quas adduximus.

Tandem contra Magistrum premo difficultatem; etenim non est necessarium semper, & absolutè, quod necessitas causarum constet ex aliquo distincto reperto in effectu pro qualibet; nam

si

si ponamus duo luminosa nec penetrata, nec unita, sed separata in cubiculo, quæ agant diversa actione, tamen sint applicara in eodem instanti, & sint ejusdem intensionis; tunc necessarium est, quod prædicta luminosa agant intra suam sphæram. Quo præsupposito, formo argumentom; respectu indivisibilis, quod æqualiter dividit distantiam utriusque luminosi ex diametro applicati; nam tunc necessarium est, quod ab utroque lominoso æqualitet illuminetur, cùm sit intra sphæram utriusqua, & illa luminosa sint ejusdem intensionis, seu activitatis, & sint applicata, & posita in eodem instanti temporis (neutrum enim involvit repugnantiam): sed talis illuminatio, æquè tribuitns cuilibet lumiooso, quin correspondeat aliquid diversum in effectu nni, quod non correspondeat aiteri: ergo absolutè non est necessarium, quod sit peculiaris correspondentia, ad multiplicandam causam in effectu, etiamsi concausæ operentur diversa actiona; (namsi operentur subordinatè, aut unica sctione, non est dubium): Ruit ergo argumentum nostri Magistri. Tamen respondet in casu adducto de duobus luminosis, tale indivisibile non illuminari nec ab uno, nec ab altero, quia indivisibile separstum nequit produci, & daretur naturaliter, si fieret illuminatio. Solutio quidem indigna tanti Magistri: quippe adhoc ut indivisibile dividens distantiam intes utrumque luminosum illuminetut, minimè est necessarium, quod sit separatum, sed sufficit, quod sit capax illuminstionis: sed etiamsi uniat duas partes extremas est capax illuminationis; nam supponimus totom medium esse illuminstum, & intra sphæram activitatis utriusque luminosi; at tunc non potest illuminari partim ab uno, & partim ab alio, cùm sit indivisibile, nec priùs ab uno quàm ab altero, cùm sint æquè applicata, & in eodem instanti, & ejusdem virtutis, & sliàs spatium est æquè dispositum, ut cætera sint paria: ergo in taii casu illuminatio, æquè correspondebit cuilibet luminoso, quin sit necessarium ex parte effectûs diversa correspondentia pro qualibet causa: idem ergo poterit contingere quando anima operatur mediis potentiis realiter à se diversis. Et quidem hoc argumentum in publicis Disputationibus Complutensis Academiæ me coëgit asserere, posse eumdem effectum procedere naturaliter à duplici causa totali, & adæqusta non subordinata. Sed hæc pro Physicis sufficiant, & ad nostrum institutum redeamus.

Solùm restat satisfacere argumentis pro contraria parte adductis. Ad primum desumptum ex authoritate Philosophi, dicimus cum ipso, intellectum non esse actum corporis, nec ipsum informare sub ratione formali talis, benè tamen sub ratione formæ substantialis, & hac eadem ratione dicimus, mentem esse in anima; hoc tamen solùm arguit distinctionem formalem, minimè verò realem inter animam, & intellectum. Unde deducitor rationes formales constituentes potentias habere rationem accidentis, nt actus ad quos ordinantut, & constituunt secundam speciem qualitatis juxta Philosophi doctrinam; & hinc patet solutio, ad ultimam instantiam pro contraria parte adductam.

Ad primam rationem desumptam à paritate aliorum agentium naturalium, Respondeo ignem non operari mediis potentiis realiter à se distinctis, sed mediis aliquibus dispositionibus, seu qualitatibus; tamen propriam formam per propriam actionem ignis producit, quo etiam modo anima in actionibus transmutativis (ut in nutritione) mediis qualitatibus à se distinctis operatur, & disponit; propriam tamen formam actione propria producit; at in actionibus non transmutativis, ut in reductione aquæ ad propriam frigiditatem, nullius qualitatis efficientia est necessaria, ut per se patet, & sic in anima accidere debet, nec proindè multiplicandæ sunt potentiæ, sed sufficit dispositio, aut temperamentum diversum, ut anima diversimodè operetur.

Ad secundum Respondeo materiales potentias, quas nominamus, in rigore materiales non esse, sed quia operantur mediis dispositionibus materialibus, quamvis verum sit realiter omnes esse spirituales, etsi differant per suas formalitates; secundum quas habent hoc, aut illo modo operari.

Ad instantiam, seu tertium argumentum dicimus actiones immanentes esse in duplici differentia; aliæ quidem, quæ dicuntur materiales, ut visio, & imaginatio, quia fiunt necessariò mediis aliquibus dispositionibus materialibus, & mediâ quantitate, in qua subjectantur, utpotè mediâ quantitate tali, anima illius partis operatur, necnon etiam medijs aliis dispositionibus; & hac ratione sufficienter salvatur immanentia in hujusmodi actionibus vitalibus, quoniam in parte aliciente actiones subjectantur. Cæterùm aliæ sunt actiones vitales, quæ non fiunt necessariò mediâ quantitate, ut volitio, & intellectio, quæ spirituales dicuntur, & subjectantur in ipsa anima, quia ipsa sola est principium volitionis, & intellectionis; unde constat animam prout hanc aut illam elicit actionem sortiri nomen diversæ potentiæ; cùm nihil aliud sit potentia, quàm principium operationum, licèt in se sit sola unica realis entitas, cum diversis formalitatibus juxta diversas operationes in quas prorumpit; benè igitur in operationibus, quas vocamus materiales, compantur vitalitas, quin in ipsa anima recipiantur immediatè, sed solùm mediâ quantitate.

Ultimo argumanto Respondeo, minimè sequi animam elicere actum volitionis absque prævia cognitione; nam sicut in opinione distinguente potentias realites ab anima, est ordo, seu subordinatio inter tales potentias, ità ot minimè possit potentia volitiva operari, quin priùs potentia intellectiva operetur; sic etiam etsi anima sit principium immediatum operandi, tamen est ordo à natura præscriptus inter actum volitionis & intellectionis, ità ut anima non possit elicere volitionem, quin priùs antecedat actus intellectionis; Totum, quod in facultatibus naturalibus ministrantibus patet apud Medicos; nam priùs ad nutritionem celebratus attractio, deindè retentio, olteriùs coctio, & tandem nutritio, & excrementorum expulsio: talis autem ordo, & subordinatio in his facultatibus à natura est præscriptus, ut nutritio, & augmentatio, irritè non celebrentur: ergo eadem ratione in intellectione, & volitione credendum est accidere, quin ex hoc ullum absurdum in Philosophia sequatur.

Ex dictis constat temperamentum, valde distinctum realiter esse à facultatibus; nam facultates non distinguntur ab anima; temperamentum autem, nihil aliud est, quàm proportio primarum, & secundarum qualitatum conducen-

tium pro esse, & operari formæ: sed dispositiones, seu qualitates conducentes ad operationem formæ planè distinguntur ab ipsa forma: ergo à facultatibus, quæ identificantur realiter cum forma;&juxta hanc intelligentiam de actionibus animæ vegetativæ sermonem faciens Avicen. *fen* 1. *l.*1. *doctr.*6. *c.*3. ait, *His quatuor virtutibus quatuor primæ serviunt qualitates*: Si ergo temperamentum seu qualitates, serviunt quatuor virtutibus, seu potentiis vegetabilibus, sentit manifestè, realiter temperamentum seu primas qualitates differre à potentiis, quod ità clarum videtur, quod nullo alio indigeat scrutinio.

CAPUT III.

De numero facultatis vitalis & animalis.

EX dictis *in prima quæst.* constat juxta Avic. doctrinam, quâ ratione dicatur facultas, vitalis nimitum, quia ad munera vitæ conducit; & per quid constituatur animalis facultas, nempè, quia ad opera sensûs, & motûs influat; quæ verò dicatur naturalis, etiam ibi explicatum est, videlicet, quia ad opera omnia vegetabilia necessaria sit. Constat etiam animalem facultatem residere in cerebro, vitalem in corde, & naturalem in jecore, ex his, quæ *Tract. de Part.* docuimus, & licèt constet etiam de divisione talium facultatum *in prima quæst.* tamen, quia aliqua se offerunt dubiola, oportuit instituere speciale caput, de divisione prædictarum facultatum, ut specialiùs ipsarum naturam, & operationes agnoscamus.

Et quidem circa numerum facultatis vitalis, quæ residet in corde tamquam in proprio domicilio, si Principem nostrum Avic. consulamus *fen* 1. *l.*1. *doctr.*6. *c.*1. videtur gemioam esse; alteram generativam spirituum vitalium, & alteram motivam cordis, quatenùs mediis ipsis calor nativus conservator, à quo vita dependet, ideóque idem Avic. *loco cit.* dixit de facultate geoerativa spirituum præparare omnia membra, ad opera vitæ. Et ratione probatur duplicem esse facultatem vitalem; nam ea dicitur facultas vitalis, quæ ad opera vitæ specialiter conducit: sed noo solùm virtus generativa spirituum, quæ est in corde conducit ad opera vitæ, verùm etiam virtus motiva cordis, & arteriarum, Gal. Autore 4. *de diff. puls.* (ut latiùs *nostro opusculo de Pulsibus* docuimus): ergo adstruendæ sunt geminæ facultates vitales, modo ab Avicenna explicato.

Contra hanc doctrinam aliqua se offerunt argumenta: nam potiùs generatio spirituum vitalium, videtur pertinere ad animam vegetativam, proindéque ad facultatem naturalem, potiùs quàm ad vitalem; non ergo inter facultates vitales erit nomeranda facultas generativa spirituum. Antecedens probatur, nam spiritua vitales generantur mediâ alteratione factâ à corde quam communiter Autores vocant coctiooem; sed facultas alterativa, & coctrix, est omninò naturalis & ad gradum vegetandi attioet, cùm sit una ex ministrantibus, & deservientibus ad nutritionem: ergo facultas generativa spirituum ooo est numeranda inter vitales.

Respond. qnod licèt spiritus generentur mediâ actione alterativâ, aut coquente disponente ad introductionem formæ spirituum, & actio talis alterativa, pertineat ad facultatem naturalem; tamen quia facultas formam inducens est propter opera vitæ specialiter, ideò dicitur vitalis, etsi facultas alterativa, & coquens disponat pro forma spirituum; sicut etiam facultas coquens in testiculis disponit pro seminis forma; & licèt semen mediâ alteratione, & coctiooe producatur, nihilominùs ejus facultas est generativa, & instrumentum generationis dicitur, quoniam specialiter ratione suæ formæ conducit ad generationem: ergo sic similiter licèt alteratio, & coctio, disponant pro forma spirituum, tamen ipsorum generatio pertinet ad facultatem vitalem, eò quòd spirituum vitalium forma tota ordinata est ad opera vitæ, & specialiter influit in opera vitæ, meritò ergo inter facultates vitales est reponenda.

De facultate motiva cordis, & arteriarum, videtur etiam oon esse adscribendam in numero vitalium, præcipuè in nostra opiniooe *Tom.* 2. ubi sermonem instituendo de facultate pulsifica, docuimus pertinere ad facultatem mediam inter vegetativam, & sensitivam: ergo cùm talis facultas media sit inferioris ordinis, videtur minimè esse enumerãdã inter facultates vitales, quæ habẽt suã sedem in corde tãquam in mẽbro principali.

Resp. quod, etsi talis facultas pulsifica, sit media inter vegetativam, & sensitivam, si attendamus præcisè ad motum cordis, & arteriarũ, tamen quia ex vi talis peculiaris motionis calor nativus conservatur, à quo vita dependet, & regenerantur spiritus, & attrahitur materia ad regenerationem ipsorum, ideò meritò facultas motiva cordis dicitur vitalis, quouiam simpliciter est necessaria, & principaliter pro custodia vitæ conducit, & proptereà arripit nomen vitalis per antonomasiam; oam reliquæ facultates, quæ ad vegetativã animã, & sensitivam spectant, etiam sunt vitales; quia vitaliter, & immanenter operãtur in contrapositionem agentium merè naturalium, qualis est ignis. Cæterùm, quia opera, quæ à corde, & ab ejus facultatibus eliciuntur præter rationẽ cõmunem & generalẽ operandi vitaliter, habent illud speciale, quod est conducere specialiter, & simpliciter, atq; immediatè pro custudia, & cõservatione vitæ; ideò dicuntur vitales in contrapositionem aliarũ facultatũ, quæ resideot in cerebro, & hepate, in quibus adsunt animalis, & naturalis facultas, propter specialia opera sensûs, & motûs, outritionis, & augmentationis, ad quæ specialiter concurrunt.

Videtur tamen diminutè processisse Avic. in enarratiooe facultatum vitalium; etenim nullam fecit mentionem de qualitate illustrante, seu irradiante necessaria ad opera vitalia, quam immediatè producit cor, ultra aliam qualitatem mediis spiritibus productam, ab Autoribus concessam, tum in facultate vitali, tum etiam in animali; de hac qualitate illustrante loquitur Gal. *l. an sanguis in arteriis contineatur, cap. ult.* & videtur reponendam esse inter facultates vitales: nam ideò facoltas motiva cordis, & generativa vitalium spirituum, ponuntur inter facultates vitales, quia ab ipsis dependet vita in fieri, & cooservari per sua specialia opera, sed similiter est necessaria in communi opinione qualitas irradians, seu illustrans à corde immediatè producta: ergo est facultas vitalis ultra duas ab Avicenna oumeratas.

Neque valet effugium asserentium prædictam qualitatem illustrantem produci ab anima per emanationem, & non per veram actionem realem, ac proindè noo constituere tertiam speciem facultatis vitalis. Nam contra hanc solutionem valide egimus 2. *quæst. præcedenti* dum latè hanc

evasioem

evasionem impugnavimus, dum potentias ab anima non distingui firmissimis fundamentis demonstravimus, quas facilè poterit transferre in hunc locum. Ex his constat juxta Gal. mentem tres esse facultates vitales quas libenter concedit noster Doctor Martinez *fol.* 133. sui Operis, neque Avic. contrarium sensisse fatetur. Planè tamen fateor saltim accusandum esse Principem Arabem de peccato omissionis, quidquid dicat Doctor Martinez, pro excusatione Principis Avic. dum asserit non adduxisse tertiam speciem potentiæ vitalis, quia solùm loquutus fuit de potentiis non operantibus per modum emanationis. Frivola quidem solutio, quandoquidem ipse sentit emanationem esse veram, & realem actionem, & sine fundamento dici actionem Grammaticalem; non ergo debet exponere doctrinam Avicen. contra proprium placitum, præcipuè quando videtur gratis dictum, nam ex nullo verbo in littera Avic. potest deduci hujusmodi evasio.

Nos tamen facilè effugimus prædictam difficultatem, cùm *in nostro Tract. de Part.* acerrimè accepimus defensandam opinionem negantem necessitatem talis qualitatis illustrantis, ex eo quòd tam ad opera vitæ, quàm ad opera animalia sufficiat qualitas illa producta ab spiritibus, & frustranea sit, atque omninò superflua, alia qualitas illustrans immediatè producta ab anima; quia tamen *ibi* hæc assertio sufficienter probata est, ideò libenter in præsentiarum omitto probationem: Ergo juxta nostram opinionem doctrina Avicen. inconcussa manet.

Forsan majori fundamento accusandus videtur Avic. dum loquitur de facultate animali; nam ratio suadet simili modo enartandas esse facultatis animalis species, sicut, & vitalis; etenim in cerebro tanquam in proprio domicilio est virtus generandi spiritus animales, mediis quibus diffunditur in omnes partes per genus nervosum, virtus ad sensum, & motum, quæ animalis nuncupatur ab omnibus. Ulteriùs: in cerebro, est motus compressionis & dilatationis similis motioni cordis, & arteriarum, medio quo attrahitur materia ad generationem spirituum animalium, & quo ventilatur calor nativus cerebri & expelluntur fuliginosa excrementa: Ergo sicut duplicatur facultas vitalis, per motionem cordis, & per generationem spirituum vitalium, quia hæc omnia influunt in actiones attinentes ad vitam; similiter eodem modo debet multiplicari in duas species facultas animalis, ità ut alia sit motiva cerebri, & alia generativa spirituum animalium; & denique tertia in Gal. doctrina, quæ sicut fatetur qualitas alia illustrans, à corde producta, præter illam, quam producunt spiritus vitales, sic etiam simili ratione, eam concedit in cerebro; cùm ergo Avicen. ipsas non narret, videtur diminutè procedere.

Respondetur Avicenam, *cap. 4. lib. citat. in principio hujus capitis*, postquam de motiva cordis, & generativa spirituum, vitalium mentionem fecit, de generativa spirituum animalium in cerebro, & motiva ipsius locutum fuisse, ubi sine dubio fatetur, concursum virtutum animalium pro sensu, & motu, quæ sunt animalia opera: Verba Avic. sunt sequentia, *Nisi postquam spiritus in cerebro ad aliam convertitur complexionem, non preparatur ad recipiendam virtutem; quæ est principium sensûs, & motûs.* Ex quibus verbis manifestè constat Avic. fateri generationem spirituum animalium in cerebro, mediis quibus defertur virtus ad sensum, & motum, & diffunditur per totum corpus. Deindè de motu cordis, & cerebri loquitur etiam *inferiùs* Avic. per sequentia verba. *Preter hoc est etiam motus substantia spiritualis subtilis, & principium constrictionis, & dilatationis propter attractionem aëris & ejus expulsionem.* Claré igitur constat ex verbis relatis, non solùm fateri Principem Avic. in cerebro facultatem generativam spirituum animalium; sed motivam ipsius cerebri per dilatationem, & compressionem, quæ ad opera sensûs, & motûs concurrunt: Et cùm sit certum facultates diversas, constitui per diversa opera in quæ influunt, & ob hanc rationem, in corde posuit duas facultates; simili etiam, & eodem jure debet concedere duas facultates animales in cerebro propter opera diversa ad quæ concurrunt specialiter; non ergo omissivè processit Avic. in enumeratione facultatum animalium.

Instatur Avicennæ doctrina: nam ipse *cap. 4. citato* expressè docet, (loquens de vitali facultate) *præparare membra omnia ad recipiendam virtutem sensûs & motûs, & operationes vitæ.* Si ergo ad omnia opera conducit, quippè deficiente vitali virtute, nullum opus patrari potest: ergo superfluè ponuntur reliquæ facultates, cùm sola vitalis ad omnia opera concurrat.

Respondetur, quod etsi verum sit, facultatem vitalem ad omnia opera disponere, non tamen dici animalem, nec naturalem, quia ipsa non præstat virtutem ad sensum, & motum specialiter, neque ad opera naturalia vegetandi; unde solùm conceditur præparare, & disponere in suo genere, pro reliquis operibus, generali ratione, quatenùs nullum est operari sine vita; & cùm sola virtus vitalis ad vitam specialiter concurrat, ideò specialiter, vitalis facultas nominatur per antonomasiam in contrapositionem reliquarum virtutum, animalium, & naturalium. In cujus confirmationem sic ait Avic. *In membro paralytico est virtus, quæ ejus custodiat vitam, donec cùm remotum fuerit impedimentum, profluat ad ipsum, virtus sensus & motus.* En clarissimum experimentum ex quo constat non sufficere vitalem facultatem, & virtutem ad omnia opera, cùm in membro paralysi affecto, opera vitæ reluceant, minimè verò opera animalia sensûs, & motûs, donec removeatur impedimentum pro communicatione virtutis animalis: ergo planè convincitur, diversam valdè esse facultatem animalem, à vitali, & hanc solam non sufficere ad omnia opera.

Sed quid dicendum de ira, & timore: nam videtur inter facultates vitales esse reponendas, si dictis Avic. stemus; constat autem iram, & timorem pertinere ad facultatem animalem, quoniam mediâ cognitione fiunt: ergo non videtur firma hæc doctrina. Cæterùm ut veritas hujus dubioli clarescat, & Avic. mens examinetur, audiamus verba ipsius *cap. 4. cit.* ubi postquam loquitur de vitali virtute, sic ait; *Quibus etiam admiscentur seu adduntur timores, & iræ motiones, propterea quod in eis reperiunt dilatationem, & constrictionem, quæ accidit spiritui, qui huic proportionatus est virtuti.* Ex quibus verbis constat Avic. minimè affirmâsse timorem, & iram absolutè pertinere ad facultatem vitalē, sed misceri virtuti vitali, quatenùs in dictis passionibus spiritus vitales immutantur, unde ratione motionis talium spirituum dixit Avic. aliquo modo attinere ad vitalem facultatem, per accidens tamen; nam rigorosâ locutione, omnia animi pathemata,

pathemata, ad animalem facultatem reducuntur, cùm fiat præsuppositâ sensatione, & similiter omnes actiones internæ, & externæ, de quibus specialiter Philosophi disputant, ideò examen peculiare de ipsis non facimus, quia non sunt nostri instituti.

Rogabis, an ex dictis constet proprium temperamentum ab anima oriri, sicut, & potentias ipsas per emanationem (quidquid sentiant Auctores, de realitate talis actionis, de qua *suprà* egimus) quid dicendum de tali productione temperamenti; ad quam scilicet virtutem pertineat: nam reverà neque ad animalem, neque ad vitalem reduci potest; etenim minimè pullulat in temperamenti pendet neque à cerebro, neque à corde, ut per se patet. Rursùs, neque ad facultatem naturalem spectat, cùm nulla sit ex facultatibus ministrantis, nec ministrantibus.

Respondetur in præsenti pro nostro instituto de facultatibus corporis humani agere spectat, minimè verò de illis, quæ mixtis debentur, quatenùs mixta corpora sunt; temperamentum antem debetur corporibus sub ratione generali, quatenùs mixta sunt, non sub ratione particulari corporis humani, de cujus facultatibus in præsenti agimus, & ipsarum numerum examinamus.

CAPUT IV.

De numero, & objecto facultatum naturalium.

INTER facultates naturales aliæ dicuntur ministratæ, aliæ verò ministrantes. Ministratæ dicuntur, quæ proprium exercent munus, suppositâ actione aliarum facultatum ministrantium, quæ operantur propter ministratas, ideóque ministrantes nominantur, quoniam operationes ipsarum ordinantur ex propria natura ad operationes aliarum, quæ dicuntur ministratæ, & forsan servientes ab aliquibus appellantur facultates ministrantes, quorum dominium residet in ministratis.

Ex his deducitur facilè, inter facultates naturales, nutritivam, augmentativam, & generativam, esse ministratas. Ratio ex dictis constat: nam illæ dicuntur facultates ministratæ, quarum opera dependent ab aliis facultatibus operantibus præcisè propter illas: sed opera nutritivæ, augmentativæ, & generativæ facultatis per dependentiam attrahentis, retinentis, coquentis, & expellentis facultatis, quæ præcisè operantur, propter nutritivam, augmentativam & generativam: ergo meritò istæ dicuntur ministratæ, & illæ ministrantes. Constat ergo ex his facultates ministratas esse tres, & ministrantes esse quatuor.

Dices, nutritivam, & augmentativam potentiam, non esse ministratas, sed potiùs ministrantes; etenim videtur actiones ipsarum deservire pro generativa potentia: ergo potiùs dicuntur ministrantes. Antecedens probatur: nam per nutritionem disponitur alimentum, ut ex ipsa generetur semen, quod est instrumentum generationis; quippe testes pro sua nutritione fabricant semen actione ipsa nutritiva. Rursùs per augmentationem ipsius viventis redditur semen fœcundum: Ergo hujusmodi facultates operantur propter generativam, ac per consequens inter ministrantes debent enumerari; ruit ergo doctrina nostra.

Respondeo facultatem generativam seminis, minimè differre à nutritiva testium, nam agit in materiam seminalem tanquam in proprium alimentum ex quo nutriuntur; licèt instrumentum illud productum pro nutritione habeat aliam facultatem diversam generandi, undè non servit facultas nutritiva generativæ; nam licèt per actionem nutritivam producatur instrumentum generationis, non est, quia ipsa nutritio ordinetur ex se ad generationem, sed potiùs ad nutritionem propriam testium; & cùm testes aliàs sint constituti in ratione partis principalis, per se producunt instrumentum generationis propter dignitatem officij, ut latè *Tractatu de Humoribus* docuimus, loquendo de productione seu generatione diversorum humorum in jecore, & illam esse propter dignitatem officij insinuavimus: & proindè idem dicendum de facultate principe, quæ residet in testiculis, in ordine ad speciem. Itaque si consideretur facultas nutritiva in ipsis, ultimatè producit suam formam in proprio alimento, sicut omnes partes in tote, & cambio, quod & gluten est, quæ humiditates secundæ nominantur, & disponuntur à facultate nutritiva partium pro sua assimilatione: hæc autem actio independens est à generativa, & minimè ordinatur ad generativam, licèt supponatur, seu, ut melùs loquar, sit simultanea, seu identificata cum generatione seminis, quod (aliàs habet facultatem generativam sibi insitam ad productionem similis viventia à quo deciditur): Cæteræ autem facultates quæ ministrantes dicuntur, solùm valent præparare alimentum pro nutritione, augmentatione, & generatione, & sic totum suum esse est ordinabile ad alias, & sic meritò dicuntur servire, & ministrare aliis, quoniam non ultimatè formam inducunt, sicut nutritiva, augmentativa, & generativa, & præcisè ob hanc formalitatem distinguuntur facultates ministrantes à ministratis: Etenim valdè diversum est, supponi unam facultatem ad alteram, ac ordinari ex propria natura ad alteram; hoc constituit facultatem in ratione ministrantis, & illud non tollit esse aliquam facultatem ministratam, & cùm facultas augmentativa, ultimatè etiam producat suam formam, quin sit ordinabilis ex se, & per se ad aliam, idcò sicut nutritiva est ministrata, similiter & augmentativa.

Constat ex dictis facultates ministrantes, quaternario numero comprehendi, & denuò probatur: nam tractio alimenti, ipsius retentio, coctio, & excrementorum expulsio, fiunt à facultatibus ministrantibus superiùs numeratis: sed omnes istæ actiones, ex se sunt ordinabiles ad nutritionem, quin ultimatè inducant formam: Ergo sunt facultates ministrantes ipsæ solæ; cùm certum sit attractio alimenti, retentio, & coctio, necnon etiam, excrementis expulsis, nihil deficere de his, quæ attinent ad ministrationem, ut facultas nutritiva operetur: non ergo est adstruenda altera facultas ministrans diversa, ab his, quæ enumerata sunt.

Objicies, ut facultas nutritiva operetur in omnibus partibus, est necessaria distributio alimenti, per cujus defectum læsio reperitur in membris, Gal. autore 3. *de causis symptomatum*: ergo erit addenda altera facultas distributiva, inter ministrantes. Ulteriùs defectu applicationis alimenti in hydropicis, tenet Gal. 1. *de facultatibus naturalibus*, deficere nutritionem: ergo alia facul-

tas

tas operativa erit necessaria affigens alimentum in partibus.

Respondeo, facultatem attrahentem distribuere alimentum, cùm propria ejus functio sit trahere ipsum pro qualibet parte in qua residet, deindè facultas retinens applicat alimentum, & ipsum affigit in quolibet membro, & sic minimè est necesse multiplicare alias facultates ministrantes pro nutritione, quandoquidem nulla urget necessitas, ut per se est manifestum.

Secundum quod inquirimus in quæstione attinet ad objectum facultatum naturalium; & quidem de ministrantibus, certum est attrahentem, & retinentem ordinari immediatè tanquam in objectum proximum ad alimentum attrahendum, & retinendum pro nutritione viventis, ità ut nutritio, seu terminus ejus sit objectum remotum, & principale, & mediatum, quòd respiciunt hujusmodi facultates, ut ex se est manifestum; objectum verò immediatum facultatis coctricis est modus substantiæ ortus ex unione oppositorum patibilium, juxta ea quæ *nostro opusculo de Coctione* docuimus, *Tom.1. nostrorum Operum*; & denique facultatem expultricem immediatè terminari in excrementorum expulsionem, in confesso est omnibus. Remotum verò & principale omnium facultatum, esse absolutam & uberrimam nutritionem, seu terminum ejus, cùm totum esse harum facultatum sit ordinabile ad ultimum finem assequendum in viventi mediâ præparatione alimenti, quæ fit per attractionem, ipsiusque retentionem, & per modum substantiæ perfectivum, quem adquirit per coctionem; & denique per excrementorum expulsionem mediâ quâ magis proportionatum redditur pro nutritione. Ex quibus constat objectum remotum & principale facultatum ministrantium, esse nutritionem viventis, seu ipsius terminum; proximum verò & immediatum esse illud quod nuper da cujusque facultate assignavimus.

De facultatibus autem ministratis etiam est certum (si Philosophis credendum est) augmentativam ordinari in adquisitionem quantitatis novæ per unionem quantitatis alimenti, cum quantitate viventis, quidquid sit de formalitate augmentationis, an consistat in unione dicta utriusq; quantitatis, an verò in ipsa quantitate denuò adquisita, in quo non immoror, quia ad Physicum magis, quàm ad Medicum spectat. De generativa notandum est, aliud esse loqui de actione immediatè terminata ad substantiam seminalem, à testibus & eorum facultate nutritiva elaboratam, aliud verò de ipsa facultate latente in semine considerato tanquam instrumento generationis. Si de prima acceptione loquamur, certum est attinere ad nutritivam facultatem, ut *supra* docuimus, & sic *infrà* de ejus objecto constabit. Si in secunda significatione accipiatur facultas generativa, dicendum est ordinari facultatem generativam seminis in productionem viventis similis, à quo decisum fuit semen, & de hac facultate, docuimus latè *Tomo nostro* 1. ubi pro libito ea, quæ ibi dicta sunt, poterit quisquam transferre.

De objecto nutritivæ facultatis aliqua se offert controversia, in qua aliqui affirmant transmutationē alimenti esse proprium objectum facultatis nutritivæ; cujus opinionis fundamentum est: nam illud est objectum alicujus facultatis in quod talis facultas ordinatur; sed nutritiva ordinatur in trāsmutationem alimenti in propriam substantiam: ergo ipsum transmutari est ipsius objectum. Confirmatur à simili de artificialibus: nā objectū fabri non sunt ligna & lapides, sed domus ipsa, quā intēdit fabricare: ergo sic similiter cū finis facultatis nutritivæ sit transmutatio alimenti in substantiam aliti, ipsum transmutari erit proprium objectum.

Noster Martinez *suo libello de rebus naturalibus &c. fol.* 137. tenet objectum facultatis nutritivæ, esse alimentum, minimè verò transmutationem. Cujus fundamentum est, nam facultates actione immanenti operantes (qualis est nutritiva) ità se habent ut earum objectum sit quod cognoscitur, minimè verò ipsa cognitio: ergo objectum facultatis nutritivæ erit ipsum alimentum circa quod versatur, & non ipsa transmutatio; etenim alimentum, circa quod tendit est, quod transmutatur, ac proindè alimentum erit objectum, & non actio transmutativa ipsius.

Cæterùm, in hac re distinguere est necesse objectum materiale, & formale facultatis nutritivæ. De objecto materiali dubium non est quin sit alimentum: quippè actio nutritiva agit in alimentū, & ipsum intendit quælibet pars nutrienda assimilari in propriā substantiā. Quo admisso tanquam certo, dicimus objectum materiale facultatis nutritivæ esse alimentum, eò quod in ipsum agit; non tamen ibi quiescit usque dum finem intentum assequatur, quod est assimilatio ipsius in propriam substantiā, & hic est finis intentus à facultate nutritiva cujuslibet partis, & principalis in qua versatur: ergo objectum formale est substantia similis adquisita mediâ actione transmutativâ, minimè verò ipsa transmutatio. Patet consequentia; nam illud est objectū formale alicujus facultatis, quod terminat actionem formalem ipsius; sed actio formalis nutritivæ facultatis non terminatur in alimentum, licèt in ipsum agat, sed in substantiam denuò adquisitam mediâ actione transmutativâ: ergo substantia denuò adquisita similis erit objecto formali in quod terminatur actio nutritiva. Et cùm aliàs certum sit, quod etsi attingat alimentum, quoniam in ipsum agit, non tamen ibi quiescit actio; sed tota est ordinata in finem ultimum, seu objectum, quod intendit facultas nutritiva mediâ suâ actione transmutante, clarè deducitur materiale objectum esse alimentum, formale verò esse substantiam denuò adquisitam & assimilatam.

Confirmatur: nam illud dicitur objectum alicujus facultatis, in quod ultimò terminatur actio ipsius, & à quo sumit denominationē formalem: sed non ab alimento, sed à substantia denuò adquisita dicitur pars nutrita, & alita: ergo talis substantia est objectum formale hujus facultatis, & minimè alimentū ipsum, etsi consideretur quatenùs transmutandū; etenim quod transmutandum est, dummodò non sit transmutatū, non terminat ultimatè actionē transmutativam, sed ita est in via usquedū attingat ultimū terminū; atqui non attingit ultimū terminū, usq; dum alimentum sit transmutatū, in quo eventu jam evanescit formalitas alimenti: ergo neque alimentū absolutè, neq; consideratum quatenùs transmutabile est objectū formale nutritivæ facultatis; neque ipsa transmutatio, sive actio transmutativa, utpote ipsa non est terminus sed via ad terminum, quia est pars substātifica in quam transmutatur alimentum, & in quam terminatur ipsa actio: ergo talis substantia denuò adquisita est terminus ultimus, & formalis nutritivæ facultatis, & alimentū est objectū materiale, seu terminus vialis talis actionis. Et cōfirmatur à simili; nā

lapides, lateres, & ligna, nõ sũt objectũ principale, & formale fabri, sed potiùs se habent tanquam materia circa quam agit faber, domus verò quæ ædificatur, aut ædificata est, est objectum formale, in quo quiescit artifex, & circa quod versatur: ergo sic similiter de nutritiva facultate philosophandum, quæ tota intenta est in fabrica nutritionis propriè, mediâ alteratione viali in alimento; terminata tamen in substantiam denuò adquisitam tanquam in domum fabricatam: jure ergo optimo ipsa est terminus formalis nutritionis. Ex qua doctrina si forsan, quæ dicta sunt superiùs, ex aliis opinionibus militant contra nos, manent soluta, & dubiolum satisfactum.

CAPUT V.

An facultates naturales sint vitales.

EX his, quæ *præcedentibus capitibus* dicta sunt, constat clarè distinctio inter facultatem vitalem, quæ residet in corde, & inter animalem, & naturalem, quæ habent proprium domicilium in cerebro, & jecore, & diversificantur penes diversa opera in quæ specialiter insinunt; in præsenti autem non inquirimus, an facultates naturales sint de genere vitalium, quæ resident in corde; nam cùm deserviant ad diversa opera, certum est ad diversam facultatem pertinere. Dubium ergo procedit de modo operandi talium facultatum, an scilicet operentur tanquam agentia merè naturalia, sicut ignis; an verò in modo operandi excedant valde modum operandi agentium merè naturalium, ratione cujus altioris ordinis dicantur, & operentur vitaliter, seu immanenter.

Et quidem de facultatibus naturalibus præcipuè procedit controversia: nam de pulsifica facultate latè disputavimus *nostro Tomo 1.* ubi diffusè satis probavimus pertinere ad facultatem mediam inter sensitivam & vegetativam, de qua etiam obiter aliquid dicemus, simulque de facultate generativa spirituum, & de productiva illustrantis virtutis, quæ immediatè ab spiritibus procedit; de facultate animali, quæ ad gradum sensitivum, & sensitivam animam reducitur, dubium non est quin sit vitalis; quippe ejus operationes fiunt præcedente cognitione, & sensatione, cùm autem talis modus operandi sit altioris ordinis, qui minimè in ullo agentium merè naturalium reperitur, dicendum est opera facultatis animalis, sensûs scilicet, & motûs voluntarij, esse vitalia, & ostẽdere sine dubio vitã, in suo principio elicitivo.

His præjactis de facultatibus naturalibus aliquibus visum fuit, minimè esse vitales, quorum fundamentum est: quod alia agentia merè naturalia simili modo operantur; quippe ignis augetur, & veluti nutritur sibi aggregando ignem, & magnes attrahit ferrum, à quo conservatur ejus virtus, & talis lapis nutritur: cùm ergo hujusmodi opera, minimè ostendant vitam in suo principio elicitivo; videtur etiam neque augmentationem, neque nutritionem, nec attractionem in facultatibus naturalibus ostendere vitam in suo principio elicitivo, ac proindè inter merè naturales esse numerandas.

Verior opinio tenet, facultates naturales esse vitales. Ratio est, quia hujusmodi facultates operantur dependenter ab aliquo gradu vitæ: nã pertinent ad animam vegetativam, seu ad gradum vegetandi; cùm omnes sint ex sua natura ordinatæ ad nutritionem, & augmentum, in quibus vegetativa vitalitas relucet: ergo tales actiones & facultates à quibus procedunt, necessariò dicuntur vitales. Secundò validari potest assertio proposita, quia ex nullo capite meliùs deducitur vitalitas in facultatibus, quàm ex altiori modo operandi, contrapositio modo operandi agentium merè naturalium: sed facultates naturales operantur altiori, & perfectiori modo quàm agentia merè naturalia: ergo operantur vitaliter. Minor probatur: nam agentia merè naturalia, & quæ non operantur vitaliter ut ignis, agunt in quantum possunt, absque electione aliqua; sed facultates naturales non agunt in quantum possunt, sed etherogeneo modo, & veluti cum electione aliqua; quippe absolutè non trahunt in quantum possunt, sed idoneam materiam pro nutritione, ipsámque retinent, & inutilia excrementa propulsant, aliáque opera moliuntur, ut alimentum reddatur magis deputatum, & idoneum pro nutritione, & augmento, & hoc certo quodam ordine, & minimè cœco impetu, quemadmodum operatur ignis: ergo altiori modo operantur facultates naturales, & non in quantũ possunt, sicut ignis, ac proindè operãtur vitaliter, & nõ merè naturaliter.

Sed dices: etiam medicamenta expurgantia trahunt cum electione quadam, quippè Rhabarbarum expurgat bilem, ipsam trahendo electione ex venis in quibus reliqui humores sunt permixti cum bile; idem de agarico respectu pituitæ accidit, & sic de reliquis humoribus respectu medicamentorum, cum quibus habent familiaritatem. Ulteriùs etiam magnes, solùm trahit ferrum, & minimè aliud corpus, etiamsi sit contiguum, & ferrum remotum: ergo operantur hujusmodi agẽtia naturalia, etherogeneo modo, & veluti cum aliqua electione, & tamen non operantur vitaliter: ergo licèt facultates naturales operentur cum electione, inde non deducitur optimè, quod operentur vitaliter. Urget etiam hanc doctrinam actio seminis, quæ in nostra opinione non est vitalis; quippe semen non vivit, & tamen operatur mirificã illam fabricam, delineando diversa membra in diversis partibus materiæ suo ordine, & proportione, & situatione requisita ad organisationem naturalem viventis; & tamen hæc actio tot circumstantiis depicta, non est vitalis; etsi videatur excedere modum operandi agentium naturalium: argo idem dicendum de facultatibus naturalibus, etsi selectione quadã operẽtur; aliã ergo viã indaganda est vitalitas in dictis facultatibus.

Respondeo facultates naturales ministrantes, & ministratas, illud habere peculiare in suo modo operandi quo distinguantur ab agentibus naturalibus, & quo constituantur in esse vitales; nempè quod operentur cum subordinatione facultatis ad facultatem, ità ut earum operatio tali ordine & subordinatione procedat, ut priùs facultas attrahens attipiat alimentum proportionatum, & in quantitate proportionata, deinde retinens illud retineat, usque dum coquens facultas illud perficiat, quo tempore expellens propulsat excrementitias partes, ut alimentum maneat magis assimilatum, & depuratum pro nutritione, & tunc, & non anteà, operatur ministrata facultas nutritiva, & deinde augmentativa; tunc sic argumentor: sed iste modus operandi excedit valde modum operandi agentium merè naturalium; quippè talia agentia minimè operantur cum hac sub ordinatione,

tione,& ordine, ſed in quantum poſſunt, quia in ſois nperibus reluceat, talis ordo,& veluri diſeretin:ergo rationabiliter cenſeri debemus in rali actione, & perfectiori modo operandi conſiſtere vitalitatē,& per ipſum diſtingoi ſufficienter actiones, & facultates vitales à non vitalibus. Quâ ratione Gal. 3. *de facult.nat.c.6.* aiebat, *Trabere eſt propter potiri*: quoniam omnes iſte facultates aguur, & ordinantur prædicto ordine, propter nutritionem & augmentum; & qoia iſtæ facultates miniſtratæ non operantor uſq; dum miniſtrantes operentur; ideò in ipſis eſt ſubordinatio, & diſeretio, & ſic omnes operantur vitaliter.

Ex his, facilè objectinnibus propoſitis reſpondetur: nã, etſi in peculiaribus medicinis purgantibus, ſit peculiaris familiaritas, cũ peculiatibus humoribus ratione ſimilitudinis, aut quia operātur à tota ſubſtantia tractionem illam, ſicut aceidit in Magnete reſpectu ferri; tamen illam tractionem operantur hujuſmodi agentia in quantum poſſunt, abſq; ſubordinatione aliqua, & abſq; directione. Unde illud trahere non eſt propter potiri, neque ordinabile ad aliud, & ſic neque tractin medicamentorum purgautium, neq; magnetis tractio eſt vitalis, ſed merè naturalis. Idem de actione delineativa ſeminis eſt dicendum; nam illa eſt propria & innata, conceſſa huic inſtrumentn generationis, & talis facultas operatur in quantum poteſt, talem delineatiooem, & ſituatinnem, abſque ſubordinatione aliqua, & directione, ſeu diſcretinne; ideóque licèt talis fabriea ſit mirifica, propter ejus varietatem; tamen eſt omninò naturalis, quia fit à principin omninò naturaliter operante, & abſque aliqua ſubordinatione facultatis, ad facultatem; ſed in quantum poteſt operatur ſemen opus ad quod à natura deſtinatum eſt: quâ doctrinâ nullius roboris ſunt argumenta in contrarium addocta.

Reſtat ut de facultate pulſifica aliquid dieamos; & cùm ex dictis conſtet, pertinere ad facultatem mediam inter vegetativam, & ſenſitivam; videtur opus pulſificæ facultatis eſſe vitale, nam ſit à facultate altioris ordinis, quàm vegetativa, & aliquantulum inferioris, quàm ſenſitiva, ſed ſi opera, quæ procedunt ab anima vegetabili, aut à gradu vegetativo ſunt vitalia, ut dictum eſt, potiori jure opera pulſifica vitalia debent eſſe, cùm procedant à gradu animæ perfectiori. Idem de generativa ſpirituum dieendum eſt, ſi conſideretur actio, quatenùs ſe tenet ex parte cordis, nam cor intendit ſuam nutritionem ex illa materia in qua priùs quàm forma viventis reſultet, reſultat per accidens forma ſpirituum (& idem de generatinne ſpirituum animalium, cùm ſit idem fundamentum) ergn talis actin quatenùs ſe habet ex parte cordis eſt nutritiva, licèt non accedat ad ultimum terminum, proindéq; eſt vitalis; quemadmodũ actin, quâ teſtes generant ſemen, quod alimentom proprium, & proportinnatum eſt ex quo nutriuntur.

De qualitate illuſtrante, ab ſpiritibus ſive vitalibus, ſive animalibus immediate, producta, dicendum eſt, non eſſe vitalem; nam eam producunt ſpiritus ſine electinne, aut ſubordinatione aliqua; imò in opinione probabiliori reſultat à ſpirituum forma, & ſic jure optimn reputatur prn naturali actinne, & minimè prn vitali. De actione, quâ agit temperamentum, etiam eſt certum eſſe merè naturalem, quia in quantum poteſt agit temperies & abſq; ulla electinne, & ſubordinatione. Cæterùm etſi in diverſis partibus diverſimodè operetur, ut propter diverſam temperiem inductam; nam eadem ſemper erit nata producere eundem effectum; & licèt produceret diverſos effectus, indè non benè infertur agere actinne vitali; nam diverſa diſpoſitio ex parte materiæ ſæpè id facit, quin in actione ſit vitalitatis alicujus ſuſpicio.

Reſtat ſcrupulus circa facultatem expultricem, quam *ſuprà* poſuimus inter facultates miniſtrantes, & de omnibus diximus pertinere ad gradum vegetandi, ſeu ad vegetativam animam. Videtur tamen potiùs ad ſenſitivam attinere, nam in pluribus partibus celebratur expulſio excrementorum præcedente ſenſatione, exempli gratiâ in urinæ expulſione, & dejectionibus per alvum: ſed operationes, quæ celebrantor præcedente ſenſatinne pertinent ſine dubin ad facultatem ſenſitivam: falsò ergo aſſerimus facultatem expultricem computandam eſſe inter naturales, quæ ad gradum vegetandi reducuntur.

Reſponden actiones omninò naturales, minimè fieri præſuppoſitâ ſenſatione, ſeu cognitione, ſed ſolâ naturali antipathiâ cum excrementis operari: cæterùm urinæ excretionem, & alvi dejectiones, eſſe actiones mixtas, ſeu naturales, & voluntarias, juxta Avicennæ doctrinam, quem ſequũtur plures & non infimæ notæ Doctores; undè ea ex parte, quâ ſunt naturales, ſine dubio operarentur, quin præcederet ſenſatio: ea tamen ex parte quâ dependent à muſculis, ſine quorum laxatinne non poteſt fieri expulſio, neceſſarium eſt, quod præcedat ſenſatio ad expulſionem; nam in dictis partibus fuit neceſſaria talis dependentia propter ordinem, & debitum modum requiſitum ad expulſionẽ talium excrementorũ; & ità non ſolùm retinet ipſa naturalis facultas, ſed muſculi alij, qui etiam ſimul cum expultrice naturali jovant ad expulſionem mediâ ſuâ laxitate, ad quam præcedit ſenſatio, & ſic meritò tales expulſiones in dictis partibus celebrantur duplici facultate operante naturali ſcilicet, & voluntaria, ut liberè poſſemus talia excrementa propulſare, & in occaſionibus decentibus ad ornatum & commercium. Conſtat ergo ex bis, per accidens ſe babere præcedentiam cognitionis, & ſenſationis ad expultricem facultatem naturalem, ſi ipſam ſecundum ſe conſideremus.

CAPUT VI.

An in partibus ſit peculiaris facultas operans propter totum, ſeu propter bonum commune.

NOtum eſt apud omnes Profeſſores Medicinæ dari in noſtro corpore quaſdam partes ea dignitate à natura conſtitutas, ut non ſolùm operentur peculiaria ſua munera nutritionis, & augmenti, & reliqua, quæ ad ſuas facultates miniſtrantes ſpectant, verùm etiã alías exerceant functiones pro toto viventi communes, & ſimpliciter neceſſarias: ſic videmus ventriculum chyloſam ſubſtantiam pro toto conficere præter propriam, & peculiarem actionem pro ſuo nutrimento. Similiter jecur maſſam ſanguinariam ex quatuor humoribus compoſitam elaborare, valde neceſſariam pro conſervatione viventis. Ulteriùs etiam conſtat renes trahere nimiam ſeri quantitatem, veſicam fellis bilioſum humorem, lienem etiam melancholica excrementa, à jecore trahere, & aliqualem portionem in ventriculũ mittere pro excitatione famis, quæ omnia opera potiùs videntur

destinata pro bono communi, quàm pro peculiaribus functionibus prædictarum partium.

Ex his ratio dubitandi oritur, & inquiritur,an prædicta membra unicâ, & eadem facultate propriâ, & innatâ, opetentur varia hæc munera, an verò in his sit concedenda peculiaris altera facultas,quæ à natura sit ipsis concessa,ut proptes bonum commune, & totius operetur, in qua difficultate nostro Primario Martinez, *in suo Opere de rebus naturalibus pag.*141. visum fuit non esse in membris multiplicandam alteram facultatem operantem propter bonum commune, & totius, sed sufficere propriam, & peculiarem facultatem cujuslibet membri ex dictis, ut illa munera,quæ videntur communia eliciantur. Assumptum probat unicâ, & suo videri, efficacissimâ ratione; nam facultates differunt ratione diversarum operationum:sed opera,quæ eliciuntur à dictis partibus conducentia pro toto,sunt eadem cum operibus peculiaribus, & propriis earundem partium: ergo & facultates à quibus procedunt identificantur, quin sit necessarium de novo adstruere specialem,& novam facultatem,quæ operetur præcisè propter bonum totius. Minorem probat: nam coctione, tractione, & expulsione omnia opera talium facultatum complentur: sed hæc omnia celebrantur propriis,& peculiaribus facultatibus: ergo frustrà ponitur alia nova; etenim facultas operans propter totum, eodem modo operatur, ac illa quæ operatur propter se peculiare,& proprium opus: cùm ergo idem modus operandi sis in dictis partibus, ad omnia munera, eadem est facultas à qua omnia fiunt, & minimè est multiplicanda altera nova.

Hæc tamen ratio minimè convincit assumptum: etenim non probat eodem modo operari facultatem quando proprium opus conficit, ac quando operatur propter totum; imò bonum rationabilius; nam electioni modo trahit ventriculos materiam nutrimentalem propriam, quàm materiam alimenti, ex qua fabricat chylosam substantiam, & jecur etiam pro sua nutritione, non trabit totam materiam chylosam, sed pro fabrica quatuor humorum ex quibus pars quælibet juxta suam etherogeneitatem arripit bilem, aut pituitam, aut melancholiam, aut sanguinem, aut quartum humorem, & hoc quidem diversâ actione ab illa, quâ trahit chylum, etsi in generico prædicato tractionis conveniant; nam in primo casu trabis pro toto, in secundo specialiter trahit pro suo nutrimento seligendo materiam proportionatam in quantitate & similem in qualitate: ergo diversimodè operatur jecur & ventriculus quando attrahunt materiam pro toto, ac quando attrahunt materiam pro sua peculiari nutritione: ergo diversificantur actiones, ptoindéque,& facultates à quibus proceduot;& idem currit argumentum de retentione & expulsione: non ergo etsi omnia opera fiant tractione,retentione, & expulsione,eodem modo operantur partes, ac proindè non eadem facultas operatur. Confirmatur à simili: nam,etsi tractio facta à Rhabarbaro respectu bilis conveniat cum tractione, quâ quælibet pars trabis alimentum;tamen diversæ sunt facultates, etenim illa dicitus omninò naturalis, hæc verò vitalis:ergo sic similiter licèt partes trahant materiam alimenti pro chylo,& chylum pro sanguine, diversa tamen erit hæc tractio,quàm illa, quâ trahunt proportionatam materiam pro suo nutrimento; etenim hæc tractio fit selectiori modo, illa verò fit trahendo nimiam quantitatem materiæ, & improportionatam pro suo peculio, proportionatam tamen pro toto,& ut omnes partes arripiant alimentum proportionatum:jure ergo optimo censenda est diversa actio illa, quâ jecur trahit chylum, & ipsum elaborat pro fabrica quatuor humorum,ab illa,quâ trahit peculiare,& proportionatum alimentum pro sua nutritione,ac per consequens diversa erit facultas à qua elicitur.

Præterea etiam hæc ratio clariùs convincit contra nostrumMartinez in tractione serosæ substantiæ facta à renibus;nam hæc materia est incapax ut renes ab ea nutriantur, utpote est pars aquea incommutabilis alimentorum,& ulteriùs talis attractio est valde immodica, & improportionata pro sua nutritione,(in casu in quo esset capax,)& solùm à natura providè concessa renibus, ut expurgaretur tota massa sanguinaria,ab inquinamēto seri; ex cujus retentione corrumperetur sanguis:ergo talis actio debet fieri facultate diversâ, quæ solùm operatur propter bonum totius. Patet hæc ultima consequentia; quia renes per illam actionem non intendunt propriam nutritionem, sed expurgationem sanguinis,ut per se patet:ergo à facultate diversa fit operante propter totum,etsi forsan propter se est secundariò,& quasi per accidens,ut scilicet materia ex qua notriendi sunt renes sit magis libera,& depurata ab excrementis.

Præterea in favorem hujus probationis sic arguo,natura provida fabrefecit jecur, ventriculum, & renes, tanquam officinas communes eâ dignitate constitutas, ut ministrarent materiam simpliciter necessariam pro bono communi: ergo rationi magis consonum videtur, quod ipsis partibus concesserit facultates peculiariter operantes pro bono communi. Cæterum,quod non sufficiat facultas cujuslibet membri pro hoc ministerio, probatur;quippè nullum aliud membrum disponit materiam pro bono communi, etiamsi ornatum sit omnibus facultatibus ministrantibus, & ministratis: ergo credendum est naturam specialiter concessisse officinis communibus aliâ facultatem, quâ munera communia exerceant, & non sufficere illam,quâ operantur propter se,sicut non sufficit,quæ in aliis membris est concessa pro eorum conservatione. Propterea mihi videtur probabilius,in peculiaribus membris adductis,facultatem aliam operantem pro bono communi multiplicandam esse:quod præterquam probatum est ex impugnatione facta contra nostrum Magistrū, etiam ex suis principiis suadetur: nam quando ventriculus fabricat chylum,& jecur quatuor humores, minimè operantur propter se; imò potiùs tales actiones sunt via ad terminum & formam, quæ per accidens resultat, in opinione hujus Doctoris:ergo non elaborant chylum,& massam sanguinariam facultate propriâ peculiari, operante propter se, sed potiùs aliâ diversâ facultate operante propter totum, & producente materiā simpliciter necessariam pro sua conservatione.Cæterùm, quod talis materia secundariò deserviat pro nutritione peculiari harum partium, est omninò per accidens, & sic credendum est non fieri à facultate membri peculiari operante propter propriam nutritionem & conservationem. Præterea etiam non caret scrupulo asserere, actionem ità necessariam,qualis est illa,quâ producitur chylosa substantia pro bono communi esse terminatam in formam resultantē omninò per accidens.Quod præcipuè in jecore in nostra opinione minimè habet

bet locũ;ibi enim latè probavimus,illã actiooem per se terminari in massã sanguinatiã, & esse per se iotentã à jecore propter dignitatẽ officij in quo est à natura cõstitutum jecur. Quâ doctrinâ clariùs intelligitur, actiooem illam, quâ jecur producit quatuor humores præcisè ordinari in bonum commune totius, & procedere ab alia facultate propter totius utilitatem operante, & minimè à peculiari, quæ solùm dirigitur ad peculiaria opera jecoris, quateuùs membrum peculiare, & non quateoùs operatur pro bono communi. Consonat Galen. *cap. 4. de diff. symptom.* ubi tenet diversum symptoma oriri à ventriculo, ut organum coctionis, seu elixationis est in ipsius cavitate à symptomate, quæ accidere potest si consideretur ventriculus quateuùs propriam exercet nutririonem. Ex qua doctrina colligitur diversâ facultate operari quando conficit chylum, ac quando nutritur, aliàs non posset esse diversum symptoma sub una ratione, quin esset sub alia: ergo vero similius est in officinis communibus naturam providam adstruere novam facultatem à qua opera necessaria simpliciter pro toto fiant, præcipuè cùm ratio contrarium suadeua nullius sit momenti, ut constat ex dictis.

CAPUT VII. ET ULTIMUM.

De instrumentis facultatum naturalium:

COMMUNITER receptum apud omnes Medicos est juxta Avic. doctriuam, facultates naturales uti duplici instrumento ad suas functiones obeundas, nempè qualitatibus seo temperamento ex omnibus conflato,& fibris, mediis quibus facultates ministrantes, sua opera exercent: de omnibus igitur *in præsenti cap.* agere intendimus.

Et quidem de fibris certum est in doctrina Gal. *lib. 3. de facultat. naturalib. cap.* 10. esse triplex genus fibrarum, & hauc doctrinam admittunt inconcussè omnes Medici, & docent quasdam esse fibras rectas destinatas ad trahendum; obliquas alias ad retinendum servientes, & tandem transversas ad expulsionem dicatas. Totum quod clariùs notificavit Gal. *lib. 5. de usu partium cap.* 11. per sequentia verba; *At vesicarum tunicæ, rectos ac rotundos, & obliquos habent villos, una enim utrinsque vesica tunica, cùm sit ad omnem motûs speciem, constructionem adepta est accommodam. Siquidem, & motum quem attrahendi causâ illi recti, & eum quem excernendi causâ, transversi, ad extremum etiam eum, quem, ut ea etiam retineant, quibus undique apprimuntur, obliqui conficiunt, instrumenta ipsa habere æquum fuerat.* Ex quibus verbis satis clarè constat distinctio inter diversas fibras ad diversa munera servientes, io facultatibus, quorum opera fiunt medio motu, minimè verò in coctrice facultate, ponuotur, cùm hæc operetur citra motum; & adhuc in reliquis, quæ medio motu operantur, hujusmodi fibræ minimè sunt instrumenta simpliciter necessaria, ut operentur; etenim ossa, & plantæ attrahunt, retinent, & expellunt absque fibris, noo aliter ac Magnes attrahit ferrum, & retinet ipsum, absque ullo motu ipsius Magnetis: imò & cerebrum, etsi motu operetur, ut experientiâ constat, tameo sine fibris operatur, cùm ipsis careat, juxta Galen. placitum *cap. 4. de instrumento odoratûs:* Et omnes Anatomici eandem veritatem experimentis testificant. Deducitur ergo manifestè fibras oon esse simpliciter necessarias ad opera facultatum naturalium quæ medio motu celebrantur, conducere tamen ad meliùs & perfectiùs operandum.

Restat tamen explicare, quâ ratione per motum prædictarum fibrarum actiones facultatum oaturalium, quæ illis indigent celebrentur. Circa hoc dubium plures ex Recentioribus firmiter teneut tractionem, & retentiouem fieri, quin aliqua vis motiva, seu impulsiva communicetur alimentis, seu rebus attractis ex vi motûs fibrarum; sed potiùs præstare quædam usum ut à facultatibus naturalibus potentiùs operationes fiant; & quidem hanc doctrinam habere fundamentum in Galen. aiunt, qui *lib. 5. de usu partium cap.* 11. *cit.* sic fatur, loquendo de fibris. *Nam tensis solis transversis, latitudo ipsa contrahitur: at rectis solis longitudo minuitur; omnibus porrò simul tum rectis, tum transversis, tum obliquis in se ipsos contractis tota contrahitur particula; quemadmodum certè his omnibus longioribus redditis tota etiam extenditur.* Ex quibus verbis dubitationem propositam solvunt, & rationem ad sui comprobationem deducunt; nam si tractio fit quia motu fibrarum minuitur longitudo, absque dubio manu ducit rem quam tangit versus principium, ad quem motum videtur non esse opus communicari impulsum, seu vim motivam corporibus, cùm fiat ad motum fibrarum, præcipuè cùm fibræ tangant corpus quod trahunt; unde sicut quando manu trahimus lapidem, non imprimitur vis motiva ipsi, licèt motus in ipso lapide subjectetur. Similiter neque ad retentionem, neque ad tractionem, quæ contractione fibrarum celebratur, non erit necessarium, quod imprimatur impulsus, seu vis motiva, ipsis corporibus tractis, aut retentis, cùm semper tangaot fibræ corpora, quæ trahuotur, aut retinentur, utpotè veluti manuducuntur; & hoc est fundamentum, quo nituntur Autores, qui hanc doctrinam tuentur. Cæterùm de expulsione non probat eadem ratio; nam ad illam requiri aiunt, quod imprimatur corporibus expellendis vis motiva; etenim expulsio fit, quia cavitas illarum fibrarum contractione secundum cavitatem ipsarum, fit minor ipsa cavitas, ità ut occupet locum ejus quod in cavitate continebatur, & ità talis expulsio fit eo modo, quo unum corpus pellit aliud ex loco; totum, quod fieri nequit sine communicatione impulsûs, seu virtutis motivæ à corpore pellente, in corpus pellendum.

Cæterùm, hæc doctrina videtur claudicare; nam licèt concedamus tractionem & retentionem celebrari ad similitudinem corporum, quæ manducantur, tameo hoc non potest fieri citra communicationem alicujus impulsûs, seu vis motivæ; nam corpora illa, quæ manu ducuntur à fibris per ipsarum contractionem, minimè habent inclinationem naturalem ad terminum illius motûs; imò potiùs suo pondere gravitant ad suum centrum: ergo ut moveantur in terminum alienum per contractionem fibrarum, est necessarium, ut ipsis imprimatur vis aliqua motiva quæ cogat moveri talia corpora in terminum alienum contra suam inclinationem, & superet gravitate talium corporum inclinationem ad locum centralem. Totum quod sine impulsu à contractione fibrarum

producto fieri nequit. Ità accidit in tractione ferri à Magnete quæ fieri nequit sine communicatione impulsûs, qui contra gravitatem corporis cogat ipsum moveri à suo centro versus locum Magnetis,& idem argumentum efficaciter probat de retentione: nam retinentur corpora, contra suam gravitatem, inclinationem, & locum proprium centralem;quod fieri nequit citra communicationem impulsûs. Et licèt per contractionem fibrarum moveantur corpora,& applicentur versus alium locum, & ibi approximentur, probat etiam nostrum argumentum, sicut de corporibus, quæ manu ducuntur in alium locum. Nam in his etiam est necessaria vis motiva, quâ moveantur contra suam inclinationem.

De virtute impellente non est dubium fieri per communicationem impulsûs, & hoc fieri in fibris per incompossibilitatem duorum corporum, ut tenet Petrus Garcia, ratione contractionis fibrarum versus suam cavitatem, est certum(quidquid clamet Doctor Martinez contra ipsum) siquidem minimè asserit Petrus Garcia semper expulsionem fieri per incompossibilitatem duorum corporum, sed solùm quando fit expulsio per contractionem fibrarum versus suam cavitatem.

Restat examinare, an temperamentum sit instrumentum facultatum naturalium, & quâ ratione concurrat cum ipsis àd sua opera.Et quidem de facultate coctrice *proprio loco* dictum est celebrari à calore & humiditate, necnon concurrere tanquam instrumentum necessarium ad adquisitionem perfectionis, quam vivens acquirit per coctionem, de quo latè plura docuimus, quæ facilè quis poterit in hunc locum transferre.

Cæterùm, major digladiatio est circa alias facultates ministrantes: Et primò circa facultatem trahentem, Vallesius noster tenet calorem, esse instrumentum quo utitur ipsa facultas ad tractionem, ità super *lib. 5. de medicamentorum facultatibus cap.6.* & probat ex Gal. *loco citat.* ubi sic fatur; *Inter illa, quæ substantiis similia sunt, id quod calidius est, potentius trahit.* Quibus verbis probat calorem habere efficientiam instrumentalem, in ordine ad tractionem, & id experimentum videtur demonstrare: siquidem per applicationem alicujus medicamenti calidi fit major tractio ad illam partem, & quantò magis calefit, tantò magis augetur tractio: ergo calor concurrit ad hanc actionem efficienter instrumentaliter.

Noster D.Martinez, in hac controversia tenet contra Vallesium calorem minimè esse instrumentum, verùm neque efficientiam præstare ad tractionem, neque ad retentionem, neque ad expulsionem, sed solùm disponere ad hujusmodi actiones, quatenùs facultates operantur perfectiùs calore disponente citra concursum aliquem in genere causæ efficientis. Probat ex eo quod ignis calidissimus est,& tamen nihil trahit ad se: ergo calor non concurrit efficienter ad tractionē.

Hæc tamen ratio non probat: siquidem certum est calorem conducere ad tractionem, sive dispositivè, sive præstando aliquam efficientiam: ergo omne calidum id præstabit: nos ergo id denegabimus igni, quandoquidem quodlibet membrum quò magis calidum est, magis dispositum est ad tractionem, & ad concitandam fluxionem. Cæterùm, si id præstet calor solùm disponendo, an verò concurrendo efficienter tanquam instrumentum, est quæstio, quæ plus habet de nomine, quàm de re, ideóque in ipsa non immoror.

Quandoquidem certum est in doctrina Avicen. quod omnes actiones, quæ celebrantur medio motu indigent calore coadjuvante ad motum, ideóque trahentem, retinentem, & expellentem facultatem fieri medio calore, qui conducit ad motum sicut frigiditas ad segnitiem, sive id fiat dispositivè, sive præstando aliquam efficientiam, de quo neque verbum adducit Avicenn. neque Gentilis *in expositione*.

De dolore aliqualis est controversia inter Auctores, an scilicet sit instrumentum, aut dispositio coadjuvans, seu conducens, ut tractio celebretur. Partem affirmantem tenent plures Auctores non infimæ notæ, & fundantur in doctrina Galen. *lib. de sanguinis missione, cap.* 8. ubi ait. *Quippe dolor ipse,sanguinem ad inflammationis locum trahit.* Sequitur Avic. *fen* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 7. per sequentia verba. *Nam illud quod est ei vicinum cum dolor ingreditur membrum, attrahit ad ipsum.* Ex his videtur Gal. & Avicen. clarè sensisse dolorem esse instrumentum facultatis trahentis, & præstare aliquam efficientiam ad tractionem, aut saltim disponere ad ipsam.

Galenus tamen non videtur constans in hac re; etenim contrarium videtur sentire 13. *meth. cap.*3. ubi de dolore sermonem faciens sequentia scripsit verba. *Instigat membra, quæ circumjacent ad immittendum, ipse nequaquam trahens.* Ubi verbum illud, *nequaquam*, videtur excludere omnem efficientiam ad tractionem, imò & dispositivum concursum; sed solùm facere ad tractionem, per accidens, ratione irritationis membrorum circumjacentium,ad immitendum in partem dolentem. Et hæc assertio videtur verior si adjungamus rationem, quæ idem videatur suadere: Etenim in dolore, & est objectum sensatum, & solutio continui, & sensatio, & fugæ appetitus; sed neutrum præstat ullam efficientiam ad tractionem: ergo solùm per accidens ratione irritationis membrorum circumjacentium conducit ad tractionem. Minor probatur per partes, inprimis non trahit objectum, quia potest esse calor, vel frigus, aut impulsus, quorum nullus trahit, ut per se patet, nisi calor, ut suprà docuimus; neque solutio continui, cùm ipsa sit quid privativum: rursùs neque id facit sensatio, cùm ipsa solùm sit perceptio objecti: & tandem neque fugæ appetitus, cùm potiùs hæc deberet trahere humorem in cor, & minimè in partem dolentem, in quod movetur, cùm sit passio ipsius cordis vel ad cor attinens. Nihil ergo est in dolore, quod præstet efficientiam in tractione, ac proindè minimè censendum est esse instrumentum facultatis trahentis.

Noster Petrus Garcia, *super Avic. disp.*39.*cap.* 11. tenet dolorem conducere, & concurrere ad tractionem sicut calor, disponendo scilicet ad tractionem. Hanc assertionem non probat nisi ex refutatione aliarum opinionum. Contra ipsam tamen militant plura; & præcipuum argumentum est, quod irritatio illa seu sensatio dolorifica, potiùs conducit ut pars quæ dolore cruciatur expellat causam, seu humorem molestantem: ergo dolor minimè potest disponere ad tractionem.

Huic argumento respondet Doctor citatus, verum esse dolorem conducere ad expulsionem causæ molestantis, & inferentis dolorem; tamen etiam esse dispositionem ad tractionem alterius humoris. Sed contra hanc evasionem stat ratio:

nam

nam facultas irritata expellit causam irritantem actione naturali : ergo expellit quidquid irritans est ; sed non solùm potest irritare quod primò causavit dolorem ; sed humor etiam adveniens, si forsan possibilis est tractio quam concedit Doctor citatus : ergo dolor semper conducit potiùs ad expulsionem quàm ad tractionem. Comprobatur hoc manifesto experimento in evacuationibus symptomaticis, in quibus non solùm expellitur, humor irritans, causans dolorem ; sed etiam humor laudabilis : ergo nullo modo conducit dolor ad tractionem.

Hujus difficultatis solutionem docuit Galen. 5. *aphorism. comment.* 53. per sequentia verba. *Hac enim est quadam ratio communis, in quibus natura aliquid violenter excernit, ut eò sanguis, & spiritus impetu ferantur ; quibus duobus veluti instrumentis natura utens, ea quæ infestant per vim expellit. Hac ratione igitur, & dolentibus partibus inflammationes adveniunt, naturâ excernere, atque expellere causam doloris properante : ut verò hoc faciat, sanguine, & spiritu locum replens.* Quibus verbis satis clarè docet Galen. humorem defluere in partem dolentem missum ab aliis membris in subsidium illius, minimè verò trahi ab ipsa parte. Consonat idem Galen. 13. *meth.* per sequentia verba loquens de dolore, *Instigat membra, quæ circumjacent ad immittendum, ipse verò nequaquam trahens.* Nihil clariùs pro resolutione dubioli propositi, sic in parte dolente per accidens eveniunt inflammationes, quia ipsa pars debilis est, quâ ratione facilè, & promptè recipit quidquid alia membra mittunt in subsidium illius, sanguinem scilicet, & spiritus, propter unum, & communem totius consensum ; unde accidunt inflammationes, quas quotidie experimur, ubi pars quælibet dolore cruciatur.

Vidit hanc solutionem Doctor Petrus Garcia *loco citato*, & objicit contra ipsam : etenim si partes dolentes instigant membra quæ circumjacent ut mittant in earum subsidium sanguinem, & spiritus ; quâ ratione inflammationes eveniunt in dictis membris, videtur frustrà, & inutiliter applicari in principio talium inflammationum auxilia repercussiva ; cùm hæc impediant id quod in auxilium talium membrorum mittit natura, in ipsorum subsidium.

Respondetur partes circumjacentes mittere in subsidium dolentis partis cœco impetu, & citra cognitionem, actione omninò naturali, & sic rationabiliter Medici quando agnoscunt inflammationis initium, imperant auxilia repellentia, ut cohibeant impetum humoris : siquidem cùm quælibet pars mittat, & sint plures quæ mittunt, & cœco impetu, à fortiori debet esse fluxio impetuosior, quàm sit necessaria solùm pro subsidio partis. Meritò ergo apponuntur auxilia repercussiva in principio talium inflammationum, unde clarè constat dolorem esse occasionem ut partes circumjacentes expellant, non verò habere vim trahendi, nec esse dispositionem per se conducentem ad tractionem.

Et hæc sufficiant pro Tractatu de Facultatibus naturalibus, relictis aliis dubiis quæ potiùs ad Philosophos, quàm ad Medicos spectare videntur.



TRACTATUS



TRACTATUS DE VENENIS.

CAPUT PRIMUM.

De Veneni natura, & quidditate, & ipsius differentiis.

NVLLA est via magis tenebricosa, nulla disciplina obscurior, nulla scientia majoribus difficultatum involucris irretita, quàm ea, quæ de Venenis agit. Et licèt *Tractatu nostro de Alimentorum facultatibus*, *cap.*4. obiter de ipsis egimus, disputantes, an venenum possit esse alimentum nostri corporis; ubi etiam quâ ratione frigidum venenum, sua qualitate manifesta, interficere possit; longâ oratione docere curavimus. In præsenti tamen latiùs, & accuratiùs in tanto pelago naufragare decrevimus. Et quidem primò circa ejus quidditatem erit sermo; ut cognitâ suâ ferocissimâ naturâ, & deindè variis differentiis venenorum enodatis, possit cordatus & Christianus Medicus contra ipsorum virulentiam, & deleteriam vim legitimè pugnare, & hominem ab injuria liberare.

Porrò in hac re Galenus egregiè de Venenis egit, *& lib.*3. *de temperamentis*, *cap.*3. veneni naturam declaravit per sequentia verba, *Venenum est illud, quod humani corporis temperamentum destruit, atque permutat.* Hanc doctrinam sequitur Arabum Princeps Avic. *lib. de viribus cordis tr.*2. *cap.*1. *in fine*, *& fen* 2. *lib.*1. *doct.*2. *cap.*11. subscribit Valleriola *lib.*3. *locorum communium cap.*18. & Mercurial. *lib.*1. *de venen. cap.*5. Est igitur venenum complexionis nostræ destructivum, & humanæ naturæ valde adversum, nullâ substantiæ suæ mutatâ parte, sed totâ servatâ integrâ corpus nostrum afficit; quare deleterium est atque pestiferum: Ità Gal.3. *de temperamentis*, *cap.*4. ubi specialiùs de venenis, & viribus crudelibus ipsorum agens, loquitur sic. *Venena temperiem nostram corrumpunt, vitæ adversantur, & principiis illius vehementer repugnant, cæcáque, & delitescente vi variè symptomatum cruciatu nos fatigant, & totius naturæ dissidio vitæ nostræ primordia demoliuntur.* Ità Fernelius doctissimus *lib.* 2. *de abditis cap.*15. tenet. Ex qua doctrina inferunt communiter Autores venena à forma specifica substantiali, & occultâ quadam proprietate corporibus esse infesta.

Nec longè distat ab hoc sentiendi modo Cardanus qui *lib.* 1. *de Venen. cap.* 1. & *lib.* 2. *contradict. Medic. tract.*5. *controv.*10. Galeni, & Avicen. definitionem amplectitur; *& capit.* 1. *citato & 4.* peculiarem suo modo Veneni definitionem, seu descriptionem machinatus est sic: *Venenum est quod aptum est nobis vehementer nocere occultâ agendi ratione.* Quibus verbis docere intendit satis esse ad veneni naturam constituendam ut sit aptum nobis vehementer nocere, occultâ agendi ratione quin ad essentiam veneni sit necessarium, ut interimat, cùm plura sint legitima venena, quæ necessariò non interimunt. Quæ doctrina si de actu secundo intelligatur, probabilis est; tamen ex se venenum dicitur, quod vitæ opponitur, & mortem inferre valet, etenim plura sunt, quæ nobis vehementer nocent, non tamen deleteriam habent vim, nec accidentia horribilia creant, ideóque meritò à legitimis venenis excluduntur, de quibus *infrà* agemus.

Hinc disces venenum differre valdè ab alimento & medicamento, quippè alimenta nihil in hominis corpore faciunt, aut ità exiguum, ut Medico sit insensibile, ut latè *nostro Tractatu de Alimentis* docuimus; medicamenta verò nostrum corpus alterare valent, non tamen totis viribus nostræ naturæ contrariantur, & nobis sunt infensa, sicut venena, quæ accidentia, horrenda suâ vehementi alteratione, nullâ substantiæ suæ mutatâ parte inducunt: Et licèt ignis, & aqua suis qualitatibus summis vehementer nos alterare valeant, & vitæ principio opponantur; non tamen perindè inter venena ab Autoribus enumerantur; quoniam non producunt in nostro corpore illa horribilia, & indicibilia symptomata, quæ in venenis legitimis experimur; de quibus *infrà* agemus; etenim ignis solùm urere valet, & aqua intensè refrigerare, quæ accidentia solùm manifestam indicant qualitatem effectricem. Præterquam quod venena dicuntur corpora mixta in contrapositionem elementorum, & medicamentorum, quæ intùs assumpta vehementer alterant vivens; non quidem per qualitatem, quam habent actu, sed per illam, quam habent in potentia, & resurgit post actuationem; talia autem qualitas solùm in corporibus mixtis relucet, sicut illa, quâ alia venena operantur à tota substantia; etenim nunquam est visum elementa reduci de potentia in actum, eo modo, quo venena mixta, neque ea varietate accidentium malignorum occidere; ideóque meritò à venenis propriis relegantur elementa. Neque desunt Autores non infimæ notæ, quæ acerrimè defendant, ea quæ operantur mediis qualitatibus manifestis, aliquid aliud peculiare requirere, præter quartum gradum, ut venena dicantur; quare neq; frigida in 4. neq; calida in 4. sive medicamenta, sive alimenta non possunt dici rigorosa & legitima venena, nisi peculiariter infestent naturam, & illam corrumpant, peculiaria, & pestifera accidenta inducendo. Ita Vallesius noster *in expositione cap.* 18. *lib.* 3. Gal. *de simplic. med. facult.* Verba Vallesij perpendite. *Non enim ut quæcumque quarto gradu censentur frigida, venena sunt, ita & quæ quarto gradu calida, nisi etiam putrefacientia*

tientia sint, & corrosiva. Itaq; ob calorē talē sunt venena; dicentes autē talē modū mixtionis, & substantiæ contrarietatē, sermone conjungimus: hoc dicit interesse, quod frigida non sunt naturâ, & substantiâ adversa, sed venena solū quātitate, hoc est tā exigua quantitate dari posse, ut vincātur, atq; adeo nutriāt; calida verò quia natura sunt adversa, vinci nō posse; sed necessariò putrescere, ac computrefacere. Hucusq; Valles. Ex quibus constat frigida venena quantitatē solū dici talia, & per morā in corpore mitescere; calida verò nunquam, sed quò manent diutiùs in corpore, eò fiunt deteriora. Hinc oritur, ut frigida venena homines calidos, & arteriosos citiùs necent quā frigidos, & gracilium arteriarum; quippè in illis facillimè distribuuntur, usq; ad cor; in his morātur diutiùs, & ità fieri potest, ut interim vincantur à nostro calore, & minimè interimere valeant; & eadem ratione, si propinentur cōminuta, aut cum potione aliqua calida, ut vino, ratione cujus deferri possint & intimiùs partes penetrare, interimant citiùs quā si aliter propinentur; & quidem hac de causa succus lactucæ si largiter bibatur, interimit, non minùs quàm cicuta; quoniā succus faciliùs distribuitur, & penetrat viscera; secùs fit si tota lactuca largiter devoretur; ita sentit Gal. *loc. cit.* quod etsi verum appareat ob adductam rationem; consonat tamen mihi magis, ea quam adducit noster Valles. *in expositione*: nam in lactucis substantia propria est sui proprij succi correctiva, non aliter quā caro viperæ est correctiva sui succi, ideóq; in compositione theriacæ ingreditur, & scorpionum caro succurrit eorū morsib. Neq; inconsonū erit asserere, venena frigida non esse ro rigore venena, sicut calida corrosiva, & putrefacientia, nisi in ipsis alias qualitates à tota substantia perpēdamus, quæ soporē, sudores frigidos, syncopē, & alia accidentia inducant, quæ frigidissima mixta comitantur, ideoq; frigida venena nominantur, non quidē quia talia mixta non possint interficere, quia frigida in 4. gradu, sed quia præcisè actio frigiditatis, nō ità vehementer alterat, neq; accidentia illa venenata inducit, quæ celerrimā mortem afferat. Cui doctrinæ videtur suffragari Gal. *lib. 3. de temperam.* ubi sequentia dictavit verba. *Postremò indicat venena frigida, non esse genere venena: quia possunt usu, & consuetudine fieri familiaria.* Et quidē à simili pro validatione hujus asserti, potest formari ratio: nā venena calida præcisè, quia calida, nō interficiūtur venena, nisi in ipsis qualitas illa corrosiva, & putrefaciens à tota substantia orta, pullulet, & tamen dicuntur venena calida, solùm præcisè, quia peculiaribus mixtis calidis soboles est talis virtus seu qualitas: ergo eadē ratione venena frigida possunt dici talia, nō quidem quia præcisè ob intensā frigiditatē interimere possint, quia talibus peculiaribus mixtis est conjuncta peculiaris qualitas à tota substantia orta, ratione cujus soporē, & alia prædicta accidentia celerrimè inducant, quibus sequitur velocissima mors. Quem modum dicendi tanquā probabilē adduxi *Tract. de alim. facult. cap.* 4. neq; immeritò: quandoquidem aqua congelata, & nix; imò & aqua nive summè refrigerata, cujus intensionem nullū mixtum superat, ex his quæ frigida venena nominantur, & tamen quantūvis frigidissima actu bibatur, & in quantitate nimis, non inducit accidentia, qualia cicuta, & opiū, & alia venena frigida; signū profectò testificans, aliquid peculiare latere in dictis mixtis, ratione cujus venena dicantur, & celerrimā mortē cum atrocibus accidentibus inducant; quæ ratio tantùm apud me valet, ut audeam probabiliter arbitrari, omnia venena talia dici à propria substantia, & non per qualitatem manifestam, de quo *infrà* latiùs agemus. Nec me latet interdum aquæ frigidissimæ potum copiosissimū posse omninò extinguere calorem nativum, & mortem celerem inferre, præcipuè in debilibus corporibus, non tamen id erit more venenorum frigidorum, quæ licèt actu frigida non devorentur, neque in copiosissima quantitate, nihilominùs celerrimam mortem inducunt cum sopore, syncope, sudore frigido, & aliis accidentibus pravis: ergo non ratione frigiditatis venenosa inferunt accidentia, & celerrimam mortem, sed ratione qualitatis à tota substantia ortæ.

Suffragatur nostræ opinioni Seunertus doctissimus 3. *Tomo suorum Operum lib. 6. parte 5. cap. 2.* de natura veneni, & differentiis agens, *folio* 607. ubi totis viribus suadere conatur venena propria minimè esse talia per manifestas, seu primas qualitates, sed per occultas, & à proprietate totius substantiæ interimere, & nocere, occultâ scilicet agendi ratione, ut ex Cardani adducta definitione constat, quam libenter admitit, cui consonat Avic. *fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 15.* ubi ait, *Venenum est quod corrumpi, complexionem humanam non sola qualitate, sed proprietate*: Zacutus etiam Lusitanus idem sentire videtur *tom. 1. de Medic. Principum hist. lib. 5. fol. 791.* ubi ait, *Ex his patet venena a forma specifica substantiali, & occulta quadā proprietate corporibus esse infestu, ut etiā 3. de tēperamētis cap. 4. Gal. insinuat.* Probat assumptum ex eodē Gal. 1. *de simpl. med. facult. cap. de abrotano*, ubi docet deleteriorū naturā sola experientiâ dignosci, hoc autem non fit in qualitatibus primis: ergò solùm operantur venena à tota substantia per qualitatem occultam, vitæ omninò adversam.

Secundò in favorem hujus opinionis arguit: nam venena omnia sunt cordi, aut peculiari aliquo mēbro inimica; sed præcisa, mixta omnia, quæ ratione primarū qualitatū præcisè nos alterāt, nulli peculiari mēbro sūt inimica, sed omnes partes afficere possūt: Et licèt intēperies aliqua alicui mēbro magis noceat, tamen id non præstat, quatenùs venenosa est, quippè ob talem alterationem non fit celeris & vehemens corruptio, ad quā sequitur celerrima mors, cū id solū sit reservatū peculiaribus mixtis, quæ à tota substantia vitæ humanæ sunt offensa, quæ propriè, & in rigore venena dicuntur.

Ulteriùs fulcire intendit assumptum; nam dantur plura mixta, quæ secundo, aut tertio gradu sunt calida, aut frigida in multo minori intensione, quàm nix, glacies, aqua gelida, ignis, & igniti corpora; & tamen hæc licèt mortem inferre possint, non tamen more venenorum, sicut corpora primò adducta, in quibus qualitates primæ sunt in minori intensione: ergo accidentia, quæ in venenatis inveniūtur, minimè refundi debent in alterationē manifestā à primis qualitatib. ortā, sed in qualitatē indicibilem à tota substantia ortam. Confirmatur: nam allium, pyrethrum & sinapi, sunt calida in quarto, seu summo gradu, ut omnes fatentur; & tamen non sunt venena: ergo veneni ratio non debet fundari in sūma intensione primarū qualitatū, sed in peculiari natura, seu qualitate à tota substantia orta. Ulteriùs: quia si venenorū natura à manifestis qualitatibus præcisè penderet: omnibus animalib. æquè essent venena illa mixta, quæ sūmè calida, aut frigida essēt; at cicuta est alimentū sturno, & homini venenum: ergo nōn ratione primarum qualitatum id præstat.

Socius noster *supra* citatus in suis manuscriptis,

licèt fateatur aliqua esse venena, qoæ ab occulta qualitate mortem inferant, & vitæ nostræ insidientur; nihilominùs apertè tenet esse mixta calida, & frigida, quæ venena propria dicuntur per suas manifestas qualitates operando, quin sit necessarium recurrere ad occultas, & latentes virtutes in talibus mixtis. Probat assumptum: nam ratio veneni sufficienter salvatur ex eo quod ità opponatur principio vitæ, & ità celeriter & efficaciter lædat, ut ducat vivens in vitæ periculum, sed mixta frigida & calida in quarto gradu id possunt præstare suis manifestis qualitatibus: ergo sunt venena, quà talia, & non per qualitatem à tota substantia ortam: Majorem supponit tanquam certam, & ab omnibus admissam: Minorem probare intendit, sic. Quoniam frigida in quarto gradu si devorentur in magna quantitate ità lædunt, ut occidant, ut sæpè expertum est: ergo sunt venena quatenùs frigida. Nec valet si respondeas (inquit ipse) mortem inferre talia mixta; tamen id non præstat ratione alterationis primarum qualitatum, sed ratione occultæ virtutis. Nam contrà instatur solutio: quia illi principio debemus tribuere mortem, cui possunt tribui symptomata, cum quibus perit vivens; sed assumpto medicamento frigido in quarto gradu in sufficienti quantitare, vivens perit cum somno, cum stupore, & cessatione actionum, quæ omnia sunt symptomata, seu accidentia, quæ sequuntur summam frigiditatẽ: ergo tunc mors debet tribui frigiditati, ac per consequens in ipsa cõsistit veneni natura.

Insuper etiam intendit suadere proprium placitum: quia mixta frigida quæ venena dicuntur, cũ sint potentiâ talia, reducuntur ad actum à nostro calore, seu ab ipso actuantur, & ablato impedimento intensissimã frigiditatem producunt usque ad qoartũ gradum, quæ intensior est calore viventis, atq; adeò ipsum valet vincere, & extinguere per oppositionem directam quam habet frigiditas cum calore nativo: ergo venena frigida independenter ab occulta qualitate, solùm per manifestam propriæ qualitatis alterationem, dummodò sint in quarto gradu frigida, dicuntur venena.

Confirmat hoc ipsum non solùm de venenis frigidis, sed de calidis ex Gal. 3. *de temperament. cap.* 4. ubi de venenis agens sic dictavit. *Sic quæ corporis naturam rodunt, putrefaciunt, & liquant, meritò potestate calida nominantur, contrà quæ refrigerant, & sensum auferunt, & torporem notabilem afferunt, frigida.* Ex quibus verbis infert Gal. sentire dari venena calida, & frigida, quæ propriè sunt talia per manifestas qualitates, & minimè per occultas, seu à tota substantia ortas; quippè si hoc ità esset, non esset cur distingueret venena frigida à calidis. Prætetquã quod calida venena dicuntur à Gal. *loco* nuper *cit.* qoia liquant, corrodunt, & putrefaciunt partes nostras: sed liquatio fit mediâ attenoatione, corrosio à calore cum siccitate conjuncto; puttedo à calore agente in humidam substantiam; sed hujus effectus meritò refunduntur in primas qualitates: ergo venena calida talia dicuntur per manifestam alterationem, & non per qualitatem occultam à tota substantia ortam.

Altiùs confirmat hoc idem: nam symptomata maligna, & venafica in morbis mali moris, seu malignia possunt refundi in humores calidos, & mordaces, seu acres, à quibus accidẽtia maligna, & venenata oriũtur, ut videre est in Cardialgia, in qua relucent symptomata prava, qualia sunt, quæ in venenis passim experimur calidis, Gal. autore *1. de symp. caus. c. 7.* ubi tenet, quod quando ventriculus qualitate tangibili acri & mordaci afficitur, accidit respirationis defectus, necnõ etiam pulsus parvi, & crebertimi, & sudores frigidi cernuntur, itẽ extremarũ partiũ frigiditas, anxietates totius corporis, & tandẽ syncope succedit; totũ quod in febre syncopali minuta evenit; sed cardialgiã causat humor acris, & mordax, si in ore ventriculi imbibatur, à quo etiam febris syncopalis minuta caosatur, si ad ventriculũ decumbat, ubi ingentem spirituum vitaliũ resolutionẽ facit, & poros aperiendo sudorem movet, quo exolvitur vivens, & celerrimè perit, quæ omnia symptomata maligna venenosa dicũtur, & à qualitatibus manifestis existentib. in bile sine dubio oriũtur: ergo humor calidus virtute manifesta potest esse venenum, quin sit necessariũ recurrere ad qualitatem occultam.

Consonat etiam Avic. *l. 4. fen 6. tr. 1. c. 2.* agens de sermone universali venenorum, quæ bibuntur, ubi sequentia subdit verba. *Species venenorũ sunt duæ, scilicet faciens operationẽ suã cum qualitate, quæ est in ipso, & efficiens cũ forma sua, & tota substantia sua. Et primũ quidẽ, aut est corrodens, putrefaciens, sicut lepus marinus, aut inflãmans calefaciẽs, sicut euphorbiũ, aut infrigidas stupefaciẽs, sicut opiũ: efficiens autem cum tota substantia est sicut napellus.* Ex quibus verbis colligitur juxta Avic. mentem esse venena calida, & frigida; quæ suis manifestis qualitatibus talia dicũtur, & principio vitæ adversãtur, ad differentiã alterius veneni, quod à tota substãtia operatur, sicut napellus In cujus rei confirmationem *c. 3. sequenti*, de significationib specierũ venenorũ, seu signis ipsorũ agens, sic scripsit. *Nã si evenit simile mordicationi, & incisioni, & punctura, & corrosioni, scitur quod venenũ est de genere medicinarum acutarũ calidarum mordicantiũ, sicut arsenicũ, & argentũ vivum extinctũ. Et si accidunt inflãmatio vehemens, exuberatio venarũ, seu eminentia venarũ, & sudor, & rubedo oculi, & angustia, & sitis, significant, quod est venenũ propter caliditatẽ tantum, sicut euphorbiũ. Et si accidunt profunditas somni, & stupor, & frigus, significant quod venenũ est de genere narcoticorũ, & non apparent, nisi casus virtutũ, & sudor frigidus, & syncope, tunc est de venenis, quæ contraria sunt homini cum tota substantia, & est deterius eorum.* Ubi planè fatetur Princeps Avicenna dari venenoa propter caliditatem tantùm, necnon etiam propter frigiditatem, ut accidit in narcoticis.

Cæterùm, licèt hic modus opinandi aliquã habeat probabilitatẽ, si attendamus ad id quod Antiquorũ verba sonant in sensu litterali: Nihilominùs libenter censeo probabiliorẽ esse sententiam, quæ tenet omnia venena dici talia, & operari suâ deleteriâ facultate, & opponi principio vitæ à tota substantia per occultam, & minimè per manifestam qualitatẽ. Ad cujus probationem suppono: mixta iotensè frigida aut calida in 4. seu summo gradu opponi principio vitæ, ità ut valeant hominem interficere à manifesta qualitate; frigida quidem per oppositionem directam, & immediatam, quam important cũ nostro calore; calida verò per accidens, & indirectè resolvendo spiritus vitales, & depopulando calorem nativum per ustionem, aut putrefactionem, ut accidit in febribus ardentibus, & putridis, quæ mortem inferunt, ex eo quod humores concipiant intensissimum calorem.

Ulteriùs suppooo plura mixta calida, aut frigida devorata posse etiam interficere vivens ex vi suæ simplicis alterationis, dummodò validissima sit, quæ valeat, aut extinguere per se calorem nativum, ut accidit interdum quando quis haustum copiosissimum potûs gelidissimi, seu simplicis, sive compositi bibit, aut quando alimentũ copiosum

sum

sum summè calidum devorat, quod torrefacere valet jecoris temperiem, & indè totam massam sanguinariam inficere, aut inchinare, usque dum suapræternaturali, & validissimâ alteratione vivès interficiat, aut suffocando, aut resolvendo calorem vitalem. Ulteriùs est etiam certum, quod etsi hujusmodi mixta, seu humores sua præternaturali alteratione infestant mortè, nó tamen id præstant more venenorum, videlicet cum ingenti virium jactura, jactatione, sudore frigido, difficultate respirandi, extremorum frigiditate, corrosione inexplicabili, anxietudine & syncope, aut ingenti sopore, & interdum mentis alienatione; quæ omnia, aut plura ex his celeriter inferunt mortem, ex vi celeris, & vehementis alterationis, quàm Medici omnes fatentur, in his, quæ venena allumpsisse aiunt, & hæc quidem symptomata maligna, & venenosa à totâ substantia oriri ex vi peculiaris mixtionis à qualitate occulta reverà mihi persuadeo: quandoquidem illa ultima verba Avic. *3. cap.* suprà citata perpendo. Nempè, *Etsi non apparcant nisi casus virtutum, & sudor frigidus, & syncopis, tunc est de venenis, qua contraria sunt homini, cum tota substantia, & est deterius eorum.* Ex quibus facilè colligitur Principem nostrum paucioribus symptomatibus malignis contentus refundere mortem in ditam, occultam, & venenatam qualitatem valdè deteriorem quàm in aliis venenis, de quibus anteà fecerat mentionem: ergo quomodocumque accidat in corpore celer mors, cum casu virtutum, sudore frigido, & syncope, meritò cum Avic. judicare possumus, talem effectum ortum fuisse ex vi veneni operantis à tota substantia, seu qualitate occulta.

Ulteriùs fulcitur nostra assertio: nam maligna febris secum affert accidentia, & symptomata maligna, & lethalia, quæ juxta communem Medicorum assensum (etsi non dicantur venenata) parum distant à venenatis, & horribilibus accidentibus, & tamen omnes incunctè uno ore promulgant hujusmodi accidentia non correspondere intensioni caloris: cùm parvæ, seu debiles & remissæ febres quandoq; malignæ dicantur ab Hippocrate, sed potiùs refundi debere in occultâ qualitatem à tota substantia ortam, ex vi peculiaris putredinis, seu peculiaris corruptionis, per quam anxietates indicibiles, quales depinxit perbellè Vallesius *lib. 4. meth. c. 2.* per aurea illa verba. *Hoc enim est quo malignitas præcipuè agnoscitur, non esse magnitudinis febris signa, quanta casus virtutum; lassitudines magna à principio comitantes, & anxietates indicibiles, quarum nulla sunt manifesta causa, his mox dicta macula supervenium* (depingebat febrem puncticularem, quam Purpuream Sennertus vocat) *habentes etiam illud malignitatis indicium, esse in talibus concoctionis notas infideles, quod causa hujus morbi non tam sit putrescentia illa frequens, quam concoctio cohibet, quàm quadam alia corruptionis malignioris species, per quā in venenosam naturam magis labitur.* Verba quidem profectò semper memoriâ tenenda, quæ quidē nostrum intentum efficaciter probant: etenim aut accidentia maligna latiùs patent, & cõmuniora sunt, quàm venenata, aut ejusdem generis reputantur: sed quomodocumq; accipiantur, semper refunduntur in occultam qualitatem: ergo omnia venena, quæ similibus, imò & fortioribus, & horribilioribus accidentibus infestant, potiori jure debent refundi in occultam qualitatem à tota substantia ortam, & minimè in manifestam quantumvis intensam alterationem.

Priùs autem accidentia prædicta febrium malignarum descripserat Hip. *7. ep. n. 9.* in historia Cathardi, qui lethali, & maligno morbo laborabat, ubi ait, *Iactatio multa, anxietas, & ad dextra, & sinistra transmovens, seipsum nullo tempore quiescere poterat.* Idem testificatur *3. epid.* in Adolescente, qui jacebat in foro mendacinorum, cujus accidentia, sicut anxietudines, quas Cathardus patiebatur, minimè in caloris vehementiam refundi poterant, sed in specialem humorum corruptionem, seu occultam, & veneficam virtutem, seu qualitatè ex ea ortam. Quã eadem ratione Gal. *4. acut. sex. 47.* vocat febrem malignam, anxiosam, implacidam, inquietam, & laboriosam, in qua jacentes ægri se continere non possunt, *& 7. aph. com. 56.* de febre maligna sic loquitur, *agri accubitum non ferunt, sed jacendi figuram evariant, quia semper præsens agravat eos.* Cùm autem de febre ardente quantumvis ustiva sit, minimè ità loquatur, credendū est symptomata suprà enumerata non causari à qualitate manifesta, neq; à communi putredine; sed ab speciali, & occulta qualitate, quam secum affert malignitas, seu venenositas in febribus malignis: potiori ergo ratione in venenis dicta illa accidentia debèt refundi in occultam qualitatè ortā ex speciali modo mixtionis, qui stabulatur in venenis.

Magis ad nostrum intentum Vallesius *super lib. 3. Gal. de simpl. med. facult. cit. in expositione capitis 22.* idem testatur per sequentia verba: *Vt anteà dictum est, non interimunt nos venena calida, calore simpliciter, sed tali, hoc est, maligno, & corruptivo, quique in substantia est natura nostra adversa.* Et prosequitur addens rationem. *Nam alioqui omnia medicamenta quarti gradus calidorum essent venena, non sunt tamen, sed ea sola qua putrefactiva sunt aut corrosiva; hinc fint* (optimè infert) *ut venenorum calidorum nullum possit nutrire, neque vinci.* Manifestè ergo infertur ex verbis adductis à Vallesio venena calida non dici talia per manifestam alterationem à calore factam; sed per contrarietatem à tota substantia: etenim si per calorem præcisè essent venena, aliquod posset nutrire, & vinci, saltim in exigua quantitate; & licèt de frigidis venenis, non videatur ità loqui, imò & videatur sentire cum Gal. esse venena, quatenùs frigida: Nihilominùs à simili formo argumentum contra Vallesium, suo gladio. Nam si venena calida præcisè quia calida, essent venena, omnia mixta in quarto gradu calida essent venena, quod non ità est. En argutiè Vallesij: sed eadem militat in venenis frigidis: quippè si quatenùs frigida sunt venena, omnia mixta in quarto gradu essent venena: quod non ità est; quandoquidem suprà ostendimus, neq; nivè, neq; gelu, neq; aquā frigidissimā habere venenatā naturā, neq; si forsan interdū interimūt, nō quidè more venenorum interimunt, scilicet cum syncope, casu virtutū, & sopore; sed per metā oppositionem, & directam, quā important frigida in excessu cum calore nostro; signū profectò testificans venena frigida interficere modo venefico, per specialè modum mixtionis à tota substantia, & per occultam qualitatem soporiferā, à qua syncope, virium defectus, sudor frigidus, & sopor sine dubio oritur, quia talis qualitas frequenter frigida mixta comitari solet; ideò dicantur frigida venena, in contrapositionem calidorum venenorū, quæ etiā calida venena nominantur, quia qualitas illa corrosiva, & putrefactiva frequenter calida mixta comitatur. Et licèt Gal *3. de simpl. cit* & cū ipso Vallesi. noster videatur sētire, esse venena frigida talia per manifestā qualitatē, firmiter cēseo nō loqui de rigorosis venenis, quæ diris & virulentis acciden-

tibus interficiunt; sed quia intensè frigida interficiunt per oppositionem directam cum nostro calore, ideò ipsa venena vocavit, latâ tamen significatione; ideóque venena vocavit non quidem naturâ, & substantiâ adversâ; sed solùm quantitate, quia solùm propinata in nimia quantitate interficiunt, in minima, aut moderata nutriunt, & vincuntur: ergo absolutè, & rigorosè frigida mixta non sunt venena per manifestam qualitatem, sed virtutem occultam, & narcoticam, à qua accidentia enumerata procreantur.

Nec facilè credam (pateat Galenus) lactucæ succum priùs expressum, & in magna quantitate bibitum vivens interficere, suâ manifestâ qualitate; etenim per temperiem actualem participatam ab aëre ambiente minimè potest interficere, cùm valdè temissa sit, sed intùs assumptus à nostro calore intensiùs calefit, tum à ventriculo, tum etiam à jecore, & per omnes vias usque ad cor: ergo minimè potest interficere per frigiditatem, cùm sit rationabiliùs cor vincere succum sua intensa caliditate.

Nec valet si respondeas succum lactucæ sicut & alia venena frigida reddi frigidiora, quàm cor sit calidius, post actuationem à nostro calore à quo comminuuntur, & actuantur, ut faciliùs possint penetrare viscera omnia, & cor, ideóque potentiâ frigida ea nominâsse Galen. 3. *simpl. cit.* Non inquam valet hæc evasio: nam licèt *Tractatu nostro de Aliment. facult. cap. 4.* specialem modum machinati sumus, quo id possit defendi contra nostrum Vallesium, *lib. 1. controv. cap. 12.* nihilominùs infrà tutiorem modum opinandi judicavimus, qui asserit talia mixta frigida virtute occultâ & narcoticâ veneficâ interimere. Ratio autem, quâ convictus sum, ut frigida illa mixta, quæ venena vocantur talia non sint per alterationem manifestam frigiditatis calorem cordis vincentis: est quia post actuationem, & comminutionem talium mixtorum à nostro calore, etsi mixta dissolvantur, & dividantur usque ad minimas partes non possunt in talibus mixtis frigidis resurgere partes, quæ veluti consopitæ erant cum tanta actuali frigiditate, ut vincant cordis calorem. Et si stemus nostræ opinioni de permanentia formali elementorum in mixtis, in qua urget magis litis præsens; nam in talibus mixtis frigidis per congregationem omnium elementorum erant refractæ qualitates elementorum frigidorum ab elementis calidis, & ad quandam proportionem redactis, ità ut per actualem frigiditatem minimè possent interficere; sed etiamsi dissolvantur talia mixta frigida à calore nostro, nihilominùs partes frigidæ debent tepari à nostro calore, ità ut actu magis calida sentiantur, quàm si ad extra tangerentur, ut per se patet: ergo si per actualem temperiem ipsorum non possunt interficere more venenorum, neque postquam sunt comminuta, & calefacta, & liquata à nostro calore possunt, interficere per frigiditatem: non ergo apparet possibile, quod venena frigida interficiant mediâ frigiditate, nisi adstruamus occultam vim, seu narcoticam, mediâ quâ interficiant vehementer, & celeriter, more venenorum à tota substantia ortam.

Si ulteriùs respondeas resurgere per diminutionem aut liquationem partes elementorum frigidorum, seu ipsa elementa, quæ suâ intensâ qualitate vincere valet calorem cordis, necnon etiam vitales spiritus extinguere. Contrà instatur solutio: quia licèt in nostra opinione verum possit tenere, quod separentur elementa frigida, & quod in ipsis pullulet à propria forma, summa frigiditas sine dubio poterit superare calorem cordis, & mortem inferre; tamen hoc fieri non potest, neque ab elemento aqueo, neque à terreo more venenorum, hoc est cum accidentibus suprà dictis, quæ propria sunt venenorum; quippè si partes elementales frigidæ mixtorum quando separantur, essent venenosæ, potiori ratione aqua frigida pota, nix, aut gelu reputarentur pro veneno; atqui etsi possint inferre mortem, nemo dixit venena esse, neque more venenorum interficere: ergo neque partes frigidæ venenorum frigidorum per alterationem à frigore præcisè factam, possunt dici venena frigida; neque interficere more venenorum frigidorum.

Si autem non fatearis elementa formaliter esse in mixtis, addis sine dubio robur nostræ argumentationi: nam partes correspondentes elementis frigidis, & si separentur, nunquam possunt adquirere tantam intensionem frigiditatis, sicut ipsa elementa: ergo si hæc etiamsi interficere possint, non tamen dicuntur venena, nec more venenorum interimunt: ergo multò minùs id præstabunt partes mixtorum correspondentes elementis frigidis; quantumvis liquentur, alterentur, & comminuantur à nostro calore: ac proinde rationabiliter censendum est, talia mixta frigida esse venenata per virtutem occultam à tota substantia ortam ex peculiari genere mixtionis, quemadmodum de venenis calidis juxta Vallesij opinionem suprà dicebamus: unde fit alia venena frigida inducunt soporem, frigidum sudorem, syncopem, & virium ingentem celerrimam jacturam, conjectandum jure optimo talia symptomata venenosa non oriri ab alteratione per qualitatem manifestam, seu frigidam in talibus mixtis frigidis; sed à virtute soporifera à tota substantia orta ex peculiari mixtione.

Favet nostræ opinioni Cardanus *lib. 1. de Venen. cap. 4. cit.* ubi planè affirmat venenum esse, quod aptum est nobis vehementer nocere occulta agendi ratione; & etiam Avic. in sua definitione priùs idem dictavit, dum dixit Venenum esse, quod corrumpit complexionem humanam, non contrarietate solùm, sed proprietate, quæ est in ipso.

Et licèt Cardanus fateatur *cap. 1. cit.* esse nonnulla venena, quæ occidunt quidem; tamen venena propria non esse, ut vitrum: Item suffragatur nostræ opinioni Doctissimus Paulus Zachias *tom. 1. quæst. Medic. Legal. lib. 2. tit. 2. quæst. 2. fol. 147.* ubi solùm strictissima venena vocat, quæ ab occulta proprietate suos effectus producunt. Licèt fateatur apud Jurisconsultos pro veneno reputari quodcumque vel per os sumptum, vel desoris administratum, vel quantitate, vel qualitate occulta, aut manifesta interimere, aut manifestè nocere potest, ut introducendo insaniam, stoliditatem, partium impotentiam, mutitatem, ignaviam genitalium, & alia hujusmodi; quâ ratione talia venena propinantes, vel quacumque ratione administrantes, debitis pœnis molestandos vellent, etiamsi strictissimè venena non sint: quoniam pro venenis reputantur, & jure optimo puniendi sunt, qui ea venena ausi sunt propinare. Itaque apud Jurisperitos venenum est, quodcumque naturam ejus, cui adhibitum est, mutare potest, vel mortem, aut insigne aliquod nocumen

nocumentum affert. Cæterùm apud Medicos rigorosâ significatione accipitur venenum, quod solùm à tota substantia naturæ humanæ adversatur; cùm accidentia, quæ ipsum sequuntur minimè possint manifestis qualitatibus correspondere.

Neq; argumenta, quæ adducit noster Socius pro validatione suæ assertionis aliquid probant cõtra nos: supponit enim tanquam certum quod ad rationem veneni, sufficit, quod ità opponatur principio vitæ, & ità celeriter, & efficaciter lædat, ut vivens citò in vitæ periculum incidat: Et cùm venena, seu mixta frigida in quarto gradu, si in minima quantitate propinentur, id facere valeant, deducit esse venena, quatenùs frigida, claudicat tamen fundamentum: etenim ad rationem veneni requiritur non solùm quod opponatur principio vitæ, & quod celeriter, & efficaciter lædat, & inferat mortem; sed quod totum hoc fiat cum diris, & venenosis accidentibus, sudore frigido, anxietatibus, syncope, sopore &c. Cùm ergo mixta frigida in quarto gradu, etiamsi celerem mortem possint causare; nihilominùs sine prædictis accidentibus, ut ex suprà dictis constat: non ergo venenositas soboles est summæ frigiditatis; ac proindè si mixta frigida in quarto more venenorum interficiunt, minimè est per manifestam qualitatem, sed per soporiferam, & occultam virtutem à tota substantia ortam ex vi peculiaris mixtionis: quippè sola frigiditas accidentia suprà adducta inducere non potest, ut constat experimento in his, qui aquam frigidissimam, aut gelu, aut alia mixta frigida assumpserunt, in quibus neque sopor, neque syncops, neque sudor frigidus, imò neque periculum mortis adest.

Secunda ratio nihil probat; nam etsi potentiâ frigida sint ea mixta, quæ sb ipso dicuntur venena, post actuationem resistant cum sufficienti activitate, ut vincere possint cordis calorem, ut probant rationes suprà à nobis adductæ: Et licèt concedamus hoc ità esse, & quod mixta frigidissima in nimia quantitate sumpta posse inferre mortem per frigiditatem directè oppositam nostro nativo calori; minimè tamen more venenorum, & cum accidentibus pathognomonicis, quæ sequuntur hos, qui venenum assumpserunt, inducunt mortem, nisi talibus mixtis frigidis sit conjuncta virtus peculiaris occulta, per quam interitus sequatur, cum prædictis accidentibus, quæ venenum testificantur.

Item Galeni testimonium nil probat: nam etsi dixerit 3. *de simpl. med. facult.* quod venena calida corrodunt, putrefaciunt, & liquant, & quæ sunt potestate talia. Contrà verò frigida venena, quæ refrigerant, sensum auferunt, & torporem inducunt. Totum hoc concedimus libenter; tamen prædicta mixta id non præstant per manifestas qualitates; sed per occultas, & à tota substantia ortas, quæ frequenter conjunguntur, aut cum mixtis intensè calidis, aut intensè frigidis, ideóque nominavit Gal. venena calida & frigida. Et licèt frigida sensum auferant, torporem inducant, & refrigerent per suam manifestam qualitatem; hæc tamen minimè sunt accidentia venenosa, cùm sæpè ab humoribus frigidis eveniant, causantes paralysim, quin ullus audeat asserere in tali corpore reloce venenata accidentia.

De calidis etiam est certum, quòd licèt plura mixta, aut humores sint calidi, & sicci, aut humidi per putredinem, aut ustionem, aut sine ipsa in aliquibus mixtis prædictæ exuperent qualitates, nihilominùs præcisè per ipsas non interimunt more venenorum talia mixta, neque humores, ut constat in febribus ardentissimis, aut putridis, in quibus nullum accidens venenatum inducunt in corpore. Neque qui ab his alterationibus pereunt, per venenum pereunt, etsi aliquam corrosionem, aut putredinem in aliquo membro inducant tales humores, si decumbant; etenim non quælibet putredo, neque corrosio reputatur venenosa; sed quæ fit ab humoribus pravis, malignis, & venenosis, per specialem putredinem, seu corruptionem, à quibus dira illa accidentia creantur, quæ omninò dissolvunt partes, dilacerant membra, & totum corpus celeriter consumunt, necnon celerem inferunt mortem; totum quod neque simplex ustio, neque simplex putredo præstat, sed peculiaris, & occulta. Neque mixta intensè calida præcisè, quia talia, ut piper, talia accidentia inferunt, dummodò non sint venenata ab occulta proprietate, ut Arsenicum, & similia.

Argumentum quod adducit de Cardialgia, aut Cardiaca passione, & febre syncopali minuta, nullius roboris est, quandoquidem humor acris, & mordax, qui auctor est Cardialgiæ, si in tunicis oris ventriculi sit imbibitus, tangens partes exquisitissimè sentientes, causat dolores crudeles, anxietates, deliquia, syncopem, & sudorem frigidum, propter communionem, quam habet ventriculus cum corde; cæterùm, si hujusmodi humor decumberet in aliud membrum, in quo non esset ità exquisitissimus sensus, neque tanta communio cum corde, minimè causabit accidentia, quæ in Cardialgia experimur; signum reverà testificans humorem calidum, & siccum quantumvis ustum, aut putrefactum ex se non inducere accidentia venenosa; nisi compareat per specialem corruptionem venenatam naturam; imò neque accidentia cardialgica causabit per se, nisi ratione partis affectæ, quam occupat. Neque qui corripitur febre syncopali minuta ab eodem humore dissipante spiritus vitales, & diaphoreticum, & frigidum sudorem causante perit ex vi veneni, neque cum accidentibus communibus, quæ venenum sequuntur; etsi concedamus talem humorem esse pravum, & malignum, per specialem corruptionem, qualem in malignis febribus concedunt communiter Medici; tamen nullus in nostro sæculo ausus est dicere, quod qui perit ex vi febris malignæ, aut ex vi syncopalis, sive minutæ, sive humorosæ, petit venenatus, nisi impropriè, & largâ significatione loquatur: non ergo humores calidi, & sicci; neque frigidi per manifestam qualitatem dicenda sint venena, sed potiùs per occultam à tota substantia ortam, ex vi peculiaris mixtionis, & corruptionis. Itaque licèt qui cardialgiâ laborat, aut syncopali febre, maligno morbo corripiatur, non tamen venenato; nam malignitas diversa est valde à venenositate, ut doctè advertit Sennertus *tom. 3. lib. 6. part. 2. cap. 1. fol.* 542. ubi malignitatem vocat quid morbo conjunctum, vel superveniens; venenum autem, quod morbum occultum perniciosa vi principaliter inducere potest, sine alterius morbi interventu, vel conjunctione; poterit ergo humor aliquis causare morbum mali moris, seu malignum, aut ratione partis affectæ per manifestas qualitates, aut per putredi-

nem sive ustionem peculiarem, quin accedat ad venenosam naturam, solùm per malignam, seu pravam naturam. Et forsan Avicen. pro contraria parte adductus, dum fatetur esse venena calida, seu interficientia per calorem, loquebatur de impropria venenositate, diversa valde ab illis, quæ omninò sunt deleteria à tota substantia omninò adversa nostræ naturæ, ut Napellus, Arsenicum, & similia. Cæterùm, ut clarius Avicen. mentem aperias, & propositam difficultatem solvas, audi Antonium Guaynerium *de Venenis, cap.* 1. ubi sequentia scripsit verba. *Quod si Avic. & plurimi Autores de venenis tractantes dixerunt, opium, & euphorbium, & plurima alia venena à qualitate operari manifesta; sciendum quod Avicen. & alij sic ponentes, consideraverunt venenum quantum ad specificam formam, quâ una species differt ab alia: & secundum hanc considerationem dixerunt, quod venenorum quoddam operatur, non quatenus calidum, aut frigidum, sed quia tale, habens scilicet virtutem humanæ vitæ, & sanitati contrariam. Aliud est, quod etsi à virtute, seu à proprietate agat, cum hoc etiam agit, quia frigidum, aut calidum, &c. ut opium, euphorbium, & similia.* Hucusque doctissimus Antonius Guaynerius, cujus verba ad unguē transcribere decrevi, quia doctè & sententiosè rem de qua agimus absolvunt, & mentem Avicennæ, & aliorum Antiquorum apprimè exponunt. Denique potiori ratione negabimus Venena sicca, aut humida per manifestas qualitates. Etenim licèt per quamlibet immoderatam intemperiem possit corrumpi vivens; quia tamen, humiditas, & siccitas neque dantur in gradu tam intenso in mixto, sicut calor, & frigiditas; neque adhuc si darentur, possunt celeriter mortem inferre, neque vehementer alterare, sicut quæ morte venenorum interimunt, (propterea enim dicuntur passivæ qualitates, ob remissam ipsarum activitatem) ideò à venenis meritò relegantur mixta humida, & sicca, si ad manifestas qualitates attendamus.

Militat tamen contra nostram resolutionem commune illud argumentum de qualitatibus occultis: Etenim qui ipsas adstruunt, refugiunt ad sacra, & inter illos Vallesius noster contra Petrum Garciam digladiatur, ex eo quod qui refundit effectus in qualitatem occultam, fatetur planè effectum; & ignorat causam: ego fanè sic arbitror contingere; & ipse quidem Vallesius poterat esse memor sui, dum acriter tenet, venena esse talia à tota substantia ex vi peculiaris mixtionis *loc. suprà cit. super* 3. *lib de medicam. facultat.* & quidē certè quando video Galenum, & Avic. quos innumeri viri in hac re uno ore sequuntur, inter quos citatus Cardanus, Sennertus, Zacutus, Paul. Zachias, nō habent infimum locum. Solatium est mihi tantos habere socios: & fideliter in hac re sentio, hoc pertinere ad summam nostri Artificis providentiam, qui noluit revelare omnes causas peritissimis viris; ne forsan superbia eos inficeret, & vanitas perverteret eorum mentes.

CAPUT II.

De Differentiis Venenorum.

POSTQUAM naturam veneni explicuimus, jure optimo ipsius differentias explicare aggredimur, ut ipsorum injurias, & hostilitates debellare Christianus Medicus possit. Et primò initium sumere decrevi, à vulgatissima illa divisione, quâ venena diffecantur in calida, & frigida, juxta Gal. normā 3. *de simpl. med. fac. cap.* 18. in cujus expositione sic fatur Vallesius. *Venena omnia juxta Gal. sententiam in duo genera rediguntur, frigidorum, & calidorum*, &c. Primi generis sunt Opium, Cicuta, Mandragora, solanum somniferū, hyoscyamus, & similia, quæ corpus adeò alterāt, & spiritus adeò frigidos reddūt, ut penitùs cōgelentur, ità ut proprias, & naturales suas functiones, minimè exercere valeant. Secūdi generis sunt illa mixta calida, quæ calorē nativum dissolvunt, & humiditatem radicalem absumunt, inflammationes excitant, & corrosiones viscerū moliuntur, ut Arsenicum, & argentum vivum extinctum, juxta Avicennæ mentē suprà citat. & Euphorbium de quo Paulus Zachias *fol.* 147. *to.* 1. de divisione venenorum, sermonem faciens, & adducens venena quæ operantur à tota substantia. In primo genere venenorum ponit exemplum in Napello; in secūdo genere adducit venena, quæ in vulgari Opinione tales sunt per manifestas qualitates, ut, succus lactucæ: in tertio ordine adducit ea mixta, quæ utroque modo noxia sunt, & nostræ naturæ adversa, ut Opium, & Euphorbium, quæ non solum ob excedentem calorem, & frigiditatem nocent; sed etiam quia ea occultā proprietate dotantur, veluti cætera omnia, quæ à tota substantia operantur.

Ulteriùs; qui venena sicca & humida fatentur, aiunt sicca cordis humiditates, & sanguinem absumere, & quasi in crustam convertere, ut calx viva, & chalcanthum; humida verò stupefaciunt, & calorem suffocant, ut Coriandrum recens, & similia, quæ stupefaciendo, & humectando spiritus crassos adeò, & immobiles reddunt, & mortē inferunt: imò & nonnulli addunt, aliqua mixta per qualitates secundas erodere, & mortem inferre, cujus ordinis est vitrum, quod suâ acuitate erodit intestina, & interimere valet; nullum tamen ex dictis proprium venenum est, ut ex suprà dictis constat; quia tamen peculiariter vitæ opponuntur, & adversa sunt, libuit ea inter venena describere.

Insuper: alia sunt venena cordi inimica, ea scilicet, quæ subitò hominem enecant. Alia sunt inimica cerebro, ut hyoseyamus, opium, virus caninum, tarantulæ, Mercurius, & alia plura. Iecori etiam peculiariter infestat planta illa, quæ sanguinē evacuat, cujus mentionem facit Gal. *lib. de medic. facult. cap.* 4. Quædam etiam vasis genitalibus inimica censentur, de quibus Cardanus adducit specialem historiam *lib.* 3. *de Venen.* Item lepus marinus pulmonibus contrariatur. Cantharides vesicæ. Et alia sunt venena, quæ dysenteriam excitant, & alia quæ per nervos suam virtutem diffundunt, ut Canis rabidi morsus, corde & hepate illæsis; Venenum etiam gallicum mox ad hepar diffunditur, corde, aut cerebro non læso. Alia etiam venena convulsiones inducunt, risum, saltandi libidinem, furorem, mæstitiam, aut timiditatem pariunt; & denique plura sunt, quæ rationem adimunt, & homines fatuos, & delirus reddunt, ea tamen lethalia non sunt; sicut neque venenum tarantulæ, quod insanum saltandi desiderium inducit.

Inter lethalia venena aliqua sunt, quæ hominem statim interimunt, & alia post aliquod temporis intervallum; quâ ratione dicuntur venena

præ

præsentanea illa; hæc verò temporanea. Arsenicum celerrimè interficit, sicut etiam Aconitum; ex his autem quæ foris eveniunt venenum Aspidum celerrimam mortem inducit. De temporaneis venenis scribit Amatus Lusitanus *centur.*2. *curat.*65. famulum Arubas tabefactum intra annum obijsse; eo quòd carnem gustasset gallinæ Arsenico enectæ; & quidem plerumque talia venena diù latent. Ubi tamen, postea se exerere incipiunt, hominem subitò jugulant; sic venenum canis rabidi, quod menses, & annos latere potest, & cùm in hydrophobiam erumpit, vix ullo curatur auxilio. Itaque venena *supra* enumerata, quædam occidunt putrefaciendo, quædam congelando, alia exulcerando, multa inflammando, & plura strangulando. Putrefaciendo occidit lepus marinus, stupefaciendo Opium, & congelando, & similia, de quibus *supra*, ulcerando atque inflammando Arsenicum, Sublimatum, Euphorbium; strangulando fungi venenosi.

Rursùs quædam sunt venena à natura talia, ut Cicuta, & Aconitum, quæ omnia ex se eam habent naturam; alia quidem per accidens, ut nuces, & lauri baccæ cùm rancidæ fiunt, item & piscea suffocati, aut putrefacti; denique alias sunt venena ab arte, ut sublimatum, & aqua fortis. Ulteriùs inter venena adducta, quædam secundum se tota talia sunt, ut cicuta, & lepus marinus; alia verò secundum partem, ut felis secundum cerebrum, cervus secundum caudæ extremitatem, vespertilio juxta cor, & linguam. Dividuntur autem venena in ea quæ semper talia sunt, ut tanæ limaces, & aliqua fungorum genera, quæ interdum innoxia sunt, aliquando verò maximè nocent.

Ex venenis plura ex mineralibus habentur, ut Argentum vivum, Arsenicum, quædam ex animalibus, ut Vipera, torpedo. Differunt etiam venena ex modo administrationis, quippè quædam per os assumuntur, & plura ad extra applicantur, & horum aliqua morsu communicantur, ut venenum Viperinum, serpentum omnium, & cani rabidi; alia punctione mediâ nocent, ut venenum Araneorum, & Phalangiorum, nonnulla etiam tactu, & olfactu, visu simplici, aut auditu. Et quidem de aliquibus multi Medici hæsitant: Et in primis, quod illitu, sive tactu venenum posse diffundi fatentur planè plures nostri temporis Auctores, ex quibus est Grevinus *lib.*1. *de venenis cap.*1. & Cesalpinus *lib.*3. *de venenis*, *in sua praxtica*, *cap.*46. ubi narrat Venetiis aliàs pestem fuisse concitatam ex eo quod Venefici quidam illitis ostiorum annulis, ac pessulis, lethalissimo veneno, omnes penè, & contactu dictorum annulorum veneno sint infecti. Cardanus etiam *lib.*1. *de venenis cap.*8. & alij, quos refert Schenchius *lib.*5. *observation. titulo de venenis*, referunt Turcas veneficia adeò præsentanea habere, ut eodem die solo contactu intetimant. Et ratio id sosdere potest, cùm per porositates possit substantia venenosa subtilis valde communicari per internas partes, & viscera omnia usque ad cor, & inde lethales effectus causare, suâ virulentiâ, & maleficâ qualitate, oppositâ, & contrariâ valdè nostro calori nativo, & spiritibus. Quod autem vapor per externas arterias communicetur, & attrahatur medio contactu, facilè intelligitur, quandoquidem aër mediâ dilatatione attrahitur ab arteriis usque ad cor: cùm ergo ex contactu veneni lethalissimi possit vapor malignus per poros arteriarum, & venarum communicari, facilè intelligi potest, posse venena medio contactu interficere.

Faciliùs intelligitur quod venena medio olfactu intetimant, id firmat Cardanus *lib.*2. *de venen. cap.*3. ubi agit de venenis odore interficientibus; & *lib.*1. *cap.*1. de omnibus venenis restatur quod odorata vertiginem, dolorem capitis, & suffocationes afferunt. Præterquam quod pluribus exemplis potest confirmari hoc assertum, in animalibus quibusdam, quæ solo olfactu interficiunt & quidem de Bufone testantur multi, quod vaporibus ab ipso spirantibus obvios homines stupefaciat. Insuper etiam quotidie videmus ex odoribus sive bonis, sive pravis quamplurimos pessimè se habere, & ferocissimas hystericas passiones excitari ex bonis, & ex pravis repentinas mortes, vaporibus malignis repentibus ad cor, in puteis præcipuè immundis, in quibus per multum tempus putredo cœnosa, & maligna stabulatur, cuius rei testimonium possumus perhibere; sunt etiam plures, qui certæ rei odore animo linquuntur, cordis tremorem, capitis dolorem, vertiginem, & alia huiusmodi incurrunt symptomata, & apud Mercurialem *lib.*1. *de morb. mulier. cap.*2. leges solo lucernæ extinctæ odore mulieres abortire posse. Cæterùm in hujus rei cófirmationem rogo ut per otium legas Amatum Lusitanum *centur.*2. *curat.*36. ubi refert aliquos esse homines, quibus caseus non solùm comestus, sed odoratus pro veneno habebatur, & de altero refert qui per esum piscium, quos nunquam gustaverat, in animi angustias, & cordis pressuras cum vomitu, & secessu devenit, ità ut propè fuerit, ut ex toto spiritus illi deficeret, & moreretur, erat autem huic nomen *Stephanus Surdaster*, natione Hispanus, & patriâ Toletanus; ità refert Amatus: *Verumtamen casum rarò visum, imò hucusque nefando auditum describere aggrediar* (ità loquitur) *Monachum quemdam novimus ex Dominicanorum Ordine, qui cùm rosa odorem persentiebat, aut ex longinquo eam videbat, illicò in animi deliquium, & syncopem incidebat, & tanquam mortuus humi prostratus iacebat.* Si ergo hoc accidere potest in mixtis suaviter olentibus communicatis vaporibus per olfactû usque ad cor, habentibus cum ipso peculiarem antipathiam, & contrarietatem, potiori jure in venenis hoc accidere fateri debemus: & quidem testari possum me cognovisse virum Secretarium Ducis de Medina de las Torres, *Navarro* nominatum, qui solo auditu, & visu olivarum viridium, in lypothimiam incidebat.

Ratione etiam suaderi potest assumptum: nam de odoribus refert Gal. *a sect. aphor. text.* 11. *in expositione*, aptos esse ad celerem nutritionem, audi verba: *Nam & in libro de alimento sic scriptum reliquit* (supple Hipp. *qui celeri alimenti appositione egent, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium: quod si adhuc multo celeriori egeant, odoribus sunt recreandi.* Ex quibus verbis non inefficax formari potest argumentum pro validatione nostri affecti: nam si potest fieri per vapores celeris virium restauratio, & spirituum vitalium regeneratio, accedentibus vaporibus ad cor, & ad omnia membra tanquam pabulum pro conservatione humidi radicalis, potiori jure id credendum est de vaporibus mixtorum venenatorum, id patrare sine dubio posse; quandoquidem videmus per inspirationem, facilè deferri

posse

posse ad cor, ubi hostilitatis suæ vim citò demonstrant, ut exempla, & experimenta suprà adducta confirmant: igitur nequaquam audiendi sunt, qui per olfactum venena interficere posse negant: clamant contrarium quidem historiæ, clamat ratio contra ipsos, quippè si odores possunt nutrire, si optimi, si pravi sint, & venenosi poterunt corrumpere, etenim contrariorum eadem est ratio, si Philosopho credamus.

Ex dictis licet colligere probabiliter defendi posse venena per tactum, & olfactum interficere posse. Tamen major digladiatio, & difficultas inter Autores habetur, an per visum, aut per auditum possint quædam interficere. Pro parte affirmante adducuntur plures historiæ, & ex adductis suadet hanc partem casus rarus addnctus de Religioso Dominicano, ex solo visu rosarum à longè exanimato. Suadet etiam eandem partem historia à nobis addncta de auditu, aut visu olivarum viridium; & apud Schenchium *lib.7. observat.* plura exempla scitu non indigna videre quis poterit, quæ induhiè testantur ex visu, aut ex auditu posse plurima interimere; multa enim sunt hominibus adeò inimica, ut interdum visa terrorem incutiant, syncopem excitent, & alia horribilia accidentia causent, ità ut plures hac ratione periclitentur, cur similiter dari non poterit, venenosum aliquod animal, quod solo visu inficere, ac venenare hominem possit, aut vociferatione, sive ululatibus.

Consonat doctissimus Paulus Zachias *loco suprà cit. in quæstionibus Medico-Leg. lib.2. tit.2. q.2.* ubi de ipso refert per visum Tarantularum à pelle nudatarum, quæ ità horribilia aspectu erant, ut ipsum valde nauseabundum, & pallidum reddidissent, imò & multa per vomitum rejecisse per totum diem, & planè fatetur ex simplici visu illicò horruisse, quin ex timore, aut tetro vapore expirante, id contingere persuasisset. Narrat insuper idem Autor novisse Monialem, quæ ex visu scarabei mirum in modum afficiebatur, & juvenculæ quædam hujusmodi Monialis consciæ, ut illi illuderent scarabeum clàm inter mammas illi projecerunt, quo comperto derepentè exanimata in terram cecidit, omni sensu orbata & in syncopem lapsa frigidis sudoribus respersa. Insuper etiam plures alias historias adducere possemus, à quibus libenter supersedere decrevimus, ne forsan legentium animus fastidiamus.

Ex quibus in favorem hujus placiti deducere possumus, dari posse venenum, quod solo visu, aut auditu lædere, & interficere possit; nam si ex his, quæ venenosa non sunt tam sæva apparent symptomata, qualia *suprà* depinximus, ex illis, quæ venenosa sunt, mors meritò expectari debet.

Poterit hæc assertio habere non ignobile robur apud plures Autores, non infimæ notæ, fatentes & concedentes fascinationem, & incantationes, quæ apud vulgares validissimæ sunt; & quidem non sunt omninò contemnendæ; quandoquidem facilè creditur, si ad sacras Literas attendamus, nominibus & verbis esse virtutes, ad exterminandos plures morbos; quippè nomina non sunt animantibus imposita, ex sola hominum libera impositione; sed sunt omnibus rebus sua propria nomina, eis naturaliter congruentia; si enim suis nominibus appellavit Primus noster Parens Adam, cuncta videntur habuisse nomina priusquam appellarentur, alioquin non vocaverit illa suis nominibus, sed potiùs dederit ipsis nomina. Quòd si antequà appellarentur ab Adam, habebant nomina, non sunt nata ex appellatione, & usu; sed ex rerum natoris, ac per consequens naturaliter congruant rebus sua nomina, & non hominum voluntate, seu placito; unde inferre poterit quis (& nnn sine fundamento) nominibus insitam esse virtutem aliquid efficiendi, sive boni, sive mali; quippè si sunt nomina naturales rerum imagines, & simulacra, non erit inopinabile posse naturaliter aliquid efficere, sicut res ipsæ: nec mirum quod qui pharmacis, ità etiam verbis quibusdam, ad quosdam morbos uti jubeant, imò neque verbis solùm prolatis, sed scriptis ægroto alligatis, aut suspensis, ut præ manibus quotidiè videmus: de hac re plura adducit Plinius *lib.28. natur. histor. cap.2.* vide etiam Aëtium *lib.8. cap.50.* ubi ità fatur, ad eductionem eorum quæ in tonsillas delapsa sunt, *Statim te ad ægrum desidentem converte, ipsumque te attendere jube, ac dic, egredere os, aut festuca, aut quid tandem existit, quemadmodum Iesus Christus, ex sepulcro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex ceto. Sic etiam apprehenso agri gutture, dic, Blasius Martyr Christi, dicit, aut ascende, aut descende.*

Suffragatur Trallianus asserens incantationes plurimum posse juvare, *lib.9. cap.4.* ubi autoritate Galeni hanc sententiam confirmare intendir per sequentia verba: *Prætereà etiam divinissimus Galenus, qui ne esse quidem incantationes putavit, longo tempore, multòque usu plurimum ipsas posse deprehendit. Audi igitur verba ipsius, quæ de medica Homeri tractatione reliquit, habent autem ea in hunc modum. Nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulas esse persimiles, quemadmodum ego quoque diù existimavi, temporis autem processu, ab ipsis, quæ evidenter apparent, persuasus sum, vim ipsis inesse, nam in percussis ab scorpione, adjumentum sum expertus; nihilo autem minus in ossibus gutturi infixis, quæ incantatione statim spuebantur, ac multa præclara singula habent incantationes, cum instituntur consequuntur.* Hæc Trallianus ex Gal. *lib.* qui licèt nunc non exter, extitisse tamen verè autoritate Tralliani comprobatur. Invenitur tamen inter Opera Galeni libellus quidam *de incantatione*, qui non existimatur ut genuinus; tamen plures sentiunt, habere autorem fide dignum. Hinc inter vulgares nihil magis in usu receptum est, quàm quibusdam recitationibus (Hispani vocant *Ensalmos*) morbos quosdam curari: unde argumentum potest formari in favorem hujus asserti. Etenim verba quædam sunt, quæ sunt noxia, aut forsan mortifera: ergo etiam possunt esse aliqua verba, quæ sint salutaria. Antecedens comprobatur: nam homines videntur naturaliter timere maledictiones, & imprecationes; imò venefici utuntur diris carminibus ad interficiendum; multáque passim narrantur exempla morborum per imprecationes, fascinationes, & venefica verba illatorum: igitur potiori, aut eodem jure poterunt Medici uti verbis ac benedictionibus salutaribus, non minùs, quàm pharmacis pro morborum medela. Si igitur verba non sunt ex colloquentium placito significantia, sed naturam habent quampiam communem cum ipsis rebus, ob quam & ipsis congruant naturaliter; infertur probabiliter nominibus, & verbis inesse virtutem salutarem, aut mortiferam, ac proindè posse

esse

esse aliqua venena medio auditu enecantia, aut solo visu, ut de Basilico communiter publicatur.

Corroboratur asserto ex eo, quod non quæcumque nomina, ac verba, etiamsi eumdem conceptum significent, Hispanico, sive Gallico, aut Latino idiomate eamdem vim habent naturalem partim noxiam, partim salutarem; sed primæva illa quibus Adam putatur esse usus, hoc est Hæbrea, & hanc ob caosam in Ecclesiasticis hymnis retinentur semper verba quædam Hæbrea, ut *Alleluia, Osanna, Epheta, Sabaot*, quæ sanè verterentur etiam in Latina verba ab Ecclesia Catholica, nisi vis quædam, & efficacia illis naturaliter inesset salutaris ad delendos morbos: poterit ergo inesse vis in pestiferis verbis mortifera. Neque vanum est, quod de incantationibus dicitur. Siquidem *Psalmo* 57. ita cecinit Regius Vates. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surda & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Ex quibus verbis deducitur apertè facultas incantationis, & incantatoris sapientia, necnon etiam calliditas serpentis obturantis sibi aures ne audiat vocem incantatoris; In cujus confirmationem audias obsecro Ieremiam *cap.* 8. sic fantem. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* Ubi videtur communiatio hæc innuere aliis serpentibus incantationes inesse. Favet etiam hanc sententiam Ecclesiæ Catholicæ autoritas, quæ jubet Exorcistas uti conceptis verbis, quasi illis Dæmones fugandi virtus quædam præcipuè insit: sic etiam ex Evangelica lectione constat illa verba, videlicet *In nomine meo Dæmonia ejicient*; non enim in jejunio solùm, & oratione id prædicat, sed *in nomine meo*, quasi ipsa prolatio nominis *Iesu* efficaciam habeat ingentem pro Dæmonum expulsione. Et licèt adductis autoritatibus respondeat aliquis, sacram Scripturam loqui secundum vulgarem consuetudinem (ut aliàs consuevit) vel parabolicè, (ut nostro placet Vallesio;) videtur ad libitum esse id affirmare: quia constat hoc sæpissimè per incantationes fieri.

Nobis tamen videtur unam esse omninò, & chimæricam opinionem credentium verba, & loquutiones habere naturalem vim salutarem, aut lethalem ad debellandos morbos, aut ad inducendos ipsos, atque adeò superstitiosam omninò esse, & fabulosam vim incantationum, & consequenter, neque per visum, neque per auditum posse quempiam venenari firmiter censeo; ea quidem ratione ductus: quoniam verba nullam habent vim per se significandi, nisi ex hominum placito, neque ipsis est aliquid commune cum rebus, neque verba si rigorosè loquamur quippiam sunt aliud, quàm ità diverberatus aër; neque quid aliud est loqui, quàm per quasdam linguæ motiunculas res innuere, ut inter loquentes constitutum est; sicut nostro seculo moli consueverunt suas sibi mutuo cogitationes aperire varia digitorum motitatione, totum quod ex libera hominum constitutione, & placito sine dubio oritur: non ergo verba per se significant; neque habere possunt vim aliquam naturalem salutarem, neque veneficam.

Confirmatur assumptum: nam utcumque moveat quis digitos, aut manum, aut quamlibet aliam corporis partem, nihil intelliget alter, nisi inter ambos convenerit, ut motiuncula peculiaris, hujus, altera autem alterius rei sit nota: ergo eadem ratione in verbis & nominibus intelligendum est, ea nihil per se significare, neque in ipsis inesse vim aliquam, præter eam, quam participant ex hominum consensu, ad exprimendum mentis conceptum: & hinc oritur, quod neque utcumque crepamus ore, neque Hispanus Gallum, neque Latinus Græcum, neque Græcus Hæbreum loquentem intelliget, quoniam scilicet non sunt docti eumdem sermonem; hoc est, quia sermo non constat naturâ, sed consuetudine, & placito hominum imponentium peculiaria nomina ad significandos suos conceptus; aliter enim sicut est omnibus gentibus eadem natura, esset sine dubio idem sermo, cujus contrarium experimento constat: non ergo inest nominibus vis aliqua naturalis per se significativa; ac per consequens ipsa verba nec possunt esse salutaria, nec mortifera; unde neque per auditum poterit venenum communicari, nisi forsan mediâ expiratione communicetur audienti vapor aliquis malignus, aut pestilens si fit in debita distantia, & proportione, ratione cujus possit sua venefica, & virulenta vis cordi communicari, & vitalem spiritum extinguere; & eadem ratione per visum poterit venenum communicari, emissis vaporibus à vidente in rem visam, malignis, & pestilentibus, ut accidit in morbis contagiosis oculorum, qualis est lipitudo; non quidem quia visio per se, neque nomina audita inferant vim aliquam salutarem, aut veneficam, sed solùm ex accidenti modo explicato.

Premitur discursus ratione Philosophica, & efficacissima: nam visio & locutio sunt actiones vitales immanentes, quæ sine dubio recipiuntur in eodem principio, à quo oriuntur, & eliciuntur: ergo hujus actiones per se neutiquam possunt habere vim effectivam in alterum subjectum extraneum, neque salutarem, neque mortiferam. Antecedens constat: nam visio celebratur emissâ specie impressâ ab objecto visibili, quæ recepta in potentia, & ab ea fœcundata, parit speciem expressam, quæ est idolum repræsentans objectum, ideóque dicitur ab objecto, & potentia pariter motiva: sed totum hoc fit per actum vitalem receptum in potentia videntis: ergo in re visa, seu objecto visibili nihil ponit visio, ac per consequens nihil potest influere videns in objectum visum, nisi per accidens communicetur vapor teter, & malignus, sive contagiosus, ratione cujus objectum visum patiatur per contagium ad distans eumdem effectum, ut de lipitudine dicebamus: eadem ratio militat in audiente, receptâ in organo auditûs specie intentionali ex vi loquutionis, & diverberationis, quâ informata auditiva potentia elicit speciem expressam, & format conceptum illios, quod verba significant: Cùm ergo hujusmodi potentiæ nullam patiantur realem immutationem, sed solùm intentionalem, ad expressionem suorum actuû; colligitur non dubiè minimè per visionẽ, neq; per auditionẽ posse quempiã venenari per se.

Hinc disces, loqui quidem naturale esse hominibus, quia natura (ut ex linguæ formatione constat, molli scilicet substantia ac maximè volubili, & multis ad radicem musculis prædita) in hunc usum eam destinavit, hoc autem, aut illo sermone uti, studio, ac doctri-

nâ evenit, & ipsa quidem idiomata usu, ac tacitâ consentione hominum nata sunt; non ergo verba, aut nomina ullam habent cognationem cum natura, licèt homines ipso naturæ impulsu ferantur in loquelam ut mentis conceptus communicare valeant; unde neque vim aliquam activam ipsis verbis concedere audent peritissimi Doctores: jure ergo optimo cum ipsis censemus per visum, & auditum neutiquam posse communicari per se in extraneum subjectum, quod vim habeat salutarem, neque mortiferam.

Tandem confirmatur nostra assertio; nam sermo est veloti scriptura effluens, & scriptura veluti sermo manens: sed scriptura solo usu, & arte comparatur, cùm neque cujusque hominis sit scribere, neque hominum fuit semper, sed post plura sæcula inventa fuit scriptura: ergo idem de loquela, & verbis censere consentaneum est, scilicet non significare aliter quàm ad libitum eorum, qui primùm eis usi sunt: non igitur significationes verborum naturâ constant, sed usu; quapropter ex ipsa natura nullam habent vim significandi, & potiori ratione, neque efficiendi quidpiam; sed solùm significant, quia ità convenit inter colloquentes: nulla igitur naturalis ratio est, quâ verba, aut characteres possint morbum inferre, aut sanitatem, aut aliud quidpiam efficere eorum, quæ Magi, & Incantatores pollicentur.

Solum restat solvere ea, quæ in oppositum adducta sunt. Ad primum desumptum ex historia Religiosi Dominicani, qui ex visu rosarum exanimabatur, Resp. quod si rosæ essent in debita proportione, ut per olfactum immutent sensum per communicationem vaporis, posse exanimari, ex eo quod talis vapor habeat antipathiam peculiarem cum peculiari subjecto: & insuper ex solo visu posse ob eamdem rationem humores, & spiritus conturbari, quemadmodum ex visu olivarum in historia à me adducta: nam sæpè contingit aliquos habere cum aliquibus alimentis antipathiam, & contrarietatem, & propterea ex sola imaginatione talium alimentorum, aut ipsis visis, moventur ad vomitum & nauseabundi redduntur, commotis humoribus in ventriculo, à quibus interdum accidit exanimari, si vapores qui moventur, pravi fuerint, aut maligni; quo fit, ut non per simplicem visionem, aut auditionem, id fiat per se, sed potiùs ex accidenti, modo explicato: Et eadem ratione solvuntur argumenta ex historiis adductis pro contraria parte. Præterquam quod plura etiam aut per visum, aut auditum medio terrore, aut metu, eadem accidentia causare valent, & syncopem, ut de Moniali illa probabiliter censeri potest, ex visu scarabei, accidisse: totum quod per accidens fit, mediâ passione animi terrificâ & metu, ratione cujus spiritus, & sanguis retrocedere solent, & inopinatam mortem causare. Et eadem ratione solvitur argumentum ex historia, quam adducit Paulus Zachias, *suprà cit.* nam etsi ipse fateatur, nec terrorem, nec metum fuisse causam nauseæ, aut vomitionis, nihilominùs ob antipathiam tarantularum, & abominationis ipsarum denudatarum potuerunt commovere humores in ventriculo, qui sine dubio nauseá, aut vomitú causare possent.

Hinc etiam argumenta, quæ ex incantationibus formantur, facilè diluuntur, quandoquidem certò creditur, nomina omnia ex libera hominum impositione pendere, & juxta placitum ipsorum significare, & non per se: nam licèt ex Sacra Scriptura constet Adamum primum nostrum Parentem dedisse omnibus rebus nomina propria sua, & omnibus animantibus, hoc non probat, ante Adami formationem omnia habere propria nomina, sed potiùs ipsum Adamum primùm imposuisse nomina accommodata, juxta sui naturam, & conditionem magis appropriata, ideóque ex sacra pagina deducitur dedisse nomina propria sua, non quia antea stetissent, sed quia primus Parens appropriavit nomina peculiaria pro peculiaritatib. naturis, juxta conditionem cujuslibet rei, & cujuslibet animantis, & sic nomina ex se, & per se nullam vim possunt habere neque sanandi, neque veneoandi, aut interficiendi, etsi forsan ex historiis, ex sacra pagina adductis, id deducitur, fit quidem ex pacto Dæmonis cum peculiaribus verbis, aut nominibus, etsi sancta, & devota sint, & appareant; & sic Incantatores nullo modo sunt credendi, aut admittendi, nisi secludendo pactum, in quo casu nullius roboris sunt nomina, nec verba, nisi forsan modo deprecatorio accipiantur; ita ut divina voluntas, interdum moveatur ex vi aliquorum verborum ad salutem concedendam, & similiter ex vi maledictionum ad punienda delicta nostra.

Neque facit contra nos ex vi aliquorum verborum prolatorum idiomate Hebræo moveatur divina voluntas magis ex vi ejusdem significationis sub idiomate Latino, aut Hispanico; nam sæpè efficacia, & magis propria significatio movent Conditorem nostrum ut nobis concedat bona salutaria, non quia per se in verbis, aut nominibus sit aliqua vis activa salutaris, aut venefica, ut dictum est; quapropter nec verba, nec nomina, nec characteres possunt morbum inferre, aut sanitatem, aut aliud quidpiam efficere eorum, quæ Magi pollicentur, aut Incantatores falsi: in cujus rei confirmationem ex Deuteronomio constat *cap.* 18. Dominum abominâsse incantationes, ofque adeò ut ob eas dicat se delevisse illas gentes; si autem vis talis concessa esset verbis à Deo, non esset profectò incantatorum ars abominabilis ipsi; atque adeò vana, & maligna censenda est.

Tandem neque Galeni testimonium ex Tralliano adductum aliquid probat contra nos: nam licèt fateatur plures morbos verbis quibusdam & incantationibus cedere, idque esse sibi longo experimento confirmatum: id tamen nihil probat contra nos, quandoquidem pro certo habemus id fieri ex pacto Dæmonis, non ex vi verborum, quod ignoravit Galenus, sicut & mortales incantationes, quas fabulis obumbraverant Antiquissimi Sapientes, retentâ solùm nominis memoriâ; & hinc natæ sunt istæ superstitiosæ incantationes, & sic cum aliis multis errore disseminato usi sunt homines sæpè incantationibus adversus morbos, & forsan confidentiùs non rarò quàm medicamentis. Accedit etiam quod interdum levissimis hominibus admittentibus incantatores, utilis quodammodo est sua credulitas: quia (ut loquit Autor *Libelli de incantatione*, qui est inter Galeno adscriptos) *Quando mens humana* (hæc sunt Autoris verba) *rem amat aliquam, licèt naturaliter non juvativam sibi eam prodesse certificat, ex sola mentis intentione corpus, res illa juvat, verbi gratiâ si quis incantationem prodesse confidat,*

dat, qualiscumque sit, eum tamen juvat. Hæc ille. Quibus verbis innuit incantationes aliquando prodesse, ad propulsandos morbos ob confidentiam infirmi, nimirum ut timor, & mœstitia, ac desperatio, plurimos morbos augent; ità confidentia, & alacritas plurimos sublevant, imò & ipsa imaginatio per eos animi motus morbos propulsat, aut saltim ipsos minuit. Cæterùm hanc incantationum utilitatem constat ex accidenti esse ob affectus animi ægrotantis, & minimè per naturalem verborum potentiam: nomina igitur nihil habent cum rebus præter significationem, quæ ex solo consensu manifesto, aut tacito ipsorum hominum nascitur, neque sunt nomina rebus, aliâ ratione suâ, ut *suprà* dicebamus de Adamo, de quo dicitur appellâsse res, nominibus suis; unde manifestè constat Gal. testimonium nullam vim habere contra nostram doctrinam, quam ut verissimam, & magis rationi consonam tuemur.

CAPUT III.

An venenati humores possint in nostro corpore generari.

Doctissimus Mercurialis *li.* 1. *de Venenis, cap* 14. libenter fatetur in corpore nostro posse generari simile quid veneno, minimè autem proprium, & verum ac legitimum venenum. Rationem adducit: nam Autor omnium, quæ in nostro corpore generantur, est calor; sed à calore minimè potest generari venenum: ergo absolutè in corpore non potest generari venenum. Major est certa. Minorem probat per partes: etenim neque potest generari à calore naturali, neque à præternaturali; ergo à nullo calore generantur. Cæterùm quod naturalis calor non possit esse autor veneni constat; cùm potius ipse sit vitæ autor, & salutis custodia, quippè ad vitæ conservationem fuit creatus, & non propter perniciem & spirituum consumptionem. Denique neque præternaturalis calor poterit venenum generare, quia nihil agit supra potentiam propriam: sed vis, seu efficacia veneni multò major est, quàm facultas, seu potentia caloris præternaturalis, ut effectus demonstrant, quæ in veneno afflictis dignoscuntur: ergo neque calor naturalis, neque præternaturalis potest esse autor veneni; ergo videtur ipsum in corpore nostro generati non posse.

Forsan Mercurialis arripuit hunc philosophandi modum ex Gal. 5. *de loc. aff. cap.* 7. ubi videtur docere quod licèt absolutè non generetur venenum in nostro corpore, tamen ita corrumpi humores interdum ut veneno similes efficiantur. Verba Gal. perpendite. *Quia verò Medici investigare solent an assumpti veneni propria extent signa, eò quod sæpenumerò videant citra lethalis veneni potionem, humores similiter, ut epoto veneno corrumpi; non mirum est, si sic aliquando mutentur humores.* Eamdem opinionem confirmat Averrhoes 3. *collect. cap.* 29 ubi sic loquitur. *Et ego dico quod non est impossibile ut generetur in malis corporibus, & eorum substantia, unus humor, similis veneno.* Hanc eamdem opinionem acerrimè tenet Jacobus Grevinus *lib.* 1. *de Venen. cap.* 1. *fol.* 16. ubi pluribus rationibus ostendere conatur, neque semen putrefactum, neque suppressa menstrua, neque luem veneream, neque Elephantiasim, neque epilepsiam ex aura maligna ortum, neque uteri suffocationem causare illa accidentia ferocia, & venenata, qualia in legitimis venenis à tota substantia ità dictis, quotidie experimur; quandoquidem omnia symptomata à prædictis morbis evenientia meritò in manifestas, & communes causas refundi possunt, ut *infrà* latiùs constabit: non ergo credendum est verum, & legitimum venenum in nostro corpore generari, quale est innatum, & ex propria natura tale, quod ex certa, & peculiari mixtione elementorum sine dubio oritur; etsi negari non possit ex putredine humorum interdum accidentia in corpore excitari maligna similia illis quæ à veneno oriuntur. Ergo licèt hujusmodi Autores fateantur humores ità corrumpi intra nostrum corpus, ut veneno similes efficiantur, impropriè tamen vocari venena affirmant. Attamen cur propriè venena non sint, etsi accidentia similia causent, non docent: numquid forrasè, quia hæc non ex naturæ præscripto fiant; nam reliqua venena propria ab extrà, videntur à natura esse intenta; quæ autem intra corpus ex putredine humorum generari possunt, ex accidenti procul dubio fiunt talia; cæterùm, an ratio hæc alicujus sit momenti constabit inferiùs, dum nostram mentem aperiemus.

His nonobstantibus nostra conclusio est, humores putrescentes intra corpus certâ quadam, & novâ putredine in venenorum legitimorum ordine collocari debere, necnon accidentia lethalia, & pestifera excitare posse, quemadmodum ex epoto veneno accidunt. Assertio hæc habet non leve fundamentum in doctrina Gal. 6. *lib. de loc. affect. cap.* 5. ubi sic loquitur; *Reliquum est ut investigemus, an in animalibus corruptio aliqua nasci possit, adeò vehemens, ut veneni tum qualitatem, tum vires æquet; nam qui maximè videntur super hac ambiguitate disputasse, ij eosdem fieri affectus concedunt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione, quâ à corpore ortum habet.* Ex his videtur Galenum sensisse posse in corpore nostro per corruptionem generari humores, qui eosdem effectus causare valeant, ut à lethali veneni potione. Quæ verba non admittunt communem expositionem à Merrurialis adductam de similitudine, & non de legitimis accidentibus, quæ ex veneni lethalis assumptione procedunt.

Clariùs tamen Gal. nostram explorativit sententiam 2. *prorrheticor. tex.* 17. ubi ait, *Non est igitur absurdum, ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est rabientium canum.* Hinc non levis formari potest ratio, quæ nostrū intentum suadeat; nam canis rabidi humor est verè, & propriè, & legitimum venenum, ut in confesso ab omnibus habetur: sed Gal. expressè fatetur, quod in corpore nostro possit generari humor, qualis est rabientium canum; cæterùm quod in corpore nostro generari possit humor canis rabientis, suadet ratio: nam in cane rabido non aliter generatur humor venenosus quàm ab speciali humorum putredine, seu corruptione: sed in homine stabulantur humores similes in specie; ergo similiter in ipsis ab speciali

speciali eorum putredine, & corruptione poterit generari humor venenosus, qualis canum rabientium; æqua enim videtur utriusque ratio. Neque alia de causa Gal. *lib. de constitut. art. Medic.cap.*19. expressè fatetur corrumpens virus in hominis corpore innasci.

Validatur ulteriùs nostra assertio: nam in externis videmus quod vel propter excellentiam putredinis, aut propter peculiarem corruptionem venena generantur, ut constat in pestis generatione, ex putredine cadaverum, necnon ex olida putredine stagnorum, aut puteorum, in quibus ob defectum ventilationis vapores ità venenari excitantur, ut homines subitò interimant more mortiferorum venenorum, quæ legitima censentur: ergo hoc ipsum intra nostrum corpus fieri non repugnat. Patet consequentia: siquidem non aliundè oritur in exterois in adductis exemplis, peculiaris corruptio, aut excellens putredo, quàm à calore externo valde intenso agente in humida materia; sed intra nostrum corpus, sæpè ob prohibitam ventilationem, excitatur calor præternaturalis valdè intensus, & extraneus, qui agit in pravos humores, in quibus est sufficiens dispositio, & sæpè valde conducens pro corruptione insigni, & peculiari: ergo quemadmodum in puteis, & cadaveribus generatur venenosus vapor, & contagiosus, qui homines depascit, & subitò interimit, per oppositionem, quam habet cum spiritibus, & corde, more legitimi veneni, ità in nostro corpore poterit per excellentem, aut peculiarem corruptionem, generari humor, aut substantia venenosa, quæ pestifera, & venenata accidentia causet in nobis, & propriè venenum possit dici.

Et confirmatur assumptum: Nam interdum accidit, citra suspicionem aliquam veneni epoti, ut homo repentè moriatur, cujus corpus redditur lividum, aut nigrum, & fœtidum; sed hæc sunt accidentia legitima proprij veneni: ergo cùm hæc interdum appareant in homine, qui venenum non assumpsit, censendum est, in corpore ipsius generatum esse. Neque alià ratione Gal. 6. *de loc.cap.*5. id deducere testatur, (licèt ex aliorum Medicorum opinione) cùm proferat, *hunc venenum assumpsisse aiunt*, id est, qui hoc peculiari modo, & cum accidentibus adductis repentè moritur. Et quidem: si ille, qui moritur repentè, ab epoto veneno legitimo cum similibus accidentibus moritur, libenter quæram, cur homo, qui nullomodo devoravit venenum, & repentè moritur cum adductis accidentibus, seu similibus, non deficiat per legitimum venenum? Neque aliquid valet solutio Mercurialis, & sequacium, dicentium venenum, simile esse legitimo veneno, quod in nostro corpore generatur, minimè autem proprium venenum. Non inquam valet, quoniam talis similitudo non est metaphorica, sed vera, & legitima (ut accidentia testantur) ergo fundatur sine dubio in specifica identitate quæ una est in utroque casu: ergo si legitimum, & proprium venenum est, quod inimicum naturæ, per oppositionem, quam importat cum corde, & spiritibus, ratione cujus celerrimè interficit, & varia atque mortifera accidentia inducit, qualia sunt tremores, syncopes, vomitus virulentos, anxietatem, & fœtorem (ut ex deffinitione veneni, quam *suprà* adduximus constat.) Et totum hoc accidit sæpenumerò in hominibus, aut repentè mortuis, aut per febres pestiferas, citra veneni exteroi assumpti potionem, rationabiliter credere debemus in nostro corpore nobis non advertentibus succos pravos, malignos, pestilentes, & venenatos generari; à quibus maligna,prava,& pestifera, atque venenosa accidentia causantur, qualia io illis, qui proprium, & legitimum venenum biberunt.

Nostram opinionem tuetur Fernelius *lib.*2. *de abdit.rer.caus.* de morbis venenatis sermonem faciens, ubi planè docet, quod quemadmodum ex varia humorum putredine, quæ corpori nostro ex intemperie, aut alia quadam causa accidunt diversæ febrium species, ità quoque ex longa putredine, aut alia quadam causa occulta venenum in corpore nostro generari potest. In cujus confirmationem adducit doctrinam Gal. 6. *lib. de locis aff. cap.*5. ubi lato calamo difficultatem præsentem proponit & concludit, *Quod qui de hac re meliùs disputasse videntur, iy easdem fieri passiones concedunt, & à lethalis veneni potione, & corruptione, quæ è corpore ortum habet.* Ergo saltim ex his licet colligere, doctissimos viros, qui tempore Galeni, de hac re disputarunt, apertè sensisse, intra nostrum corpus venenum posse generari, æquè ac si lethale venenum esset epotum. Præterquam quod Gal. *cap.citat.* suadere intendit per putredinem, aut corruptionem seminis in utero, aut in vasis seminalibus viri; factâ retentione hujus laudabilis substantiæ excitari sæpenumerò, præsertim in viduis accidentia venenata *suprà* descripta. Et totis viribus probare conatur id valdè verisimile esse in parva seminis retentione, dummodò corrumpatur, exemplo adducto de ictu Scorpionis, *in quo brevi admodum tempore gravissima infert accidentia, cùm sese applicat, aut perquam exiguum est id quod injicitur, aut nihil omninò nullo apparente foramine in ipsius aculeo, atqui fieri non potest, cùm primum quis, perindè quasi ab acu, punctus est, ut universum corpus veluti grandine percuti videatur, animi simul defectione accedente: nam rationi magis censentum est, ut vel à spiritu quodam, vel tenui humiditate injectâ, hæc eveniant accidentia.* Hæc Gal. sunt verba, qui ampliùs controversiam propositam confirmat, exemplo marinæ Torpedinis in qua tam vehemens est potentia, ut per piscatoris tridentem transmissa ad manum alterationem, derepentè tutam reddat torpidam, exemplo etiam canis rabidi (cujus rationem *suprà* adduximus) etiam confirmat hanc opinionem. *Quibus conjecturis facilè deprehenditur* (verba sunt Galeni) *parva molis rei quasdam solo tactu maximas inducere alterationes,id quod in Heraclio quoque lapide, quem magnetem nominant, videre est, ferrum enim, quod tetigerit et adhæret, vel nulla adhibito vinculo; deindè si aliud, id quod primo tactum fuerit, tetigeris, similiter ut primum illi inhærebit, posteà tertium secundo.* Ex his deducit parvam seminis portionem retentam, & corruptam, prava illa accidentia maligna, & pestifera inducere posse, quæ more venenorum in hysterica passione subitò interficit: ergo de sententia Gal. potest in nostro corpore generari proprium venenum.

Premitur assumptum ex verbis nostri Vallesf. *in expositione hujus textus*, verba perpendite. *Certè posse in nobis succos eadem corruptione venire, ut veneno*

venenis evadant similes, inferántque omninò eadem symptomata, quæ epotum venenum; idque cum aliis succis accidere possit, maximè accidere retento semine, verissimum est, usque adeò, ut nisi antecedentium, & externarum quarundā ratio habeatur, nullatenùs dijudicari possit, an venenum quis biberit, eorum, qui cum gravissimis symptomatis, repentè moriuntur: nam quod ad internam causam attinet, nihil malitia non potest interiùs comparare, si modò corpus paratum est. Aurea profectò verba, quæ clarissimè nostrum assumptum comprobant. Neque valet communa effugium, pro Mercurialis sententia defensanda, de similitudine, quam in principio bujus textûs insinuat Vallesius, *Vt venenis evadant similes.* Quippè infrà expressè fatetur *omninò eadem symptomata inferre, quæ epotum venenum.* Si ergo intra nostrum corpus, talis substantia potest generari, quæ qualitatibus suis, & efficacia malignitati veneni epoti correspondeat, ità ut omninò eadem accidentia causet, quæ venenum epotum: certè colligitur Vallesium sentire proprium, & legitimum venenum in nostro corpore generari posse; *Nam quod ad internam causam attinet, nihil malitia est, quod non possit comparare, si modò corpus paratum est*; perbellè igitur *nihil malitia*, pronuntiavit, ut propositionē absolutam explorasset, quæ legitimum venenum comprehenderet. Denique premo solutionem communem adductam de similitudine veneni, & non de legitimo: nam ex eo quod venenum legitimum epotum causet accidentia similia venenosa, quæ alterum venenum epotum causare solet, non amittit vim propriam legitimi veneni, propterèa quod similitudo illa specifica identitatem demonstrat, aut si hoc citra rationem negare velis; idem robur tenet argumentum: nam si accidentia similia ac epotum legitimum venenum causat substantia corrupta in nostro corpore, sicut propter similitudinem accidentium unum venenum epotum non amittit vim, & denominationem veri veneni, sicut alterum venenum epotum; cur etiam substantia intra nos genita debet amittere vim, & denominationem legitimi veneni, si eadem omninò accidentia causat, aut similia cum epoto legitimo veneno?

Jacobus Grevinus, *lib. 1. de Venenis, cap. 2. suprà citato fol. 14. & 15.* Fernelij opinionem acriter increpare conatur, ex eo quod sequeretur omnes morbos in corpore ortos, ex venenis originem trahere. Certè sequela est indigna tanti Autoris; nam solùm venenosa qualitas, sequitur specialem & certam humorum corruptelam, & non communem putredinem quam concoctio cohibet: undè cùm omnes morbi non pendeant ab speciali corruptela, seqoitur non omnes morbos ex venenis originem trahere.

Insuper etiam opponit contra Fernelium, non probari exemplo canis rabidi venenum in nostro corpore generari posse; nam censet canis rabidi excrementa non esse venenata, & contagiosa, quippè talis humor, qui jam cor, cerebrum, & jecur occupavit, illicò debebat interimere ipsum, cujus contrarium experimento constat. Neque apparet ratio cur excrementa canis rabiosi, seu ipsius morsus, sint venena respectu hominis, & non respectu canis, & insuper rationem reddere debet Fernelius, & qui ipsum sequuntur; cur Aspis, & Basiliscus sua venenositate idem in hominis corpore præstare non possunt. Hæc adducit Jacobus contra Fernelium, quæ si animo indagandi veritatem contemplemur, nullius roboris apparebunt: quandoquidem etsi canis rabidi excrementa sint absolutè legitima venena; potest accidere ut illicò non interficiant ipsum canem, quia ipsius caro corrigit venenum, sicut etiam accidit in vipera, cujus saliva est venenosa, & non interficit viperam, quoniam ipsius caro est correctiva veneni geniti in ipsa; quâ ratione in compositione Theriacæ unum ex ingredientibus est caro viperina: idem ergo in cane rabido accidere potest, etiamsi legitimum venenum intra se contineat; quæ doctrina tenet in Scorpione, Aspide, & Basilisco, à quibus similis affectus homini non communicatur: quoniam non est contagiosus; canis autem rabidi affectio contagiosa est, & venenosa, ut ex Galeno constat 6. *de locis cap. 5. citato*, in quo autem consistat ratio contagionis, neque est bujus loci examinare, nec facile explicari potest, nisi recurramus ad certum genus corruptionis, quod est in cane, & non in aliis animalibus, etsi Aristoteles *lib. 8. de partibus animalium cap. 22.* Camelum rabie etiam corripi fateatur, quidquid Galenus dicat *loco citato*, ubi expressè fatetur reliquorum animalium nullum rabie corripi præter canem; & obiter etiam rationem reddit, cur homines à cane rabido morsi, subitò non deficiant, sed post longum temporis spatium; etenim etsi tanta sit in cane humorum corruptio, ut sola ejus saliva, si humanum corpus tetigerit, rabiem excitare possit: tamen ab exiguo initio, salivæ videlicet qualitate, aucta quædam in corpore passio, quando ad magnitudinem notatu dignam pervenerit, discerni potest, idque post sex menses; cùm nonnunquam ante id tempus, nulla nota deprehendatur; atque adeò ex boc fundamento inferre possumus, pro nostræ opinionis validatione, eodem modo in nostro corpore posse contingere, vitioso, & venenoso humore paulatim genito, ità ut tractu temporis principalium partium aliqua consentiat, à qua deindè universum corpus celeriter alteretur, & mors accidat; ut indè discas, venena aliqua esse, quæ non subitò interimunt, sed ad tempus sint talia; non solùm ex his, quæ extra assumuntur, sed etiam in illis, quæ intùs generantur, ut latiùs *infrà* peculiari suo capite enodabimus. Sileat ergo Grevinus, quandoquidem sæva, & fera accidentia vociferant, quæ in nobis veneni generationem attestantur.

Hanc nostram opinionem amplectuntur Cardanus, *lib. 1. de venen. cap. 6.* Lusitanus Zacutus, *lib. 1. histor. Princip. Medic. historia 50. & 5. lib. ejusdem operis, historia 1.* ubi ait multò faciliùs, & Gal. magis consentaneum esse asseverare venenum innasci in corpore; quis enim inficiabitur (inquit Zacutus) posse alimentum, aut humorem in nobis corrumpi, & tam prava putredine vitiari, ut qualitatem acquirat non minùs deleteriam, quàm cujusvis alterius veneni, id quod in dictis affectibus Galenus ostendit: non enim aliundè prava illa & sæva symptomata, quibus infestamur, vires usque adeò prosternunt, naturam debellant, sensum, motum, vocem, & cursum auferunt; convulsiones inducunt, refrigerationes, tremores, frigidos sudores, & amentias, ac reliquos epoti veneni effectus, nisi quia illarum causa virulenta quadam, & non minùs perniciosa qualitate sit prædita. Neque videatur difficile in corpore nostro posse

reperiri tam pravum succum, qui possit præstare materiam venenosam, & vitæ omninò adversam; quippè adhuc ex probis alimentis potest generari venenosa qualitas in corporibus in qoibus prava stabulatur caecochymia, necnon etiam ex retentis, & corruptis excrementis, imò ex materia seminali detenta, & corrupta, ut ex Galeno constar, ex quibus omnibus elevatus vapor vim deferens malignam, epilepticas, aut hystericas excitat affectiones, non secùs ac syocupas, & alia maligna symptomatum genera, pro varietate membri quod invadit.

Consonat etiam Vallesius noster cum Galeno *in expositione quarti ægroti*, *lib.3.epid. sect.3.* qui erat phreneticus, & prima die quâ decubuit vomuit æruginosa, multa, & tenuia, cum pravis etiam aliis accidentibus, ex quibus tertia die obiit. Et quidem miratur Galenus phreneticum mortuum fuisse ante diem quartum, ut meritò patet, id non factum esse vi phrenitidis, sed succi pravi & venenati, quem homo collegerat ob pravum victum; phrenitidem verò fuisse or unum quoddam veneni symptoma, veluti si quis accepto veneno, aut morsus à fera delirans moreretur, non diceremus sustulisse eom phrenitidem, sed venenum, & videtur reverà, id quod Galenus affirmat probabilius effici, vomitu illo æruginoso, quem habuit phreneticus, qui nisi materia venenosa esser, & celerrima corruptio non posset die prima fieri.

Sed in confirmationem adductæ opinionis & placiti Galeni audite, precor, Vallesium nostrum sic fantem. *Itaque ego Galeno concesserim posse intra nostra corpora gigni venena; quia horrendi quidam casus, id indicant; atque adeò posse paulatim genitum, aliquando noxam repentinam inferre, aut repentinum impetum capiens in partes principes, aut quod verius puto, venenatam qualitatem repentina alteratione contrahens, ad quam ante longo tempore tantùm disponeretur veluti ligna multo tempore siccantur, & repentè inflammantur; atque adeò in hoc talem succum fuisse (intellige venenosum) ob vomitum illum æruginosum & febrem acutam, & horridam, & ob incredibilem illum lapsum virium, quo factus est die secunda mane sine voce, & ob palpitationes per totum, ac denique secunda die factas convulsiones.* Hucusque Vallesius. Aurea quidem verba, quæ venenum in corpore generari posse, planè testantur, & prava illa, & sæva, atque plura symptomata, quibus phreneticus fuit oppressus demonstrant.

Addimus etiam non solùm in nostro corpore absolutè legitima, & propria venena posse generari, ut probant adducta testimonia, & rationes, verùm etiam venena toto genere deleteria, quod Galenus significavit apertè *6. de locis affect. cit. cap.5.* de corruptione seminis, quod venenum ictui scorpionis comparavit per sæva, & fera accidentia, quæ inducit. Ubi nota, minimè ratione nimiæ quantitatis seminis corrupti, sed parvissimæ mortifera accidentia inducere; meritò igitur venenum toto genere deleterium in corpore per corruptionem specialem generari potest; cujus ratio est: nam per corruptionem, aut putredinem peculiarem, aut excellentem, generantur extra corpus venena, toto genere deleteria, ut constar in generatione Bufonum, & Scorpionum, & similium animalium venenosorum toto genere talium: cùm ergo non implicet, similis putredo intra nostrum corpus, neque ex parte efficientis, neque ex parte materiæ, credendum firmissimè est, intra nostrum corpus generari posse venenum toto genera deleterium, & mortiferum.

Solùm restat satisfacere argumento principali adducto à Mercuriali, in cujus solutione plurimum inculcant Moderni Scriptores, ex quibus Doctissimus quidam Recentior respondet, optimè posse à calore præternaturali generari venenum in nostro corpore agente in materia, seu humoribus pravè, & prævie dispositis ad veneni generationem, quin talis generatio excedat vim caloris præternaturalis: Et probat exemplo quotidiano de generatione serpentum, & lumbricorum in terra per putredinem, agente calore putredinali in materia, pravè, & prævie disposita ad generationem talium animalium venenosorum: poterit ergo intra nos ita accidere per putredinem excellentem similem agente calore præternaturali.

Hanc solutionem impugnat noviter scribens Batallet *disputatione unica de Venenis cap.1.* ex eo quod dispositiones humorum præviæ solùm concurrere possunt ad generationem veneni in genere causæ materialis ex parte materiæ: ergo solùm restat quod talis generatio tribuatur calori præternaturali effectivè, ac proindè semper argumentum manet in sua vi, ex eo quod venefica virtus excedat potentiam caloris præternaturalis. Addit etiam aliud argumentum. Alter Recentior noviter scribens Valentiæ Scholæ, *disputatione 1. de natura veneni*, *artic.3. fol. 41.* judicans acutè etiam venena toto genere deleteria, quod Gal. significavit apertè 6. *de locis affect. cit. cap.5.* de corruptione seminis, quod venenum ictui scorpionis comparavit per sæva, & fera accidentia, quæ inducit. Vbi nota, minimè ratione nimiæ quantitatis seminis corrupti, sed parvissimæ mortifera accidentia inducere: meritò igitur venenum toto genere deleterium in corpore per corruptionem specialem generari potest; cujus ratio est: nam per corruptionem, aut putredinem peculiarem, aut excellentem generantur extra corpus venena, toto genere deleteria, ut constat in generatione Bufonum, & scorpionum, & similium animalium venenosorum toto genere talium: cùm ergo non implicet, similis putredo intra nostrum corpus, neque ex parte efficientis, neque ex parte materiæ, credendum firmissimè est, intra nostrum corpus generari posse venenum toto genere deleterium, & mortiferum.

Solùm restat satisfacere argumento principali adducto à Mercuriali; in cujus solutione plurimum inculcant Moderni Scriptores, ex quibus Doctissimus quidam Recentior respondet, optimè posse à calore præternaturali generari venenum in nostro corpore agente in materia, seu humoribus pravè, & prævie dispositiones præviæ humorum solùm concurrant in genere causæ materialis ad generationem substantiæ veneficæ, non indè infertur solum calorem præternaturalem producere venenum: nam ipse operatur virtute substantiæ, tanquam instrumentum se tenens ex parte efficientis, quod intendit per se generationem similis substātiæ. Cæterùm quia priùs quàm possit introducere omnes dispositiones condocentes per se pro forma intenta, ex aliquibus ab ipso efficienti productis, & ex aliis, quæ in materia, seu humoribus pravis alteratis à calora præternaturali, mediâ speciali, & excellenti

corruptione,

corruptione, seu putredine innascuntur, pullulat, & resultat dispositio media, & ultima pro generatione substantiæ venenosæ, quæ per accidens fit, & præter intentum agentis principalis, cogitur causa universalis ad exigentiam ultimæ dispositionis producere formam substantialem veneficam, cujus productionem attingit calor præternaturam, & dispositiones se habentes ex parte materiæ, quæ in humoribus pravis cernuntur, etiam in genere causæ materialis concurrunt, & attingunt suo modo generationem substantiæ venenosæ, quatenùs ex ipsis, & ex illis, quas produxit efficiens medio calore præternaturali & putredinali resultavit ultima dispositio ad formam substantialem veneficam, sive sit vermis, sive scorpionis, vi cujus causa universalis suâ generali providentiâ, quasi obligatâ fuit ad productionem illius formæ substantialis veneficæ; quo fit ut tribuatur non calori præternaturali solùm, neque dispositionibus materialibus, sed dispositioni ultimæ resultanti ax dispositionibus ab efficienti productis, & ex illis, quæ ex materia alterata, & disposita resultarunt, quæ omnes attingunt productionem substantiæ modo possibili tanquam instrumenta se tenentia ex parte efficientis, & ex parte materiæ. Ex quo perspicuè constat contra Bataller, & contra alterum Doctorem Valentinum, quàm falsa sit ipsorum argutia, & aliena à vera Philosophia.

Claudicat etiam argutia Valentini, ex eo quod firmiter teneat dispositiones, quæ mediâ putredine fiunt, per se intendi ab aliqua peculiari substantia, & merè concurrere disponendo solùm pro corruptione formæ præexistentis, & minimè pro generatione nova substantiæ venenosæ. Totum quod chimæticum, & prorsùs falsum esse censeo: nam ipse fatetur, tales dispositiones ex accidenti evenire, inspectæ à causa universali, ne materia existeret sine forma: ergo non intenduntur per se ab aliqua peculiari substantia; nam licèt in hujusmodi generationibus, quæ per accidens contingunt, producat principale agens aliquas dispositiones ex se conducentes pro generatione consimilis substantiæ: tamen quia priùs quàm produxerit omnes, resultat ex illis & ex his, quæ sunt in humoribus pravè dispositis mediâ putredine ultima dispositio pro altera forma, quæ ex accidenti producitur à causa universali coacta ipsam producere (etsi venenosa sit) vi ultimæ illius dispositionis, quæ ex se corruptiva est formæ præexistentis, necnon etiam conducens pro forma venenata substantiali, colligitur manifestè, non produci illam formam substantialem veneficam, ne materia existeret sine forma, sed quia ipsa dispositio exigit novam formam, corrumpentem præexistentem per naturalem incompossibilitatem: quâ ratione prædicabat toties Philosophus, illud satis tritum, & vulgare dogma, scilicet, generatio unius est corruptio alterius: non ergo producit causa universalis illam formam novam veneficam substantialem, quia materia non existat denudata formâ; sed quia illa ultima dispositio exigit illius productionem; neque illa solùm disponit pro corruptione præexistentis formæ, sed positivè pro generatione formæ substantialis venenosæ disponit, cogendo causam universalem, sua generali providentia summa, ut produceret illam formam, quam producere non poterat ullum agens particulare, quod non potuit producere in illa materia omnes suas dispositiones per se intentas ad generationem similis substantiæ. Cujus rei innumera sunt exempla, à quibus libenter supersedeo ne fastidiosus sim legentibus: ruit ergo omninò utriusque Doctoris redargutio.

Sennertus *lib. 6. suæ pract. part. 1. cap. 2.* solvere conatur argumentum suprà adductum à Mercuriali: tenet igitur veneni generationem in nostro corpore minimè tribui calori præternaturali tanquam agenti primario, sed ipsi materiæ, seu humoribus pravè dispositis continentibus in se agens primarium, cui tribuitur potiùs generatio talis substantiæ venenosæ, quàm instrumento agenti, seu calori externo præternaturali: Censet enim in corruptione cujuslibet formæ substantialis non fieri resolutionem usque ad materiam primam, sed perseverare plures formas subordinatas, cum suis accidentibus in ipsa materia, quæ interdum secernuntur, & ipsorum vis manifestatur maligna, & venenata, quæ anteà latebat in humoribus, qui ex alimentis generantur pravis, ex quibus homines sæpè nutriuntur, cucumeribus videlicet, & aliis alimentis & fructibus, quæ pravum alimentum præstant, & venenatam naturam in se continent; sæpè etiam animalibus utimur in alimoniam, venenatis substantiis nutritis, ut gallinâ araneis nutrita, coturnicibus elleboro alitis, & Anatæ bufonibus, in quibus venenata substantia latet, & non lædit illicò, quia mixta est cum aliis substantiis; cæterùm dum secreta tota existit, suam venenosam vim præstat. Unde causa primaria effectiva veneni in corpore geniti est qualitas hæc venefica in alimentis latens, & humoribus ex ipsis genitis, calor verò sive naturalis, sive præternaturalis extrinseca causa dicitur in tali generatione, & minimè primaria, neque effectiva. Hæc Sennertus.

Adductam doctrinam impugnat Doctor Valentinus *loco citato*, ex eo quod concedit, & supponit plures formas existere simul informantes eandem materiam; quæ opinio adhuc in subordinatis taprobatur à S. Thoma, sicut etiam, quod resolutio non fiat usque ad materiam primam; & & licèt fateatur, & gratis concedat resolutionem non fieri usque ad materiam primam, ut Sennertus supponit, nihilominùs suadere intendit, adhuc peccare Sennerti solutionem, quoniam accidens non potest esse causa principalis & primaria productiva substantiæ, neque virtus latens in materia, quippè hæc solùm dicit in corruptione seipsam cum accidentibus corrumpi; & cùm substantia virtute propria non possit producere neque formam aliquam substantialem, neque aliam materiam, infert contra Sennertum minimè posse ex suis principiis intelligi quâ ratione in nobis possit generari substantia venenosa in nostro corpore agente calore præternaturali in humoribus.

Consequenter docet contra Sennertum, quòd licèt accidentia, quæ erant in corrupto, maneant in genito, post plures transmutationes, ut constat ex Hip. 6. *epid. part. 5. text. 25.* per illa verba: *Mulier, capra elaterium, aut cucumerem sylvestrem comedentes pueris purgatio.* Hoc tamen non accidit quia resolutio non fit usque ad materiam primam, sed quia materia fuit sigillata à forma substantiali præcedente, ob quod forma subsequens determinatur, ut simile accidens in specie producat; & perindè dum homo plantis, & animalibus veneno nutritis, & saturatis utitur, si qualitas maligna oritur, non est quia ea fuit re-

licta

licta in materia verbi gratia gallinæ araneis, aut scorpionibus nutritæ, sicuti neque substantia venenosa ex tali essentia genita, sed solùm ob præcessisse materiæ sub tali forma, ratione cujus remansit sigillata; unde causa principalis substantiæ venenosæ non est materia gallinæ veneno nutritæ, neque aliqua virtus latens in ipsa materia, sed ipsa forma substantialis, quam maligna, seu venenosa qualitas, ut passio propria comitabatur, exempli gratiâ scorpionis, aut alterius formæ venenatæ, ratione cujus materia prima appetitum contraxit, ità ut informata alia forma chyli scilicet, aut sanguinis, eam ad supradictam appetitum determinet, & venenosam qualitatem producat; ità ut venenosa reddatur substantia sanguinis, solùm propter præcessisse formæ araneæ, aut scorpionis, aut cucumeris, aut alterius formæ venenosam substantiam constituentis, à qua producitur maligna, & venefica illa qualitas. Tota hæc doctrina, quâ increpare intendit Sennerti solutionem, fundatur in principio Thomistarum asserentium fieri resolutionem usque ad materiam primam, ità ut in ipsa minimè remaneant accidentia ulla eorum quæ fuerunt in corrupto, quam Sennertus planè negat cum toto Collegio Jesuitanæ Familiæ; unde argumenta, quæ contra ipsum format, penitùs evanescunt, etsi forsan alicujus roboris sunt, solùm tenent in opinione Thomistarum, qui modus impugnandi, frivolus prorsus est, cùm in omni opinione impugnatio debeat habere vim. Neque alicujus momenti est argumentum suprà etiam adductum contra Sennertum, ex eo quod accidentia non possint attingere productionem substantiæ; nam ex suprà dictis à nobis apertè constat; quâ ratione id possit accidere modo possibili, in quolibet genere causalitatis per modum instrumenti operantis virtute causæ principalis cujus sunt instrumenta.

Ulteriùs etiam in favorem Sennerti sic argumentor à destructione fundamenti Thomistarum, quod tanquam inviolabile supponit Doctor Valentinus argumento à me olim machinato, & adducto in celebri nostra Complotensi Academia in publicis Disputationibus Religiosæ Familiæ Clericorum Minorum. Nam sigillatio in materia prima, ratione cujus habet appetitum ut denuò in novo composito producantur illa eadem accidentia in specie quæ fuerunt in corrupto, tota dependet ex præcessisse formæ antecedentis corruptæ in tali materia. Quo supposito tanquam inconcusso fundamento in doctrina Thomistarum, sic premo discursum: nam illa sigillatio in materia prima, vel est quid reale accidentale, aut substantiale inhærens in materia, aut quid chimæricum, seu fictitium, sive denominatio extrinseca; quidquid sit, nihil ponit reale in materia, ratione cujus forma generanda, aut universalis causa producat illa accidentia venenosa, quæ forma araneæ, aut scorpionis in materia conservabat: Ergo ruit totum fundamentum Thomistarum à Doctore Valentino repetitum contra Sennerti doctrinam. Probemus assumptum per partes. Si respondeas esse quid reale substantiale, incidis in opinionem Sennerti admittentis plures formas in illa materia, quæ si subordinatæ sint, non est contra rationem, neque improbabile (etsi Divus Thomas contrarium sentiat) & cum ipso Doctor Valentinus: quippè *nostro Tractatu de Elementis tom. nostro* 1. abundè ostendimus Elementorum formas conservari simul cum forma mixti, quia sunt mediæ & conducentes pro ipsa, quin importent aliquam incompossibilitatem, cum ipsa, necnon etiam subtilissimus Scotus, corporeitatis formam mediam concessit in omni composito substantiali: ergo impugnatio de existentia plurium formarum in unica materia, dummodò sint formæ mediæ, nihil facit contra Sennertum; quandoquidem si fateatur Doctor Valentinus sigillationem in materia esse quid reale substantiale, incidit in foveam quam facit: præterquam quod si quid reale substantiale perseverat in materia: ergo non fit resolutio usque ad materiam primam.

Porrò si concedat, sigillationem esse quid reale accidentale inhærens in materia, & sequitur etiam resolutionem non fieri usque ad materiam primam, & consequenter, quod saltim illa accidentia recipiantur in materia, & non in toto composito, quod peccatum criminis est in prædicta opinione: ergo liquidum manet, sigillationem in materia relictam ex præcessisse antecedentis formæ jam corruptæ, neque esse quid reale substantiale, neque accidentale inhærens in materia: si ergo est quid notionale, chimæricum, & fictitium, sive extrinseca denominatio, quæ omnia nihil ponunt in re, seu materia, quam dicunt manere sigillatam. Urgeo denuò ratiocinium meum: etenim id quod nihil reale est in materia, sed solum merum figmentum, aut extrinseca denominatio, seu præcedentia formæ antecedentis corruptæ, minimè potest cogere formam corruptam (scorpionis videlicet, aut alterius substantiæ venenosæ) ut producat qualitatem veneficam, quæ comitabatur ipsam formam ante ipsius corruptionem, neque causam primam, ut per exigentiam aliquam reproducat in materia hujusmodi accidentia venenosa, quæ præfuerant antecedenter in materia, aut in composito antecedenti, ut per se patet contemplanti rem citra passionem propriam; cùm certum sit extrinsecam denominationem nihil ponere in materia, ut esse dextram columnam, aut sinistram, nihil ponit reale in columna: ergo ex vi illius præcessisse, minimè tenetur forma corrupta, neque alia causa ad productionem qualitatis veneficæ in materia, ac per consequens sigillatio chimærica omninò censenda est in materia prima, ut accidentia denuò producantur, quæ præfuerunt in corrupto: præcipuè cùm forma illa scorpionis verbi gratia sit corrupta, aut altera quælibet, quæ venatam qualitatem continebat, quarum nulla rationem causæ producentis de novo sortiri poterit, quandoquidem ad causalitatem actualem existentia causæ est necessaria.

Huic ultimæ instantiæ respondet Doctor Valentinus citatus, sufficere existentiam virtutis (quam virtualem vocant communiter) ut aliquid, etsi corruptum dicatur, principaliter causare possit, adducit exemplum in semine indito à patre accepto, & conservato ab utero; quo in casu, etsi pater moriatur, succedit generatio, & patri principaliter tribuitur, & semini virtualiter. Undè infert appetitum materiæ ex præcessisse sub forma araneæ aut scorpionis, esse virtutem sufficientem pro determinatione accidentis similis in specie, ut scilicet determinet formam corruptam araneæ, aut scorpionis, ut producat denuò accidentia venenata, quæ præfuerant, præsente, & informante materiam formâ araneæ,

aut

aut ſcorpionis, ſive altera quælibet venenata.

Hæc ſolutio quidem videtur aliena à bona Philoſophia: nam argumentum de ſimilitudine ſeminis nihil probat in ſigillatione; etenim ſemen dicitur inſtrumentum ſeparatum deferens in ſe totam virturem patris, quam eminentialiter continet; quare jure optimo, tale inſtrumentum acceptum, & conſervatum ab utero tanquam in loco idoneo ad prolificationem à natura dicato operatur virtute patris, ex ſe agentis principalis, quod etſi actu non exiſtat, exiſtit tamen in ſemine ſua formalis virtus, quemadmodum in ſeminibus vegetabilium id accidere inconcuſſum eſt inter omnes Philoſophos, & Medicos; cæterùm in ſigillatione materiæ minimè currit eadem ratio, imò longè diſpar: nam ex eo quod præceſſerit in ipſa forma ſcorpionis, aut altera venenata, nihil relinquitur reale inhærens in ipſa materia (ut omnes Thomiſtæ fatentur planè) quod poſſit continere eminentialiter virtutem ſcorpionis, quemadmodum ſemen continet virtutem patris, quod entitas realis, & phyſica eſt, at præceſſiſſe formam ſcorpionis corruptam in materia nihil eſt reale, ſed extrinſeca denominatio: ergo neque poteſt continere virtutem formæ ſcorpionis, neque poteſt materia ipſa nuda per illud præceſſiſſe formæ ſcorpionis determinare formam corruptam ſcorpionis, ut producat accidentia illa venenata de novo in materia, quæ antea erant dum talis forma actu informabat materiam: unde illud præceſſiſſe formæ antecedentis jam corruptæ minimè poteſt habere rationem inſtrumenti operantis virtute cauſæ principalis, cùm nihil ſit reale; ſed ſolùm mera extrinſeca denominatio, quæ nihil ponit in materia, proindéque, neque poteſt dici inſtrumentum operans in virtute agentis principalis, neque ullo modo poteſt determinare materiam ad appetitum talium accidentium; aliàs, ſi centum formæ præceſſerint in materia, maneret ſigillata ab omnibus, ut omnia accidentia centum formarum, omninò diverſa, & contraria, inter ſe reproducerentur forſan deſtructiva formæ præſentis: quod omninò vanum, & chimæricum cenſeri debet.

Denique, quia etiamſi inſtrumenta Fabri, ut ſerra, & penicillus recipiant impulſum à Fabro pro motiunculis conducentibus ad artem, abſente Fabro, impulſus deficit, & motus, & tamen illud præceſſiſſe talis impulsûs, non determinat Fabrum neceſſariò, ut repetat impulſum ejuſdem ſpeciei pro motiunculis illis conducentibus ad artem: ergo eodem jure in materia, idem debet accidere, quandoquidem ex præceſſiſſe formæ receptæ in illa per corruptionẽ deficit inhærentia in eadem materia, in qua cùm nullum veſtigium formæ amiſſæ relinquatur, nihil eſt quod determinet ad productionem eorumdem accidentium ſimilium in ſpecie in eadem materia. Ruit ergo ſolutio, & totus diſcurſus fundatus in ſigillatione materiæ ſolùm per præcedentiam formæ corruptæ.

Inculcat etiam Valentinus Doctor Sennerti doctrinam, quia non tenet in ſemine, aut ſanguine, quando peccant in quantitate, & retinentur, & putreſcunt, in quo eventu naturam ſapiunt veneni, ut Galenus teſtatur 6. *de loc. cap. 5. citato*, & tamen cùm hujuſmodi ſubſtantiæ laudabiles ſint, non videtur habere locum Sennerti doctrina de formis venenatis in ipſorum materia contentis. Certè argumentum ſatis frivolum, & ſuperficiale, quandoquidem in doctrina Sennerti, in ſanguinis, & ſeminis materia, quæ fit ex nutritione animalium venenoſorum, lateat forma illa media ſubſtantialis venenoſa; nam etſi ſanguis, & ſemen fiat ex ſubſtantia laudabiliori noſtri corporis, nihilominùs ipſa ſecum defert illam venenoſitatem quam participat neceſſariò ex plantis, aut animalibus venenoſis, ex qua fuit factus chylus, & ſanguis, non tamen ità relucet, ſed potiùs magis latet, quàm in aliis humoribus pravis, in quibus non ità eſt correcta venenoſitas, ſicut in ſemine, & ſanguine quarto humore, in quibus ſolùm per putredinem agente calore præternaturali per prohibitam ventilationem, ſeparatis partibus venenatis, reſurgunt accidentia peſtifera, & ſæva, qualia ſuperiùs depinximus: minimè ergo convincit argumentum contra Sennertum.

Tempus jam inſtat, ut accedamus ad ſolutionem Doctoris Valentini, qui priùs quàm propriam mentem aperiat, docet, interdum in noſtro corpore generari venenum, citra aliquam putredinem, ſolùm per actionem caloris naturalis, qui ſeparat ſubſtantias à ſubſtantiis, per tranſmutationem alimentorum in chylum, & ſanguinem. Undè tenet hac ratione calorem naturalem ex accidenti, & tanquam extraneam cauſam, ſeu externam concurrere ad veneni generationem in noſtro corpore, necnon etiam calorem præternaturalem etiam ex accidenti concurrere, quatenùs abſumit ſubſtantias laudabiles humorum, & ſanguinis, quæ corrigebant venenatas qualitates, & impediebant pullulationem veneni.

His præhabitis, tenet generationem veneni in noſtro corpore principaliter fieri à cauſa univerſali, à qua univerſi conſervatio intenditur; nam materia illa, quæ putreſcit (loquitur nunc quando ratione putredinis generatur venenum in noſtro corpore) ope caloris præternaturalis, adquirit diſpoſitiones, quibus forma antecedens conſervari non poteſt; & ideò ne materia maneat ſine forma, cauſa univerſalis introducit formam ſubſtantialem veneficam, aut alterius mixti: attentis diſpoſitionibus relictis ex putredine, aut uſtione, vel à calore diſſolvente mixtum, à quibus contrahitur & determinatur univerſalis cauſa ad productionem ſubſtantiæ veneficæ; ſic docet vermes, & alia animalia venenoſa per putredinem generari, & ſpontè in terra naſci: quid ergo mirum quod eodem modo intra noſtrum corpus generantur venenoſæ ſubſtantiæ.

Valentini Doctoris ſolutio plura continet falſa; peccat enim imprimis quatenùs docet poſſe in noſtro corpore generari venenum per actionem caloris naturalis citra aliquam putredinem, ex accidenti, quatenùs ſeparat ſubſtantias à ſubſtantiis per converſionem alimenti externi in chylum, & ſanguinem; nam ipſe contra Sennertum arguit non eſſe in alimentis ſubſtantias veneficas, quia reſolutio fit uſque ad materiam primam, eo ipſo quod alimenta corrumpuntur, & in aliam formam tranſmutantur; ſi ergo non remanet in materia, in tranſmutationibus, quas patitur alimentum in chylum, & ſanguinem aliquid poſitivum, ſed ſolùm extrinſeca denominatio, ſeu ſigillatio orta ex præceſſiſſe formæ corruptæ: ergo neque accidentaliter, & extrinſecè poteſt

concurrere calor naturalis ad generationem veneni, intra nostrum corpus, cùm potiùs si non fierent transmutationes substantiales à nostro calore, sed liquationes meras, perseverarent sine dubio in alimentis venenosis qualitates veneficæ formaliter, quæ meliùs, & citiùs disponerent, & conducereot ad generationem veneni in suo genere causæ materialis: ergo adhuc ex accidenti calor naturalis non potest esse auctor veneni, ratione transmutationum, quas præstat, dum alimentum convertitur in chylum, aut sanguinem, imò potiùs, per ipsas transmutationes congregantur homogenea, & similia, ut *in Tractatu de Coctione* docuimus *nostro primo Tomo*, & separantur etherogenea, & dissimilia, quæ à natura expelluntur per suas dicatas regiones tanquam excrementa inutilia pro nutritione.

Insuper etiam neque calor præternaturam potest conducere ad generationem veneni, quatenùs absumit substantiam benignam alimentorum, seu sanguinis; quippe etsi calor præternaturam valeat resolvere, indifferenter id facit, tam respectu substantiæ laudabilis sanguinis, & chyli, quàm respectu aliarum substantiarum inutilium, quæ excrementitiæ vocantor: ergo non est destinatus præternaturalis calor, ut solùm resolvat benignas substantias sanguinis, quæ impediebant in ipso pullulationem venenosæ substantiæ. Præterquam quod officiom principale caloris præternaturalis, est inducere putrefactionem, aut ustionem in humoribus dispositis, & juxta varias dispositiones, varias corruptiones inducit in ipsis: ergo potiori jure credendum est, calorem præternaturalem conducere ad generationem veneni, quia autor est putredinis, & corruptioois sanguinis, quàm quia resolvit substantiam benignam ipsius; quandoquidem etiam resolvit substantias pravas, & excrementitias sanguinis.

Neque causa universalis producit substantiam veneficam ne materia maneat sine forma, sed ad exigentiam ultimæ dispositionis productæ ex illis, quas produxit agens particulare intendens suam assimilationem, & ex his, quæ in ipsa materia præfuerunt, ex quibus omnibus resultabit ultima dispositio, vi cujus tenetur causa universalis producere illam substantiam veneficam: nam si ipsa non existeret, nulla produceretur forma à causa universali, cùm entitas nuda materiæ primæ, non possit cogere uoiversalem, & primam causam, ut producat formam, cum per divinam potentiam possit existere sine forma: non ergo cogitur prima causa producere formam ne materia maneat sine illa: imò potiùs, si ob hanc rationem prima causa formam produceret, produceret sine dubio formam aliquam conservativam viventis, & oon veneficam, & destructivam naturæ, & omninò nefariam, cùm Autor naturæ potiùs debeat intendere suam conservationem, quàm corruptionem: non ergo producit substantiam veneficam, quia materia prima non maneat denudata forma, sed quia ad exigentiam illius dispositioois ultimæ operatur sua generali providentia, quemadmodum accidit in productione formæ mixti, & in omnibus generationibus per accidens, ut superiùs probavimus.

Ex dictis constat contra Mercurialem vim caloris præternaturalis agentis in materiam pravam continere virtutem potentialem æquivocam producendi varias formas tanquam instrumentum naturæ, medio ipso operante, non quidem juxta regulas petitas ab statu naturali, sed per quandam violentiam caloris præternaturalis, per quem veneficam formam producit, concurrentibus dispositionibus pravis alimentorum venenosorum, & pravorum, quæ perseverant in materia, non quidem (ut Sennertus putavit) perseverantibus formis substantialibus venenorum in materia, quia hujusmodi formæ, nec sunt mediæ, nec conducentes pro forma advenienie; cùm ergo sufficiant qualitates venenosæ ad generationem per accidens formæ venennsæ, frustrà multiplicare debemus substantiales formas simul informantes eandem materiam, quandoquidem non constat de influentia ipsarum, sicut de formis elementorum dicebamus in generatione mixti, *nostro Tomo* 1. etsi forsan aliquis sit persuasus, & concedere velit, illas substantias quas admittit Sennertus esse formas medias substantiales, quarum qualitates conducunt ex parte materiæ, cum calore præternaturali ad generationem veneni in nostro corpore; probabiliter potest sustineri Sennerti solutio; nam sive dicamus qualitates se habentes ex parte materiæ, sive formas illas medias venenum contioentes conducere in generatione per accidens ad formam veneni productam à causa universali ad exigentiam illius ultimæ dispositionis, in re ipsa convenimus: sicut ergo solus calor operante natura, tanquam æquivoca causa, varia producit animalia veocnosa, & plantas varias venenosas, propter dispositiones varias, & pravas terræ qoin excedat effectus vires causarum, & dispositionum conducentium ad generationem per accidens substantiæ venenosæ; sic similiter in nobis accidere generationem veneni medio calore præternaturali, & dispositionibus materialibus maleficis, seo pravis credendum est.

Neque quamlibet seminis putrefactionem, seu sanguinis menstrui corruptionem, dum retinentur, generare venenum censendum est, sed certam, & specialem, seu excellentem, ut hinc constet contra Mercurialem, & Jacobum Grevinum, sæpe sæpiùs affectus hystericos reduci posse ad causas manifestas; non tamen ex eo probatur interdum non posse generari venenum ex prædictis substantiis corruptis, speciali genere corruptionis, qualiter in pestilentibus febribus accidit, & accidentia declarant sæva, & mortifera, ut Gal. planè fatetur, *loco cit. 6. de locis affect. cap. 5.* ex quo clarè constat, quâ ratione calor præternaturalis attingat productionem formæ substantialis veneficæ, & quod possit intra nostrum corpus generari, quin rationes in contrarium adductæ, nostram sententiam debellare possiot.

CAPUT IV.

An detur Venenum ad tempus.

PRIUSQUAM litem propositam absolvamus, notandum venit, in pluribus sensibus habere locum præsentem controversiam. Primum est utrum à natura talis possit produci substantia venenosa, ut temporis longitudine, mortem inferat, aut etiam possit tale venenum arte parari, ut post longum tempus

tempus etiam suam veneficam, & mortiferam vim manifestet? Strictiùs insuper potest intelligi litigium, an scilicet venenum possit arte parari, quod determinato tempore interficiat, ità ut die, vel hora ab artifice, seu malefactore intenta mors accidat.

Cæterùm, ut certa ab incertis separemus, venena omnia, sive à natura producta, sive ab arte parata, esse agentia naturalia, quæ in præsenti contraria debeat agere, & repati, ac proindè minimè posse sæva sua, & mortifera accidentia manifestare in instanti, sed potiùs tempore sensibili, & manifesto, requisito ad actionem suam majori, aut minori; pro majori, aut minori passi resistentia, sive activa, sive passiva, comparata cum efficacia, & virtute agentis venenati; etenim si hæc sit valde intensa, & deleteria, & calor noster naturalis debilis, certum est, quod breviori tempore celebrabitur mors, longiori autem si virtus veneni non sit ità intensa, & resistentia passi, sit aliquantulum validior, non tamen ità, ut prævaleat supra vires agentis, à quo celebranda est victoria. Ex quo satis clarè constat omnia venena post aliquod tempus sensibile mortem inducere, de quo nulla est controversia.

Solùm ergo procedit controversia si hujusmodi venena, vel à natura instituta, sive ab arte parata, possint suam mortiferam vim inferre, post legitimum temporis intervallum, retardatâ suâ actione, aut aliquantulum impeditâ per plures menses, aut annos.

Et quidem dari venena temporanea à natura, quæ temporis longitudine interficiant, videtur colligi ex Galeno, *lib.* 1. *prorrh. text.* 17. cujus verba sunt sequentia. *Non est igitur absurdum ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est rabienium canum, & medicamentorum tractu temporis longiori corrumpentium, ità ut plerosque Medicos lateant.* Quibus verbis expressè fatetur Galenus venenum in nostro corpore per multum tempus latere, & postea hominem interficere. Idem testatur 3. *epid. part.* 3. *ægrote* 4. verba perpendite. *Neque enim sicut ipsorum generatio subita est, ità & generationis causa, ut si medicamentum homo lethale sumpsisset, vel bellua eum virulenta momordisset, sed pedetentim in corpore causa, quæ sunt excitandis hujusmodi malis crescunt, quod morsis usu venit à rabidis canibus; nam apertum est, quod canis venenum licèt in morsis non etietur, nec conquiescat, nullam fui ipsius notam prodit, multis interim proximis mensibus.* Apertè ergo, & expressè fatetur Galenus à natura produci posse venenum, quod longo temporis spatio, hominem depascat. Hanc eandem sententiam complectitur Mercurialis, *lib.* 1. *de venen. cap.* 7. & Amatus Lusitanus, *centur.* 6. *curat.* 88. ubi sequentia adducit verba. *Turca tamen & Indi, qui venena scitè tractant, venena ad determinatum tempus, ità dextrè, & artificiosè concinant, ut raro suis frustrentur votis, præparant autem medicamenta varia, quæ ad tempus interimentia vocant, quorum aliud menstruo, aliud bimestri, aliud verò annuo spatio, opus suum conficit. Cæterùm cùm tempus signant, non determinatum intelligi volunt, sed plus minus pro subiecti ratione, id quod (ut ego sentio) viris doctis absurdum videri non debet.* Ex his licet colligere si fidem tanto viro præbeamus, non solùm à natura, sed per artem dari posse venenum, quod ad determinatum interimat tempus, hoc est, quod uno mense, vel duobus, vel integro anno opus suum conficiat; hoc autem de venenis quæ toto suo genere interimunt, & occulta vi, & rodendo, & putrefaciendo, quæ verè deleteria dicuntur, intelligendum esse censet; minimè verò de illis, quæ suis primis qualitatibus, vel quantitate interficiunt, quippè hæc statim interimere solent, & non per longum temporis spatium.

In prædicta curatione rationem hujus rei adducit, à simili desumpto argumento de medicinis purgantibus; nam inter hæc alia tardiùs, alia breviùs suum munus exercent, totum quod pendet, ex dosis debita mensura, ab exercitatissimis viris determinata, & præscripta, quam si quis excedat, interdum mors citiùs sequitur, ex eo quod citiùs opus proprium conficiant. Sic Dioscorides vir gravissimus, & in Arte Medica exercitatissimus *lib.* 4. *cap.* 79. agens de Mandragora, inquit ejus succum duobus obolis ex mulso potum, ut veratrum per vomitiones bilem atram, pituitamque extrahit; verùm potu largiori vitam adimere, *& in fine capitis* sermonem instituens de Morio, hoc est, de altera Mandragoræ specie, ait, eam in pane, offa, obsoniòve drachmæ pondere devoratam, non memoriam modò, sed usum quoque rationis intercipere: obdormiscit enim homo (inquit iste Autor) eo ferè quo comederit habitu, sensus impos, ternis, quaternisve, ex quo data est, horis. Perpendite igitur, obsecro, ultima verba adducta, quibus ait hominem impotentem fieri, tertiâ vel quartâ horâ post ejus esum; ubi signat tempus in quo ferè morion operatur. Non igitur difficile creditu erit, venena artificiosè concinnari posse, aut fortè ità nata, & naturâ suâ reperiri quæ determinato quodam tempore, paulò seriùs ocyúsve interimant. Sicut ergo nostris temporibus accidit, quod aliqua sint medicamenta purgantia, quæ celeriùs, aliqua, quæ tardiùs purgandi opus perficiant, & sæpè sæpiùs per artem, ea quæ efficaciter, & celeriter purgant; ità corrigimus, eorumque vim domamus, ut tardiùs, & remissiùs expurgationem moliantur: & è contrà, ità posse accidere in venenis consentaneum rationi videtur, ipsorum vires tardas per artem acuendo, & accelerando, & efficaciam eorum domando, & retardando. Ex quo accidit ut jure optimo possit præparari venenum, quod post longum tempus, aut tardè interficere possit: totum quod etiam evenire potest, augendo quantitatem, aut diminuendo ipsam, ut de medicinis purgantibus accuratè, & prudenter advertit Galenus, *lib. de curand. ration. per sanguinis mission. cap.* 12. sic. *Nam quod laboranti præbendum medicamentum, aut bilem, sive flavam, sive atram, aut pituitam, aut serosum excrementum vacuans exactè novimus, caterùm quantum præberi debeas, nescimus*: Idem testatur *lib.* 2. *de rat. vict. text.* 37. dum de certa mensura propinandi medicamenta expurgantia loquitur, & ait. *Conjectura hoc artificiali Medicus assequatur oportet, quod quidem cujuslibet non est, sed ejus tantùm, qui vim omnium eorum, quæ sub arte cadunt, facultatemque didicerit, & qui memoriâ vigeat, ac in artis operibus diligenter, & accuratè sit versatus.* Ex his infero, igitur quemadmodum in exhibendis purgantibus auxiliis catharticis, artificiali conjectura opus est, ne forsan

forsan quantitatem excedendo debitam, celerem, & nimiam evacuationem moliamur; ita eadem uti opus est in exhibendis ad definiendum tempus venenis, ut scilicet, quædam tardiùs, quædam celeriùs interficiant. Totum quod pendet ex præparatione retardante, aut accelerante, aut ex nimia, aut minima quantitate propinandi venena; liquidò ergo constat, per humanam industriam posse dari venena, quæ ad tempus operentur. Quæ omnia dignoscens Theophrastus *lib.9.de causis plantarum, cap.16.* dixit Aconitum, olim ità componi, ut certis occidere possit temporibus, videlicet bimestri, trimestri, semestri spatio, anno quoque, interdum etiam biennio completo.

Pro validatione hujus opinionis, plures historias passim referunt Autores, quibus fides adhibenda est, si hanc opinionem experimentis validare conemur: & quidem inter plures, quas narrare possem, adducitur communiter inter Autores historia illa quam refert Jovius *parte 1. historiarum, lib.2.* ubi mentionem facit de veneno illo, quo Cæsar Borgia universum Collegium Cardinalium interficere tentavit, peculiari pulvere arte confecto, qui exitiali mora & per longum tempus, & citra vehementiam homines depascebat; & inter vetera exempla primum locum habet illud Claudij, quem Agripina, lento veneno interficere determinabat; ità refert Paulus Zachias, *lib.2.quæst.Medic.Legal.titulo 2.quæst.10.* Liceat ergo colligere ex dictis, & aliis pluribus historiis, quas libenter omitto, ne fastidiosus appaream, dari venena temporanea, quæ vel naturà talia sunt, ut nonnisi tardè occidant, ut de veneno canis rabidi dictum est *suprà*, vel artis ministerio, vel assumentis dispositione talia evadunt, ut nonnisi longo temporis spatio interficiant; ità etiam sentit Avicenna *fen 6. lib.4. tr.1. cap.2.* quem sequitur Forestus *lib.30. observat.8. in scholio*; & Vallesius noster *3. epidem.* cum Galeno *comment.3. text.75.* clariùs tamen Vallesius id testatur *1. epidem sect. 3. ægroto 9.* qui vocabatur Crito, secundo die mortuus, ob venenatam succorum qualitatem, in cujus textûs, & ægroti expositione, in calce concludit Vallesius sic. *Hic certè homo à multis putatus ut venenum accepisse; tamen scimus, solere multos venenum intra se, ex pravo victu generare, & repentè mori, non aliter ac qui acceperit; summè verò in Crito, jam aperta fuit veneni significatio, cùm facto majore pedis tumore pustulæ cum contentione, hoc est, ampullæ quædam bullis distentis similes eruperunt; signa quidem ità lethalia, & venenosa, ut vix unquam ullum servari contingat, ex his, qui acutè febricitant cum exanthematibus nigris*: unde probabiliter ex adducta doctrina infertur, non solùm venenum intra nostrum corpus generari posse, sed quod ipsum paulatim genitum ex succis pravis ad tempus interficere possit veluti repentè.

Sit nostra conclusio, dubium non esse inter venena, alia citiùs, alia tardiùs operari, ut latè Galenus docet *lib. de Theriaca ad Pisonem, cap.8.* ubi varia venena proponit, alia quidem celerem mortem inducentia, alia tardiorem, quod quidem est proprium agentium naturalium, quæ omnia tempus requirunt ad perficiendas suas actiones, majus, aut minus pro efficacia agentis comparata cum resistentia passi; quâ ratione inter elementa ignis breviori tempore agit, quàm cætera. De hoc igitur tempore minimè procedit disputatio præsens, ut *suprà* præmonuimus. Solùm ergo litigium est de veneno ad tempus, excedens tempus requisitum, quod ad agendum regulariter requiritur, ità ut possit vel à natura, vel ab arte parari venenum, cujus actio ità retardari possit per plurimos dies, menses, aut annos: Igitur in hoc sensu rigoroso, admisso dubio, probabiliùs credam non posse dari venenum, quod neque determinato die, neque horâ mathematicè loquendo, cum parva dicti temporis differentia, possit interficere post plurimos dies, aut menses: neque dari insuper venenum, quod post plurimos dies, menses, aut annos, citra determinatum diem, aut horam. Conclusio duas habet partes, & quidem quantum ad primam de die, aut hora determinata, tanquam certum judico id esse impossibile, imò & chymæricum, & fabulosum; quod de arte compositis venenis intelligendum est, quandoquidem à natura talia venena, quæ hora determinata, post longum tempus assumptionis interficiant, impossibile est, quod à nobis agnosci possint. Suadetur conclusio: nam quantumvis Medicus sit peritissimus, & exercitatissimus, & exquisitissimè agnoscat assumentis naturam, ætatem, temperamentum, & corporis constitutionem, & in Astrologia habeat consummatam peritiam; minimè potest callere, & perfectè, ac exquisitè mensurare actionem agentis, & proportionem ipsius cum passo, juxta ejus resistentiam, sive activam, sive passivam, ut horam certam, & determinatam prævideat, quâ finiatur actio victoriosa inter agens & passum, ità ut certa conjectura assequatur assumentem venenum determinatâ horâ periturum, quandoquidem plura sunt mixta intensè activa, & plura, quæ magis, aut minùs resistunt, ut experientia nobis manifestat: ergo cùm hæc omnia incerta sint, & solâ conjecturâ ab Arte nostra percipiantur, cùm ea valdè conjecturalis sit juxta Hippocratis decretum, rationabiliter infertur, non posse præparari venena, quæ certâ, & determinatâ horâ interficiant; ità ut intra sex menses, (exempli gratia) accidant, quidquid dicat Cardanus, *lib. 2. contra. Medic. tractat. 5. contradict. 9. & lib.1. de Venenis, capit. 25.* quippè id nulla ratione persuadet, neque ex historiis quas adducit *lib. 3. de venenis, cap. 2.* aliquid contra nostram conclusionem lucrari potest, sicut neque ex his quas Iurisconsulti adducunt, & maleficis, quos præ manibus habent. Ex quorum confessionibus testantur venena ità temperari posse, ut secundum venefici voluntatem determinato die occidant, hoc enim nulla ratione probant, & ratio à nobis adducta contrarium suadet: quare historiis, quas referunt prædicti Autores, fides adhibenda non est.

Altera pars conclusionis, nempè, non posse arte præparari venena cujus operatio lateat per spatium mensium, & annorum, & quod per tale tempus possit retardari, & impediri actio naturalium agentium, firmiter, & acerrimè semper negabo; etsi Cardanus, & cum ipso plures Autores non infimæ notæ quos sequitur Paulus Zacbias *loco supra citato* contrarium defendant. Suadetur assumptum à simili, nam inter mixta potentissimæ virtutis si applicentur passo intra suam sphæram contento, nullum est, cujus actio possit retardari per artem usque ad plures menses, neque annos; sed venenum præcipuè quod

toto

toto genere deleterium est, potentioris virtutis est, quàm aliud quodlibet mixtum, sive calidum, sive frigidum: ergo si horum actio tanto tempore per artem retardari non potest, neque actio veneni poterit retardari. Antecedens constat experimento: quippè neque actio ignis, neque alterius cujuslibet mixti, sive calidi, sive frigidi, potest retardari per sex menses, aut per annum; eò ipso quòd applicetur passo capaci alterationis, quantumvis resistat activa resistentia, aut passiva; quippè actio victoriosa spatio unius horæ, aut duarum horarum debet celebrari, aut unius diei: si ergo devoretur venenum toto genere præter naturam, seu deleterium, de quo est major difficultas, eò ipso quod sit applicatum viventi, necessariò debet operari; & licèt vivens sua temperie resistat activè, aut passivè; tamen per resistentiam tanto tempore minimè poterit retardari actio veneni, ut post sex menses, aut annum impediatur, quippè aut est venenum qualitate deleterium, aut toto genere; si primum, necesse est intra corpus detentum, quod in nutrimentum vertatur, ità Gal. 3. *de simpl. medic. facul. cap.* 18. ubi docet, sturnum nutriri cicutâ, quæ hominem interficit: quia in sturno ob angustiam viarum detinetur; & moratur nimis, & sic vertitur in propriam substantiam, secùs in homine accidere compertum est: ergo arte retardari actionem talis veneni, ità ut per menses, & annos impediatur ejus actio, est impossibile.

Si autem venenum sit toto genere deleterium, neque ejus actio poterit retardari, quia necesse est à nostro calore liquari, & fieri separationem partium quæ necessariò debent operari juxta suam activitatem; unde venenosæ partes illicò debent agere, & lædere, ita Galenus 5. *de simpl. med. facult. cap.* 19. & per consequens actio venefica tanto tempore retardari, & impediri, est impossibile, ità in philonio experimur, quòd licèt plura ingredientia calida in ipso sint, à quibus actio ipsius soporifera imminui possit, tamen opium citissime operatur, si interiùs sumatur, somnum conciliando, si exteriùs applicetur, dolorem sedando: ergo ità similiter quantumvis venenum toto genere, pluribus ingredientibus corrigatur, tamen ejus actio per longissimum tempus retardari non poterit, cùm separentur per liquationem à nostro calore omnes partes, quæ necessariò debent operari, & lædere sua venenositate, quin interponatur tempus longissimum ad inducenda accidentia mortifera; aut si hæc non inferant, à natura propulsantur tanquam omninò aliena, & extranea; ità Galenus 3. *de simplic. medic. facult. cap.* 23. per sequentia verba. *Ferèque accidit, ut duas ob causas istas, quandoque medicamenta putredine, & erosione necantia non interficiant, nempè tum unà cum excrementis excernuntur, priusquam injuriâ corpus afficiant.* Vel ergo illicò lædunt venena, vel à natura simul cum excrementis excernuntur, ut exemplo Cantharidis Galenus id demonstrat, sæpè non nocere, quia citò expelluntur extra corpus: ergo quantumvis resistat venenum toto genere deleterium, & alexipharmacis sit permixtum, quæ retardare possint ejus violentiam, & mortiferam vim, si citò extra corpus non propulsetur, necesse est, illicò accidentia sævissima, & lethalia inducere, quin per longum tempus suprà assignatum, virtus venefica, & ejus actio retardari possit.

Suadetur ampliùs assumptum: nam eo ipso, quod est intra corpus venenum toto genere deleterium, quantumvis permixtum eum ingredientibus retardantibus ipsius actionem, seu alexipharmacis, necesse est, ut sit actio, & reactio reciproca inter ipsum, & nostram naturam, si activa resistentia intendat debellare veneficam actionem. Quo supposito tanquam certo in bona Philosophia, sic premo discursum: nam aut vincitur venenum, & actio victoriosa stat pro viventi; & tunc jam non est venenum, nec potest interficere, nec per longum tempus, nec celeriter, ut per se constat; si autem venenum vincat, ejus actio pestifera, & deleteria, illicò se debet manifestare, & ante tempus longum assignatum; præcipuè cum hæc virtus debeat constare per actionem veneni virtutem contrarij imminuentis. De passiva resistentia clariùs constat minimè sufficere, ut penitùs actionem & violentiam veneni suspendat; quippè existente in corpore, & in suo robore, necessariò debet operari, cùm sit agens naturale, applicatum passo, ac per consequens deducitur, nullomodo posse dari temporis longissimum intervallum, seu retardatio inter actionem veneni, & naturalem, seu destructivum, & mortiferum effectum.

Nec valet si respondeas posse retardari actionem veneni violentam, & mortiferam, deffectu applicationis ad partem principem; non alia ratione, quàm in morsu canis rabidi accidit retardatio per plures menses, ut latè Galenus scribit 6. *de loc. affect. cap.* 5. nam licèt tale venenum intra corpus lateat, aliquid paulatim agendo; symptoma autem mortale non inducit, usque dum altiùs penetrat, & principes partes ostendit, sive cor, sive cerebrum. Contrà enim instatur adducta solutio: nam venenum, aut est in prima regione, aut in secunda; sed in qualibet sit, est intra sphæram activitatis suæ, ut possit offendere cor, aut cerebrum suo tetro, & maligno vapore communicato, ob communionem quam habent prima, & secunda regio, cum cerebro, & corde: ergo eo ipso, quod venenum est intra nostrum corpus, in nulla parte potest esse reconditum, quæ impediat applicationem cum partibus principibus, saltem immediatione virtutis: aut forsan si nimio tempore moratur in qualibet regione, simul cum excrementis à natura detruditur, ac per consequens longo tempore suprà præscripto, neutiquam poterit in nostro corpore detineri, retardatâ aut impeditâ suâ naturali, aut veneficâ actione.

Neque exemplum adductum de cane rabido, seu ejus morsu, aut spuma aliquid probat contra adductam conclusionem; quandoquidem licèt certum sit, quod spuma canis rabidi non interficiat illicò, ac celeriter, postquam inditur à cane; non est ob deffectum applicationis, seu traductionis celeris ad partem principem; sed quia vanent naturam consummatam, usque ad tale tempus non consequitur, qua paulatim adquisita, postquam ad ultimum terminum accedit, subitò interficit. Audite Galenum in historia phrenetici, 3. *epidem. sect.* 3. *agroto* 4. ubi causam hujus suspensionis veneni insinuat; perpendite verba præcipua pro nostro intento *textus citati. Longo enim tempore, causa, qua rabiem excitat, augetur, qua ubi eò tandem pervenerit, mortem affert repentinam, & pro humore pravo illo, humorque ille evaserat malignissimus, lethale repentè apparuit*

symptoma. Unde apertè infertur, suspensionem spumæ canis rabidi in sua operatione, sicut & pravi humoris intra corpus geniti, potiùs se tenere ob deffectum potentiæ, & virtutis illius naturæ, seu substantiæ, quæ est in via ad adquirendam veneni consummati naturam, quam temporis progressu intra corpus consequitur, quàm deffectu applicationis ad partem principem; ac per consequens rationabile non videtur, posse consommatam substantiam venenosam, per longissimum tempus suprà assignatum detineri intra nostrum corpus, ejus operatione ferocissimâ & violentâ retardatâ, aut impeditâ. Causa igitur venenosa longo tempore generatur, & paulatim adquirit veneficam vim, accidentia autem mortifera repentè generantur.

Neque omittam Vallesij nostri verba in expositione historiæ phreoetici 3. *epidem. cit. sect.* 3. ea perpendire: *Itaque ego Galeno concesserim posse intra nostra corpora gigni venena, quia horrendi quidam casus id indicant, atque adeò posse paulatim genitum aliquando noxam repentinam inferre, aut repentinum impetum capiens in partes principes, aut (quod verius puto) venenatam qualitatem repentina alteratione contrahens, ad quam ante longo tempore tantùm disponeretur, velut ligna multo tempore siccantur, & repentè inflammantur.* Quibus ultimis verbis præsentem difficultatem clarissimè absolvit: ut constet hac ratione canis rabidi spumam repentè interficere, licèt pluribus mensibus lateat, alteratione disponente ad adquisitionem perfectam veneni, quæ posteà repentinam noxam inferat, ut exemplo lignorum clarissimè comprobat.

Confirmat totam hanc doctrinam exemplum adductum à Galeno 6. *de loc. affect. cap.* 5. de phalangio, & scorpione, quorum ictus, aut morsus quia ex propria natura venenositatem confirmatam continet, subitò, aut celeriter interficit: si ergo spuma rabidi canis ex se cosummatam habet venenositatem, subitò etiam, & repentè interficere debebat, & non per spatium plurium mensium, delatâ vaporosâ substantiâ, & ejus aurâ malignâ ad cor, aut cerebrum, quemadmodum id facit ictus phalangij, & scorpionis, signum profectò testificans, spumam canis, solùm habere dispositionem vialem ad venenum, quod alteratione continuâ consequitur: solùm ergo remanet in corporibus à cane rabido morsis, fomes, aut fermentum, sive sigillatio, aut distemperies habitualis, ratione cujus pravam, & venenosam latenter adquirat naturam humor pravus fermentatus; ideóque repentè interficit, eo ipso quod perfectam venenositatem adquirit.

Si respondeas per morsum canis rabidi, spumam canis conservari in tertia regione corporis, seu in porositatibus, in quibus morsus apparet: contra instatur solutio: nam spumæ portio parvissima censetur, & calidissima est, & valde subtilis: ergo debet pelli extra corpus in halitum conversa à calore nostrò attenuante, simul cum excrementis in tertia regione stabulantibus. Si autē quis judicet posse spumam detineri in porositatibus per sex menses; difficile apparet, cùm calor sua vi, valeat consumere carnem, pinguedinem, & materias excrementitias: eodem ergo jure valebit dissolvere spumam medio morsu canis rabidi inductam: aut si hæc ratio non convincit; vel potest retrocedere ad vasa, & ibi inficere humores, usque ad cor, aut secùs; si primum fatearis, celeriter id facere debet, quemadmodum ictus scorpionis; si secundum concedas, ibi stabulabitur, citra alterationem aliquam humoribus participatam, & tandem propulsabitur à natura tanquam excrementitia, aut attenuata evaporabitur per insensilem transpirationem, ac proindè in quacumque regione depositetur à natura, spuma canis rabidi, si perfectam, & consummatam habeat deleteriam facultatem, illicò, sive celeriter debet interficere; si autem vialem solùm habeat dispositionem ad venenosam naturam adquirendam; etiam celeriter debet interficere, eo ipso quod consummatam habeat mortiferam & venenatam vim: ergo ex omni parte ruit solutio.

Ex dictis deducitur difficile, imò, & impossibile esse, illam parvam spumæ portionem relictam ex morsu canis conservari per plures menses in porositatibus; quare credendum est, semel introducta in corpore, humores alterare sua qualitate occultâ, malignâ, & veneficâ, ità ut si in cane, spuma illa in eam fuisset alterationem deducta, ut jam totam veneni magnitudinem fuisset consecuta, subitò sive celerrimè effectus rabientis in homine experiremur, humoribus corruptis, & venenatis, & ipsum cerebrum, in præsentia spumæ. Cæterùm, si talis spuma penitùs venenata non sit, sed in via, & dispositione ad consequendam perfectam veneni naturam, temporis progressu erit venenosa, & effectus ipsius erunt instar rabientium canum, & subitò, seu celeriter interficiet: Et cum hac doctrina consonant illa verba Galeni *suprà citata, primo prorrh. comment. 2. text. 17. Non est igitur absurdum ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est & rabientium canum.*

Pullulat scrupulus ex dictis: etenim si qualitas illa, aut spuma est violenta, quâ ratione poterit conservari per plures menses, quandoquidem sine conservante aliquo id videtur difficile Doctor Valentinus suprà citatus censet, qualitatem pravam, & veneficam solùm communicari à cane rabido corpori nostro, & hanc per menses durare, usque dum in humoribus adquiratur ea magnitudo venefica, quæ celerem inducat mortem, simúlque docet esse plures qualitates quæ per plures menses perseverare possunt; ut suadet virtus magnetica, quæ ferro communicatur, per plures menses, & plures historiæ, quas adducit Zacutus *lib. 6. hist. Principum Med. historia* 12. & *lib. 3. Prax. admirand. observ.* 86. & 87. quas ob prolixitatem non refero. Ex his verò tantùm deducitur, illam qualitatem conservari per plures menses, quod minimè nego: modo suprà explicato de veneno viali, usque dum perveniat ad perfectam magnitudinem veneni. Difficultatem tamen minimè solvit: quippè reddere tenetur rationem cur illa qualitas violenta subjecto diù, & per menses durat sine conservante, quandoquidem ille planè fatetur spumam canis rabidi non perseverare, sed potiùs exiccari prorsùs, & resolvi: ergo difficultas manet in suo vigore, & minimè verbum adducit, neque modum quo conservatur illa qualitas, ostendit; insinuat nodum, & indissolutum relinquit.

Quare circa propositam difficultatem illud verisimilius esse censeo, communicari mediâ spumâ, aut contagio canis rabidi vaporem pravum, & malignum, qui paulatim depascit humores, eos paulatim disponendo per malignam, & venenatam

nenatam putredinem, usque dum adquirant illam venenficam magnitudinem, quæ communicata cerebro, rabiem illam venenosam, & celerem mortem inducant; cúmque ille vapor à propria forma contineat illam pravam naturam, non indiget conservante, sed novâ depascente putredine, & speciali corruptione in humoribus, ibi per plures menses stabulatur, & ultimatur, & quasi in facto redditur, sine alio conservante; quemadmodum calor febrilis conservatur per putredinem, sine alio extrinseco agente conservante; & diù durat, usque dum fomes, seu fermentatio putredinalis, & veneneta non deleiur ab humoribus; eo modo, quo inlue venerea accidit, reversio accidentium, dum sigillatio illa omninò non extinguitur. Et simili modo accidit, in causa communi, & frequenter adducta ab Autoribus de variolis, & morbillis: nam sæpè per plures annos latet in corpore sigillum illud relictum ex sanguine menstruo in tota massa sanguinaria, usque dum ratione alicujus plenitudinis, aut pravæ dispositionis in humoribus, aut per aliquam constipationem stimulatur natura, ut reliquias illas pravas detrudat ad ambitum corporis: Ergo sic accidere in morsu canis rabidi mediâ spumâ, aut contagio credendum est, per vaporem venenatum communicatum humoribus, ratione cujus paulatim serpat putredo, & corruptio peculiaris in ipsis, & cerebro, usque dum comparet eam magnitudinem, quæ in cane rabiente reperitur, quando celerem, & crudelissimam mortem infert; quin sit necessarium agens aliud extrinsecum conservans illam pravam dispositionem; cùm certum sit per putredinem illam conservari, & vaporosam illam substantiam à propria forma dispositionem illam venenatam conservare.

Hinc jam onerosum non erit solvere argumenta, quæ partem contrariam videntur probare. Et quidem si dictis stemus, Galeni autoritates *suprà* adductæ pro contraria parte nihil probant, & nullius sunt roboris; nam toto tempore, quo latet in corpore illud, quod dicitur venenum per dispositionem vialem, minimè est venenum perfectum, sed paulatim fit tale, & magnitudine consecuta celeriter interficit, ea ratione, quâ de cane rabido & ejus morsu, *suprà* dictum est, eo modo, quo de veneno lethali epoto accidere mortem intra tertium diem, aut anteà prædicant Autores.

Neque argumentum adductum ex Amato Lusitano de relatione Indorum & Turcarum vim aliquam habet; nam (si verum est, quod adducit) eredam fideliter, id ex pacto Dæmonis fieri, impediendo actionem veneficam, & diram usque ad illud longissimum temporis spatium, & horam determinatam; id enim applicando activa passivis fit per virtutem naturalem, talis autem applicatio ex vi alicujus pacti fit, aliter enim impossibile videtur, ut probat tano nostra philosophiea *suprà* adducta. Nec ratio à simili desumpta de medicinis purgantibus alicujus roboris est; nam licèt alia citiùs, alia tardiùs operentur, sive majoris, aut minoris dosis, sive per præparationem, & mixtionem ingredientium, quæ retardent, aut accelerent eorum virtutem, numquam tamen id fieri potest, quod bimestri, aut trimestri, aut longiori tempore id accidat; sed solùm per spatium duodecim horarum paulò magis, minúsve, possunt intra corpus immorari, impeditâ, aut retardatâ actione; aliter enim transmutantur, aut expelluntur; quod etiam in venenis accidere posse libenter fatemur, non tamen per spatium duorum, aut trium mensium, neque hora fixa, & determinata.

Insuper historiæ, quas adducit Iovius de Cæsare Borgia & Agripina, nihil probant; nam aut ex pacto Dæmonis id fieri censemus, aut propinato medicamento disposito, ut intra nostrum corpus paulatim adquirat mediâ putredine veneni perfectam magnitudinem. Et quidem quantum ad horam determinatam post longum tempus, id fieri virtute Dæmonis fideliter credam: quandoquidem ratio nostra in contrarium adducta clamat. Et tandem id certum est apud Avicenn. Forestum & Vallesium *in historia primi epidem. sect. 3. agrot. 9.* qui vocabatur Crito: nam ibi paulatim generari venenum in corpore docet, quod tandem celeriter interficit, quando ad perfectam venenositatem accedit: Quod clariùs Vallesius noster manifestavit *5. epid. sect. 3.* in historia phrenetici, cujus verba *supra* sunt relata pro comprobatione nostræ conclusionis, quæ certè totam difficultatem clarissimè absolvunt.

CAPUT V.

De signis Venenorum, & an dentur aliqua, quæ sint propria Veneni assumpti.

Daò sunt plura signa notificantia venenum assomptum, ut si simol omnia sempet concurrerent, & nonnullis conditionibus, & conjecturis non destituerentur, possent faclè, ac certam notitiam veneni assumpti notas afferre, quia verò frequenter accidit, ut neque omnia simul jongantur, neque conditionibus, & conjecturis prædictis associata existant; indè fit, ut minùs facilis, & certa, talis cognitio evadat, sed potiùs omninò conjecturalis, licèt de peculiaribus venenis assumptis, aliquantulum certior possit esse cognitio, ut *infrà* latiùs constabit.

Ex signis igitur testificantibus venenum assomptum in generali, quædam considerantur ante mortem ægrotantis, post assumptionem veneni, quædam verò post mortem (relictis aliis ante assumptionem veneni & in ipso actu devorationis, quia valdè fallacia, & inutilla sunt pro nostro Tractatu) igitur hæc omnia signa veneni assumpti in generali ab effectu potiùs desumuntur, quàm à priori, sive venena sint à tota substantia talia, sive à manifestis qualitatibus, quia hæc priùs debent à nostro calore actuari, & in actum reduci, anteà quàm effectus lethales, & sæva symptomata in nobis producant.

Signa veneni assompti ante mortem descripsit Petrus Aponensis *lib. suo de Venenis*, clariùs quàm alij Autores; inducit enim venenum assumptum illicò, & celeriter, modò palpitationes, modò syncopem, & cordis debilitatem, & virium summum languorem, & jacturam, præcipuè vitalium, & anxietates, necnon etiam jactationes varias; item etiam nonnullis accedunt dolores maligni in ventriculo, & intestinis, & in

regione

regione cordis; & maligni nominantur, quia cum virium languore, & extremorum livore eveniunt. Insuper etiam alia signa veneni assumpti depingit Cardanus *lib.2. de Venenis cap. 2.* ex contradictione symptomatum, ut si accidit sudor frigidus, cum interno ardore, semper est signum veneni assumpti, præsertim si adsit dolor vehemens in intestinis, & etiam dum conjunguntur accidentia diversa, ut dysenteria cum spirandi difficultate, aut vomitus cum unguium livore. Vlteriùs etiam, qui venenum devoraruot, interdum vertiginosi fiunt, vocem edunt cum murmure, & oculos movent, his frigidus accidit sudor circa frontem, & tempora erumpens, interdum rejectio sanguinis tetri, singultus, tremor, impedimentum orinæ, maculæ variæ, seu papularum apparitio, & mordicatio ventriculi. De quibus signis Galenus *lib. de succor. bonit. & vitio* sermonem facit, & de doloribus malignis *suprà* dictis, qui sæpenumerò apparent in cruribus, nullo tumore, neque alteratione in cute existente, cum virium languore conjunctis; agit Hippocrates *6. epid. part. 6. sententia 5.* ità ut spatio viginti quatuor horarum sæpè in gangrænam incidat membrum ex vi venenositatis, & mortificationis spirituum vitalium à veneno imbibito.

Galen. etiam *6. de loc. aff. cap. 5.* depinxit signa, quæ potiùs corpori defuncto, quod venenum devoravit accidunt, in quo facies livescit, lingua & labia nigricant; item extrema corporis, præsertim ungues plumbeo colore livescunt; quæ omnia etiam corpore existente vivo accidere solent.

Porrò inter venena, quæ à qualitate occulta, seu à tota substantia operantur, quædam desumuntur ex animalibus venenosis, quæ aut morsu, aculeo, aut sputo, seu salivâ interficiunt, quorum signorum meminit Galenus *lib. de succor. bon. & vit. cap. 1.* per sequentia verba. *Neque verò illud non apertissimè videmus, ut negare nemo audeat, animalium venenum ejaculantium, succos, quos in morsu reponunt, alios demorsam partem celeriter mortificare, alios putrefacere, aut phlegmonem, aut dolores vehementissimos ciere, velut i. & scorpionum, si quis in eum bis, terve jejunus conspuat, statim perire.* Ex his signa patent veneni ab animali injecti intra nostrum corpus, videlicet partis vulneratæ, gangræna, seu mortificatio, item illius putrefactio, & inflammatio, & dolor; quæ omnia latè adducuntur à Mercuriali *lib. de Venen. cap. 16.* ubi ultimum signum adducit, quod ex ultimis verbis *citati text.* deducitur, nempè subitus interitus à morsu, aculeo, aut sputo. Denique aliud signum narrat Galenus *6. de loc. aff. cap. 5.* exemplo scorpionis, & phalangij, nullo apparente foramine in ipsius aculeo, ubi totum corpus immutari tenet, ut quasi grandine percuti videatur animal, animi defectione correpto; si ergo hoc in ictu scorpionis evenit, eadem ratione aculei serpentum, contactus cum corpore viperæ, aut bufonis, aut alterius animalis venenosi, venenum corpori communicantis subitam causare mutationem in ipso corpore, & accidentia venenata *suprà* dicta inducere.

Alia insuper sunt venena à tota substantia operantia, quæ putrefacientia nominantur, in quibus simul manifesta qualitas præpollet, & ab aliquibus septica nominantur, quibus commune est carnem liquare, & putredinem inducere; undè carnis fusio, & fœtor erit signum horum venenorum. Audite circa hæc Galenum *5. de simp. medic. facult. cap. 15. Et ignis instar, corpus colliquant.* Et *infrà* prosequitur sic. *Cæterum non quidquid corrumpitur putrefacere dicimus, sed quibus id cum febre accidit, verùm novisse expedit, ea medicamenta, quæ septa, & septica nuncupantur, ut sunt auripigmentum, & aconitum, omnia tum eliquare, tum colliquare, ac potissimùm carnem tenellam, idque absque dolore.* Ex his patet quod fœtor, & colliquatio sunt signa venenorum putrefacientis, quod septicum vocant.

Vlteriùs, alia sunt venena, quæ non putrefaciendo, sed erodendo & calfaciendo, carnea liquant, & urentia nominantur; cujus generis sunt arsenicum, sandaracha, chrysocolla, & aconitum, quæ omnia membra erodunt, ad differentiam aliorum, quæ peculiaria membra respiciunt per suam antipathiam, & ipsa erodunt, ut cantharides vesicam ulcerant, lepus marinus pulmones; quorum signa sunt, quod omnia interna membra celeriter inflammant, sitim etiam ingentissimam inducunt, necnon etiam tormina in intestinis, & sanguinis dejectionem; item intolerabilem dolorem ventriculi, anxietatem etiam in toto corpore, & rubedines in facie.

Item alia sunt venena à plantis, vel mineralibus, quæ à tota etiam substantia operantur, eo tunc non præpollente aliquâ manifestâ qualitate, quia subitò vires labuntur, palpitationes adveniunt, & signa extinctionis caloris nativi, & livor in extremitatibus, in oculorum cavitate, & in labiis: si ex genere strangulantium sint venena, quæ secundis qualitatibus naturæ opponantur, ut crassitie, & lentore, sic gypsum, cerosa, & sanguis taurinus suffocationem inducunt, & fauces valde exiccant, postcà singultus supervenit, necon etiam nausea continua ægrotantes miseri vexantur.

Porrò venena, quæ manifesta qualitate dicuntur talia, sunt frigidissima, & soporifera, ut opium, cicuta, & mandragora, & alia similia, quæ omnia somnum profundissimum inducunt, & stuporem in membris, & impotentiam movendi, præcipuè crura, & quidem hoc est principalissimum signum demonstrans frigidum esse venenū; accedit etiā in his totius corporis refrigeratio insignis, & indè caloris nativi extinctio, & lividus calor; nonnunquam etiam frigida venena dementiam inducunt, ut altercum, & solanum manicum, ita Gal. 8. *de simpl. medic. facult. cap. de Alterco.* Cùm autem calida sunt venena, & aliam facultatem continent venenosam, ut crocus, myrrha, styrax, & coriandrum, cognoscuntur ex dementia, quam insinuat Gal. *5. de simpl. med. facult. cap. 19.* ità ut crocus dementiam cum risu causet; altercum autem ità dementare solet, ut cogat ægrotantes, quamplures edere motus, tum corpore toto, tum oculis, ore & manibus, non secùs ac si stulti facti essent, vel temulenti. Tandem si venena sint sicca, ut calx, cognoscuntur ex siccitate oris, & ingentissima, & clamosa siti, ità Galenus *1. de simpl. med. fac. cap. 7.* exemplo serpentis id declarat; item alvum adstrictam reddunt hæc venena, & vigiliam causant, & urinæ difficultatem, & ariditatem, seu tabem in toto corpore.

His præhabitis, cùm ex superioribus capitibus constet, posse in humano corpore, non modò rem veneno similem generari, sed & verum, & legitimum

legitimum venenum, sequitur non dubiè, quod tam ex veneno intùs genito, quàm ex veneno da foris administrato, eademomninò symptomata, & sævissima accidentia apparere possint: Hinc inexpugnabilis, ac maximis difficultatibus plena lis inter Autores pullulat, an scilicet discerni possit per aliqua signa certa & infallibilia, inter eum, qui à veneno ingenito, & eum, qui ab administrato sublatus est; hoc est an dentur certa signa veneni assumpti, ità ut firmiter, & absque calumnia possit Medicus affirmare certò, Socratem, exempli gratia, periisse ex veneno assumpto; hoc enim sæpè præ manibus habent Medici, & sæpè sunt vocati, ut antè Iudices veritatem pronuntient.

Fundamentum præsentis controversiæ invenitur in Gal. 6. *de loc. aff. cap.* 5. verba perpendite. *Reliquum est, ut investigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit adeò vehemens, ut veneni tum qualitates, tum vires æquet? an id jam Medicis enodatum, discussumque esse videatur, qui hanc solent proponere quæstionem, utrum propria sint nota veneni, nec ne? nam qui maximè videntur super hanc ambiguitatem disputare, ij eosdem fieri effectus concedunt, & à lethalis veneni potione, & a corruptione, qua à corpore ortum habet: Verùm facilè discerni posse eos, qui venenum sumpserunt, ab ijs, qui aliunde affecti sunt. Cùm enim homo suapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus derepentè moritur, ex lethali assumpto veneno fieri solet. Deindè corpus, aut livens, aut nigricans, aut varium est, aut difluens, aut putredinē molestā olet, hūc venenum sumpsisse aiunt.* Hucusq; Gal. Quæ verba si maturè perpēdātur, vidētur significare, posse esse certa signa veneni propinari; etenim etiāsi à veneno intra corpus genito, similia symptomata accidere possint, neutiquam tamen cum circunstantiis à Gal. adductis: nam si hæc signa appareant in corpore bene valente, & bene educato, atque nutrito, & probis humoribus ornato, & talis derepentè moriatur cum suprà dictis accidentibus, rationabiliter credendum est venenum assumpsisse. Et licèt Gal. de aliorum sententia videatur loqui: saltim est certum peritos Medicos id disputasse, & certitudinem veneni assumpti indagasse per suprà dicta accidentia. Præterquam quod si Gal. fatetur venenum intra nostrum corpus generari *in prædicto textu*, quæ eadem omninò, & similia causet symptomata, & facile esse discernere eos, qui venenum assumpserunt, ab aliis in quibus in corpore est genitū: videtur manifestè saltim Gal. non reprobare hujusmodi placitū, sed tacitè ipsū fateri.

Ratione etiam suadetur assumptum; nam in homine benè valēte, & probis humoribus abundāte, ac sanorum more educato, & nutrito, neutiquam possunt generari, nec lentè, nec celeriter humores venenati: ergo si sano homini ità descripto accidat repentina mors, ut in his, qui lethale venenū assumpserunt, & indè corpus aut livens, aut nigricans reddatur, & grave oleat per putredinem molestam, & pravam corruptionem, meritò debemus inferre, hujusmodi hominem à propinato veneno certò periisse; quandoquidem rationi erat consonū, quod homo, qui pravis humoribus abūdat, nec sit omninò sanus, neq; benè nutriatur, sed potiùs, quod valetudinarius appareat, per sigillum putredinis malignæ, aut venenatæ, quod licèt intùs lateat, tamen aliquod vestigium in ipso, illius pravæ dispositionis debet relucere. Itaq; licèt homo, in ultimo bonitatis constituto repentè possit mori, à nimia plenitudine suffocatus; tamē posteà in ipso, neque fœtor, neque lividus color, aut niger apparet, neque cum illis anxietatibus perits quales in his, qui venenum assumpserunt experimur: ergo ex dictis constare arbitror, certa esse signa veneni assumpti, attentis omnibus circumstantiis suprà adductis.

Si Respondeas posse intra corpus latitare morbificā causā, seu vialem dispositionem ad veneni generationē, ut in morsis à cane rabido docet Gal. & experientia manifestat per plures menses latitare venenum illud relictum ab spuma, seu morsu canis, etiāsi tale corpus more sanorū sit educatus, & probis humoribus constet, ità ut in ipso quoad sensum Medici nulla appareat actionum, nec functionum naturalium læsio, usq; talis prava dispositio ad terminum legitimum accedat perfecti veneni, lenta, & maligna putredine serpente; in quo casu quoad sēsum Medici bene valens erat homo, & tamē repentè moritur cum anxietate, & pravis accidentibus ex veneno intra corpus genito: ergo etsi accidat mors, qualis depingitur à Gal. in homine benè valente, & sano, nō indè certè inferre possumus talē hominē ab asūpto veneno perire.

Hæc tamen solutio instari potest: nam hujusmodi venenū, quod latet in corpore, paulatim augetur mediā putredine humorum à calore præternaturali: sed ex vi putredinis: etsi lēta sit, neutiquā potest perseverare in homine sanitas descripta à Gal. quæ absolutè dicatur talis: quin imò debet apparere aliquod signum in tali homine testificās malam, seu neutram dispositionem, non aliter quā in illis, qui ex aliquo morbo cōvalescūt, non quidem perfectè, sed cum aliquo signo, aut suspicione aliqua recidivæ, videmus, aut intemperiem, aut sitim derelictam, demonstrare, illud corpus non esse perfectè sanum, etsi actu in ipso nulla appareat actionum læsio digna consideratione Medici: sic ergo in casu adducto debemus credere tale corpus in quo dispositio venenosa latitat, non esse sanum eo modo, quo loquitur Gal. undè si accidat repētina mors cum suprà dictis accidētibus in corpore sano, & benè educato, & nutrito, rationabiliter possumus inferre per venenum assumptum id fieri, & minimè ab ingenito veneno, seu creato intra nostrum corpus.

Accedunt alia signa veneneni assumpti, quæ si cum adductis à Gal. conjungantur, certiorem reddunt cognitionem veneni assumpti. Nam si calida sunt devorata venena, inflammationem causant; si erodentia, ulcera oris; si strangulantia, respirationis difficultatem. Si autem Cardano credamus *lib.* 2. *de Venenis cap.* 2. multò magis turbulenti motus accidunt in corpore ex assumpto veneno, quàm ex ingenito; etenim ab illo improvisè aggreditur homo, & omnia in ipso confunduntur, & pervertuntur, natura totis viribus inopinatum hostem à se depellere intendens. Ab ingenito autem veneno non ità accidit, cùm magis familiare sit, utpotè in corpore paulatim ingenito: ergo si hæc signa cum reliquis à Galeno adductis considerentur in corpore sano, certò possumus pronuntiare, & testari; hujusmodi hominem à veneno assumpto perire. Insuper ultra ea quæ *suprà* sunt adducta, ut credere possimus non solum Galenum ex opinione Doctissimorum virorum loquutum fuisse; sed ipsum hujusmodi placito assentiri, perpendite, obsecro, ejus verba *in lib. de succor. bonit. & vit. cap.* 5. *classe secunda*, quibus reprehendere videtur cujusdam Sectæ Medicos, qui putabant

non posse facilè cognosci, imò nullomodo, eos, qui ex lethalis medicamenti assumptione, ab iis, qui ex morboso corporis affectu periclitantur: ergo si Galeno credamus, si peritus Medicus accedat, qualis ipse, non modò erit cognitu difficile, sed facile, eum, qui à veneno administrato sublatus est.

Cardanus etiam suprà citatus 2. *de Venenis cap*.2. non solùm signa probabilia assumpti veneni fatetur, sed certa, & evidentia, qualia sunt, quæ narrat per sequentia verba. *Et sudor frigidus cum ardore semper est certum signum assumpti veneni, præsertim si adsit dolor maximus in intestinis.* Et *infra* addit aliud signum omnibus potentius, de quo *suprà* egimus; nempè cùm conjungantur accidentia non conjungibilia, ut est dysenteria cum spirandi difficultate, vomitus cum livore unguium, tumor linguæ, cum urinæ urigine, quæ omnia veneno ingenito videntur adaptari non posse juxta ejus mentem.

Poterit etiam idem assumptum confirmari, si descendamus ad venena peculiaria, quæ propinatur sæpenumerò, à quibus, subsequuntur symptomata quædam peculiaria, quæ à veneno ingenito oriri minimè possunt: exempli gratià, propinato opio, accedit stupor mentis, & omnium sensuum, universalis corporis pruritus, & color citrino junctus, cum perceptione odoris ipsius opij ex corpore potionato expirantis. Item etiam ea, quæ proveniunt ex assumptione leporis marini, qualia sunt suffocatio, asthma, tussis, sanguinis sputum, abominatio in cibis, cujuslibet generis piscis, & terror in sola ejus visione, teter corporis odor, veluti putrefacti piscis, quæ omnia non videntur absque dubio, venenum intùs in corpore genitum simul consequi posse: ergo si interdum eveniant, & aliis conditionibus jungantur, ut si subitò pullulent, certa, & infallibilia signa veneni assumpti, seu propinati esse possunt. Diligens ergo, & peritus Medicus facilè cognoscere poterit an venenum sit propinatum, seu administratum, & minimè genitum in nostro corpore, si modum & celeritatem mortis perpendat, cũ syndrome accidétiũ adductorũ.

Porrò in re ità operosa, & dubia mentem propriam aliquibus conclusionibus aperire claritatis gratià operæ pretium judicavi. Sit prima Conclusio. Quod si quis statim à potione aliqua, accidentia habeat terribilia, & valde sæva, anxietates, scilicet, syncopem, aut animi deliquia, sudorem frigidum cum virium languore summo, cum oris inflammatione, & ulceribus in ipso, ingenti siti, & ardore, & celeriter moriatur cum dictis accidentibus, censendum certò, & evidenter est, hujusmodi hominem ex assumpto veneno perire; etsi fortasse, vel per vomitum, aut ratione antidoti applicati evaserit, eodem modo judicandum certò est, venenum lethale assumpsisse. Hoc sæpè accidit in vulgaribus hominibus, assumpto in jusculo arsenico in quibus illicò ingentissima sitis molestat, inflammatio in faucibus, anxietates in ventriculo, oris ulcera, virium defectus, livor, & celeris mors; in hoc enim casu, & similibus, adeò certum est, hominem assumpsisse venenum, ut nulla indigeat suasione; nec de hoc eventu procedit rigorosa lis, sed quando venenum artificialiter præparatur, ut in sapore nullum vestigium relinquat, neque in odore, ità ut in victu ordinario, aut potu offeratur, & pro tunc venefica signa non appareant; sed retardata per tempus suprà assignatum veneficâ actione, posteà repentinam inferat mortem, cum accidentibus, & symptomatibus *supra* enumeratis *in contextu* Gal. sicuti ab ingenito veneno induci posse, superiùs probavimus. In tali eventu, si ad discernendum sumus vocati à Iudicibus, nullâ existente præsumptione de potione assumpta ab ægrotante, tunc possint esse certa signa in ipso demonstrantia venenum devorasse, sive vivo homine existente, sive jam defuncto; hoc opus, hic labor.

Sit secunda Conclusio: In venenis frigidis, quæ à manifestâ qualitate venenare; & interficere dicuntur, aliqua sunt, quæ adeò peculiaria symptomata, inducunt, ut factâ copulatione, & conjunctione cum aliis accidentibus lethalibus, & circumstantiis probabilibus potionis assumptæ, & brevitatis temporis, in quo relucent dicta symptomata, certò possumus affirmare, ægrotantem assumpsisse tale venenum peculiare, & ab ipso perire. Hujus generis est opium, ex cujus devoratione somnus profundus, & lethargus oritur, cum pruritu totius corporis, & caloris nativi extinctione, necnon extremorum frigiditate: Et quod peculiarius est in hoc veneno, cum odore ipsius opij, qui ex potionato corpore expirat: nonne meritò dicemus, certò hominem ex propinato hoc peculiari veneno perire? Mihi quidem ità discernendũ videtur: nam etsi venenum intra corpus genitum possit lethargum excitare; necnon etiam possit aliquod internum venenum pruritum generalem in corpore inducere, & hac ratione disjunctim dicta accidétia possint ab ingenito veneno causari: tamen simul, & semel hæc omnia symptomata à propinato veneno procedunt; neque odor opij poterit aliter exhalari: ergo si hæc omnia simul conjungantur, certò possumus pronunciare, talem hominem venenum soporiferum assumpsisse, imò & speciale venenũ, quale est opiũ.

Idem accidere solet in veneno à lepore marino, etsi à tota substantia tale venenum dicatur, cum proprietate exulcerandi pulmones: etenim etsi in corpore possint generari humores corrosivi, qui decumbentes in pulmonem, ipsum exulcerent (ut quotidie in phthisicis experimur citra veneni assumpti suspicionem) tamen fœtor putridus referens ipsum leporem marinum, simul cum aliis accidentibus cõmunibus veneni, certò demonstrant, ipsum venenum assumptum; insuper etiã alia particularia accidentia, quæ admirabilem venenorum naturam ostendunt, certam etiam notitiã veneni assumpti indicãt, ut horror à solo viso cujuscumque piscis, quod etiam leporis marini proprium censetur ab Autoribus: ergo accidentia particularia aliquorum venenorum, si inveniantur in corpore potionato simul cum aliis communibus, certam cognitionem præbent veneni assumpti, cùm propria dicantur talis veneni, & minimè refundi possint ad venenum ingenitum.

Sit tertia Conclusio: In sensu rigoroso in quo procedit litigium suprà adductum, nullum potest esse signum certum absolute demonstrans aliquem assumpsisse venenum: nam si quæ certitudo haberi possit propinati veneni, maximè ex nonnullis symptomatibus mirandis, ac raris, quæ in veneratis corporibus accidunt: sed hæc omnia possunt oriri à veneno in nostro corpore genito: ergo nullum poterit esse signum certum veneni propinati. Minor in qua est difficultas suadetur efficaciter: nam in corpore cujuslibet animalis venenosi, ex his quæ adducta *suprà* sunt

generatur

generatur hujuſmodi venenúm à calore præternaturali,& prava diſpoſitione humorum: ergo etiam in noſtro corpore poterit à ſimili efficienti; & prava diſpoſitione materiali generari ſimile venenum; æqua enim videtur ratio in omnibus; & fortaſsè ob hanc rationem Zachias *Tom.1.ſuarum quæſt. Medic. Legal. lib. 2. titulo 2.quæſt. 6.* acerrimè tenet, canis rabidi venenum, & alia peculiaria poſſe in noſtro corpore etiam generari ex Gal. placito, quæ abominationem aquæ, & pulmonis exulcerationem inducant, & veſicæ; quemadmodum leporis marini,& cantharidis venenoſa qualitas id efficit. In cujus confirmationem Fernelius *2.lib. de abdit. rer. cauſ.cap.11.* docet à veneno intùs genito, non ſolùm evenire poſſe uteri ſtrangulatus, epilepſiam, ſyncopem, cordis palpitationem, & ſphacelum, & alia ſymptomata communia pravorum humorum, qui in corpore generantur, verùm etiam venenoſa, & ſtupenda, quæ in omnibus venenis repetiuntur; cujus rei nulla alia ratio aſſignari poteſt, niſi caloris præternaturalis vis,qui regulariter non agit, cùm neque materiæ pravæ & præternaturales in quas agit, ullam regulam receſſus à naturali ſtatu ſervent; ſed pro diverſa diſpoſitione per accidens, diverſa mixta generantur, media putredine, & corruptione peculiari, & hac ratione bufones, araneæ, & ſcarabei, & alia venenoſa animalia quotidie generantur: pari ergo ratione in nobis ex diverſa,& prava diſpoſitione materiæ mediâ putredine, & peculiari corruptione à calore præternaturali, per accidens poſſunt generari ſubſtantiæ peculiares venenatæ, quæ miranda, & peculiari accidentia inducant, qualia ſunt, quæ ex peculiaribus venenis accidunt, & ſuperiùs ſunt adducta.

Dices hoc eſſe contra ſecundam noſtram concluſionem: etenim ſi fateamur peculiaria accidentia, & propria aliquorum venenorum, poſſe in noſtro corpore generari per generationem ſimilium ſubſtantiarum, videtur non eſſe propria, & certa ſigna hujuſmodi venenorum, ac proindè minimè poſſe cordatum,&Chriſtianum Medicum pronuntiare, aliquem venenum, quale eſt opium, aut leporem marinum aſſumpſiſſe.

Reſp. accidentia peculiaria, & propria venenorum peculiarium ſæpenumerò dependere, non tantùm ob corruptionem pravam, ſed peculiarem, quæ ſolùm in peculiaribus mixtis oriuntur, & à propria forma dimanant prædicta ſpecialia accidentia, quemadmodum attractio ferri in magnete; ſic ergo poſſumus philoſophari de veneno leporis marini, cui tanquam proprium ſignum aſſociatur,ſuffocatio, aſthma, tuſſis, ſanguis ſputum,abominatio in cibis cujuſlibet generis piſcis, & terror in ſola ejus viſione, necnon etiam teter corporis odor,veluti putrefacti piſcis, & fœtor putridus referens ipſum marinum leporem; quæ omnia ſi conjungantur, minimè poſſunt oriri à veneno in noſtro corpore genito. Id ipſum accidere credendum eſt, in eo qui devoravit opium,cui tanquam propria ſigna ſubſequuntur, ſtupor mentis,ac ſenſuum omnium, cum univerſali corporis prutitu, cum colore citrino junctus,cum perceptione odoris ipſius opij expirantis à corpore potionato. Hæc omnia ſimul juncta non videntur à veneno intùs genito cauſari poſſe; & ſic de aliis peculiaribus, & propriis accidentibus venenorum ſpecialium judicare debemus.

Neque ad certam hujus rei cognitionem deſunt multæ conditiones,per quas unum caſum ab alio licet diſtinguere, ut celeritas adventûs accidentium,& mortis,anteactæ vitæ,modus,& natura,& complicatio, ſeu tumultuoſitas accidentium,præcipuè in corpore ſano & bene nutrito; quam ob rem, his omnibus rebus maturè penſitatis, poterit peritus Medicus, & diligens abſque difficultate aliqua cognoſcere venenum propinatum eſſe, & minimè in noſtro corpore genito; aliter autem ſi accidentia ſunt communia venenata, etſi ſæviſſima ſint, & horrenda, præcipuè ſi nullius potionis ſit ſuſpicio, poſſunt ſine dubio oriri à veneno intra corpus genito, ut probat efficaciter ratio fundamentalis ſuprà adducta.

Suadetur ulteriùs hæc noſtra concluſio: quia in noſtris corporibus poteſt excitari corruptio, quæ vires veneni virulentiſſimi æquet, & quod per multum tempus lateat,ut exemplo eorum,qui morſi ſunt à cane rabido demonſtrat Gal.*locis ſuprà citatis*, à quibus libenter ſuperſedeo, fugiendo à vana repetitione: ergo licèt homo repentè moriatur ſæviſſimis ſymptomatibus præcedentibus, & inſuper ſigna relata à Gal. 6. *de locis cit. cap. 5.* in ipſo homine defuncto appareant, ex vi illorum minimè poteſt, certè determinare Medicus peritus, fuiſſe originata ex veneno propinato; quandoquidem venenum intra corpus genitum eoſdem parit effectus venenoſos. In cujus rei confirmationem audite Gal. *3. epid. comm. 3. ægroto 4. Item in hac phrenitide, vitioſus in corpore humor concervatus fuit; veneno lethali aſſimilis, in corporibus viciniis aliquid paulatim agens,quæ quando vitio jam alio pacto,opportuna erant, humórque ipſe evaſerat maligniſſimus, lethale repentè apparuit ſymptoma.* Ex his licet colligere generari in corpore ſano, ſaltim ut *nunc*, ſanitate ornato, venenum lethale,& mortiferum,latens per plures dies,& nullam prorſus notam ſui afferens, quod poſteà repentè interficiat,ſubſequutis poſteà accidentibus venenoſis deſcriptis à Gal. 6. *de locis*, in quo caſu nullum poterit eſſe ſignum veneni propinati certum.

Clariùs roborat Phrygius noſtram concluſionem *ſuper lib. epid. in comm. hiſtor. citata* phrenetici,per ſequentia verba. *Reſpondendo ad dubium an dentur ſigna veneni ſumpti, quando videmus hominem obambulantem, & benè educatum, & propria munia obeuntem, & derepentè mori, cui corpus livens, nigricans, aut varium ſit, aut defluens, aut malè olens, tunc de propinato veneno affirmare oportet, ſigna veneni quidem, ſed ambigua.* Hæc Phrygius.

Neque valet communis ſolutio cujuſdam Recentioris noviter ſcribentis, nempe quando Galenus loquitur *6. de loc.citato* de homine perfectè ſano, qui ſimpliciter dicitur talis, diſtinctione factâ ab eo qui dicitur ſanus,ut *nunc* cum Galeno *lib.de Art. Medicinali*, in quo eventu ſi repentè moriatur homo, cum dictis accidentibus;certum eſt venenum accepiſſe. Non inquam valet hæc ſolutio. Primò quia Galenus *loco cit.* nullam præbet, nec adducit diſtinctionem de ſanitate abſoluta, aut de ſanitate, ut *nunc*, ſed ſolùm ait, quod ſi corpore exiſtente ſano, hoc eſt, in quo nulla appareat læſio Medico ſenſibilis, & benè nutrito, ſeu educato accidat repentina mors, cum accidentibus relatis, cenſendum certò eſſe, venenum aſſumpſiſſe. Quo ſuppoſito, ſic premitur ſolutio. In corporibus ſanis ut *nunc*, nulla apparet læſio ſenſibilis ex qua poſſit

Medicus judicium ferre de interno, & pravo humorum apparatu, & tamen in his accidere potest repentina mors, cui subsequantur accidentia venenata à Galen. adducta: ergo nullus potest ex tali morte judicium ferre, esse ratione veneni propinati, cùm eventus sit omnino ambiguus. Præterquam quod, quis erit tam probis humoribus ornatus, qui aliquam non habeat corruptionem? & quis tam commodè vivit, qui possit cruditates vitare, quæ diutiùs in corpore detentæ, veneficam vim possunt comparare, ut quotidiana ostendit experientia, de repentina morte ex passionibus hystericis, & de pluribus, qui repentè moriuntur, quorum corpora syderata conspiciuntur, anteà benè valentibus, & rectè ambulantibus, citra ullam veneni propinati suspicionem? Quæ omnia testantur, summè ambiguum esse judicium de veneno propinato, in his qui ità moriuntur. Ità Hipp. 1. *epid. sect. 3.* in historia Critonis, ubi planè fatetur, ipsum rectè ambulantem priùs, repentè fuisse mortuum, celeriter ab humore venenoso, & maligno: *In cujus text. expositione* sic Galenus fatur: *Malignitatis excrementi statim erat indicium, quod pustula nigra generarentur ad talum.* Clariùs Vall. noster *super citatum textum* scribens, subdit, *Hic certè homo à multis putatus sit venenum accepisse; tamen scimus solere multos, venenum intra se ex pravo victu generare, & repentè mori, non aliter, ac qui acceperit.* Poterit ergo homo sanorum more educatus, & in sanitate absolutè constitutus repentè mori, à veneno intra corpus genito; ac proindè minimè poterunt esse signa certa veneni propinati, sed omnia sunt ambigua, nisi in casibus suprà adductis.

Sit quarta Conclusio: probabilissimâ conjecturâ, & quasi prudentiali, & politicâ certitudine, sæpenumerò poterit peritus, & cordatus Medicus æstimare aliquem periisse ex veneno assumpto, si magnitudinem accidentium, eorúmque sævitiem, & atrocitatem perpendat, necnon etiam celeritatem mortis, etsi nulla sit suspicio propinati veneni: Nam ab assumptione veneni, non longâ, aut plurimâ morâ interpositâ, perturbatio oritur in corpore, & nausea: Quòd si simul etiam dolor ventriculi comitetur vehemens, cordis tremor, palpitatio, syncope, signa erunt perniciosissimi, & lethalis veneni assumptii ità Cardanus *l. 2. de Venen. cap. 2.* Succedere etiam solent prædictis symptomatibus venenosis, ructus olidi, tetri odoris, saporis ingratissimi, & pravi, necnon etiam interdum oris fœtor, vomitus etiam ipsius veneni, vel pravæ cujusdam materiæ, aut sanguinis, singultus item supervenire solet, ventris fluxus, inquietudines, anxietates, cum ingenti virium langunre, & pulsus defectione, & cordis morsu; hinc sudor frigidus apparet, cum extremorum frigiditate, & livore unguium, labiorum, & linguæ nigredo, cum faciei livore, & siti inexhausta, vertigo, oculorum contorsio, aliis etiam accidit sopor, aut lethargus, urinæ impedimentum, & mordicatio, & mentis alienatio, quæ omnia, & mille alia symptomata communia sunt venenatis, ut Cardanus latè scribit *lib. 2. contradict. tract. 5. controv. 10.* Et idem Autor *comm. 4. aphor. text. 62.* annumerat, bis ictericiam, dicens, *Cùm post cibum morsus in ventriculo sentitur, & alvus, vel vomitus movetur, & color intra sex horas fit aeruginosus, & ut dixi, maculosus, scias, quod ebibit venenum lethiferum, ac profectò commaculatio carnis, frequens in venenis omnibus est.* Nunc inquiro, quis Medicus, si hæc omnia symptomata perpendat, aut major cumulus ipsorum, cum celeri, & repentina morte, præcipuè in corpore sano, saltim ut nunc, in quo nulla læsio sensibilis antecedenter apparuerit, neque suspicio aliqua veneni assumpti, qui prudenter non judicet, modum illum mortis cum celeritate accidentium præponderata nuper, non fuisse ex propinato veneno? quandoquidem certum est, quod venenum in corpore genitum, accidentia minùs vehementia à principio, & minùs subitanea symptomata causet, nimirum quia assuescit quodammodò natura illius venenositati; etenim ejus generatio non est repentina, sed paulatina.

Clarius etiam judicium afferunt de veneno assumpto signa, quæ post mortem in corpore venenato apparent: nam præter signa superiùs adducta à Galeno 6. *de loc. cap. 5.* Cardanus *lib. 2. de Venen. cap. 3.* præcipuè inter cætera affert, ungues, post interitum, nigros, & qui facilè avelluntur, & capillos spontè defluentes, adeò ut aliquibus nullo labore, aut nixu integri manipuli avellantur. Addam etiam signum aliud peculiare in corporibus defunctis à veneno assumpto cum Plinio *lib. 11. cap. 37.* nempè talium corporum cor esse incombustibile, seu ab igne non cremabile. Plures Autores fidem adhibent, experimentis à Plinio factis, cùm tunc cadavera omnia comburerentur. Et ratio hujus eventûs poterat esse, propter multam à veneno corrosivo siccitatem inductam, spiritus consumentem; vel fortassè hujusmodi experientiam habuisse locum, in frigidis venenis, ob intensam frigiditatem cordi impartitam. Ego autem semper renuam concedere, cor eorum, qui veneno sublati sunt, nullo modo cremari posse; sed libenter fatear, magis resistere igneæ vi, sive propter duritiem inductam à siccitate venenorum corrosivorum, supra duritiem naturalem cordis, sive ob nimiam frigiditatem contrariæ oppositam virtuti ignis; quippè ut penitùs resistat voracitati ignis, nulla potest esse durities, quando videmus ex lapidibus fieri calcem, virtute ignis, & in cineres converti: Et quidem de frigiditate venenorum inducta in corde, quæ valeat resistere activitati ignis, minùs probabile videtur, cùm ex elementis nullum sit activius igne: ergo quantumvis detur aliquod corpus mixtum venenosum, ejus frigiditas nunquam poterit penitùs impedire ignis activitatem; quare hoc signum in defunctis corporibus à veneno, non est omninò certum, sicut neque alia adducta evidentem præbent demonstrationem; sed probabilem valdè; quippè si rigoroso, & metaphysico sensu loquamur, cùm possint mortifera venena intra corpus generari, relata symptomata in ipsa meritò refundi possunt, sicut & alia plura, quæ passim ab Autoribus adducuntur, à quibus libenter supersedeo, ne Opus nostrum fastidiosum legentibus reddatur.

Suprà dictis ergo præhabitis conclusionibus, difficile non erit argumenta in contrarium adducta solvere. Ad primum desumptum ex autoritate Galeni facilè respondetur ibi non narrare signa certa veneni assumpti ex propria mente, sed ex mente aliorum Medicorum, cùm proferat illa verba, *Venenum assumpsisse aiunt.* Neque alibi Galenus de signis veneni assumpti agit; quare reputanda

tanda tanquam propria, ea opinio non eſt. Præterquam quod, hujuſmodi ſigna eſſe ambigua, teſtatur Phrygius, & noſtra ratio, id ſuadet; nam ſi venenum mortiferum, & lethale poteſt generari in noſtro corpore, ut ex Galeno & probatiſſimis Autoribus, ſuprà demonſtratum eſt, etſi homo in ſanitate conſtitutus, rectè probis humoribus abundans, & ſanorum more educatus, in quo nulla appareat ſenſibilis læſio, qualiter in pluribus benè valentibus experimur, qui ſanitate ut *nunc* fruuntur, & tamen repentè moriatur, & corpus poſteà lividum, nigrum, diffluens, aut malè olens appareat, tunc verè, & probabiliter poſſumus affirmare, à veneno certo periiſſe, non tamen certò à veneno aſſumpto, ſeu propinato; cùm eadem ſymptomata, à veneno ingenito oriri poſſint. Nec Galenus protulit adhuc de ſententia aliorum, talia ſigna deſcripta eſſe certa, & evidentia, veneni propinati, ſed ſolùm dixit, *Talem hominem venenum aſſumpſiſſe aiunt*; quod verum ſemper tenere poteſt, in conjectura probabiliſſima, prudentiali, & politica, ut in quarta concluſione docuimus, non tamen ea verba arguunt certitudinem, & evidentiam, qualiter in caſu primæ noſtræ concluſionis declaravimus. Nec verba Galeni de ſano homine, & probis humoribus ornato, & bene nutrito, probant de ſanitate ſimpliciter, quippè hæc non facilè agnoſci poteſt; ſed de illis corporibus, quæ ad ſenſum Medici, ſalubriter degunt, nullâ exiſtente, nec apparente in illis læſione ſenſibili, in quibus repentina, & celer mors ſæpè accidit à veneno intra corpus genito, cui eadem ſymptomata relata ſubſequuntur, eadem ratione, ac ſi aſſumpſiſſet venenum, undè ex Doctrina Galeni nihil contra nos militat argumentum.

Argumentum à paritate eorum, qui poſt morbos acutos, recidivare ſolent, nullius eſt roboris; nam in illis corporibus adhuc remanet ſigillum, & veſtigium recidivæ, ratione ſitis derelictæ, & amaritudinis oris, in quo ſtatu conſtitutus homo, minimè poteſt dici ſanus ut *nunc*; cùm in ipſo, illa mala diſpoſitio reluceat ſenſibilis Medico, ex vi cujus agnoſcit hujuſmodi hominem non eſſe ſanum, ſed recidivaturum, & ſic egere auxiliis medicis, ne morbus redeat, & forſan ferociùs, aut malignius, ut nos ſæpè experti ſumus: at in hominibus ad ſenſum ſanis, & robuſtis; rectèque ambulantibus, & omnes ſuas functiones obeuntibus, in quibus, ſæpè accidit repentina mors cum ſuprà dictis accidentibus; ità non accidit, cùm in ipſis nullum veſtigium morbi, nec malæ diſpoſitionis appareat Medico ſenſibile, ex vi cujus teneatur auxiliis medicis uti: Ruit ergo certitudo de cognitione veneni propinati fundata in ſimilitudine eorum, quos ex morbo acuto recidivare videmus.

Ex his conſtat in corpore ſano ut *nunc*, poſſe latenter generari venenum, quin in ipſo reluceat ſenſibilis læſio; & licèt à calore præternaturali generetur paulatim talis ſubſtantia venenoſa, occultari poteſt, tum quia juxta partes diſtantes ſtabuletur putredo, longè à corde, tum etiam (& quod verius puto) quia talis putredo eſt lenta, & minimè fumoſa, qualis eſt ea, quam deſcripſit Galenus 3. *de præſagatione ex pulſibus*, *cap.3.* ubi narrat, conſtitutionem quamdam peſtilentem, in qua Medici peritiſſimi decipiebantur, eò quod pulſus erant ſimiles naturalibus, & certiùs peribant ægrotantes, in quibus apparebant magis naturales, eò quod in his erat magis lenta putredo cordis, & minimè fumoſa, ut in ſphacelo accidit, itaque incipiebat corruptio, & mortificatio per partes minimas, & ſuperficiales cordis, quin depaſceret pro *tunc* internas partes cordis, in quibus virtus robuſta ſervabatur, & ſic naturales pulſus apparebant, donec putredo interiores cordis partes depaſcens, mors ſubitò, & inopinatè ſuccedebat, itaque quò putredo plus mortificat cordis naturam, minor copia fuliginum elevatur, quia calor nativus ferè extinctus contra morbi cauſam pugnare non poteſt; undè verè dici poterat, cor per particulas inſenſibiliter mori, quaſi in partibus corporis laborantis hecticâ febre, in quibus calor ultimatus eſt, ità ut putredo maligna, & peſtilens, eas ſolùm partes cordis, quas determinatè corrumpebat, offenderet, reliquas verò minimè, indéque certiùs peribant, qui minorem offenſam habebant in pulſibus, quia putredo lenta, & maligna mortificans calorem nativum illius partis, non evaporabat, neque reliquas partes cordis in conſenſum trahebat, uſque dum ſerperet putredo ad intima cordis, & hac ratione inopinatè ſequebatur mors: poterit ergo ſic occultari in corpore ſano ut *nunc* venefica virtus, quæ paulatim adquiritur in corpore, quin obſtet calor præternaturalis, & putredo.

Reliqua argumenta, ſi quæ ſunt alicujus roboris, ex adductis facilè ſolvuntur ex doctrina, quæ in noſtris concluſionibus eſt adducta, de cognitione certa, aut probabili eorum, qui ex propinato veneno pereunt.

CAPUT VI.

Quomodò venena frigida interficiant.

PRÆSENS difficultas ſolùm procedit de venenis frigidis, quæ ſolùm mediâ frigiditate mortem inferunt, quâ ratione id præſtare poſſunt, ſi priùs debent calefieri, & liquari à noſtro calore: ſiquidem videtur difficile explicare, quomodo poſt dictam calefactionem à noſtro calore reſurgant partes frigidæ, quæ valeant cordis, & ſpirituum vitalium intenſiſſimum calorem omninò extinguere, & vitam de medio tollere.

In re tam difficili fluctuat ingenium eruditiſſimi, & acutiſſimi noſtri Valleſij, *lib.1. controv. cap.12.* ubi ex profeſſo de hac re diſputat, & acriter ſuadere conatur id, quod Averroës docuit acutè *5. collectan. cap.3.* nempè medicamentum dici frigidum non quia refrigerat; niſi quia convertitur in locis digeſtionis ad diminutum calorem, magis quàm calor corporis ſit; ità ut chylus, qui ex eo generatur eſt diminutus à calore corporis.

Conſonat huic doctrinæ Galenus 3. *de temperament. cap.* 20. per ſequentia verba. *Quæ verò refrigerant veluti papaveris ſuccus, hæc à noſtro corpore ne vel paululum quidem demutantur.* Et paulò *infrà* proſequitur. *Si namque in nutrientium ſunt genere; ſiquidem vincantur, calefaciunt, ſi non vincantur, refrigerant.* Huculque Galenus. Sed adhuc ſcrupulus manet in ſuo vigore, ipſum tamen ſolvere conatur Valleſius *citat. loco*, per ſequentia verba (de venenis frigidis, quæ devo-

rantur, & de illis, quæ extrà applicantur sermonem faciens,) *Vnde illud quoque colligentes, concedimus fieri posse, ut calore nostro medicamentum incalescat, & tamen deindè corpus refrigeret, si scilicet minùs calidum manet nostro corpore; non enim solum frigidum remittit calorem, sed & quod minùs calidum est.* Itaque juxta nostri Vallesij opinionem, cicuta, aut papaveris succus devoratus (idem de aliis frigidis venenis intelligit) priùs aliquantulum incalescit, & alteratur à nostro calore, & comminuitur; *Attamen quia à nostro calore ferè est insuperabilis, non incalescit, atque ità insuperata cicutá (exempli gratiâ) à nostro calore, ad cor defertur, & solo eo gradu frigoris, quem habet, vitalem calorem incipit extinguere, & in ea actione procedit, usque dum calorem omninò extinguendum hominem interimit. Neque id mirum est à parvo frigore fieri; cor enim plus cæteris à frigidorum occursu offenditur, ut quod omnium membrorum oporteat esse calidissimum.* Hucusque Vallesius, cujus omnia verba in re ità ardua transcribere volui, ut constet clarissimè ejus resolutio; nempè venena frigida interimere solùm, quia minùs calida perseverant, & deferuntur usque ad cor, ità ut partes ipsorum venenorum quæ non superatæ omninò fuêre à nostro calore, præcisè quià minùs calidæ quàm cor, parvâ illâ frigiditate omninò vincere, & debellare valeant intensissimum cordis, & spirituum vitalium calorem, ipsumque tandem extinguere, & hominem hac ratione interimere. Hæc est ejus resolutio veridicè quantum potui ex ejus verbis relata fidelissimè.

Cæterùm, licèt hæc expositio, & doctrina sit semper veneranda, (utpote à tanto viro) nihilominùs, salvâ pace, videtur esse contra veram Philosophiam: etenim capere non possum, quâ ratione cicuta aut papaveris succus, ratione partium, quæ insuperatæ perseverant, à nostro calore, & minùs calidæ quàm cor, & spiritus, parvo illo calore licèt juxta cor sint approximatæ, per multum temporis spatium possint vincere, & debellare cordis intensissimum calorem & spirituum vitalium; quandoquidem talis calor cordis & spirituum naturalis est, & debitus formæ ipsorum, qui sine dubio valde intensior est, quàm frigiditas remissa, quæ perseverat in partibus cicutæ, aut papaveris, quæ non superatæ fuêrunt à nostro calore,&minùs calidæ dicuntur à nostro Vallesio quàm cor:cùm ergo actio victoriosa debeat procedere à proportione majoris inæqualitatis,& semper cor actu calidissimũ sit,&perseveret in præsentia partium minùs frigidarũ venenorum frigidorum: infallibiliter deducitur per remissam illam frigiditatem, non posse extingui, neque cordis, neque spirituum calorem; imò potiùs sequitur partes illas minùs calidas venenorum frigidorum, magis calefieri à cordis calore,aut omninò impedire actionem frigiditatis remissæ illarum partium, in præsentia tanti caloris cordis, ac proindè inintelligibile omninò esse posse extingui cordis, & spirituum calorem ab actione partium minùs calidarum venenorum frigidorum; non ergo venena frigida juxta hanc opinionem possunt interficere mediâ frigiditate,suppositâ actuatione, & alteratione priùs factâ à nostro calore.

Neque valet effugium, quod insinuat Vallesius *loc. cit.* nempè, quod cùm ille calor in venenis frigidis sit violentus, reducitur ad propriam naturam à propria forma talium venenorum, ad frigiditatem debitam, ut exemplo ferventissimæ aquæ ad ignem applicatæ, & posteà semotæ, experientia confirmat. Non inquam valet, nam si semper, & continuò sit aqua applicata igni, semper actu erit calida, & fervida: sed illæ partes venenorum frigidorum, quæ insuperatæ manent, & nimis calidæ sunt quàm cor, ut ejus calorem extinguant, debent esse continuatæ continuò ipsi cordi: ergo cùm ejus calor sit vehementior & intensior,nunquam poterunt à propria forma comparare suam frigiditatem actualem, in præsentia cordis, ità ut ratione illius extinguant calorem cordis, & spirituum, & interficiant, ratione frigiditatis: ruit ergo doctrina Vallesij nostri.

Ulteriùs deducitur quamlibet substantiam minùs calidam applicatam cordi, posse ipsum vincere, continuatâ actione, seu reactione in cor, & spiritus, & vivens interficere per frigiditatem, quemadmodum partes insuperatæ venenorum frigidorum id faciunt, quia minùs calidæ quàm cor. Neq; ex eo quod sit viscus calidissimum debet offendi magis ab agenti minùs calido (ut aiebat Vallesius) sed potiùs contrarium debet accidere: cùm virtus validior minùs offendatur à virtute contraria remissiori. Insuper etiam rationabile videtur virtutem expultricem cordis mediâ ipsius contractione expellere partes illas minùs calidas venenorum frigidorum, quemadmodum expellit excrementa fuliginosa, tanquam aliena à natura, & omninò extranea, & inutilia. Ergo dummodò in ipsis non concedatur virtus frigidissima intensior, & validior ipso corde, nequit accidere mors per frigiditatem à venenis frigidis.

In re ità ardua dicendum nobis est, venena frigida priùs alterari, & liquari à nostro calore, & hac ratione separari in ipsis exquisitissimas partes, frigidissimas, quæ irruentes in cor, & ad ipsum delatas simul cum sanguine ipsum omninò refrigerant, & innatum ejus calorem extinguunt, spiritus congelando, & hac ratione redditur totum vivens gelidum, & accidit mors; hoc autem in venenis frigidis fit ex peculiari modo mixtionis elementorum, ex vi cujus eo ipso, quod alterantur à nostro calore, facilè resurgunt actu frigidissimæ, separatis per liquationem pluribus partibus frigidissimis, quarum actio veluti consopita erat in ipsis venenis, usque dum per alterationem à nostro calore dividuntur, & communiuntur ipsæ partes, & à nostro calore simul cum sanguine communicantur cordi, & ab ipso trahuntur simul cum ipso sanguine mediâ dilatatione, ubi illa cruentissima lis inter ipsas, & cor, quod devictum undequaque manet, & spiritus congelatur, & vivens omninò frigidum redditur, & ità accidit mors à venenis frigidis, quæ potentiâ talia dicuntur, quia facilè frigidissima fiunt, alterata à nostro calore, ob eorum dispositionem & peculiarem mixtionis elementorum modum: sic opium dicitur venenum frigidum, quia facilè refrigeratur, (& idem est intelligendum de cicuta, & quolibet veneno frigido) quæ omnia supra calefacientis naturam infrigidantur, & ad tantam frigiditatem perveniunt ex accidenti, ex materiæ scilicet dispositione, quam in peculiari modo mixtionis collocamus, factâ illâ exquisitissimâ separatione plurium partium

tium frigidissimarum debellantium contra calorem cordis, à quibus celebratur victoria per ruinam nativi caloris.

Eadem ratione à venenis calidis accidit actuatio per calorem, & resurgit in ipsis valdè intensior calor, quàm est in viventi alterante; quoniam ex sua natura facilè calidissima fiunt ex accidenti & ex dispositione, quæ in ipsis est, ex peculiari modo mixtionis, & sic nos recalefaciunt; ità accidit in pipere, & alimentis potentià calidis, & non alià ratione paleæ, & cristæ facilè comburuntur, & ignis potentià sunt, nisi ex dispositione propria ad combustionem ex suo peculiari modo mixtionis. Et nihil miri est si aliqua mixta exiguum consequuta auxilium, maximam, à priori natura, mutationem habeant. Hanc doctrinam insinuavit Galenus exemplo illo satis communi & celebri: dicens in Misia aliquando domum in qua columbinum stercus erat, resina nuper illita solaribus radiis conflagrasse, nullo admoto igne, quoniam Solis lumen quantum natura potuit, caloris genuit, ligna tamen ac tota domus ex materiæ dispositione ad majorem caliditatem sunt. Sic ergo accidit in venenis calidis, factis calidioribus ex accidenti, separatis partibus corrosivis calidissimis, & feriferis; & in venenis frigidis separatis frigidissimis partibus extinguentibus calorem cordis, aut probabiliter, ut alii affirmant, per virtutem narcoticam ipsarum partium soporem & mortem inducentibus independenter à frigiditate, qui modus interficiendi in venenis frigidis probabilior est, ut latè *suprà* manet probatum: meritò nos fugientes occultas qualitates cum Galeno 3. *de præsagat. ex pulsibus*: nam turpe quidem est, ad proprietatem, quæ exprimi nequit confugere; & occultas proprietates concedentes proferunt, quidem nomina, & tamen, nec, quæ significant observant, neque quam illis significationem attribuunt, interpretantur. Hæc sufficiant in re tam ardua, ut probabiliter propositum nodum solvamus.



DE



DE LOCIS AFFECTIS, RESOLVTIONES THEORICÆ.



DISPVTATIO PRIMA.

De Morbis per consensum aut sympathiam.



CAPVT PRIMVM.

Quid sint, & quot modis contingant.



RÆSENS dubium omnia quæ *in libris de locis affectis*, à Galeno traduntur, facillimè intelligentur, si perscrutemur aliqua nomina quibus morbi per consensum per propriam passionem explicantur: Et primò quidem pars aliqua potest pati per idiopathiam, id est per propriam passionem, vel per protopathiam, id est per primariam passionem. At cùm passio divisa sit in propriam & per consensum, primario affectui opponitur secundarius, & proprio affectui (qui potest esse tam secundarius quàm primarius) opponitur affectus per consensum. Quod autem quis possit laborare per propriam passionem (licèt secundariam) oppositam passioni per consensum, patet quando quis laborat ulcere in manu, & oritur tumor in parte adenosa; tunc enim pars secundariò laborat, & tamen per propriam passionem, & non per consensum.

Vallesius præter modos assignatos patiendi per idiopathiam, aut protopathiam alios duos assignavit, scilicet per sympathiam quando aliqua pars patitur propter similitudinem cum altera, & per antipathiam, quando una pars patitur propter contrarietatem & dissimilitudinem cum altera: Quos modos inter partes nostri corporis reperiri constat, non solùm quando benè se habet, verùm quando membra morbo afficiuntur.

Duobus tantùm modis affectus sympathiæ contingit, aut quia una pars mittit in aliam quod non oportebat, ut quando ex ventriculo elevantur vapores in caput eum distendentes, & dolorem per sympathiam aut per consensum causantes, aut quia pars aliqua non recipit ab alia illud quo indigebat ad operandum: & hoc duplici capite, aut ex parte facultatis, ut quando spinalis medulla afficitur, aut inflammatur, partes subjectæ privantur sensu & motu; & similiter quando existente obstructione nervi optici privatur quis visione, quia neque spiritus, neque virtus ejus ad oculos defertur: Etiam potest contingere defectu materiæ, ut quando deficit vox eo quod musculi intercostales sint affecti, ita ut medius illis non possit attrahi aër qui materia vocis est, ac proinde deficit in tali casu vox defectu materiæ deservientis ad hujusmodi effectū.

Quod autem non sit alius modus patiendi per consensum probatur, quia tunc pars non benè sicut anteà operatur, quando aliter se habet ut solebat: id omne non potest esse nisi quia aut recipit aliquid inutile & nocivum, aut quia caret aliquo sibi debito & requisito ad operandum; & hoc aut ex parte facultatis, aut ex parte materiæ, ut diximus: ergo solùm est duplex modus assignatus patiendi per consensum.

Sed dices: unde adveniat, quod laborante parte affectu per propriam passionem, aliquæ læ-dantur, & non omnes partes indifferenter.

Respondeo quod quando consensus causatur ex eo quod partes priventur virtute influenti requisita ad benè operandum, tunc solùm illæ partes laborare & consentire debent quæ dependent & recipiunt influxum ab alia parte affecta per propriam passionem. Si autem consensus contingat per receptionem alicujus non debiti & nocentis, tunc solùm illæ partes consentient, quæ habent majorem aptitudinem ad recipiendum talem effectum, aut quæ habent similitudinem aliquam cum parte propriâ passione laborante: hoc autem debet intelligi cæteris paribus quoad approximationem passi respectu agentis; nam optimè potest contingere, quod una pars aptior sit ad receptionem aliâ, & nihilominùs non consentiat defectu approximationis ad agens, ac proindè illæ partes consentient quæ existente æquali approximatione, aptiores sunt ad recipiendum, sive propter similitudinem in prima aliqua qualitate, aut in modo substantiæ, sive ob quodlibet aliud. Undè etiam quando consensus est ex defectu materiæ, tunc solùm illa pars patitur per consensum & læditur quæ materiam exposcebat ad operandum.



CAPUT II.

An sit alter modus sympathiæ.



RIMO videtur circa præsens dubium quòd sit alter modus sympathiæ præter assignatos duos; & probatur, quia affecto utero & inflammato, dolet caput propter distensionem: sed tunc neque caput recipit aliquid indebitum, neque caret aliquo debito: igitur alter modus per consensum debet assignari.

Secundò, quia quando pars distans dolore afficitur per consensum, aliâ parte primariò affectâ, tunc non potest esse per receptionem alicujus indebiti, & nocivi: nam si hoc esset, etiam partes proximiores per receptionem illius dolore afficerentur, quod non experimur: ergo non est

per

per receptionem alicujus indebiti modus patiendi per consensum. Id est partes proximiores etiam à fortiori debent pati.

Deindè quia per consensum qui fit per privationem alicujus debiti, non potest constituere modum patiendi per consensum, quia dolor requirit immutationem realem objecti, & in parte nulla immutatio realis fit, ex eo quod privetur aliquo debito.

Quartò probatur, quia inter diversos homines apparet consensus, aut sympathia diversa, & non assignata à nobis, ut patet quando quis ex eo quod videat alterum dolore molarum aut dentium laborare, similiter eodem dolore corripitur: & quando quis videt alterum mingentem, excernit propriam urinam: ex aliis autem quamplurimis exemplis qui eodem modo se habent, poterat hæc conclusio confirmari, ne tamen fastidiosa appareant, omitto.

Undè ad primum respondeo, quod dolor capitis originatus ex inflammatione uteri, est verè per consensum uno ex duobus modis assignatis; nempè quia privatur pars sentiens aliquo debito: nam ratione distensionis causatur dolor qui in solutione continuitatis consistit: & sic quia parti debebatur unitas, & eâ privatur per dolorem, indè est, pati partem, hoc est caput per consensum, quia privatur aliquo debito. Prætereà quia si in dolore illo consideremus subjectū tangibile immutans illam parem, possumus dicere talem dolorem etiam esse per receptionem alicujus non debiti, nempè objecti solutionem causantis, quod licèt non producatur à parte primariò patiente, satis est ratione illius contingere.

Ad secundum respondetur parte aliquâ primariò affectâ contingere dolorem per consensum in distantiori, & non in proximiori multoties, etiamsi sit per receptionem alicujus indebiti nocentis, ut argumentum probat: hoc autem ex eo advenit: quia partes proximiores cedunt tensioni ab inflammatione causatæ; partes autem remotiores non cedunt, sed resistunt, ac proindè ob resistentiam in eis excitatur dolor. Præthereà, quia causa doloris, vel alicujus alterius affectionis potest majorem moram facere in partibus distantioribus, ut contingit in febribus ardentibus, in quibus vapores elevantur ad caput, eumque distendunt ob moram quam in ea faciunt, etiamsi vapores vel fuligines non solùm in capite, verùm in alia parte possunt per tensionem dolorem inferre. Accedit ad hoc quod pars distans potest esse debilior, & sic in ea dolor excitari.

Ad aliud argumentum de dolore molarum, respondemus ibi non esse verum consensum; nam tunc in alio excitatur dolor, quia ponit majorem advertentiam circa sensationem talis objecti; ità ut anteà anima alteri operationi erat magis intenta; ex eo autem quod quis videat alterum dolore affici, recedit à priori operatione, & magis advertit juxta objectum dolorem causans, & sic percipit dolorem; undè non est verè consensus: nam licèt aliquis non videret alium simili dolore affectum, solùm ex eo præcisè quod ab alia operatione intensiori cessaret & apponeret majorē & intensiorē advertentiā, eodem modo dolorem sentiret; videre autem alium simili dolore affectū, solùm occasionem exhibet ad apponendā majorem advertentiā.

Idem dicimus quando ex eo quod aliquis edit res acidas & acerbas, & in alio hemodia excitatur, juxta communem modum loquendi: nos autem dicimus, non contingere eo modo quod vulgò dicitur: Itaque in altero non excitatur hemodia, neq; stupor, ex eo quod videat aliquem edere acerba & acida: Et si aliquando excitatur, non est quia videat alterum, sed quia habet præsentem affectionem, non minùs quàm alter, & ponit majorem advertentiam tunc, etsi adverteret citra illam occasionem, eodem modo hemodiam, & stuporem causaret cum illius advertentia, ac proindè quando non est præsens affectio, etiamsi aliquis videat alterum res acidas edentem, non excitatur in eo stupor & hemodia, sed solùm excitatur sensatio rei stupidæ.

Undè etiam, contra aliquos infertur tunc hemodiam non excitari, quia vi imaginationis movetur aliquis horror, vel vapor similis potens causare hemodiam, quia imaginatio non habet virtutem movendi, ut *in disp. de semine* probavimus. Neque ex eo contingit quia ex ore alterius mittatur vapor in alterum frigidus; nam sine dubio vapor ille per tactum sentiretur, quod non experimur: Neque ex eo contingit quod producatur in altero species illius objecti, quia licèt tunc perciperetur objectum, non tam esset in alio hemodia, quia ad hanc realis mutatio est necessaria, utpotè hemodia est stupor quidem ex diminuta virtute sentiendi, propter reale impedimentum, quod à sola specie nequit fieri.

Denique ad ultimum respondetur quod quando videmus alterum mingentem, mingimus, non per verum consensum, sed quia viso objecto externo mictu scilicet, adest major advertentia, & sentitur acrimonia urinæ, aut alia qualitas quæ irritat ad expulsionem: quòd si citra illam occasionem ponatur advertentia ista supposita in vesica sufficienti quantitate eodem modo excitaremur ad mingendum.

Vel possumus, dicere cum Vallesio nostro memoriâ & recordationem illius est, solam non sufficere, cùm recordemur multoties citra occasionē dictam, & tamen non mingimus, & ità dicit ad excitationem, etiam oportere flatum includi intra musculos bucarum, ad cujus expulsionem excitatur viso altero mingente tanquam occasione ad memorandum & advertentiam ponendam, non quia ibi sit verus consensus, quia eodem modo citra illam occasionem existente flatu excitabitur, ad mingendum, quoties memoria & advertentia illius actus adsit.

CAPUT III.

An morbus per consensum sit verè morbus.

Circa præsens dubium videtur quid sit verè morbus ille qui fit per consensum: nam quando caput afficitur per vapores à ventriculo ascendentes, tunc in capite est affectus præternaturam lædens sensibiliter actiones: ergo est verè morbus: Patet: quia ex vaporibus vertigo causatur in cerebro: quis autem dicat vertiginosum veram læsionem sensibilem & permanentem non pati.

Secundò, quia ubi ratio specifica invenitur, à fortiori ratio generica participatur: sed morbus per consensum est species morbi; nam & dicit morbum, & dicit specificam differentiam, scili-

contractio, & extensio: ergo musculum non denotat, ac proindè quando extenditur lingua ultra labia, erit motus voluntarius & sine musculo ollo in lingua reperto. Et confirmatur, quia visâ vel imaginatâ re horribili, ventriculus movetur ad expulsionem: sed ventriculus non habet musculos; ergo datur in eo motus voluntarius sine illo.

Nihilominùs ob hæc argumenta quæ facillimè à nobis soluuntur, Gal. placitum non est nobis deponendum, sed potiùs cum eo asserendum musculum esse instrumentum motûs voluntarij. Quod placitum præterquam quod est expressum Galen. *lib. de usu partium*, *cap.* 10. & aliis quamplurimis in locis, & similiter Avicennæ, nihilominùs nullâ aliâ ratione potest confirmari, quàm ab experientia quæ ab omnibus Medicis unanimiter amplectitur, & ea desumitur ex Galen. nam ait quod factâ mensuratione partium quæ ad motum animalem possunt deservire, asserit nullam aliam habere conditionem necessariam, ut sit instrumentum talis motûs præter musculum. Accedit ad hoc experimentum de omnibus motibus animalibus seu voluntariis, in quibus musculum tanquam instrumentum quo omnes eliciuntur, invenimus.

Undè ad argumenta facilè satisfacimus, & ad primum dicimus quod quando dicimus musculum esse instrumentum voluntatij motûs, loquimur de motu voluntario animalium perfectorum, non de imperfectis, ut sunt enumerata.

Ad secundum dicimus motum linguæ esse voluntarium, in ea tamen usque ad medium duo musculi inseruntur juxta Anatomicos. Sed quod poterat habere majorem difficultatem est, à quo moveatur extremitas linguæ, si musculi usque ad medietatem tantùm inseruntur. Ad cujus responsionem in extremitate linguæ esse fibras propter parvitatem invisibiles, à quibus motus elaboratur, sed quia ad invisibilia pergit & recurrit, solutio rejicienda venit, & nobis dicendum quod musculi qui inseruntur usque ad medietatem linguæ sufficiunt ad motum voluntarium totius linguæ, & ità motus extraneæ partis mediis musculis existentibus, usque ad medietatem fit sufficienter.

Et ad confirmationem dico motum nauseabundum ventriculi voluntarium non esse, quia licèt aliquando præcedente cognitione fiat, non tam per se & ex sua ratione id perit, sed potiùs sicut partes solent pellere quod nocivum est, ità ventriculus nullâ præcedente cognitione expellit quod nocivum & valdè irritans est, quando autem mediâ visione, aut imaginatione movetur ad expellendum, non est quia sit verè consensus in ventriculo, ut suprà diximus, sed quia majori illâ advertentiâ positâ, sentit magis quod nocivum est, & fit major irritatio, undè ad ejus expulsionem non indiget ventriculus cognitione, sed se habet per accidens, ut dixi, quia potest fieri sine cognitione; hæc autem tantùm juvat ad expulsionem modo explicato.

CAPUT III.

Qualis est motus musculi.

Vsum præsens inquirit quis motus est ille quo moventur musculi: circa quod communiter inter Medicos dicitur motum quo musculi spontaneè moventur esse motum contractionis. Quod placitum est expressum Galen. 12. *de usu partium cap.* 8. & præterea probatur à pluribus sequenti ratiocinatione, quia in mortuo animali si contingat musculi dissectio, statim contrahimt: ergo apertè constat motum contractionis esse musculo debitum. Sed hæc ratio infirma satis videtur: nam in primis non est efficiens à quo naturaliter procedat talis motus contractionis in utraq; parte musculi divisa: nam ponamus casum in quo partes musculi habeant positionem naturalem & distantiam inter se, absque eo quod versus aliquod extremum præternaturaliter tendantur, in quo casu licèt musculus dividatur ullatenùs partes divisæ contrahentur, sed potiùs suum situm naturalem servabunt. Dicere autem musculum semper esse tensum præternaturam non est rationi consonum: Ergo.

Præterea, quia cùm fibræ illæ mortuæ sint extra naturalia, tantùm debent habere unum principium motûs unius, scilicet deorsum: ergo motus contractionis à se non possunt præstare. Tum denique quia licèt hoc contingat in mortuis, non idem debet sequi in vivis, cùm diversâ formâ informentur fibræ mortuæ quàm vivæ, ac per consequens paritas non debetet tenere, licèt verum esset quod in argumento primo continebatur.

Undè infertur quod quando tensio nervi est præter naturam, nihil mirum quod diviso, partes reducantur ad situm naturalem. Ex hoc tamen non debet colligi hanc esse rationem ut cogamur asserere musculos tantùm contractione moveri, ut satis manet probatum ex dictis.

Sententia ergo Galeni nobis amplectenda est, sed aliter probanda; nam communis consensus inter omnes Medicos est musculum tantùm habere ex se unicum motum: sed iste est contractionis, utpotè semper quod animalia voluntariè moventur medio musculo eliciunt talem motum: ergo si musculo tantùm unus motus debetur, & istam experimur esse motum contractionis, frustrà alium motum extensionis esse concedemus.

Deindè hæc sententia præterquam est expressa Gal. pluribus in locis, aliâ ratione etiam confirmari potest. Nam si unus musculus posset habere illos duos motus per se, non esset opus ad alterum poni alium musculum oppositum, ut ex ejus contractione extensio contingeret: atqui ponuntur; ergo ex eo est quia quilibet musculum tantùm habet unum peculiarem motum contractionis.

CAPUT IV.

An cerebrum moveatur, & à qua facultate.

Primo in hoc dubio certissimum esse debet, cerebrum moveri dilatatione & compressione: quod denotavit Gal. *lib.* 1. *de placitis, c.*6. dum inquit, *Nec videlicet cor cerebro, nec cerebrum corde ad propriam motionem indigere.* Estque sententia communissima quam tenet noster Vallesius, Vesalius, & omnes Medici Scriptores.

Sed difficilius est secundum quod quærit quæstio, à qua facultate moveatur cerebrum. Circa quod validissimus est modus dicendi, cerebrum non moveri à propria facultate,sed moveri ratione arteriarum quæ sunt disseminatæ per cerebri substantiam: cùm autem arteriæ à facultate vitali moveantur, sic & cerebrum quod ratione illarum movetur, etiam à facultate vitali moveri debet Et probatur primò quia substantia cerebri est valdè mollis, & non constat internâ aliquâ membranâ: sed si moventur à propria facultate,motu ipso disrumperetur ipsa substantia cerebri: ergo cùm ex alia parte videamus disseminatam esse arteriam, dicendum est ratione illarum moveri.

Secundò, quia in vulneribus cerebri penetrantibus,motus cerebri non apparet distinctus à motu arteriarum, sed potiùs coincidit cum illis, ut experientia manifestat: ergo non à propria substantia, sed ratione arteriarum movetur.

Tertiò, quia partes omnium facultatum quæ motu trahunt & pellunt, constant fibris mediis quibus eliciunt suos motus,ut patet in motu musculorum & arteriarum, & in naturalibus partibus quæ constat fibris oblongis & transversis ad dilatationem & compressionem,mediis quibus attractio & expulsio fit: sed in cerebro nullæ fibræ assignantur; in illo talis motus non est à propria facultate, sed solùm ratione arteriarum.

Nobis tamen contraria sententia ut verior constituenda est, scilicet cerebrum moveri à propria, & connaturali facultate, & non ratione arteriarum, quæ in eo sunt disseminatæ. Hæc sententia est expressa Galeni pluribus in locis, ubi dicit cerebrum à se & in se moveri. Prætereà Avicenn. *fen* 1. *lib.* 3. *tractat.* 1. *cap.* 2. dum asserit, *Et cerebro quidem ipso inest aëris attractio ut conservet aër calorem innatum in ipso, sicut pulsus.* Sed si motu arteriarum moveretur,non diceret, *sicut pulsus*; nam, *sicut*, distinctionem & comparationem denotat. Ergo.

Deindè nostra sententia poterat confirmari hac ratione, quia si cerebrum moveretur ratione arteriarum, quæ per illius substantiam sunt disseminatæ, etiam aliæ partes quæ continuationem habent cum arteriis movebuntur ad motum illarum, quod est contra experientiam. Sed facilè poterat quis huic argumento dicere quod non omnes partes æqualem habent aptitudinem, ut moveantur & deferantur: neque omnes arteriæ habent vim ut deferant & moveant sensibiliter partem, ac proindè non omnes partes quæ conjunctionem trahunt cum arteriis, debent moveri ad motum illarum.

Sed adhuc prima ratio magis urget in liene: nam ex Anatomia constat lien pluribus arteriis & non exiguis circumdati: sed si cerebrum ratione illarum movetur, etiam lien debet moveri ratione illarum, quod nullas dixit: ergo neque cerebrum ratione arteriarum movetur: sed à propria facultate. Sed poterat responderi lien magis resistere & nullatenùs cedere motui arteriarum,etiamsi non exiguæ sint, & sic non moveri: at verò cerebrum facilè cedere, & sic moveri.

Nihilominùs prima ratio quâ sententia nostra confirmatur probabilissima est, & augeri ejus vis potest hoc modo: nam si cerebrum movetur ad motum arteriarum, sequitur quod omnes partes quæ constant arteriis,moveri, quod est contra experientiam. Sequela probatur, quia vel partes sunt continuæ cum arteriis, vel non sunt continuæ: si non sunt continuæ, sed contiguæ, ergo, neque ratione arteriarum movebitur cerebrum. Id est, si sufficit contiguitas partium cerebri cum arteriis, ità ut propter connexionem una pars moveatur ad motum alterius:eodem modo de reliquis partibus quæ contiguæ & connexæ sunt arteriis debemus philosophari. Si verò sunt continuæ: ergo cùm movetur arteria, secum defert partem continuam,ac proindè omnes partes quæ continuationem cum arteriis habent,debent moveri, quod est absurdum.

Respondebis, arteriam quando dilatatur non deserere proprium locum, quem habet totaliter, (nam si ità fieret, argueret ratio posita) & sic non debent moveri partes ad motum arteriarum, ex eo quod hæ secum deferant partes continuas. Tamen contra sic insurgo,quia licèt quando dilatatur arteria, pars illius extima seu extrema dilatetur, quia extra pellitur, tamen pars arteriæ intima seu interna necessariò debet comprimi:nam uon alio modo dilatationi cedit:sed quando comprimitur necessariò debet movere partem continuam, eam comprimendo, & similiter quando pars externa arteriæ comprimitur pars interna debet dilatari, ac per consequens pars quæ continua erat, cum parte arteriæ interna debet dilatari & reduci ad suum situm naturalẽ:ergo necessariò partes continuæ debent moveri ad motum arteriarum; id est, dicendum est cerebrum non moveri ad motum arteriarum,sed à propria connaturali facultate.

Deindè duplici experimento nostra conclusio probatur. Primum est, quia si quis tangat arterias & cerebrum simul, videbit non servari eandem proportionem in motibus, sed plures eodem temporeesse motus arteriarum quàm cerebri,quod non contingeret si cerebrum ad motum arteriarum moverentur.

Secundum experimentum fit: nam ligatis arteriis soporiferis quæ cerebrum ingrediuntur; eodem modo movetur cerebrum:ergo signum est quod à se & non ad motum arteriarum movetur. Neque valet se dicas alias arterias parvas quæ cerebri substantiam ingrediuntur, immunes à ligatura manere, ac proindè non cessat motus cerebri: Tamen contra est, quia licèt non cesset ob hanc rationem, nihilominùs debet multò remissior esse motus, cùm deficiat motus arteriarum magnarum: constat autem eodem modo cerebrum moveri quoad magnitudinem motûs: ergo à se & non ad arteriarum motum movetur.

Hinc igitur Respondeo ad argumenta. Ad primum dicimus, substantiam cerebri non disrumpi per motum illius, sicut non disrumpitur per motum sternutamenti, qui major est; vel si sufficit ad ejus disruptionem motus à propria substantia,etiam sufficiet motus ratione arteriarum: nam si eodem modo movetur cerebrum, sicut à propria substantia, sive ad arteriam motus; si ille sufficit ad disruptionem, cur non iste?

Ad secundum respondetur, potiùs contrarium experiri dum quis simul tangit cerebrum & arterias.

Tandem ad ultimum respondeo non esse necessarias fibras, vel villos ad attrahendum & expellendum, licèt in arteriis & musculis inveniantur; nam os attrahit & expellit, & nullas habet fibras.

CAPUT

CAPVT V.

Opinio qui existimant cerebrum moveri à facultate animali.

EX his qui existimaor cerebrum non moveri ad motum arternarum, sed à propria & connaturali facultata affirmarunt.Hine propriam facultatem quâ movetur esse animalem quâ spontè operatur, sicut illa quæ in cruribus,& in thorace invenitur. Et probant ex Gal. qui motum cerebri appellat respirationem:sed hæc ad facultatem animalem pertinet : ergo & etiam cerebri motus.

Prætereà ratione confirmatur primò,quia nos olfacimus, quando volumus : sed ad olfactionem requiritur motus crebri quo attrahatur aër externus usque ad anteriores ventriculos cerebri: ergo motus cerebri est actio voluntaria. Et confirmatur eum experimento quotidiano de vulneribus capitis, in quibus si opus est excrementa à parte illa pellere, præcipit Medicus magnam fieri inspirationem ut ità tumear cerebrum : ergo est in nostra potestate majorem aut minorem motum cerebri elicere, ac proindè erit motus voluntarius à facultate animali dimanans.

Sed dices contra hanc doctrinam. Omnis motus voluntarius debet fieri medio musculo & nervo deferente virtutem sed in cerebro nollus est musculus neque netvus : ergo in illo ooo post eperiti motus voluntarius à facultate animali elicitus.

Respondent tamen quod partes quæ sunt extra principium suum, ut spontè moveantur, indigent musculo & netvo, cerebrum verò minimè, utpote ille est principium motûs in aliis partibus, quia eis tribuit virtutem ad illum mediis spiritibus; sed omnia hæc habet cerebrum in se : ergo movebitur spontanè absque musculis & nervis. Tamen contra est, quia licèt verum sit quod ad communicationem illius virtutis motivæ non indigeat cerebrom musculis & nervis,tamen ad executionem talis motûs, cor non indigebit illis sicut cæteræ omnes partes quæ animali facultate moventur, ac proindè sentiendum cum Gal. est qui diei ad convertentiam ait motom spontaneum & mediis musculis factum.

Sic ergo illius vestigia sequendo, nobis dicendum cerebrum moveri à facultate propria naturali, prout opposita facultati spontaneæ, ità ut motus cerebri fiat à facultate naturali, idest non cognoscente, quæ ad animam sensitivam diximus pertinere *Tractatu de Pulsibus*, ubi latè demonstravimus, esse aliquam facultatem animæ sensitivæ quæ sine cognitione moveat, & talis etiam est quæ movet cor & arterias.

Quod autem motus cerebri ad facultatem animalem non pertineat, efficaciter probatur : nam motus spontè factus à facultate animali procedens fit mediâ cognitione & appetitu, & in nobis voluntas habet locum ; sed motus cerebri nullatenùs est voluntarius, ità ut licèt voluerimus, non possimus eum cohibere : ergo ooo est animalis ; siquidem non est in nostra potestate : experimur enim qood etiamsi voluerimus motum cerebri cobibere, eodem modo cerebrum moveri, sicut ante talem actum voluntatis : ergo apertè constat eum motum non esse voluntarium ad facultatem animalem pertinentem, sicut motus thoracis, crurum, & brachiorum.

Vndè ad argumenta satisfacimus, & ad primum sumptum ex auroritate Gal. dico motum cerebri vocâsse respirationem ob similitudinem in fine scilicet, quia motu cerebri conservatur calor nativus ratione, attractionis aëris & expulsionis fuliginum, sicut in thorace contingit quando movetur, non quia sentiret eadem facultate moveri. Accedit quod non tantùm propter similitudinem in usu vocavit motum cerebri respirationem quia eodem modo in hoc sensu motus cordis etiam poterat dici respiratio; sed quia per respirationem attrahitur aër ad cerebrum, ac proindè quia motus thoracis confert ad ingressum aëris ad cerebrum ; ideò potiori ratione quàm motus cordis motus cerebri respiratio dicitur.

Ad secundum dicimus, quod ad adorem sentiendum non tantùm requiri cerebri motum, sed & maximè conducere conducere motum thoracis & pulmonis : nam eùm ratione illius deferatur aër ad cerebri ventriculos, indè nascitur quod ipse aër simul eum vaporibus odoris ad organum ingreditur, ità ut per os & per palatum mediâ respiratione ad nares deferatur ; undè benè stat quod licèt motus cerebri non sit voluntarius, possumus tamen odorem sentire eùm volumus,ex eo quod respiratio mediâ quâ aër ingreditur, vapores odoriferos deferens usque ad ventriculos cerebri, sit voluntaria.

Ad confirmationem dicimus, quod ille motus usque ad cranium est per impulsum ab aëre tracto voluntaria inspiratione, ac proindè nihil mirum qnod sit in nostra potestate minuere aut augere talem motum.

CAPUT VI.

An facultas cerebri sit ejusdem rationis cum illa quæ movet cor.

DICET utraque facultas ad animam sensitivam spectet, & propter eundem finem operetur, nihilominùs aliquibus videtur has facultates non esse ejusdem rationis, & probant : nam in modo operandi distinguuntur,utpotè cor dilatatione trahit, & compressione expellit : cerebrum autem è contrà dilatione pellit, & compressione trahit. Quod autem hoc ità contingat in cerebro, præterquam quod est expressum Gal. ratione confirmatur : nam dum cerebrum intra calvariam comprimitur, os calvariæ semper immobile manet : ergo illud spatium relictum à cerebro dum comprimitur inter illum & calvariam, vel debet esse vacuum, vel aëre debet repleri : Et cursùs quando dilatatur usque ad os calvariæ per incompossibilitatem duorum corporum, aër debet expelli, ac proindè cerebrum compressione trahit, & dilatatione expellit : ergo non est eadem facultas eum facultate cordis; quæ in modo operandi contrario modo se habet.

Nihilominùs contraria sententia vera est, neque contraria doctrinæ Gal. scilicèt facultatem cerebri non distingui in specie à facultate cordis. Quod probatur ; nam cor & thorax quando moventur, dilatione trahunt, ex eo quod per dila-

tationem amplior fit arteria & locus thoracis; & sicut spatium illud corpore aliquo debet repleti, & rursùs per compressionem corpus illud attractum debet expelli ratione incompossibilitatis duorum corporum: ergo similiter eodem modo in cerebro debet contingere; præcipuè cùm ad hoc sit ratio congruentiæ; nam quando aliqua pars pellit medio motui sui præcedente irritatione, potiùs fugit causam molestantem quasi se comprimendo, quàm eam sequantur: ergo quando cerebrum causam molestantem expellit, potiùs debet se comprimere, ut fugiat illam, quàm dilatare ut eam insequatur.

Præterea: licèt concederemus illum modum motûs diversum in tractione & expulsione inter cerebrum & cor, non erat sufficiens principium distinctionis specificæ inter prædictas facultates: nam hæ debet distingui per actus proprios & per objecta, non autem per ea quæ accidentaliter se habent, & sunt extrinseca: sed dilatatio & compressio quæ sunt actus prædictarum facultatum eodem modo in illis se habent; nam sunt motus locales ejusdem rationis in utrisque, ut patet ex terminis productis: ergo sunt facultates ejusdem speciei. Quod autem succedat aër, vel aliud corpus ad replendum vacuum, cùm cerebrum comprimitur, aut dilatatur cor, per accidens est; neque aliquid confert ad diversitatem vel identitatem potentiarum, ac proindè ratio in illa operatione adhuc non habet vim.

Unde Gal. qui pro contraria sententia expressè adducitur etiam in optimo & vero sensu potest interpretari: nam quando dicit cerebrum compressione trahere, & dilatatione expellere, debet intelligi de tractione & expulsione quæ fit per poros cutis & per suturas ossis capitis, non verò de illa quæ fit per nares, aut per os: nam quando cerebrum dilatatur, attrahit aërem per nares, & per os: quando verò comprimitur, expellit, per hujusmodi partes aërem & excrementa, ac proindè vera est doctrina Gal. neque contradictionem arguere in ipso existimandum est, ob quod non licèt colligere distinctionem specificam inter ambas facultates. Neque contra, nostram conclusionem facit quod vitalis facultas sit insita cordi, & in arterias influens; illa verò quæ est in cerebro non habet influxum à corde, quia influxus solùm arteriis communicatur, & cerebrum non movetur ad motum arteriarum, sed ex se, quia hæc facultas est insita cerebro, & non indiget influxu à corde communicato ad operandum, ex eo quod ad opus ità præcipuam partem conservans, non erat congruum dependere ab alio ad operandum; unde etiam fit quod hæc virtus quâ cerebrum movetur non communicatur arteriis ibi juxta positis, aut quia remissa est virtus, aut quia vasa non habent communionem cum eo, sed de hoc alibi ex professo.

CAPUT VII.

Quæ pars musculi sit elicitiva motûs spontanei.

Ex dictis in quæstionibus præcedentibus de natura musculi, constat partem organicam esse; cùm autem actio debeat elici à parte aliqua similari, & reliquas præstare usum, ità ut conducant ut actio fiat. Quod inquirimus in præsenti est quodnam ex his quæ intrant in compositionem musculi, sit à quo acto spontanea dimanat.

Quod clarissimè demonstrabitur si à sufficienti partium enumeratione ex his quæ musculum constant incipiamus. Et in primis dicendum nobis est nervum non esse partem quæ per se elicit actionem vel motum. Hæc conclusio est expressa Galen. & ratio ab ipso tradita est, quia nervus substantia nimis mollis est, & sic non est apta ad contractionem ad quam vehementia in instrumento requiritur. Sed quia nimis flexuosa & obliqua est insertio nervi in musculum, & etiam nimis obliqua, & sic non poterit accommodari contractio ad motum partis.

Dicimus secundò neque tendonem esse immediatam partem elicitivam motûs: nam in præsenti loquimur & inquirimus partem similarem elicitivam actionis, vel motûs, tendo autem est pars dissimilaris ex fibris, ligamentis & nervis compacta: ergo ab illa immediatè non procedet actio.

Deindè quia non omnis musculus habet vel terminatur in tendonem: sed omnes musculi moventur: ergo actio vel motus non immediatè à tendone progreditur. Antecedens patet, quia tendo in os terminatur; constat autem in lingua esse musculos, & nulla sunt ossa in quæ possint terminari: ergo musculi sunt sine tendone, & sic tendo non datur absolutè ad motum, sed ad validiorem & maximum ad quem actus & ossa debent agitari: semper tamen negandum est tendones esse partes immediatas motûs elicitivas, quia non sunt partes similares, ut diximus.

Dicimus tertiò neque ligamentum posse esse immediatam partem motûs elicitivam, quia ligamentum non habet sensum: ergo neque virtutem ad movendum. Patet: quia minorem virtutem requiri ad sensum quàm ad motum certum est; sed non habent virtutem ad sensum, ut experientiâ constat: ergo neque ad motum; usus namque ligamentorum ex Gal. solùm est se habere veluti funicula ad rectè movendum ne ossa dearticulentur.

Sed contra rationem hujus tertiæ conclusionis stat argumentum difficile: nam licèt in nostra sententia motivum supponat necessariò sensitivum, vel virtutem ad sentiendum, non tamen est necessarium partem quæ elicitiva est motûs, tunc sentire vi illius: ergo non optimè infertur, non sentit, ergo non potest esse elicitiva motûs. Sed si attentè ratio perscrutetur, optimè probat: nam cùm minor virtus requiratur ad sensum quàm ad motum, pars quæ caret virtute requisita ad sensum, multò minùs movebitur, & hoc significamus quando dicimus, non sentit, ergo non potest esse pars elicitiva motûs; nam certum est ad motum non esse necessarium quod præcedat sensatio, licèt in illa parte requiratur virtus ad sentiendum; ad motum autem localem non requiritur quod præcedat sensatio, sed quod in illa parte sit virtus sufficiens ad sentiendum.

His ergo conclusionibus præjactis à sufficienti partium enumeratione nobis manet probatum solùm carnem esse partem immediatè elicitivam motûs, ex his quæ musculi compositionem ingrediuntur, licèt aliæ partes ad usum conducant; nam fibræ nervorum ad deferendam virtutem

tutem ad sensum & motum conducant ; ligamenta, verò ad similitudinem partium : unde apertè constat quod si nervi & ligamenta & fibræ seorsim non sunt elicitivæ motûs, neque conjunctim debet tali munere gaudere;quod ex eo quod commisceantur naturam non mutent, ac proindè à sufficienti partium enumeratione manet solùm carnem & non quamliber, sed carnem musculi esse immediatè elicitivam motûs : nam illa habet omnes conditiones requisitas ad motum; nam non est ità mollis sicut alia caro, neque ità dura sicut tendones ; undè facilè se colligit, laxat, remittit, & trahit. Præthereà hæc nostra sententia experimento comprobatur ex eo quod cutis omnium animalium quadrupedum motu spontaneo movetur, non aliter nisi quia constat panniculo, fibris carnosis, undique texto ; cutis verò hominis immobilis est, quia licèt panniculus sit nervosus, non tamen carnosus ; cutis verò frontis spontaneè movetur ob rationem dictam.

Sed dices contra nostram conclusionem, quia ex eo nervus non est pars immediatè elicitiva motûs, quia nimis mollis est, sed caro musculi mollior est nervo : ergo propter eandem rationem relegari debet.

Respondetur vim habere argumentum apud concedentes cum Gal. ex eo non elicere motum, quia nimis mollis est,tamen ego affirmo ob molliriem ei non denegari productionem immediatam motûs : sed esse incapacem ut recipiat ab anima qualitatem motivam ob peculiarem temperiem, aut ab secundam aliquam qualitatem quæ non potest certò dici,mollities enim non impedit motum, ut patet in cerebro & in externis.



DISPUTATIO III.

De differentiis dolorum.

CAPUT PRIMUM.

An stupor sit species doloris.

Certum in primis in præsenti dubio est, quod sive dolor pertinear ad appetitum, sive ad sensum tactûs, eum non habere species nisi ex objecto.

Sed antequam examinemus an stupor sit vera species doloris ex objecto, operæ pretium erit scire quid sit stupor. Et quamvis Gal. asserat esse stuporem insignem refrigerationem, non debet intelligi, ut formaliter sit refrigeratio, sed quod quandoque causatur ex insigni refrigeratione. Similiter dicitur stupor dimidia paralysis, ex quod hæc dicat talem ablationem sensûs & motûs ; stupor verò non dicit totalem ablationem, sed remissum sensum & motum ; undè fit quod stupor & paralysis solùm different secundum magis & minus.

Sic Avicenn. verum stuporem distinctum à paralysi definivit *fen 2. lib. 3. tract. 1. cap. 13.* dicens, *Stupor est morbus officialis (id est compositionis) faciens evenire in sensu tactuali nocumentum.* Ex quo deducitur stuporem symptoma tactûs esse, & per nocumentum intelligit remissam sensationem.

Quo præsupposito, jam clamat controversia suprà posita an scilicet stupor sit vera species doloris, licèt Avicenn. numerando species doloris, dolorem stupidum inter eas enumeret : nihilominùs cum Gal. dicendum nobis est stuporem non esse veram speciem doloris ; & duplici ratione probatur : Prima sit:stupor est diminuta sensatio & remissa ; quâ ratione à paralysi secundum magis & minus distingui diximus ità ut stupor dimidia paralysis vocetur. Sed ad dolorem non sufficit remissa sensatio, sed potiùs requiric intensam sensationem, ut ex ejus deffinitione constat,dolor est subita & molesta sensatio subitò & assatim corrumpens naturam : ergo ad dolorem intensa sensatio requiritur,ac proindè stupor vera doloris species non potest esse.

Sed dices : unus dolor minuit alium ejusdem partis defectu advertentiæ : ergo ex eo quod stupor minuat dolorem non colligitur non esse veram illius speciem.

Respondetur diversam esse rationem in utroque casu : nam stupor non tollit dolorem propter operationem aliam ad quam concurrat anima, & minor concursus sit ad dolorem, sed propter diminutum influxum virtutis à cerebro receptæ in parte.

Secundò probatur nostrum placitum, quia si stupor esset vera species doloris, non posset dari stupor, quin daretur dolor, utpotè species sine genere implicat dari : sed experimento constat quod si pars aliqua sit stupida & applicetur ei objectum tangibile, sentit stupidè & sine dolore; si verò moveatur, dolet : sed citra motum est sensus stupidus sine dolore ; igitur stupor non est vera doloris species, utpotè datur sine illo. Et confirmatur ex Gal. qui in hujus rei confirmationem citat Hipp. *lib. 5. aphor. comm. 25.* ubi ait. *Stupor mediocris solvit dolorem.* Quibus verbis satis indicare videtur stuporem non esse verum dolorem, cùm potiùs illum solvat. Unde quando Avicennas & Autores stuporem inter species doloris enumerant non loquuntur in rigore quo loquitur Gal. sed enumerant illum in quantum habet peculiarem duplicem adjunctam quæ curationem postulat, non quia causa stuporis sit proprium doloris objectum.

Vnde etiam deducimus, stuporem non tantùm pertinere ad partes nervosas, verùm etiam reperiri in partibus carnosis, venis, & arteriis, & partibus cutaneis, & facilè ex dictis probatur, quia stupor est diminuta & remissa sensatio : ergo omnibus partibus in quibus inest sensus, potest stupor inveniri,quia potest inveniri sensus remissus : sed non non solùm in nervis, verùm in omnibus partibus assignatis invenitur sensus : ergo stupor in illis, & non solùm in partibus nervosis reperietur. Patet hæc ultima consequentia : nam alia qualibet species doloris ad nervos spectabit, quod est contra communem consensum omnium.

Sed dices : stupor à paralysi solùm secundum magis & minus differt, ità ut utraque pars affecta sit eadem in utroque affectu ; sed paralysis ad nervos solùm spectat : ergo & stupor.

Respondetur stuporem aut posse causari ratione obstructionis impedientis communicationem ad sensum & motum ; & hac ratione primariò nervo competit, & secundariò & per consensum partibus

partibus omnibus sentientibus; at etiam stupor potest causari ab intensa refrigeratione, quâ ratione existere potest primariò in aliis partibus sentientibus, & non in nervo, quia refrigerata potest caro distensa nervo, ac per consequens ejus sensus hebetari, & sic stupor potest causari, & similiter paralysis.

CAPUT II.

De doloris pulsantis natura.

CERTUM in primis in hoc dubio est, dari dolorem pulsantem, in quo si attendamus objectum sensibile proprium quod sentitur, etiam est certum non esse veram speciem doloris, specie ab aliis distinctam solùm: ergo ab aliis distinguitur, quia habet peculiarem modum sui præter commune sensibile: nam si pars inflammata comprimitur motu arteriarum, sentitur ab ipsa qualitas arteriæ quæ sit durities, simul cum motu, quæ omnia latiùs patebunt. Est ergo dolor pulsans ille qui sit cum pulsatione: ad quem tres conditiones reperiri censeo. Prima est quod pars quæ sentit dolorem, habeat arterias (intelligendo nomine arteriosi corporis non solùm arterias, sed etiam cor) nam cùm ad talem dolorem requiratur pulsatio; & hæc solùm ab arteriis & corde fiat, constat non reperiri talem dolorem in parte arteriosi corporis ex per se.

Sed dices posse esse dolorem pulsantem in parte quæ non habeat arterias: nam si membrana cerebri inflammetur quæ valde sensibilis est, non est dubium quod per motum pulsantem cerebri (qui licèt habeat arterias, non ratione illarum, sed à se movetur, ut suprà diximus) comprimetur & dolebit simul cum pulsatione: ergo potest dari dolor pulsans in parte quæ neque habeat arterias, nec sit juxta cor.

Resp. optimè probare argumentũ si in prædicto casu non esset impedimentum pro prædicto symptomate, scilicet pro dolore: nam in prædicto casu cerebrum laboraret phreneitide, ex eoquod ejus membrana esset inflammata, quo fieret ut propter mentis alienationem non sentiret causam doloris, secùs autem non posset negari in dicta parte dolor pulsans, & hanc partem propter infrequentiam fuisse à Gal. prætermissam arbitramur, ac proindè commotione cerebri etiam pulsantem dolorem posse causari, quia etiã est verè pulsans, & non aliud requiritur ad prædictum dolorem.

Vndè fit arterias unicuique parti distribui prout opus erat ad ventilationem & conservationem caloris nativi, ac proindè in illis partibus quæ suâ naturâ sunt frigidæ, ut ossa & membranæ quædam, non sunt arteriæ, utpotè nõ est finis ad quem deserviat, ac proindè in illis dolor pulsatorius haudquaquam reperiri potetit: inter membranas autem excipitur, membrana cerebri quæ meninx dicitur, quæ pluribus arteriis abũdat, non propter suam naturam, sed propter cerebrum; nam cùm cerebri substantia valdè mollis sit, non potuerunt tot vasa tutò per ipsam disseminari; nam haberent sedem infirmam, ac proindè per cerebri membranam arterias deservientes cerebro disseminari fuit opus, ex quo apertè colligitur quod quando prædicta membrana inflammatione laborat, doleat pulsatorio; cæteræ autem membranæ non ità. Ex quo etiam respondetur apertè autoritate Gal. ex 2. *lib. ad Glauconem*, ubi in membranis dolorem pulsantem fieri, loquitur enim de membrana cerebri in qua nos idem fatemur; nam tunc Gal. de dolore capitis sermonem instituebat, & sic de illa loquebatur.

Vndè etiam fit quod in dolore pleuritico exquisito non reperiatur dolor pulsans; nam pleura caret arteriis; eas enim habere non fuit opus; nam ventilationem potest pulmo pleuræ suo motu tribuere: in pleuritide autem notha seu spuria dolor pulsatorius potest contingere, quod Vallesius ut verum putat si inflammatio fit in pleura versus partes posteriores juxta spinam, quia ibi sunt arteriæ prope membranam ad costarum radices, postcà submerguntur.

Sed dices: Iuxta dictam doctrinam videtur quod per inflammationem pleuræ non sunt pulsus serraus & tensivus: nam si in pleura non inferuntur arteriæ, non est modus quo communicetur malum reliquis arteriis.

Respondetur arterias habere duas tunicas, quarum unam recipiunt à pleura; undè non est mirum quod dum hæ inflammatione laborant, tensio in arteriis fit.

Secunda conditio ad dolorem pulsantem est quod pars habeat sensum: nam ad quamcumque partem pertineat dolor, non potest sine sensatione dolor reperiri, ac proindè defectu sensationis in parte, dolor pulsans, neque alius potest reperiri.

Tertia conditio ad dolorem pulsantem est ut inflammetur pars magna inflammatione, sitque in ipsis arteriis, aut in partibus sentientibus proximis prædicta inflammatio, nomine inflammationis tantùm intelligendo tumorem à sanguine, aut ex bile & abscessum. Et ratio est quia ex prædicta inflammatione calor crescit, ac proindè usu magis aucto, arteria magis dilatatur; quo fit ut pars ei proxima comprimatur magis quò arteria magis dilatatur, & sic dolor pulsans sentitur, nam pars inflammata extenditur & occupat locum arteriarum utpotè ratione inflammationis majorem locum quàm naturalem debet occupare pars, & sic proximior est arteriæ quàm quando est in statu naturali.

Sed dices contra dicta: quia ideò solùm ex tumore facto ex sanguine, aut ex erysipelate potest fieri dolor pulsans (cæteris requisitis ad talem dolorem positis) quia ratione horum tumorum usus augetur, & arteriæ magis dilatantur, ac proindè partes inflammatæ comprimuntur, undè dolor resultat, ut dictum est. Sed similiter ex tumore œdematoso aut scirrhoso si cum febre conjungantur, augetur usus: ergo etiam in partibus scirrho aut œdemate laborantibus, cæteris requisitis positis, erit dolor pulsans.

Respondetur doctrinam Gal. esse verissimam: nam ille solùm ostendit tumores vi quorum dolor pulsans reperitur, juxta quod solùm illi qui fiunt ex humore calido sunt sufficientes, ut vi illorum crescat usus, & arteria magis dilatetur, ac proindè pars inflammata comprimatur, & fiat dolor: at verò in tumoribus frigidis potiùs si vim eorum attendamus, diminuunt usum, ac proindè licèt si conjungantur cum febre, fit dolor pulsans in partibus, prædictis tumoribus frigidis laborantibus, hoc tamen non est vi prædictarum inflammationum; & sic doctrina Gal. vera semper manet. Vndè clarè intelligitur quare dum inflammatio tendit in suppurationem dolores pulsantes

pulsantes crescunt, quia dum suppurantur, crescit calor, juxta Hipp. 2. *aphor. text. 47. Dum pus conficitur, dolores & febres fiunt majores*: ac proindè dilatatio fit major, & etiam tumor; nam vi majoris caloris humor liquatur, & occupat majorem locum.

Sed dices: videtur quod dolor pulsans sine inflammatione possit contingere, quia optimè potest contingere ut pars proxima arteriæ propter ingentem distemperiem possit dolore affici, & cum pulsatione: nam cùm proxima arteriæ sit, sine dubio pulsatio sentiretur: ergo erit dolor pulsans absque inflammatione.

Respondetur verum esse in prædicta parte esse dolorem propter urgentem distemperiem, tamen dolor non excitatur vi motûs arteriarum quæ proximæ sunt parti: nostra tamen doctrina solù procedit de dolore pulsante excitato & causato vi motûs arteriæ & sic nihil probat argumentū.

Præterea, quia non est omninò certum partem proximam inflammatione non laborantem sentire motum arteriæ, licèt dolore afficiatur, quia quando partes in benè valentibus, non sunt magis quàm pro natura applicatæ, non sentit vicina pulsationem arteriæ, approximatæ suo tactu, ac proindè, licet in parte sit dolor, quia non est magis applicata quàm pro natura, non sentitur arteria, neque pulsatio: quando autem pars est inflammata, occupat majorem locum, & est magis applicata quàm pro natura debetur. Et licèt per ingentē distemperiem calidam potest crescere usus, & arteria magis dilatari, licèt tunc sentiatur in parte proxima pulsatio, tamen dolor in illa parte non excitabitur, ex vi motûs arteriæ, sed propter distemperiem solventem continuitatem partis.

Tandem concludimus, dolorem pulsantem reperiri quando arteria secundariò afficitur, ex eo præcisè quod pars proxima arteriæ inflammationem patiatur: nam ratione distensionis majoris quæ est in parte inflammata & crescit calor, & dilatatio fit major, undè pars comprimitor, & medio motu sentit qualitatem arteriæ, & sic pulsativus dolor est in illa. Similiter dolor pulsans invenitur quando arteria primariò afficitur, hoc est quando arteria inflammationem patitur, tunc enim pars quæ sentit dolorem, est ipsa caro, vel quælibet alia pars ei proxima: nam cùm inflammata sit & distensa arteria, fit proximior aliis partibus quàm quādo est in statu naturali, & sic pulsatio sentitur à carne arteriam circumdante. Vel etiam possumus dicere quod quando ipsa arteria est inflammata, sentitur aliquid, quia arteria comprimitur à corpore circumstante: nam arteria propter usum auctum nimis dilatatur, & sentit qualitatem corporis comprimentis.

CAPUT III.

De dolore gravante, & tensivo.

Ari verum dolorem gravantem nulli dubium est, cúmque talem dici juxta denominationem ab objecto quod sentitur, scilicèt à pondere & gravitate, & ab omnibus conceditur libenter: itaque pars rationa ponderis & gravitatis quod sentit, comprimitur, & dolet ex eo quod aliæ partes separantur, & solutio cōtinoi fit; unde ad sensum tactûs pertinete perceptio, nem ponderis & gravitatis planè conspicuum est.

Hunc dolorem asserit Gal. reperiri in jecore, liene, & pulmone: sed examinare oportet an prædictus dolor gravans, solùm inveniatur in mēbranis circumvolventibus tales substantias numeratas, an etiam possit reperiri in ipsis substantiis. Circa quod videtur quod in superficie extima dictarum partium reperiatur dolor gravans, licèt non in partibus profundioribus; & probant ratione desumpta ab autoritate Avicen. & ex aliis quamplurimis gravissimis autoribus affirmantibus quod cùm extimæ vel superficiales partes prædictarum substantiarū sint disseminatæ membranis & nervis, mediis quibus communicatur virtus ad sensum unde est quod hujusmodi partes sentiant dolorem gravantem ratione virtutis communicatæ per nervos & membranas prædictas partes circumvolventes: Cùm autem per intimas partes nervi non inserantur, solùm in partibus superficialibus & extimis concedunt sensum, ac per consequens prædictum dolorem gravantem, & alios.

Sed contra istam rationem & modum philosophandi sic argumentor, quia per superficiem intelligunt isti Autores partem illam extimam superficialem & externam quæ ejusdem rationis debet esse cum aliis partibus intimis prædictarum partium; ergo illa pars idem temperamentum, & eandem virtutem debet habere ac cæteræ, siquidem ab eadem anima informātur omnes & eodem modo: ergo si pars illa exigua habet potentiam animæ sentiendi, nempè tactum: ergo tota illa caro talem potentiam debet habere: nam facultates & virtutes prædictarum partium ab anima per modum resultantis procedunt, & non per nervos derivantur, & communicantur, ut suo loco dicemus. Etsi in tota substantia prædicta facultas sentiendi inveniitur, cur non disseminantur nervi per totam, medijs quibus communicetur vis sentiendi. Vnde quando prædicti Autores docent in superficie sensum reperiri, loquuntur planè da membranis circumvoluētibus prædictas partes, in quibus verū sensum reperitur, & per consequens dolor gravans in solis membranis reperitur, quia solæ membranæ sentiunt pondus & gravitatem.

Et ità nobis dicendum est in carna harum partium non esse sensum, neque adhuc extimam partem habere aliquos nervos, mediis quibus virtus ad sensum ei communicetur. Quæ conclusio licèt probata sit ex professo *disp.* 47. *c.* 2. quantùm attinet ad præsens probatur ex Gal. *lib.* 2. *de locis aff. c.* 2. ubi ait. *Quare neque in hepate, neque in renibus unquam hujusmodi pulsatio apparet, quoniam neque in illis nervi per tota viscera disperguntur.* Quibus verbis planè veritas nostræ conclusionis elucidata manet. Et quamvis quis poterat respondere, per verba dicta solùm probari per tota viscera non esse nervos, non tamen per aliquam partem, ut dicebant Contrarij de extima; tamen contra est, quia jam diximus quod si in aliqua parte carnis prædictarum partium sunt nervi, etiam in tota debeant esse, cùm non sit major ratio unius quàm alterius. Et confirmatur nostrum placitum ex Avicenn. *loco suprà citato*, ubi dicit quod prædictæ partes non sentiunt, nisi per panniculum super eas existentem, quod est membrana.

Tandem de dolore tensivo breviter dicendum est. Dicitur autem talis ab extensione, cùm pars quæ ità afficitur ad suas trahitur extremitates, reperiturque in qualibet parte sentiente, quæ tensionem pati potest, licèt Gal. in nervo & musculo reperiri

reperiri affirmet, & cum illo Avicen. tamen id non dixerunt quia solùm in nervo & musculo latis dolor reperiatur, sed quia prædictæ partes magis accommodatæ sunt ad motum, & ad extensionem enumeratæ sunt. Sententia Avicennæ ità se habet. *Extensivi doloris causa est ventositas, aut humor qui nervum, aut musculum extendit, ac si ipsum ad suas trahat extremitates.* Ubi solùm posuit exemplum in prædictis partibus, quia aptiores ad extensionem, non quia in aliis partibus reperiatur dolor tensivus, & de objecto sensibili in hoc dolore dicendum breviter est qualitatem aliquam existentem à corpore tendente sentiri, de quo latiùs posteà dicemus.

CAPUT IV.

De Dolore mordaci.

CERTUM primò est dolorem mordicantem dici sicut cæteri dolores ratione diversi objecti quod percipitur, ac proindè mordicans dolor dicitur in quo qualitas mordicans, vel mordacitas sentitur, quæ nullo alio exemplo potest explicari nisi ex similitudine illius doloris qui reperitur in parte exulcerata carnosa, quando medicamentum acre impositum est.

Sed quod est difficilius apud omnes, est utrum hæc mordacitas quæ sentitur in prædicto dolore sit diversa à calore & frigore. Circa quod si attendamus Gal. *lib. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 2.* facilè inveniemus mordacitatem non esse distinctam à calore & frigore: nam *prædicto c.* ait. *Calorem & frigus solvendo continuum inferre sensum mordacitatis; calor enim laxat, funditque, frigus verò densat: tamen illæ peculiares rationes solutionis continui.* Ex quibus verbis apertè constat in dolore mordaci non qualitatem distinctam sentiri, sed calorem & frigus continuum solventibus.

Vallesius tamen cùm sentiat calorem & frigus dolorem causare absque solutione continui, ità verba Gal. explicat ut dicat Gal. non dixisse calore & frigore nos non dolere nisi solutione continui, sed non mordeti nisi solutione continui ait, ac proindè ait Vallesius, licèt fiat dolor absolutè sine solutione continui, non tamen fit dolor mordax sine prædicta solutione, ac proindè mordacitas non est qualitas distincta à calore & frigore continuum solventibus.

Neque valet dicere contra hoc, quod tactus qui circa proprium sensibile non errat, aliter sentire calorem & frigus, & aliter mordacitatem judicare, quia facilè quis potest respondere sentire solùm calorem & frigus, quando non perveniunt ad tantam intensionem qualem requiritur ut solvatur continuum, & sentiatur mordacitas, ac proindè aliter sentit tactus calorem & frigus quando non solvit continuum, quia sentit sine mordacitate hujusmodi qualitates: at verò quando sentit eas in intensione sufficienti ad solutionem continui, aliter sentiuntur, quia tunc mordacitas sentitur.

Sed verior sententia est mordacitatem esse qualitatem secundam diversam à prima, verèque tangibilem qualitatem esse propriam speciem. Et probatur quia tactus sentit mordacitatem, & intellectus non judicat eam esse calorem aut frigus: ergo mordacitas qualitas ab illis distincta est. Præterea contra doctrinam & fundamentum contrariorum sic argumentor, quia species sensibilis repræsentans calorem aut frigus eadem est secundum naturam, sive solvat continuum, sive non: sed quando non est solutio continui per sensationes caloris & frigoris, mediis suis speciebus non sentitur mordacitas: ergo neque quando est solutio continui debet sentiri mordacitas.

Respondebis deficiente solutione continui deficere conditionem quandam necessariam ut mordacitas sentiatur, ac proindè eâ deficiente, licèt sit eadem species repræsentans priores qualitates, non sentitur mordacitas. Tamen contra sic insurgo: nam omne quod sentitur se debet habere ex parte conditionis, & non ex parte organi: sed mordacitas vera sentitur: ergo nihil refert quod præcedat solutio continui quæ se habet ex parte organi ad hoc ut mordacitas quæ se habere debet ex parte objecti sentiatur. Denique quia solutio continui solùm facit ut cum dolore fiat sensatio: ergo non facit quod mordacitas sentiatur, nã ea secunda qualitas est valde distincta à primis.

Undè Gal. non est contrarius nostræ sententiæ: nam ipse non determinat an mordacitas sit qualitas diversa à primis, vel non diversa; sed solùm dicit quod calor & frigus inducunt sensum mordacitatis continuum solvendo cum dolore; quod totum est verum, etiamsi mordacitas sit qualitas distincta à primis, quia semper ab eis debet dimanare.

CAPUT V.

De Doloris speciebus, & an sint aliæ species, aut modi doloris præter dictos.

ANTEQUAM examinemus an sint ponendæ & assignandæ aliæ species doloris, aliquid de hemodia dicendum est. Et quidem de hemodia satis constat ex doctrina dicta *cap. de stupore*, non esse veram speciem doloris, nam potiùs symptoma sensûs tactûs diminutæ sensationis est, ac proindè sicut stupor inter species doloris non enumeratur, sic & hemodia: nam etiam hæc in diminuta sensatione gingivarum & dentium consistit; certum enim est in aliis partibus hemodiam (Hispanis *dentera*) in aliis partibus præterquàm in ore non reperiri; si autem diminuta sensatio in qualibet alia sentiente parte reperiatur, potiùs stupore dicetur quàm hemodiâ laborare.

Sed duo videntur examine digna circa hemodiam. Primum est quod sit objectum quod in hoc affectu sentitur. Ad quod facilè Respondetur dicendo quod cùm hemodia frequenter contingat postquàm quis acerba & acida ederit, nihil in prædicto affectu sentietur præter has qualitates.

Sed difficilius est secundum dubium, scilicet quid sit, à quo minuatur vis sentiendi in prædicto affectu. Et primò videtur quod non sit frigiditas rei acidæ aut acerbæ: nam plures sunt res aliæ frigidiores quæ licèt ore & dentibus tractentur, non faciant hemodiam: ergo à frigiditate illa non potest diminutio sensûs causari. Neque etiam causatur hæc diminutio ab aciditate, quia hæc non est activa: ergo deindè quod à frigiditate

frigiditate non causetur, rursùs probatur, quia si ab ea causaretur, non tolleretur hujusmodi affectus portulacâ quæ planta frigida est in tertio gradu: atqui ut remedium infallibile à Panlo adducitur: ergo ex eo est quia hemodia non causatur à frigiditate: natu aliàs potiùs portulaca augeret affectum quàm illum tolleret: ergo.

Aristoteles autem circa hoc dubium affirmat aliquid tenue rei acidæ vel acerbæ detineri in gingivis quod vi salis quæ liquefacit traditur, & vi portulacæ humectatur & illius lentore acor & aciditas educitur; sal enim & portulaca paratissima remedia ad hemodiam auferendam sunt. Sed quod ista diminuta sentatio non contingat ex eo quod partes tenues rei acidæ in gingivis derineantur, probatur, quia per solam juxtapositionem rei acidæ non causatur hemodia, sed oportet aliquid recipi intrinsecè in parte sentiente: quid autem hoc sit quærimus, etsi sciamus optimè extractione rei acidæ hemodiam tolli.

Alij dixerunt hemodiam aut diminutionem sensûs causati ex eo quod communicationem influxûs ad sensum valet impedita: impeditur autem influxûs receptio à frigore & acidis rebus in quantum hæc replendo exiguas cavitates & poros impedimentum dentibus sunt ad sentiendum. Tamen contra est quia plura alia sunt quæ possunt replere poros præter acida, & tamen ab illis hemodia non causatur: ergo. Prætereà quia vis ad sensum non communicatur per poros: ergo licèt repleant poros res acidæ, non ob indè receptionem influxûs ad sensum impedient.

Sed his non obstantibus, vera sententia sit, res acidas & acerbas hemodiam & remissam sensationem causare; quia esu acidorum & acerborum partes sentientes inæqualiter exicantur, ac proindè comprimuntur, & deficit sensus: ad quod etiam juvat frigiditas rei acidæ, quia etiam ratione illius comprimitur nervus, undè portulaca licèt frigida sit, auxilium ad hunc affectum est: nam non juvat per alterationem à sua frigiditate factam, sed suo lentore, ut suprà dictum est. Ab aliis autem rebus solùm frigidis quandoque posse hemodiam causari, licèt non ità frequenter ac ab acidis, certissimum est, & experientia id manifestat, in his autem aliam causam à fortiori assignare debemus.

Deindè quod reperiatur dolor pungens etiam est certissimum, & dicitur ille sumptâ denominatione à punctura; nam in eo afficitur para per modum cuspidis. Talis dolor secundum Galen. & Avicennam, solùm convenit membranis, & à solo humore tenui causatur, utpotè ille per modum pungentis solùm afficit partem, ac proindè in inflammationibus ab aliis humoribus causatis difficile in membranis dolor pungens causatur, aut nunquam: nam propter earum densitatem difficilè ab humore inflammationem causante penetrantur. Vndè negari non potest quòd si pars carnosa acu pungatur, in ea sit dolor pungens. Solùm ergo est sermo noster dum dicimus solùm in membranis reperiri, & dum pars inflammata ab illo humore inflammationem causante, membranam dolorem pungentem non posse pati, quia ob ejus densitatem, non potest penetrari ab illo humore.

Alia nomina ab Archigene assignata quæ potiùs qualitates ad gustum pertinentia denorant, & tamen ille tanquam diversi dolores constituentes adducit: tamen licèt quoad hoc à Galen. reprehendatur, possunt in optimo sensu interpretari. Et quidem una ex speciebus quæ ab Archigene numeratur, est dolor *Holcimos*, id est tractorius dicitur, quia pars aliqua versua affectum trahitur, ut in quadam specie plevritidis dolor usque ad jugulum trahitur & sentitur. Secunda in ordine species tradita, est dolor adstringens, nomine cujus intelligit dolorem angentem & in angustias mittentem; sic enim effectus adstringentium est coarctare & unitatem, & iste dolor ab Avicenna compressivus dicitur. Alius dolor dicitur dulcis, non quia propriè talis sit; nam qualitas propria gustûa est, sed dicitur dulcis, quia ad eum sequitur aliqua voluptas, ut in expulsione arenæ. Vndè horum dolorum & aliorum (quos omitto ne fatidiosi appareant, & quia parvi momenti ad curationem sunt), propria cognitio potest esse in Medico, ex his quæ ab ægrotis dicuntur; cognitio enim, ex ægri notitia multoties nascitur. Et hæc de hac disputatione sufficiant.



DISPUTATIO IV.

De Somno, & Vigilia.



CAPUT PRIMUM.

Quid nomine Somni & Vigiliæ intelligatur, & ad quam partem animæ spectent.



VT omnia quæ infrà dicenda sunt de soporiferis affectionibus planè intelligantur, operæ pretium in præsenti fuit specialem de somno & vigilia Disputationem enodare. Ad quod primum de quo scientia haberi debet, est, quid sit Somnus & Vigilia; secundum ad quam partem animæ spectet. Circa primum, Fracastorius *lib. 2. de intellect. folio* 140. ait, tunc animal dici vigilare cùm sentit aut stat, & motus exercet voluntarios; id est, quando animal est in eo statu ut sine impedimento possit operari hujusmodi opera sentiendi, & tunc ait, animal dormit quando cessat ab opere sentiendi & movendi, ità ut careat prædicta dispositione requisita ad operandum, dummodò hoc non sit propter causam morbosam à qua solet impediri in sensibus externis actio. Cùm Fracastorio consentit Aristoteles *lib. 3. anim. cap. 2.* ubi dicit, *Somnus similis est operationi vacanti, vigilia verò contemplationi.* Et Avic. *fen 2. lib. 1. doctr. 2. cap.* 13. ubi dicit, *Somnus quieti vehementer existit similis, & vigilia valdè sunt motui similes.* In prædicta ergo doctrina videntur omnes convenire; ità tamen intelligenda est ut nomine somni non intelligamus cessationem ab operatione omnium sensuum: nam certum est, si de internis sensibus loquamur, inter dormiendum, aliquos operari, ut imaginativa, vel æstimativa, aut aliqua alia. De externis sensibus etiam est certum; nam experientiâ constat, & quampluribus Aristotelis testimoniis, plures homines inter dormiendum

miendum ambulare, & videre: igitur nomine somni non debet intelligi cessatio ab opere omnium sensuum, cùm plures tam interni quàm externi vigilent. Ob quod meritò somnum dividitur in perfectum in quo omnes operationes sensuum externorum cessant, & in imperfectum, in quo aliquæ tantùm; prior vocatur simpliciter somnus, quis omnimodè opponitur vigiliæ; posterior secundum quid dicitur, quia non omninò opponitur vigiliæ.

Si autè quætat aliquis unde proveniat quòd inter dormiendum aliqui sensus sint ligati, & aliqui non, ità ut illi non possint operari, & isti possint? Facilè respondebimus, dicendo corpus cerebri esse quâtum & extensum à quo diversi nervi ramificantur, & in particularia organa secundum rectitudinem tendunt; undè cùm mediis nervis virtus ad sensum & motum cuicumq; sensui communicetur, fieri optimè potest, ut causa quæ impedit communicationem spiritus, aut virtutis, intercipiatur magis secundum unam viam quàm secundum aliam, ac proindè sensus cujus via intercipitur aliquo corpore impediente communicationem, dormiet, & sensus cujus via non sit impedita ut virtus communicetur, vigilabit.

Secundum dubium est ad quam partem animæ somnus & vigilia pertineat. Et breviter dicendum est ad partem sensitivam spectare; nam ad eandem partem ad quam spectat habitus, debet spectare privatio; sic visus & cæcitas ad oculum spectat: sed somnus & vigilia se habent ut privatio & habitus: ergo ad eandem partem spectare debent, & tunc vigilare dicitur animal, ut suprà diximus, dum perfectè sentit, & tunc dormit, quando cessat ab illa operatione; constat autem prædictum sentiendi ad animam sensitivam pertinere: ergo si vigilia ad eam pertinet, ejus privatio, somnus scilicèt, ad eandem partem animæ pertinere debet.

Ad vegetativam animam spectare non possunt, cùm in plantis somnus non reperiatur: nam in his cessat finis somni; siquidem institutus est, ut infrà dicemus, ut recuperentur vires deperditæ ex defatigatione vigiliæ: cùm autem plantæ non defatigentur in suis operibus, non indigent somno ad earum recuperationem, præcipuè cùm non consumantur spiritus, & in actionibus animalibus quamplurimis cōsumantur, ac proindè solùm ad partem sensitivam somnus & vigilia pertinent.

Sed dices: etiam motu à facultate vitali procedente consumuntur spiritus sine dubio: ergo est sufficiens finis ad somnum, & sic ad facultatem vitalem poterit pertinere, quod est planè falsissimum; cùm videamus motum cordis & arteriarum eodem modo fieri inter dormiendum quàm inter vigilandum.

Respondetur resolutionem spirituum factam vi motûs facultatis vitalis, sufficienter reparari quietibus, & intermissionibus illis brevibus quæ in motu arteriarum & cordis reperiuntur, & sic ad hujusmodi finem non erat necessarium dormire; resolutio autem & defatigatio quæ in facultatibus sentientibus, reperitur somno solùm reparari potest, & sic ad partem sensitivam spectat: undè planè deducimus omnibus sentientibus somnum convenire, quia in omnibus est sufficiens finis, scilicet virium resolutio inter vigilandum: ergo omnibus reparatio debet convenire quæ non nisi per somnum fieri potest: ergo omnibus sentientibus competit.

Sed interrogabit aliquis, quid conveniat priùs animali, postquam fœtus adquisivit sensum, vigilia an somnus; ità ut dicamus fœtum immediatè post adquisitionem gradus sensitivi, id est, animæ, dormire necessariò, an primò vigilare.

Ad quod supponendum est quod licèt somnus & vigilia privativa oppositione contrarientur solùm, nihilominùs de privatione ad habitum potest aliquis transire, sicut aër transit de privatione lucis, hoc est de tenebris ad lucem, ità ut quando Aristoteles negat transitum de privatione ad habitum, intelligi debet ad eandem formam, vel habitum numero, non verò de privatione ad habitum, vel formam eandem in specie.

Hoc ergo supposito, solùm probabilis ratio potest assignari, ob quod fœtus in primo esse seu adquisitionis sensûs, vel animæ sensitivæ dormiat, & non vigilet, quia scilicet pueri maximâ humiditate naturali & debita pro illa ætate laborant, à qua ità afficitur cerebrum, ut dormiat, ex eo quod fit impedimentum descensui facultatis ad organa sensûs, ac proindè primò dormiet; hac tamen ratione non poterat quis convinci, sicut non potest etiam probari efficaciter, quod primò sentiat & vigilet.

CAPUT II.

An aliquis somnus sit naturalis.

VIDETUR quod nullus somnus sit naturalis, quia somnus ponitur ab omnibus Medicis & enumeratur inter res nonnaturales, id est, quæ mediam habent naturam inter naturales & contra naturam: ergo nullus somnus potest esse naturalis, quia ex se semper sic habet, ex per se rerum non naturalium juxta communem consensum.

Sed nihilominùs si stemus his quæ diximus in parte naturali, dicendum est somnum in duo membra dividi, in naturalem scilicet & contra naturam, ibi namque diximus quot modis aliquid potest dici secundum naturam, ex quo non erit difficile colligere quomodo somnus dicatur secundum naturam, aut naturalis, & quomodo contra naturam, aut præternaturalis. Et primò dicendum est quod ille somnus dicetur secundum naturam ex parte finis qui maximam utilitatem & commodum affert animali ad distinctionem somni qui in lethargo reperitur qui contra naturam dicitur, quia conducit ad noxam & læsionem viventis. Deindè etiam dicetur somnus naturalis, vel secundum naturam ille qui fit à causis naturalibus & inevitabilibus, & secundum naturalem ordinem operantibus, & secundum moderatam rationem. His consentit Gal. 2. *lib. aphor. comm.* 3. qui dicit illum somnum esse naturalem qui fit in corpore sano, & mediocris est & à moderatis causis procedens, utilis animali.

Sed notandum est non solùm attendi rationem naturalis, aut præternaturalis in somno ex duratione, sed ex eo quod facilè aut difficilè excitetur, ità ut si facilè excitetur, naturalis dicatur, quia indicium est causam ejus esse naturalem; si autem difficile, contra naturam dicitur, quia sequitur causam morbosam.

Vndè

Undè ea quæ in contrarium sunt posita facilè solvuntur. Ad illud dicimus verum esse somnum inter res nonnaturales ab omnibus enumerari, tamen in ea acceptione non dici à nobis sliquem somnum naturalem, sed aliquo ex modis suprà dictis.

Neque obstat fieri ad reparandos spiritus amissos, quia etiam nutritio naturalis est, & fit ad reparationem substantiæ deperditæ.

CAPUT III.

In quo consistat natura & essentia somni.

ARISTOTELES per verba sequentia definit somnum: *Est quadam sensitivæ partis affectio, quasi copula & immobilitas, facta ex vaporibus elevatis ad caput ex alimento quod in ventriculo coquitur, concretisque in cerebro, propter reparationem deperditi.* Quibus verbis genus clauditur, pars affecta, vel in qua fit, modus generationis ejus, & finis: quæ omnia sigillatim examinanda. Et quidem juxta Philosophum in præsentia genus videtur esse in prædicta definitione affectionem, vinculum seu immobilitatem, aut impotentiam, si intelligantur privativè, quia somnus nihil aliud est, quàm privatio vigiliæ, & sic nomine illorum verborum intelligit genus, quatenùs per illam immobilitatem, vinculum, & impotentiam, vigiliâ privamur.

Sed Argenterio videtur contra Aristotelem in hac re somnum nullatenùs per impotentiam sensûs esse definiendum, imò potiùs somnum & impotentiam sensûs esse effectivum, alterum alterius nam ait, *Aut enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus*: ergo ex his verbis clarè colligitur somnum non esse impotentiam, sed eam causare & ab ea causari, ac proindè per impotentiam definiri nequit. Ulteriùs, quia in somno naturali partes non privantur totaliter desensu virtutis à cerebro, sed potiùs aliqua objecta sentiuntur: ergo non rectè definitur per impotentiam sentiendi.

Nobis tamen dicendum est somnum formaliter in privatione consistere. Quæ sententia non solùm ruerur ab Aristotele *loco suprà citato*, sed *lib.2. ethicorum* per sequentia verba: *Somnus est vita otium, non operatio*. Et *sect. 6. problematum*, reddens rationem propter quam quando ex parte dextra cubamus, somnus magis accidit; dicit id fieri quia somnus privatio motionis est. Et Paulus *lib.1. cap.97.* dicit, somnus vitium animalium, ut ità dicam, requies est. Et tandem nostram comprobst sententiam communis hominum consensus, qui nomine somni solam privationem & cessationem operationis intelligunt; ità ut reliqua quæ in ipso somno reperiuntur, aut habent rationem causæ, aut effectûs; ità ut quandoque penea respectum ad causam aut effectum à pluribus, definiatur; & indè fallacia & prava intelligentia circa somni formalitatem investigandam nascitur.

Undè Argenterius quando dicit, *Aut enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus*, nomine impotentiæ non intelligere privationem operationis sensitivæ, sed id quod tanquam causa præcedit: nam ex eo quod partes sentientes redduntur ineptæ ad sua opera propter defectum virtutis quæ debuit principio communicari, eo ipso redduntur impotentes propter dispositionem cerebri, & hæc impotentia est quæ est causa antecedens somni & privationis, & hæc dicitur ab Argenterio effectiva, non in rigore, sed quia impedit illud quod ad operandum se tenebat ex parte efficientis, ac proindè illa impotentia non est somnus formaliter, sed privatio, cujus causa est impotentia prædicta. Undè sicut cæcitas formaliter non est privatio dispositionis per quam videt oculus, sed privatio visionis; somnus non est privatio illius dispositionis per quam partes privantur sensu & motu, sed form aliter somnus est privatio operationum sensitivarum. Undè deducimus Aristotelem nomine impotentiæ sue immobilitatis privationem intelligere: Argenterium autem minimè. Neque mirum erat Aristotelem definire somnum per id quod habet rationem causæ, ut millies fecit, quia nocivum judicabat ad intelligendum somni essentiam. Ulteriùs deducimus somnum non esse privationem totalem per defectum influxûs omninò, sed quia deficit influxus perfectus, & dicitur in definitione partis sensitivæ esse defectum, quia somnus ad eam partem animæ diximus pertinere, ità ut primò & per se non sit affectio cujuslibet sensus in particulari, sed illius partis à qua in omnes communicatur, & omnes partes recipientes per consensum dicuntur affectæ, ex eo quod non communicetur illis virtus à parte primatiò affecta; quænam autem hæc sit, postea dicemus.

Fracastorius dixit somnum esse cessationem operationis non per impotentiam, sed quia meliùs & suaviùs judicat animam quiescere quàm moveri: sed prædictus Autor videtur loqui de applicatione animæ ad somnum naturalem, quia judicat tunc esse conveniens quiescere, & non movere, non de ipsa formalitate somni, quæ applicatio, privationis operationum est causa, & de hac applicatione loquitur quãdo dicit non esse impotentiam somnum, & quod formaliter loquendo etiam nos concedimus, etiam concedendo quod in sensibus externis, & in ipso cerebro esse impotentiam; in illis quia carent influxu requisito ad sensum & motum, & in isto quia virtutem non potest communicare; semper tamen hæc impotentia rationem causæ somni, & non rationem formalem habet.

Undè ad prædictam applicationem dicimus esse necessariam alicujus sensûs externi cognitionem tactûs scilicet: nam quando somnus causatur ex vaporibus elevatis ad caput, sentitur aliqua molestia ob quam applicamur ad somnum: similiter quando causatur propter resolutionem spirituum, etiam sentitur molestia membrorum per pondus, ac proindè tactûs sensatio præcedit ante applicationem ad somnum. Et licèt applicatio sit voluntaria, nihilominùs dependet tanquam ab excitante ab aliqua molestia sensata & cognita per tactum, ac proindè eâ positâ applicamur ad somnum; si autem sint aliæ causæ somni naturalis, *infrà* videbimus, etsi sint, an contingat & præcedat ad illas talis sensatio.

CAPUT IV.

Quis modus sit quo fit somnus, & à qua causa immediata.

EX definitione somni *quæstione præcedenti* ab Aristotele ablata, facilè constat quomodo fiat somnus juxta ipsum: ait enim Aristoteles somnum fieri ex eo quod vapores ex alimento quod in ventriculo coquitur eleventur ad caput, ibíque concrescant, non aliter quàm vapores qui elevati sunt ab aqua calore solis in media aëria regione concrescunt; quo fit ut ratione vaporis impediatur communicatio virtutis ad sensum & motum, & indè somnus eveniat.

Neque mirum est concretionem fieri à cerebro, licèt non habeat frigiditatem supra calorem excedentem, quia sufficit quod cerebrum minùs calidum sit quàm vapores, ut concretio fiat, ut contingit in operculo testæ, quod licèt adeò calidum sit ut comburat digitum tangentem, nihilominùs quia minùs calidum est quàm vapores qui ex testa elevantur, in eo concrescunt: Quid ergo mirum quod idem contingat in cerebro? Undè fit quod frequenter, & præcipuè inter dormiendum per nares & palatum excrementa aquosa expellantur, nimirum quia in somno vapores qui elevantur, concrescunt, & per illas vias expelluntur.

Sed dices, quod vapor ille qui concrescit, à cerebro non potest habere majorem frigiditatem quàm cerebrum: si quidem ab eo illam participat, neque quod eam à propria forma potest habere per resultantiam, quia adest causa calefaciens scilicet cerebrum, quod licèt magis calidum infrigidat, magis frigidum calefacit, ac proindè vapores concreti non causabunt somnum: siquidem majorem frigiditatem quàm cerebrum habere non possunt. Sed in doctrina & modo philosophandi Aristotelis manifesta est responsio: nam verum est à vapotibus concretis non refrigerari cerebrum: sed potest concretionem descendere cerebrum, descenderéque ad inferiora & refrigerare partem in qua juxta illum fit somnus quæ calidior est.

Sed hæc Aristotelis sententia impugnatur ab Argenterio ex eo quod licèt in ea verum dicat, non tamen assignat causam universalem somni: nam in lassitudine contracta propter immodicum exercitium aliquibus, somnum contingit: sed tunc non elevantur vapores; ergo non semper somnus ob vaporum elevationem causatur.

Secundò quia experientiâ constat ex levi cantu, & suavi & levi confricatione externarum partium, ex silentio & loco tenebroso somnum causari: sed ex his causis non excitantur vapores; neque est cur in caput moveantur: ergo non sunt causæ somni universales. Sed facilè quis poterat pro Aristotele satisfacere, dicendo ibi non assignasse causam universalem somni, sed solùm dixisse potissimùm contingere ex vaporibus elevatis ad caput ex alimento quod in ventriculo coquitur.

Undè facilè intelligitur quod ab Aristotele in solutione cujusdam argumenti traditur, scilicet cur post cibum somni altissimi contrahantur, & vinum, & reliqua alia calida habeant facultatem conciliandi somnum est facilè juxta ejus doctrinam (tacitis tribus modis quibus ipse ait posse huic dubio satisfieri) respondetur quod licèt somnus refrigeratione fiat, nihilominùs ea quæ calida sunt, ut vinum, excitant somnum, ex eo quod à calore illo & cibatione similiter eleventur quamplurimi vapores ad caput; posteà autem cùm in cerebro concrescant impeditur communicatio influxûs ad sensum & motum, ac proindè patet quomodò ad somnum conducant res calidæ.

Secunda sententia est Avicennæ, & aliorum existimantium causam immediatam somni esse retrocessum spirituū vitalium ad cor, quam sequitur secundariò motus spirituum animalium, sicut unū corpus aliud sequitur gratiâ vitandi vacuum. Quod autem hoc sit verum constat ex eo quod in somno calor retrahatur ad intra, & ex eo quod partes externæ refrigerantur: & propter quod in somno indigemus quampluribus operimentis quibus in vigilia non indigemus. Constat deindè quod in somno ad intra spiritus & calor noster retrahatur, ex eo quod in somno coctiones uberiores fiunt, quæ calorem vigentem maximè indicant. Constat etiam ex pulsu: nam in somno major est contractio quia magis intra viget calor: contrarium in vigilia evenit; nam in ea major est dilatatio, quia externæ partes calidiores fiunt; undè licèt spirituum animalium in somno ad intra retractio contingat, est secundariò, & primariò tanquam in radice retrahuntur vitales. Accedit ad hoc quod ex eo in somno naturali deficiunt actiones sensûs & motûs, quia privantur instrumento communi, nempè spiritu vitali: ergo somnus contingit ex ejus retractione versus cor, quia solùm ipse juxta hos Autores est principium radicale, unde virtus ad sensum & motum medio spiritu vitali communicatur, ac proindè ex ejus retrocessu ad intra, deficiet virtus ad sensum & motum, ac per consequens somnus fiet.

Et confirmatur, quia obstructis venis soporiferis quæ post aures sunt, & cerebrum ingrediuntur, mediis quibus spiritus vitales communicantur à corde in cerebrum, somnus contingit non aliter nisi quia prohibetur ingressus calidi influentis in cerebrum: ergo ex ejus retrocessu ad cor immediatè somnus causatur.

Nobis tamen in primis dicendum est cum Aristotele unam ex causis immediatis somni naturalis esse vapores ascendentes ad caput ex alimento quod in ventriculo coquitur, non ità tamen, ut ipse ait, causatur: nam juxta illum causatur ex eo quod vapores in cerebro concrescunt & descendant ad partem calidiorem, in qua fit somnus ratione refrigerij producti à vaporibus illis concretis. Nos tamen dicimus non aliter vapores esse immediatas causas somni, nisi quia impediant communicationem influxûs ad sensum & motum, cæteris partibus corporis.

Dicimus secundò, solam retractionem spirituum animalium versus cerebrum, esse etiam causam immediatam somni, quia ex doctrina Gal. & omnium Autorum, à cerebro immediatè in omnes partes sentientes communicatur virtus ad sensum & motum mediis spiritibus animalibus: ergo per earum retractionum versus cerebrum deficeret virtus ad sensum & motum, ac per consequens immediatè ab illo retrocessu somnus fiet, secundariò tamen ex retrocessu spirituum vitalium, quatenùs ità coctiones uberiores fiant, ac proindè

licèt rettocessus spirituum vitalium non sit sufficiens ad causandum somnum, nihilominùs aliquo modo conducit, solùm ergo retrocessus spirituum animalium est causa ex se sufficiens & immediata somni, quia eâ positâ ponitur, & positâ solâ retractione vitalium non ponitur.

Sed dices fortissimè contra sententiam immediatè anteà relatam, & contra nostram, quia in animi deliquio, syncope, & magna mœstitia, aut timore, est retractio spirituum animalium & vitalium ad intra: sed nullus dixit hujusmodi affectus esse soporiferos, ità ut dicantur dormire eis laborantes, quamvis deficiat virtus ad sensum & motum: ergo causa immediata somni non optimè est assignata.

Respondetur (relicta solutione illâ dicentium quod retractio in dictis affectibus est subita, & in somno est paulatim, & sic solùm dicitur somnus paulatina retractio, quia non solvit difficultatem:) nam quòd fiat paulatim, aut subitò hoc ipso quod ponitur causa immediata somni, debet succedere somnus, quod per prædictos affectus verum est nos privari sensu & motu, tamen non dormire somno naturali, quia fiunt & supponunt causam præternaturam: si autem somni præternaturam sunt dicendi, posteà examinabimus.

Sed dices: sequitur ex nostra doctrina quod inter dormiendum omnes operationes sensuum internorum perfectiori modo quàm in vigilia fiant: si quidem in somno cerebrum abundat spiritibus animalibus, quando vi retractionis eorum causatur.

Respondetur negando sequelam, quia illa retractio fit versus ventriculos cerebri deserendo substantiam ipsius cerebri in qua operationes retrices fiunt. Accedit ad hoc quod cùm somnus multoties causetur propter maximam resolutionem spirituum quæ in vigilia fuit, contingit in somno non esse tantam copiam spirituum multoties quàm in vigilia: undè fit quod quando immediatè causatur somnus ex altera causa à nobis assignata, scilicet ex vaporibus ascendentibus ad caput, tunc etiam cùm misceautur cum spiritibus impediunt eorum communicationem, & sic à qualibet causa ex assignatis causatur, nunquam in somno sensus interni perfectiùs operantur, imò non operantur utplurimum, cùm hoc tamen verum est aliquem quandoque in somno perfectiùs operari, ut est imaginatio: hoc autem clariùs suo loco constabit.

Hinc nascitur retractionem illam spirituum animalium ad cerebrum, & vitalium ad cor quam in somno diximus fieri, illam primariò, & istam secundariò fieri à facultate trahente naturali cerebri & cordis juxta indigentiam spirituum, & licèt aliæ partes à quibus hujusmodi spiritus trahuntur, eis indigeant & retineant, nihilominùs major est vis facultatis naturalis trahentis cerebri & cordis quàm vis facultatis retinentis aliarum partium à quibus spiritus trahuntur.

Denique adverte cor non attrahere secundariò postquam attrabit cerebrum, propter aliquam subordinationem inter cerebrum & cor: sed ex eo quod quando cerebrum attrahit propter defectum spirituum animalium, etiam deficiunt spiritus aliqui vitales, & sic cor movetur ad attrahendum juxta suam indigentiam, ità tamen ut ejus virtus trahendi non se extendat ad extremas partes corporis, sed trahat ex proximis, & deindè succedant spiritus ex partibus externis remotis ad replendum vacuum; ridiculum enim in hac re est dicere quod primariò spiritus animales moventur ad cerebrum, & secundariò vitales ad cor ad repletionem vacuitatis relictæ ab animalibus, quia quod ad replendum vacuum movetur versus illam partem, movetur versus quam corpus quod primariò movetur: constat autem animales spiritus moveri versus cerebrum, & vitales versus cor: ergo vitales non moventur ad replendum vacuum spirituum animalium, quia debebant moveri vitales etiam versus cerebrum. Deindè quia non esset major copia in somno quàm in vigilia spirituum vitalium versus viscera, quia si solùm ad replendum vacuum moventur, tot movebuntur quot retrahuntur, & sic eadem erit quantitas.

CAPUT V.

Cur aliqua peculiariter somnum inducant.

CUm constet aliqua peculiariter somnum inducere, ut lectio, meditatio, levis fricatio, & alia quamplurima da quibus dicemus: In præsenti quærimus causam cur prædicta somnum inducant. Et primò quidem ab Aristotele assignatur ratio cur lectio aut meditatio inducant somnum, nimirùm quando corpus est in as dispositione, ut excrementis frigidis abundet, dormit quando incipit meditari, quia tunc moventur spiritus intra cerebrum, & calefaciunt illam materiam excrementitiam, & vapores elevantur ex quibus causatur somnus & vincitur meditatio: at verò quando ex attenta lectione moventur spiritus & calefit cerebrum, ità ut quantumvis aliqui vapores sunt, vincuntur & resolvuntur, tunc accidit vigilia & motus spiritualis, scilicet meditatio, vincit corporalem, scilicet vapores.

Undè etiam fit quod quando anima ità meditatur, ut per cognitionem non inveniat quod quærit, tunc vigilet, quia calidum influens ad extra movetur, hoc est spiritus, mediis quibus virtus communicatur ad sensum & motum ad extra movetur, & anima indefinitè se habet: at verò quando per cognitionem jam adepta est quod volebat, dormit quia anima jam est definita & terminata, ac proindè tunc quiescit, & sic non est cur calidum, ad extra moveatur. Ex quo deduco quod duraret cognitio illa, etiam adepto fine in ea intentione quam habebat anteà, non est dubium quin vigilaret: sed ideò fit somnus quia quiescit ab illa, quando verò dubitat aliquid ex natura ipsius, videtur non quiescere.

Undè inferunt quod ex fricatione & plantarum titillatione ex levi & suavi cantu, & ax levi decursu aquarum, ex cantilenis & motu cunabulorum, quod in pueris frequenter contingit, accidit somnus: Et horum omnium unicum est fundamentum, quia scilicet quando aliqua ras ex dictis est, avocatur anima ab operationibus intensioribus in quibus erat intenta, & solùm attendit remissè ad id quod proponitur, per auditum (si objectum propositum audibile est) & sic de aliis, ac proindè spiritus ad intra moventur ex avocatione animæ propter indigentiam, ac proindè

indè contingit & accidit somnus secundum alios sensus, & secundum illum cujus objectum iocitat ad somoum, vigilat; ità tamen ut paulò post etiam secundum illum dormiat, & hoc eft præcipuum fundamentum quod in his & aliis similibus habeodum est, ità ut in omnibus his ob haoc ratiooem accidat somnus.

CAPUT VI.

Quo pacto excitetur animal à somno.

CUM causa immediata somni à oobis assignata sit illa quæ impedit commuoicationem spirituum, ad partes externas, sive ratione vaporum obstruentium, sive ratione retractionis spirituum ad cerebri ventriculos; io præsenti restat scire quo pacto animal excitetur à somno, ideft quæ fit causa ut communicentur spiritus ad exteriora, ratione quorum animal dicatur excitari à somno & vigilare.

Ad quod supponeodum est animal dupliciter posse à somno excitari, aut spontè, aut vi illatâ, & de his duobus modis dicere debemus, quo pacto animal à somoo excitetur. Circa primum, scilicet quâ ratione spontè excitetur à somno: dicimus quod quando vapores qui impediebant communicationem spirituum dissipantur & resolvuntur, & alij oon elevantur, finitâ jam coctione, tunc excitatur spontè animal à somoo, quia resolutis vaporibus viæ redduntur patentes, & aptæ ut omnibus partibus corporis spiritus communicentur, & sic cootingit excitatio à somnò spontè & absque aliqua vi.

Quando autem somnus fit ad recuperandas vires amissas labore, aut vigiliâ, statim cessat, ac vires adquiruntur.

Si verò quis excitetur à somno vi illatâ, ut sono, aut voce, clamore, aut tangeodo, contrectando, manibusque impellendo, videtur difficile assignare rationem quare quis excitetur à somno, & præcipuè difficilior est ratio ob quam vi vocis fit talis excitatio: nam cùm in sensu nihil producatur quàm species vocis & hæc non coodocat ut tollatur causa somni, aut ad hoc ut spiritus ad extrà moveaotur, difficile videtur ratione illius animal à somno excitari.

Sed nihilominùs si dictis stemus, veritas nostræ conclusionis suam vim habet: dicimus enim animal tunc excitari à somno, ex eo quod sentiantur prædicta subjecta, scilicet sonus per auditum & tangibile per tactum; nam cùm io somno non priventur partes totali iofluxu, ut dictum habemus, inde oascitur, quod hujusmodi objecta sentiantur, & oatura tunc conatur majorem quantitatem spirituum adducere; pelluotùrque tunc vapores, si qui sunt in via, ut quando quis excitatur ante finitam coctionem; ità ut aliqui vix vocati statim excitaotur à somno, & alij minimè, ex eo quod pauciores aut hebetiores habeant vapores obstruentes vias, mediis quibus virtus debebat communicare, aot quia pauciores, aut hebetiores habeant spiritus ad motum: undè etiam fit minùs excitari homioes per visum, tum quia in quibusdam animalibus sunt palpebris oculi cooperti, tum quia non immutatur realiter à quolibet objecto ac sensibili organum, sed solùm à lumine à quo sæpè excitantur à somoo dormientes.

Denique in calce hujus quæstionis, nota quod quando una potentia vigilat, & cæteræ dormiuot, communicatur virtus juxta indigentiam, & etiam facultas trahens ipsius partis operatur circa spiritus trahendos missos à cerebro; ità ut licèt cerebrum illos non mittat usque ad organa, sed usque ad aliquam partem quæ habeat debitam cum eis distantiam, ut virtus possit communicari, nihilominùs facultas traheos partis potest spiritus trahere ab illa parte io quam à cerebro missi sunt.

CAPUT VII.

In qua parte sit somnus.

EX his quæ Aristoteles tradit circa causam immediatam, & circa modum quo somnus causatur, facilè in hac quæstionem ens Aristotelis intelligitur: nam ille affirmavit partem in qua somnus est, esse cor, ex eo quod in somno calor influens versus illud moveatur, cerebrum autem somni priocipium dicitur, ex eo quod ibi vapores ab ejus frigiditate concrescant, & cùm postea descendant ad cor, & impediaot exitum caloris influentis, indè est, ait Aristoteles, somoum in corde fieri, licèt in cerebro principium habeat.

Galenus autem arguit contra Aristotelis sententiam; nam iste fatetur capite repleto somnum fieri, & aliàs nullam adducit ratiooem ob quam cor primò patiatur, & in eo fiat somnus. Deindè quia ex prædicta senteotia sequeretur quod in omnibus soporiferis affectionibus remedia esse applicanda cordi, & non cerebro, quod est contra methodum communem; semper enim cerebro prædicta remedia applicantur, licèt patiatur per consensum: in quo casu etiam debent applicari patri primò affectæ, ut si propter maximam cordis distemperiem calidam incidat quis in vigiliam, tuoc primò semper debemus apponere remedia capiti, quia ibi est immediata distemperies quæ vigiliam parit, tamen etiam in isto casu & alio simili, remedia soporifera cordi debent applicari, ut non tam intensè alteret cerebrum quod per consensum in hoc casu patitur; ex prædicta autem seotentia Aristotelis, sequitur semper soli cordi remedia debere applicari in prædictis affectibus, quod est contra communem methodum.

His ergo contra Aristotelem prajactis ait Galeo, somnum in cerebro fieri ex eo quod principium facultatis sensitivæ & motivæ est, & ex eo quod somnus fit deteoto io cerebro, aut attracto spiritu, vel vapore impediente commuoicationem virtutis ad sensum & motum, ut suprà latè diximus: undè planè sequitur partem primariò affectam esse cerebrum, & inde per coosensum cæteræ partes secundariò laborant: undè quando Aristoteles & Gal. asseruot somoum & vigiliam esse affectionem seosûs communis, per sensum communem non intelligunt illam specialem potentiam à Philosophis assignatam ut distinctam ab imaginatione & reliquis; sed nomine sensûs communis iotelligunt partem quæ est principium commune ad seotiendum, scilicet cerebri substantiam; & dicuntur somnus & vigilia affectiooes cerebri, non quia in rigore potentia

tia cerebri patiatur, quia solùm suo modo spiritus immediatè patiuntur: dicitur autem pati, & in illo somnum fieri, quia vis sentiendi juxta illum, vel in illo detinetur. Quod autem ibi facultas non patiatur, sed solùm spiritus suo modo pati dicantur, constat quia somnus aut vigilia fiunt solùm præsentiâ aut absentiâ calidi influentis, spirituum videlicet, illæsâ manente facultate, non aliter ac quando coctio in ventriculo optima non est, quando ob cogitationes calidum influens medio quo coctio debebat celebrari, avocatur ad extra, & ventriculum deserit; tunc enim illæsa manente facultate solùm per absentiam calidi influentis talis effectus evenit: sic ergo in cerebro debet contingere, ac proinde solùm dicitur affici, ut dictum est, quia est subjectum juxta quod vel in quo vis sentiendi detinetur.

Undè cerebrum non solùm habet rationem efficientis sensûs & motûs, sed etiam recipientis aut continentis, ob quod & non solùm ob efficientiam sensûs & motûs somnus in eo fit. Denique rectè dicitur somnum primariò esse in cerebro, & secundariò in reliquis partibus, intrinsecè tamen in omnibus, quia verè omnes partes sentientes carent aliquo intrinseco, videlicet influxu ad sensum & motum; dicitur tamen solius cerebri affectionem, idest solùm in illo somnum fieri, quia est principium commune & immediatum à quo in totum corpus virtus ad sensum & motum communicatur.

CAPUT VIII.

De causa finali somni.

SOMNUM naturalem non habere causam finalem si præcisè quatenùs privatio est, consideretur, clarè constat, quia nullum agens potest intendere non esse: similiter certum est somnum naturalem habere causam finalem, si non ut mera privatio consideretur, sed prout habet conjunctã actionem naturæ: nam si ex retrocessu spirituum causatur, habet conjunctam actionem animalem cerebri quâ spiritus retrahuntur; si autem ex vaporibus à ventriculo in caput ascendentibus originem habeat, tunc licèt actionem cerebri conjunctam non habeat, habet tamen actionem alterius partis, ventriculi scilicet concoquentis, & sunt causæ naturales quibus flatus & vapores ad cerebrum mittuntur. Neque enim credendum est naturam ità formasse has partes, ut tam facilè ad caput ascenderent vapores, nisi aliquem finem intenderet: neque ex hoc sequitur semper post cibum assumptum esse somnum, quia vel non semper ascendunt vapores ad caput, vel si ascendunt non in sufficienti quantitate ut somnum causent.

Sed restat scire quisnam sit finis somni, & dicendũ cum Arist. & omnibus Medicis est, duplicem finem partialem somni esse, videlicet, *quietem ab operibus animalibus*, in qua reparatio deperditi fit, *& ciborum coctionem*, ex eo quod calor ad intra movetur in somno, quo fit ut coctiones perfectiores fiant; quod clariùs constat ex Gal. dicente loquendo de sõno; *Igitur in toto eo tẽpore videtur animalis vis quiescere, naturalis verò vehementiùs operari.*

Sed dices cum Argenterio; nam quiete illa solùm indigent quæ sunt fatigata labore: ergo si somnus fiat ex vapore ascendente ad caput, potest fieri quando quiete non eget.

Resp. somnum fieri aut propter quietem (nomine cujus mera privatio non est intelligenda, ut diximus, sed intelligenda est actio naturæ ei conjuncta, scilicet spirituum reparatio per eorum regenerationem, aut propter coctionem, & sic quando causatur à vaporibus, est propter reparationem spirituum. Neque sufficit quiescere, idest non moveri localiter: nam deficit refectio spirituum, quæ fit tempore somni, quæ non ità fit dum non movetur localiter animal.

Undè somnus neque semper fit propter coctionem alimenti, neque semper opus esse otio, sed utrunque pro diversa occasione fieri, ac proindè prædicti fines partiales sunt, unum totalem integrantes, videlicet salutem: dicitur autem quiescere cerebrum quando non transmittit spiritus, ut in vigilia; quando autem ità quiescit, spiritus regenerantur, & vivens reparatur.

CAPUT IX.

Quomodo spiritus per vigiliam consumantur.

QUod in vigilia spiritus consumantur, resolvantur & dissipentur, & Avicenn. expressè fatetur, & omnes Medici unanimiter defendunt: Itaque solum est dubium quæ dispositio incompossibilis & corruptiva spirituum in vigilia producatur, ratione cujus vires in ea dilabi dicantur & consumi & videtur non esse modo quo hujusmodi spiritus corrumpantur; nam quidquid corrumpitur, ratione alicujus dispositionis ab aliquo afficiente productæ incompossibilis cum sua forma, debet corrumpi: sed per actionem animæ sensitivæ cognoscentis nulla contraria dispositio incompossibilis cum spiritu introducitur: ergo quantumvis anima operationes sensitivas exerceat, spiritus non possunt corrumpi, ac proindè non videtur assignabilis ratio ob quam in vigilia spiritus consumantur, præsertim cùm operationes sensitivæ animæ in ejus perfectionem ordinentur: ergo non possunt conducere ad vitium lapsum per spirituum resolutionem. Neque spiritus possunt corrumpi à temperie partium ex eo quod ab ea recipiant qualitatem, cùm sit incompossibilem, quia cùm temperies sit necessaria ad opera partis sentientis, malè fecisset natura si illi concessisset vim producendi qualitatem corruptivam, præsertim quòd si hoc ità esset, inter dormiendum etiam esset corruptio spirituum potiùs quàm eorum regeneratio.

Aliqui circa hanc rem ità opinati sunt ut affirment per cogitationem, & imaginationem, & per alias operationes animæ sentientis produci qualitatem quandam realem spirituum corruptivam, hancque produci ab anima mediâ specie expressa, non autem produci mediâ impressâ specie sensuum externorum, ex eo quod hæc est inferioris virtutis, cùm ad eam anima non concurrat, sed solùm ab objecto producatur: at verò ad actionem speciei expressè animam concurrere, & sic ab anima mediâ illâ produci qualitatem realem incompossibilem corrumpentem spiritus affirmant. Fundamentum hujus opinionis est quia in essentialiter subordinatis, si unum agit in virtute alterius, secundum retinet virtutem primi: sed species & objectum sunt essentialiter subordinata: ergo virtus objecti manet in specie, ac per consequens si objectum producere potest effectum realem, etiam species potest dictam qualitatẽ realem producere.

Sed contra istum modum dicendi sic argumentor,

rot, imprimit ratione S. Thom. prima: Intentiones non causant transmutationes naturales: sed totum esse speciei expressè est intentionale: ergo non potest causare transmutationes reales.

Secundò sic argumentor, quia vel talis species expressa habet vim producendi prædictam qualitatem realem ex objecto quod repræsentat: & hoc non, primò quia species expressa non producitur ab objecto, sed efficienter ab anima nascitur: ergo non potest ab objecto mendicare virtutem producendi prædictam qualitatem.

Secundò: quia si ab objecto mendicaret species expressa virtutem producendi illam qualitatem corruptivam spirituum, sequitur quod quando objectum non est qualitas activa, species expressa, non habeat talem vim, ac per consequens si aliquis vigilet & imaginetur, & cogitet circa quantitatem, aut quodlibet aliud objectum activitate carens, sequitur quod quantumvis diuturna & intensa sit vigilia, non corrumpentur spiritus, neque animal defatigetur, quod est absurdum, & contra experientiam. Deindè non minùs hæc qualitas produceretur ab specie impressa, imò potiori ratione quàm ab expressa, quia illa immediatior est objecto, ac proindè ab objecto potiori ratione virtutem producendi prædictam qualitatem mendicavit; quod de impressa nullus dixit huc usque.

Deindè neque anima quæ productiva est speciei, expressè debet habere efficaciam producendi prædictam qualitatem, quia si anima mediâ specie producit talem qualitatem, species debet concurrere ut instrumentum: sed si concurrit ut instrumentum, non potest species expressa dici causa æquivoca illius effectus, quod est contra præcipuum fundamentum: ergo ab anima mediâ specie non potest produci talis qualitas; neque anima & operationes se habent ut causæ partiales, quia in effectu non est quid diversum correspondens utrique causæ.

Denique neque ista species potest producere qualitatem illam realem, quia hæc perfectior est specie: & licèt concederemus species expressas internorum sensuum esse perfectiores qualitate dicta, nihilominùs, non constat ex ullo capite hujusmodi species per se productivas harum qualitatum incompossibiliū cū forma spirituum inter se: Neque ratio quæ potest sumi ex majori perfectione aliquam vim habere potest, quia Angelus est perfectior homine, & illum non potest producere, & homo est perfectior equo, & illum non potest producere: ergo nulla est ratio ad id asserendum, ac proindè talis modus philosophandi inutilis est. Neque id quod intendit hæc sententia sequitur ex eo quod dicit Aristoteles, ***Alterant sensus imaginationes & cogitationes***: nam ibi loquitur de alteratione quæ imaginationes & cogitationes sequitur per accidens, per se; quatenùs videlicet in quantum imaginationes & cogitationes inferunt quasdam passiones animæ motu calidi influentis, ratione cujus corpus quandoque intensè calefit, quandoque frigesit ex discessu spirituum, ac proindè ratione intensioris calefactionis & frigefactionis spiritus dissipantur, hoc tamen non ratione imaginationis & cogitationis per se, sed per accidens, ut dictum habemus.

Sed dicendum nobis est difficile non esse assignare in vigilia causam corrumpentem spiritus: nam ratione intensæ imaginationis vel cogitationis caput valdè magis calefit, cùm autem spiritus sint corpus tenuissimum & levissimū ad sui corruptionem non indiget intensâ contraria dispositione sicut ea non indiget ad sui generationem, ac proindè vi majoris caloris causati ratione intensæ imaginationis & cogitationis possunt corrumpi & dissipari; tunc enim ad cerebrum non solùm spiritus in majori quantitate moventur (à quibus corruptio sui ipsius non causatur) sed sanguis & vapores calidiores & sicciores à quibus resolutio in vigilia fit, & aliquando à frigiditate cerebri corruptio etiam fit, in majori tamen intensione quàm ab ipsa temperie cerebri generantur: nam eadem numero temperie non poterant generari, & corrumpi spiritus. Undè fit quod cùm moveantur spiritus in majori quantitate ad cerebrum ratione intensæ imaginationis, aut cogitationis, contingere omnes partes corporis debilitari, ex eo quod ab eis discedent spiritus & non possint tam citò regenerari.

CAPUT X.

Quæ sint causæ somni & vigiliæ contra naturam, & quo pacto operentur.

Expreta sententia Galeni est, licèt Argenterius eam calumniare videatur, somnum causari à frigiditate, & humiditate, sive seorsim, sive conjunctim; vigiliam verò à calore & siccitate etiam sive seorsim, sive conjunctim. Et ratio horum est quia calor & siccitas faciunt ad motum spiritus ad exteriora, & sic vigilia sequitur; frigus verò & humiditas faciunt & conducunt ad quietem spiritus in internis, & impediunt eorum communicationem. Et ratio ad Galeni placitum probandum desumi debet ex alimentis & medicamentis quæ somnum conciliant quæ sunt frigida & humida, & ex his quæ vigiliam inducunt, quæ sunt calida & sicca. Denique ex ætate & temperamento sumitur ratio, utpotè pueri magis dormiunt qui calidi & humidi sunt, senes verò multò minùs qui frigidi & sicci sunt; & licèt frigiditas conducat ad somnum, quia tamen siccitas magis conducit ad vigiliam in eis, quia major est, ideò senes magis vigilet quā somnolenti sunt.

Sed dices: aloës & myrrha inducunt somnum, & tamen sunt calida & sicca: ergo calor & siccitas non conducunt ad vigiliam, vel si conducunt, conducent etiam ad somnum.

Respondetur quod licèt aloë & myrrha sint calida & sicca, nihilominùs causare somnum, quia habent quasdam partes pingues & humidas quæ actione caloris attenuantur, & in vaporem convertuntur, petuntque cerebrum, ac proindè impediunt communicationem spirituum & somnum causant: at verò partes siccæ horum medicamentorum non inducunt vigiliam, quia non sunt aptæ ut in vapores mutentur petentes caput, sed potiùs manent in ventriculo.

Undè fit, ad vigiliam præternaturam primum locum habere calorem, secundum verò siccitatem; ad somnum autem etiam præternaturam primum locum habere frigiditatem, secundum verò humiditatem: enim hoc tamen est verum somnum naturalem posse causari ab humiditate moderata; si verò humiditas sit excedens sine dubio somnum præternaturam causabit.

Sed dices: videtur quod ab humiditate moderata non fiat somnus naturalis, quia ille dicitur somnus

somnus naturalis qui fit operante naturâ, vel per retractionem spirituum ad interiora, vel per elevationem vaporum: sed quæ fit ab humiditate non fit ulla ex his causis: ergo non est naturalis.

Respondetur somnum ab humiditate moderata causatum dici naturalem, quia non procedit ex morbo, neque adeò excedit, ut lædat sensibiliter actiones; potest tamen dici quod hic modus continetur sub secundo, quia vapor, ex humectatione alimenti etiam causat naturalem somnum.

Ob eandem rationem dicere debemus frigiditatem moderatam somnum naturalem causare; nam si humiditas moderata eo modo quo diximus, causat somnum naturalem, ità frigiditas eum poterit causare: siquidem non est major ratio unius quàm alterius, utpotè ambo si in excessu sint, causant somnum præternaturam: ergo in moderatione causabunt naturalem somnum, quia possunt esse in tam remissa intensione, ut sufficiant ad somnum naturalem, quia in illo non erit læsio operationum, & non sufficiant ad somnum præter naturam, in quo erit læsio operationum sensibilis.

Sed difficilius est secundum dubium, scilicet quâ ratione prædictæ qualitates conducant ad somnum & vigiliam? Et quidem non solvitur universaliter dubitatio, dicendo per solam alterationem factam in organo interiori ab istis qualitatibus fieri; ità ut calor & siccitas disponant ad opus, frigus verò & humiditas ad cessationem operis, quia licèt hoc valeret quantum ad internas operationes, non verò quantum ad exteriores sensus, nisi habitâ ratione spirituum. Et ità dicendum est calorem & siccitatem causare vigiliam præternaturam, quatenùs conducunt ad motum spirituum ad extra, frigiditatem verò & humiditatem conducere ad somnum, quatenùs prohibent talem motum, conferúntque ut intùs detineantur spiritus.

Sed dices, quia videtur ratione caloris & siccitatis spiritus ad extra non posse moveri, quia imprimis à se non moventur, sed ab efficiente debent moveri: sed ex eo quod calidiores & sicciores reddantur, non semper movet causa efficiens, præsertim quod cùm sit maxima indigentia somni, tinere potest eos natura intrinsecùs; ergo non videtur cur ad extra moveantur.

Respondetur per calorem & siccitatem spiritus acriores reddi & mordaciores, ac proindè irritare cerebrum ut eos moveat, & non detineat; movet autem eos versus organa externa, & sic vigilia evenit. Acrimonia autem hæc non solùm causatur in spiritibus genitis, sed in his quæ de novo generantur, quia cùm adsit causa mordacitatem producens, nempè calor & siccitas, in nimia intensione, aut conjunctim aut seorsim, necessariò in spiritibus, qui de novo generantur acrimonia producetur. Neque sufficit calor intensus sine mordacitate ad vigiliam præternaturam inducendam, ut constat in febre diaria, & sæpè in febre putrida, in quibus non est vigilia præternaturam, quia earum calor non fuit sufficiens ad inducendam mordacitatem.

Neque valet dicere quod si omnes spiritus habent qualitatem hanc irritantem, omnes ad extrà moventur, ac proindè cerebrum privaretur operatione, cùm destituatur spiritibus, quia licèt omnes qualitate irritante gaudeant, non tamen omnes simul, sed successivè debent expelli ad extra, sicque remanet aliquid interius ad operationes cerebri, præsertim cùm continnò regenerentur, tum etiam quia non omnes spiritus debent æqualiter alterari, ac proindè cerebrum in maxima indigentia eos retinet qui minùs irritent.

Frigus autem & humiditas non aliter somnum causant quàm impediendo penetrationem & communicationem spirituum ad externa; hoc autem densando & congelationem faciendo in spiritibus, ratione cujus non possunt moveri, similiter viæ occluduntur, & ità non possunt communicari spiritus. Deindè etiam frigus somnum causat quatenùs corrumpere valet naturalem complexionem & temperiem spirituum: humiditas verò etiam impedit communicationem spirituum quatenùs vias valet occludere.

Dices: quia videtur quod calor intensus qui valeat spiritus resolvere, conducere ad somnum, quia non minùs deficit communicatio spirituum, ex eo quod resolvantur, quàm ab alias causas assignatas; sed per calorem intensissimum possunt resolvi; ergo erit causa somni, quod est expressè contra Petrum Garciam, præcipuè cùm ille asserat intensum dolorem esse causam somni præternaturam propter resolutionem spirituum maximam, quæ ratione illius evenit. Potest respondeti quod cùm illo calore qui valeat tantam resolutionem facere, non posse vivens vivere, ac proindè non esse locum ut causet somnum per prædictam resolutionem. Et hæc de hac Disputatione.



DISPVTATIO V.

De capitis dolore.



CAPVT PRIMVM.

De essentia hujus affectionis & partibus, capitis quæ dolent.



DUM sermonem instituimus de capitis dolore quem communiter cephalalgiam omnes Medici appellant, sumptâ denominatione à parte affecta, & symptomate, immorandum nobis non est, neque disputandum in quo ratio doloris consistat, an in distemperie, an in soluta unitate, sed sufficit pro præsenti Disputatione scire dolorem capitis esse symptoma in actione læsa, ut testatur Avicen. *fen* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. dum inquit, *Soda* (id est dolor capitis) *est læsio in membris capitis.* Undè dubium non est quin pars affecta in hoc dolore sit caput.

Licèt in hac re aliquibus videatur Cephalalgiam esse nomen commune ad omnem dolorem capitis, nihilominùs cùm Manardo dicere debemus, cephalalgiam unum esse ex doloribus capitis difficillimum: Galenus tamen affirmat cephaleá esse gravius symptoma quàm cephalalgia: nam ait cephalea est dolor capitis diuturnus, difficulterque solubilis, qui à parva occasione vehementes habet exacerbationes, undè cephalalgia & cephalea conveniunt in hoc quod in illis facillimè

facillimè caput patiatur, differunt tamen quia per cephaleam partes multò debiliores redduntur, & diuturnius symptoma est, quàm cephalalgia, & magis inveteratum.

Sed restat aliam speciem doloris assignare quam hemicraniam vocant, & Gal. eam definit dicens: *Est dolor dimidia partis capitis*, & nihil mirum quod quandoque dimidia, pars capitis doleat, quandoque altera dimidia, quia dexteram capitis partem à sinistra distinguit & separat, suturâ per longitudinem ipsius protractâ, juxta quam intra capitis ossa linea medium cerebrum dividens protenditur, ità ut magnam divisionem habeant pars dextra & sinistra, ut ex Anatomia latiùs patet: quid ergo mirum quod possit dolor communicari uni parti vel dimidiæ, & non aliæ dimidiæ, si tanta intercedit divisio, ac per consequens hemicraniam fieri.

Hinc constabit ratio ob quam aliqui cùm tali dolore capitis laborant, ut neque strepitum, aut vocem possint sine molestia ferre, aliqui verò neque motum, neque luminis splendorem, licèt verum sit aliquos ità affici, ut nihil horum ferre possint; tamen cùm aliqui magis offendantur ex sono, alij ex lumine, & ex sono minimè, quæritur undè proveniat hæc diversitas, & breviter dicendum esse, quod cùm caput sit vitiatum, illa potentia magis læditur cujus instrumentum magis debile sit secundum proportionem partis cerebri ad ipsum.

Sed deveniamus jam ad secundum quod inquirit quæstio, scilicet quæ sint partes capitis quæ possunt dolore affici, & dicendum est quod partes capitis quæ dolore possunt affici, aliæ sunt intra calvariam, aliæ verò extra calvariam. Cognoscet autem Medicus hanc diversitatem ex oculorum radicibus, nam quando malum & dolor est intra calvariam, ad fundamenta oculorum se extendit, quando verò dolor est extra calvariam, non ità ad oculorum fundamenta extenditur, licèt quandoque si dolor sit intensissimus possit contingere, sicut etiam si dolor existat intra calvariam, & remissus sit, non se extendet usque ad oculorum fundamenta.

CAPUT II.

De causis doloris capitis.



CUM Medici diversas causas doloris capitis assignant, simul signa quibus debent cognosci referunt: Et primò quando ex flatu aut vapore fit dolor capitis, dicitur tensivus, quia sensum tensionis facit: cognoscitur autem ex flatu causari per facilem permutationem ab uno loco in alium, ex eo quod flatus & vapores leves sunt, & sic facilè moventur, & sensum gravitatis ullatenùs causant, sed solùm distendunt ipsam partem.

Quando verò dolor capitis causatur ex biliosa causa, tunc dolor mordax & acris sentitur cum punctione aliqua & adustione vehementi cum siccitate, strictura narium, cum siti & vigiliis & citrinitate coloris. Licèt autem quando ex pituita salsa sit dolor, aliqua ex his habeat, non tamen omnia; cùm verò dolor à plenitudine procedit, cujuslibet humoris sensum gravitatis inducit, & dolor gravans dicitur, ad cujus sensationem non solùm sufficit in tactu species intentionalis, sed immutatio realis, ac proindè ex diverso modo reali immutandi diversus modus sensationis fit, præsertim cùm etiam qualitates secundæ ut mordacitas, sentiuntur per species, ad quarum sentionem immutatio realis est necessaria simul cum intentionali, ac proindè ex diverso modo immutationis, & ex diverso objecto diversus dolor causatur, & sic est dolor tensivus, & gravans, quia diverso modo ab his afficitur realiter pars, & objecta sunt diversa. Igitur optimè dixit Galen. quod dolor gravans ostendit multitudinem alicujus humoris, quia licèt quælibet pars humoris habeat eandem gravitatem intensivam cum plurima quantitate ejusdem humoris, nihilominùs plus ponderat plurima quantitas humoris, ità ut gravitas non sentiatur sine plurima quantitate humoris sufficiente ad inducendum pondus.

Cùm ergo dolor gravans necessariò sit dolor cum materia, & per consequens ab omnibus humoribus, causari potest, dicendum nobis est quod cæteris paribus, in quantitate majus pondus causari ab humore melancholico quàm à cæteris, quia est humor magis terreus, & sic magis gravitat, & pars magis ab eo gravatur. Quando autem à melancholia talis dolor causatur, fiunt vigiliæ plures (ratione siccitatis humoris, quæ maximè ad eas conducit, ut & de somno & vigilia diximus) alienatio & cogitatio corrupta, & tenebrositas coloris faciei & oculorum.

Deindè cæteris paribus etiam in quantitate, attentâ ipsius ratione sola, secundum locum habet pituita in pondere, ità ut præter melancholiam, majus pondus fiat à pituita. Cognoscitur autem ab hoc humore fieri, ex pigritia, & tarditate, & oblivione, & plumbeitate coloris in facie, & oculis. Tertium locum habet sanguis, quia post pituitam magis ponderat quàm bilis. Cognoscitur autem quod dolor gravans fiat à sanguine, ex rubedine & inflammatione in venis vehementiori. Tandem ultimum locum bilis, quia cæteris minùs ponderat ob suam maximam tenuitatem, & cognoscetur ex eo quod maximam adustionem causat cum cæteris signis *suprà* dictis.

Undè à quolibet ex his humoribus, potest causari major gravitas si fit in majori quantitate quàm cæteris, supponendo æqualem sensum in parte; nam pituita licèt sit in majori quantitate, nihilominùs potest ratione frigiditatis causare hebetudinem in sensu, ac proindè pars non sentiet pondus. Tanquam verum ergo deduci debet ex tota hac doctrina omnem dolorem gravantem supponera materiam, hoc est humorem gravitantem & ponderantem, non tamen omnis dolor qui ex materia fit, est gravans, quia dolor causatus ex ventositate & vapore, non est gravans, sed tensivus, & nihilominùs supponit materiam, nempè flatus.

Denique notare debemus quod si loquamur de eo quod frequenter accidit in corpore, cùm plus sanguinis generetur ab eo, frequenter dolor magis gravans causatur, quia dicitur in majori quantitate; deinde à pituita, tertiò à melancholia, & denique à bile, quia licèt hujus sit major quantitas, quia tamen humor valdè tenuis est, ideò oportet esse in plurima quantitate, & cæteri

teri omnes in minima, ut ab illo major pondus sentiatur.

CAPUT III.

Quæ sunt quæ faciunt ut facilè incidat quis, in capitis dolorem.

INTER ea quæ valent dolorem inferre, alia se habent ex parte objecti, alia verò ex parte subjecti: Ea faciunt ut facilè quis incidat in dolorem capitis ex parte objecti secundum Avicenn. quæ aromatica sunt, quia nimis vaporosa, ità ut caput repleant & distendant, & dolorem causant: propter eandem rationem vinum si in majori quantitate, aut meracius assumatur, capitis dolorem causat, quia vapores plurimos elevat, & in caput mittuntur. Igitur ut uno verbo dicam, omnia illa quæ vaporosa nimis sunt, faciunt ut quis facilè incidat in dolorem capitis ex parte objecti.

Etiam ratione indispositionis subjecti potest quis facilè incidere in capitis dolorem, ut si caput debile sit, facilè recipit extraneum & parum resistit causis potentibus causare dolorem. Deindè propter debilitatem facultatis expultricis, aut defectu viarum per quas debebat fieri expulsio nocivi, similis dolor fit ex parte subjecti. Ac deinque aliam causam adducit Gal. ut facilè incidat quis in dolorem capitis, nempè sensuum exuperantiam & acutiem, non aliter quàm contingit quando os ventriculi sensu acuto laborat, ut neque acetum, aut sinapim, aut aliquid hujusmodi possit citra molestiam ferre.

Sed dices: Id quod est secundum naturam non potest esse causa alicujus præternaturam: sed acuties sensûs est secundum naturam, ergo non potest esse causa doloris qui est præternaturam.

Respondetur negando antecedens: nam sensatio est secundum naturam, & si hæc non adesset, non esset dolor qui est præternaturam. Et in aliis sensibus etiam constat: nam tinnitus aurium cum acuto sensu infert molestiam, & cum hebeti sensu nullatenùs: ergo primum antecedens est falsum.

Dices secundò: quia acuties sensûs solùm potest facere ut perfectiùs sentiatur objectum, sive hæc perfectio consistat in majori distantia percipere objecta, sive in majori intensione; non verò acuties potest facere ut molesta sit sensatio: ergo non potest esse causa ut facilè quis incidat in dolorem capitis.

Respondetur acutiem sensûs posse præstare quod sentiatur objectum quod non sentiretur ab hebeti sensu, & quod perfectiùs intensivè sentiatur, tamen si sint duo quotum utrumq; objectû sentiat, unum potest contingere cum molestia dolorifica, alterum minimè ex sola intensionis diversitate; & licèt ad dolorem non solùm requiratur sensatio, sed quod natura subitò & affatim corrumpatur, etiam si ex parte utriusque sit corruptio naturæ æqualis ex eo solùm quod alter magis sentit, dolebit magis, unde sufficit intensior sensatio, non solùm ad majorem dolorem, sed etiam ad dolorem absolutè, ut *suprà* dixi.

CAPUT IV.

An omnes partes capitis dolore affici possint.

HUIC dubitationi occasionem dedit Galenus 3. *lib. De locis affectu, cap.* 9. ubi docet pericranium & internas membranas cerebri solùm dolore affici posse: deindè ipse Gal. *in libro de composit. pharmacorum secundum locos*, affirmat alias partes plures dolore affici, scilicet cerebri arterias, venas, nervos, membranas, & cutem. Vt ergo hujus rei certa & stabilis veritas patefiat, in præsenti idem est quærere an omnes partes capitis dolore affici possint, ac quærere an omnes partes cerebri sentiant: nam cùm ad dolorem ità sit necessarius sensus, si hunc habent, sine dubio poterunt partes objectum molestantem & dolorificum sentire.

Circa hanc dubitationem duo sunt in quo omnes unanimiter conveniunt: Primum est, veram cutem capitis, pericranium, nervos, & duas internas membranas dolore affici posse, quia reverà habent sensum, ac proindè jucundum & molestum seu dolorificum objectum percipere posse. Secundum in quo conveniunt, est ossa non habere sensum, utpotè sunt terreæ substantiæ, & sic dolore affici non posse. Quam veritatem probat experimentum: nam si ossa dividantur, non sentitur dolor secundum illa: ergo ex eo est quia non habent sensum: nam si illum haberent à maximo objecto corrumpente naturam, sine dubio afficerentur. Neque valet dicere habere sensum, sed in præsenti casu secundum ea non sentitur dolor, quia est major dolor ille qui fit ex divisione carnis & periostij, & sic dolor ossis non sentitur, quia ex Hippocr. 2. *aphor. text.* 46. *Duobus doloribus infestantibus, major obscurat minorem*: Quia si denudetur os carne, & perioftio, & dividatur, tunc sine dubio non sentitur dolor: ergo non habent sensum ossa. Quod argumentum idem probat de osse capitis quod cranium dicitur, ità ut neque vim habeat sentiendi, neque dolore affici possit; quod an sit verum posteà latè disputabimus.

Sed majorem habet difficultatem explicare an substantia cerebri sentiat. In qua re Fernelius affirmavit substantiam cerebri non sentire, ex eo quod in letargo & phreitide, etiamsi sine cerebri inflammatione dolor non sentitur: si autem essent partes sentientes, partes substantiæ cerebri sine dubio dolerent, præsertim cùm esset maxima distempeties in dictis affectionibus & solutio continui. Sed reverà fallitur iste Autor; nam ipse fatetur cum omnibus Medicis membranas cerebri esse sensitivas & dolore affici posse: sed in phrenitide membranæ sunt affectæ, & tamen non sentitur dolor: ergo ex eo quod substantia cerebri non sentiat dolorem in dictis affectibos, non benè infert sensu carere; præsertim cùm in letbargicis; quid mirum dolorem non sentiri si attendamus ad profunditatem somni, & in phrenitide debemus idem dicere: nam cùm ratione illius mens ægrotet, non est mirum dolorem non sentiri in substantia cerebri, dicente Hipp. 2. *aph. text.* 46. *Quicumque aliquâ parte corporis dolente, dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.* Præter-

quam quod Avicen. aliquem dolorem in lethargicis quandoque reperiri affirmat.

Sed licèt suprà dicta ratione Fernelij ooo probetur optimè substantiam cerebri non sentire, nihilominùs pro suo placito confirmando possumus aliquas adducere rationes, quia si substantia cerebri sensum haberet, ac proindè dolore posset affici, sequitur quod continuo dolore afficeretur, cùm semper vapores ex aliis partibus recipiat, qui necessariò caput distendunt.

Secundò quia omne organum debet esse contrariæ qualitatis expers, sicut in humore crystallino nullus color debet esse: cùm autem cerebrum sit sedes sensûs communis, & debeat judicare de omni sensu, oportet nullius esse particeps.

Tertiò probatur quia natura negavit sensum carni reliquarum viscerum, & solùm concessit sensum membranis earum: ergo non minùs in cerebro debet contingere, ità ut ejus substantia, non habeat sensum, & ejus membranæ eo prædıtæ sint.

Sed nihilominùs contraria sententia, scilicet substantiam cerebri habere sensum, licèt non acutum, sed remissum, tenenda nobis est cum Gal. qui pluribus in locis id affirmat. Et licèt in omnibus possit interpretari locutum fuisse de membranis cerebri quibus est circumvolutus, ob quod hæc pars evidenter non convincit, nihilominùs ratione probabili prædicta conclusio potest probari, quia non repugnat ex parte temperamenti ipsius, utpotè quantumvis frigidum & humidum sit, non tollit quin aliquo modo participet sensum tactûs, licèt remissè, & non ità exactus, ut sunt reliquæ partes: ergo substantiæ cerebri sensus tactûs omninò non est denegandus.

Probatur deindè ex Avicenn. *fen* 1. *lib*. 3. *tract*. 2. *c*. 4. dum agit de speciebus sodæ factæ ex apostemate, ità ait. *Et quandoque fit in ipsis velaminibus cerebri, & quandoque fit in ipso cerebro & substantia ejus*. Et *cap*. 3. dum agit de speciebus sodæ ex solutione continuitatis, dicit, *Continuitatis solutio quandoque accidit in velaminibus cerebri, quandoque in substantia ipsius*.

Ad argumenta pro contraria parte posita, non erit difficile satisfacere. Ad primum dicimus non sequi continuo dolore caput affici, licèt in illud vapores ab omnibus partibus omittantur, quia ejus sensus nó est acutus, sed valdè remissus, & sic non sufficit ut semper dolor sentiatur: nam aliquid ampliùs requiritur ut objectum causet dolorem quàm ut sentiatur. Præterea quia eodem modo probat argumentum membranas cerebri non habere sensum, quod est contra commune placitum. Patet: quia cùm membranæ habeant acutum sensum, continuo dolore afficerentur ex vaporibus continnò ascendentibus & sic eodem modo debet satisfieri argumento in oppositam sententia, dicendo magis requiri ad hoc ut objectum causet dolorem quàm ut sentiatur, & sic non sequitur has partes sensu carere ex eo quod non doleant.

Ad secundum dico quod sensus communis non judicat de sensibus externis, sed de sensibilibus & sensationibus eorum, & sic habere sensum tactûs, non impedit quod recipiat species ad prædicta cognoscenda, exemplum autem quod adducitur non est verum.

Ad tertium Respondeo in cerebro esse peculiarem rationem quæ non est in aliis visceribus, nempè expellendi nocivum, & sic ejus substantiæ potest concedi sensus, licèt non acutus; & licèt ad expellendum sensus non sit necessarius, ut patet in omnibus, ideò responsio evidenter non convincit.

Denique potest esse dubitatio de venis & arteriis non solùm cerebri, sed omnium partium corporis: nam de omnibus eadem est ratio, an habeant sensum & dicendum breviter est venas & arterias sensum, licèt non acutum, sed hebetem habere, quod non alia ratione potest probari nisi de plenitudine ad vires, ratione sumpta, quia in prædicta plenitudine vasa sentiunt pondus & gravamen humoris: ergo ex eo est quia habent sensum.

Sed dices: sequitur quod si vasa habeant sensum, non solùm in febribus intermittentibus, verùm etiam in continuis fieri rigorem. Patet: nam si vasa sentiunt, humor transiens per illa non potest non irritare, & sic vasa movebuntur ad expulsionem, & fiet rigor.

Respondetur præter sensationem molesti irritantis requiri ad rigorem motum concussivum localem; talis autem in vasis non potest reperiri, licèt habeant fibras mediis quibus contrahuntur & distenduntur & expellunt, non sufficit ad concussivum motum rigoris, quia iste est proprius facultatis animalis, & tantùm mediis musculis fit. Vndè infertur sensum omnium partium esse ejusdem speciei, & solùm differre secundum magis & minus, ità ut nervi & membranæ intensiorem illum habeant quàm substantia cerebri & venis & arteriis, & sic de aliis partibus.

CAPVT V.

De dolore Capitis per consensum, & an in remota parte possit reperiri, non dolente proximâ.

Certum in primis est dolorem capitis posse esse per propriam passionem illius, & aliquando per consensum, ut ex Galeno, Avicen. & omnibus constat; indè etiam Avicen. *cap*. 6. incipit numerare partes cum quibus caput consentit, & modum consensûs; nam aliquando consentit caput, absque eo quod ab alia parte ei communicetur materia, neque vapor, ut contingit in tetano & spasmo, in quo sine alicujus communicatione caput patitur; aut potest pati ex eo quod materia communicetur, ut humor aut vapor; deindè potest pati ex eo quod communicetur capiti aliqua qualitas ex primis, aut venenosa per continui alterationem, quod nullo ex capite implicat.

Hoc ergo supposito, inquit Avicenn. quòd quando dolet caput per consensum cum ventriculo, dolor incipit in anteriori parte syncipitis, & fortassè declinat ad medium syncipitis, & deindè removetur. Deindè quando caput patitur cum consensu cum hepate, dolor declinat ad latus dextrum, & quando per consensum cum liene, ad latus sinistrum; & quando patitur caput per consensum cum matrice, existit dolor in margine syncipitis; & dolor qui fit causâ membranæ, declinat valdè ad anteriora.

Sed aliquibus videtur non posse caput dolore affici per consensum cum ventriculo vaporibus ascendentibus ad illud, quia si per aliquam partem debebant communicari, maximè per œsophagum, & per instrumentum olfactûs : sed si hoc est ità, non est cur aperto ore,& naribus vapores non exeunt & liberatur caput à tali dolore. Sed facilis stat solutio si dicamus nervos habere cavitates & per illos communicari vapores ; tum prætereà licèt non haberent cavitates, vapores possent communicari per aliquid intermedium inter ipsos & aliam partem ; deindè, si malum communicetur per arterias ex tunicis ventriculi, facilior est responsio. Deindè quando dolet caput per tensionem nervorum, tunc talis consensus capitis ex ventriculo, id est, vel cum ventriculo non potest negari, quia tunc non est necessarium ad talem dolorem vapores communicari, sed sufficit tensio in nervis.

Vndè infertur rationem propter quam caput patitur per consensum partium quæ suprà sunt enumeratæ, esse propter rectitudinem & communionem prædictarum partium cum capite, sic enim consentit caput cum illis.

Vndè etiam fit quod quando uterus laborat propter multitudinem causæ, tunc dolor veluti tensivus per consensum est in occipite, hoc est in posteriori parte cerebri : nam vi multitudinis distenduntur nervi secundum longitudinem ex eo quod uterus contrahatur ; talis autem tensio fit per continuationem cum spinali medulla,quæ est exortus nervorum : cùm autem spinalis medulla continua sit cum occipite & in ea distensio est, dolet posterior pars capitis ; at verò in aliis morbis uteri, ut in febribus, quæ patiente utero solent esse continentes, & in ejusdem partis inflammatione, tunc dolores solent finiri in syncipite, hoc est in anteriori cerebri parte, quod expressè à Galeno affirmatur, & adducitur ab eo ratio, quia cùm dolor contingat propter communicationem vaporum qui elevantur ad caput per magnas & copiosas arterias, quæ sunt in utero & ascendunt per carotidas quarum plures portiones sunt in parte anteriori, & rectâ viâ tendunt in illud, ibique finiuntur : sic prætereà venæ quæ ex utero communionem habent cum cerebro ex jugularibus in finibus duræ meningis finiuntur ; & cùm ad eam partem pervenit materia, in illa firmatur, & sic in anteriori parte cerebri fit dolor per consensum in prædictis uteri affectibus.

Alterum quod inquirebat quæstio, est utrum dolor possit reperiri per consensum in parte remota, quin doleat proxima, & dicendum breviter nobis est, nullam partem sive remotam, sive proximam posse dolere, quin priùs habeat in se causam doloris, ex Hipp. dicente, *Vbi est dolor, ibi est morbus.*

Secundò dico posse dolere per consensum partem remotam, quin doleat pars proxima : nam quãdo in vigilia à ventriculo in caput ascendunt vapores causantes dolorem (& idem est de qualibet alia causa) licèt transeant per partes proximas,in illis non causatur dolor, quia non firmantur, sed citò transeunt, in capite verò firmantur sive propter majorem aptitudinem, sive propter debilitatem facultatis expultricis ; & sic in capite causatur dolor quin in partibus proximis causetur non solùm tensivus, sed per alterationem à primis qualitatibus.

Similiter quando dolor plevræ extenditur usque ad jugulum, experimento constat partes quæ sunt in medio, carere dolore, quod ex eo est quia facilè cedunt causæ, & sic non est in eis solutio continui ; partes autem juxta jugulum existentes resistunt, & sic in eis fit solutio continui, & dolor, quin in proximioribus dolor ullus sentiatur. Optimè ergo possunt dolore per consensum affici partes remotæ quin proximæ partes tali dolore afficiantur propter rationes dictas.

Sed adverte non esse necessarium quòd semper parti remotæ dolenti communicetur materia, aut vapor ut doleat per consensum licèt semper sit necessarium quod ea in se sentiat objectum reale per sensum externum : potest enim id fieri sine materia quæ approximatur parti ; ità enim contingit in tetano & spasmo : nam in istis fit dolor mediâ tensione partium, ratione cujus dolor in parte remota sentitur sine materia aliqua ascendente, non tamen quin adsit præsens objectum sensationis. Et hæc de hac Disputatione.



DISPUTATIO VI.

De læsione memoriæ.

CAPUT PRIMUM.

An actio memoriæ possit lædi omni modo.



UM tripliciter possit lædi actio, aut per diminutionem, aut per ablationem, aut per depravationem, quod in præsenti quæritur, est an operatio memoriæ possit omnibus his tribus modis lædi. Circa quod qui,asserunt memoriam non esse potentiam activam, neque elicere actum in genere causæ efficientis, sed solùm esse potentiam passivam receptivam specierum, (etsi aliquam activitatem memoriæ tribuant, & esse conservativam specierum, quod facere docent in genere efficientis.) Consequenter affirmant operationem memoriæ posse lædi per diminutionem,si species minùs repræsentent; & etiam posse lædi per ablationem, si species deficiant : semper tamen negant lædi posse per depravationem : nam si hoc ità esset, deliraret, quod non esse concedendum affirmant, allatis pluribus Autoritatibus quibus hoc placitum videtur confirmari. Et præcipuum fundamentum actum depravatum negandi, est quia cùm in memoria non concedant potentiam activam ex consequenti neque actum cognitionis in genere efficientis depravatè operari non posse : nam aliàs si actum cognitionis in genere efficientis haberet, depravatè operaretur & deliraret, quod non debet concedi juxta illos.

Sed nobis dicendum est memoriam esse potentiam cognoscitivam elicitivam sui actus in genere efficientis, ità ut ei conveniat esse conservativam speciei & cognitionis elicitivam. Hæc conclusio præterquam quod habet plures & validissimos patronos, inter quos eam defendit noster Vallesius

Vallesf. Ratione etiam confirmatur:nam si aliquid esset in memoria, ratione cujus non esset potentia operativa, & ei repugnaret, maximè quia est conservativa specierum: sed intellectus passivus etiam conservat species, & simul est potentia operativa, & similiter imaginatio conservat species sensatas, & est operativa, juxta communem consensum: ergo licèt memoria sit conservativa specierum, non obstabit quominùs activa & operativa elicitiváque cognitionis sit.

Secundò, quia omnis potentia quæ constituta est per aliquam formam in actu primo, potest elicere actum secundum: sed memoria constituitur in actu primo ad operandum per species: ergo poterit elicere actum secundum, & sic erit operativa elicitiváque cognitionis.

Tertiò, quia memoria est potentia vitalis, quæ debet habere actum vitalem: sed conservare species non est actus vitalis, ut constat: ergo alius actus debet concedi memoriæ quæ vitalis sit: atqui non est alius nisi cognoscere præteritum ut anteà cognitum; ergo ad memoriam iste actus pertinebit, & potentia operativa erit sine dubio: Advette ad potentiam vitalem duo requiriri, & quod sit propria animæ secundum aliquem gradum vitæ, & quod oriatur ab ipsa anima tanquam à principio ut propria passio; & cùm memoria totum hoc habeat, videtur esse potentiam activam vitalem.

Dices, non benè sequi ex eo quod sit potentia vitalis, quòd eliciat actum vitalem: nam etiam intellectus agens est potentia vitalis, & tamen ejus actus solùm est productio speciei intelligibilis qui vitalis non est; ergo non benè infertur, memoria est potentia vitalis; ergo necessariò debet elicere actum vitalem. Sed Respondetur dicendo omnem potentiam vitalem elicere actum vitalem: nam non est cur cæteræ potentiæ vitales eliciant suos actus vitales, & non memoria, præcipuè cùm nullus dubitet actionem memorandi esse vitalem: ergo & memoria potentia vitalis debet esse cui conveniat elicere actum vitalem.

Præterea, quia non debebat poni potentia aliqua vitalis solùm propter receptionem alicujus, aliàs si memoria potentia activa non est, non est ratio quæ persuadeat species illas debere recipi immediatè in memoria, & non in quantitate, ac proinde non solùm memoria conservativa specierum est, sed elicitiva actus memorandi. Neque apparet probabile memoriam in genere causæ materialis recipere species, ità ut respectu productionis nullam habeat activitatem, & tamen efficienter conservare illas, ut contrarij Autores affirmant: nam quod tantùm se habet ut materia, & non efficienter, non potest ad conservationem concurrere nisi materialiter: sed memoria tantùm se habet materialiter & passivè recipiendo, species: ergo illas non potest conservare efficienter, sed materialiter tantùm. Neque dicendum est minorem virtutem requiri ad conservandum quàm ad producendum, & sic memoriam in genere efficientis conservare, & non producere aliquid effectivè: nam illud quod efficientiam non habet ad productionem unius effectus, non potest conservare illum in genere efficientis: sed juxta Autores contrarios memoria nullam efficientiam habet & activitatem circa suam operationem: ergo neque poterit conservare in genere efficientis. Undè illud quod de intellectu agente adductum fuit, nihil facit contra nos; nam productio speciei intelligibilis vitalis est.

Dicimus secundò in memoria posse esse actum depravatum & erroneum ac per consequens delirium. Quod probatur, quia in reliquis potentiis internis actus depravati reperiuntur, ergo & in memoria: cùm jam probatum sit esse potentiam activam sicut reliquæ.

Secundò probatur ratione Vallesij, quia objectum memoriæ est præteritum ut præteritum cum differentia temporis, loci, & personæ: sed potest contingere ut quis recordetur, & tamen quæ erant Petri attribuat Paulo; vel in tempore, ut si quis recordetur vidisse Petrum heri, & verè non fuit heri: sed alio die, heri tamen vidit Paulum, ità ut tunc quod Pauli erat attribuit Petro: Et idem dico de loco, & persona; in quibus omnibus depravatio in memoria contingere potest sicut in aliis potentiis internis.

Sed videtur quod in memoria nō possit esse actus erroneus: nam si videat Petrum Romæ, & posteà per actum memoriæ quando vidit Paulum similem Petri, dicit se memorari de Petro viso Romæ, quia tribuit Paulo quod erat Petri, tunc videtur illum actum spectare ad imaginativam componentem illas duas species vel ad rationem judicantem Paulum esse Petrum, non verò memoriæ: nam ejus actus debet esse rei præteritæ, & sic non potest Paulum præsentem cognoscere per proprium actum; neque videtur esse species qua cognoscatur Paulus, ut præteritè cognitus, quia Pauli nulla fuit species in ea conservata.

Respondet Magister, id procedere ex specie quæ repræsentat aliquid simile, ut reverà priùs cognitum: tamen contra est, quia similitudo non facit ut illius cujus nunquam fuit species reservata in memoria sit actus ejus, ut anteà cogniti, si revera non fuit anteà cognitus. Solùm possumus respondere, dicendo memoriam posse componere sicut imaginativa per simultaneitatem objectorum, & sic in ea dari proprium actum erroneum.

Ultimò dubitari potest utrum detur actio aucta præternaturam in memoria. Quæ dubitatio communis est ad omnes actiones animæ sensitivæ: Et dicendum nobis est actionem auctam tam secundum extensionem, id est, quod ampliùs quàm secundum naturam deberet, quàm secundum intensionem esse præternaturam & symptomaticam. Probatur: quia certum est habere unum hominem secundum propriam naturam principium magis accommodatum ad operationem intensiorem quàm alium, eodem modo se habentibus quæ se habent ex parte objecti, & conditionibus: sed hujusmodi intensio major non procedit ex parte animæ, aut facultatis: ergo procedit ex temperamento quod ad actionem magis accommodatum est in uno quam in alio: sed illud temperamentum cerebri quod uni est secundum naturam, alteri potest esse morbosum & contra naturam: ergo intensio quæ uni est secundum naturam, alteri erit morbosa & symptomatica, ac proinde potest esse actio aucta contra naturam.

Neq; facit contra nostram conclusionem quod illa intensio fiat à facultate & ab anima tanquam à principiis internis, & esse vitalem, quia temperies quæ conducit ad majorem intensionem est huic individuo contra naturam, & morbosa, & sic actio est contra naturam, ut patet in nutritione quæ

quæ perfectiori modo fit à calore febrili ; similiter vehementia & magnitudo pulsûs sunt præternaturam, etiamsi cor vitaliter in illis agat, quia à causa morbosa oascuntur : ondè illa actio non est perfectiva secundum intensionem, cùm à morbo procedat. Et licèt aliqui dicant illam actionem auctam esse contra oaturam & symptomaticam ex parte priocipij, quia procedit à morbo, non tamen esse contra naturam ratione finis, difficultatem non solvunt, quia semper erit verum dicere esse symptomaticam, & contra naturam huic individuo, cùm procedat & sequatur morbum sicut umbra sequitur corpus.

CAPUT II.

An memoria conservet ità species, ut aliæ potentiæ internæ lædantur ratione illarum.

VALLESIUS io hac difficultate licèt concedat quod quando potentiæ patiuntur per propriam passionem, unam posse lædi quin alia lædatur : tamen quando per consensum læduntur, affirmat expressè non posse memoriam lædi quin aliæ duæ facultates ad quas species mittit, vel suppeditat, scilicet cogitativa & intellectiva, lædantur, ac proindè memoria potest esse occasio ut aliæ potentiæ internæ lædantur. Probatur ex Avic. dicente memoriam esse thesaurum ejus quod pervenit ad æstimativam : ergo læsâ memoriâ lædetur æstimativa, ad quam suppeditat species, ac per consequens memoria potest conservare species, ut aliæ potentiæ internæ lædantur, ratione illarum, illas scilicet ad quas mittit species.

Deindè probat Vallesius ratione : quia potest contingere ut homo non prævideat aliquod malum inminens, eò quòd alicujus quid illud portendebat fuerit oblitus : sed hoc non potest contingere, nisi quia ratio privatur suo munere, defectu memoriæ non ministrantis speciem:ergo.

Secundò alio exemplo probatur, quia ex eo quod canis recordetur esse in aliquo loco equum mortuum, statim judicat conveniens ejus manducationem, & actu appetitûs movente, movetur ad illum : ergo ex eo est quia memoria subministrat species æstimativæ, ac per consequens ratione specierum conservatarum in memoria, poterunt lædi aliæ poteotiæ internæ, quibus ea subministrar species.

Sed relata sententia nobis oon probatur ; & imprimis quod imaginativa oon lædatur ratione memoriæ, probatur, quia imaginatio non recipit species à memoria, imò in ea in absentia objectorum species conservantur, ut patet ex Aristotele dicente, *Imaginamur quando volumus* : ergo.

Quod si aliquis dicat imaginari nos quando volumus, quia semper memoria suppeditat species imaginatiooi, falsum est, quia sequeretur quod species in imaginatione non conservarentur nisi actu operante memoriâ ; constat autem imaginationem operari citra memoriæ actum : ergo falsa est solutio.

Deindè non lædi æstimativam ex consensu cum memoria, etiamsi concedamus æstimativam non habere vim conservandi species, probatur : nam aut æstimativa recipit species ejusdem rationis à memoria cum illis cum quibus hæc operatur, & hoc non, quia cùm potentiæ sint essentialiter diversæ, species quæ repræsentant propria objecta cujuslibet, debent etiam specie esse diversæ & essentialiter.

Sed dices: species diversæ rationis specificè recipit : nam producuntur à termino memoriæ, aut ab specie memorabili tanquam à causa æquivoca.

Sed hæc solutio falsa apparet, quia imprimis à termino memoriæ non possunt produci : oam cùm species dependeat in conservati ab actione illius termini à quo producitur, & aliàs æstimava noo conservet species juxta opinionem in qua loquimur, sequeretur necessariò quod non possit operari æstimativa, aut raro, quin operetur memoria, quod est falsum.

Deindè neque ab specie memoriæ possunt produci species in æstimativa, quia species unius potentiæ non producitur ab specie alterius : sed à termino actionis alterius, ac proindè vi specierum quæ in memoria conservantur, aut defectu illarum, non sequitur læsio in aliis potentiis internis. Et præcipuum fundamentum est, quia nullæ potentiæ interiores dependent in operari à memoria, ex eo quod hæc illis species ad operandum non suppeditet, ac proindè per consensum adhuc non possunt pati, ut tenet Vallesius. Mirantur tamen plures Vallesium ex eo quod affirmet omnes potentias rectrices esse in eadem parte cerebri, & nihilominùs solùm memoriæ concessit virtutem conservandi species in absentia objectorum, & non aliis potentiis interioribus, quod ooo est verum, quia etiam imaginativa id facit in absentia objectorum.

Unde ad Rationes Vallesij restat quod satisfaciamus : & ad primam experientiam dicimus cæteras potentias non pati per consensum, ac proindè ex eo quod deficiant species in memoria, vel malè ministrentur, non sequitur læsio in aliis interioribus poteotiis ; siquidem noo recipiunt ab illa species, neque illas eis eas subministrat, ac proindè illud exemplum positum solùm potest interpretari in bonum sensum, ex eo quod propter connexionem actuum prædictarum poteotiarum, defectu specierum in memoria ratio non cognovit illum, ratione cujus periculum imminet, quia tuoc non læditur ratio, quia speciem non recipit ab illa quæ erat io memoria : oam habet alium producens ratio, & ità patet falsum esse existente ablatâ actione memoriæ, reliquas lædi per consensum. Eodem modo Respondetur ad alterum Vallesij experimentum, negando pati per consensum, sed, ut dictum est, per counexionem actuum inter dictas potentias.

Sed rogabis : si ipsa cogitativa oon servet species illius objecti, quando venit io cognitionem illius præcedente actu memoriæ, à quo producuntur quando operatur æstimativa, circa alia recordatur. Respondetur produci species in hujusmodi potentiis internis ab specie expressa actûs imaginationis, & sic imaginationem tunc operari, à cujus specie expressa, & non à memoria recipiunt species aliæ potentiæ.

CAPUT III.

An actus memoriæ possit à quavis distemperie lædi, & quâ ratione.

CUM læsio in memoria contingat pluries, quia excedit aliqua qualitas, ità ot præternaturam reddat temperiem, quod in præsenti quæritur, est à qua qualitate excedenti actio memoriæ lædatur. In qua quæstione communiter affirmant Autores, memoriam lædi diminutè, aut ablatè à distempetie frigida. Hæc sententia plutibus autoritatibus Galen. & Avicennæ potetat confirmari, in quibus id expresè assetunt, & dicunt non alia tatione in apoplexia & aliis sopotiferis affectionibus memoriam lædi, nisi proptet frigidam cetebri distemperiem; id tamen brevitatis gratiâ omitto, quia apud Petrum Garciam *in hac disput. cap. prædicto*, poterit quis videte. Nulla tamen alia tatione prædicti Autores confitmant boc placitom, nisi quia ftigus torpidas facit actiones si nimis excedat, redditque animal otiosum, & ad actiones pigrum, ut constat de animalibus quæ tempore hyemis in cavitatibus terræ latent: ergo actio memotiæ torpida fieri potest tatione nimiæ frigiditatis, ac proindè diminutionem potest pati ab eo & ablationem si nimia frigiditas sit, ità ut omnimodum torporem inducat.

Sed difficultas est assignate tationem ob quam frigus bujusmodi læsionem causet. Circa quod Gentilis affirmat memoriam triplici actu perfici: Primus est motus spitituum ad sigillandam speciem memotabilem: secundus est consetvatio specierum: tettius est motus spitituum ad excitandam & deferendam speciem imaginativæ, & aliis potentiis. Hoc supposito, affirmat primum & tettium actum memotiæ lædi à frigore, quâ ratione istius spiritus densatur & inepti ad motum redduntur, ac pet consequens memoria in illis duobus actibus læditur proptet spirituum stupefactionem io otdine ad motum à frigiditate causatam; quæ quidem læsio etiam potest provenire per accidens à nimio calote, quatenùs potest resolvere spiritus qui aliàs moveti debebant.

Unde secundus actus memoriæ, scilicèt conservatio specierum, potest lædi vel ab humiditate nimia quæ species retinere nequit, vel à siccitate quæ impedit imptessionem ipsarum: undè etiam sequitur memotiam posse aboleri, vel quia species non sigillentur in ipsa, quia spiritus non moventur, vel quia siccitas impedit impressionem specierum, vel quia humiditas facit ut non retineantur, vel quia ad alios sensus ab spiritibus noo adducuntur. Hæc pro Gentili, quæ licèt probabilia sint, nihilominùs examine indigent, & à nobis non debent omni ex parte sustineri.

Et imprimis nobis non probatur primus actus quo perficitur memoria à Gentili enomeratus, nempè actus sigillans speciem memorabilem: nam nomine hujus sigillationis, vel intelligitur quod spiritus determinent memotiam ad operandum cum hac specie potiùs quàm cum alia: & hoc non, quia spiritus sunt insufficientes ad talem detetminationem, ut *Disp. de phrenitide* patebit. Deindè neque sigillare specitm est quod spititus tecipiant speciem, eámque producant in memotia, quia licèt hoc esset verum, tamen prædictus actus memotiæ, non est cur semper attribuatur tali causæ, cùm etiam ab aliis potentiis infetiotibus suppeditentur species memotiæ.

Deindè quia hoc quod est spiritus producere speciem in memoria, non est actua memoriæ: nam sicut ex eo quod memoria producat speciem in imaginativa juxta sententiam oppositam, ille actus quo memoria suppeditat species non dicitur imaginatio; sic similitet actus quo species io memoria ab spiritibus producitur, non potest dici actus memotiæ, ac proindè etiamsi talis actus per frigiditatem lædatur, malè & sine fundamento attribuitur memoriæ, quia memoria solùm habet actum quo consetvat species & suam memorationem vel agnitionem elicere.

Neque valet quod dicas illum non dici actum memotiæ, sed quod pet illum perficiatur memotia, quod valdè distinctum est. Tamen contta est, quia Gentilis expresè asserit quod illæ duæ actiones memotiæ læduntur à frigore; etgo sentit esse vetè actum memoriæ, & non solùm perficere ipsam circa necessitatem motûs localis nobis videtur nulla ratione esse necessarium ad quamlibet memoriæ operationem. Pro quo nota quod dupliciter potest intelligi talis necessitas, vel antequam memoria tecipiat species, vel postquam illas tecepit. Primo modo est motus spirituum necessarius, quia cùm sint plurimæ potentiæ intetnæ, & non sint intet se conjunctæ, necessariò debet esse motus spirituum deferentium species ab aliis poteotiis ad memoriam; & etiam quia ipsum agens producens specitm in memotia, cùm exiguæ sit activitatis, nequit producete, vel agete usque ad ipsam memoriam, ut contingit in externis. Itaque est necessum quod producat spiritus in parte immediata, & ista para moveatur ad memotiam cum specie.

Tamen boc non convincit, quia in opinione assetenti facultates esse in eadem parte cerebri, non est necessariua talis motus, cùm semper sit producena intimè approximatum: neque in alia magis communissima in qua ferè ab omnibus asseritur potentias cerebri in eadem residere parte, licèt per aliquam peculiarem dispositionem in una parte magis vigeat una facultas quàm in alia: nam in hac sententia ille motus oon est necessarius simplicitet ad operatiooem memoriæ, quamquam ad majotem conducat perfectionem: siquidem in qualibet parte ubi alia facultas resider exetcetur áctus memoriæ, licèt non tam perfectè, sicut in potentiori: ergo saltem actio ablata non potest accidere ratione frigoris, vel tatione defectûs motûs spiritoum. Probatur, quia ad operandum in parte in qua sunt spiritus, quæ capax est talis actûs, non requiritur motus spirituum.

Qui tamen asserunt memoriam non esse activam, eodem modo possuot impugnari circa tettium actum. Si verò inquitas quâ ratione vi frigoris spiritus reddantur ad motum inepti?

Respondetur id contingete tatione densitatis: nam cùm spiritus non à se moveantur, sed à virtute tecepta, & densitas sit indispositio ad talem receptionem, & non solùm densitas, sed ipsum frigus, quatenùs malè disponit ad talem motum parandum.

Deiodè, neq; motus spirituũ potest esse necessarius

post

postquàm jam producta est species in memoria, quia citra motum spirituum sunt omnia requisita, ut memoria possit operari, & quælibet alia potentia interna: nam ex parte objecti nihil deficit; cùm supponamus speciem jam esse productam; neque ex parte potentiæ, nam præter hanc, & animam, & temperamentum qualitatis solùm videtur necessaria qualitas quæ ab spiritu producitur ad operandum: sed ad hoc ut producatur qualitas ab spiritu intra cerebrum, non est necessarius motus localis spirituum, sed sufficit esse spiritus approximatos: ergo motus localis non est simpliciter necessarius, ut memoria operetur. Solùm ergo videtur necessarius motus spirituum in opinione dicentium potentias internas omninò esse in diversis locis, ut species deferantur ad organa diversarum potentiarum.

Sed quæret aliquis, an in opinione asserenti memoriam solùm esse potentiam passivam, & suppeditare species cæteris potentiis, sit læsio in memoria defectu motûs spirituum. Et dicimus adhuc in prædicta opinione non esse necessarium motum spirituum, ac per consequens defectu ejus non lædi, quia cùm spiritus sint præsentes, absque motu locali poterunt producere speciem in eis subjectam, in aliis potentiis absque motu locali eorum.

Undè nobis dicendum est verum esse actionem memoriæ lædi à frigore adhuc specie producta in memoria, & in spiritu, sicut potentiæ sint in eadem exquisita parte cerebri, sive in diversis. Et ratio est quia jam dictum est, quod ad hoc ut operetur memoria, requiritur qualitas illa quæ ab spirituum forma dimanat, quæ quidem ad omnem sensitivam operationem esse necessariam diximus: sed ratione frigoris producitur densitas quæ quidem impedit pullulationem prædictæ qualitatis: nam licèt densitas conducat ad intensiorem operationem cum qualitatibus formalibus; solet tamen impedire pullulationem qualitatum quæ virtualiter in causa continentur, ut in casu posito. Neque existimandum est ob hanc rationem omnes aliæ potentiæ internæ lædantur: nam remissè producitur talis qualitas quod sufficit ad operationem aliarum potentiarum, & non ad memoriam. Similiter cùm ad memoriam requiratur determinatum temperamentum cum certo & determinato gradu caloris in tanta intensione, crescente frigore tollitur intensio requisita in calore ad memorandum; & sic hac etiam ratione à frigore etiam memoria læderur, non tamen omnes potentiæ etiam ob hanc rationem debent lædi, quia memoria requirit calorem intensiorem, & sic deficiente aliqua intensione, potest deficere requisitum pro memoria, & non pro aliis potentiis internis. Tandem adverte quod aliquando contingit diminutio memoriæ ratione contusionis, vel fracturæ: nam & non possunt communicari spiritus, & sic novi objecti non potest fieri sensatio, nam ratione contusionis aut fracturæ impeditur communicatio, & similiter spiritus in quibus species antiquorum objectorum conservabantur, expelluntur ratione compressionis, ac proindè contingit quandoque oblivio, præcipuè si compressio fiat in parte posteriori cerebri.

Circa actum conservandi species poterat quis dubitare, an etiam posset à frigore impediri (nam jam dictum habemus quomodo frigus sit impedimentum si sit in spiritibus & in substantia cerebri,) & dicimus etiam à frigore posse conservationem specierum impediri: nam cùm conservatio specierum dependeat à subjecti dispositione, & hæc possit variari per frigus, etiam secundum modum substantiæ: nam potest facere subjectum ità densum ut species recipi non possint, sicut de siccitate dicimus impedire conservationem propter duritiem quam inducit in subjecto.

Restat ergo quod dicamus quâ ratione ob humiditatem & siccitatem, vel species non imprimuntur, vel si imprimuntur facilè delentur. Et primò de humiditate dicimus ratione illius species faciliter deleri: nam ratione humiditatis substantia cerebri fit adeò mollis, ità ut vi fluxibilitatis, species non possint retineri, & vi siccitatis sit ità dura, ut receptioni & impressioni specierum valde subjectum resistat; quod experimur in rebus externis: nam in re nimis dura ut in petra, auro, vel argento, sigillum difficulter imprimitur, & in subjecto molli faciliter imprimitur, ut in massa & cera. Verùm si nimia sit mollities, statim figuræ delitescunt, ut si ipsa cera liquetur; at verò figura quæ in subjecto duro (licèt difficulter) fuerunt impressæ, diù durant: sic ergo contingit in memoria rationis humiditatis & siccitatis.

Sed dices: species visibiles stante objecto per multum tempus conservantur in aqua & in aëre quæ valdè humida & fluxibilia sunt: ergo fluxibilitas & humiditas subjecti non facit ut delitescant species.

Respondetur facilè diversam esse rationem de specie visibili: nam cùm hæc dependeat in fieri & conservari ab efficienti, ab objecto scilicet, durat & perseverat toto tempore quo durat objectum: at species memoriæ non pendet in conservari ab efficienti, & ideò deficit per independentiam subjecti modo dicto.

Alio modo ad argumentum respondeo dicendo quod agens præsens producit denuò novas species in partibus aquæ & aëris advenientibus, secus verò in memoria manentibus.

Et licèt exēplum positum de figuris & sigillis in rebus duris & mollibus, omninò, non teneat: nam sigillum in rebus externis imprimitur medio motu locali, quo medio partes quædam ceræ verbi gratia deprimuntur, aliæ verò remanent eminentiores; & propter mollitiem, vel liquationem contingit ut eminentiores fluant, & non servent situm, ac proindè sigillum delitescat; quod non contingit in organo potentiæ memorabilis; tamen exemplum probat & tenet in aliquo: nam sicut in rebus externis vi indispositionis subjecti, aliqua facilè imprimuntur, & facilè delitescunt, & aliqua difficilè imprimuntur, & diutiùs permanent, sic vi alicujus dispositionis in organo memoriæ, id potest contingere; contingit autem rationis humiditatis, & siccitatis, licèt non ità, sicut in rebus externis ratione motus localis.

Ex his deducimus id quod notatu dignum est, nempè quod si semel recipiat cerebrum aliquam speciem, eámque aliquo tempore conservet sine remissione nullâ stante variatione & indispositione, est impossibile quod deficiat, quia non est major ad eam servandam per spatium unius horæ, quàm ad servandam eam semper, stantibus rebus eodem modo, & sine aliqua variatione; in cera verò alia currit ratio: nam partes successivæ moventur, & sic tandem deficit sigillum in ea impressum.

Deindè afferunt aliqui Autores actionem memoriæ à frigore, tantùm per ablationem posse lædi; ab humiditate verò & siccitate tantùm posse lædi per diminutionem: & probant quia ablatio actûs memoriæ fit per ablationem totalem specierum: sed hoc tantùm fit à frigore, quia extinguit species quæ sunt, & alia impedit quæ possunt produci: ergo frigus ablationem facit; humiditas autem & siccitas non in totum tollunt species, sed potiùs cum humiditate aliquo tempore durant, & siccitas etiamsi impressionem impediat per aliquod tempus, tamen non potest resistere illi speciei quæ ab agente efficacissimo producitur.

Dicendum tamen nobis est quamlibet ex his qualitatibus posse facere actionem memoriæ, vel ablatam, vel diminutam. Et primò quod frigus possit facere actionem diminutam probatur, quia frigus non in quolibet gradu lædit actum memoriæ: ergo ut lædat requiritit peculiarem intentionem: ergo ut magis lædat requirit majorem intentionem, & ut minùs, minorem: sed ablatio est major læsio, ergo cum paulò minori intensione lædet, & non ablatè, ergo diminutè: Præterea quia frigus non solùm lædit impediendo species, sed etiam malè disponendo ad opus; unde nihil facit contra nos quod in oppositum adducitur.

Quod verò à siccitate & humiditate fit actio memoriæ ablata, probatur, quia tales species petunt in organo memoriæ peculiarem dispositionem in humiditate & siccitate, & etiam in secunda qualitate: sed non repugnat quod talis secunda qualitas & modus substantiæ & aliæ dispositiones evertantur, ità ut totaliter ineptum reddant organum ad conservationem, vel potentiam ad operationem: ergo dabitur in tali casu actio ablata ab humiditate & siccitate sicut à frigore.

Sed rogabit aliquis, an à calore possit lædi memoria? Cujus partis discussio in experientia fundamentum habet: nam experimur sæpesæpiùs calore præternaturali affectos læsionem pati in memoria. Sed pro clariori intelligentia adverte dupliciter calorem posse conducere ad læsionem vel immediatè & per se ratione sui, & hoc modo calor semper ad depravationem conducit, ut Disputatione de deliriis dicemus, vel mediatè, & per accidens; & hoc modo dicimus, calorem conducere ad læsionem, quatenùs medio illo dum præternaturam est dissipantur & resolvuntur spiritus animales qui ad omnem operationem sensitivam sunt valde necessarij: vel in sententia asserenti dari in qualibet parte mixti partes correspondentes elementis, quia ratione caloris præter naturam resolvuntur partes calidæ & humidæ valde ad operandum necessariæ; quo fit ut actiones diminuantur.

CAPUT IV.

An actiones lædantur simul cum memoria; an verò possit una sine alia lædi.

Communis sententia, & ab omnibus recepta, est posse lædi unam potentiam quin aliæ lædantur. Hanc expresè tenent Galenus & Avicennas pluribus in locis, quos brevitatis gratiâ omitto. Ratio autem quæ communiter adducitur ad id probandum, est quia omnes potentiæ indigent ad operandum calore influente & natutali: sed non omnes in eodem gradu; ità ut memoria petat intensiorem calorem quàm æstimativa seu ratio, & hæc majorem quàm imaginativa, & minorem quàm memoria, ac per consequens cùm omnes eundem gradum caloris non exposcant, quid minùm memoriam, aut quamlibet ex his sine alia lædi posse: Itaque si læsio causatur à frigore, priùs lædetur memoria quàm æstimativa & imaginatio: nam priùs debet auferri calor intensus quàm remissus: sed memoria intensiorem calorem exposcit ad operandum quàm æstimativa & imaginativa: ergo existente frigore præternaturam priùs deficiet calor requisitus pro memoria quàm pro aliis.

Dum verò læsio fit à calore, priùs læditur imaginatio, deindè æstimativa, & tandem ultimò memoria. Ratio est clara: nam cùm ex his potentiis quæ remissiorem calorem exposcit, sit imaginatio, crescente calore illa priùs lædetur, quæ juxta suam naturam non exposcat illum in majori intensione; sed hæc potentia est imaginatio: ergo per calorem hæc priùs lædetur: nam calor qui est secundum naturam æstimativæ & memoriæ, potest esse contra naturam imaginativæ: ergo tunc erit læsa imaginatio, illæsis æstimativâ & memoriâ.

Sed nota quod quando memoria sola læditur, quasi subitò talis læsio causatur à frigore, quia si esset à calore, priùs debebant pati cæteræ potentiæ, nempè imaginatio & æstimativa quæ minorem calorem exposcunt, secundum Vallesium nostrum *tertio de locis, capite secundo.* Quæ quidem sententia etiam est vera in opinione asserentium omnes potentias internas esse in eadem parte cerebri: nam in alia asserente collocari quamlibet potentiam in diversa parte, non est dubium quin potest lædi una sine alia à quavis qualitate læsio fiat: nam cùm sint distantes, poterit una distemperati, & alia non.

Sed pro majori intelligentia, & ut cognoscamus clariùs à qua causa cerebrum afficitur, advertere oportet læsionem diverso modo fieri à calore quàm à frigore: nam frigus aut totaliter aufert actionem, aut minuit eam; at verò calor primò depravationem facit in actione quàm aliter eam lædat, etiamsi quando nimis augetur possit comminuere actionem, & eam auferre. Ratio hujus à nostro Præceptore clarè adducitur, quia cùm frigus reddat res immobiles, debet causare læsionem per modum quietis & cessationis: at verò calor qui causat motum, facit læsionem per se primo consistentem in mutatione, & ex consequenti depravatè. Quam rationem magis perpendit noster Vallesius: nam ait actiones omnium harum facultatum fieri à calore tanquam ab instrumento, non verò à frigore; quando autem frigus augetur, minuitur instrumentum ad actiones, nempè calor, & ità adeò potest crescere frigus ut omninò auferatur actio: at verò aucto instrumento, nempe calore, immoderatè fit actio & sic depravatè; si tamen nimis & immoderatè calor crescat, tunc aut diminuitur actio, aut aufertur, quia instrumentum est everfum,

sum, sive sit, ut ait Gentilis, propter resolutionem calidi innati, sive ob aliam rationem: Unde vera manet conclusio, quod cùm memoria majorem calorem exigat, priùs læditur à frigore quàm alia, aliæ verò à calore priùs læduntur, quia minorem exposcunt.

Sed objicies primò contra nostram conclusionem, quia non est undè constet memoriam petere majorem & intensiorem calorem ad operandum quàm reliquæ potentiæ, imò oppositum videtur colligi posse ex eo quod cogitativa potentia perfectiori modo operetur quàm memoria, utpotè discurrit circa singularia saltim in homine: ergo calor in majori perfectione & intensione ei debetur.

Respondetur memoriam intensiorem exposcere calorem, idque constare experientiâ ipsâ: siquidem memoria læditur à frigore se sola, quin aliæ lædantur: sed si cogitativa exposceret intensiorem calorem, non posset à frigore lædi memoria, quin priùs cogitativa læderetur.

Ad illud de perfectiori modo operandi, dicimus memoriam etiam ex S.Thoma quendam habere discursum ex propinquitate ad intellectum. Ulteriùs quia memorari præteriti ut cogniti per cogitativam & alios sensus, reminisci rerum, major est perfectio quàm actus cogitativæ, ac proindè major est necessarius calor ad memorandum.

Dices secundò contra nos, quia illud cujus temperamentum consistit in sicco, priùs læditur ab humido, quàm à frigido: sed temperamentum memoriæ magis consistit in sicco: ergo priùs læditur ab humiditate quàm à frigiditate.

Respondetur in memoria esse duplicem actum, alterum conservativum specierum, & alterum memorandi, seu percipiendi objecta, ut antea cognita: unde primus actus verum est, quod consistit in siccitate quia temperies, in qua hæc excedat ad id conducit: at verò secundus actus calorem excedentem exposcit; & ità quando dicimus, memoriam priùs lædi à frigore, loquimur in ordine ad cognitionem, non in ordine ad retentionem, non enim dicimus in conclusione quod memoria semper habet primò lædi à frigore; sed quod quando contingit læsio à frigore, priùs accidit memoriæ quàm aliis, aliter verò potest in se lædi à qualibet qualitate non factâ comparatione cum aliis.

Dices tertiò: quia non videtur lædi priùs memoriam à frigore, ex eo quod majori calore indigeat ad operandum: nam faciliùs & priùs incidimus in morbos similes quàm in dissimiles: ergo si temperamentum requisitum ad actum memoriæ est calidum, faciliùs & priùs labefactabitur memoria à calore quàm à frigore.

Respondetur diversum quid esse faciliùs incidere & labefactari morbo aliquo, ac priùs illo affici: nos autem quod dicimus, est memoriam priùs incidere in morbum frigidum quàm cæteræ potentiæ, non verò quod faciliùs incidat in morbum frigidum quàm in calidum. Undè deducit Autor, quod si comparentur duæ causæ inter se, una calida, & altera frigida, ad morbos quos possunt producere in cerebro, qualibet sua teroperie, priùs morbus frigidus & faciliùs quàm calidus fit in cerebro, cæteris partibus ex parte agentis; licèt concedamus, faciliùs alterari cerebrum recipiendo gradum caloris ad quem est in potentia. Ratio ab eo adducitur, quia sanitas habet latitudinem, & sic licèt calidum priùs ageret in organo memoriæ, non quilibet gradus caloris lædit memoriam. Itaque dum calidum producebat duos gradus necessarios ad lædendum, frigidum producebat unum sufficiens pro læsione, quod patet in corde, quod etsi calidius sit, citiùs à frigore quolibet offenditur, quia cùm parva ablatione caloris præternaturam manet, & sic de memoria. Possumus respondere pro Magistro huic objectioni tunc loqui de calore in intensione simpliciter necessaria, ut memoria operetur, ità ut cum minore calore non possit operari; tunc enim erit latitudo quoad intensiorem calorem, & non quoad remissiorem, & sic priùs erit læsio & faciliùs à frigore quàm à calore, cæteris partibus, etiamsi ab agente calido faciliùs & priùs calefiat magis.

Sed hoc ultimum quod à Petro Garcia deducitur mihi non probatur, quia temperies cerebri non minorem latitudinem sanitatis habet in ordine ad intensiorem calorem recipiendum quàm in ordine ad remissiorē illius quod debetur: ergo, cæteris paribus, applicato agente calido & frigido, non priùs læderur à frigido quàm à calido; quia etiamsi frigidum introducat unum gradum suæ qualitatis, & tollat alterum caloris requisiti ad memoriam; cùm etiam habeat latitudinem in ordine ad remissiorem (non non consistit in indivisibili) sequitur planè non reddi cerebrum præternaturam, neque lædi à frigore, ut dicebat Petrus Garcia, priùs quàm à calore, sed à fortiori, quod de uno dicimus, debemus dicere de altero.

Dices iterum: ex dictis videtur quod non possit lædi ratio seu cogitativa, quin lædatur imaginatio, vel memoria. Patet: nam si læsio fit à calore, priùs læditur imaginatio; si à frigore, priùs læditur memoria: ergo nunquam se sola ratio læsionem pati potest.

Respondetur, quod si læsio semper contingeret à calore & à frigore, optimè probabit argumentum; tamen cùm ratio etiam possit lædi ab aliis qualitatibus, nempè à siccitate & humiditate, certum est ab his posse lædi cogitativam, quin lædatur imaginatio & memoria.

Dices ultimò: quia ex dictis sequitur implicari contradictionem reperiri in aliquo potentias internas rectrices in summa perfectione; probatur, quia una potentia petit majorem calorem, alia minorem; una intensam siccitatem, alia humiditatem intensam: sed in eadem parte exquisita est impossibile quod in gradibus intensis compatiantur: ergo est impossibile quod omnes potentiæ sint secundum totam perfectionem: atqui in Christo inventæ fuerunt: ergo alio modo philosophari debemus. Sed si asseramus quod facultates in diversis cerebri partibus resident, non est dubium quin omnes possint reperiri secundum totam & omnimodam perfectionem. Ulteriùs nota quod dum dicimus majorem calorem requiriri ad memoriam, est intelligendum quod illa intensio caloris necessaria simpliciter ad memorandum intrat in latitudinem aliarum potentiarum, taliter quod cum illa intensione non sunt in statu præternaturali, ità ut lædantur; tamen etiamsi auferatur talis calor, non læduntur à frigore, læditur verò necessariò ipsa memoria, quia petit simpliciter illum calorem; etsi aliquis caloris gradus addatur non læditur memoria, quia etsi secundum frigiditatem non habeat plus latitudinis, habet tamen respectu caloris intensivè. Itaque argumento Responde-

tur naturaliter non posse contingere omnes potentias esse cum summa perfectione, ex ratione data in argumento, ac proindè in Christo Domino non est imperfectio, quod non habuisset omnes potentias summè perfectas, quia eas habuit secundum totam perfectionem quam permittit natura humana: Et patet quia si cerebrum ipsius magis siccaretur, sine dubio haberet perfectiorem memoriam; itaque collectivè habuit summam perfectionem, non distributivè. Et hæc de hac Disputatione.



DISPUTATIO VII.

De Deliriorum natura.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit Delirium.



SUPPONIT quæstio delirium dari, utinam tamen certum non esset, quid verò sit, constat ex Gal. 2. *de causis symptomatum, cap. ultimo*, dicendo (*deliria omnia pravi motus sunt facultatis regentis*. In qua definitione motus pravus ponitur loco generis, nomine motûs actionem pravam intelligendo: sed quia non omnes pravi motus cujuscunque facultatis, sunt deliria, ideò illa ultima verba *facultatis regentis*, ponuntur loco differentiæ, ut cognoscamus delirium constitui ex eo quod pravus motus sit facultatis regentis.

Sed ut prædicta definitio clariùs manifestetur, notare libet triplex symptoma in actione læsa reperiri, & datur symptoma in actione diminuta, in actione ablata, & in actione depravata: constat autem delirium non esse symptoma in actione diminuta, quia hæc talis dicitur in ordine ad intensionem debitam statui naturali: sed in nulla intensione est naturale delirium: ergo non ad actionem diminutam spectat, neque ad actionem ablatam: nam etiam hæc dicitur respectu entis convenientis; in nullo autem est conveniens delirate, ac per consequens solùm restat quod delirium ad actionem depravatam pertineat; ideóque dicitur à Gal. *cap. citato, motus pravus facultatis regentis.*

Cùm ergo quicumque motus pravus facultatis regentis delirium dicatur, tot modis poterit aliquis delirare, quot potest depravatè moveri. Principalissimi verò sunt tres modi, seu spes delirij: prima in entitate, quando, scilicet falsò componit, ut quando æger dicit se Regem esse, & ut talis aliquid imperat, & similiter quando dicit se esse Deum, & indè infert non posse comedere, quia Deus alimento non eget, & alia hujusmodi.

Secunda species delirij dicitur in tempore, quia in illa etsi vera dicat æger, ea tamen extra tempus idoneum & occasionem profert, ut si ageus de peccatorum confessione, in medio hujus sermonis res jocosas miscetet, ità ut licèt jocosa vera sint, quia tamen non in tempore idoneo & occasione eas profert, dicitur æger in tempora delirare.

Tertia delirij species est in modo, ut si quis interrogatus de aliqua re, ferociùs quàm per naturam præberet responsum, aut nimis summissa voce; hoc enim modo errat & delirat æger non in entitate, cùm vera dicat, non in tempore, cùm in occasione & tempore idoneo respondeat; solùm ergo delirat in modo, quia non præbet responsum moderatè, & eodem delirio delirabit si præbeat responsum cùm gesticulationibus, etsi verissima dicat.

His omnibus modis dicitur homo delirare & depravatè operari ejus regentem facultatem, quia non ut rationalis est operatur, vel errando in entitate, vel in tempore, miscendo facta cum jocosis, vel in modo, summissa voce, vel gesticulationibus respondendo.

Sed videtur delirium in modo & in tempore non esse concedendum, quia in potentiis cognoscitivis internis non est aliquis modus connaturalis in operando, neque tempus determinatum, ex cujus variatione oriri possit modus præternaturalem, vel tempus. Patet: quia non est tempus determinatum in quo potentiæ debeant uti his speciebus, & non illis, aut rem hanc aut illam apprehendere: sed prædictæ potentiæ per naturam possunt res diversas nullam connexionem habentes percipere, dummodò eas concipiat ut sunt in se; igitur non possunt errare, vel depravatè operari in tempore, neque in modo, cùm in eis non sit assignabilis modus aliquis naturalis operandi. Sed certè hoc argumentum contra deliria brutorum si in eis concederentur, majorem habet apparentiam, in homine verò nullam vim haber: nam homo ut rationalis tenetur rem quamlibet idoneo tempore & occasione proferre: constat, nam homo sanus & rationis compos dum confitetur peccata, non miscebit sermonem jocosum: ergo quando vi morbi profana cum divinis assertivè permiscet, neque se continet, verè delirat; errat ergo tunc in tempore, non quia hujusmodi res proponantur, quia hoc naturalissimum est, sed quia occasione & tempore non idoneo eas pronunciat. Et idem dico contra modum loquendi: nam etsi potentiæ sensitivæ non habeant determinatum modum operandi connaturalem, sed solùm prout species proponuntur in hac aut illa intensione operantur, tamen homo ut rationalis tenetur respondere quæsitis ut quæsitis exposcunt, hoc vel illo modo, ac per consequens, si aliquis alicui infirmo rogaret humiliter ut assumeret alimentum, & infirmus obediens responderet iracundè, quòd sibi afferat alimentum & comedit, tunc certè non errat in his quæ respondit, sed tantùm in modo loquendi, cùm illa iracundia ex eo quod ut rationalis tenebatur non ita ferociter respondere, ac proindè pravè in modo respondendi discurrit, & sic delirat.

Sed dices contra nostram conclusionem, & fortissimè, quia quando aliquis delirans de cibis tractans, dicit Solem esse majorem terrâ, affirmamus hoc delirium dici in tempore, & non in objecto, vel in entitate, quia licèt vera dicat, non tamen tempore idoneo; non enim errat in conceptione, aut assensu illius propositis, quia concipit rem ut est in se, neptè ad apprehensionem & conceptionem non est tempus determinatum: ergo solùm errat in pronuntiando in eo tempore: sed si hoc est ità, error talis, vel delirium, non debet dici in tempore, sed in objecto &

& entitate, quod est contra conclusionem nostram: ergo. Minor in qua est difficultas probatur, quia ex eo errat in pronuntiando, quia judicat pro convenienti in illo tempore, vel tunc id pronuntiare: ergo errat in objecto, quia tunc tempus illud conveniens judicat & reverà conveniens non est.

Respondet Autor nihil contra conclusionem argumentum probare: nam quando agendo de cibis æger affirmat Solem esse majorem terrâ, tunc non errat in objecto, quia dicit quod est verum, & nullus est error in compositione, ac proindè solùm errat, quia propositionem Astrologiæ miscet cum tractatione de cibis, & hoc solùm est in tempore delirare. Sed reverà argumentum est difficile, quia quando judicat illud tempus ut conveniens ad prolationem illius quod ad rem non venit, falsò & pravè componit judicando illud tempus ut conveniens ad talem prolationem, & sic errat in compositione, & in objecto, quia judicat conveniens quod reverà non est. Et sic mihi videtur dicendum in rigore non esse tres diversas species delirij, sed omnes reduci ad malam compositionem, & ad errorem in objecto: solùm ergo poterit concedi diversitas aliqua accidentalis inter prædicta deliria dicta in tempore, in modo, & in compositione, quia diversum accidentaliter est delirare proferendo absolutè, quia falsum est, ut dicere esse Deum, ac delirare non proferendo falsum, sed extra occasionem aliquid proferre, vel ferociùs tribuendo responsum.

Solùm restat explicare quid nomine facultatis regentis intelligat Galenus, an imaginatio, vel ejus actus, an æstimativa, vel ejus actus, an verò alia facultas præter has dicatur regens. Et videtur quod sit actus imaginationis: nam Gal. semper quod delirium explicuit, exemplum posuit in imaginatione, ut quando Theophilus audire putabat tibicines in angulo domûs, qui solùm imaginatione delitabat; cogitativa tamen benè operabatur, quia imperabat illos expelli à cubiculo, ex eo quod disconvenientes illos judicabat. Similiter alterum exemplum adducitur à Galeno in quo delirabat sola cogitativa, scilicet, quidam delirans, qui vasa per fenestram ejiciebat in quo casu optimam habebat imaginationem, utpotè rectè vasa cognoscebat, delirabat tamen in cogitativa, quia judicabat convenienς ipsa ejicere, ignorando periculum. Unde hæc sententia in omnibus potentiis externis cognoscitivis delirium causari affirmat, ac per consequens regentes possunt dici.

Sed nobis dicendum est, per facultatem regentem illam debere intelligi quæ cæteras regit atque gubernat, de ipsarum actibus judicando, ipsis assentiendo, vel dissentiendo, negatione, vel affirmatione prædicando, quia hoc tantùm dicitur gubernare & regere. Et immeritò inferiores potentiæ principes & regentes dicuntur, cùm omnes per aliam superiorem gubernentur: sic ergo intellectus in hominibus qui de aliarum facultatum actibus infert judicium, est facultas regens & in brutis æstimativa, quæ suo modo saltim materiale dicit judicium quo vel fugam intendunt, vel prosecutionem insequuntur, quod *in sequenti cap.* clariùs constabit.

CAPUT II.

An intellectus verè deliret, & cur ille solus, & in brutis æstimativa.

Circa primum quod inquirit quæstio, an scilicet intellectus verè deliret, videtur quod non, quia intellectus non potest errare: ergo nec delirare. Antecedens probatur, quia intellectus intelligit quod à sensibus internis sibi proponitur benè aut malè: ergo tota ratio errorum est formalissimè in sensibus, ac proindè intellectus nequit errare, nec delirare, ex eo quod solùm ille percipit id quod à sensibus naturali modo proponitur. Undè inferunt isti Autores quod quando Theophilus imperabat quod tibicines expellerentur, nullum esse errorem in cogitativa, ex eo quod imperabat expulsionem rei molestantis propositæ ab imaginatione in qua solùm in illo casu fuit error & delirium justa hos Autores. Et confirmatur, quia nunquam Gal. intellectum delirare dixit: sed solùm posuit exemplum in imaginativa & cogitativa: ergo intellectum delirare non est concedendum.

Nobis tamen dicendum est intellectum verè delirare, ità ut in homine solus ille deliret. Probatur primò ex ipsa definitione, quia delirium est actus depravatus regentis facultatis: sed solus intellectus in hominibus est regens facultas: ergo solùm ille delirat.

Secundò probatur, quia in vertiginosis verè læditur imaginatio, cùm imaginentur moveri res quæ minimè movantur: ergo verè datur motua depravatus imaginationis, sed nullus dixit tunc dari delirium: ergo actus depravatus imaginationis non est verè delirium. Patet: si esset ubicunque daretur etiam actus depravatus, daretur delirium: sed in vertigine datur ejus actus depravatus, & non datur delirium: ergo. Undè delirium non dari certum est, si detur motus depravatus alicujus sensûs usque dum intellectus assentiatur tali actui, judicando ità esse ut proponitur, vel aliter esse ac proponitur, corrigendo talem actum, & tunc non erit delirium, etiamsi actus alterius facultatis sit depravatus. Hoc patet in vertiginosis in quibus non est delirium, quia etiamsi imaginentur res moveri quæ minimè moventur, tamen ipse intellectus optimè judicat non esse ità ut per imaginationem proponitur, sed illud advenire ex vi morbi, utpotè vertiginosi possunt cognoscere se ipsos habere talem affectum: Igitur tunc non est delirium, quia intellectus non assentitur actui pravo imaginationis, sed potiùs ut facultas regens illum corrigit, & sic non est delirium; esset tamen delirium si intellectus tali actui assentiretur ratione alicujus malæ dispositionis, ut quando quis imaginatur se esse Regem, & intellectus assentiens huic actui, imperat, quia judicat hoc esse conveniens. Si tamen intellectus corrigeret actum imaginationis, dicendo se verè non esse Regem, tunc certè non deliraret, etiamsi actum imaginativæ haberet depravatum, ac proindè usque dum intellectus assentiatur, vel dissentiat, non datur delirium; ergo intellectus formaliter delirat.

Deindè sic argumentor, quia hæc propositio, ego sum Deus, est erronea, & verè delirium,

&

& tamen est actus solius intellectûs utpotè, prædicamus aliquid de aliquo per veram copulam formalem, quod solùm illi competit ; ergo intellectus verè delirat, cùm prædictus actus solius intallectus sit secundum copulam, & attributionem formalem in qua est depravatio & error.

Sed huic argumento respondent Contrarij ; delirium non consistere in attributione illa & connexione formali extremorum quam solus intellectus attingit, sed consistere delirium in attributione vel connexione materiali quâ eadem diversa proponuntur per modum unius, ut quando quis imaginatur montem aureum, non judicando, hic mons est aureus, quia hoc solius intellectûs est proprium munus, ac proindè dicunt delirium formaliter consistere in fundamentali illa, vel materiali connexione quâ diversa per modum unius proponuntur, non autem in attributione formali, quæ ad solum intellectum pertinet.

Sed contra istam solutionem argumentor, quia ex eo deliriũ formaliter in illa cõnexione fundamentali reperitur, quia talis fundamentalis compositio est erronea, & nascitur à morbo : sed similiter formalis illa connexio & compositio quam solus tangit intellectus, est erronea, cùm sit vera deceptio, & nascitur à morbo : nam experimur quòd si aliàs non crescat distemperies, non fit illud formale judicium depravatum, sed potiùs optimum ; ergo actus ille intellectûs formaliter est delirium, cùm habeat totum quod requiritur ad eum.

Ulteriùs sic argumentor contra prædictam solutionem, quia etiam illa fundamentalis compositio vel connexio pertinet ad intellectum : ergo intellectus formaliter delirat. Antecedens probatur : nam ad illam potentiam pertinet illa fundamentalis copula, ad quam pertinet adunare quæ sunt diversa (quia in hoc apud Contrarios consistit :) sed solus intellectus adunat quæ sunt diversa, utpotè solùm ille distinguit ea quæ sunt unum, quia contrariorum eadem est ratio : ergo adhuc illa fundamentalis compositio, vel connexio est actus intellectus, ac proindè delirium in eo est formalissimè.

Deindè etiam nostra conclusio probatur, quia intellectus habet species reservatas in se, sicut memoria sensitiva habet etiam vim ipsas conjungendi ac separandi : ergo optimè intellectus poterit delirare, quia delirare, non est aliud quàm diversas species disparatas conjungere & adunare, ut ex homine & equo fingere hominem equum.

Sed huic objectioni satisfacere conantur Contrarij, dicendo nihil esse in intellectu, quod priùs non fuerit in sensibus, ex Philosopho *Intelligentie est speculari phantasmata*, ac proindè illum errorem intellectûs originem ducere ex sensibus, quia eo modo quo phantasmata sunt in sensibus, ab intellecto cognoscuntur ; undè nullus erit error in ipso qui in sensibus non præcesserit. Sed contra hanc solutionem sic argumentor, quia ex ea sequeretur nullam cognitionem esse in intellectu quæ priùs non sit in sensibus, quod falsissimum est : nam compositio, divisio & discursus ità sunt in intellectu, ut implicat quod sint in sensibus, ac proindè circa elicientiam horum actuum intellectus solus erroneè & depravatè potest operari.

Undè infero pro majori nostræ conclusionis enodatione, Contrarios falli, ex eo quod affirmant intellectum nullum modo posse lædi, quia immaterialis est : nam licèt verum sit in statu separationis, & etiam pro hoc statu quoad entitatem immaterialem esse, non tamen pro hoc statu immaterialis est, quoad operationem, cùm dependeat à rebus materialibus ad operandum, ut sunt organa, species & phantasmata : quod etiam patet in sensibus externis qui in probabiliori opinione ab anima non distinguntur, & tamen per materiales dispositiones læduntur à quibus dependent in operari : ergo similiter intellectus potest læsionem pati per materiales dispositiones, quibus dependet in operari, licèt quoad entitatem immaterialis sit.

Undè etiam infertur quod quando dicimus proprium esse intellectus speculari phantasmata, non debet intelligi, ità ut quidquid operatur intellectus priùs sit in sensibus, ut *suprà* diximus, aliàs sensus possent syllogizare : solùm ergo debet intelligi per speculari phantasmata, quod nihil potest intellectus operari sine sensûs interni concomitantia, nam indiget phantasmatibus, pro hoc statu ad sua opera, & his deficientibus operari nequit ; quippè quod conditio necessaria aufertur. Itaque intellectus secum capit alius sensus veluti violenter, non tamen è contrà, v. g. quando quis dicit & judicat se esse Deum, verè delirat actu intellectus, dum infert, ergo sum Creator, quia hæc illatio est operatio intellectûs, & tamen phantasmata mediis quibus talis actus est elicitus, sunt imaginativa & cogitativa : ergo optimè potest intellectus erroneum actum elicere, etiamsi phantasmata speculetur, quia potest cum eisdem phantasmatibus erroneè ratione temperiei operari sicut in contraria sententia, etiamsi erret imaginativa & producat speciem in æstimativa, poterit cum eadem specie rectè operari æstimativa : Vide nostrum Petrum Garciam *disput.7. de locis affectis, in fine, cap.4. de speciebus phrenitidis*, ubi hoc liquidè enodavit. Unde deducimus intellectum sumere totam occasionem delirandi à sensibus, & à vitio organorum, ità ut si non essent sensus, delirium abesset.

Hinc ergo ad argumentum respondeo, quod licèt verum sit quod intellectus operatur speculando phantasmata modo dicto, tamen elicit proprium actum distinctum ab actibus aliarum potentiarum, in quo intellectus potest decipi, & errare & rectitudinem habere, ac proindè ipse verè delirare potest.

Ad alterum quod objiciebatur de Theophilo, dicimus delirium in illo casu consistere in actu illo imperij quo jubebat expelli illud quod reverà non erat, scilicet tibicines pulsantes in angulo domûs : verumtamen imaginari ibi sonare tibicines, non est actus depravatus imaginativæ, sed potiùs naturalissimus, cùm etiam sanis liceat diversas species componere, variaque pro libito machinamenta fingere ; solùm ergo fuit error in eo quod intellectus judicavit ità esse ut proponebatur, & imaginabatur, ac proindè in hoc actu depravatus intellectus formaliter Theophili delirium consistebat, undè judicare tibicines esse domi, est delirium intellectûs, & inferre esse expellendos, est delirium per consensum primi. Idem contingit quando quis imaginatur se esse Regem : nam si huic actui imaginationis intellectus assentiatur, delirat ; etsi ut talis aliquid

quid

quid imperat, dicitur delirium per consensum primi; si verò intellectus corrigat primum imaginationis actum, non delirat, ac proindè solus intellectus in rigore delirare dicetur.

CAPUT III.

De modo quo delirium causetur.

PRo intelligentiâ quæstionis notandum est primò, quod cùm omnis sensatio sit actio vitalis, indiget concursu animæ ad ejus elicientiam; & rursùs cùm omnis sensatio sit materialis, & fiat medio organo materiali rectè disposito, necessariò requirit temperamentum debitum, ut fiat naturali modo. Et licèt omnes sensus habeant determinatum objectum circa quod operentur in communi, ut visiva colorem, auditiva sonum, &c. tamen ut circa hoc vel illud objectum in particulari eliciantur, sensationes harum potentiarum indigent aliquo principio extrinsecò prædeterminante, ut sunt species impressæ ab objectis missæ.

Deindè supponendum est quod cùm species impressæ sint naturales imagines suorum objectorum, ità invariabiles in suâ entitate manent, ut sit impossibile speciem albi, v. g. repræsentare nigredinem, ex eo quod ex suâ essentiâ sunt imagines suorum objectorum, ac proindè semper quod sit species albi, non potest non repræsentare albedinem; similiter licèt objecta contrarientur, species tamen eorum repræsentativæ non contrariantur, ac proindè species albedinis non potest corrumpi ab specie nigredinis: nam si hoc fieret, ità ut quando delitamus, ex vi morbi deliramus, quia una species mutatur in aliam, similiter post morbum verè deliramus, cùm una species posset corruptione mutari in aliam.

Undè fit quod quamvis temperamentum sit necessarium ad operandum, nunquam tamen ejus variatio faciet, quod species albedinis repræsentet nigredinem, conducet tamen temperamenti variatio ad percipiendum magis hoc quàm illud objectum; undè evenit quod pluribus speciebus reservatis una ejiciatur, & alia minimè, solùm ratione temperiei quæ proportionatur magis cum hac specie & actu quàm cum illo, ac proindè potentiæ aliæ determinantur ad operandum cum hac temperie, alia verò secùs.

Ex hac doctrinâ manifesta fiet doctrina quæ communiter dicitur de excitatione specierum, ità ut excitatio hujus speciei, & non alterius, & hujus potentiæ, & non alterius ad operandum, nihil aliud sit quàm esset emperiem & dispositionem pro hac specie, vel pro hac potentia, & non pro alia, ac proindè excitatio non distinguitur ab ipsâ temperie non quod ipsa temperies sit principium efficiens, sed quia sit dispositio quâ organum redditur idoneum ad operandum.

His ità suppositis, quod inquirimus, est quâ ratione aucto calore, vel aliâ qualitate, quæ valeat distemperare, delirium excitetur, & ratio dubitandi extat in eo quod videatur impossibile hoc fieri: nam delirium consistit in actione erronea, seu depravata facultatis: sed nulla distemperies potest causare errorem, vel depravationem, cùm nulla possit mutare speciem albedinis in aliam, v. g. Et idem dico de qualibet aliâ: ergo nullo modo distemperies potest esse occasio in sensibus ad errorem, cùm sensus solùm percipere possint, quod in specie repræsentatur, & non aliud pro ipso; optimè tamen potest minui vel auferri actio vi distemperiei, non verò potentia, cum specie leonis potest percipere equum, ac proindè ratione qualitatis, vel distemperiei, nequit causari delirium.

Et confirmatur in nostra doctrina, quia non apparet cur intellectus incidat in errorem, cùm ipse solùm percipiat illud quod in specie repræsentatur à sensibus: unde ergo habet intellectus quod ea quæ à sensibus repræsentantur, judicet in se esse.

His non obstantibus dicendum nobis est primò delirium optimè posse contingere ratione distemperiei maximè conducentis pro uno actu, vel pro aliquibus determinatis, ità ut potentia non possit cessare à talibus actibus, cùm sufficienter eam determinent.

Secundò asserimus quod multoties adeò est intensa distemperies ut intellectus nullo modo possit elicere actum contrarium quo corrigat actum imaginationis, sed potiùs assentitur ipsi, & consequenter quamplurima fiunt deliramenta.

Sed pro explicatione conclusionis supponendum est sensus internos esse ministros intellectûs, vel quia nihil percipiunt sensus quod intellectus non percipiat, licèt objectum istius magis se extendat, cùm percipiat objectum sensus necessariò, & alia quæ sensus percipere nequeunt, vel quia intellectus aptiori modo percipit illa quæ à sensibus repræsentantur, componendo formaliter veras species, abstrahendo, dividendo, &c.

Secundò supponendum est pro hoc statu nullo modo intellectum posse intelligere aliquod objectum simpliciter, quin tale objectum sensibus possit etiam percipi, quod illis verbis dicitur, proprium est intelligentis speculari phantasmata.

His ergo suppositis, explicatur assertio; semper quod à sensibus proponitur intellectui aliquod objectum, intellectus cognoscit illud eo modo quo proponitur, quia statim omnium specierum seu phantasmarum producitur species impressa ab intellectu agenti impossibili, & necessariò elicitur actio eo modo quo repræsentabatur objectum in specie impressa, v. g. imaginativa elicit, vel producit expressam speciem tauri, & non quomodocumque, sed tauri præsentis, quia in sensibus internis hic est naturalis modus cognoscendi, scilicet absentia ut præsentia: Et ratio est quia sensus interni semper cognoscunt objecta, ut sensata per sensus externos, & ut talia præsentia sunt, quia solùm res præsentes sensus externi sentiuntur: ergo semper cognoscunt res ut præsentes visas vel auditas; &c. Tunc sic argumentor: Imaginativa naturaliter elicit speciem tauri præsentis, accedit his phantasma ad intellectum agentem, & producit speciem impressam in intellectu passibili cum qua specie necessariò tenetur intellectus elicere actum quo cognoscat taurum præsentem absolutè ut in spe repræsentatur: & hoc nullo modo est delirare, sed potiùs naturaliter operari: Deindè debet intellectus elicere secundum actum contrarium quo judicet talem taurum præsentem non esse, neque visum actualiter per sensum externum, sed illud esse fictum ab imaginatione, & sic judicare debet hic taurus non est præsens verè, sed imaginatus, & ut præsens à phantasia repræsentatus, &

consequenter neque fugam appetit, neque fallitur in judicio, sed potiùs actum corrigit, qui secundus actus necessariò debet habere concomitantiam actûs cõtrarij alterius imaginativæ, ideóque antecedenter diximus intellectum ad operandum quasi rapere & trahere potentias internas ipsas ad opus obligando ratione discursus, quia ex eo quod intellectus faciat aliquem discursum, vel syllogismum, optimè potest excitari phantasmata ut operetur circa simplicia quæ in tali discursu reperiuntur eo modo quo sensus materialis exigit. Et est valdè notandum quod etiamsi inveniatur in intellectu vel imaginativa temperies conducens pro tauro præsenti cognoscendo, non obstat ut possit cum eadem temperie cognosci, hoc esse falsum & taurum absentem esse, quia optimè potest una temperies remissè conducere pro uno actu, & etiam remissè pro opposito, quia tales actus non opponuntur rigorosa contrarietate. Præterquam quod sicut eadem temperies conducit in externis ad calefaciendum remissè, & frigefaciendum etiam remissè in diverso passo, sic eadem temperies potest remissè excitare ad hunc actum, & ad oppositum: Quòd si adeò augeatur distemperies, & tantùm intendatur pro uno objecto, ut nullo modo relinquat facultatem & virtutem potentiæ imaginativæ ad eliciendum contrarium phantasma, & intellectivæ potentiæ ad prohibendum secundum actum contrarium quo judicet non ità esse ac proponitur, tunc certum est quod dabitur delirium, & intellectus assentietur actui imaginativæ, & judicabit taurum esse præsentem, & deindè inferet, fugam esse tentandam, aliáque plura ex hoc depravato judicio inferre poterit machinamenta & delitia.

Igitur tota ratio delirij stat in hoc quod intellectus ratione intensæ distemperiei conducentia pro uno actu, nullo modo posse actum contrarium elicere quo primum corrigat, potiùs assentitur, & non distinguet illa quæ proponuntur ab imaginativa ut visa ab illis quæ verè videntur ab oculis vel percipiuntur ab alio sensu externo, & ut talia verè proponuntur. Sic Theophilus imaginabatur tibicines præsentes & sonantes, & ratione maximæ distemperiei ipsius intellectua non poterat elicere actum contrarium, & judicare non verè sonare, sed imaginativæ sonantes apparere, imò potiùs judicabat verè sonare, & quod auferrentur, ex eo quod molestabant, quâ de causa delirans appellari meritò debet, cùm intellectus assentitur illi quod per imaginationem proponitur.

Sed nota quod qui debilitate facultatis sensitivæ laborant, maximè esse dispositos ad delirium ratione ipsius debilitatis quæ in cerebro patiuntur ægri: Et ratio est quia delirium, ut diximus, consistit in secundo actu intellectûs quo assentitur verè rei imaginatæ, ut autem delirium non fit, requiritur actua contrarius intellectui quo avertatur & dissentiat de illo quod ab imaginatione proponitur: sed ad hoc ut eliciat actum contrarium requiritur major conatus & novus animæ quàm ad hoc ut assentiatur ad id quod per imaginationem proponitur: ergo qui debilitate sensitivæ in cerebro laborant, apti sunt ad delirium utpotè ratione debilitatis facultatis non potest elici actus contrarius, neque poni novus, & major conatus quo actus imaginativæ corrigatur.

Hinc ergo apparet ratio quare ægroti inspicientes lineas in pariete, dicunt ibi varia existere animalia, ut quotidie contingit: nam cùm illæ lineæ in tali sint dispositione & figura, ut cani, v. g. assimilentur, excitatur facilè, & ferè per sequelam memoria canis; deindè imaginativa per connexionem actuum imaginatur circa idem objectum ut visum in pariete; & tandem ultimò intellectus per receptionem talis speciei canem ut visum in pariete cognoscit: at cùm ratione debilitatis facultatis non possit novum conatum apponere, neque elicere actum contrarium, inde est quod assentiatur ad id quod per imaginationem proponitur, & deliret.

Sed dices, quia non solùm intellectus cognoscit objectum propositum ab imaginativa, sed etiam proponi ab imaginativa, utpotè cognoscit actus aliarum potentiarum: ergo non potest falsò judicare, quod illud propositum ab imaginativa sit visum realiter per oculos, ac proindè non potest efficere actum contrarium in quo delirium consistat.

Respondetur intellectum cognoscere objectum imaginativæ prout imaginatur, & illud etiam quod ab oculis proponitur; verùm ad utrunque peculiarem requirit temperamentum: & cùm istud varietur, & conducat pro actu quo judicet rea prout ab oculis, & contrarius elici non possit, idem fert falsum judicium de rebus, & deliret quia efficaciùs fertur intellectus in res, ut visas quàm ut imaginatas ratione temperiei ad id conducentia, ità ut non sit temperies conducens ut intellectus eliciat actum contrarium, & sic deliret.

CAPUT IV.

De actibus sensuum internorum, & an quilibet possit esse causa delirij.

Pro decisione dubij nota quod sensus interni non dicuntur, quia intra nos existant; nam sensus tactûs verè reperitur in partibus internis, & tamen externus est: solùm ergo dicuntur interni ex eo quod non primò & immediatè recipiant species, sed mediantibus aliis prioribus, ac proindè sensus interni percipiunt objecta mediantibus speciebus impressis producta ab speciebus expressis sensuum externorum.

Hoc ergo ex Philosophis præsupposito, etiam cum ipsis sentiendum nobis est, ponentibus septem sensus internos, utpotè totidem actus interni reperiantur.

Primus actus est qui distinguit objecta sensuum externorum, simúlque percipit sensationes externas, talia est actus *sensûs communis*, qui solùm potest percipere objecta sensuum externorum, prout realiter præsentia sunt, ex eo quod non conservat species, sed solùm operatur quando sensus externi operantur.

Secundus actus est quando per reservatas species cognoscuntur absentia ut præsentia, & hæc dicitur *phantasia*.

Tertius est quando ex speciebus reservatis aliquæ conjunguntur, vel componuntur (licèt non verâ compositione, quia hæc ad intellectum tantùm pertinet, sed materialem) ut quando ex specie auri & montis imaginatur mons aureus, & talis dicitur potentia imaginativa; quæ in

in probabili opinione non distinguitur à phantasia, potiùs antecedens; & isti sunt duo actus inadæquati ejusdem potentiæ.

Quartus actus est quo res cognoscuntur ut convenientes, aut disconvenientes, & potentia cujus actus est hic, dicitur *æstimativa*, ità ut omnes isti quatuor actus hucusque enumerati, communia sint hominibus & brutis.

Quintus actus est quo objecta præterita ut antea cognita cognoscuntur, & dicitur *memoria*, quæ adhuc est communis hominibus, & brutis.

Sextus actus est cognitio plurium singularium per connexionem aut similitudinem quæ vel discursum antecedit, vel eum comitatus, & ideò dicitur solius hominis, non ità ut ista potentia quæ *cogitativa* dicitur, attingat formalitatem discursùs, quia hoc proprium intellectus, & non sensùs; sed quia cùm intellectus nihil possit agere quin à sensibus ministrentur species, hæc potentia habet hoc peculiare ut ei ministret species ad discurrendum, ità ut semper quoad hunc actum, discursum comitetur.

Denique septimus actus est quando nos recordamur rerum præteritarum, non simplici cognitione, ut quando recordamur alicujus objecti simplicis, scilicet de Petro viso, sed indagatione & discursu quodam contemplando prætèrita ut inveniamus objectum quod cupimus recordari, & iste actus dicitur, reminiscentia, quæ nihil aliud est quàm memoria hominis intellectu discurrente, & ratiocinatione quadam memorante; igitur in actu cogitativæ & reminiscentiæ homo à brutis separatur in elicentia talium actuum quem bruta attingere non possunt.

His ergo notatis supponere debemus cum Philosophis tantùm dari quatuor sensus internos, scilicet sensus communis, phantasia quæ, ab imaginativa non distinguitur, ità ut harum actus sint inadæquati adæquantes unam potentiam: deindè æstimativa quæ à cogitativa non distinguitur, sed solùm earum actus adæquant, etiam unam potentiam, & denique memoria quæ similiter cùm reminiscentia non segregatus, vel si mavis, diciro tantùm esse unicum sensum internum, his diversis nominibus affectum, penes diversos actus inadæquatos: nam quodlibet ex his dixeris, controversia stat, utrum quilibet ex dictis actibus internis, sit sufficiens causa vel occasio, ut intellectus incidat in delirium.

Aliqui circa hanc rem affirmarunt solùm actum imaginationis prout distinguitur ab actu phantasiæ, & actum æstimativæ, seu excitativæ posse esse occasionem, ut intellectus erret, & deliret; non verò actum phantasiæ, neque memoriæ. Et ratio eorum est quia phantasia & memoria neque componunt, neque dividunt: ergo non possunt actus erroneos intellectui suppeditare, à quibus occasionetur ad delirandum. Antecedens patet, quia prædictæ potentiæ solùm cognoscunt objecta simplicia (ut ex suprà dictis constat) ut per speciem repræsentantur: sed circa hoc non potest esse error: nam aliàs cùm specie leonis cognosceretur canis, quod est absurdum: ergo cùm suppeditent species objectorum intellectui, tales potentiæ eo modo quo sunt in se, non possunt præbere ei occasionem errandi.

Sed nihilominùs nobis dicendum est, ex omnibus actibus enumeratis internarum potentiarum posse intellectum sumere occasionem delirandi. Et probatur efficaciter: quia ad delirium non requiritur semper compositio & error, in eo quod concipitur, sed optimè operando intellectus circa subjectam materiam potest delirare in tempore, vel in medio: ergo ex eo quod phantasia & memoria non componant, nec dividant, sed solùm subministrent species objectorum simplicium, ut sunt in se, potest sumere intellectus occasionem delirandi, ex eo quod possit eis uti in tempore & occasione non idonea, vel modo non debito, quia illud judicat conveniens, quod totum pertinet ad intellectum, ac proindè prædictæ potentiæ possunt esse occasionem delirandi.

Deindè probatur, quia quotidie contingit delirium circa simplicia, ut quando nobis proponitur taurus visus, ità ut si ratione distemperiei non subministrentur species intellectui quo hunc actum corrigat, sed potiùs judicet verè taurum præsentem, sine dubio delirat, sumpta occasione ab illo primo actu quo taurus visus præsens proponitur: sed iste actus est proprium phantasiæ: ergo ex istius actibus intellectus sumit occasionem delirandi, præcipuè cùm phantasia semper proponat intellectui res alter ac sunt in se, utpote semper proponit id quod est absens ut præsens: ergo erit occasio delirij, ac proindè ut intellectus non deliret, debet contigere semper actum phantasiæ, delirabit tamen semper quod ei assentiatur, & ejus actum non corrigat, & idem argumentum confici potest de memoria.

Deindè probatur & declaratur magis nostra sententia: nam cùm potentiæ internæ quæ subministrant species intellectui operentur per species reservatas, & species sint imagines repræsentantes objecta, ut sunt in se, & in se sint diversa, semper ut diversa à potentiis repræsentantur, ac proindè intellectus errat & delirat conjungendo & adunando ea quæ sunt diversa, dummodò assentiatur hujusmodi actibus, ac proindè nec imaginatio, neque alia interna potentia sunt vim adunandi, sed solùm repræsentandi, & producendi in intellecta species diversorum objectorum ut non in se diversa, ex quibus intellectus adunat quæ sunt diversa, & quæ sunt unum divertificat, ac per consequens nullus sensus internus elicit actum erroneum: sed omnes producunt naturalissimo modo species objectorum; & cùm prædictæ species sint imagines repræsentativæ, semper ut sunt in se objecta repræsentantur; ergo à qualibet potentia interna potest sumere intellectus occasionem delirandi, cùm ipse solus sis qui componit & facit unum quæ sunt diversa; licet ut sunt in se objecta à potentiis repræsententur, ità ut si ratione distemperiei non possit corrigere actus potentiarum, & judicare verè esse imaginatos, & phantasticos: at quando proponitur taurus præsens, verè delirat, sumpta occasione ex naturali propositione objecti à potentia naturaliter, & non depravatè operante: omnis ergo potentia solùm est occasio delirandi quatenùs proponit phantasmata, seu objecta quorum habet species reservatas, & sic objecta prout fuerunt cognita proponuntur, quia ut sic habent species eorum reservatas.

Undè infero quod cùm sensus communis non operetur per reservatas species, sed solùm quando externi

externi sensus actu operantur, nullatenùs potest sensus communis in absentia objectorum subministrare species intellectui, ut tribuat occasionem decipiendi; quando autem est objectum præsens, non est necessarius sensus communis, ex eo quod per sensus exteriores efficacissimè repræsententur; nisi dicamos sensum commonem necessarium esse, ut producat speciem impressam in potentias interiores.

Similiter possumus dicere ex sensibus externis multoties sumere occasionem delirandi, quando ex similitudine lineatum parietis, animal cujus imaginem æmulantur, putat æger esse reverà, & similiter ex sono auribus percepto, facilè decipitur, & dicit tibicines sonare, ut indè constet ad deceptionem intellectûs, non concurrere aliter sensus omnes quàm percipiendo objecta, quorum habent species, in quibus quantùm ad repræsentationem in sensibus, nulla deceptio esse potest: sed in intellectu solùm non assequente illa objecta esse per sensus proposita, & nihil existera tunc à parte rei eorum quæ proponuntur.

CAPUT V.

An eadem sit ratio deceptionis in delirantibus & dormientibus.

EXPERIENTIA compertum est inter dormiendum quamplurimas deceptiones & errores contingere (qui insomnia dicuntur) cujus assiduæ rei causam inquirimus, ut exindè magis delitij natura quæ in deceptione etiam & errore consistit, magis percalleatur. Et primò certum est deceptionem & errorem inter dormiendum non contingere ex eo quod mutentur species, nam jam *capite præcedenti* impossibile esse diximus: igitur in præsenti aliam causam talium deceptionum assignare debemus.

Et ut altiùs intelligatur supponendum est insomnium nihil aliud esse quàm inter dormiendum rerum absentium ac si præsentes forent apparitio: Et hoc manifestum fit; nam si quis dormiens acu pungatur & doleat, haudquaquam somniare dicetur ex eo quod objectum molestans reverà præsens est, & sentitur: ergo insomnium solùm dicetur rerum absentium ut præsentium apparitio.

Deindè nota quod qui totaliter dormit, nullo modo insomnium habere potest: nam ut hoc detur, aliqua potentia interna debet operari; constat autem in eo qui totaliter dormit, nullam potentiam operari: ergo in illo non dabitur insomnium. Solùm ergo dabitur in illo qui non absolutè dormit, sed tantùm secundum aliquas potentias, & secundum aliquos non, sed vigilat. Contingit autem pluries quod in eo qui dormit secundùm aliquas potentias, & vigilet secundum alias (in quo insomnium dari diximus) quod aliquis actus internus optimè, operetur in somno, & aliquando perfectiùs quàm in vigilia ratione avocationis spirituum ad cerebrum. Et patet: nam multoties somnians cognoscit se somniare, & dicit in animo suo hoc quod mihi proponitur ut visum, non verè videtur, sed quia dormio mihi apparet ac si verè videretur.

Sed difficultas est unde proveniat quod potentiæ internæ ità ligentur, ut nullum phantasma illis proponatur, ut contingit quando dormiens nullo modo insomniat, aliquando verò non omninò ligari, ex duplici causa oritur juxta Aristotelem. Prima est quod cerebrum non sit obstructum secundum omnes suas partes, ac per consequens una potentia vigет, alia verò non. Secundò quia etsi omnes partes cerebri sint obstructæ, tamen propter efficaciam & intensionem specierum quà proponuntur, obstructio non est obstaculum sufficiens; & patet dum dormiens ad magnam vocē vel clangorē expergesit ratione intensionis speciei, etiamsi auditiva potentia dormiat, & maximè obstructa sit. Igitur è contrario, tunc non erit insomnium quando ità remissè proponitur species quod non valeat immutare consopitam facultatem, vel quando ita magna est obstructio, ut sit obstaculum in omnibus partibus cerebri ad communicationem speciei mediantibus spiritibus: similiter ligatio potentiarum, ità ut non sit insomnium, pendet ex crassitie & multitudine vaporis ligante omnes sensus, ità ut non possint operari, constat autem ad insomnium aliquam saltem potentiam vigilare debere: ergo.

Sed quod difficiliùs est, undè proveniat quod excitatis speciebus inter dormiendum, circa illas detur error & deceptio, aut non, juxta quod Arist. *lib. de in somniis* reddit causam dicendo ex eo contingere errorem & deceptionem circa dictas, quia dormiens ignoret se dormire, ac proinde non cognoscit illud quod proponitur, est ratione somni & non reverà, aliter enim contingeret si dormiens cognosceret se dormire, ac proindè illud quod proponitur non esse reverà, sed solùm esse phantasticum, & apparens unde decipitur circa dicta objecta proposita, quia ignorat se dormire, & per consequens quod non est judicat, ac si revera esset.

Deindè hæc doctrina exemplo quodam magis declaratur: nam si quis apponens digitum super oculum, objectum unum in re apparet ut duo & ex alia parte cùm cognoscet hoc evenire ratione appositionis digiti, non decipitur, sed reverà cognoscit esse unum, licèt duo appareant; quod si ignorasset digitum appositum esse supra oculum, sine dubio reverà falleretur judicando duo quæ revera est unum: sic ergo inter dormiendum ex eo contingit deceptio, quia ignorant se dormire, ac proindè quod phantasticum est, ac si reverà esset judicant; aliter tamen contingeret, si cognoscerent se dormire, ac proindè objectum illud esse phantasticum & non reverà, ac proindè deceptio in dormientibus contingit, quia etsi phantasia proponat aliquam speciem intellectui inter dormiendum, nequit tamen commutare intellectum cum actu opposito ratione vaporum, vel aliorum obstruentium, & ità intellectus necessariò assentitur, eo quod proponitur eo modo quo proponitur, utpotè actum contrarium elicere nequit ob rationem dictam.

Ex quibus omnibus ratio deceptionis in delirantibus magis patesit: nam sicut in dormientibus deceptio contingit, quia multoties ignorant se dormire, ac proindè nequeunt elicere contrarium actum, sed judicant illa objecta esse reverà, & non phantastica, & per somnum proposita, ità qui delirat, ratione morbi & intemperiei non potest ad se trahere phantasiam ad eliciendum actum contrarium ab illo cui primò proponitur, ac proindè assentitur primò, & decipitur, unde

eadem

eadem ratin deceptinnis est in delirantibus & dormientibus: nam si delirans cognosceret tala phantasma ratione morbi ab imaginativa esse excitatum, nullatenùs deliraret; delirat ergo quia ratione distemperiei, non potest ad se trabere phantasiam ut eliciat hujusmodi actum.

Undè manifestum fit, non esse necessarium ad deceptionem quæ contingit in delirantibus, & in somniantibus quod detur actus aliquis erroneus sensùs antecedenter ad intellectum, quia cognoscere phantosiam verbi gratiâ, tantum præsentem per speciem ejus reservatam, nullus est error, sed potiùs naturalissimus & rectissimus modus cognoscendi in tali potentia, & oppositus prorsùs impossibilis; est tamen ad prædictam deceptionem ablatio, vel diminutio in aliquibus actibus sensuum internorum, scilicet quod imaginativa non possit operari actu opposito vel diminutè circa illum operetur & sic vel non comitetur, vel tantùm diminutè intellectum insequatur.

CAPUT VI.

Utrum in brutis dentur deliria.

CERTISSIMUM in hoc dubio imprimis est quòd si in brutis daretur intellectus, sine dubio in eis delirium esset concedendum: solùm ergo inquirimus sepositâ intellectûs negatione, an in eis delirium in alia interna potentia concedatur.

Circa quod sit prima conclusio, quòd si in brutis daretur delirium, solùm secundum potentiam æstimativam contingere posse: Et probatur, quia ex eo in hominibus solo intellectui delirium tribuitur, quia ipse solus est facultas negans, vel judicans de aliarum potentiarum actibus, assentiendo, vel dissentiendo, sed similiter in brutis potentia æstimativa est potentia superior & regens, & de cæterorum sensuum actibus judicans convenientiam, aut disconvenientiam per speciem insensatam quæ in specie emissa ab imaginativa, & aliis sensibus eminenter continetur & deducitur: ergo æstimativa in brutis est facultas regens, ac proindè ipsi soli in brutis delirium deberet imputari.

Sit secunda conclusio: In brutis dantur vera deliria quod experientiis ad sensum manifestissimis comprobatur: nam quotidie bruta ex vi morbi mores consuetos & naturales in alios inassuetos & præternaturales mutant: ergo in eis datur delirium. Patet quia delirare nihil aliud est quàm vi morbi alicere actus depravatos & erroneos, quos facultas regens emendare non potest: sed totum hoc contingis in brutis cùm ex vi morbi æstimativa judicat conveniens illud, quod reverà non est, ità ut non possit æstimativa brutorum corrigere prædictum actum: ergo. Minor probatur. In cane rabie affecto qui dominum quem anteà blanditiis & affectûs signis afficere solebat, nunc ut inimicum dilaniare cupit, ipsúmque mordendum & dilacerandum invadere, conveniens judicat: ergo hujusmodi canis verè delirat, cùm non adstante ullo morbo id haudquaquam faceret.

Probatur hæc conclusio secundâ experientiâ in eodem cane rabie affecto, vel hydrophobiâ: nam hujusmodi animal ità aquam abhorret, ut ad ipsius præsentiam pertimescit, obstupescit, & maximus anxietudinibus afficitur, adeò ut velociter ipsam fugere judicetur ut conveniens, etiamsi ex alia parte aquâ nimis indigeant, quando intensissima siti affligatur, ità ut absente aquâ ipsam magnoperè desideret, & eam habere cupiat ipsáque inventâ, & statim ex vi morbi respuere cogitur: ergo in tali actu æstimativæ verè delirat, cùm verè judicet disconveniens id quod reverà conveniens est, & quod ad satiendam sitim amplecti tenebatur. Eodem etiam modo contingerat delirium, si ovis lupum aspiciens, ipsum ut amicum judicaret, & ad suam societatem se conferret: nam quis dubitaret tunc eum actum erroneum elicere, & verè decipi, cùm æstimativa quæ facultas regens est, in brutis omnibus vi distemperiei actum imaginativæ corrigere non valuit. Quomodò autem in hydrophobia seu rabie id contingat, in proprio loco latè disputabitur: sufficiat nunc manere stabilitum in brutorum æstimativa propria reperiri deliria.

CAPUT VII.

An dentur deliria solius intellectûs.

PRIMÒ certum in hoc dubio est quod cùm species intelligibiles sint spirituales, ullatenùs pendent ab organi dispositione ad sui conservationem; & cùm aliàs non recipiantur in subjecto corruptibili, utpotè in intellectu, & ex alia parte careant contrario, nullum est caput quare conservationem specierum rerum absentium in intellectu denegemus.

Dubium ergo est an dentur deliria solius intellectus, ità ut sine dependentia à sensibus delirare solus poterit. Et videtur quod sic, quia aut intellectus læditur per consensum cum sensuum læsione, aut læditur sine illis: si hoc secundum fiat, habemus intentum: si primum, sequeretur quod semper quando læditur sensus internus, læderetur intellectus, quod est falsum. Quod sequatur probo, quia non datur in hac opinione alia læsio in intellectu nisi per consensum ex sensuum læsione: ergo semper quod sensus errat, necessariò debet esse deceptio in intellectu: sed contrarium est verum, cùm constet in vertigine lædi imaginativam omninò illæso intellectu: ergo optimè poterit intellectus se solus delirare, cùm non semper delirat per consensum ex læsione sensuum.

Nihilominùs dicendum nobis est, omnia deliria suam originem accipere à sensibus; cùm hoc tamen est verum alia deliria dari per naturalem sequelam, quæ solius intellectus possunt dici, licèt tanquam ex prima radice & de primo ad ultimum à sensibus dependeant.

Primam partem conclusionis probatur sic: quia intellectus est potentia spiritualis nullo modo à materialibus dispositionibus dependens: ergo non potest habere in se principium ad errandum. Consequentia patet, quia si in se haberet tale* principium, sequeretur quod anima in statu separationis posset delirare, quod est absurdum; ergo intellectus ad delirandum necessariò

sariò sumit occasionem ab aliquo materiali à quo dependeat pro hoc statu; sed à nullo magis quàm à sensibus dependentiam patitur, cùm sine eorum ministratione intellectus non possit operari: ergo ab ipsis sumit occasionem ad delirandum, ac proindè nullum est delirium solius intellectûs, ità ut nullo modo originem ducat à sensibus.

Secundam partem conclusionis probo, quia intellectus ex uno errore, alterum inferre assuescit; ergo dabitur delirium, quod magis ipsi intellectui tribuatur, etiamsi de primo ad ultimum à sensibus sumat originem. Antecedens probatur: dum ex delirio quo judicat se esse Deum, infert se alimento non indigere, quod est secundum delirium, quasi per sequelam cum primo, ut anteà diximus, quod fit per species insensatas, cùm discursus vel illatio à sensibus nunquam percipiatur: ergo dabitur tale delirium quasi per sequelam quod magis tribuatur ipsi intellectui, cùm ejus nullæ præcedant species in sensibus, utpotè in illatione consistit & discursu qui à sensibus non percipitur, licèt semper verum sit ut à prima radice à sensibus originem deducere.

Undè ad argumentum Respondetur non bene infertur ex eo quod intellectus aliquando patiatur per consensum, quod semper pati debeat à sensibus; oppositum enim manet probatum: Et ratio est quia tunc intellectus non potest corrigere primum actum erroneum, quando adeò crevit distemperies In sensibus, ut intellectum ad contrarium actum comitari nequeant; quando verò adeò eversa non fuerit naturalis dispositio, non est dubium quod sensus comitabitur intellectum, & actum contrarium corrigentem eliciet: ergo tunc non operabitur per consensum intellectus, sed potiùs contrarium elicit actum; semper tamen est verum occasionem sumere ex sensibus ad delirandum, modo suprà dicto.

Undè deducimus quod ratione habitûs oppositi, intellectus facillimè corrigit actum erroneum, verbi gratiâ, homo vertiginosus ex eo quod habeat habitum quo cognovit implicare naturaliter totam domum in gyrum moveri judicat apparentem esse tale motum, quod puer non faceret per habitûs carentiam.

CAPUT VIII.

Utrum læsâ imaginatione lædatur necessariò aliquis sensus externus cum ipsa.

EGREGIE noster Petrus Garcia contra Vegam asserentem non posse lædi imaginationem, quin priùs sensus externus lædatur arguit. Ad intelligentiam tamen quæstionis debemus prænotare eos concessisse deliria in imaginatione quæ à nobis negantur, & solo intellectui conceduntur, ità ut nos vocemus errores non delitia actus imaginationis depravatos, utpotè quod communius est, error ad delirium: nam error cuicunque internæ facultati potest competere, delirium autem debet esse error & deceptio solius facultatis regentis.

Hoc ergo supposito quæstio habet duplicem sensum: Primum, an ut erret imaginativa necessarium sit quod error antecedat in aliquo sensu externo: secundum, an ut imaginatio erret, debeat communicare species ejusdem objecti sensui externo.

Et nobis dicendum est in utroque sensu non esse necessarium ut imaginativa erret, neque quod antecedat error in aliquo sensu externo, neque quod imaginativa producat speciem illius in eo. Et probatur efficaciter, quia omnibus imaginatio ut à causa adæquata fit à potentia, specie & temperamento: sed hæc omnia sunt in imaginatione in absentia objectorum, cùm operetur per reservatas species: ergo imaginatio operatur, quin præcedat sensatio exterior, cùm nullus sensus externus circa objecta absentia possit sensationem elicere.

Secundò efficaciùs probatur, quia imaginatio potest percipere objecta quæ à sensibus externis percipi nequeunt: ergo tunc operabitur quin præcedat aliqua sensatio exterior. Consequentia est evidens. Antecedens probatur, quia sensationes sensuum externorum ab ipsis ullatenùs percipiuntur, juxta omnes Philosophos, scilicet auditio, visio, &c. Sed hujusmodi ab imaginatione percipiuntur, ergo quando imaginatur circa ipsas, nullus actus sensus exterioris præcedere potest.

Undè nihil valet quod à Philosopho adduci solet, scilicet imaginationem operari non posse quin aliquis sensus sit in actu: nam hoc debet intelligi non quod actualiter sensus externus operetur, sed ità debet intelligi ut non possit imaginatio operari circa aliquod objectum, quin aliquis sensus externus circa illum operatus sit, quod cum nostra conclusione ullatenùs contrariatur. Nam per actum sensuum externorum recipit species imaginatio, easque in absentia objectorum conservat, ut subindè sine actuali sensatione externa imaginatio operetur.

Quod autem per actum imaginationis nihil producatur in potentiis externis quo possint simul cum illa operari, probatur, quia species sensuum externorum à nullo agente produci possunt quod non sit eorum sensibile proprium, vel commune: sed imaginatione nihil est quod sit objectum visûs, vel tactûs, vel alterius sensûs, cùm nullus dixerit Philosophus, oportet imaginantem videre realiter, aut audire, sicut dixit, oportet intelligentem speculari phantasmata: ergo quando imaginatio operatur, non potest ex vi illius actus produci aliquid in potentiis externis, ratione cujus sensationes externæ necessariò simul fiant.

Sed huic rationi Respondet Vega quod vi imaginationis moveantur vapores & spiritus ad organa sensuum externorum, & in illis deferri imagines objectorum, ac proindè potentiæ externæ sentiunt objecta similia ac imaginatio: & rursùs externi sensus mittunt speciem illius rei in imaginativa, & rursùs imaginativa immutatur, & hæc est ratio (ait Vega) quare delirantes dormientes & phrenitide affecti falluntur: nam cùm delirantes, dormientes & phrenetici concipiant quod verè absens est, ut præsens, hoc haudquaquam fieri posset, quin imaginatio mitterit vapores & spiritus in quibus esse species objecti in potentiis externis, à quibus rursùs species rei præsentis in imaginativa produceretur; & indè deceptio in delirantibus, & dormientibus, & phreneticis evenit.

Sed

Sed hæc doctrina falsa est: nam quamvis concedamus species objectorum in spiritibus conservari, debet intelligi de speciebus deservientibus sensibus internis, non autem externis, nec sensui communi, quia hi solùm possunt rem præsentem percipere. Deindè quia species quibus operatur imaginativa, sunt diversæ naturæ ab illis quibus sensus externi operantur: ergo mediis illi externi sensus non possunt sensationes suas elicere. Præterquam quod non assignatur causa, quare vi imaginationis moveantur spiritus versus organa sensuum externorum. Et denique quia idem contingeret quando in vigilia imaginamur circa objectum gustabile: nam deberemus sensu externo gustûs eum percipere, quod ridiculum videtur.

Neque ratio adducta à Vega aliquid valer, quia non solùm sensus externi percipiunt objecta ut præsentia, sed & intellectus, & imaginativa, inter quos hæc est differentia: nam sensus externi possunt percipere objecta nisi quando actualiter sunt, & ità semper ut præsentia percipit ea, imaginatio autem cùm reservat easdem species in absentia objectorum, percipit illa ac si essent præsentia: nam cùm imaginatio non tantùm percipiat objecta sensuum externorum, verùm & ipsas sensationes, indè est quod non tantùm imaginetur Petrum visum, sed etiam visionem illius, ac proindè imaginatur Petrum, ut actualiter visum, semper ergo imaginatio circa præsens versatur, non tamen eodem modo, ac externi sensus ad suam sensationem actuala objectum petunt, ex eo quod per species conservatas non operantur sicut imaginatio.

Undè fit quod delirium non resultat eo modo quo ait Vega, sed tunc contingit quando imaginatio versatur, verbi gratia circa taurum præsentem & intellectus assentitur imaginationi, ex eo quod ex vi morbi & distemperiei non excitantur species in intellectu, ad corrigendum hujusmodi phantasma; sic & eodem modo in somniantibus & phreneticis contingit.

Denique ultimò dicendum est, quod licèt verum dictum sit non esse necessarium ad errorem imaginationis quod lædatur actio sensus externi; cùm hoc tamen benè stat quod multoties à sensibus externis sumimus occasionem errandi, ut quando delirat æger sumtâ occasione ex lineis existentibus in pariete ab similitudinem cum aliquo animali, & affirmat ibi esse tale animal, cum quo lineæ habent similitudinem. Similiter ex vaporibus aliquibus qui ante oculos ponuntur, judicamus muscas ante illos evolare; & ex saltatu aurium, multoties æger judicat tibicines sonare, & aliis quamplurimis exemplis dictum clarissimè demonstratur.

CAPUT IX.

Utrum læsâ primâ potentiâ à qua reliquæ recipiunt species, lædantur omnes necessariò.

PRO intelligentia totius dubij supponendum cum Philosophis est, objecta mittere species in potentias externas; deindè species expressa externorum sensuum mittūt impressam in sensu communi, deindè expressa sensus communis mittit impressam in imaginatione; rursùs expressa imaginationis mittit impressā in æstimativa; rursùs expressa æstimativæ producit impressā in memoria: & denique phātasma quod à memoria elicitur, cùm sit materiale, & non possit producere speciem intelligibilem in intellectu passibili, elevatur ab intellectu agente qui spiritualis est, ità ut ipse sit causa principalis producens in intellectu passibili speciem intelligibilem; phantasma autem solùm se habere in hac productione tanquam instrumentum prædeterminans intellectum agentem ad producendam speciem intelligibilem hujus objecti potiùs quàm illius, ità ut in effectu nihil sit quod instrumento correspondeat, sicut in substantiæ productione nihil est quod correspondeat accidentibus qui ut instrumenta se habent.

His ergo suppositis, quæstio est utrum si imaginativa verbi gratiâ erret, ità ut percipiat domum super infirmum cadentem, an necessariò ex hoc errore sequatur error in æstimativa, & appetitu & in memoria, & intellectu, quæ omnes potentiæ recipiunt illam speciem vitiatam ab imaginatione. Cui dubio Petrus Garcia satisfacit, dicendo læsâ primâ potentiâ à qua reliquæ recipiunt species, non esse necessarium reliquas lædi. Quod probat: nam quandoque sola delirat imaginativa, ut contingit in Theophilo imaginante tibicines sonare in angulo domûs; quandoque verò solus intellectus, ut in phrenetico vasa per fenestram dejicientem, qui vasa optimè ibi existere cognoscebat, & tamen etiam ratio erat infirma, quia non discurrebat eorum fractionem esse manifestam: ergo non omnes potentiæ læduntur necessariò, ex eo quod prima à qua recipiunt species, lædatur. Et objiciens contra Petrum Garciam quòd imaginativa mittit species in æstimativa, ac proindè si illa erroneè operetur ratione specierum depravatarum, cùm in æstimativam eædem in specie species mittantur, videtur necessariò etiam depravatè operari debere.

Respondet ipse Petrus Garcia, quod etiamsi easdem species mittat imaginativa solo numero diversas (quod plurimi negant, unde solutum erat argumentum) in æstimativa & reliquas potentias, non errabit necessariò æstimativa, & reliquæ; nam cùm hujusmodi potentiæ sint diversæ, utuntur speciebus sub diversis rationibus repræsentantibus objecta: fieri ergo potest ut organum æstimativæ sit optimè dispositum ad operandum sub illa ratione sibi debita, etiamsi prior potentia ut imaginativa, aut ejus actus sit erroneus. Et exemplo Theophili hoc explicat: nam in eo actus imaginationis erat erroneus, quia tibicines percipiebat, & reverà non erant, & nihilominùs ratio non erat læsa, quia optimè discurrebat expulsionē eorū impetrando, quia erāt illi molesti. Hæc Petrus Garcia in hac quæstione.

Sed nobis primò dicendum est, quod si ad vires sensitivas attendamus, hoc ipso quod imaginatio læditur, debet lædi æstimativa; hoc autem debet intelligi quando imaginatio errat circa aliquod objectum circa quod æstimativa potest elicere rationem convenientiæ aut disconvenientiæ, ut quando imaginatur taurum præsentem vel aliud simile: nam si errat circa objectum aliquod circa quod æstimativa non potest elicere rationem convenientiæ, aut disconvenientiæ, ut si erret circa existentiam Petri, certum est æstimativam

tivam non lædi, cùm circa illud objectum non possit operari. Quod autem si æstimativa possit operari, lædatur hoc ipso quod imaginativa læditur, si ad vires sensitivas tantùm inspiciamus, probatur, quia æstimativa non est potentia libera, sed necessaria, ita ut producta in ea specie non possit non operari cum illa, si aliàs organum habeat dispositionem requisitam ad operandum: ergo si imaginativa depravatè operetur, ità ut verbi gratiâ, imaginetur taurum præsentem, cùm hujusmodi species producatur in æstimativa, necessariò eliciet actum disconvenientiæ & fugæ, attentis solùm sensitivis viribus (nam si ratio colligat taurum esse tantùm appatentem, non eliciat fugam æstimativa) sed hujusmodi actus æstimativæ erit depravatus, quia est fuga illius, quod reverà non est: ergo necessariò læditur. Idem contingit in Theophilo: nam etiam actus æstimativæ quo percipit tibicines ut disconvenientes, est depravatus, quia percipit quod reverà non est, ut disconveniens, & eadem deceptio in æstimativa contingit in delirantibus & dormientibus: nam fugiunt objectum dummodò actus contrarius non elicitur per discursum quo intellectus judicat hujusmodi objectum phantasticum, & non verum esse.

Ex hoc planè constat rationem adductam à Petro Garcia claudicare: nam quò melior est dispositio in æstimativa ad rectè operandum sub peculiari ratione æstimativæ, meliùs & conformiùs eliciet actum conforme sensationi imaginationis depravatæ: nam si rectè disposita est æstimativa attentis viribus sensitivis, hoc ipso quod tauri præsentis habet speciem, cùm potentia libera non sit, nec discursiva, necessariò tenetur elicere actum disconvenientiæ & fugæ. Et licèt talis actus sit naturalissimus æstimativæ, erroneus tamen & depravatus dicitur quasi per sequelam, vel per consensum, vel erroris imaginationis, quia reverà æstimativa etsi naturalissimè operetur, elicit actum disconvenientiæ circa objectum quod reverà disconveniens non est, ac proindè erroneus per sequelam tantùm, meo judicio, potest nuncupari.

Sit secunda conclusio, quod si ad vires intellectivas respiciamus, non hoc ipso quod læditur imaginatio, debet lædi æstimativa, neque intellectus. Probatur efficaciter ex doctrina communi Philosophorum: nam in vertigine, licèt vertiginosus imaginetur totam domum in gyrum moveri, ullatenùs timet, nec actum fugæ elicit, solùm præcisè quia intellectus judicat, & cognoscit motus domûs in gyrum, solùm esse imaginatum & phantasticum, & sic nec timet, neque elicit actum fugæ, ac per consequens ratione intellectûs discurrentis & contrarium actum elicientis suspenditur actus æstimativæ potentiæ: ergo si ad vires intellectivas attendamus, læsâ imaginatione non est necessarium lædi æstimativam, quia istius actus suspenditur ratione & intellectu cognoscente quod illud quod proponitur, solùm est phantasticum & imaginatum, undè quando intellectus non corrigit actum imaginationis, statim depravatè operatur æstimativa quia solùm tunc operatur attentis viribus sensitivis, & similiter intellectus depravatè dicitur operari, & delirare, quia non corrigit hujusmodi imaginationis actum, sed potiùs ei assentitur. In brutis autem cùm non sit ratio, nec discursus ratione cujus eliciatur actus contrarius quo suspenditur actus æstimativæ, ideò semper quod læditur imaginativa, æstimativa debet lædi, nisi in illis sit alius actus, ratione cujus cognoscant canem verbi gratia reverà non esse, quod ad æstimativam eorum etiam debet pertinere, cùm in illis sit potentia regens, qui actus *instinctus* à pluribus nuncupatur: dum ergo hujusmodi actus instinctivus in brutis non sit, necessariò erit delirium in eorum æstimativa, quoties imaginativa eorum depravatè & erroneè operatur.

In homine autem planè constat æstimativam suspendere suum actum fugæ, aut prosecutionis, ex eo quod intellectus cognoscat objectum propositum tantùm esse phantasticum: nam fuga vel prosecutio debet esse circa objectum delectabile, aut terribile; quâ ratione talia sunt: sed objectum terribile fictum nequit timeri neque delectabile fictum nequit prosequi, & hoc ratione, intellectûs discurrentis cognoscitur, indè est quod æstimava non operatur depravatè, sed suspendat suum actum quoties in intellectu est actus corrigens actum imaginationis & judicans non ità reverà esse.

Denique infertur, quod etiamsi memoria recipiat species ab imaginatione, non sequitur in ea error, quamvis imaginativa depravatè operetur ex vi speciei productæ ab imaginativa, quia objectum naturalissimum memoriæ est præteritum, ut anteà cognitum, quomodolibet, aut à quavis occasione cognoscatur, esséque potiùs læsio in memoria non recordari illius: undè recordari objecti quod videtur, aut per imaginationem concepit, etiamsi sit illa conceptio erronea, naturalis tamen operatio memoriæ est, & nullo modo delirium aut error. Solùm ergo potest errare in tempore, aut loco, aut quando attribuitur aliquid Petro quod videt in Paulo.

CAPVT X.

Vtrum mutatio temperamenti in solis primis qualitatibus ad delirium sufficiat.

SUPPONIMUS in præsenti dubio cum omnibus Philosophis, qualitates primas simpliciter, esse necessarias ad operandum, ità ut ex earum variatione mutationem in actionibus experiamur. Et ratio est, nam cùm potentiæ sensitivæ & ipsa anima non suscipiant magis & minùs, hinc est quod sint in sua entitate invariabiles; undè variatio in actione ad temperamenti variationem est reducenda; experimur enim in phreneticis, immutatis potentiis & speciebus tam miram varietatem symptomatû, quæ solam temperamenti variationem insequuntur: Igitur quod inquirimus est an sola variatio primarum qualitatum ad delirium sufficiat, an autem sit necessaria productio alicujus secundæ qualitatis quæ sit immediata origo delirij.

Circa quod Petrus Garcia originē immediatam delirij esse aliquā secundam qualitatem & non variationem primarum asserit. Quod probat quia à qualibet distēperie, aut febre ejusdem intentionis evertitur eodem modo temperamentū primarum qualitatum, sed non per quamlibet distemperiem, aut febrem causatur delirium, imò potiùs experi-

mur

mus cum remissiori calore esse in aliquibus delirium, & in aliis cum intensiori, minimè ergo delirium non nascitur immediatè ex mutatione primarum qualitatum: nam quò major calor esset, & intensior effectus, intensiori modo præstari debebat; constat autem experientiâ contrarium: ergo hujusmodi effectus, scilicet delirium, non immediatè à primis qualitatibus, sed à secunda originatur.

Sed hæc Petri Garciæ doctrina nobis non probatur: imprimis quia sine necessitate multiplicat entitates, & quia istius prædicti effectus assignat causam occultam & quem nullo modo probare potest. Deindè quia sequeretur ex ea tot esse ponendas mutationes in qualitatibus secundis, quot sunt genera deliriorum, vel ut meliùs loquar, quot sunt species deliriorum, quod omninò absurdum videtur.

Rursùs urgentiùs sic argumentor: quia hæc secunda qualitas debet nasci à primis, ac proindè debet esse similis qualitatibus secundis quæ à primis *in externis* producuntur: sed qualitates secundæ quæ à calore (de quo solùm à Gal. dicitur delirium causare) producuntur, sunt tenuitas & raritas, quæ sunt dispositiones ad optimû ingenium, ex Gal. ipso: ergo hujusmodi secundæ qualitates nllatenùs possunt esse origmem immediatâ delirij.

Rursùs quia tempeties primarum qualitatum non minùs requiritur ad actiones, quàm temperies secundarum: ergo depravatio in actione non minùs fiet ex variatione primarum quàm secundarum. Et confirmatur, quia ad diminutionem actionum sufficit sola variatio in primis qualitatibus; ergo ad depravationem actionis etiam sufficiet.

Tandem ad hominem sic argumentor, quia juxta Petrum Garciam, delirium potest causari ex inordinato motu spirituum, seclusâ quâvis aliâ intemperie, & exemplo in somniorum comprobat, ex eo quod absque mutatione in aliqua secunda qualitate sæpè fiant; ergo si solus motus spirituum est sola causa adæquata delirandi, sine temperie vitiosa, frustrà constituit mutationem in secunda qualitate ut causam immediatâ delirandi.

Nobis igitur dicendum est, solam variationem in qualitatibus primis ad delirium facere. Hæc conclusio præterquam est expressa Gal. ad solum calorem deliria reducens, ut constat ex 2. *lib. de causis sympt. & 4. de prasag. ex puls.* Ratione etiam comprobatur, quia primæ qualitates sunt simpliciter necessariæ ad operandum: ergo existente in eis variatione, depravatè vel diminutè actio fiet, ac proindè delirium ad solam variationem primarum debet reduci, præcipuè cum hac ratione non possint resultare sine variatione in primis.

Undè ad rationem Petri Garciæ facilè Resp. dicendo quod cùm latitudo sanitatis ex Gal. non constet in indivisibili, sed magnam latitudinem habeat, inde est quod non lædantur in omnibus actiones ab eadem intensione caloris, ac proindè unus poterit delirare cum remissiori calore, quia poterit respectu illius obnoxius esse, & aliter cum multo majori calore non delirabit, quia potest non esse tam obnoxius; nam in homine debili ex remissiori calore sequetur læsio quàm in homine robusto cum intensiori non sequetur, quia sanitas vel latitudo ejus in illo est multò minor quàm in isto, & sic remissus calor uni est nocivus & præternaturam, & alteri non. Præterea quia idem argumentum militat in sua operatione, ne-

utrùque eodem modo argumentum solvere: nam cùm illa secunda qualitas nascatur ex mutatione primarum, cùm resultat aliquando à remissiori calore, ità ut sit delirium, & non resultat ab intensiori, cùm quotidie sine delitio inveniatur; aliter enim non potest satisfacere argumento nisi dicendo, in uno esse latitudinem sanitatis majorem quàm in alio, & per consequens in uno à remissiori calore resultare secundam qualitatem delirium immediatè causantem, & in alio ab intensiori non resultare, quia majorem sanitatis habet latitudinem.

CAPUT XI.

Utrum omnes primæ qualitates ad delirium conducant.

Ut præsens dubium intelligatur, notare oportet quod suprà diximus, nempè ad delirium duo requiri, & quod excitentur species efficacitet moventes potentias internas retentrices, & quod totaliter contrariis imaginationi ut cum intellectu operetur ad actum vel discursum contrarium efficiendum, quod est suo modo diminuere vim sensuum internorum. Dubium ergo non est an diminutio actionum, aut ablatio à frigore & humiditate fieri possit: nam certum est hujusmodi qualitates ad diminutionem aut ablationem actionis conducere, ut *infrà* ostendam, & fortasse fortiùs quàm calor & siccitas. Dubium ergo est utrùm vi omnium quatuor primarum qualitatum ità excitentur efficacites species ad unum actum in sensibus internis, ut omninò minuatur aut auferatur excitatio specierum in potentia interna, ad alterum actum contrarium quod requiri ad delirium diximus, quod an fiat à solo calore & siccitate, an autem à frigiditate & humiditate possit causari, est præsens dubium.

Circa quod videtur id posse etiam fieri à frigiditate & humiditate, quia non est repugnantia cur non possint prædictæ qualitates ità conducere & attemperate pro uno actu elicièndo, ut diminuant vim ad contraria phantasmata excitanda: ergo.

Secundò probatur à simili in actionibus naturalibus: nam hæ depravatè fiunt per frigus intensum, constat in coctione ventriculi, ità ut si nimis frigidus sit, alimentum mutat in acidam qualitatem, atque actio depravata, quia terminatur in alienam qualitatem: ergo similiter contingere poterit in actionibus sensuum internorum, ac proindè vi prædictarum qualitatum delirium sequetur. Idem constat in hydrope in quo ob frigidam jecoris distemperiem loco sanguinis generantur aqua, & crudi humores, & flatus.

Deinde efficacius argumentum fit ex fame canina: nam in ea ex eo quod os ventriculi nimis frigidum sit, excitatur vehemens sensatio quàm pro natura debetur, ob cujus molestiam tantam alimenti copiam appetunt, ut nunquam satietur appetitus, quia semper adest intensa sensatio objectu excitantis famem: ergo similiter quælibet sensatio interior potest ità intédi ratione frigiditatis, ut contrariû actû nô excitet, ac per consequês ratione hujus qualitatis delitiû etiâ eveniet.

Sed contraria sententia, videlicet quod tantùm ratione caloris & siccitatis præternaturam delirium

perfectè operandum: Et denique calor qui præternaturam est æstimativæ causans in ea læsionem, est secundum naturam memoriæ, quia majorem calorem expostulat ad operandum ac proindè priùs læditur imaginatio, deindè æstimativa, & posteà memoria. At verò in diminutione actionis priùs læditur memoria, deindè æstimativa, & denique imaginatio. Et ratio est evidens: nam diminutio in dictis potentiis evenit penes remissionem caloris, qui dispositio naturalis ad operandum est, ut dicemus *infrà*: sed priùs debet remitti calor intensior: ergo priùs debet deficere & diminui actio ad quam calor intensior conducit, hæc est memoriæ actio, & posteà æstimativæ, & denique imaginativæ actio: ergo priùs debet minui memoria, deindè æstimativa, & denique imaginativa, quia cùm hæc non exposcat tã intensum calorem, posterior totaliter quod remissius est.

Sed quod habet majorem difficultatem à qua pendet totius nostræ conclusionis fundamentum, est scire unde constet quod imaginatio vel ejus actus requirat minorem calorem, & deindè æstimativa, & denique majorem adhuc memoria. Respondeo ex eo constare quod actus æstimativæ & memoriæ sunt perfectiores, quia actua unius est attingere convenientiam, aut disconvenientiam, & alterius versari circa præteritum ut antea cognitum qui modi operandi, sine dubio sunt perfectiores quàm modus operandi imaginativæ potentiæ qui solùm objecta simpliciter apprehendit, & quod magis potest facere est materialiter componere, hoc est simultaneè species duorum objectorum percipere, ut speciem montis & auri adunare, vel simul apprehendere, ità ut imaginetur montem aureum. Totum quod minorem perfectionem in modo operandi arguit quàm æstimativa, & memoria, ad quarum actionem major promptitudo & agilitas & vivacitatis requiruntur, quæ omnia intensiorem calorem exposcunt, ac proindè intensior calor requiritur in æstimativa, deindè in memoria, quàm in imaginativa. Undè fit quod quia in actu reminiscentiæ & memoriæ reperiatur aliqua major perfectio quàm actu æstimativæ, utpotè reminiscentia, fit cum celeriori inquisitione & majori indagatione; indè est quod intensior calor ponatur in memoria, & reminiscentia quàm in æstimativa.

Cùm hoc tamen non negamus memoriam requirere siccitatem intensam, ac proindè ab humiditate posse lædi: Et ità quandò dixit Galenum quod ubi graviter offensa est memoria, indicat frigidam intemperiem, tunc loquebatur de gravi offensis subitò facta: in qua hypothesi intulit læsionem à frigore oriri, non quia non sensisset eam ab humiditate læsionem magnam in memoria sequi posse, ità ut si læsio sensus interni ab humiditate proveniat, priùs læditur memoria; habet enim memoria duos actus, alterum vitale & memorativum, præteritorum, alterum conservativum specierum in absentia sensibilium: ex quibus primus requirit magnum calorem, secundus magnam siccitatem; unde quando memoria nimis infrigidatur, læditur quantum vitale memorandi, licèt non quantum ad secundum conservandi species in absentia: undè tunc non memoratur quia deficiunt species; sed non memoratur, quia deficit dispositio requisita in organo ad eliciendum actum vitalem memorandi. Ob nimiam autem humiditatem læditur secundus actus, scilicet conservatio & retentio specierum, & sin non memoratur defectu ipsarum, licèt sit requisita dispositio ad eliciendum actum vitalem memorandi. Itaque secundum divum Thomam siccitas maximè ad retentionem specierum conducit, & humiditas contrarium efficit: nam ratione istius evanescunt species objectorum præteritorum, undè qui in ipso morbo memorantur, quando provenit ex nimia humiditate, solùm est ratione specierum adquisitarum de novo: nam antiquæ jam fuerunt deperditæ.

Sed dices: videtur quod species non possint evanescere, & ità ratione nimiæ humiditatis non lædi memoriam, quia evanescunt species; nam species non habent contrarium à quo possint corrumpi; neque dependent in conservari ab agente à quo fuerunt productæ, cùm in ejus absentia conserventur: non est ergo cur evanescant.

Respondetur species deficere ad deficientiam subjecti in quo conservantur: cùm autem ratione nimiæ humiditatis aptiùs ad resolutionem reddatur, indè est quod simul cum humiditate deperduntur species, & ità hoc verum esse constat, ut si deficiant per solam causæ materialis deficientiam, non minùs deficient per humiditatis excessum, quàm alterius cujuslibet qualitatis, cùm per quamlibet possit organum distemperati, & malè disponi. Eodem modo quo sigillum impressum in cera per ejus laxationem deletur, sic ratione humiditatis laxatur pars cerebri, ubi species imprimitur, ac per consequens delètur, & sic deficit ad defectum subjecti.

Undè etiam inferimus quod qui nimiâ siccitate laborant, non benè memorantur, non quia maxima siccitas non conducat ad retentionem specierum, sed quia non est dispositio conducens ad earum receptionem, & sic non memorantur: nam ratione siccitatis densitas & opacitas causatur, ratione cujus species non possunt imprimi.

CAPUT XIII.

Quomodo ab eadem temperie percipiantur actus interni.

EX Capite præcedenti ratio dubitandi in præsenti nascitur: namsi imaginativa non petit eandem temperiem cum æstimativa, neque hæc cum memoria; jam enim diximus actum imaginativæ ad perfectè operãdum minorem calorem petere, deindè majorem æstimativa, & tandem memoria majorem, videtur difficillimum quomodò in eodem homine inveniatur imaginativa perfectè operans, & æstimativa & memoria, optimè elicientes suos actus, ità ut in omnibus potentiis internis neque depravatio, diminutio aut ablatio reperiatur; hoc enim experientiâ in pluribus hominibus constat. Quod in nostra doctrina videtur difficile: nam gradus qui conducit pro operari optimæ memoriæ, est præternaturalis æstimativæ, & gradus caloris qui conducit pro operatione æstimativæ, est præternaturalis imaginativæ: ergo videmus ab una & eadem temperie omnes potentias internas non posse operari; contrarium autem in pluribus hominibus experimur.

Nihilominùs dicendum nobis est quod sive imaginatio & æstimativa, & memoria sint actus inadæquati ejusdem potentiæ, sive sint actus adæquati diversas potentias constituentes, dummodò sint in eadem cerebri parte, possunt omnes dari perfecti, hoc est non læsi, licèt petant diversam intensionem caloris, ut diximus. Fundamentum hujus assertionis desumitur ex Galen. *in toto lib: de sanitat. tuenda*, ubi ait, sanitatem nostram non consistere in indivisibili, sed maximam habere latitudinem, & non per quamlibet remissionem, vel intensionem temperiei deficere: ergo similiter licèt æstimativa & memoria ad operandum requirant majorem intensiorem caloris quàm imaginativa, nihilominùs latitudo imaginativæ potest extendi in sua temperie ad temperiem cum qua sine læsione possit operari æstimativa & memoria: nam si verbi gratiâ, imaginativa requirat unum gradum caloris ad operandum, & æstimativa & memoria exposcant duos gradus caloris, potest latitudo intra quam imaginativa sine læsione operatur se extendi usquè ad duos gradus caloris; quo fit ut etiam cum illis æstimativa & memoria sine læsione operentur, quia illud maximum ad quod imaginativa potest se extendere ut sine læsione operetur, respectu æstimativæ & memoriæ est minimum sub quo possunt operari, ac proindè licèt diversam intensionem caloris petant ratione latitudinis, possunt ità operari ut sine læsione actio omnium fiat, non quod perfectissimè fiant omnes actiones, ità ut non possint fieri perfectiori modo: nam certum est quod cum majori calore perfectiùs operarentur æstimativa & memoria, & cum minori imaginativa, ac proindè tantùm quæstio procedit, quod etiamsi petant diversam intensionem caloris, nihilominùs sine læsione aliqua in pluribus hominibus ab eadem temperie omnes fieri possunt.

Undè fit quod in maximo caloris sub quo memoria læditur, necessariò læditur imaginatio, aut æstimativa, quia latitudo sanitatis in memoria ad plus se extendit quàm latitudo imaginativæ & æstimativæ, ex eo quod minimum memoriæ sub quo incipit, est maximum imaginativæ: ergo maximum sub quo læditur memoria, erit lædens necessariò omnes potentias inferiores, utpotè latitudo sanitatis in eis non extenditur ad maximum sub quo læditur memoria. Undè etiam fit quod minimum sub quo incipit imaginatio non est perfectio sub quo memoria, aut æstimativa possint operari: nam ubi non est maximum sub quo imaginatio potest operari, non est minimum sub quod æstimativa & memoria operari possint: undè etiam fit quod à frigore diminuente calorem necessarium pro imaginatione, necessariò læditur æstimativa & memoria: nam si hæ intensiorem calorem requirunt quàm illa, calor qui remittitur in imaginatione, jam supponet calorem remissum in intensione majori requisita pro æstimativa & memoriâ, ex eo quod priùs aufertur calor intensior, & ultimò remissior, ac proindè quod à frigore lædente imaginationem etiam æstimativa & memoria lædantur.

Et confirmatur nostra assertio à paritate de facultatibus naturalibus: nam in qualibet parte videmus coctionem optimè fieri tractione & retentione sine læsione aliqua in ea vigere, & nihilominùs coctio petit calorem excedentem & retentio siccitatem, & attractio etiam requirit caloris excessum, & nihilominùs prædictæ actiones fiunt ab eodem temperamento existente in eadem parte, ex eo quod sanitatis latitudo, non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet: ergo similiter in cerebro licèt inveniatur imaginatio requirens humiditatem, & minorem calorem, & memoria & æstimativa requirentes majorem calorem, & siccitatem majorem; & in aliquo excessu requirit memoria, nihilominùs omnes istæ actiones possunt fieri ab eodem temperamento sine aliqua læsione propter latitudinem sanitatis. Cum quo stat imaginationem perfectiorem esse in anteriori parte cerebri, memoriam in posteriori, & cogitativam in media, quia pars posterior siccior putatur, & sic in ea memoria est perfectior, & anterior est humidior, & sic in ea imaginatio, ob quod in memoriæ læsione, posterior pars, & in imaginationis læsione, anterior læditur.

Undè etiam fit quod retentio specierum fit meliùs à cerebro sicco quàm ab humido: nam experimur quod corpora quæ difficultèr impressionem patiuntur ut lapis, meliùs retinent ipsam impressionem, & corpora quæ facilitèr impressionem patiuntur ut aqua, citò ab eis species & impressiones evanescere; & quia memoria nihil aliud est quàm benè conservare semel acceptam speciem, & eam retinere, idem est quod illi qui fiunt tardi ad recipiendum, retinent optimè recepta, & sic optimè memorantur, & illi qui facilitèr se habent ad recipiendum, malè memorantur, quia in istis facilè delentur species, ac proindè qui siccitatem in cerebro aliquo habent in excessu, memoriâ pollent, qui verò humiditatem, licèt facilitèr recipiant, non benè memores, quia facilè species in eis delentur.

CAPUT XIV.

An species objectorum conserventur in spiritibus in eorum absentia; ità ut sint causa delirandi.

Istius quæstionis duplex dubium involuit: primum, utrum species in absentia objectorum conserventur in spiritibus: secundum, utrum spiritus sint causa delirandi. Et quantum ad primum videtur quod species non conserventur in spiritibus, imò neque recipiantur. Et ratio est quia possunt species per continui alterationem mediis partibus usque ad organum deferri: ergo impertinentes sunt spiritus ut medium productionis earum. Comprobatur hoc experimento, quia in eodem instanti in quo sentitur calor, in pede, operatur circa illum phantasia; sed si mediis spiritibus illa species deferatur, phantasia tam citò non sentiret objectum tangibile, quia tam citò vel pro illo instanti spiritus non poterant moveri ad cerebrum, utpotè in eodem instanti non poterant esse continui cum pede, & cum cerebro, ergo spiritus non possunt recipere species, ità ut se habeant ut medium ut deferantur species.

Et confirmatur, quia sensus communis mittit ... speciem

ſpeciem in phantaſiam, & hæc in imaginationem, hæc in æſtimativam, & hæc in memoriam, & tandem producitur phantaſma in intellectu: ergo impertinenter ſe habent ſpiritus ut medium ad delationem ſpecierum, cùm delatio commodiùs fiat per miſſionem unius ſenſus interni in alium, præcipuè cùm omnes potentiæ ſint in eadem parte cerebri, vel ſi in diverſis, cùm cerebrum ſit continuum & capax ſpecierum, per illud veluti per medium poterunt communicari ſine ſpirituum neceſſitate.

Sed nobis dicendum eſt, ſpecies verè conſervari in ſpiritibus, in abſentia objectorum, ſicut conſervantur in potentiis. Hæc ſententia præterquam quod eſt expreſſa S. Thomæ, Fracaſtorij, & aliorum, ratione probatur. Primò nam ſpiritus ſunt corpora valde neceſſaria ad ſenſum & motum, & valde penetrantia intimas corporis partes, ità ut in cerebro maximè abundent: ergo ſine ratione virtus conſervandi ſpecies eis denegatur. Et confirmatur, quia partes ſolidæ & opacæ ſunt capaces recipiendi & conſervandi ſpecies; ergo multò magis ſpiritus qui corpora lucida & non opaca ſunt, maximéque affines noſtræ naturæ, ac per conſequens magis apti ad receptionem ſpecierum.

Rursùs probatur, quia conſtat denſato nervo eo ipſo reddi incapacem recipiendi ſpiritum & influxum à cerebro, & ſpeciem tangibilem, ac proindè opaca corpora non ſunt apta ad recipiendas ſpecies: ſed ſpiritus ſunt corpora diaphana fulgentiſſima; ergo potiori ratione poterunt ſpecies conſervare, & recipere in abſentia objectorum, ità ut ab eis dependeant in conſervari tanquam à ſubjecto.

Undè argumentum ſuprà poſitum nihil probat: nam nos non dicimus ſpiritus ſolùm ſe habere ut medium per quod ſpecies communicantur; ſed ſolùm dicimus ſpiritus ſimul cum partibus ſe habere ut medium, ratione cujus ſpecierum ſit delatio, & ſic communicatio ſit per partes & ſpiritus.

Sed difficilius eſt ſecundum dubium, utrum ſcilicet ex ſolo vario motu ſpirituum varium ſit delirium, quin ex parte cerebri ſit alia occaſio delirandi. Et partem affirmativam defendendam aſſumimus: & ratio eſt quia ex tumultuoſa motione ſpirituum poteſt impediri productio influxûs requiſiti ad rectum diſcurſum, & indè delirare: nam major virtus requiritur in cerebro ad cognoſcendum illud quod proponitur, reverà non eſſe, ſed tantùm phantaſticum, quàm ad percipiendum objectum ſimpliciter, ut per primum actum proponitur: ſed ratione tumultuoſi motûs ſpirituum poteſt deficere major virtus durante minori; ergo erit in tali caſu perceptio objecti, & non erit actus contrarius quo intellectus judicet illud objectum tantùm eſſe imaginatum, ac proindè ratione tumultuoſi motûs ſpirituum, erit delirium, quia ratione illius non erit actus contrarius corrigens primum, utpote deficiet influxus requiſitus ad hunc actum perfectiorem alio eliciendum. Quod clariùs patet ſi ponamus per varium motum ſpirituum poſſe cerebrum debilitari, quod non eſt difficile: nam per motum poſſunt ſeparari à ſubſtantia cerebri, & ſic ſolùm manebit influxus ad ſenſationem remiſſam, & non ad intenſam, & deficiet ad actum perfectiorem, & non ad minùs perfectum, ac per conſequens ratione motûs varij & inordinati ſpirituum poſſunt ità reſolvi & deficere, ut tantùm remaneat influxus ad ſenſationem remiſſam & ad operationem minùs perfectam, & ſic ſolùm erit ſenſatio & perceptio ſimplex objectorum, quin ſit actus contrarius corrigens, ac proindè delirium ex inordinato motu ſpirituum præcisè cauſari poteſt.

Et eadem eſt ratio quare in dormientibus ſit deceptio, & non in vigilantibus: nam ratione obſtructionis à vaporibus cauſatæ, remiſſus communicatur influxus, & ſic ſolùm percipit objecta ſimpliciter, quin poſſit elicere actum contrarium intellectus, ex eo quod non ſit influxus ſufficiens communicatus ad id.

Deindè alio modo contingit delirium per motum inordinatum, quia ſcilicet ſimul proponuntur varia & quamplurima objecta & ſimulacra rerum, ità ut diminuatur via animæ ad actum propoſitum, ut facillimè erret circa aſſenſum alicujus objecti propoſiti; nam ad aſſentiendum objecto propoſito, minor virtus requiritur quàm ad actum contrarium corrigentem eliciendum. Et ratio eſt quia unus actus movet ad alium, & ſic faciliùs aſſentitur anima ad actum ad quem inclinat quàm ad oppoſitum: nam ſi per ſpecies imaginationis, aut phantaſiæ proponitur Petrus ut viſus, faciliùs eſt judicare ità eſſe quàm actum contrarium primum corrigentem elicere, quo anima judicet reverà Petrum non videri, ſed per imaginationem proponi ratione ſpecierum reſervatarum; unde ſit quod quantumvis multitudo ſpecierum in cerebro producentur, dum animæ virtus non diminuitur, non eſt ſufficiens ad delirandum, ut in benè valentibus contingit, in quibus licèt quamplurima objecta proponantur, quia tamen virtus animæ non diminuitur, corrigit omnes propoſitiones objectorum, quæ ab imaginatione fiunt, ſicque non delirat. Diminuitur autem animæ virtus ratione intemperiei, & defectu influxûs communicati mediis ſpiritibus maximè ad operandum requiſiti: nam non ſolùm optima temperies requiritur ad rectè operandum, ſed communicatio influxûs, & ſic virtus diminuitur tam per intemperiem quàm per defectum influxûs, ac proindè tam ratione illius quàm iſtius delirare poſſumus.

Sed dices, ſequitur ex prædicta doctrina quod non detur delirium magis circa hoc quàm circa illud objectum. Patet, quia defectus influxûs eſt communis cauſa & læſio communis omnibus ſenſibus internis.

Reſpondetur quod licèt defectus influxus ſit læſio communis, tamen delirium ſit circa objectum cujus ſint ſpecies magis juvantes, & magis fœcundantes potentiam internam: nam fiet aſſenſus hujuſmodi objecto propoſito penes eo quod defectu influxûs diminuitur vis animæ; ità ut circa objectum vivaciori modo propoſitum non poſſit fieri contrarius actus corrigens, & ſic ratione defectûs influxûs fiet delirium reſpectu hujus quàm illius objecti, modo dicto & aſſignato.

Sed iterum dices: nam ſequitur ex dictis, aut omnem delirantem eſſe vertiginoſum, aut è contrà in opinione dicentium vertiginem cauſari ex inordinato motu ſpirituum modificantem ſpecies objectorum. Sequela probatur: nam ſi delirium poteſt cauſari ex inordinato moto ſpirituum, aut major motus requiritur ad delirandum, quàm ad vertiginem, & ſic omnis delirans vertigino-

Rr 3 ſus

ſus erit vel major motus requiritur ad vertiginem, & ſic omnis vertiginoſus erit delirans; atqui contrarium experimur, utpotè quamplurimi ſunt vertiginoſi qui nullatenùs delirant: ergo.

Reſpondetur quod cùm delirium non ſolùm penes inordinatum motum ſpirituum evenire poſſit, ſed etiam per intemperiem, inde eſt quod non ſemper quod eſt delirans, ſit vertigo, nam frequenter ratione intemperiei deliramus, & ſic ſufficienter erit ſolutum argumentum. Sed nihilominùs videtur quod ſemper quod delirium ex inordinato motu ſpirituum cauſatur, etiam reperiatur vertigo, & è contrà ſemper quod reperiatur vertigo, reperiri debeat delirium, ex inordinato ſpirituum motu cauſato, & ſic ad hoc debemus reſpondere, & dicimus, quod ad vertiginem minorem commotionem ſpirituum requiri quàm ad delirium, ſicque plurimos vertiginoſos non delirantes vidimus, & ſic poteſt eſſe commotio quæ conducat & ſufficiat ad vertiginem, & non ſufficiat ad delirium; neque indè ſequitur quod ſaltem ſemper quod ſit delirium cauſatum ex tumultuoſa ſpirituum commotione erit vertigo; nam contingere poteſt, quod ſpiritus qui agitantur non habeant ſpecies reſervatas objecti viſibilis, aut quod eas habeant remiſſiores quàm ſunt in interno ſenſu, & ideò quamvis variè agitentur, non erit vertigo, & erit delirium.

Undè quando dicimus delirium cauſari ex debilitate præcisè, & non ità debet intelligi, ut ratione debilitatis formaliter fiat omne quod requiritur ad delirium: nam ad delirium & requiritur actus poſitivus quo eliciatur ſenſatio alicujus objecti, & requiritur defectus contrarij actus corrigentis primum: Undè debilitas facultatis non facit quod primus actus fiat; nam debilitas potiùs ad diminutionem & ad non eſſe actionis conducit: ſed facit debilitas quod contrarius actus quo corrigi debebat primus, non fiat, neque eliciatur, & ſic debilitas cauſa occaſionalis delirij poteſt & debet dici, & non totalis, ità ut ſe ipſa cæteris ſecluſis, delirium ponatur: nam ad delirium, & eſt neceſſarius actus poſitivus ſenſus interni, & actus primus intellectus quo percipit id quod à ſenſibus proponitur ad quod debilitas non concurrit, & eſt neceſſarius defectus alterius actus contrarij intellectus corrigentis ad quod debilitas occaſionaliter ſe habet; nam ratione illius actûs contrarius corrigens non elicitur.

Denique infero quod licèt humida aut frigida diſtemperies debilitent facultatem, nihilominùs ad delirium non conducunt, quia non tantùm debilitant, ſed etiam impediunt vim ſentientem omninò, ac proindè non conducunt ad delirandum, cùm potiùs ad non operandum conducant. Contrarium autem in calore & ſiccitate reperitur quæ ità debilitant facultatem, ut non impediant vim ſenſitivam, ſed potiùs per operari & ſentiri maximè conducant, ac proindè per diſtemperiem prædictarum qualitatum delirium contingere poteſt, non verò ratione humiditatis, aut frigiditatis, ut ſuprà latè inſinuavimus.

CAPUT VLTIMVM.

Vtrum ex diverſa natura delirij, diverſa cauſa cognoſcatur.

DUBIUM præſens præ cæteris neceſſarium eſt, utpotè in cognitionem humoris cauſantis delirium ordinatur, quod ad curationem, & remedium applicationem maximam utilitatem conferre nemo dubitat. Igitur dubium eſt, an ex diverſa natura delirij cognoſcamus diverſam & determinatam ejus cauſam certò, ità ut quilibet humor ex quatuor habeat determinatum modum delirandi diſtinctum à quolibet alio humore.

Circa quod ſententia eſt expreſſa omnium Medicorum affirmantium quod ex diverſa natura delirij diverſitas cauſæ vel humoris eum cauſantis cognoſcatur; ità ut ſi quis deliret ridendo, hujuſmodi delirium à ſanguine cauſetur; ſi tamen deliret cum ſtudio & inquiſitione, cum aliquo ſcilicet furore, tunc cauſatur à bilis flavæ aut ſanguinis aduſtione: ſi tamen nimis furioſè deliret, ex aduſtione atræbilis naſcitur; ac tandem ſi cum timore & triſtitia & taciturnitate, à melancholia naſcitur.

Quod autem delirium cum riſu à ſanguine dependeat, ex Hipp. comprobatur 6. *aphor.sext.* 53. ubi ait, *Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores: quæ verò cum ſtudio* (ideſt cum inquiſitione) *periculoſiores.* Cujus rei nulla alia aſſignari poteſt ratio niſi quia cùm ſanguis ſit tam familiaris noſtræ naturæ, facilè vinci poteſt, & ideò ſecurius eſt delirium ab eo cauſatum, ideóque exceſſus à ſanguine cacochymiam non conſtituit, ſed plenitudinem, utpotè cùm ſit humor noſtræ naturæ familiariſſimus, qualitate non nocet: ergo delirium quæ cum riſu fit ex eo ſecurius ab Hipp. dicitur, quia ab humore magis familiari cauſatur. Hanc ſententiam expreſsè tuentur Paulus, Galenus & Avicen.

Deinde ait Galenus quod deliria quæ à ſola caliditate ſine humore aliquo cauſantur, ſimiles ſunt deliriis qui ex ebrietate cauſantur: at verò quæ ex flava bile cauſantur, fiunt cum maximo ſtudio, hoc eſt cum ſollicitudine & inquiſitione magna: & qui ex hac cauſa delirant, facilè transferuntur de uno in aliud delirium: nam humor hic ob vehementiam caloris delirium firmat, & ob mobilitatem quâ facilè diſcedit, & rursùs applicatur, & ob facilem reſolutionem, & naturam paratam etiam ut inflammetur, velocitet in intenſione & remiſſione magnam variationem admittit, ſicque magnam varietatem in apprehenſionibus cauſat, & ſic variis ſymptomatibus ægrum ſollicitat, ejuſque mentem perturbat, ſicque veluti inquirentes res varias ſoliciti ſunt.

Si autem furibundus æger reddatur, ſignificat bilem flavam nimis uſtam; ſi tamen ferociter deliret, atræbilis uſtionem denotat.

Habemus igitur ex Gal. quod deliria quæ ſimilia ſunt illis quæ ex ebrietate naſcuntur ex ſola intemperie calida naſci ſine humore vitioſo ob quod qui ſic delirant, interrogati rectè ſolent reſpondere, ex eo quod cùm levis ſit caliditas, non tollit, nec diminuit potentiam, ità ut actus contrarius fieri non poſſit, ac proindè quando totas vires applicat, interrogationi rectè reſpondet.

Sed

Sed dubitabis, an detur peculiaris modus delirij qui ostendat ejus causam esse pituitam: nam pituita mutationes præternaturam pati potest, nstionem scilicet & putredinem, sicut cæteri humores: ergo sicut illis conceditur peculiare delirium, sic pituitæ debet concedi. Quod dubium Petrus Garcia insolutum relinquit; tamen ratio quæ potest adduci ad hoc ut delirium peculiare non constituat, est, quod Lethargici delirant à pituita putrescente; sed in eis non est diversos modus delirij, qui pituitam indicet: nam dalirij remissio est modus qui cæteris humoribus convenire potest, si leviter putrefiat. Prætereà delirium cum somno non est diversa species delirij, sed delirium complicatum cum alio affectu, & sic nascuntur diversa symptomata.

Deindè, ratio ad hoc probandum potest desumi ex Gal. nam pituita oon conducit ad mores, & indè uon conducit ad certum modum delirij: nam modus delirij ad mores videtur pertinere. Et confirmatur hoc, nam pituita est humor frigidissimus & humidissimus, & sic potiùs ad cessationem actionis & somnolentiam inclinat, & oon ad operandum certo modo, & sic ad mores & ad delirium non conducit. Unde dedoco quod delirare hoc vel illo modo ex diversa natura humoris nasci, non ex nstione, aut putredine quam etiam pituita pati potest; sic sanguinei rident, biliosi irascuntur, melancholici timent & tacent, & cogitabundi fiunt, diùque in contemplationa uniua objecti immorantur.

Cur autem ex diversis humoribus diversa deliria fiant, explicuit optimè Petrus Garcia, dicendo hoc nasci ex diversa cujuslibet temperie ad diversos mores & actiones declinante, & explicuit exemplo puerorum: nam alij sunt timidissimi, alij audaces, inexplebiles, alij sobrij, alij verecundi, alij admodum impudentes. Quod totum evenit ex diversa temperie ad diversos mores inclinante, ac proindè ex diversa natura cujuslibet humoris, diversa deliria nascuntur, juxta morea ad quos temperies nativa cujuslibet humoris inclinat.

Denique ut finem disputationi nostræ imponamus, dicimus qood nos solùm in animalibus perfectis delirium concedimus, ità ut in hominibus facultas regens ad quam pertinet delirium sit intellectus, in brutis autem perfectis potentia superior ad quam delirare pertinet, est potentia æstimativa, cujus duo sunt actus, alter qui versatur circa conveniens aut disconveniens, alter actus reperitur in æstimativa, per quem quasi judicium de omnibus objectis, & sensationibus, ferat, qui dicitur actus instinctivus à nostro Vallesio brutis concesso, ità ut aliquo modo discursum imperfectum eis concedat, & sic rationa istius secundi actus, optunè intelligitur quâ ratione in brutis detur delirium, & quâ etiã ratione multoties actus imaginationis in eis corrigatur, & delirium non detur. Quam doctrinam probabilem reddit indnstria & mirabilia opera quæ in brutis pattantur, quæ, nisi in eis mens imperfecta ponatur, difficilè creditu videtur, quamplurima quidem opera à brutis fiunt, quæ ab industria humana patrari nequeant: ergo non est prætet rationem concedere actum instinctivum quæ discursum aliquo modo æmuletur in brutis, qui ad potentiam regentem pertineat; & in brutis gerat vicem intellectûs ad quem delirium pertineat. Et hæc da hac Disputationa.



DISPVTATIO VIII.

De Phrenitide.

CAPVT PRIMVM.

Vtrum Phrenitidis & Lethargi essentia consistat in inflammatione aut distemperie.



AD hujus dubij intelligentiam supponere oportet quod cùm præsens quæstio possit procedere tam de phrenitide quàm de lethargo, & sequenti Disputatione de eo sermonem instituemus, ideò in præsenti de utroque affectu procedit disputatio, an eorum essentia consistat in inflammatione, vel in distemperie.

Secundò advertendum est nomine inflammationis non solùm tumorem qui fit ex sanguine nos intelligere, verùm quemlibet tumorem calidum, & de hoc procedit dubium.

Circa quod sententia fuit quamplurimorum Autorum essentiam phrenitidis & lethargi formaliter in inflammatione seu tumore, & non in distemperie consistere, quod probant pluribus gravium Autorum testimoniis, quos facilè quis apud Petrum Garciam inveniet disputatione & capite præsenti. Ratione etiam prædictam sententiam confirmant, primò quia in phrenitide invenitur pulsus durus: sed causa hujus pulsus est tumor seu inflammatio, ratione tensionis quam causat in arteriis: ergo in phrenitide necessariò est tumor.

Secundò quia phrenitis ex Gal. est toto genere exitialis ergo consistit in inflammatione. Patet quia illud dicitur toto genere exitialis quod habet triplicem morbi speciem, scilicet in soluta unitate, in distemperie, & in quantitate aucta: sed triplex morbi species tantùm in tumore reperitur: ergo si dicitur toto genere exitialis, ex eo qood consistit in tumore, in quo totum genus morbi repetitur, scilicet tres species enumeratæ.

Deindè quia si sufficeret ad lethargum mera distemperies absque tumore, sequitur quod in omnibus rhumaticis affectionibus, in quibus cerebrum pituitâ est irrigatum, esset vera ratio lethargi, quod nullus concessit; ergo ex eo est quia necessariò prærequirit tumorem.

Vera tamen sententia est quam tenet Vallesius, scilicet phrenitidem formaliter consistere in distemperie cum humore in cerebro putrescente; etiamsi tumor non adsit, vel si hoc putrefiat in cerebri membranis, ut in fine dicemus. Hæc sententia in primis constat ex Gal. pluribus in locis, in quibus clarè ait phreniticos dici illos qui simul cum delitio perpetuo habent febrem continuam, nullâ factâ mentione de tumore; & deindè ait phrenitidem à mania solùm distingui penes eo quod ad hanc affectionem febris non requiratur, secùs ad illam: sed si phrenitis in suo conceptu formali diceret tumorem, etiam rationa tumoris distingueretur à mania: atqui Gal. talem distinctio

distinctionem non assignavit; ergo non reperitur in phrenitide.

Deindè ratione probatur, quià secluso tumore & omni inflammatione, sola posita distemperie cum humore putrefacto in cerebro, ponuntur omnia signa pathognomonica delirij & lethargi: igitur tumor non intrat in ratione constitutiva horum affectuum. Antecedens probatur, quia signa pathognomonica phrenitidis, sunt deliriū perpetuum cum febre continua, & respiratione magna & rara; signa verò lethargi sunt somnus profundus continuus cum febre, & si vis cum delirio: sed omnia hæc fiunt secluso quolibet tumore, aut inflammatione: nam ex eo quod humor putrefiat, est sufficiens causa febris, à distemperie verò nascitur depravatus modus operandi & delirium; tumor autem solùm facit morbū in quantitate aucta distendendo partem: neque ad putrefactionem humoris est necessarius, ut de se patet; ergo nullatenùs potest conducere ad aliquod signum pathognomonicum phrenitidis, neque lethargi, cùm neque ad somnum conducat; hujusmodi ergo affectus formaliter in distemperie cum humore putrefacto in cerebro vel ejus membranis (vel tenuis meningis, ut dicemus) consistit, & non in inflammatione seu tumore.

Neque valet dicere talem non dici veram & exquisitam phrenitidem: nam ad hanc necessariumesse tumorem aiunt. Tamen contra est, quia hoc videtur gratis dictum, cùm sine tumore dentur omnia signa ejus pathognomonica; & deindè quia tumor non conducit ad perpetuitatem delirij; cùm ad hoc sufficiat causam esse præsentem in cerebro modo dicendo immediatè, potest sine tumore aut inflammatione aliqua.

Tripliciter autem potest esse humor in cerebro, aut ejus membranis, aut in tenui meningi ejus, in quibus omnibus, si humor sit, vera phrenitis per propriam passionem causant, & non per consensum, ex eo quod sint membranæ & meninges juxta ipsum cerebrum: primò enim in qualibet ex dictis partibus, potest esse humor quasi per irrigationem, taliter quod humor egrediatur à vasis & super cerebrum inspergat ipsius poros non ingrediendo, qui quidem humor ibi putrefactus, cerebrum distemperat, phrenitidem excitat, & tumorem non elevat.

Secundo modo potest esse etiam absque eo quod causet tumorem, ex eo quod egrediatur humor à vasis membranarum & inspergatur super cerebrum, & in ejus poris imbibatur, solùm implendo cavitates naturales, & nullam faciente distensionem præternaturam, seu tumorem, quam phrenitidem hecticam appellat Gal. ex eo quod sit humor in porositatibus impactus, ut difficile valde moveatur & auferatur.

Tertio modo contingere potest ex eo quod humor putrefiat in vasis tenuis meningis, & cerebro distemperies calida ab hac communicetur, quod ad phrenitidem adhuc per propriam passionem sufficiens est: nam licet ad talem phrenitidem requiratur quod fiant prædicta symptomata suprà relata absque eo quod ab alia parte cerebro communicetur, ob quod talis affectus passio cerebri dicitur, nihilominùs non est necessarium causam esse immediatè in cerebri substantia, sed sufficit ipsam nudam distemperiem cerebro communicari, ut patet, dum membranæ cerebri inflammantur, quæ in omni sententia phrenitidem veram per propriam passionem causant, solùm phlogosim & ardorem cerebro communicando: sic ergo licèt humor putrefiat in vasis tenuis meningis, tamen phrenitis causabitur per propriam passionem in cerebro, quia eodem modo sicut à membranis phlogosis & ardor communicatur cerebro, ac per consequens per propriam passionem dicitur talis phrenitis, quia cerebri membranæ & meninges non reputantur partes diversæ, cerebri in ordine ad hunc affectum.

Undè nihil facit contra nos quod in definitione phrenitidis dicatur *Inflāmatio cerebri, aut membranarum ejus*: nam pluries Gal. nomine *inflammationis*, intelligit distemperiem calidam cum materia, phlogosim, vel ardorem hoc verbis illis vult significare.

Ad primum argumentum dicimus, pulsum durum non esse signum pathognomonicum hujus affectus; numeratur verò à Gal. quia numerabat tunc omnia symptomata quæ ei possunt accidere, & cùm possit contingere inflammatio in prædicto affectu, etiamsi ad ejus essentiam non conducat, idcò pulsum durum numeravit.

Ad alterum dico quod quando Gal. dicit phrenitidem esse toto genere exitialem, intelligi debet ratione partis principia affectæ, nempè cerebrum, non quia requirat tumorem. Advertè lethargum consistere in distemperie etiam cum materia, inde tamen non sequitur esse in qualibet affectione rhumatica; nam est necessarium ad talem affectum febris continua orta ex putredino humoris existentis in cerebro, ut suo loco dicemus.

CAPUT II.

Quid sit phrenitis, & quæ pars affecta.

PHRENITIS dicitur affectio quædam in qua mens læditur, quæ sic ab Autoribus definitur, *Est inflammatio cerebri, aut membranarum ejus, cum febre continua & delirio perpetuo, respiratione magna & rara.* In qua definitione videtur partem genericam esse *inflammationem*, & in reliquis particulis etiam notum est partem affectum & symptomata hujus affectûs explicari.

Sed adhuc dubitant Autores circa partem affectam: nam alij affirmant partem affectam in phrenitide esse substantiam cerebri, alij esse membranas, alij septum trasnversum.

Sed nobis dicendum est non sufficere inflammationem, sive propriam, sive impropriam afficere membranas ad phrenitidem, dummodò malum non communicetur substantiæ cerebri, sive quod communicatur sit humor, sive distemperies sine humore, ac proindè à fortiori pars affecta in hoc affectu debet esse cerebri substantia. Hæc assertio efficaciter probatur: nam unum ex symptomatibus pathognomonicis hujus affectus est delirium perpetuum: sed delirium perpetuum est actio depravata regentis facultatis: ergo ut talis sit, debet communicari malum parti ubi est regens facultas: atqui hæc est substantia cerebri, & non in membranis, necessariò ergo hæc in hoc affectu debet pati.

Cùm hoc tamen verum est non posse esse affectam tenuem meningem, & cerebri membranas; à distemperie calida cum humore, ità ut faciat phrenit-

phrenitidem, quin malum communicetur substantiæ cerebri ratione continuitatis, & è contrà: at aliæ membranæ & dura meninx optimè possunt affici, quin cerebri substantia afficiatur: hoc autem contingit ratione distantiæ prædictarum membranarum, semper tamen est verum quod meninges & membranæ quæ sunt continuæ & proximæ substantiæ cerebri non possunt affici quin substantia cerebri afficiatur, & è contrà.

Undè fit, aliud esse quærere quæ pars in phrenitide necessariò debeat esse affecta (& hanc diximus esse substantiam cerebri,) aliud est quærere in qua parte sufficiat esse humorem, & dico sufficere esse vel in substantia cerebri, vel in ejus membranis, dummodò malum substantiæ cerebri communicetur, sive cum humore, sive sine illo; itaque qui partes ponunt cerebrum & membranas connumerant quæ necessariò divisivè una aut alia habet humorem afficientem, licèt solùm substantia cerebri necessariò debeat esse pars affecta. Unde partes quæ faciliùs retinent humorem, sunt meninges ratione duritiei; nam meliùs detinetur aliquid in re dura quàm in re molli & laxa.

Denique facilè Autores contrarium asserentes circa partem affectam conciliari valent: nam qui partem affectam ponunt substantiam cerebri, loquuntur de parte quæ necessariò in hac ægritudine debet affici; qui verò ponunt membranas, loquuntur de partibus quæ propter vasorum multitudinem assiduè afficiuntur hoc affectu; qui verò septum transversum, loquuntur non de propria phrenitide, sed de paraphrenitide, de qua posteà dicemus.

CAPUT III.

De speciebus phrenitidis, an sint, & quot ex parte læsarum actionum, & ex parte humoris.

Ex duplici capite species phrenitidis desumi possunt, aut ex læsione diversarum actionum, aut ex causis talem læsionem causantibus. Circa primum certum est, rigorosè loquendo ex diversis symptomatibus veras species hujus affectus constitui non posse, cùm ab eodem morbo plura symptomata nascantur, sed delirium est symptoma phrenitidis: ergo ex diversa actione depravata veræ species non sunt statuendæ, sed potiùs juxta alios diversæ differentiæ phrenitidis sunt nominandæ.

Sed cùm phrenitis mentis alienationem significet, & hæc possit fieri secundum quod diversæ facultates actio læditur in usu est ut species phrenitidis, aut differentiæ diversæ ex diversis symptomatibus ab Autoribus enumerentur, ità ut Autores qui asserunt memoriam non esse potentiam activam, nullúmque elicere actum, ac per consequens neque delirare, neque depravatè operari posse, consequenter affirmant, tres tantùm esse species quæ ex læsione actionum diversarum facultatum desumi possunt, Prima quando imaginatio tantùm læditur: secunda quando ratiocinatio tantùm, læsâ manente imaginativâ & memoriâ, (& hæc duo dicantur species simplices.) Tertia dicitur species composita quando imaginativa & ratiocinativa simul læduntur.

Nos tamen cùm asseramus memoriam esse potentiam activam, ac per consequens posse delirare, & depravatè operari, consequenter dicimus, constitui diversam speciem phrenitidis ex læsione memoriæ, non ità ut ipsa læsa cæteræ illæsæ maneant: sed ex ea constituitur species composita, ità ut non possit depravatè operari tam per calorē quàm per siccitatem, quin potentiæ inferiores, etiam depravatè operentur: nam jam diximus, memoriam requirere majorem calorem ad operandum, ac proindè calor qui est sufficiens ad lædendam memoriam, multò faciliùs lædet potentias inferiores quæ minorem & remissiorem calorē exposcunt ad operandum: & idem dico de siccitate: undè quando memoria delirat, alia diversa species composita phrenitidis desumpta ex symptomatibus est statuenda ultra dictas.

Neque valet dicere quod cùm ratio etiam exposcat intensiorem calorem ad operandum quàm imaginativa, non poterit per calorem lædi sola ratio quin etiam imaginatio lædatur, ac proindè non dabitur secunda enumerata species, aut differentia simplex phrenitidis, nempè quando ratio sola læditur.

Resp. quod quando depravatio fit ratione caloris, benè probat argumentum: sed cùm læsio & depravatio etiam fiat à siccitate, poterit contingere ut verà bile putrescente læsio causetur à siccitate, etiamsi calor sit major quàm pro natura, insufficiens tamē ad causandam læsionem propter latitudinem, quam habent prædictæ potentiæ, ac proindè tunc depravatio à siccitate causabitur, & solùm erit læsio in ratiocinativa; in memoria autem etiamsi depravatio fiat à siccitate, non potest esse sola in ea læsio, quin potentiæ inferiores lædantur, quia etiam prærequirit majorem siccitatem quàm cæteræ.

Sed alterum dubiolum excitari solet, an scilicet si una potentia inferior lædatur, cæteræ superiores ad quas mittit species, etiam lædantur; & partem negativam tenet Autor, quæ quia *Disputatione de deliriis*, latè tractavimus, in præsenti ea omitto.

Compertum etiam est tot esse species phrenitidis ex humore, quot sunt species humoris potentis causare talem affectum: cùm ergo à succis calidis causetur, dubium esse solet an ex sanguine species phrenitidis fiat: & breviter dicimus quod communiter enumerantur quatuor species: prima quæ causatur ex sanguine tenui: secunda ex bile pallida: tertia ex bile flava: quarta bilis cum ustione, quæ via est ad atram bilem, licèt ab atra bile consummata potiùs manat, quàm phrenitis causetur; ex his quæ à sanguine causatur mitior est, ità ut delirium non sit furibundum, minùs mitis est quæ à bile pallida, deindè minùs quæ à flava, & tandem ferosior est quæ à bile quæ est in via ad atram bilam causatur.

Videtur quod etiā ab atra bile consummata & à pituita salsa, vel alio succo acri & calido

dum putrescente in cerebro phrenitidem causari: nã phrenitis non requirit determinatum modum delirij, nã aliàs solùm ab unico humore causaretur, ac proindè licèt fiat ab atra consummata delirium, cum majori ferocitate erit vera phrenitis, quia in tali affectu erit febris continua cũ delirio perpetuo, & idem dico de pituita salsa, vel liquore seroso calido si putrefiat in cerebro; neque sanè est maniam afferam ex atra consummata si putrescat, quia erit febris, quæ non est in mania.

CAPUT IV.

Quæ sint symptomata pathognomonica phrenitidis.

POSTQUAM de essentia & causa phrenitidis egimus, jam oportet ejus symptomata pathognomonica examinare; & quidem communiter dicitur signa pathognomonica hujus affectûs esse febrem continuam cum delirio perpetuo, & quidam addunt respirationem magnam & raram, sed de his posteà.

Sed contra hanc communem & receptam doctrinam videtur quod sit contrarius Aëtius in hoc capite, dicens sæpè incipere phrenitidem sine febre: ergo non est signum pathognomonicum; nam aliàs non posset unum ab altero separari. Antecedens probatur verbis expressis Aëtij, quæ sunt sequentia. *Rarò autem à principio phrenitidis cum febre irruit, plurimus verò à quarta, aut quinta, aut sexta incipit, & adhuc serius cum ipso fermè periculo incidens, ut jam aliqui septimâ, aliqui nonâ delirare inceperint.*

Secundò, quia essentia hujus morbi consistit in distemperie calida; ergo non potest esse etiam symptoma febris. Patet, nam symptoma procedit à morbo: sed febris non procedit à distemperie calida cerebri (in qua consistit phrenitidis) sed ab humore putrescente in cerebro à quo fuligines elevantur & mittuntur ad cor: ergo febris non potest esse signum pathognomonicum phrenitidis.

Tertiò ex Hippocrat. *lib. 3. epidem. parte 3. text. 45.* videtur delirium in phrenitide non esse perpetuum. Verba sunt sequentia. *Nullus phreniticorum quispiam vehementer insanivit, ut in aliis, sed alia quadam veternosa in somnum delatione capiti gravanti moriebantur.* Sed cùm somno non potest esse delirium, ergo datur phrenitis absque delirio perpetuo: Et rursùs idem Hippocrat. *text. 62.* ait, *Comatosi erant imprimis phrenitici*: ergo cum somno non potest delirium conjungi, ac per consequens semper non est perpetuum.

Sed nihilominùs conveniunt omnes febrem continuam & delirium perpetuum esse signa pathognomonica phrenitidis, ità ut eam distinguant à quovis alio affectu, & præcipuè à paraphrenitide, si non continuitate febris (nam hæc etiam in paraphrenitide reperitur) perpetuitate tamen delirij: sed antequam ea quæ à Contrariis adducuntur, solvamus, & in bonum sensum interpretemur, postquam jam diximus quid esset delirium, oportet explicare quid intelligamus per hoc quod est esse perpetuum.

Contra quod noster Vallesius affirmat delirium non dici perpetuum in vera phrenitide per propriam passionem, quia non cesset toto tempore quo durat affectus, sed quia non cessat per certa intervalla, & per circuitus & periodos certos repetentes, sicut contingit in febribus intermittentibus. Sed hoc placitum Vallesij nobis nullo modo probatur, nam si perseverat idem affectus (quod ipse fatetur) cur non semper lædit; nam si causa perseverat eadem & nullum sit impediens potentior à cujus effectu potentiori impediatur effectus phrenitidis: & aliàs ex Philosopho, *Idem in quantum idem, semper natum sit facere idem*: ergo cùm sit eadem causa, si aliquibus diebus causavit delirium, etiam omnibus diebus in quibus eadem causa & idem affectus præsens fuerit, delirium etiam aderit & erit perpetuum. Deindè quia si in phrenitide per propriam passionem, potest cessare delirium, non est ob quod distinguatur à paraphrenitide. Dicendum ergo est quod in vera phrenitide sit perpetuum delirium, & perpetuum dici, quia non cessat toto tempore affectus, neque pendet ità ex alio, ut secundum mutationem hujus, symptoma etiam mutetur; licèt tamen delirium in vera phrenitide possit remissionem & intensionem pati, nunquam tamen cessat in ea delirium sensibile.

Undè ad Aëtium facilè respondetur, ibi non loqui de vera phrenitide, sed de paraphrenitide; sed videtur id non obstare, quam in paraphrenitide est febris statim ac incipit, ac proindè Aëtius potest in optimo sensu interpretari, ità ut velit rarò phrenitidem incipere à principio, id est primo morbi insultu, quod denotat nomine febris.

Ut autem intelligamus quâ ratione febris sit symptoma phrenitidis, quæ in ipsa distemperie calida cerebri consistit, advertere oportet duobus modis posse febrem causari ex humore putrescente in cerebro, aut in aliqua alia parte. Primo modo per continui alterationem potest febris produci in corde: secundo modo fuliginibus solis deductis ab humore putrefacto usque ad cor, à quibus calefit: undè si primo modo fiat in phrenitide, facilè explicatur quomodò febris sit ejus symptoma: nam humor in cerebro existens, cùm putrescit, potest calefacere cerebrum, & sic ab illo calore simul cum illo qui est in humore produci per medias partes usque ad cor: cùm autem ibi habeat rationem febris productæ à calore cerebri, reverà febris nascitur à morbo, eritque ejus symptoma. Si verò dicamus febrem secundo modo produci, reverà non est proprium symptoma morbi, febris: nam neque immediatè neque mediatè fit à morbo; sed ab ejus causa, nempè quia ex illa, scilicet ex putrefacto humore elevante fuligines calefacientes cor, ad quarum productionem non concurrit distemperies calida cerebri, & ità non dicitur symptoma ipsius in hoc secundo sensu, potest tamen larga significatione dici symptoma phrenitidis, quatenùs hic affectus includit distemperiem cum causa, licèt in rigore solùm à causa fiat. Tamen quia sequitur talem affectum ejus, symptoma largè potest dici. Aliter tamen possumus philosophari, dicendo quod adhuc in hoc secundo sensu potest dici symptoma verum hujus affectus, quia cerebrum ultra naturam calefactum non potest non calefacere præternaturam plures partes quæ in sua sphæra activitatis sunt, ac proindè febris

bris aliqoo mododimanat ad ipsa distempe-ric.

Denique ad alia duo testimonia solùm restat satisfacere : nam ad primum argumentum jam constat quomodò febris symptoma phrenitidis dicatur. Ad testimonia dico ibi non loqui Hippocr. de vera phrenitide, sed de quacunque mentis alienatione ; & ità dicit ; *Nullus phreniticorum vehementer insanuit, ut in aliis* ; nam alij phrenitici erant vigiles admodum, alij loquaces & inquieti.

CAPUT V.

De paraphrenitide & delirio, à septo transverso affecto.

PARAPHRENITIS vocatur affectio capitis in qua est delirium per consensum, cum affectu alterius partis, ità ut affectio capitis originem trahat ab alia parte affecta eum qua consentire potest: sic delirium quod in febre ardenti multoties reperitur dicitur paraphrenitis, quia affectio capitis originem trahit ab alio affectu, nempè febre, & nonnulli addunt paraphrenitidem dici quia sequitur intensionem febris, ità ut quando hæc crescit, crescat delirium, & non sic quando diminuitur, quia etiamsi perseveret febris, non tamen cum tanta intensione quanta ad delirium prærequiritur, oportè vapores in declinatione febris in parva quantitate ascendunt ad caput, ex eo quod per ambitum corporis extrahuntur, & moventur, nisi in declinatione, non solùm moventur per ambitum, sed etiam ad caput, quia tunc non est ratio cur cesset delirium ; sicut neque cessabit in febre continenti, quando ratione ejus excitatur delirium, cùm prædicta febris non decrescat si paracmastica non sit; in tali autem casu etiamsi non remittatur delirium, cognoscemus esse paraphrenitidem, & non phrenitidem, quia febris necessariò incipiet sine delirio ; & quia delirium non erit cum tanta ferocitate, ac si esset phrenitis per propriam passionem, & hoc est expressum Gal. & ratio ab eo adducitur, quia in vera phrenitide majorem bilem patiuntur humores in cerebro quàm à fuliginibus fiat effectus ; & cùm furor perat ustionem illam, inde eam esse paraphrenitidem distinguemos.

Solùm restat explicare secundum quod inquirit quæstio de delirio causato ex inflammatione septi transversi, an scilicet delirium causatum ex inflammatione septi, sit perpetuum, sicut in vera phrenitide, an verò ità ex ejus inflammatione contingat delirium, sicut in quavis alia paraphrenitide, à quavis alia causa nascatur, ità ut delirium noo sit perpetuum. Circa quod videtur quod delirium ex septo sit perpetuum, & non sicut in quavis alia paraphrenitide, probatur autoritate Gal. 5. *de locis affect. c. 4.* ubi dicit *Ab aliarum verò partium nulla delirium perpetuum procedit, dempto solo septo.*

Sed dubitaot Autores in reddendo rationem ob quam io inflammatione septi transversi contingat delirium perpetuum : nam alij dixerunt delirium fieri perpetuum ob multitudinem vaporum qui ex septo inflammato ad caput elevantur, quod non est credibile, quia affecto ventriculo major copia vaporum ascendit ad caput, tum propter majorem rectitudinem quam cum illo habent, tum quia viæ magis patentes fiunt, & tamen oon causatur delirium perpetuum: ergo neque à septo inflammato ab multitudinem vaporum causabitur.

Vallesius ideò contingere perpetuum delirium ex ioflammatione septi affirmavit, quia inflammato cerebro trahitur cerebrum in consensum propter quandam analogiam & similitudinem quæ est inter hæc duo membra quæ oon est inter cerebrum,& aliam partem: hæc autem analogia non fundatur in aliquo accideoti manifesto, neque ex proximitate, aut alia quavis causa manifesta, cùm videamus multoties partem distantissimam compati cum alia, & non cum proximiori ; solùm ergo desumitur ex effectu & experientià quà videmus id contingere : sed ab impugnatione hujus sententiæ sustinere decrevi, quia fundatur in analogia utriusque partis occulta, & nullo modo potest probari noo dari occultam similitudinem : Tamen licèt concedamus talem similitudinem partium non posse esse delirium perpetuum, sed se habere sicut quamlibet aliam paraphrenitidem à qualibet alia parte, quia illud quod pervenit ad cerebrum ex febre ardenti, aut ex ventriculo affecto, aut ex qualibet alia parte est ejusdem rationis cum illo quod producitur à septo, cùm vel sint fuligines, vel calor per cononui alterationem productus : ergo non est major ratio cur ex affectione septi sit perpetuum delirium quàm ex affectione aliarum partium ; vel si ratione aliarum partium oon datur delirium perpetuum, neque ratione septi affecti.

Neque valet dicere cerebrum accipere modificatiooem quandam à parte quæ inflammatione laborat, à septo scilicet, & non ab alia, ac proindè esse perpetuum delirium, quia fuligioes elevantur ab humore putrefacto à calore præternaturam, non concurrente naturâ septi per modum sufficientis : ergo non recipit modificationem. Præterquam quod si cerebrum est aptum recipere causam facientem delirium, quod facit quod ab hoc agente aut illo producatur, id patet exemplo Vallesij : nam si lien alicujus hominis frigidus sit, refrigeretque ventriculum propter apòtudinem morbosam quam habet ad illum effectum, ioquiro si alia causa acciderit præter lienem quæ valeret frigus producere, non reciperet illud ventriculus eodem modo ; ergo idem diceodum de septo respectu cerebri, ac de quavis alia parte in eo aliquid producente, ratione cujus delirium sequitur.

Sed nobis dicendum est quod cùm hucusq; non sit assignata ratio ob quam delirium, ex inflammatione septi sit perpetuum, sicut in propria phrenitide, tale delirium non esse perpetuum, licèt non implicat ex inflammatione septi ferè à principio morbi delirium

contingere & non cessare donec morbus cesset, aut satis manifestè remittatur, quod Gal. non negavit. Sed quod prædictum delirium ex inflammatione septi non sit perpetuum probatur ex Gal. 5. *de locis cap.* 4. dicens, *Sed quem ob septi transversi affectum accidunt deliria, non multum à phrenitide distant.* Ergo sentit non esse perpetuitatem sicut in phrenitide, licèt parum ab ea distent. Et paulò post *in eodem cap.* supra verba posita pro contraria sententia, scilicet *Ab aliarum verò partium nulla perpetuum delirium procedit dempto solo septo transverso.* Addit ipse Gal. *Cujus vitio excitatum delirium, parum à continuo distat.* Ergo sentit non esse continuum, sed continuum vocatur quia parum ab eo distat; unde constat solutio ad autoritatem contra nos factam.

Affectio existente septo sensibiliter desinit delirium, vel in principio inflammationis septi, vel in declinatione, quia pars distans est à cerebro, ac non qualibet affectio ejus est sufficiens, ut agat usque ad cerebrum; in membranis est dispar ratio, cùm non tam propinqua sint, non possunt aliis sensibiliter quin malum communicetur cerebro, & sic in hoc casu est delirium perpetuum, per propriam passionem, & in illo non.

Ratione etiam probatur nostra sententia: nam ideò ex inflammatione aliarum partium, aut ex febre ardenti, delirium non fit perpetuum, quia cùm pendet ex alio morbo remittitur aut crescit ex variatione alterius; sed quando procedit ex inflammatione septi, hoc idem habet; ergo reverà delirium non est perpetuum. Major constat ex Gal. *prædicto cap.* Minor ostenditur, quia remissa inflammatione septi cùm minor sit causa delirij, necessariò debet remitti, aut dicant Contrarij quarè cùm remittitur affectio aliarum partium præter septum, remittitur delirium, & non remittitur quando remittitur affectio septi.

Sed respondebis non posse negari per remissionem inflammationis remitti etiam delirij: sed quod negamus, est quod cesset delirium existente inflammatione, ac proindè est perpetuum in quantum semper quod est inflammatio est delirium, licèt cum remissione aut intensione sequente remissionem, aut intensionem inflammationis septi. Tamen contra insurgimus, quia adhuc hoc modo non est perpetuum, quia quando incipit inflammatio septi, non est statim delirium: nam aliquod tempus sensibile debet intercedere inter inflammationem ipsam & affectum communicatum cerebro, siquidem successivè fit ipsa communicatione, & productio, ergo tempus erit in quo sit inflammatio septi, & non sit delirium, ac proindè non erit perpetuum ullo modo, præcipuè cùm sit distantia notatu digna inter septum & cerebrum, ob quod debet pertransire tempus inter inflammationem & communicationem fuliginum à septo in cerebrum.

Non tamen maximè errare qui affirmant in paraphrenitide dari delirium cum intermissione; nam non potest dari

Deindè etiam in declinatione inflammationis septi non est cur non cesset delirium; nam ad hoc requiritur certa quantitas fuliginum, & intensio caloris, præternaturatam: ergo cùm non sufficiat quilibet dum ex aliis partibus communicatur, neque sufficiet, dum ex septo communicatur, ac per consequens sicut in declinatione affectus, aliarum partium cessat delirium, quia parum communicatur etiam in delinatione inflammationis septi cessabit, cessabit deliriũ, quia non communicatur qualitas fuliginum, vel calor præternaturam in tanta intensione quanta requiritur ad delirium. Si verò sit phrenitis per propriam passionem propter propinquitatem causæ, non intercedet aliquod tempus sensibile in quo sit ha-

mor putrescens, & non sit sufficiens causa delirij, neque remissio affectûs quia etiam sit delirium, licèt remissum, dummodò causa non sit valdè exigua, quod sensibilem affectum non faciat, ac proindè cùm inflammatio sit in cerebro, aut membranarum ejus, quæ ferè eandem faciunt partem cum cerebro, ideò in propria phrenitide semper quod est causa, vel inflammatio est delirium perpetuum, dummodò ità exigua non sit, ut non faciat morbum ob insensibilitatem.

sine illa: differentia ergo qua vertatur inter paraphrenitidem, & phrenitidem est quod morbus causans phrenitidem tenet sine intermissione, & à principio sui, continuò quo delirium causans, ac morbus causans paraphrenitidem repugnat continuò delirium inducere, nam ut à principio sui delirium causare vetat: nam cum sit à parte distante, primò est morbus sensibilis in parte, quàm cerebrum consentiat cum illa.

CAPUT VI.

An sit aliquod symptoma distinguens veram phrenitidem, ab illa quæ contingit per consensum cum septo præter delirij perpetuitatem.

Autores affirmantes veram phrenitidem & paraphrenitidem quæ causatur ex inflammatione septi æquè convenire in perpetuitate delirij, tenentur assignare dist inctionem ratione respirationis. Nos autem qui ratione perpetuitatis *cap. præcedenti* diximus, distingui ad prædictam distinctionem & separationem phrenitidis à paraphrenitide quæ sit ex inflammatione septi, non erat opus ad aliud recurrere: tamen quia reverà distinctio in respiratione, oportet ex parte istius etiam assignare distinctionem.

Circa quod Gal. *lib.* 5. *de locis cap.* 4. in vera phrenitide esse respirationem magnam & raram, hoc est ex longis intervallis: at verò cùm à septo delirium oritur, ità inæqualis est respiratio, ut modò sit parva & frequens, modò verò magna & angustiosa. Ubi adverte in paraphrenitide ex septo nunquam respirationem esse magnam absolutè. Dicitur autem à Gal. magna, quandoque angustiosa, quia intra parvitatem quam semper servat, ità inæqualis est, ut modò minores, modò majores eliciat motus.

Sed oportet assignare rationem ob quam in vera phrenitide respiratio est magna & rara. Avic. air ideò talem esse, quia delirantes in vera phrenitide aliis rebus intenti negligunt & obliviscuntur respirationem, posteà verò increscente ossis, incitantur vehementer, ac per consequens, ut usui satisfaciat apponit magnam respirationem, & cùm sit oblivio, apponit raritatem, quæ in longis intervallis temporis consistit; quod autem propter oblivionem, & ex eo quod aliqui sint aliis operibus intenti, negligentes fiunt circa animales actiones, constat in exemplo phrenitici qui petit matulam ad reddendam urinam, est non reddit; constat etiam in illis qui ambulant celeri & concitato motu: nam si in medio itineris aliquid cogitent vehementer, remittunt celeritatem illam, & interrumpunt sæpè, id autem non cognoscunt usque quo mentem accommodant, & cognitâ neghgentiâ moventur, ut priùs: sic autem qui delirant & mente vacillant, si sunt occupati aliis imaginationibus, & intenti negligentes sunt circa actiones animales, ac proindè in respiratione recuperat animal id

quo

quo privatus fuit, respirationis magnitudine, & sic fit magna & rara; quod non contingit in operationibus naturalibus: nam hæ nunquam cessant, neque otiosæ sunt, secùs animales, ex eo quod advertentiam animæ requirant, & sint subjecta imperio voluntatis: nomine autem imperij voluntarij intelligimus motum spontaneum, nam in brutis si primo modo & rigorosè intelligatur motus voluntarius, non potest idem contingere, quod est falsum, nam etiam in eis datur delirium.

Sed nobis dicendum est quod quando deficit respiratio, defectus ille non potest dici oblivio, hoc est defectus actûs proprij memoriæ: nam quando redit ad respirationem, non est necessarius actus memoriæ: ergo non erat privatio ejus quando deficiebat respiratio. Antecedens patet: nam ponamus casum in quo aliquis habeat ablatam actionem memoriæ ob distemperiem frigidam cerebri, & quod in hoc sit phreniticus ex læsione solius imaginationis, ità ut calore requisito ut in hac phrenitidem incidat hic, non redeat memoria ad naturalem statum, in tali casu qui possibilis est, erit respiratio magna & rara: ergo non est necessarius actus memoriæ ad illam; neque ejus cessatio, sed sufficit animal esse intensum in aliis operibus vi imaginationis, ità ut redeat ad respirationem, solùm ex eo præcisè quod sensus exterior, tactus videlicet, sentiat objectum, & imaginatio cesset ab aliorum meditatione, ac proindè in exemplo celeri motu ambulantis, & in alio illius phrenetici qui petivit matulam, non fuit oblivio prout dicit cessationem actûs memoriæ: sed imaginatio circa alia objecta, intensique diversio.

Ex his clarè patet Gal. nomine oblivionis non intellexisse veram privationem actûs memoriæ, sed cessationem solius actûs sensitivi, scilicet respirationis; de quo est sermo, oblivionem appellabat: ad quod sufficit quod animal valdè intentum sit aliis operibus ratione cujus homo veluti oblitus est respiratione, seu qualibet alia actione, sensitiva ubi verbum *oblitus*, solam cessationem operationis sensitivæ significat.

Sed dices contra nos: Ex dictis videtur quod in paraphrenitide ex septo, respiratio etiam esse debeat rara: nam ex eo in vera phrenitide est rara propter delirium, ratione cujus aliis operationibus sunt intenti phrenitici: sed etiam in paraphrenitide cum septo est delirium; ergo similiter qui eo laborant, aliis operibus debent esse intenti, ac proindè respiratio etiam debet esse rara: nam quod delirium sit per consensum parum refert, ad hoc ut sint intenti, vel non.

Respondetur in inflammatione septi respirationem semper esse parvam ob vitium instrumenti, scilicet ipsius septi non potentis dilatari, & facere respirationem magnam; undè cùm crescat usus, & non possit satisfieri magnitudine, utpote ratione impotentiæ instrumenti eam non potest apponere, necessum est ut apponat frequentiam, & crebritatem, & non raritatem: nam cùm calor irritet & alio modo non possit facultas satisfacere, ideo in paraphrenitide ex inflammatione septi, respiratio est parva & frequens.

CAPUT VII.

Quid sit advertentia, & in quibus actionibus habeat locum.

PRIMÒ in hac re supponere oportet; quod in actionibus animæ sensitivæ quæ cognoscitivæ sunt, & ex appetitu animali procedunt, ità esse necessariam advertentiam, ut defectu illius, aut cesset actio, aut minuatur: sed constat ex Hippoc. 2. *aph. text.* 6. dicente, *Quicumque aliqua parte corporis dolentes, dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.* Quod ex eo est quia ex læsione mentis deficit advertentia; id etiam constat aliis quamplurimis exemplis, in quibus quotidiè experimur homines ità diverti circa aliquas actiones sensitivas, ut circa alias non operentur: constat enim hominem iratum inter arguendum, vel aliquo alio negotio, non sentire dolorem in pede, etiamsi pungatur: constat etiam majores dolores apparere noctu quàm diù, quia anima noctu ad minus est distracta, & sic magis advertit, sentitque omnia objecta sibi molestantia.

Sed dubium difficillimum est quid sit hæc advertentia. Circa quod aliqui Philosophi affirmarunt esse actum imaginationis, ratione cujus rapiuntur ad se spiritus in maxima quantitate, ac proindè cùm imaginatio operetur, semper quod sensus externi operantur & rapiat ad se spiritus quibus sensus alij debebant sentire (nam mediis illis virtus ad motum & sensum communicatur) id est quod ratione imaginationis vehementis remittantur actiones aliorum sensuum. Sed hæc sententia est falsa: nam tantùm probat ratione imaginationis avocati spiritus ad intra, ac proindè solùm sensus externi operationem cessare, ratione operationis imaginationis cum aliis sensibus: sed constat etiam ratione vehementis imaginationis cessare etiam operationes aliquas sensuum internorum à quibus non retrahuntur spiritus, præsertim in opinione dicentium omnes internas potentias residere in eadem cerebri parte; ergo advertentia non consistit in cooperatione imaginationis causante prædictam retractionem.

Sententia eorū qui dicunt cooperationem imaginationis cū aliis sensibus esse advertētiā, ex eo quod ratione illius rapiantur spiritus, & sensus sine virtute ad operandū maneant.

Secundò, quia constat aliquem tantam habere divertentiam inter arguendum, ut dolorem non sentiat in pede, etiamsi pungatur, & tamen movet pedem: sed si non sentiret ob retrocessum spirituum causatum vi imaginationis cooperantis cum alio sensu, etiam non debebat movere pedem, imò debebat quietem habere in illo, cùm eadem virtus sit ad sensum & motum, imò intensior ad motum quàm ad sensum: ergo alia est causa divertentiæ, & non assignata.

Alij verò dixerunt operationes sensuum exteriorum fieri in propriis organis, perfici tamen in imaginatione, & sic dum imaginatio non operatur circa operationem alicujus sensus, ejus actio aut non fit, aut non rectè

sit; non operari imaginationem cum aliquo sensu externo, est non advertere, & sic advertentia in operatione imaginationis perficiente sensus externos, consistit & divertentia in cessatione imaginationis. Sed hæc sententia non minùs claudicat quàm præcedens, quia quælibet sensatio externa est independens ab imaginatione, & habet suum esse ante imaginationem, ità ut habeat rationem causæ producentis speciem in imaginatione actio externa: ergo cùm ante imaginationem sit, non perficietur ab illa, utpotè nullam inter ambo dependentiam agnoscimus.

Vallesius tamen affirmavit advertentiam ad imaginationem etiam pertinere, & hanc non solùm operari in cerebro, sed in organis sensuum externorum, ac proindè tunc esse divertentiam, cùm imaginatio non operatur, ac proindè quando non operatur, non advertit, & sic illatio vel ablata, vel diminuta est.

Sed contra Vallesium militat prima ratio quæ probat contra primam sententiam, scilicet sequi tantùm habere locum circa operationes sensuum exteriorum, non verò internorum, cum objecta & actus cogitativæ & memoriæ non cadant sub objecto imaginationis, & sic hæc non poterit operari circa illa, ac per consequens ratione imaginationis, non poterit contingere in sensibus internis advertentia.

Sed ut in hac re proprium placitum ostendamus, supponere oportet, ipsam animam concurrere efficienter ad omnes operationes vitales sensitivas & naturales, & non sufficere potentias: nam aliàs essent separatæ, operarentur, quod omnes negant.

Secundò supponendum est virtutem animæ esse finitam & limitatam, ità ut concurrat ad omnes operationes in certo gradu & intensione, ac proindè si intensiùs quàm pro natura debetur concurrit, ad aliquod opus deficiet pro alia operatione; hinc ergo constat advertentiam animæ consistere in concursu, conatu, & efficientia animæ circa aliquam operationem, quo deficiente, anima non advertit, & cessat ipsa actio.

Sed dires contra nos, quia non videtur minui perfectionem unius actionis ex intensione alterius: nam eodem modo se habet ignis respectu suorum effectuum, ac anima: sed ex eo quod ignis calefaciat non minuitur virtus exiccandi, neque quando movetur localiter sursum, minuitur virtus calefaciendi: ergo eodem modo ex eo quod operationes procedant ab anima, non sequitur ut ex nimia intensione unius remittatur alia, aut auferatur.

Respondetur esse diversam rationem de igne ac de anima; nam ille non concurrit effectivè ad calefaciendum & exiccandum (& idem est de aliis agentibus similibus.) Patet, ex Aristot. *lib. de sensu & sensibili*, dicente. *Ignis non calefacit quatenùs ignis, sed quatenùs calidus.* Undè ignis solùm se habet ut sustentans calorem; calor verò ut causa principalis, quia separatus valet calefacere, quod potentia separata ab anima non valet facere, ac proinde cùm ignis tanquam efficiens non concurrat, quid mirum ut una actio non remittatur aut auferatur ex intensione alterius; in anima verò cùm efficienter concurrat, contrarium evenit.

Sed etiamsi concedamus ignem efficienter concurrere ad calefaciendum & exiccandum, solvitur argumentum, aut quod probabilius est, etiam solvitur argumentum respectu ipsius ignefactionis qui efficienter ab igne nasci nemo potest negari: nam in actionibus animæ sensitivæ est aliquid à quo possit dividi concursus animæ, nempè à potentiis & speciebus, & sic ex intensione unius remittitur altera actio: at verò in ignefactione respectu ignis non est aliquod determinans ex parte agentis, neque dividens ipsum concursum, & ità totus reperitur in qualibet ignefactione.

Sed iterum dices: In igne esse diversas etiam facultates, ut facultas alterandi, & movendi localiter: ergo etiam potest minui actio unius per intensionem alterius, sicut in anima diximus.

Ad hoc Respondet Petrus Garcia, quod si quando ignis movetur sursum applicetur stupa, non minùs aut tardiùs combureretur, ac si quiesceret, ac proindè non remitti actionem unius per intensionem alterius. Quod responsum est cum ipsa conclusione; nam non tribuit disparitatem inter animam & ignem.

Ulteriùs incidit in primam solutionem ut satisfaciat huic argumento, scilicet ignem non concurrere efficienter, neque ad calorem, neque ad ignefactionem, ac proindè una actio non remittitur ex intensione alterius.

Sed adhuc militat argumentum respectu ipsius caloris, nam non potest negari ipsum concurrere efficienter & principaliter, præcipuè in sententia adversariorum: nam si intensè calefacit aliquod passum, ergo non calcabit, quia etiam est finitæ virtutis, sicut anima, ac proindè ex intensione unius actionis debet alia remitti, vel conficio argumentum respectu calefactionis in diversis partibus subjecti: nam si intensè calefacit unam, vel remissè calefaciet alteram, vel non calefaciet: sed quia militat idem argumentum in operationibus animæ vegetativæ in quibus non est advertentia, neque divertentia, sicut in actionibus animæ sensitivæ, ideò quomodò respondeamus ad argumentum de advertentia in ordine ad operationes vegetativas, patebit solutio ad præsens.

Poterat respondere calorem operari per diversas lineam secundùm quod est in diversis partibus subjecti, ac proindè actio intensa circa unum passum non remittit actionem circa alterà partem passi, vel circa aliud passū per diversam lineam: sed contra, quia si calor intensus ponatur in unica parte, vel in uno indivisibili, partes circūferentia aequaliter calefierēt: ergo in tali casu

Dices: si advertentia consistit in concursu & conatu animæ, & non ratione alicujus operationis sensitivæ, quomodo poterit homo subtrahere advertentiam ab aliqua operatione aut illam apponere: nam id quod procedit à substantia animæ, non est in nostra potestate.

Respondetur quod jam actiones vel considerationes circa hæc vel illa objecta sint in nostra potestate quando volumus cessare ab aliqua operatione, intensè cogitamus, vel consideramus aliùd objectum; & cùm ad prædictam actionem debeat concurrere anima, intensè etiam concurrit, ac proindè cessat ab alia operatione.

Indè infertur quod nonquælibet ægritudo mentis sufficit ad hoc ut causa doloris non

sentiatur,

alia circa unam partem spatii productiva illius rotationis incisionis quà posset impedire actionem circa alteram partem spatii quæ est in circumferentia quod nullus dixit, vel videtur difficile & ad libitum si concedatur.

sentiatur, sed magna; ità ut valeat auferre concursum animæ requisitum ad sensationem & ità est manifestum plures phreneticos in quibus læsa est imaginatio dolorem sentire; indè etiam constat non quemlibet concursum animæ circa aliquam actionem auferre concursum ejusdem circa aliam, sed intensum valde, qui solùm divertentiam causat.

Secundò infero quod ex vehementi sensatione externa non possit impediri actio sensûs interni: Et ratio desumitur ex vehementia & majori efficacia in operando sensuum externorum; tantam enim habent vim sensus interni, ut trahant ad se concursum animæ requisitum ad sensationes exteroas, non verò è contra contingit, nam operationes externæ minoris efficaciæ sunt.

Ex dictis patet solutio ad secundum dubium, scilicet in quibus actionibus habeat locum advertentia: Et imprimis constat experientiâ in omnibus actionibus sensitivis locum habere. Restat ergo an etiam habeat locum in operationibus naturalibus animæ vegetativæ, ut sunt nutritio augmentatio & generatio. Et quidem videtur partem affirmativam esse veram: nam non minùs concurrit anima in genere efficientis, ad operationes sensitivas quàm ad vegetativas: sed extante eadem animâ applicata, & specie objecti præsenti, ex eo quod anima apponat majorem conatum circa unam operationem sensitivam, deficit pro alia: ergo similiter si anima intensiùs operetur pro coctione exercenda in ventriculo, deficiet pro coctione exercenda in venis; æqua enim in omnibus actionibus est ratio.

Sed nobis dicendum est neque ratione intensionis alicujus operationis sensitivæ, cessare animam ab operatione aliqua vegetativa, neque ratione intensionis alicujus operationis vegetativæ cessare ab alia vegetativa.

Primum constat, nam aliàs in quolibet tempore imaginemur, vitiabitur coctio, quod nullus dixit; si enim aliquod vitiatur, est quia deficiunt spiritus & ad aliam partem avocantur.

Secundum etiam constat: nam cùm propriè advertere videatur includere cognitionem, non potest in non cognoscentibus reperiri, ac proindè in operationibus vegetativis advertentia locum non habet.

Sed argumento in contrarium posito poterat quis respondere in sententia probabilissima dicentium ad omnes operationes vegetativas non requiri diversas potentias, dicendo quod sicut in igne non concessimus divertentiam defectu potentiæ aut speciei dividentis ejus operationes, sic etiam non concedimus divertentiam in operationibus vegetativis defectu dividentis operationem animæ.

Sed dicendum nobis est adhuc respectu diversarum partium nutritionis non reddi sufficientem causam ad auferendam advertentiam in prædictis actionibus: nam quælibet pars habet diversum temperamentum à quo anima posset dividi, & ponere majorem conatum in una parte quàm in alia: ergo ratio est nulla. Præterquam quod solutio non habet locum in operatione, animæ sensitivæ respectu operationis animæ vegetativæ; nam in his potest dividi concursus, ut de se patet: ergo in tali casu poterat deficere vel minui coctio propter intensam imaginationem, quod nullus dixit.

Nos autem dubio Respondemus dicendo quod sive sint diversæ potentiæ, nutritiva, augmentativa, & generativa, sive non, opus unius quantumvis intensè fiat, non remittere actionem alterius, quia hujusmodi actus sunt subordinati, ità ut productâ substantiâ per nutritionem, non possit non produci qualitas (si fortè de novo producitur), & sic opus unius non remittere opus, vel actionem alterius, cùm sint subordinati. Et idem est dicendum de operationibus sensitivis subordinatis. Itaque dubium solùm procedit quando actiones non sunt subordinatæ, cujusvis generis sunt: cùm autem contingat omnes operationes naturales animæ vegetativæ esse subordinatas, quod mirum quod per augmentum unius non sit ablatio aut diminutio alterius.

Undè infero illam diversitatem potentiæ nutritivæ sive differat à temperamento, sive non, esse secundum magis & minus, & esse unam potentiam secundum extensionem in pluribus partibus; ex quo fit ut coctio vel nutritio unius partis, non subtrahat requisitum ad alias, quia sunt una actio absolutè. Unde etiam infertur actum imaginandi vel quemlibet alium alterius potentiæ sensitivæ, non tollere concursum ad nutritionem, quia hæc actio est inferioris ordinis, ità ut cum minori concursu animæ fiat ex propria natura.

Sed dices: quia videtur in omnibus actionibus adhuc sensitivis, locum non habere advertentiam, quia cuilibet organo est anima intimè applicata se tota, utpotè indivisibilis est, & objectum est præsens: cur ergo non sentitur etiamsi anima eliciat operationem aliam sensitivam intensiori modo; aut quomodo potest apponere majorem conatum ad aliam actionem, & non ad hanc quæ non sentitur, posito quod tota anima ad quamlibet partem est applicata, quæ principium ex se effectivum, & potens operari est.

Respondetur quod cùm anima finitæ virtutis sit, ità pro omnibus operibus viventis divisa est à natura, vel ab autore naturæ, ut omnes operationes eliciat in certo grado, & detur minuta intensione; undè si pro una apponit majorem intensionem quàm pro illa fuit destinata, deficit pro alia, ac proindè defectu alicujus conditionis requisitæ ad operandum, deficit sensatio in alia parte non defectu agentis sufficienter approximati: conditio autem est determinatus conatus & concursus in hac intensione determinata pro hac actione, posito autem intensiori quàm debetur pro natura, ponitur aliquid ratione cujus pro alia actione actu non operatur anima, licèt pro ea sit sufficiens principium ad operandum, scilicèt ipsa anima, tamen non operabitur defectu requisiti assignati.

Ratio autem ob quam hoc contingat in actionibus sensitivis & non in vegetativis, est quia sensitivæ sunt subjectæ imperio voluntatis, ità ut ad hoc ne sentiatur aliquod objectum, sit necessarius actus voluntatis quo velimus cessare ab intensione in alia operatione,

tione, & sentitur aliud objectum, quia jam advertit anima; operationes verò vegetativæ cùm non sint subjectæ voluotari, vel spontaneæ in brutis, quod idem est, indè est quod respectu illarum oon habeat locum advertentia: nam oon est in oostra potestate cessare à outritiooe intensiori, vel apponere majorem cooatum ad haoc aut illam actionem vegetativam, & sic noo deficit virtus vel conatos pro alia, ac proindè vel hac solutione, vel alia de subordinatiooe actionum naturalium animæ vegetativæ argumentum potest solvi.

CAPUT VIII.

De insomniis turbulentiis & plenis imaginibus.

PRÆTER alia signa qoæ in laborantibus phrenitide solent contingere, aut ad hanc affectionem præcedere, nullo examine indiget, oeque inquisitione, præter id quod de insomniis dicitur, ac proindè de eis in præsenti agere decrevimus, ut completam hujus affectûs notitiam habeamus. Et quidem sopponere oportet insomnium nihil aliud esse quàm illud phantasma, aut apparitionem illam, vel chimæram quæ inter dormiendum, vel in somno fit & repræsentatur. Hoc autem oon ad sensum externum, sed ad interoum, & in oobis quodammodò ad intellectum pertinet, ex eo quod inter dormiendum sensus interni magis vel minùs ligantur: hoc autem cootingit ex D. Thoma propter dispositinnem vaporum; nam quando vapores multi fueriot, ligantur non solùm sensus, sed etiam imaginatio, ità ot tunc nullum phantasma seu insomoiom fiat: si verò aliquantò remissinres vapores fiant, apparent phantasmata distorta, & inordinata; si autem motus vaporum modicus, non solùm imaginatio manet libera, sed & sensus communis ex parte, ità nt quodammodò judicet inter dormiendum illa quæ vidit somnia esse. Undè clarè constat quod cùm inter dormiendum operetur multoties imaginativa, vel aliæ potentiæ internæ, necessariò insomnia quæ actiones harum potentiarum sunt, inter veras & reales operationes debent numerari, non minùs ac quando in vigilia operationes à prædictis potentiis eliciuntur.

Sed dubitabis cujus sensus interni sit insomoium operatio, & dicn, quod licèt frequeoter sit imaginationis operatio, tamen potest esse operatio memoriæ absque potentia imagioativa: namsi io vigilia independenter ab illa operatur, cur inter dormiendum oon operabitur, per species suas reservatas: similiter licèt cogitativa sine imaginatione non possit operari, ex eo quod non habeat illa species reservatas, tamen non est dubium quin simul cum imaginativa insomnium multoties causet, ità ut hoc illius sit etiam operatio, nempè potentiæ cogitativæ.

Sed difficile est assignare quomodò hæc insomnia contingant: oam Aristoteles affirmat apparere simulacra inter dormiendum ob motum vaporum, & spirituum ad primum sensitivum, oomine autem primi sensitivi intelligit cor. Sed difficile videtur hoc modo insomnia fieri: nam cùm species objectorum in spiritibus aut vaporibus subjectentur, & probabilissimum sit in eadem parte plures operationes subjectari, ex eo quod non se impediant, sequitur apertè ex motu spirituum non magis approximari principio unam speciem quàm aliam in omnes æqualiter, ac proindè insomnium non fieri magis circa unum objectum quàm circa aliud, quod est contra experientiam.

Sed dicendum nobis est ex humoribus aut vaporibus vi caloris liquantis, elavatis in cerebrum, produci in en dispositionem & temperiem conducentem pro excitatinne hujus speciei potiùs quàm illius. Præterquàm quod adeò potest produci species alicujus specialis objecti: similiter ab Aogelo vel à Dæmone potest applicari spiritus in quo sit species alicujus objecti intensè valdè repræsentans, ac proindè tunc illius objecti fiet sensatio. Rursùs omni causâ extrinsecâ sublatâ per retrocessum spirituum ad primum seositivum, quod in nostra sententia est cerebrum, & in sententia Aristotelis, est cor, potest fieri sensatio hujus objecti, & non illius, ex eo quod possit habere majorem intensionem in aliqua parte spiritus, quàm in ipsa potentia in qua reservata potest esse hæc eadem, vel alia species, ac per consequens fiet insomnium omnibus his causis circa hoc vel illud objectum, & non circa omnia simul, ut probabat argumentum.

Sed maximè dubito quomodò possint species conservari, vel reservari in spiritibus; nam spiritus continuò resolvuntur, & continuò reproducuntur: ergo similiter species quæ in eis conservabantur, perire debent, pereunte subjecto, quomodò ergo potest perseverari species in qua sit servata species alicujus objecti multis annis antecedentibus cogniti, ità ut nunc excitetur ejus cognitio, utpote jam non possunt esse spiritus io quibus fuit servata talis species, ac proindè mihi videtur species in spiritibus noo reservari.

Quæret aliquis quæ sit causa ut frequenter contingat insomnium circa rem vel objectum de quo paulò anteà præmanibus habuerimus, licèt multoties contingat insomnium fieri circa objectum multis annis anteà cognitum.

Respoodeo illius objecti causam esse insomnium, cujus species efficaciùs excitetur: potest autem contingere efficaciùs excitari speciem objecti antiquitùs cogniti, & non alterius, cujus cognitio fuit paulò anteà: si tamen accedat dispositio corporalis, hoc est temperamentum conducens magis pro hac specie excitanda, quàm pro illa, simul cum cognitinne recenti, tuoc quia temperies conducit pro cognitione objecti recenter cogniti, sine dubio excitabitur ejus cognitio.

Sed quæret aliquis an sicut propter vehementem motum in aqua nullam suscipit figuram qoæ videri possit, ità etiam propter vehementem motum spirituum aut vaporum, nullum etiam sequatur insomnium. Et dicendum

dum nobis est etiam in qua non sufficere vehementem ejus motum ut objecta non percipiantur, sed ex eo in aqua non videri, vel quia nimiam densitatem comparat, vel quia ratione motûs quædam partes aquæ sunt eminentes, quædam verò deprimuntur, & sic vario modo comparatur figura objecti, & species visibilis modificatur, ità ut producat speciem in oculo multò diversæ figuræ ac objectum producit speciem in ipsa aqua,& tunc apparet objectum distortum. Sic ergo dicimus non cessare insomnia in cerebro præcisè per motum spirituum aut vaporum, sed ex eo quod ratione motûs spiritus non approximentur sufficienter cerebro, & ità non producant in eo qualitatem requisitam ad operandum, & sic cesset actio insomnij, aut quia ità vapores miscentur cum spiritibus, ut propter parvitatem non producant effectum in intensione requisita.

Similiter propter prædictum motum possunt accedere spiritus qui habeant species diversas majoris intensionis, & excitent cerebrum ad operandum & ratione motus hujusmodi species possunt mutari figuram & proportionem, & sic apparebunt insomnia distorta & monstruosa: hoc autem debet intelligi quando vapores non ità vehementer moventur, sicut quando insomnia auferunt, sed quando ità moventur, ut neque separent spiritus à cerebro,neque tollunt continuitatem, faciunt tamen varietatem figuræ.

CAPUT IX.

An homo solus somniet in quavis ætate, an etiam alia animalia.

QUòd non solus homo somniet, vel insomnium habeat, dixit Arist. *l.4. de Hist. animalium*, ubi affirmat quod non solùm homines, verùm & canes, equos & boves,& capras, & omne genus quadrupedum: idque constat ea latratu canis inter dormiendum;constat etiam quia hujusmodi animalia dormiunt & habent sensus internos qui in somno possunt operari,& alias conservant species in absentia objectorum; indè est quod in eis possit esse insomnium; & quantumvis non servarent species, essent insomnia respectu illorum objectorum quæ initium transmutationis habent respectu sensus externi,ac proindè in illis animalibus, in quibus perfecta imaginatio non est, vel non servant species, in absentia objectorum, ità ut circa absentia possint versari, insomnium non reperitur secundum probabiliorem sententiam: nam si imaginatio non potest versari nisi circa objectum exterius præsens, quomodò inter dormiendum circa aliquod objectum erit insomnium.

Circa secundum dubium, an in pueris insomnia inveniantur, breviter dicendum est cum Avic. in illis insomnia esse; nam in illis perfecta imaginatio, & cæteræ potentiæ internæ inveniuntur, ac proindè inter dormiendum possunt operari circa objecta absentia, non ergo est ratio cur in eis insomnia non sint. Dixi in eis reperiri perfectam imaginationem, & cæteras internas potentias, non quia in pueris cum omni perfectione eliciantur operationes sensuum internorum, sed quia verè in eis sunt tales potentiæ, & verè operantur, quod sufficit, ut etiam inter dormiendum operentur, ac per consequens sufficiet ad hoc ut in eis insomnia inveniantur.

Aristoteles tamen non negavit insomnia, quia in pueris non essent, sed quia maximè obscura & vix apparentia sunt, propter multitudinem humorum, & propter hebetem dispositionem organorum: aut ait quod non somnient, ità ut memoriam illorum servent; nam paulò infrà ait Aristoteles, *Somniare eos constat, sed serò meminisse possunt imaginum.* Quibus verbis clarè constat insomnia pueris absolutè non negasse.



DISPUTATIO IX.

De alijs Tumoribus cerebri.

CAPUT PRIMUM.

De cerebri inflammatione, & an illam possit pati.



CUM phrenitis frequenter fiat affectâ tenui meninge,vel membranâ, potiùs quàm substantiâ cerebri, quia ex bilioso humore procedit, inflammatio verò ad substantiam cerebri pertinet frequentiùs, nam fit ex sanguine qui crassior est bile, ideò speciale caput de inflammatione cerebri posuit: nam cùm pars affecta inflammationis sit cerebri substantia, & in phrenitide frequenter sit tenuis membrana, ratione diversæ partis affectæ posuit peculiare caput, non quià possit esse inflammatio, quin sit delirium, & vera phrenitis,ut alij dixerunt: nam ratione inflammationis videtur difficilè quod malum cerebro non communicetur, imò est necessarium communicari, ac proindè delirium fieri, dummodò inflammatio non sit in crassa meninge à qua malum non ità frequenter communicatur cerebro, sicut neque in fractura cranij, & sic non mirum hujusmodi affectionibus laborantibus in prædictis partibus, non delirant.

Sed dubium est an substantia cerebri possit pati veram inflammationem? Et partem affirmativam tanquam veram sustinemus:nam in substantia cerebri sunt venæ licèt parvæ, mediis quibus potest ad porositates confluere humor (sanguis scilicet tenuis, à quo semper inflammatio in substantia cerebri fit,) ergo tunc causabit tumorem. Secundò quia cerebrum nutritur & augetur; ergo ejus substantia potest extendi, & adquirere majorem locum: ergo ex hac parte non implicat eaten-

di, & tumorem pati. Denique quia quælibet pars quæ nutritur, per congestionem potest tumorem pati, si non commutet tantum alimentum quantum ab ipsa parte trahitur; sed cerebrum nutritur; ergo etiam per congestionem tumorem pati potest.

Signa hujus affectionis non sunt silentio prætermittenda; nam cùm sit quædam species apoplexiæ in qua cerebrum est inflammatum, primum signum ad hujusmodi affectus distinguendos est febris quæ in inflammatione de qua loquimur, reperitur, & non in alia: nam cùm non putrefiat humor causans illam speciem apoplexiæ, non erit febris, sed de hoc *proprio capite* dicemus ex professo: etiam distinguuntur ex privatione sensûs & motûs, & difficultate respirandi, quod totum in apoplexia, & non in phrenitide contingit. Signum autem ad distinguendam veram phrenitidem quæ fit citra inflammationem cerebri ab illa quæ fit cum vera inflammatione, est quod illa conjungitur cum delirio, sensus tamen non sunt amissi neque motum, in hac verò quæ fit ex inflammatione vera cerebri, ità ut ex illa ad mortificationem perveniat, amittuntur sensus & motus.

CAPUT II.

De Erysipelate cerebri, & an possit pati scirrhum.

Non est nostrum in præsenti disputare de essentia erysipelatis, & an possit sine tumore reperiri, quia ad hoc institutum non spectat; satis est scire ex bilioso humore hanc cerebri affectionem excitari quæ erysipelas dicitur: nam quantumvis mollis sit substantia cerebri & laxa, videtúrque citò defluere bilem, tamen non repugnat confluere & dictam affectionem causare, licèt non tam frequenter, sicut in pulmone. Inde etiam fit non solùm inflammationem & erysipelatem, sed etiam œdematosum tumorem posse pati cerebrum: neque est cur à pituita substantia cerebri non possit tumore affici, imò affectio valdè familiaris est illi.

Sed de scirrho apparet difficilius, tamen dicendum nobis est non esse omninò negandum; nam sicut sanguis confluit ex aliqua parte in cerebrum, cur humor melancholicus, non potest fluere. Tum etiam quia ex communi Medicorum sententia constat quod ortâ inflammatione in aliqua parte, si Medicus utatur remediis valde intensè resolventibus fieri scirrhum, ità ut tenue resolvatur, & crassum permaneat: sed cerebrum potest inflammationem pati: ergo si utamur remediis intensè resolventibus, permanebit crassum scirrhum faciens.



DISPUTATIO X.

De Lethargo.

CAPUT PRIMUM.

In qua distemperie consistat essentia Lethargi.



Onstat ex dictis essentiam lethargi non consistere in tumore, aut inflammatione, sed in distemperie cum materia à pituita in cerebro putrescente; dubitamus nùc quænam sit hæc distemperies in qua lethargi essentia consistit. Et quidem videtur consistere in distemperie frigida & humida. Et ratione probatur: nam phrenitis & lethargus sunt affectiones contrariæ: sed essentia phrenitidis consistit in distemperie calida & sicca: ergo essentia lethargi debet consistere in distemperie frigida & humida; Contrariorum enim eadem est ratio. Secundò, quia symptomata pathognomonica sequuntur essentiam morbi: sed symptomata quæ inveniuntur in lethargo sunt insensibilitas, immobilitas & torpor in actionibus, quæ distemperiem frigidam denotant: ergo in illa essentia lethargi consistere debet. Quod autem in distemperie humida etiam consistat probatur ex Gal. 2. *aph. comm.* 3. ubi ait, *Somnos fieri refrigerato cerebro: si autem conjungatur humiditas, lethargicas parit affectiones.* Quibus verbis clarè intentum constat.

Sed nihilominùs nobis dicendum est lethargi essentiam in calida & humida distemperie consistere. Quod in humida consistat satis constat ex autoritate Galen. *suprà* relata. Quod autem in calida etiam (de qua est præcipua difficultas,) ratione probamr, quia in lethargo est febris continua excitata ex pituita putrescente in cerebro: sed calor qui valet febrem licèt remissam causare, necessariò valet calefacere præter naturam cerebrum, cùm calefaciat cor quod calidius est (aliàs non esset febris) ergo cùm essentia lethargi consistat in distemperie cerebri à pituita ibi putrescente, & nequeat putrescere quin excitetur febris valens calefacere cerebrum præternaturam, in distemperie calida consistet, licèt humor à quo fit ante putredinem sit frigidus: quod ad rem nihil facit, & de illo plura testimonia intelligenda, quibus probari videtur in distemperie frigida lethargum consistere.

Sed dices, verum esse in distemperie consistere cum humore ibi putrescente, ità ut excitetur febris; tamen ex hoc non colligitur in distemperie frigida non consistere, quia non putrescit tota pituita quæ est in cerebro: sed pars putrescit & pars servat propriam frigiditatem naturalem à qua cerebrum refrigeratur, neque enim implicat partem pituitæ putrefieri, & partem non, propter majorem aptitudinem, aut repugnantiam; quo casu non implicante, videtur ad rem responsio: sed contra illam sic insurgo, quia si pars pituitæ putrefit, & pars non, ergo cerebrum secundum diversas partes excitatur.

excitatur ad vigiliam ratione caloris illius partis quæ putrefit, & secundum alias excitatur ad somnum ratione refrigerationis productæ à pituita quæ non putrefit; quod licèt absolutè non sit absurdum, tamen in lethargica affectione nullus concessit, sed omnes unanimiter fatentur in ea esse somnum præter naturam, & simpliciter.

Alij Respondent totam pituitam quæ est in cerebro non putrefieri, neque partem ejus, sed potiùs putrefieri pituitam quæ est in venis à qua excitatur febris, & oon calefieri cerebrum à calore febrili propter majorem activitatem contrariæ causæ, pituitæ scilicet in cerebro existente sine putredine, ac proindè lethargum in distemperie frigida consistere. Tamen contra sic insurgo, quia tunc solùm esset paralethargus, & non lethargus per propriam passioné, de quo est sermo in præsenti, ad quod requiritur febrem oriri ex pituita putrescente in cerebro, sicut ad veram phrenitidé per propriam passionem requiritur bilé putrefieri in ipso cerebro, & oon sufficit putrefieri solùm in venis, & febrem facere; nam si hoc contingat, paraphrenitis vocabitur, habebitque symptomata oon perpetua; & idem dicendum de lethargo, si febris non causetur à pituita in cerebro putrescente. Constat ergo ex dictis lethargum consistere in distemperie calida producta à calore putredinali pituitæ, & similiter consistit in humiditate quam habet pituita ex propria natura, & per putredinem quam patitur, illam non amittit, & est intensior humiditate quâ cerebrum constat. Præterquam quod ex mollitie pulsûs io hac affectione constat humiditas in quia consistit.

Sed licèt lethargus curetur remediis calidis & siccis, non ideò colligere debemus in frigiditate ejus essentiam consistere: nam tunc curamus sumptâ iodicatione à causa, non à morbo: nam cùm causa crassitiem magnã habeat, utimur remediis calidis & siccis, quæ habent vim attenuandi & scindendi, utpotè præstant majorem utilitatem quàm ex calida distemperie noxam, etiam aliquam quis imaginetur; ondè noo satis erit uti aceto frigido capiti imposito quod habet vim scindendi & suâ frigiditate pugnabit contra calorem causæ, quia calor ultra dictam habet aliam utilitatem, scilicet liquefacere & fundere prædictos humores; frigida verò si sola apponerentur, potiùs magis densarent causam morbi, & per consequens morbus augeretur.

Ad primum argumentum Resp. phrenitidem & lethargum esse affectiones contrarias ex parte causarum dum se habent secundum naturam: nam ooa causatur à bile quæ calida est & sicca, & alia à pituita quæ frigida est & humida, & ità ob hoc, dicuntur affectiones cõtrariæ: similiter in ratione morbi sunt contrariæ partialiter: nam una io distemperie sicca, & alia in distemperie humida consistit.

Ad secundum dicimus omnia symptomata pathognomonica reperiri in lethargo sine frigida cerebri distemperie, imò oportet esse calida, ut diximus, si verum est, ut omnes fatentur, unum ex symptomatibus esse febrem continuam: nam ad ioducẽdum somnum profundum & oblivionem, satis est humiditas, licèt in hoc habeat primum locum frigiditas.

Denique pro fine advette febrem quæ in lethargo vero propriam passionem reperitur, esse remissam, & oon intensam, ob quod non potest ità calefacere cerebrum ut causet vigiliã, etiamsi humiditas valeat somnum inducere.

CAPVT II.

De causa lethargi, & de parte affecta.

CIRCA primum videtur quod non solùm à pituita, sed etiam ab humore melancholico existente in cerebro possit causari lethargus, quia positâ melancoliâ in cerebro, ponuntur omnia sigoa pathognomonica quæ in lethargo repetiuntur: igitur ab illa poterit causari. Antecedeos patet: nam si putrefiat, causabitur febris continua, & si obstruat plurimum, somnus excitabitur profundus: nam cùm possit obstruendo excitare, vel causare apoplexiam, non est cur non possit causare somnum qualem in lethargicis repetitur, si paulò minùs ac in apoplexia obstruat.

Sed nihilominùs sententia communis inter Medicos est, lethargum à sola pituita in cerebro putrefactâ causari, & oon à melancholia, qoia unum ex sympromatibus lethargi est somnus profundus: sed dum melancholia putrefit in cerebro, non est qualitas in ea à qua causari possit, utpotè licèt calor ratione putredinis adquisitus à quo febris possit causari, tamen est siccitas à qua potiùs vigilia quàm somnus inducetur: ergo à melancholia non potest causari lethargus: siquidem in ea non est qualitas à qua fiat unum ex symptomatibus ejus, scilicet somnus profundus.

Sed dices: quod licèt melancholia ratione suæ qualitatis non possit causare somnum profundum, potest tamen suâ corporaturâ obstruendo ventriculos cerebri, aut tumorem faciendo, ità ut extendatur substantia cerebri versus ventriculos, ac proindè erunt omnia signa pathognomonica lethargi: nam erit febris continua & somnus profundus: quod autem somnus causetur ratione distemperiei, aut ratione obstructionis, nihil facit ut essentia lethargi constituatur.

Respondetur talem obstructionem à melancholia factam potiùs causare, aut apoplexiam incipientem, aut carum, non autem lethargum: quod manifestè colligitur ex eo etiam quod in lethargo est pulsus mollis ex Gal. ratione humiditatis, à qua somnus causatur: at verò si à melancholia fieret somnus profundus & febris, non esset in hoc affectu pulsus mollis, & ità oon diceretur lethargus, sed alius affectus ex dictis, ut lariùs parebit.

Hoc argumentum mihi efficax videtur ad probandũ hũc morbũ esse in cavitate vitiata, & in distemperie calida, ità ut oppositus morbus dicatur ut affirmat quidam Primarius: nã videtur ab humiditate sõnũ illũ profũdũ qui in lethargicis est, nõ causari, & sic non esse morbũ in distẽperie calida & humida, sed cõpositum ut

Circa partem affectã in lethargo, nemo dubitat esse cerebrum, cùm omnia medicamenta ei applicentur: Sed cùm cerebrum plures habeat partes, restat scire quæ sint partes quæ possint affici in lethargo, & breviter dicendum est substantiam cerebri, ejúsque meatus in lethargo affici, non autem membranas: nam cùm humor sit viscosus, & membranæ densitatem habeant, non potest ille has pe-

nettare. Et hæc est ratio ob quam plevritis frequenter fit à bile; substantia autem cerebri afficitur in lethargo ratione pororum, ob quam rationem non implicat membranas etiam affici.

dixi. Et probat Primarius, nam in lethargo spurio seu novo facto ex pituita & melancholia, nō est humiditas sufficiens pro somno, cū etiā sit sicc. citas melancholia à qua potest remitti, & sic somnus ab obstructione in tali casu causabitur, & non ab intemperie: probat etiā quia quādo vi aliqua magna excitātur à somno, non fieret talis excitatio si ab humiditate fieret somnus, nam hac majus tempus requireret ad sui ablationem.

Unde qui ponunt potentias rectrices in diversis partibus cerebri; consequenter affirmant in lethargo posteriorem partem cerebri affici, ex eo quod cōstet actionem memoriæ magis lædi, de quo latiùs dicemus alibi.

CAPUT III.

De symptomatibus lethargi, & causis eorundem.

Communis Medicorum sententia affirmat symptomata lethargi esse febrem continuam, somnum profundum & perpetuum, cum læsione actionum quæ rectrices sunt: nam imprimis febris continua causatur à pituita in cerebro putrescente, ex eo quod putrescat in parte notabili, & cordi proxima.

Sed dices: non esse omninò certum pituitam in lethargo putrescere, ac proindè neque certum in eo esse febrem continuam. Probatur; nam si esset putredo pituitæ in cerebro, ac proindè febri potiùs vigil coma quàm lethargus causaretur, utpote ratione caloris fieret vigilia & ratione humiditatis pituitæ fieret somnus, & ità vicissim fieret utrumque, nempè somnus & vigilia: secundum quod alterum prædominatur, ac proindè vigil coma, & non lethargus excitabitur.

Sed oppositum est verum, nempè febrem continuam esse symptoma lethargi: nam ratio in oppositum nihil probat; nam febris lethargicorum adeò est remissa, ut ejus calor non sufficiat pro vigilia excitanda; humiditas autem sufficit pro somno: & licèt calor aliàs sufficeret, in lethargo non sufficit, quia potentior est humiditas quàm calor; & sic causabitur somnus ratione humiditatis, & non vigilia, quia nunquam calor lethargicorum vincit humiditatem, & sic illa vicissitudo non potest reperiri inter somnum, & vigiliam, ac proindè neque vigil coma, sed lethargus causabitur à pituita in cerebro putrescente.

Alterum symptoma lethargi erat somnus profundus & perpetuus: ubi adverte perpetuitatem debere intelligi, sicut perpetuitas delirij in phreniticis per propriam passionem, & non per consensum: nam sicut in illis durat delirium toto tempore quo durat affectus absque eo quod cesset, ità in lethargicis per propriam passionem somnus profundus debet habere eandem perpetuitatem; quod si somnus cesset, causâ lethargi permanente, non diceretur lethargus, sed paralethargus, aut lethargus per consensum, & per propriam passionem.

Causatur multoties lethargus post morbos in quibus plures evacuationes subsecutæ sint; debent autem esse evacuationes non omnium humorum, sed humoris biliosi; sic enim manet pituita magis expedita à contrario, & potest lethargum facere: modus autem quo humiditas somnum conciliet, jam est explicatus *suprà*.

Solùm restat quod dicamus de actionibus rectricibus quæ in lethargo læduntur. Circa quod imprimis dicendum est, quod si de vero lethargo loquamur, nequit esse actio ablata in eo potentiæ æstimativæ, & solùm diminuta actio potentiæ imaginativæ. Et ratio est, nam læsio actionum in hoc affectu solùm ab humiditate causatur, quia calor febrilis ità remissus est, ut non conducat pro læsione in actionibus; sed æstimativa aut ratio exposcit majorem humiditatem ad operandum: ergo majori indiget ut lædatur: non ergo potest esse tanta ut æstimativa auferatur, & imaginativa minuatur.

Dices, optimè probare argumentum, non posse lædi æstimativam quin imaginatio lædatur etiam, tamen benè stat ut simul lædantur, & sit actio rationis ablata, & imaginationis diminuta. Ratio est quia non eodem modo ab humiditate læduntur hæ potentiæ; nam humiditas lædit rationem, quia eam malè disponit ad operandum, (si fit in excessu; nam alio modo potiùs conducit pro ejus operatione) lædit autem imaginationem in quantum ità disponit organum, ut non possit perfectè conservare species aut secundum totam intensionem, ac proindè benè stat quod ab eodem gradu humiditatis ratio auferatur, & imaginatio minuatur.

Tamen contra est, quia in lethargo non constat lædi imaginationem defectu totali, aut partiali specierum quoad earum intensionem & perfectiōnē, quia deficiēte malo, lethargici imaginantur sicut anteà; ergo non erat diminuta intensio specierum, aliàs sine nova productione non poterit resarciri damnum, ac proindè non læditur imaginatio diverso modo ac ratio, & sic nihil valet, responsio. Et confirmatur, quia in lethargo non semper læsio memoriæ fit defectu intensionis specierum; siquidem postquam sanati sunt, recordantur ut anteà; ergo idem debet contingere in imaginatione.

Sed licèt non possit aliquo exteriori signo in lethargo vero cognosci an memoria & æstimativa operentur; siquidem nullum tale apparet, nihilominùs credendum est, & tanquam verum sustinendum actiones earum diminutas esse, quia in lethargicis profundior est somnus quàm naturalis, & minùs profúndus quàm in caro & apoplexia; siquidem lethargici excitati respondent: ergo sunt potentiæ horum magis impeditæ quàm in somno naturali, & minùs quàm in caro & apoplexia: sed in his affectibus omnes fatentur ablatas esse prædictas actiones: ergo in lethargo in quo minùs impeditæ sunt, non sunt ablatæ, sed diminutæ; & licèt lethargus dicatur ab oblivione, non tamen à totali necessariò circa ea quæ anteà servabantur.

Etiam est aliquis somnus naturalis in quo omnes potētiæ sunt omninò impeditæ, sed somnus lethargicorū est profundior quā naturalis, ergo in illo debent potiori ratione esse impeditæ, ac proindè non benè probat argumentū nisi loquamur de illo qui frequētèr cōtingit.

Undè constat hanc læsionem actionum à solâ humiditate procedere, constat etiam hanc læsionem contingere non solùm communicato vitio spiritibus animalibus, sed etiam vitio communicato ipsi cerebro: siquidem læsio hæc est symptoma quod immediatè nascitur à morbo; & cùm morbus sit in

in ipso cerebro, & non in spiritibus, ipsum malum, vel vitium debet necessariò esse communicatum cerebro, & non sufficit tantùm spiritibus communicari prædictum vitium ab humiditate causatum.

CAPUT IV.

An inter symptomata lethargi debeat poni delirium perpetuum.

PARS negativa videtur probari, quia si in lethargo esset delirium perpetuum, cùm ex alia parte sit febris continua, non distingueretur à phrenitide, cujus signa pathognomonica diximus esse febrem continuam & delirium perpetuũ. Secundò quia juxta omnes in lethargo est somnus profundus: ergo non est delirium perpetuum. Probatur consequentia inter dormiendum adhuc somno naturali non est opus aliquam potentiam internam operari: ergo neque in somno profundo sicut in lethargo, ac proindè si nulla potentia interna operatur, quomodò potest esse delirium perpetuum qui in depravata actione facultatis regentis consistit.

Sed nihilominùs contraria sententia vera est, scilicet in lethargo dari delirium perpetuum, tanquam ejus signum pathognomonicum. Quæ sententia licèt poterat confirmari pluribus Gal. & Hippocr. autoritatibus, in quibus cum somno posse compati delirium affirmat; ab eis tamen supersedere decrevi, quia possunt interpretari de quavis mentis alienatione (quæ in lethargicis reperiri nemo dubitat; cùm *præcedenti cap.* diximus juxta commune placitum in lethargo actiones rectrices memoriæ & rationis esse diminutas) & non de vero delirio; & quia quis apud Petrum Garciam *in hac quæstione* potest facilè eorum sensum perquirere.

Sed ut nostram sententiam confirmemus, notare oportet duobus modis delirium reperiri in affectis lethargo, aut quia inter dormiendum reverà adest actio depravata, ex eo quod actus potentiæ rectricis non cessat omninò sed aliquo modo operatur ità ut eùm depravatè possint operari; aut quia inter dormiendum sit dispositio ex qua oriri possit delirium nisi impediatur ab alia causa potentiori; non aliter quàm sicut in febre ardenti cui tanquam signum pathognomonicum conjungitur siccitas implacabilis, si conjungatur tussis cum ea ex fluxione pituitosa, tunc non erit sitis ratione causæ potentioris suo symptomate obscurante symptoma alterius; sic ergo in lethargo ex eo quod conjungatur causa potentior valens inducere somnum, impeditur delirium, licèt sit dispositio in lethargo affectis, ut quoties vi aliqua excitentur à somno, delirent.

Ex quo planè colligitur duplici modo assignato posse defendi delirium perpetuum esse signum pathognomonicum lethargi (licèt non ità intensum sicut in phrenitide) primo modo constat quia in somno potentiæ rectrices, non omninò privantur, neque cessant ab actione: ergo cùm aliàs sit calor febrilis ex putredine ortus, quæ conducit pro vigilia & delirio (in imaginatione tantum quia respectu illius, solùm talis calor habet sufficientem intensionem ut depravatè operetur, non verò respectu æstimativæ & memoriæ) necessariò in ipso somno depravatè operabitur aliqua potentia rectrix, & erit delirium. Quod autem sit etiam delirium secundo modo, probatur: lethargici statim ac excitantur à somno, delirant: sed in eo tempore in quo excitantur, non producitur distemperies, aut aliquid aliud, quod disponat de novo ad depravatam actionem: ergo anteà erat dispositio sufficiens ad delirium, licèt impeditum sit delirium ratione alterius causæ potentioris inducentis somnum.

Alij affirmarunt delirium quod in lethargo reperitur esse ratione portionis bilis quæ simul cum pituita permiscetur, & putrefit in cerebro, ac per consequens ab illo calore acri & mordaci delirium causari, quia major calor causatur à bile putrefacta quàm à pituita. Neque ob hoc sequetur esse typhomaniam, quia ad hanc requiruntur æquales portiones bilis & pituitæ, vicissim somnum & vigiliam inducendo. Ratio fundamentalis eorum est, quia cùm in nostro corpore non inveniantur humores sinceri, sed permixti, multò minùs in capite, ac proindè non sola pituita facit lethargum exquisitum affirmant.

Sed hæc sententia nobis non probatur, imprimis quia ad delirium in lethargo sufficit calor productus in cerebro ex putredine pituitæ, qui, ut dixi, respectu imaginationis intensior est quàm naturalis, ità ut cum eo imaginatio depravatè operetur, non autem memoria & ratio, ut paulò infrà dicemus, quia hæ majorem calorem requirunt ut depravatè operentur, ac proindè solùm eorum actio est diminuta in lethargicis, ratione humiditatis, ut *ex superiori cap.* constat, ac proindè idem humor ratione diversarum qualitatum causat somnum & delirium, licèt non tam intensum delirium, sicut in phreniticis qui acriori & intensiori calore laborant.

Adverte quod licèt humiditas sit major absolutè in lethargicis quàm calor, nihilominùs non potest humiditas impedire actionem depravatã imaginationis, nepotè illo calor respectu imaginationis est intensior & præternaturam sufficiens ad delirium; at verò respectu rationis & memoriæ, cũ insufficiente intensione ut depravatè operetur, & sic hæ potentiæ læduntur ab humiditate pituitæ quæ in eis diminutionem causat, & non depravationẽ. Ex quo liberatur P. Garcia à quadam calumnia & contradictione in hac disputatione ubi asserit potentiorem

Secundò argumẽtor contra istam sententiã, quia licèt non detur in nostro corpore humor sinceros, & ad caput ascendat aliqua portio bilis, potest tamen non putrefieri bilis, & putrefieri pituita. Et confirmatur quia Gal. concedit tertianam exquisitam quæ ex putredine solius bilis fit, etiamsi in corpore hanc permixtionem humorum concedat: ergo similiter poterit dari lethargus exquisitus ex sola putredine pituitæ: nam aliàs si etiam bilis putrefiat, erit lethargus nothus.

Constat jam ex hac quæstione solam imaginationem in lethargicis depravatè operari ob rationem *suprà* tactam, restat jam satisfacere argumentis.

Ad primum respondeo lethargum sufficienter distingui à phrenitide per somnum profundum, licèt cum eo conveniat in febre continua & delirio perpetuo. Præterquam quod in modo delirij etiam differunt, quia in lethargo est mitius.

Ad secundum jam constat posse compati cum somno profundo delirium duplici modo assignato *suprà*.

esse humiditatē ad somnū quàm calorem lethargicorū ad vigiliā, certè nihil sequitur contra P. Garc. quia delirium quod fatetur esse in lethargo, solum est vel dispositio ad delirandum, vel delirii, quod compatitur cum ipso somno, quia scilicet potentia interna non omninò cessant ab actione, ac proindè si aliquo modo licèt remissè operantur, depravatè debet operari saltim imaginatio.

Symptomata quæ in typhomania reperiuntur, sunt similia per participationē lethargo & phrenitidi: ergo & morbus est aggregatum & non unum, per participationē tamen cum dictis affectibus.



DISPVTATIO XI.

De Typhomania sive vigili comate.

CAPVT PRIMVM.

Quare ità dicatur, & quis affectus sit.



TYPHOMANIA seu vigil coma dicitur, quia in ipsâ duplex contrarium symptoma invenitur, somnus scilicet & vigilia: itaque patiens levitet in somnum deducitur, & statim ad vigiliam retrogreditur, ità ut neque perfectè dormire, neque vigilare valeat.

Sed dubium in præsenti est, an typhomania sit media affectio inter lethargum & phrenitidem per abnegationem extremorum, vel per participationem: circa quod ex Gal. habemus typhomaniam esse medium affectum per participationem extremorum, ità ut participet naturam phrenitidis & lethargi, taliter ut ex utroque non unus per se morbus resultet; sed potiùs aggregatum quoddam ex duplici morbo. Et probatur ratione, quia causatur à duplici causâ realiter distinctâ, bile scilicet & pituitâ; ergo non est unus morbus: siquidem ex parte causæ est una temperies conducens pro somno distinctâ ab alia quæ simul invenitur conducere pro vigilia, ac proindè cùm sit duplex distemperies, etiam erit duplex morbus, ut colligitur ex contrariis symptomatibus; non ergo est una affectio per se, sed potiùs quædam morborum collectio.

Sed dices cum Gentili, quia ex somno & vigilia simul, non potest resultare hæc affectio, probatur, quia somnus est privatio vigiliæ: sed privatio & habitus non compatiuntur; ergo neque somnus & vigilia.

Respondetur primò in communi sententia, scilicet quod in typhomania non dicitur esse per participationem, ex eo quod simul formaliter sit somnus & vigilia, sed ex eo qood vicissim talia symptomata contingant: nam quandoque in vigili comate dormit, quandoque vigilat ægrotus; quapropter utrumque symptoma hæc affectio participare dicitur.

Vel si mavis secundò respondeti potest, somnum & vigiliam in vigili comate simul adesse, taliter qnod ægrotus remissè vigilet, & remissè dormit, veluti dum sanus in somnum incidit, non tamen somnus ipsum totaliter invadit. Et ratio hujus possibilitatis est, quia habitus & privatio in gradibus remissis optimè compatiuntur; sicut enim habitus habet gradus positivos, ità privatio illos privativos habet; quasi diceremus, totalis privatio vigiliæ, vel alterius habitus, & ipse habitus non compatiuntur, verùm privatio gradus intensioris & gradus remissus ipsius habitus compatiuntur maximè, sicut lumen remissum cum privatione majoris luminis compati experimur, sic typhomania habet simul remissam vigiliam & privationem intensionis, scilicet somnum in gradu compatibili. Verùm aliquando cùm causa pro somno augeatur vigilia omnimodè vincitur, & cùm deindè causa pro vigilia intendatur, totaliter vigilat: deindè dum pariter existunt causæ, dormit & vigilat simul. Undè constat quænam sit essentia hujus morbi: nam si phrenitis & lethargus sunt morbi temperamenti cum humoribus absque vero humore, aut inflammatione, similiter typhomania erit composita distemperies, cum duplici humore putrescente, ac proindè ex distemperie phrenitidis & lethargi fit.

CAPUT II.

Quæ sint causa typhomaniæ, & quæ symptomata pathognomonica.

EX *superiori capite* constat pituitam & bilem esse causam typhomaniæ; quippè quod isti humores lethargum & phrenitidem causare valent, & typhomania affectio media est per participationem utriusque, ut *suprà* etiam probavimus.

Cum hoc tamen constat has non esse perpetuas causas typhomaniæ, licèt frequentiores sint. Id patet ex Avicen. asserente posse vigil coma fieri ex sanguine & pituita permixtis, *fen* 1. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. quod difficile non est, cùm ex pituita lethargum, & ex sanguine phrenitidem possit fieri, ut ex superioribus disputationibus constat. Galen. verò *lib.* 1. *prorrh. comment.* 1. ex sanguine & bile hanc affectionem oriri docet, taliter quod phrenitis à bile, & lethargus à sanguine nimio originetur ratione humiditatis ejus.

Sed objicies, quia si talis affectus medius potest fieri ex sanguine, etiam lethargus potest fieri ex sanguine: Probatur consequentia, quia fit typhomania à sanguine secundum eam partem quâ lethargi essentiam participat: ergo si in typhomania pars participans essentiam lethargi fit ex sanguine, etiam lethargus absolutè potest fieri à sanguine; & forsan meliùs cùm humiditas sanguinis à siccitate bilis non refrangeretur.

Respondetur non valere consequentiam, potest sanguis causare lethargum quasi participatum, & non simpliciter tale; ergo valet causare lethargum simpliciter, & non participatum; non enim valet, quia ad simplicem lethargum non sufficit somnus qui in vigili comate reperitur, quia in lethargo debet esse necessariò profundus, qui à sanguine causari nequit.

Sed inquires quomodò vicissim valeant talia symptomata contingere in vigili comate. Ad quod dicût aliqui morbos à quibus depédent vel nascuntur non contrariari; undè non est mirum qnod symptomata vicissim eveniát &

& simul inveniantur : dicunt enim lethargum esse morbum in compositione, quia vi obstructionis spiritus non communicantur ad vigiliam necessarij, phrenitidem verò esse morbum in distemperie, qui morbi inter se non opponuntur, & ità eorum symptomata vicissim & simul existere possunt.

Sed hæc sententia falsa est, cùm *suprà* probavimus lethargi essentiam essentialiter in distemperie, & non in compositione consistere. Undè etiamsi tales morbi in distemperie consistant, ut nos fatemur, non sequitur contrariari, cum eorum symptomata in gradibus remissis non contrarientur.

Nos tamen dicimus tales morbos in eadem parte exquisita adesse posse, cùm unus correspondens lethargo ab humiditate causetur, alter à calore, & sic ipsorum symptomata modo *suprà* dicto compati judicamus.

Nota tamen quod qualitates istæ quamquam in gradibus intensis compatiantur, cùm non sint ejusdem contrarietatis, tamen quantum ad suos effectus secundarios, scilicet somnum & vigiliam, in gradibus intensis non compatiuntur; fit enim quandoque mutuus excessus unius, vel alterius, quatenùs humor diversus ad cerebrum vel præcisè per immutationem qualitatum.

Advertere tamen oportet quod si ad naturam & symptomata hujus affectûs attẽdamus, à solo sanguine causari potest calido & humido, ità ut ratione putredinis tantùm subeat calorem ut delirium excitet & vigiliam; auctâ tamen humiditate obscuretur vigilia, & fiat affectio media; tamen in hac re dicere etiam possumus typhomaniam duplicem causam connotare essentialiter, utrumque enim est probabile, & sic inclina ad partem quam malueris.

Ex dictis patet somnum & vigiliam esse symptomata hujus affectus, nunc dubitatur an febris continua etiam sit necessaria; & dupliciter inquiritur primò an possint dari prædicta symptomata sine febre? Ad quod dico optimè posse causari à qualitatibus, naturalibus humorum, tamen talis affectio non erit typhomania. Et probatur quia hæc est affectio media inter lethargum & phrenitidem; cùm verò in his necessariò febris reperiatur, & putridus humor essentialiter connotetur, indè est quod vigil coma ad hoc ut sit particeps utriusque affectus, humorem putridum, & consequenter febrem continuam habere debet.

Secundò inquiritur an possit dari prædictus affectus qui jure typhomania sit, sine febre continua. Cui quæsito satisfacit ratio nuper data probans non dari sine febre continua.

Ultimò in hoc capite verti solet in dubium, an typhomania sit periculosior lethargo, & videtur quod sic, quia pituita ratione bilis permixtæ, magis penetrat substantiam cerebri: Nos tamen dicimus oppositum, quia non est necessum in phrenitide, neque in lethargo pituitam, neque bilem substantiam cerebri penetrare: ergo neque in typhomania.



DISPVTATIO XII.

De Caro.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Carus, & in quo differat ab aliis affectionibus soporosis.



ARUS verus sic definitur vel describitur, *Est somnus profundus sine febre & sine læsione respirationis, causâ afficiente anteriores cerebri ventriculos, cum resolutione imaginationis.* Hæc definitio data est per diversa symptomata quibus carus ab aliis affectionibus discrepat: nam differt à lethargo, quia in caro somnus est magis profundus, ità ut eo laborantes licèt pungantur, neque loquantur, neque oculos aperiant, etiamsi aliquantulum sentiant: differunt etiam quia in lethargo semper adest febris continua, eam enim exigit essentialiter, & in caro si aliquando est febris, non quia per se requiratur ad talem affectum, sed ex accidenti.

Sed videtur quod carus essentialiter requirat febrem continuam, ex Paulo *lib. 3. cap. 9.* dum ait, *Quod carum febris semper præcedit, lethargum sequitur*: ergo.

Respondetur ibi non locutum fuisse de caro secundum se, sed de illo quod advenit post febrium vigores, ad quem febris antecedit: hoc tamen est per accidens, & non ratione cari: nam in quolibet caro hoc reperitur, at verò lethargus antecedit febrem, quia est causa illius, utpotè materia putrida & calida distemperies præcedunt, etsi febris facta reperiatur, ab ipso lethargo conservatur, quia illam exposcit essentialiter.

Inter symptomata quæ in definitione cari reperiuntur & explicantur, ponitur illæsa respiratio, quod an verum sit, non caret difficultate: nam aliqui dicunt in caro nullo modo lædi, quod probant ex Gal. 4. *de locis c. 2.* & ex Avicen. *cap. de subeth.* Et ratione probant, quia si in hoc affectu esset læsa respiratio non esset cur distingueretur ab apoplexia, quia in utroque affectu est defectus sensûs, & motûs: ergo solùm per respirationem differunt: atqui in apoplexia maximè læditur, ergo in caro non læditur; nam aliàs non differret ab apoplexia.

Alij oppositum asserunt, quod habent ex Gal. 5. *de locis*, *cap.* 2. & probant ratione, quia læso principio operationis, & operatio læditur: sed in caro est læsum principium respirationis, videlicet cerebrum, ergo & ipsa respiratio debet lædi necessariò.

Ad hoc respondet Vallesius, in caro respirationem non lædi, quia non adest obstructio in substantia cerebri, sed solùm in ventriculis anterioribus ejus. At verò in apoplexia

oppositum

oppositum contingit, quia obstructio in ipsa cerebri substantia persistit. Sed hæc ratio est infirma, quia non est necessarium quod spiritus priùs communicentur substantiæ, cerebri quàm thoraci: sed immediatè possunt mitti spinali medullæ ad thoracem, ac proindè nihil impedit obstructio substantiæ cerebri, ad hoc ut communicetur virtus ad motum thoracis requisitum ad respirationem.

Alij autem dixerunt ex eo non contingere læsionem respirationis in caro, quia in eo solùm afficitur anterior ventriculus à quo vis sentiendi communicatur: at in apoplexia etiam posterior pars cerebri obstruitur à qua communicatur vis movendi quâ deficiente thorax non potest expeditè moveri: & sic in apoplexia quia hæc virtus non communicatur, est læsa respiratio, in caro autem, non quia posterior pars cerebri illæsa manet, & sic thoraci virtus ad motum potest communicari. Sed hæc evasio omninò falsa est, quia secundum Galenum in epilepsia omnes ventriculi cerebri patiuntur, & tamen in ea non est læsa respiratio, ergo non ex eo quod in apoplexia ventriculi posteriores patiantur, respiratio læditur.

Nos autem affirmamus in caro non omninò manere illæsam respirationem. Et probatur quia somnus cari est profundior quàm naturalis, & tamen in somno inteoso naturali læditur aliquo modo respiratio, ut experientiâ constat: ergo multò meliùs in caro qui somnum profundum & præternaturam conjunctum habet. Et confirmatur, quia in caro procedente ex nimia consumptione spirituum, necessariò læditur respiratio, cùm usus regenerandi eos sit auctus, & facultas debilis; ergo carus aliquam læsionem in respiratione dicit.

Ex quo patet quo modo sit interpretandus Galen. nam dum læsionem negat, loquitur non absolutè, sed comparatione factâ ad apoplexiam, quia in ista adeò est magna, ut ægroti suffocati pereant; at in caro hoc nullo modo valet contingere, & sic respectivè debet intelligi illa particula definitionis, in qua dicimus *sine læsione respirationis*, id est non est illa quæ in apoplexia invenitur: dum verò asserunt Autores læsionem reperiri in caro, debent intelligi de remissa comparativè ad apoplexiam.

CAPUT II.

Quæ sit pars affecta in Caro, & quæ actiones in ipso læsæ patiantur.

Ex læsione actionum quæ in caro experimur, planè cognoscimus partem affectam in eo esse cerebrum; & cum actiones partis anterioris cerebri magis lædantur, facilè colligimus partem cerebri anteriorem, præcipuè in hoc affectu pati. Et probatur, quia in caro visus & auditus magis læduntur, & sensibilius: sed virtus ad operandum tales sensus, mittitur à ventriculis anterioribus: ergo pars anterior præcipuè in caro patitur. Et confirmatur, quia si esset in caro pars posterior cerebri magis affecta, esset major læsio in sensu & motu, sed contrarium experimur: ergo.

Secundò quia imaginatio secundum communem sententiam, magis viget in parte anteriori: sed in caro magis læsa apparet imaginatio: ergo ex eo est quia pars anterior cerebri magis patitur. Ex dictis infertur imaginationem in hoc affectu auferri totaliter circa objecta communia, non tamen circa objecta efficaciora, quia hæc saltim remissè sentiuntur: patet quia est respiratio, licèt aliquo modo læsa, ut *cap. præcedenti* diximus; sed quomodolibet sit respirato, nequit fieri sine sensu tactûs: ergo in caro debet esse sensatio & imaginatio illius, saltim remissa licèt objectorum quæ communia sunt, & quæ extra offeruntur nulla sit imaginatio, sed potiùs ablata remaneat.

Circa secundum quod inquirit quæstio, quæ scilicet actiones lædantur in caro. Et prima sententia Avicen. & aliorum asserentium primariò affici anteriorem cerebri partem, ac proindè primariò imaginatio læditur, cæteræ verò facultates quæ in reliquo cerebri resident per consensum tantùm cum imaginatione læduntur; quod probant primò ex Gal. *lib. 4. de locis cap. 2.* ubi dicit, *Cùm tota cerebri anterior pars patitur, supremum ventrem consistere necesse est.* Sed totalis consensus solùm potest haberi respectu facultatis ibi existentia quæ mens à Gal. nuncupatur: ergo patiuntur cæteræ per consensum. Et ratione probatur, quia aliæ potentiæ recipiunt species ab imaginatione: ergo si hæc læditur, aliæ etiam debent lædi per consensum & dependentiam quam habent ab imaginatione, quatenùs in illas mittit species.

Ulteriùs quia partes mediæ & posteriores cerebri recipiunt spiritus ab anterioribus ventriculis, ut constat ex Gal. & aliis, ergo si tales spiritus non communicantur ratione obstructionis, patiuntur aliæ per consensum quando non recipiunt quod recipere debebant qui est modus sympathiæ assignatus.

Sed licèt prima ratio posita locum habeat in sententia asserente alias potentias species non conservare, & ità eas ab imaginatione mendicare, tamen respectu memoriæ non valet argumentum, quia ista servat species in absentia objectorum; ergo non læditur per consensum, quia ipsas ab imaginatione non recipiat, quia poterit operari cum illis quas habet. Deindè contra secundam rationem argumentor, quia etiamsi verum est quod partes posteriores recipiant ab anterioribus, potest contingere quod in istis posterioribus sit sufficiens quantitas spirituum ad operandum, ergo in hoc casu non dabitur læsio in aliis potentiis, ratione tolerantiæ spirituum. Antecedens probatur, quia spiritus generantur per coctionã quæ eadem est & forsan intensior in parte posteriori; ergo non est necessum quod priùs alteretur materia in prioribus ventriculis; siquidem agens valens producere gradus intensiores valet ad remissos producendos in materia aërea quæ per arterias defertur ad cerebrum, & ex vaporibus sanguinis,

& denique ex spiritibus vitalibus animales fiunt; ergo defectu spirituum communicantium à parte anteriori ad partem posteriorem, non potest dari talis consensus.

Ad autoritatem Galeni in qua videtur affirmare dari talem consensum, respondeo quod in illo loco aliter debet intelligi, ac à Contrariis interpretatur, scilicet quod eum in cato tota anterior pars patiatur, & sub tota anteriori parte medius ventriculus comprehendatur, inde dicit hunc ventriculum consentire, idest simul pati, vel sentire damnum.

Nos tamen dicimus non solùm anteriorem partem cerebri pati per propriam passionem, verùm etiam posteriorem; magis verò anteriorem. Quæ sententia est expressa Galen. *loco citato* ubi dicit. *Et in caro quidem anterior pars magis, in apoplexia & morbo comitiali utraque pars afficitur:* Ergo si dicit quod in caro anterior pars magis patitur, consonum est posteriorem partem etiam aliquo modo pati; quod tamen hoc non sit per propriam passionem non potest probari; & quod sic contingat patet à posteriori: siquidem omnes actiones internas & externas ferè ablatas experimur: undè deduco carum differre ab apoplexia, quia in ista est major obstructio quàm in illo; differt etiam ab epilepsia, quia in hac est humor taliter irritans ad expulsionem, ut fiant motus convulsivi.

Sed inquires quo symptomate deprehendatur in caro esse majorem læsionem in parte anteriori, cùm omnes actiones ablatæ videantur.

Respondetur ex eo quod actiones quæ dependent à virtute remissa per nervos ortum habentes, in anteriori parte lædantur magis, ut visus & auditus, non tamen adeò sicut isti sensus, læditur motus, qui à posteriori parte originem ducit, unde etiam fit quod quando dicimus in caro esse carentiam sensûs & motûs, non debet intelligi toto rigore sermonis: nam in apoplexia est major privatio, & tamen non omninò deficit sensus & motus, sed in ea sunt remissè; ergo in caro non est omnimoda privatio, licèt remissè inveniantur.

CAPUT III.

De differentiis Cari, & morbo cujuslibet.

CUM Carus plures habeat causas, tot erunt differentiæ quot causæ à quibus fieri possit. Primò ergo carus causari potest à frigore intenso, vel humiditate ex eo quod hæ qualitates soporem inducant, rationéque eorum insensibilitas & immobilitas in partibus sequitur, inter eas autem primum locum habet frigiditas, ut constat ex *capit. de dolore stupido*, & *capit. de somno præternaturali.* Unde hæc prima species cari in morbo distemperiei consistit, non enim est necessarium, quod simul cum distemperie constituat frigiditas morbum instrumentalem, vel in cavitate viciata, ex eo quod non tantùm frigefaciat, verùm etiam comprimat substantiam cerebri.

Secunda differentia seu species cari est quando oritur à crassis frigidis & viscosis humoribus & à sanguine, vel ejus vaporibus obstruentibus vias cerebri per quas influxus communicatur; impeditâ autem communicatione influxûs ad sensum & motum, somnus profundus qui carus dicitur, causatur, sine febre, &c.

Tertia differentia est quando fit ex cerebri aut ventriculorum ejus compressione, & tunc certum est esse morbum instrumentalem in cavitate viciata, & mala conformatione.

Sed posset quis dubitare, quomodò ex compressione cerebri aut ventriculorum, hoc est ex mala ejus conformatione carus causetur. Cui satisfacit Vallesius dicendo quod inter cerebrum & duram meningem est quoddam spatium per quod dilatatur, & comprimitur ad expellendas fuligines, & ad attrahendum aërem ne suffocetur calor: cùm verò vi compressionis tale spatium non relinquatur, spiritus in cerebro suffocentur, & ipsius operâ non eliciuntur, ut contingit in corde, si impediatur dilatatio & compressio.

Sed licèt hæc solutio non præter rationem appareat, faciliùs respondebitur, si dicamus per compressionem partes cerebri condensari, condensationémque esse indispositionem, quominùs à cerebri forma dimanet qualitas secunda quæ in omnes partes ad operationes mittitur, & cum qua in omnia animalia officia influit; itaque factâ compressione carus subsequitur; non enim semper densitas juvat ad operandum, quia hoc solùm habet locum respectu virtutis formalis, non tamen respectu illius quæ debet dimanare à forma. Quod si etiam affirmes ventriculos necessariò pertingere debere ad carum causandum, nullus oppositum suadebit, neque ratione, neque experimento.

Quarta & ultima differentia est quando carus contingit ex nimia spirituum resolutione facta ab aliquo ingenti dolore, in quacumque parte sit & molestet.

Sed dubium est quomodò ratione doloris corrumpantur spiritus. Et ratio dubitandi est, quia in dolore solùm reperitur immutatio realis, immutatio intentionalis, cognitio objecti molestantis, & tandem fuga appetitus, circa tale objectum: sed nullus ex his potest producere dispositionem oppositam formæ spirituum & ei incompossibilem: ergo ratione doloris ingentis corruptio spirituum non videtur possibilis.

Sed omissis aliis respondendi modis, dicimus spiritus corrumpi ex eo quod in dolore natura magna vi & impetu movet spiritus & sanguinem ad succurrendam partem affectam, quo motu cùm spiritus nimis confricentur, & incalescant, plurimùm attenuantur & rarefiunt, sicque evolant & corrumpuntur à nimio calore cum intensa raritate, ex eo quod ad suam formam petant de-

terminatum modum substantiæ, & non tantam raritatem; undè eadem currit ratio de spiritu animali & de vitali, cùm uterque agitetur & moveatur ratione doloris, vel quia deficientibus vitalibus, solùm deficit materia, ex qua animales generantur, ac proindè defectu omnium evenit carus.

Sed dices, quia spiritus habent in febri ardente majorem calorem, & tamen in ea non adest carus; ergo non resolvuntur ob rationem assignatam: nam aliàs in febri ardenti ob eandem rationem erit carus.

Respondetur non solùm à calore resolvi, sed ex peculiari dispositione ex parte passi, scilicet spirituum, quæ non semper reperitur, & sic in febri ardente licèt calor sufficiens reperiatur ad resolutionem nimiam spirituum, tamen quia ex parte eorum est indispositio, ideò non fit eorum resolutio nimia, ac proindè non fit carus; multoties enim à minori calore cum dispositione ex parte spirituum fit major resolutio quæ sufficit ad carum. Unde tale symptoma cari quando fit propter dolorem, est symptoma in excretis præternaturam, proceditque ex morbo mediante dolore, tum quia in cerebro est talis morbus per consensum cum parte dolente defectu requisiti, scilicet spirituum, est etiam morbus frigidus consequutus ad spirituum resolutionem: itaque tunc carus non est unus simplex morbus, neque in tali caso carus & somnus à frigore causatur, sed præcisè per defectum spirituum; frigiditas autem quæ subsequitur ad talem defectum, per accidens se habet ad somnum & ad cari essentiam.

CAPUT IV.

Quis cerebri ventriculus sit perfectior.

RATIONE videtur probari medium ventriculum cerebri esse perfectiorem quæ sic se habet: nam illa pars est perfectior cujus facultas & actio perfectior est, sed in ventriculo medio inest facultas quæ dicitur ratio, vel ad minus in eo magis viget: ergo ex eo est quia perfectior ventriculus est.

Vera tamen est sententia Galen. asserentis partem seu ventriculum posteriorem cerebri esse perfectiorem; constat autem hæc veritas ex Gal. testimonio *lib. 3. de locis, cap. 7.* ubi dicit, *Ac primum ipsius instrumentum tum in sensibilibus actionibus omnibus, tum in his, quæ à consilio & voluntate prodeunt, spiritum esse qui in ipsius ventriculis, maximéque in postremo continetur: quamvis non contemnendus sit medius ventriculus.* Quam sententiam amplectuntur Vallesius & Vega. Sed dubium est in reddenda ratione ob quam ventriculus posterior sit perfectior: nam alij dicunt ideò esse perfectiorem, quia vulnere existente in illo, major noxa sequitur viventi: sed ex hoc tantùm colligitur magis eo indigere vivens quàm perfectiorem esse: constat enim quamplurima imperfectiora esse & per ejus defectum maxima noxa viventi sequitur, ut patet in sensu tactûs qui imperfectior omnibus, & tamen maximè necessarius ad respirationem & ad alia opera viventis.

Sed dicet quis adhuc hanc doctrinam non convenire cum his quæ dicit Avicen. scilicet *Deteriorem esse scissionem quæ fit in parte medij ventriculi quàm postremi*, sed respondetur, nam quando ait Avicen. deteriorem esse scissionem, intelligit in ordine ad durationem, quia difficiliùs sanatur, quando autem dicit, Galen. deteriorem esse vulnus in posteriori, intelligit in ordine ad noxam non in ordine ad durationem: nam cùm substantia ventriculi posterioris sit magis solida, & densa quàm ventriculi medij, hinc est quod paratior sit hic ad recipiendam fluxionem quàm ille. Quod autem major noxa sequatur ex affectione ventriculi posterioris patet: nam ab eo communicatur virtus musculis deservientibus thoracis motui ad respirationem necessarij.

Circa hanc rem Vallesius fatetur se non invenisse rationem quare Gal. hoc affirmasset: nam non ex ratione curativa; siquidem affecto cerebro semper remedia applicantur anteriori parti. Neque potest colligi ex virtute quæ communicatur à diversis partibus cerebri; nam plurimi nervi maximo sensu præditi oriuntur à parte anteriori. Neque potest colligi ex eo quod sit ventriculus posterior in magis recondito loco; natura enim ea quæ perfectiora sunt magis occultat, ut liberentur à molestiis: sed neque meo judicio, hæc ratio valet, quia experientia conspicimus plures partes ignobilissimas esse in magis recondito loco ob peculiares ejus usus.

Sed ex Galeni sententia nulla apparet ratio nisi sequens, quia juxta ipsius sententiam, ventriculi ampliores sunt imperfectiores, quia alimentum priùs conficiunt, & magis imperfectum eum recipiunt, ut constat in ventriculo respectu jecoris, & vasorum magnorum; siquidem ille imperfectior istis est; sed aër inspiratus per nares ex quo spiritus animales generantur, priùs recipitur in anterioribus ventriculis, deindè in medio, & tandem in posteriori: ergo priores sunt imperfectiores, quia ampliores sunt, utpotè recipiunt alimentum magis materiale & prius, sicut contingit in ventriculo respectu jecoris & vasorum.

Sed dices diversam esse rationem: nam ventriculus imperfectior est jecore, quia substantiam imperfectiorem producit, non quia amplior sit & prius, & magis materiale recipiat alimentum.

Respondetur in coctione etiam esse gradus intensiores, & remissiores, & cùm in posteriori ventriculo fit consummata coctio, & intensior quàm in prioribus, inde est quod dicatur perfectior, etiam quia attingit gradum intensiorem & perfectiorem coctionis.

Undè ad rationem contra nos primò positam dicimus, non esse omninò certum rationem esse in ventriculo medio, & licèt id concedamus,

concedamus, non est etiam certum rationem esse perfectiorem memoriâ, quæ magis viget in posteriori parte, ut constat ex S. Thoma concedente modum operandi discursivum memoriæ: tum etiam quia in brutis sunt tot ventriculi cerebri, & imus perfectior alio, & tamen in eis non est ratio ob quam perfectio alicui posset attribui.

Sed tota hæc doctrina potest interpretari, dicendo quod dignitas & perfectio, aut sumitur ex præstantia actionum, & hoc modo ventriculus medius est perfectior, quia in eo magis viget ratio: vel sumitur perfectio ex usu ad vitam necessario,& hoc modo ventriculus posterior est perfectior, quia ab eo communicatur virtus ad motum respirationis adeò necessarij pro vita.



DISPVTATIO XIII.

De Catoche, & Catalepsi.

CAPUT PRIMUM.

Quid Catochus & Catalepsis.



Licet ex locis Autorum cognoscatur variatio quæ fuit inter eos circa distinctionem catochi & catalepsis; tamen jam commune inter omnes Medicos hujus temporis est catochum & catalepsim unam simplicem affectionem esse, quæ sic definiri potest, *Est morbus secundum partem posteriorem cerebri magis, in quo palpebra oculorum manent aperta, & totum corpus rigidum sine respirandi difficultate, sine febre.*

Sed dubium est an hujusmodi affectio consistat in distemperie frigida & sicca cum humore, ità ut ratione ipsius distemperiei causentur dicta symptomata, an verò talis affectio causetur vi humoris frigidi & sicci, non præcisè ratione distemperiei, sed ratione vaporum crassorum obstruentis & distendentis venas & arterias membranarum cerebri, ratione cujus distensionis totum corpus rigidum & tensum, convulsúmque appareat, affectis etiam & obstructis ventriculis cerebri.

Circa quod imprimis dicendum nobis est catochum non consistere in distemperie cum materia præcisè ratione distemperiei, ità ut constituat morbum in temperamento frigido & sicco, licèt ab humore frigido & sicco, melancholico scilicet frequenter causetur.

Et ratione probatur: nam unum ex symptomatibus catochi somnus profundus est, sed iste non potest causari à frigiditate & siccitate humoris melancholici. Ergo. Minor probatur quia licèt frigiditas conducat ad somnum, tamen siccitas humoris melancholici potentior & fortior est ad inducendam vigiliam: ergo in catoche prædictum symptoma non potest causari à frigiditate & siccitate humoris melancholici, præcipuè in sententia asserentium lethargum ab illo non posse causari attentis primis qualitatibus; nam ratione obstructionis non erat extra rationem dicere somnum profundum ab eo causari,licèt hoc modo etiam lethargum non constituat, ut superioribus capitibus dictum habemus.

Dicimus secundò obstructionem constituentem catochum non debere esse præcipuè in ventriculis cerebri; sed ex eo quod humor repleat vasa & arterias existentes in membranis, vel meningibus cerebri, eásque distendat, talis affectio constituitur. Probatur, quia unû ex symptomatibus pathognomonicis est quod totum corpus tensum, convulsum, rigidúmque appareat: sed hoc non potest contingere solùm per obstructionem ventriculorum cerebri: nam major obstructio ventriculorum est in apoplexia, & tamen hujusmodi symptoma minimè invenitur: ergo non ratione obstructionis ventriculorum, sed ratione humoris replentis prædicta vasa tensio in toto corpore invenitur, ac proindè in prædicta repletione & obstructione vasorum, & non in ventriculorum obstructione præcipuè contingit, licèt etiam requiratur obstructio, in ventriculis cerebri, ut paulò post dicemus.

Neque valet dicere tensionem dictam posse causari à siccitate humoris melancholici, & sic sufficere obstructionem in ventriculis, quia jam probatum est catochum non consistere in distemperie, sed potiùs esse morbum instrumentalem in cavitate vitiata.

Dices: si in catoche solùm hujusmodi vasa sunt repleta & distenta, ergo non erit in eo defectus sensûs & motûs. Patet: nam neque substantia cerebri, neque organa sensuum, neque ventriculi sunt vitiati: ergo cùm virtus à substantia cerebri communicetur,neque aliquid istorum deficiet, ex repletione illorum vasorum videtur manifestè,neque actiones sensuum internorum, neque virtutem ad sensum & motum deficere, quod symptoma hujus affectionis est.

Respondetur ex illa vasorum repletione ventriculos cerebri etiam affici; nam cùm vasa tensionem patiantur, etiam ventriculi comprimuntur & fiunt angustiores, destituuntúrque spiritu animali, & sic est privatio sensûs & motûs, estque morbus instrumentalis in cavitate vitiata.

Undè colligitur quod licèt unum ex symptomatibus catochi sit convulsio, saltim per consensum nervorum & musculorum cum vasis qui per se tensionem patiuntur, tamen catochus non dicitur convulsio, neque ejus species, quia præter convulsionem dictam addit hic affectus alia symptomata dicta, quibus à convulsione satis separatur. Unde etiam fit quod quando dixit Gal. catochum à frigiditate & siccitate causari, solum voluit significare humorem à quo frequenter causatur, esse frigidum & siccum, melancholiam, scilicet, non quia in tali distemperie morbum talem constituerit; constat enim non posse in corpore tam intensam esse frigiditatem, ut concretionem, seu congelationem faciat in sanguine, quâ totum corpus rigidum appareat, ac proindè non in

in distemperie, sed in repletione venarum & arteriarum quæ sunt in membranis cerebri præcipuè consistit.

CAPVT II.

Quænam causa sit ex qua fiat.

CONVENIUNT Autores frequenter Catochum fieri à melancholia, quod colligit Gal. ex quodam condiscipulo qui continuis vigiliis, studiis, & lucubrationibus (quæ occasiones sunt quæ valent melancholiæ quantitatem augere) in catochum incidit; idque fatentur omnes Medici antiqui & moderni.

Sed hanc sententiam existimat esse falsam Argenterius, quia si catochus ab humore melancholico fit, sequitur non differre à melancholia morbo, aut saltim omnes melancholici catoche labotant, si fortè catochus ex alio humore causari potest.

Respondeti potest negando sequelam, quia melancholia morbus fit ab eodem humore distemperante & obtenebrante spiritus, catochus verò ab eodem humore ventriculos, vel vasa obstruente, ut diximus, & sic sufficienter separantur, licet fiant ab eodem humore.

Tamen rursùs contrà dices, quia non potest humor melancholicus esse ità ut obstruat ventriculos, vel vasa, quin etiam distemperet, & spiritus obtenebret: ergo non potest fieri catochus quin fiat melancholia morbus, licèt non è contrà, utpotè potest humor esse in parva quantitate quæ sufficiat ad distemperandum & obtenebrandum spiritus, licèt non sufficiat ad obstruendum.

Respondetur quod licèt hoc ipso quod sit humor melancholicus sufficiens ad catochum, vel ad obstructionem, sit etiam sufficiens ad distemperandum, & obtenebrandum, tamen tunc non diceretur melancholia morbus, quia cùm sit humor valens obstruere, sequuntur symptomata causæ potentioris, & sic non sunt accidentia & effectus melancholiæ morbi, sed tantùm catochi, & ità sic solùm dicitur affectus. Præterquam quod potest fieri catochus per consensum ex vapore ascendente ad cerebrum ab aliqua parte cum eo habente communionem, & sic non est dubium quod erit catochus, & non melancholia morbus.

Sed dubitabis an ex alio humore fieri possit præterquam ex melancholia: Et breviter dico etiam posse fieri ex sanguine & ex pituita, quia cùm tensio quæ in catoche invenitur necessariò, non causetur vi alterationis primarum qualitatum, sed vi humoris, vel vaporis replentis vasa membranarum cerebri eaque distendentis parum facit quod sanguis & pituita humiditate sua possint laxare, cùm obstructio à prædictis humoribus causata sit potentior causa, ut totum corpus rigidum & rensum appareat.

Prætereà ratione probatur: nam ex eo ab humore melancholico causatur, quia ipse est valens replere & distendere prædicta vasa, ut tensio in toto sequatur & impeditur communicatio ad sensum & motum eo modo quo diximus, & non alteratione facta à primis qualitatibus, ut suprà probavimus: sed sanguis & pituita, qua humores crassi sunt eodem modo possunt obstruere replereque vasa dicta, ut dicta symptomata sequantur; ergo ab illis non minùs quàm à melancholia catochus potest causari, licèt frequenter à melancholia fiat. Unde colligo catochum mediam affectionem vocari inter lethargum & phrenitidem, non quia participet naturam utriusque humoris à quo prædicti affectus fiunt; sed quia catochus habet accidentia, quibus videtur convenire cum lethargo & phrenitide: nam cùm habeant oculos apertos, videntur vigilare, in quo convenit, vel videtur convenire cum phrenitide, in quantum verò immobiles & insensiles, videntur dormire; in quo convenit cum lethargo.

CAPUT III.

Quæ sit pars affecta, & quæ symptomata.

PRIMO certum est in hoc dubio cerebrum esse partem affectam ut ex symptomatibus catochi constat; quæ tamen pars cerebri afficiatur scire oportet: & dictum est utramque partem cerebri pati, anteriorem & posteriorem; nam experimur actiones quæ à nervis anterioris partis dependent, vitiati, ut sunt visus & auditus; posterior pars magis patitur in hoc affectu, cùm præcipua læsio in privatione sensûs & motûs consistat; constat autem virtutem ad sensum & motum à posteriori parte cerebri communicari; ergo si deficit in hoc affectu, ex eo est quia magis patitur pars posterior.

Unum ex symptomatibus, quæ in catoche reperiuntur, est quod æger habeat oculos apertos. Circa quod sententia fuit aliquorum non esse necessarium semper esse apertos, sed quod æger perseveret eodem modo quo illos habet, dum catoche corripitur, ità ut si eos habet apertos maneant aperti, etsi eos habeat clausos, maneant clausi. Nos tamen dicimus necessariò oculos in tali affectu debere esse apertos, ex eo quod ratione humoris replentis venas & atterias, membranas cerebri & ejus substantiam, cum quibus musculi oculorum consentiunt, fit quædam contractio in prædictis oculorum musculis, & sic aperti manent necessariò.

Aliud symptoma est quod in hoc affectu non sit læsio in respiratione quod debet intelligi respectivè ad apoplexiam, sicut diximus de Caro *disput. precedenti.* Deindè dicimus non requiri febrem ad catochum quantum ex vi hujus affectus, non quia repugnet febrem complicari cum eo, utpotè non implicat humorem causantem catochum putrefieri,

ri, & sic erit febris complicata cum ea, non quia ad naturam prædicti affectus præcequiratur.

Sed dubium est quæ actiones lædantur in hoc affectu: circa quod communis sententia est, omnes potentias internas ablationem in suis actionibus pati demptâ solâ memoriâ, quæ diminutionem patitur.

Hanc sententiam non ratione, sed autoritatibus Gal. probant, verùm contra illam proponimus primam conclusionem quæ sic se habet. Si cæteræ potentiæ patiuntur ablationem, etiam memoria patitur ablationem. Probatur, quia magis læditur in hac affectione pars posterior cerebri: sed in hac memoria residet vel magis viget; ergo magis debet lædi, ac proindè si aliæ potentiæ ablatæ sunt, potiori ratione memoria.

Dices tunc cerebrum ab homore sicco alterari, scilicet à melancholia, cùm verò siccitas pro memoria conducat, antequàm ista destruatur, aliæ potentiæ perduntur.

Sed contrà est, primò quia *cap. præcedenti* probavimus catochum posse fieri à sanguine & pituita: ergo quod ab his causatur, non tenet argumentum. Deindè quia etiam probavimus hunc morbum esse instrumentalem, frustrà ergo recurrunt Contrarij ad siccitatem, melancholiæ. Tertiò quia etiam in contraria sententia convincit quia sicut melancholia cum siccitate priùs lædet alias potentias, ità cum ratione suæ frigiditatis priùs lædit memoriam, ac proindè si aliæ auferuntur, etiam memoria debet auferri.

Secunda conclusio: In catoche actiones internarum potentiarum non sunt omninò ablatæ. Probatur quia in hoc affectu servatur respiratio: sed hæc supponit actum imaginationis: ergo iste servatur, ac proindè non sunt omninò ablati.

Sit tertia conclusio. Quantum est ex natura istius affectus non repugnat tantùm esse læsionem memoriæ & aliarum potentiarum, ut possint pati ablationem.

Probatur quia si tantùm augeretur læsio, non transiret iste affectus in alium; nam si in aliquem, maximè in apoplexiam: sed non transiret: patet, quia etiamsi actiones essent ablatæ, esset discrimen: nam in catoche esset tensio, & minor difficultas respirandi, in apoplexia verò oppositum contingeret.

Sed dices in apoplexia est major causa læsionis quàm in catoche: ergo si in illa sunt actiones ablatæ, in isto debent esse diminutæ, quia habent minorem læsionem quàm in apoplexia.

Respondetur verum esse majorem ablationem esse in apoplexia quàm in catoche, tamen cum hoc etiam esse verum in utroque affectu actiones dici ablatas medicè, licèt non physicè, hoc est, ità remissè fieri actiones in utroque affectu ut ferè insensibiles fiant; tamen intra hoc genus insensibilitatis, ferè optimè compatitur quod in apoplexia sit adhuc major ablatio, quàm in catoche, licèt adhuc in apoplexia non sint omninò ablatæ, quia in ea servatur aliqua respiratio, quæ actum imaginationis etsi remissum supponit.

Circa læsionem sensuum externorum dicimus quod si catochus sit imperfectus, cùm actiones internæ non lædantur, neque etiam omninò auferuntur externæ, si verò sit perfectus, omnes sensus externi auferuntur, cùm in eo totaliter deficiat influxus.

Sed dices, sequitur, quod in perfecto catoche respiratio omninò auferatur; nam tensio est causa ut musculi aliarum partium, neque contrahi, neque laxari possint: ergo si hoc est commune toti corpori, etiam musculi deservientes thoraci, omninò motu carebunt.

Respondetur quod quando dicimus motum esse ablatum, debet intelligi Medicè loquendo in sensu suprà explicato, scilicet quia ferè in omnibus partibus ità exiguus est, ut ferè non sentiatur: cùm verò in thorace adeò naturaliter urgeat finis, magis debet in eo relucere motus. Undè dicimus catochum esse periculosiorem lethargo, quia in illo magis læduntur potentiæ, licèt in isto pulsus sit inæqualis, hoc tamen procedit ex vitio instrumenti: at in catoche est pulsus æqualis, ratione debilitatis facultatis; quod an sit verum *in libris de pulsibus*, examinandum erit latiùs.



DISPUTATIO XIV.

De Melancholia morbo.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit prædictus affectus.

PRÆSENS affectus sicut & plures denominationem sumit à sua causa, scilicet ab humore melancholico, & definitur, *Est delirium sine febre cum metu & tristitia*, ubi per delirium convenit cum phrenitide, & per illa verba *sine febre*, differt ab eo & ab aliis affectionibus; & tandem per ultima verba *cum metu & tristitia*, differt à mania quæ potiùs est cum audacia & furore, agitatione ac rerum inquisitione. Hunc affectum dixit Gal causari postquam cerebrum æstuationem nimiam, scilicet calore & phrenitide fuit correptum, quod aliqui intelligunt de propria mania quæ ab atra bile generatur, à bile scilicet adusta. Nos tamen aliter intelligimus, scilicet locutum fuisse de propria melancholiæ morbo; siquidem non fuit sufficiens calor in cerebro ad hoc ut intensè humor aduratur pro mania facienda, & sic solum fit melancholia morbus.

Sed nota quod quando in definitione dicimus *sine febre*, non ità debere intelligi ut nunquam possit esse cum illa, utpotè non implicat febrem cum melancholia morbo complicari: dicimus tamen esse sine illa quantum ex vi hujus affectus ad quem illa non requiritur. Ultimò nota hunc affectum causari à propria melancholia nigra, at verò

mania necessariò causatur à bile adusta, ut deinceps patebit.

CAPUT II.

Quis morbus sit melancholia, seu in quo essentialiter consistat.

COMMUNITER ferè omnes asserunt hunc morbum in distemperie consistere; dubium est in qua distemperie consistat. Circa quod aliqui affirmarunt consistere in distemperie calida, & probant quia unum ex symptomatibus ejus est deliriũ: sed hoc nascitur à calore; ergo in calore consistit. Deindè quia, ut *præcedenti capit.* diximus, hic affectus causatur præcedente æstuatione nimia & phrenitide in cerebro: ergo potiùs in calida distemperie quàm frigida consistere debet.

Sed imprimis dicendum est nobis, hujusmodi affectum in calida distemperie non consistere, & probatur; nam si ob aliquid in ea deberet consistere, maximè ob delirium: sed hoc potest etiam causari à siccitate; ergo non ob hoc in calida distemperie debet consistere. Deindè quia quando datur hic morbus per consensum cum hypochondriis, non apparet necessitas ad hoc ut detur talis calida distemperies in cerebro: ergo. Denique quia in præsenti non inquirimus de morbo qui se habet ut causa istius morbi; sed de illo qui se habet ut effectus; parum enim interest quod melancholia à calore causetur, ad hoc ut ista frigida non sit. Cùm verò melancholia multoties causetur, nullâ præcedenti distemperie calida in cerebro, & ipsa secundum suam naturam frigida sit, non est ratio ad asserendum quod in calore consistat hic morbus.

Per consensũ cũ hypochõdriis multoties hic affectus causatur quia ratione flatus aut humoris cõmunicati ab hypochondriis in cerebrũ evenit; nõ est autem necessariũ quod humor, vel flatus sine naturâ calidi.

Alij tamen affirmarunt in distemperie frigida & sicca consistere, non alia ratione nisi sumptâ à sua causa, à melancholia scilicet quæ frigida & sicca ex sua natura est, ac proindè effectus debet sapere naturam causæ. Sed hæc sententia partim est vera, quatenùs affirmat in distemperie sicca consistere, amplectendáque à nobis est, ità ut frigiditas impertinens sit ad talem affectum causandum. Probatur quia delirium solùm potest causari à calore & siccitate: sed *suprà* probavimus calorem non esse necessarium: ergo solum delirium in hoc affectu causatur à siccitate, ac proindè in ea distemperie consistit; frigiditas autem necessaria non videtur, quia ut oppositum probat argumentum cum maxima æstuatione, nimiòque cerebri calore causatur & existit hic affectus; ergo nullo modo consistit in frigore, quandoquidem sine illo reperitur.

Sed inquires an postquam generatus est talis morbus, ipse humor melancholicus cerebrum infrigidet: & Respondeo quod si statim absit agens calorem conservans, à propria forma frigiditas dimanabit, & ipse humor cerebrum infrigidabit; quæ quidem frigiditas semper per accidens se habet ad hunc effectum; siccitas verò est illud per quod essentialiter constituitur. Neque valet dicere quod sequitur omnes laborantes marasmo, etiam melancholiâ morbo affici, siquidem intensissimam habent siccitatem, quia etiam si secundum plures partes ità sit, imò major quàm in melancholia morbo, nihilominùs laborantes marasmo tantam siccitatem in cerebro non habent, sicut qui laborant melancholiâ morbo, ac proindè illi hoc affectu non laborant.

Sed dubitabis, an hujusmodi affectus consistat in distemperie cum materia. Cui Respondet Avicen. optimè in nuda distemperie posse reperiri; Galen. autem & cæteri oppositum affirmant. Nobis tamen dicendum est quod si attendamus ad id quod assiduè evenit, nunquam reperitur sine materia humorali, vel flatuosa: at verò si metaphysicè loquamur, non implicat à nuda distemperie causari; nam si aliquod agens externum applicaretur, & produceret in cerebro tantam siccitatem quanta ab humore producitur, non est dubium quin hujusmodi symptomata propria hujus morbi sequerentur, delirium scilicet & metus & tristitia.

CAPUT III.

An metus & tristitia sint symptomata pathognomonica hujus morbi.

VIDETUR imprimis circa præsens dubium metum & tristitiam non esse symptomata pathognomonica hujus affectus: Et probatur, quia hoc affectu laborantes sæpè per intervalla rident, & lætantur; ergo non sunt signa pathognomonica; nam aliàs semper comitarentur talem morbum.

Sed his non obstantibus dicendum nobis est cum Hippocrat. & Gal. talia esse signa pathognomonica utpotè in omnibus tali affectu laborantibus inveniuntur, & morbus talis ex sua natura sine illis non est. Quod ut eláriùs confirmetur, oportet solvere rationem pro contraria parte; nam ab illa nostræ doctrinæ fundamentum & intelligentia dependet: & quidem Respondeo verum esse tali morbo affectos quandoque ridere & lætari, hoc tamen non tollit quominùs metus & tristitia sint signa pathognomonica ejus: nam ut *suprà* diximus *cap. de Lethargo*, signa essentialia alicujus affectus possunt deficere ratione conjunctionis alicujus causæ potentioris inducentis contrarium symptoma, ac proindè quando melancholici rident & lætantur, est quia vapores sanguinis communicantur cerebro potentiores ad risum & lætitiam causandam quàm melancholici vapores ad metum & tristitiam; non enim potest causari lætitia præcisè per defectum humoris causantem metum & tristitiam; sed requirit necessariò causam positivam, ut sunt vapores sanguinis, ut hujusmodi risus causetur.

Sed inquires an quando accedit sanguis ad cerebrum, ità ut valeat disponere ad risum, auferatur morbus melancholicus? Respondet

pondet Petrus Garcia, quod licèt pluries contingat auferri signa pathognomonica à causa potentiori affectu eodem perseverante cujus signa deficiunt, nihilominùs in præsenti casu deficere morbum melancholicum, ex eo quod risus non potest causari, nisi à morbo intrinsecè afficiente partem ipsam, & sic necessarius est humor pro lætitia intrinsecè afficiens partem, & defectus alterius morbi melancholici. Et ratio est quia si adesset actualiter distemperies illa in qua melãcholia morbus consistit, adesset temperies quæ requiritur ad actionem læsam, scilicet ad tristitiam & timorem, ac proindè hujusmodi symptomata non impedirentur, sed experimur deficere; ergo ex eo est quia deficit talis morbus & actualiter non manet. Dicuntur tamen hi melancholici, ex eo quod in cerebro adsit causa potens causare hunc affectum. Sed mox videri, si huic doctrinæ stemus, meliùs satisfacimus argumento in principio posito, dicendo quod quando est risus & lætitia, non adest actualiter melancholia morbus, & sic nihil mirum quod ejus symptomata non adsint, sed adsint symptomata alterius morbi, vel alterius causæ potentioris ad inducenda diversa & contraria accidentia. Hinc fit quod quando si existente causâ hujus affectus in cerebro, copia sanguinis ad cum deferatur, sequentur accidentia temperiei potentioris vincentis aliam; quod si æqualiter se habeant, neque erit tristitia neque lætitia, sed æger medio modo se habebit.

Sed dubitabis an timor & tristitia sint duæ passiones diversæ. Et dicendum est diversas esse: nam timor versatur circa malum imminens solùm sub ratione futuri imminentis; at tristitia circa malum præsens, futurum & præteritum; hîc autem Galen. non agit de his duobus quatenùs sunt passiones diversæ, sed in quantum utraque ad interna calorem influentem revocat.

CAPUT IV.

Metus & tristitia in melancholicis quâ ratione fiant.

GALENUS *lib.* 3. *de locis affectis*, *c.* 17. affirmat timorem & tristitiam in melãcholia morbo affectis nasci ex eo quod spiritus ratione humoris obtenebrescunt, & amittunt splendorem sibi connaturalem & debitum, ac proindè causare timorem & tristitiam in nobis, non aliter quàm in pueris inducitur timor, ex eo quod sint in loco caliginoso & tenebroso, & in plurimis adductis etiam contingit, nisi audaces & fortes fuerint: ergo similiter color niger melancholiæ poterit obtenebrare spiritus in cerebro, ità ut ratione illius timor, & tristitia in hoc affectu reperiantur.

Deindè alia ratione à contrario desumpta potest hoc placitum confirmari, quia non alia ratione sanguis lætitiam inducit, nisi ob ejus splendorem, ut patet in delirio facto ex sanguine qui cum risu fit, ergo è contrariò ob ablationem splendoris, & obtenebrationem spirituum inducetur tristitia & timor.

Sed hanc opinionem ridet Averroës *lib.* 2. *collect. cap.* 4. & ratione sic in eos arguit, quia nigredo, vel obtenebratio spirituum non potest sentiri, ergo non potest conducere ad timorem & tristitiam. Antecedens probo, quia imprimis non à sensibus externis cùm non videantur ea quæ sunt intra cerebrum, aliàs structura capitis videretur: deindè neque ab aliquo sensu interno sentitur, quia iste nihil potest percipere quod non fuerit cognitum ab aliquo sensu externo, & ex alia parte nigredo non est qualitas activa quæ similem possit producere: ergo obtenebratio spirituum nequit esse causa tristitiæ in hoc affectu.

Et confirmatur quia hic affectus in distemperie consistit à qua talia symptomata necessariò sequuntur: sed color niger non potest corrumpere prædictam temperiem: ergo neque impedire symptomata, quæ ab ea necessariò nascuntur.

Vallesius tamen circa hanc rem affirmat talia symptomata non nasci, propter distemperiem frigidam, & siccam productam ab humore melancholico; nam aliàs senes, melancholiâ morbo laborarent cùm vi suæ naturalis temperiei sint frigidiores & sicciores, quàm juvenes melancholici, quod est contra experientiam. Ulteriùs dicit colorem illum nigrum non esse causam horum symptomatum, quia sentiatur aliquo sensu interno aut externo, sed quia vitiat instrumentum proprium quo operantur facultates rectricea, scilicet spiritus animales vitiantur, quia natura sua sunt splendidi, & ità per nigredinem recedunt à suo naturali statu & qualitate sibi connaturali.

Sed contra istam sententiam est non leve argumentum, quia si spiritus ex propria forma, & natura habent splendorem; ergo per juxtapositionem, scilicet corporis opaci, ut est melancholia, non poterunt obscurari. Patet in Sole qui per ullam juxtapositionem corporis opaci privatur lumine, potest tamen aër illâ privari, quia eam habet ab alio; Sol autem ex eo non privatur lumine, quia illam habet à se; ergo si spiritus etiam habent lumen à se per juxtapositionẽ humoris nigri & opaci, non eo privari durante eorum formâ; nam aliàs si interpositione, vel juxtapositione corporis opaci tolleretur, vel impediretur lumen, spirituum etiam interpositione pituitosi humoris qui crassus & opacus est, evenirent accidentia melancholica, quod est contra communem consensum omnium Medicorum.

Sed poterat ad hoc quis satisfacere dicendo humorem melancholicum non tollere splendorem spirituum solùm per juxtapositionem, sed suis qualitatibus humorem melancholicum agere in spiritu, quo fit ut reddantur crassi & opaci, & lumen amittunt, quia non pullulat ab interno principio, propter indispositionem subjecti.

Nobis tamen imprimis Gal. sententia probatur, quia licèt concedamus spiritus ex sua natura esse lucidos, tamen Galen. non probat, neque ullus ex Scriptoribus tale lumen esse

esse nervũ ut potētiæ rectrices operentur; præsertim cùm totum cerebrum corpus diaphanum non sit, ac proindè non est capax luminis, cùm hæc sit actus perspicui, ut perspicuum est, ex Philosopho,ac proindè quod spiritus priventur lumine in hoc affectu, nihil facit, ut potentiæ rectrices depravatè operentur, vel lædantur.

Sed poterat quis Respondere dicendo cerebrum in ultima superficie esse diaphanum & susceptivum luminis, & illo potest privari obscuratis spiritibus; tamen contra est, quia indè sequeretur potentias rectrices solùm in extrema superficie operari, quod est satis ridiculum, præcipuè cùm pars extima cerebri sit ejusdem rationis cum partibus intimis, & profundioribus & constant omnes eodem temperamento: ergo vel omnes indigent lumine ad operandum, quod jam impugnatum est prima ratione, vel pars superficialis eo non indiget.

Secundò,quia etiam si concedamus totum cerebrum esse capacem luminis, eóque indigere ad operandum necessariò, non ideò debent sequi prædicta symptomata, sed potiùs defectu luminis actiones rectricum facultatum debent esse ablatæ & non depravatæ defectu alicujus requisiti necessarij ad operandum, ut patet de lumine in oculo requisito ad visionem necessario, ob cujus defectum non fit visio depravatè, sed ablatè: ergo eodem modo deberet contingere in laborantibus hoc affectu.

Deindè atra bilis genita ustione est nigri doloria; ergo ratione illius accidentia melancholiæ,hoc est metus & tristitia evenient, & non accidentia maniæ, scilicet audacia, quod est contra communem doctrinam à nobis explicandam.

Alij verò dicunt hujusmodi accidentia ab humore melancholico causari, quia ad hoc ut rectè operetur cerebrum & cor, requiritur certa quantitas spirituum, quâ deficiente depravatè operatur; cùm autem humor melancholicus sit valde terreus & ineptus ad generationem spirituum, deficiunt pro quantitate requisita, & sic tristitia & timor nascitur: nam si sint in maxima quantitate, lætitia nascitur, ob quòd ex assumptione vini lætitia nascitur, quia valdè conducens est ad spirituum generationem: ergo è contrario materia quæ inepta est ad eorum generationem ad timorem & tristitiam conducet; ob quod convalescentes & senea valde dispositi ad tristitiam sunt, scilicet propter defectum spirituum.

Sed etiam iste modus dicendi nobis non probatur, quia etiam ex atra bile dicta accidentia acciderent, cùm sit humor ineptus ad spirituum generationem; hoc autem nullus dixit; ergo.

Nobis tamen dicendum est hujusmodi accidentia causari à temperamento producto ab humore melancholico conducenti pro excitatione objectorum tristabilium. Sed quod sit hoc temperamentum à quo talia symptomata eveniant, non est facilè invenire. Circa quod fortasè aliquis poterat affirmare metum & tristitiam non ab alio temperamento quàm à frigido & sicco causari. Cujus ratio est quia omnia animalia frigida & exsanguia timorosa sunt, ut sunt apes, formicæ, & vermis: ergo ex eo est quia talis temperies conducit pro timore; timorosi enim & tristes frigidi redduntur: ergo his accidentibus temperies connaturalis est frigida & sicca. Neque ex hoc sequitur senes qui frigidi & sicci sunt laborare tali affectu, & prædictis symptomatibus,quia imprimis non habebunt rationem symptomatis, cùm non procedant à morbo, utpotè illa temperies connaturalis & debita pro illo statu est; deindè quia jam diximus quod in senibus non testigerati & exiccari cerebrum in tanta intensione sicut laborantes melancholiâ, licèt sint magis frigidi & sicci, quàm in præcedentibus ætatibus. Sed cùm dictum à nobis sit *suprà*,frigiditatem impertinenter se habere ad essentiam, hujus affectus & per consequens ad ejus symptomata pathognomonica, dicendum nobis est ab ea non nasci licèt aliquantulum disponat ad timorem, quando afficit cor.

Tota autem difficultas stat in eo quod cùm ad has passiones appetitûs sit necessarium cognoscere objectum sub peculiari ratione disconvenientis, aut imminentis futuri, aut præteriti &c. Quomodò hoc possit evenire ratione temperamenti; & Respondeo quod ratione peculiaris temperamenti inducti ab humore melancholico excitantur species rerum cõtristabilium & timorosarũ,& non aliæ conducentes pro lætitia, quia diversa temperies requiritur pro excitatione objecti lætificantis, ac proindè dum apprehenditur; vel cognoscitur in hoc affectu objectum timorosum excitatum vi talis temperiei; statim movetur appetitus, & fugit vel timet, & eodem modo redundante in cerebro sanguine disponit ad excitationem specierum lætitiæ, sequitúrque in appetitu talis passio. Undè infertur quod licèt melancholici habeant species objectorum lætificantium, non possunt lætitiam habere, quia apprehendunt, ut disconvenientia vi suæ temperiei.

Sed quæres, quodnam sit hoc temperamentum conducens pro excitatione harum specierum; Et dicimus quod si ad qualitates manifestas recurramus in nostra sententia, cùm dixerimus frigiditatem se habere impertinenter, solùm possumus recurrere ad siccitatem quæ sola non videtur sufficiens pro dictis symptomatibus: nam eodem modo sequerentur ab alio humore siccitatem inducente. Et ita dicendum tale temperamentum reducendum esse ad qualitates occultas, resultatéque ex qualitate humoris, & præexistentibus: quid autem sit non potest exactè à nemine explicari, ac proindè ex certa dispositione & proportione resultare dicendum est.

Concludit Petrus Garcia quod cùm ad has passiones non solùm sit opus facultatis sensitivæ actione quæ est in cerebro, sed appetitivæ quæ est in corde, non solùm requiritur dispositio ex parte cerebri quæ excitet species, ut diximus, sed etiam ex parte cordis, ità ut facilè sine repugnantia sequantur. Sed mihi, hoc videtur sine ratione, nam licèt conducat dispositio ex parte cordis pro his passionibus, non tamen est necessaria, utpotè sufficit

sufficit quod apprehendatur objectum, ut disconveniens, ut fuga appetitus statim sequatur, nulla existente dispositione in corde ad id conducente, quia actio appetitus, sequitur tantùm ad objectum cognitum, nullo alio posito.

CAPUT V.

A qua causa fiat melancholia morbus.

Communiter omnes Autores cum Gal. & Avic. asserunt solùm ab humore melancholico hunc affectum posse causari: Et probatur ex Gal. *lib. 6. aphorism. comment.* 11. dum explicat aphoristicam sententiam sequentem, *Melancholicis & vitio renum laborantibus hæmorrhoides supervenientes bonum*, quia per hæmorrhoides sanguis crassus & melancholicus evacuatur: ergo sentit in melancholicis humorem similem esse causam prædicti affectûs.

Licèt autem sæpè fiat ex melancholia naturali quæ fæx sanguinis dicitur, tamen etiam fit ab illa cum aliquali ustione, licèt exigua: nam si vehementem ustionem patiatur, potiùs fit mania ex Avicen.

Sed dubium est an etiam hic affectus possit fieri à pituita etiam si non mutetur in humorem nigrum, vel melancholicum. Et dicendum est quod primò ex pituita non fieri hunc morbum, si in statu naturali sit nullo modo alterata. Id patet ex Galeno *lib. tertio de locis capite septimo*, dicente. *Igitur ea*, scilicet epilepsia, *quam atra bilis constituit, in melancholiam aliquando transit: quæ verò à pituita parta est, in aliam passionem, de qua paulò post dicturus sum, permutatur, melancholiam verò haudquaquam efficit.* Quibus verbis id clarè demonstrat.

Dico secundò quòd si melancholicus humor manifestis qualitatibus facit hunc morbum, & dicta symptomata, etiam à pituita fieri posse aliquantulum alterata, absque eo quod amittat propriam suam formam & in alium humorem præter naturam mutetur. Probatur: nam pituita potest ratione alterationis adquirere eandem temperiem, ac melancholia quoad manifestas qualitates, siccitatem scilicet, & frigiditatem: ergo si à temperie manifesta fit hujusmodi affectio, non implicat à pituita causari etiam; nam ratione nigredinis, ut jam diximus, nullum accidens sequitur. Qui autem dicunt solùm humorem melancholicum causare hanc affectionem, consequenter affirmant non posse pituitam putredine aut ustione adquirere temperiem melancholiæ sine mutatione in forma substantiali, ac proindè melancholiam tantùm eam causare, sive hæc sit naturalis, sive per ustionem licèt remissè genitam; nam si intensa sit, potiùs faciet maniam; utrunque autem est probabile, & sic viam quam malueris elige.

CAPUT VI.

Quæ pars sit affecta in hoc morbo, & quæ potentia lædatur.

Circa primum breviter dicimus partem affectam esse cerebrum. Et probatur: nam in hoc affectu unum ex ejus symptomatibus est delirium, quod est actio depravata regentis facultatis; ergo illa pars debet esse affecta ubi residet regens facultas: sed hæc residet in cerebro; ergo cerebrum sine dubio est pars affecta. Et confirmatur ex Galeno 6. *lib. aphorism. comment.* 53. ubi ait. *Fiunt omnes desipientia patiente cerebro, sive primò & per se ipsum, sive per consentiendi rationem.*

Dicet aliquis: ex eo patitur cerebrum quia delirium est actus facultatis existentis & residentis in cerebro: sed similiter timor & tristitia sunt affectiones cordis: nam istæ sunt passiones appetitûs residentis in corde, juxta Aristotelem: ergo in hoc affectu etiam debet pati cor.

Sed dicendum nobis est ad hanc affectionem absolutè & simpliciter non esse necessarium cor pati, etiamsi ejus symptomata sint actus appetitûs residentis in corde, quia appetitus operatur præcedente cognitione, & secundum rationem objecti cogniti; ergo hoc ipso quod talis detur quolibet alio secluso, appetitus operabitur, ac proindè sine affectione cordis, timor & tristitia sequentur in melancholicis. Cùm hoc tamen verum est quod ad operandum facilè & sine resistentia prædictásque actiones tristitiæ & timoris eliciendas, quas in melancholicis experimur, maximè conducere & esse necessariam affectionem cordis; dispositione simili & proportionali his passionibus.

Sed majoris difficultatis est scire cujus facultatis rectricis sit læsio in præsenti affectu: nam cùm metus & tristitia sint ejus symptomata pathognomonica; quæ actus appetitûs sunt, & hic præsupponat cognitionem læsam, investigare oportet quæ cognitio necessariò lædatur ut dicta symptomata & appetitûs passiones eveniant. Circa quod varij sunt modi dicendi: nam alij sufficere imaginationem lædi affirmant, quod probant quamplurimis testimoniis Galeni & Avicennæ; quos quis voluerit, videat Petrum Garciam *super hanc affectionem in hoc cap.*

Alij verò solam rationem & æstimativam necessariò lædi affirmant, quod pluribus autoritatibus confirmant, quas quis videre potest loco paulò suprà citato, hàncque esse veram sententiam à nobis sustinendam, & ratione

ratione efficacissima probatur, quia timor & tristitia sunt actus appetitûs, qui cognitionem læsam necessariò supponit ad operandum: sed non sufficit actio læsa imaginationis. Ergo. Minor probatur, quia actus appetitûs supponit objectum apprehensum vel cognitum sub ratione convenientis, aut disconvenientis: sed judicare convenientiam, aut disconvenientiam attinet solùm ad æstimativam, cujus est proprius actus: ergo necessariò tales passiones actum depravatum æstimativæ sequuntur. Petet: quia imaginatio non potest componere neque dividere, ac proindè neque judicare an objectum sit conveniens, aut disconveniens, quod ità necessarium est, ut appetitus operetur, ut hoc ablato non operabitur.

Et confirmatur, quia timor sicut & species est actus postulans opinionem in intellectu; nam species dicitur in ordine ad bonum futurum cum credulitate, & timor est de futuro malo imminenti, quod creditur futurum; hæc autem in nobis sine opinione non sunt, ac proindè actum æstimativæ necessariò læsum exposcunt, ut actio appetitûs sequatur; in brutis autem hæ duæ passiones propriæ non inveniuntur.

CAPUT VII.

Unde contingant peculiaria deliria in melancholicis.



PRÆTER delirium commune omnibus melencholiâ morbo laborantibus, alia quædam peculiaria circa peculiaria objecta reperiuntur: nam plurea circa aliqua objecta benè se habent quasi optimâ sanitate fruerentur, circa alia verò errores & deliria in eisdem contingunt, cujus causam in præsenti investigamus. Et ratio difficultatis est, quia cùm in hoc affectu organum sit præternaturaliter dispositum eodem modo circa omnia objecta, non videtur ratio cur læsio contingat circa unum objectum & non circa aliud.

Sed si nostræ doctrinæ stemus *suprà* pluribus in capitibus relatæ, facilè erit assignare hujus eventus causam, esse temperiem præternaturam cerebri conducentem pro excitatione hujus speciei contristabilis, & non alterius ex proportione & sympathia quam habet cum hac specie, & non cum altera: neque mirum est simul cum communi proportione ad cognoscendum objectum sub ratione contristabili etiam esse aliquid peculiare ex parte temperamenti in ordine ad hoc objectum, & non ad aliud ratione alicujus positivi producti in cerebro ed id conducentis, ità ut non sufficiat abesse à cerebro infinitas animæ facultates & dispositiones naturales, sed requiritur contrarias & positivas dispositiones esse introductas, quæ autem hæ sint, & quod temperamentum constituent, jam diximus exactè explicari non posse.

Cæterùm cùm videamus tam diversa deliria & modi in ipsis, in prædicto affectu laborantibus, ità ut aliqui arbitrentur se esse gallos, ità ut concutiantur brachiis sicut galli, alij autem dicunt se esse testam, rogántque transeuntes ne ictu frangant. Alteri sibi persuadent Atlantes esse, & digito tenent cœlum ne decidat, & tandem aliæ quamplurima deliriorum genera circa diversitatem objectorum videtur assignari debere ratio ob quam hoc eveniat. Circa quod sententia fuit aliquorum existimantium hujusmodi diversitatem deliriorum evenire & occasionem sumere ex his quæ sensibus externis percipiuntur: nam judicare quis se esse sine capita ob levitatem flatûs procedit, à qua habet ut moveatur sursùm, & sic de aliis. Ratio eorum est quia cùm in his judicium rationis privatum vel depravatum est, judicat anima percepta intra corpus, majora quàm si vere fuissent.

Sed hæc opinio non probatur nobis, quia multoties ea quæ sensibus externis sentiuntur, non solum habent similitudinem cum unica re, sed cum pluribus; constat autem solum esse delirium circa unam rem: ergo alia est causa quare deliria circa hanc rem, & non circa aliam causantur. Deindè, quia licèt sensatio externa conducat plurea, & sit occasio ut circa objectum habentis similitudinem cum ea sit delirium, tamen hoc non est necessarium, cùm plures sint deliria absque eo quod percipientur aliqua per sensus externos, ac proindè ex nostre sententia ratio assignata videtur vera, dicendúmque nobis iterum est, quodideò melancholici in peculiaria deliria incidunt suprà assignata, quia peculiariter temperamentum corruptum, vel eversum est proportionaliter operationi circa illud objectum, de quo est error.

CAPUT VIII.

An detur melancholia facta à Dæmone.

CONSTAT imprimis Deum Optimum Maximum quamplures morbos plures causare, sive in pœnam peccatorum, sive ut manifestetur gloria ejus, sive ob alium finem peculiarem, neque ad hoc indiget applicatione alicujus causæ naturalis in cujus virtute effectus contineatur, sed ipse solus pro sua volontate absque alicujus causæ applicatione facere potest, quod ità conspicuum est ut contrarium temerarium & erroneum judicaretur.

Similiter est certum tam Angelos bonos quàm Angelos malos plurium morborum posse esse causas, quod quàmpluribus sacræ Scripturæ testimoniis confirmare possumus, quæ brevitatis gratiâ omittimus.

Dubium

Dubium solum stat quâ ratione Angeli mali vel Dæmones id faciant, & dicendum est id solùm facere applicando activa passivis, ità ut mirabiles & inauditos effectus experiamur, ex eo quod Dæmones applicent causas naturales cerebro, vel alteri parti corporis, quo fit ut morbi virtute causarum naturalium sequantur, & solùm Dæmones dicantur causæ remotæ, quatenùs applicant prædictas causas & cognoscunt quæ sunt potentiores, & aliàs si ab illis non applicarentur ordine naturali, non applicarentur: sic ergo posset contingere ut humorem melancholicum deferant ad caput aut vaporem ejus similiter movendos humores ad ventriculos cerebri possunt causare apoplexiam aut epilepsiam, & sic de aliis; neque solum hac ratione, sed comprimendo nervos ne possit spiritus animalis transire; ac proindè hæc est differentia inter Deum & Angelos quod Deus absque applicatione causarum naturalium potest causare morbos, secùs Angeli.

CAPUT IX.

An sint naturalia remedia quibus possit cursari melancholia facta à Dæmone.

PRIMÒ certum est in hoc *cap.* quod si morbus à Deo fiat, sive mediis causis naturalibus, sive sine illis, nullatenùs posse curari causis naturalibus eo renuente, utpotè per subtractionem concursus Dei cessat actio omnium causarum naturalium, ac proindè non possunt operari Deo renuente. Dubium ergo præsens tantum procedit quando morbus producitur ab Angelo bono vel à Dæmone mediis causis naturalibus, utrum sint naturalia remedia quibus curari possit secluso omni pacto cum dæmone.

Circa quod affirmarunt plures eodem modo posse hos morbos curari vi causarum naturalium ac si à Dæmone non essent inducti; nam potest vi causarum naturalium auferri ejus causa, ut si in præsenti affectu auferatur melancholia, ac proindè deficiet morbus.

Sed iste modus dicendi non probatur, quia non ablatâ causâ procatarcticâ morbi, non aufertur morbus: sed Dæmon est causa procatarctica & remota fovens materiam causantem morbum, qui vi alicujus causæ naturalis non potest auferri, ex eo quod sensum qui potentia corporalis est, non habeant, ergo renuente Angelo sive bono, sive malo, morbus ab eo inductus nequit auferri, quia dæmon potest impedire applicationem causæ naturalis pugnantis contra morbum, vel potest apponere distemperiem potentiorem præternaturam vincentem causam naturalem: ergo illo renuente non curabitur.

Sed nobis dicendum est quod morbi qui producuntur à dæmone mediâ actione agentium naturalium, posse causis naturalibus evitari. Et ratione probatur, quia non alio modo hujusmodi morbi causantur quàm mediâ actione naturalium agentium quæ ab ipsis applicantur: sed potest apponi aliud naturale agens contrariæ virtutis, majoris & efficacioris intensionis: ergo vincet alterum, & morbus per consequens deficiet. Et confirmatur quia agens naturale producit effectum in passo disposito: sed potest esse aliud agens fortius qui tollat illam dispositionem, aut contrariam induat; ergo impediet actionem illius, quo fit ut tunc dæmones sint applicati agenti naturali, etiamsi causa naturalis applicata à dæmone non sufficiat pro morbo inducendo si aliud agens fortius applicetur.

Dien secundò quod in morbis qui à dæmone possunt induci, solùm sua virtute & actione conservante præsentiam localem alicujus corporis impedientis & obstruentis vias, non potest fieri curatio remediis naturalibus; nam sanitas consistit in hoc quod corpus obstruens ab illo loco separatur; sed consente Angelo detinere illud corpus, nullum est agens corporeum naturale potentioris virtutis; nam Angelus vel producit motum localem, vel impulsum contra quem agens quilibet corporeus non potest victoriosam actionem elicere: ergo methodicè procedendo in curatione, hoc est priùs intendendo ablationem causæ externæ, implicat remediis naturalibus tales morbos curari, secùs verò si solam rationem causæ proximæ inspiciamus, ut jam probatum est in prima conclusione.

CAPUT X.

An melancholici possint naturaliter quolibet sermone loqui.

AFFIRMARUNT aliqui melancholicos naturaliter posse qualibet linguâ & sermone loqui: probant imprimis, quia videmus aliquos qui tardo ingenio laborant, hoc morbo correptos, adeò acuto ingenio pollere, ut res admirandas proferant vi distemperiei productæ à tali humore ad id conducentis: ergo similiter linguas ignotas possunt loqui ratione dictæ distemperiei. Consequentia probatur: nam si res ignotas faciunt, ut carmina componere quæ anteà non componebant, similiter possunt loqui linguam quam anteà non loquebantur.

Secundò probant, quia sicut in mundi creatione primus Parens posuit nomina omnibus rebus vi temperiei conducentis ad id, ità non implicat dari in aliquo homine temperiem conducentem ad hoc ut linguâ ignotâ & quolibet sermone possit loqui.

Sed nobis dicendum est, tali affectu laborantes non posse naturaliter quolibet sermone loqui, quia intellectus hominis est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, ac proindè non potest operari nisi per species

adquisitas, aut de novo eas debet adquirere; non ergo potest vi temperiei qualibet linguâ loqui, quia vi illius non adquiruntur de novo species.

Et confirmatur; quia proprium est intelligentis speculari phantasmata, ex Philosopho, hoc est nihil posse intellectum intelligere quod prius non fuerit sensatum: cùm ergo anima illius hominis de quo est sermo, cujuscunque temperamenti sit, non habuerit idiomata Græca aut Latina in phantasmate, neque poterit illius vocibus loqui, ac proindè si aliquando contingit non est virtute naturali, sed præternaturali, à neo scilicèt, vel ab Angelis.

Sed quo pacto ab Angelis id fiat, dubium est: (nam certum est Deum speciem cujuslibet rei posse producere immediatè in potentiis:) circa quod dicendum nobis est Angelos id facere movendo localiter linguam alterius tali modo ut proferat articulatè absque immutatione in imaginatione illius qui nova & inaudita loquitur, qua ratione virtute Dei locuta fuit Asina Balam: at verò immutando imaginationem per productionem speciei objectum repræsentantis incognitum, id non potest facere Angelus, cùm solùm habeat vim applicandi activa passivis, ut diximus, ac proindè sicut non potest facere ut cæcus colores imaginetur, quia earum nunquam habuit species, sic similiter non potest producere species in imaginatione eam immutando, si objecta priùs non fuerint cognita; solùm enim potest dici aliquando imaginationem vi Angeli & vi propria posse cognoscere objectum novum, cujus semina & principia anteà extiterint in imaginatione, ut quando cognoscit montem aureum, licèt novum cognoscant objectum, quia illum nunquam viderunt, satis tamen est vidisse montem & aurum, ut ex specie utriusque quasi componat unam totalem repræsentantem montem aureum.

Unde ad primum argumentum Respondeo verum esse ratione diversæ temperiei sive naturalis, sive præternaturam in aliquibus de hebere ingenio fieri acutos, de indoctis doctos, &c. hæc tamen omnia habent ortum ex speciebus existentibus in potentiis internis ex quo non colligitur posse loqui idiomate omninò ignorato, quia non habet species illius, neque ex præexistentibus possunt cognitiones illæ procedere.

Ad secundum dicimus id non posse contingere; nam cùm voces significent ad placitum & ex institutione hominum, licèt aliqua verba loquantur vi temperiei, hoc est per accidens, ac proindè est sine illa coordinatione requisita ad locutionem linguæ ignotæ, accedit ad hoc quod cum linguæ ignotæ sint tales ratione nominum significantium diversa pro libera voluntate & impositione hominum, videtur implicare ullam temperiem conducere pro cognitione ejus quod est in voluntate alterius, ità ut significet juxta alterius voluntatem hanc vel illam rem.

CAPUT XI.

An melancholici possint futura prædicere.

PRo decisione quæstionis nota divinationem nihil aliud esse quàm futurorum præcognitionem & prænuntiationem, ac proindè idem est quærere an melancholici possint futura prædicere, ac quærere an possint divinare.

Secundò nota futura esse in triplici differentia: alia sunt quæ necessariò eveniunt, talia sunt effectus omnes qui necessariam connexionem dicunt cum suis causis, quorum scientia naturaliter contingere potest, ex eo solùm quod cognoscamus causam inclinantem ad tales effectus, & necessariam cum illis connexionem habentibus; quæ futura etiam vi hujus vel alterius morbi possunt prædici ex eo quod vi alicujus distemperiei potest esse major conducentia pro acutiori cognitione & exactiori, dummodò sit circa objecta, cujus species præfuerint anteà: nam jam diximus *cap. præcedenti*, nihil novum nos posse cognoscere, nisi aliquo modo fuerint species in nobis, modo *suprà in prædicto capit.* explicato. Ità tamen prædicta doctrina est intelligenda, ut futura non in se ipsis cognoscantur (nam hoc solùm ad Deum spectat) sed tantùm, in causis, ut manet explicatum.

Secundo modo sunt futura quæ utplurimùm eveniunt, ità ut non infallibiliter contineantur in causis, sed utplurimùm eveniant, quæ etiam à nobis possunt cognosci & prædici in causis per quandam conjecturam; sic Medicus prædicit salutem aut mortem in causis ipsis utplurimùm producentes tales effectus, de quibus etiam est certum nos ratione morbi posse habere præcognitionem ab ratione in prima conclusione tactam: undè colligimus quod his qui sunt prope mortem & etiam inter dormiendum meliùs cognoscunt futura à nobis assignata, quia anima tunc est magis abstracta à rebus externis sensibilibus, & sic magis apta est ad percipiendos motus qui ex impressione naturalium causarum imaginatione imprimuntur, quæ se habent ut dispositiones organorum ut perfectiùs potentiæ in eis residentes operentur.

Tertio modo sunt futura quæ omninò contingentia & fortuita sunt, hujusmodi sunt consensus qui dependent ex libera hominum voluntate, & arbitrio, cujus cognitio & prædictio superiores vires quàm humanas prærequirit, ut de se patet. Undè ex dictis infertur posse homines aliqua futura virtute Dæmonij cognoscere, quia intellectus superior, qualis est Dæmonum, potest plura cognoscere quæ distant procul ab humano intellectu, ac proindè ea possunt virtute Dæmonum hominibus manifestare; hoc autem non producendo speciem eorum, aut aliquam qualitatem per se, sed aut loquendo inito pacto, aut per aliquam imaginariam visionem,

tum

tum prætereà aliquam commotionem in phantasia causando ex qua signetur aliquid futurum; id autem fuit mediâ aliquâ causâ naturali corporali; undè etiam ex hoc ultimo colligitur alter modus quo possit naturali vi futurum aliquid cognosci: nam non est impossibile similem causam ità commoventem applicari, sicut à Dæmone vi distemperiei ad id conducentis, dummodò semper concedamus illud futurum in altero contineri tanquam in signo, aut causa, quâ cognitâ de præsenti futurum possimus prædicere, quasi inauditum & inusitatum nobis, ex eo quod aliqua causa naturalis applicetur vel à Dæmone, vel vi distemperiei mirabilem effectum continentem.

Ex quo fit non esse aliam potentiam divinativam quâ futura aliquo modo præter dictos cognoscant; nam si talis esset, circa objecta omnia, esset talis divinatio, quod est impossibile, & nullus dixit; tunc etiam quia futurorum ut talia sunt, non potest dari species; ergo nisi in causa cognoscantur quæ realem existentiam habet, cognosci non possunt; unde autem proveniat quod melancholici sapientissimi & solerti sint & indagatores, ratione cujus hæc futura cognoscant, *sequent. cap.* dicemus.

CAPVT XII.

An melancholici ingeniosi sint, & quæ sit causa.

STABILITUM problema Gal. est, melancholicos ingeniosos esse; sed videtur huic doctrinæ contrariari alius locus Gal. *lib. Artis Medic. cap.* 11. ubi dicit *Ingenium signum esse cerebri substantia tenuis, tarditas autem intellectûs crassa*: sed melancbolici habent substantiam cerebri crassam, ab humore crasso ex qua fiunt, inductam, aut ex quo nutriuntur: ergo melancholici, non sunt ingeniosi, sed potiùs tardi ingenij.

Sed ut veritas nostræ conclusionis magis elucescat, nota primò ingenium dici à gignendo, quia ex se aliquid gignat, ac proindè dicitur illa potentia quâ in nobis aliquid invenimus quod ab aliis non accepimus, ità ut ex aliquo deducat quod latebat.

Sed quæret aliquis, cujus facultatis, aut potentiæ sit ingenium? Et respondeo nos non quærere de inventione quæ fit per verum discursum, sic enim ad intellectum pertinet; sed sermo est de potentia organica interna quæ intellectui subministrat: nam Galen. asserit temperiem cerebri cognosci ex ingenio acuto, aut tardo: ergo spectat ad potentiam organicam, utpotè si ad solam intellectivam spectaret, non esset cur aliqui dicerentur habere acutum ingenium, alij verò obtusum; hæc autem potentia quæ intellectui subministrat communiter dicitur cogitativa ab omnibus, & meritò, quia hæc habet deducere & plenè rem cognoscere; & quia non pertinet ad memoriam subministrare, cùm hæc solùm circa præteritum versetur, neque ad imaginativam, quia hæc ut sic versatur circa sensata, at verò ingenia optima circa alia sunt.

Secundò nota tenuia dici à Gal. quæ celeriter comminui facilè possunt; crassa verò è contrà. Sed restat nunc examinare an verum sit tenuitatem cerebri conducere ad bonum ingenium, & quâ ratione conducat. Circa primum certum est tenuitatem conducere ad bonum ingenium: nam licèt sit secunda qualitas, optimè potest conducere, sicut durities in osse conducit ad proprium usum; deinde quia nomine temperamenti non tantùm intelligit primas qualitates, sed aliquas secundas, & sic bonum ingenium potest reduci ad tenuitatem, licèt secunda qualitas sit.

Sed difficiliùs est assignare rationem, quare tenuitas cerebri conducat ad optimum ingenium, & dicendum est cerebrum non habere tenuitatem excedentem, sed crassum esse: sed crassities est intensior in aliquibus hominibus, quàm in aliis, ac proindè minorem crassitiem vocat tenuitatem quæ ex parte organi conducit, ut operationes perfectiùs eliciantur, ex eo quod potentia illa minori crassitie (tenuitate dicta) facilè penetrat quod est in objecto, ac proindè hac ratione conducit ad optimum ingenium.

Sed adhuc restat explicare quod Aristot. nomine melancbolicorum intelligit atrabilarios qui fiunt ex atra bile mediocriter calida; à qua dixit non solùm homines esse ingeniosos, sed etiam excellentes in studiis Philosophiæ, vel Republica administranda, vel in carmine pingendo, vel in artibus exercendis; ad quorum omnium excellentiam, juxta viros doctos hæc omnia quæ sequuntur, requiruntur. Imprimis optima memoria; nam cùm hæc sit thesaurus in quo conservantur species quæ anteà fuerunt cognitæ, multum refert eas conservari, ut perfectus quis evadat in qualibet doctrina; nam aliàs, eodem modo se haberet sicut anteà quàm res cognoscerentur; ad memoriam autem conducere atram bilem mediocriter calidam, ac proindè ex hac parte quod homines melancholici, aut atrabilarij ingeniosi, & periti in qualibet scientia sint, probatur: nam ratione siccitatis illius producitur in cerebro mediocris duritiea, quæ ad memoriam confert, quatenùs conducit ad retentionem specierum, & ex alia parte calor mediocris qui in tali humore reperitur non valet liquare & fundere immodicè, ratione cujus species possint deleri: ergo conducit pro memoria talis humor, ac per consequens ex hac parte pro optimo ingenio.

Secundò ad dicta munera & officia cum excellentia pro calore, conducit valde promptitudo ad actiones; nam qui tardi sunt & pigri ad actiones, vix aut nunquam possunt arti aut scientiæ assuefieri. Hanc autem promptitudinem etiam causari ab atra bile mediocriter calida ratione temperiei, quam inducit, probatur ex Gal. *lib. artis Medicinalis cap.* 33. dum inter signa calidi & sicci cordis ponit promptitudinem ad actiones; cum hoc tamen docet, quod si immodicus calor & siccitas sint, asserit iracundiam, celeritatem & imprudentiam causare; ex quo fit quod cùm ex prædicto humore modicus calor & sicci-

tas nascantur, conducere ad promptitudinem actionum: deindè studiositas & exercitium etiam requiruntur; nam si quis quamvis optimo prædictus ingenio sit, curis & aliarum rerum cogitationibus immersus, veritatem scientiarum & aliarum artium non posse inquirere diligenter, neque invenire, ex tali autem prædicto humore docet Galen. *cap.citato*, studiositatem causari: nam tales patientissimi sunt, & minimè proprij ad irascendum, ex ipso Galen. ac proindè facilè ad exercitium, & studium inclinantur; accedit ad hoc quod in his non deficiat apprehensionis facilitas: nam licèt nimia durities ab immodica siccitate possit illam prohibere, tamen in prædicto humore affectis id non contingit; siquidem siccitas corrigitur ex sanguinis humiditate.

Denique conducit timor aliquis, quia verentes homines culpam ignorantiæ libenter à quovis addiscunt; neque enim sibi ipsis confidunt, aut plurimum tribuunt; quod autem dictus humor conducat etiam ad timorem aliquem, constat ex dictis *suprà* de symptomatibus hujus affectus, quia scilicet habent frigiditatem sufficientem ad timorem aliquem; & quia frigus illud remittitur à calore sanguinis, non est dispositio ad timorem tanta ut ingenium & alia quæ diximus impediat: ergo si atra bilis, quæ melancholicos constituit, & nomine hujus humoris dixit Aristot. esse ingeniosos, ad hæc omnia conducit, satis perspicuum est, tales ingeniosos dici à Philosopho non sine ratione aliqua.

CAPUT XIII.

De speciebus melancholiæ, & de essentia & parte affecta hypochondriacæ.

COMMUNITER apud omnes Autores tres species melancholiæ assignantur, una quæ fit per propriam passionem cerebri, alia per consensum cum toto corpore, & denique tertia quæ fit per consensum cum hypochondriis: de hac ergo tertia specie quæ hypochondriaca melancholia dicitur, modò in præsenti est agendum.

Sed duo sunt difficilia: primum in quo consistat essentia hujus morbi: secundum quæ sit pars affecta in dicta melancholia hypochondriaca. Circa primum, aliqui dixerunt consistere in inflammatione partis primariò affectæ, id tamen non probant: sed contra hoc insurgo, quia iste affectus reperitur sine febre, ut constat ex communi ejus definitione dicente, *est delirium sine febre*, &c. sed si in inflammatione consisteret, seu tumore, constitueretque morbum instrumentalem, non posset esse sine febre: ergo. Et confirmatur, quia in hoc affectu nullum est symptoma pathognomonicum demonstrans inflammationem, vel tumorem in hypochondriis, ut patebit consideranti, ergo: ac proindè solùm est verum quòd nomine inflammationis intelligant Autores phlogosim & ardorem.

Alij affirmarunt hunc morbum consistere in obstructione seu oppilatione, quæ est in mesaraicis, ratione cujus alimentum non communicatur venis, & ibi ratione prohibitæ ventilationis aduritur, & vapores ascendunt ad caput melancholici, ac proindè esse morbum in cavitate vitiata affirmant. Sed hæc sententia rejicitur: nam melancholia hypochondriaca non semper fit ab obstructione dicta, sed multoties causatur nullà existente, ut si à liene humor melancholicus mittatur in ventriculum, ibique detineatur, ità ut mittat vapores ad caput, tunc erit prædictus morbus utpotè vapores sunt ejusdem rationis, sive obstante obstructione, sive non: ergo causabitur prædictus morbus sine obstructione, ac proindè ejus essentia, in ea non est necessariò statuenda.

Alij denique affirmarunt morbum prædictum in distemperie cum humore consistere calida, aut frigida; nam ex una parte sunt accidentia quæ videntur designare calorem, ut sunt æstus & ardor maximus in præcordiis, sitis ingens, vomitus biliosus, & pulsatio quæ ibi reperitur. Et ratio ad probandam hanc distemperiem calidam sumitur à juvantibus, & nocentibus: nam videmus medicamentis frigidis maximam lætitiam habere, & bene esse. Ex alia verò parte, non desunt plura quæ probant distemperiem frigidam esse in præcordiis; nam sunt ructus acidi qui ex Gal. distemperiem frigidam ostendunt in ventriculo; deindè multitudo flatuum, sputa copiosa, vomitus pituitosorum & crudorum succorum, & denique tarda coctio quæ omnia denotant in ventriculo frigidam distemperiem, ac proindè talis morbus debet consistere in frigida aut calida distemperie cum humore.

Nobis tamen dicendum est in melancholiâ hypochondriaca non esse tantum unum morbi genus, sed posse reperiri plures; nam imprimis potest reperiri in ea obstructio, ex eo quod humor melancholicus in piloro aut in venis ventriculi potest causare obstructionem & prohibitam ventilationem, ratione cujus præternaturam calefiat humor à fuliginibus detentis ob prohibitam ventilationem, fiatque phlogosis & ardor, quæ Galenus vocavit inflammationem, quæ fit ut vapores ascendant ad caput, & fiat prædictus morbus; unde symptomata pathognomonica in melancholia hypochondriaca reperta oriuntur remotè ab obstructione dicta, & non immediata, quod sufficit. Undè etiam fit ot præter morbum in cavitate vitiata, à quo procedit symptoma in retentis (utpotè existente obstructione, alimentum non potest communicari) calor causatus ex prohibita ventilatione etiam constituit morbum in temperamento lædentem actionem peculiarem, & peculiari modo: si autem per ustionem illam & ardorem fiat humor melancholicus ex sanguine ibi detento, habebit calor rationem causæ. Similiter contingit prædictus morbus ex eo quod jecur propter distemperie calidam generet plurimâ quantitatem humoris nigri à quo vapores ad caput mittantur, ad quod obstructione non est opus, ac proindè tanquam diversum genus morbi constituit hujusmodi melancholia

melancholia hypochondriaca. Sed videre oportet quâ ratione eveniant illa accidentia dicta quæ modò calorem, modò frigua videntur demonstrare; non quidem quia reperiantur in omnibus speciebus melancholiæ hypochondriacæ, ut diccmus; sed satis est in aliqua specie ejus inveniantur, ut quæramus rationem quare ità contingat, & quæ sit causa, & præcipuè quod explicatione indiget, est quomodò in parte affecta existente ardore & calore immodico in parte obstructa, sint aliqua accidentia quæ videantur frigidam distemperiem indicare, & ab ea nasci; circa quod aliqui affirmarunt in his esse duplicem distemperiem, aliam calidam, & aliam frigidam in diversis partibus, & ex diversis causis, illa in parte obstructa, & hæc actu in ventriculo, quo fit ut prædicta accidentia sequantur. Neque mirum est causâ existente calidâ in piloro & in venis ventriculi, ventriculum non calefieri, quia potest esse potentior frigiditas in ventriculo propter humorem melancholicum qui ad ipsum pellitur, ac proindè resistet magis causæ calidæ, & dicta accidentia sine dubio evenient.

Vallesius dixit boc fieri propter permixtionem humoris in ventriculo à quo aciditatem in ructu fieri affirmat, & flatus à calore præternaturam air posse elevari qui non sit potentior ad illos dissipandos.

Alij autem affirmarunr cum Averroë ab eodem humore omnia dicta accideutia contingere posse, ex en quod in parte obstructa est calor extraneus & præternaturam, qui quidem spiritus valer resolvere, ratione cujus accidentia frigidæ distemperiei sequuntur, & à calore flatus & ructus elevantur; quo fit ut tum actiones à calore naturali fiant, & iste deficiat ratione resolutionis factæ à calore extraneo, necessariò in ventriculo fiunt cruditates, & maxima copia flatuum ostendentia temperiem frigidam. Sed iste modus continet plura difficillima, ut postcà, dum de cruditate ventriculi & de hydrope agemus, videbimus. Et quia licèt spiritus deficiat, rùm calor præternaturam valens alterare partem sit præsens, non potest non esse distemperies calida præternaturam.

Ego tamen dico in hoc affectu semper adesse distemperiem calidam; attamen cùm resolvantur spiritus, deficit aliquid requisitum, communicandum mediantibus eis, nempè qualitas illustrans, quo fit ut per defectum hujus debilis reddatur facultas coctrix, ac proindè cruditates & ructus acidi eveniant quæ videntur denotare distemperiem frigidam; in re tamen, sola est debilitas facultatis, & non distemperies frigida, sed potiùs calida; unde fit quod urgente magis debilitate, benè se habeant ægri remedij calidis; urgente verò magis distemperie calidâ, benè se habent remediis frigidis.

Denique in hoc affectu pulsatio in parte affecta reperitur quæ evenit aut propter calorem immodicũ faciorē, quod arteria magis dilatetur, & sic sētiatur pulsatio in artibus immediatis, aut propter obstructionem factam ab humoribus, ratione cujus arteriæ comprimantur; sic autem compressæ vehementes motus eliciunt ad auferendum impedimentum.

Circa secundum quod inquirit quæstio dicendum est, non tantùm in melancholia hypochondriaca pati pilorum & venas ventriculi, etiam quæ sunt in ejus ore, ut ait Galenus: sed etiam lien, jecur, hæmorrhoides, uterus, & mesenterium, & cor, non ità ut omnes simul patiantur, sed quod quælibet ex his partibus potest per consensum cum ea, cerebrum pati, & ità excitare hunc affectum hypochondriacum; neque credendum est partes enumeratas à Galeno debere necessariò pati, licèt quæ ab Avic. enumerantur, patiantur: sed potiùs existimandum, qualibet patiente ex his quæ enumerantur ab Avicen. etiamsi non patiantur ea quæ à Gal. enumerantur, causari prædictam melancholiam hypochondriacam; nam optimè potest ustione sanguinis fieri humor niger in partibus dictis, & communicari vapores cerebro quin afficiatur ventriculus; quo fiet melancholia hypochondriaca non per propriam passionem, ut patet, non etiam per consensum cum venis & arteriis, ut de se etiam conspicuum est: ergo erit per consensum cum hypochondriis, & talis dicetur; cum hoc tamen verum est frequenter accidere hunc affectum, patiente primariò ventriculo, & cæteris ejus partibus, suprà à Galen. enumeratis, licèt non necessariò, ut dixi.

Denique omnia quæ habent rationem causæ, aut occasionis ad hunc affectum, sunt omnes illæ ex quibus potest generari humor niger, ut sunt continui labores, vigiliæ, & ex alimentis proportionatis cum tali humore, tum etiam ex vitio lienis, jecoris, aut cordis & mensenterij, tum etiam suppressa evacuatio ut hæmorrhoides, & animi passiones, ut timor & tristitia. Neque mirum est id quod habent rationem symptomatis, ut sunt timor & tristitia, habere etiam rationem causæ ejusdem morbi; quia hoc etiam apertum in dolore est, qui simul est symptoma & causa doloris propter attractionem quam causat ex Gal. Neque etiam mirum ex passionibus animæ talem humorem generari, licèt actiones immanentes sint, quia per accidens disponunt ad generationem talis humoris ratione siccitatis ab eis productæ, quâ positâ cum remisso calore fit ustio, & talis humoris generatio. Cætera autem omnia enumerata conducunt, quatenùs vel vi distemperiei producunt plurimam qualitatem prædicti humoris, vel quia ratione alicujus consuetæ evacuationis retineatur crassus sanguis, & abundet in corpore. Quod totum latiùs apud Petrum Garciam *in prædicto cap.* ubi de qualibet causa ex assignatis in particulari agit; ego verò brevitatis gratiâ omitto.

CAPUT XIV.

De præparatis ad melancholiam.

CORPORA paratiora ad melancholiam, enumerantur ab Hipp. qui dicit quod qui balbi sunt, aut calvi, aut gracili voce gaudent, parati sunt ad incidendum in hunc morbum: nam imprimis calvities ostendit

dit ficcitatem cerebri, quo fit ut ratione illius ad humorem nigrum fint difpofiti, & per confequens ad hunc affectum.

Secundò loco enumerat balbutientes: fed advertere oportet ex Gal. quod hi dicuntur qui habent vitium locutionis non potente linguâ dearticulare eas voces quæ P, T, & R, proferuntur: hoc autem plures habet caufas; nam quandoque procedit ex linguæ brevitate quæ anteriores dentes premere non poteft ad prolationem, neque linguam extendere poffunt ut illis innitetur. Secundò poteft procedere ex ficcitate, ratione cujus contrahitur lingua & brevior fit, undè meritò dixit Ariftot. falivam effe neceffariam ad locutionem, quia humectat linguam, etiamfi habeat alium ufum, ut poftea dicemos. Tertiò poteft id contingere ex maxima humiditate à qua mufculi linguæ laxantur, & molles fiunt & imbecilles, & parum firmi ad motum redduntur, ob quam rationem ebrij & pueri balbutiunt; quod etiam contingit in ambulantibus, in quibus fi molles & imbecilles reddantur mufculi, non poffunt crura firmare, & claudicant.

Altera caufa hujus poteft effe, magna intenfio caloris in capite ob quam maxima velocitas imaginandi eft, & cùm mufculi linguæ moveantur, ex imaginatione non poffunt exequi tantam velocitatem, ac proindè inter loquendum fit balbuties: aliam denique caufam affignant, fcilicet multitudo flatuum impedientem motum linguæ ad locutionem.

Denique ait Avicen. quod corde exiftente calido & cerebro humido, effe caufas incidendi in melancholiam: nam calido corde oritur fanguis, & in cerebro humido facilè recipiuntur vapores. Neque valet dicere diftemperiem ficcam in cerebro effe difpofitionem ut faciliùs incidat in talem affectum; nam faciliùs eft incidere in morbos fimiles quàm in diffimiles, ac proindè cùm melancholia fit ficca, faciliùs incidet in eam cerebrum ficcum quàm humidum: non inquam valet, quia licèt cerebrum ficcum per fe conducat, ut faciliùs incidat in morbos ficcos, per accidens tamen id non facit, ac proindè cerebrum humidum per accidens conducit ad tales morbos, quatenùs ratione humiditatis faciliùs recipit fpecies & vapores.

DISPVTATIO XV.

De Mania & fpeciebus ejus.

CAPUT PRIMUM.

De effentia Maniæ.

SI attendamus Galen. & Avicen. communémque Medicorum confenfum, fic mania defcribitur, *Eft delirium fine febre, potiùs cum furore quàm cum metu, & triftitia, à calido & mordaci humore.* Quæ definitio datur per caufam & fymptomata per quæ ab aliis affectionibus differt, ut de fe patet; vocatúrque ab Avicen. *Dæmonium luphum*; fed advertas, quæfo hunc affectum poffe febrem comitari, non quia fit vi humoris caufantis maniam, fed ex alia occafione aut caufa poteft febris cum ea complicari, ficut de melancholia morbo diximus. Paulus autem furorem qui reperitur in mania fic explicat, *Porrò fi quando flava bilis fupra modum exufta in nigram fiat mutatio, infaniam dictam Græcè maniam infert.*

Sed dubium eft, qualis fit morbus in quo effentia maniæ confiftit, & dicendum eft cum communi Medicorum confenfu, confiftere in diftemperie calida & ficca cum humore; & de calore planè colligitur ex eo quod furor, temeritas & audacia calorem vehementem oftendant.

Sed dices primò contra dicta, quia videtur ab atra bile maniam non poffe caufari, utpotè licèt uftione generetur, eft tamen humor frigidus à prædominio, ac proindè non poterit calefacere cerebrum, neque furorem & cætera fymptomata maniæ caufare poterit.

Refpondetur verum probare argumentum fi fermo fit de atra bile jam genita ceffante alteratione contra naturam, uftione fcilicet, aut putredine, mediis quibus producitur; ac Autores quando attam bilem caufam maniæ enumerant, de ea in fieri loquuntur, non autem de ea in facto, ut diximus.

Dices fecundò, videtur hunc morbum non caufari tantùm ab atra bile, fed etiam à flava, & fortè etiam folam diftemperiem calidam & ficcam fufficere fine humore ad maniam: quod probant: nam hujufmodi diftemperies calida & ficca poteft produci ab alia caufa, & potiùs in majori intenfione à flava fcilicet bile, vel ab alio agenti, præterquam ab humore quo fit, ut eadem fymptomata eveniant, ficut fi ab atra bile fuiffet talis diftemperies producta, vel fi fe fola abfque aliquo humore fuiffet in cerebro, ac proindè & ab alio humore poteft induci tales morbus, & fine ullo etiã, folâ diftẽperie perfeverante prædicta accidentia pathognomonica maniæ caufabuntur.

Sed dicendum nobis eft, idem qood *fuprà* afferuimus dum fermonem de melancholia morbo inftituebamus, fcilicet quòd fi folùm confideremus manifeftas qualitates, quæ in mania funt neceffariæ, probat optimè argumentum ab alio humore præter attam bilem, & à fola diftemperie calida & ficca poffe fymptomata pathognomonica maniæ caufari; nam atra bilis tunc non habet nifi rationem caufæ efficientis producentis: fed poteft dari alia caufa quæ eafdem qualitates producat in cerebro: ergo eodem modo fi ad qualitates manifeftas attendamus, fequitur dictus morbus qui vocatur mania feu infania.

Reftat folùm ut dicamus quæ actio potentiæ rectricis lædatur in hoc affectu. Et primò dicendum eft quod quantum attinet ad paffiones animi quæ in eo reperiuntur, neceffariò læditur æftimativa judicans illud objectû effe conveniens aut fecus, quod judicio fequitur neceffariò actus appetitus profecutionis, aut fugæ, ità ut non ftante illo judicio, non poffit operari appetitus, ac proindè neceffariò debet effe læfio in æftimativa quo judicet objectum

jectum conveniens aut non, ut dictæ passiones fiant, vel eliciantur ab appetitu.

Sed quantùm attinet ad aliud peculiare delirium quo imaginatur se esse canem aut lupum, dicendum est esse læsionem in imaginativa; errat enim circa simplicia, cujus delirij fecit mentionem Avic. dicens fieri tunc maniam cum sua applicatione in anteriori parte cerebri: sed in hac est imaginatio, vel saltim in ea magis relucet: ergo actio imaginativæ est læsa. Neque quantum ad hoc est sola læsio in imaginatione, sed etiam in æstimativa, quia tales non solùm imaginantur esse canes aut lupos, sed etiam id judicant se esse tales, ut constat ex actibus externis, ac proindè cùm illud judicium sit actus æstimativæ, hæc etiam læditur in hoc peculiari delirio.

CAPUT II.

De speciebus Maniæ & causis.

Communiter ab omnibus Autoribus tam antiquis quàm modernis duæ species maniæ enumerantur; altera lycantropia dicta, id est lupina insania quam Avicenn. *cap.* 20. *cucubut* appellat: talis autem dicitur quia hujusmodi affecti lupos imitantur in moribus: nam noctu domo egressi donec dies elucescat circa defunctorum monumenta vitam agunt; hoc autem nascitur ex eo quod imaginantur se esse lupos, ac proindè in moribus eis assimilantur. Alia species dicitur *cynantropia*, seu rabies, in qua ità affecti arbitrantur in canes mutatos fuisse, & sic conditiones canis sequuntur. Hæ autem duæ species penes diversa symptomata solùm differunt, ità ut hæc secunda species propter mitiora symptomata quæ conditioni & moribus canis assimilantur, mitiorem causam & non tam intensam ustionem petat, ac prima species, in qua symptomata sæviora, majorem ustionem in causa denotant, utpotè luporum moribus sunt valde similia.

Notare tamen oportet quod si juxta diversitatem objectorum species maniæ veniant assignandæ, cùm ratione delirij possint homines tali morbo affecti imaginari se esse oves, aut alia animalia, diversæ etiam species & innumeræ poterant assignari: sed quia hujusmodi morbo affecti frequenter, & utplurimùm se lupos & canes esse judicant, ità ut horum animalium mores imitentur; ideò hæ duæ species ab Autoribus tantùm enumerantur in mania, quia scilicet principaliores & frequentiores sunt.

Circa secundum quod inquirit quæstio, scilicet quæ sint causæ internæ antecedentes & foventes maniam, breviter dicendum est solam unam esse causam immediatam ejus, scilicet atram bilem, quod ex ferocitate accidentium satis perspicuum esse videtur; ceteræ autem causæ ex quibus atra bilis generantur, ut est melancholia, & flava bilis quæ per adustionem in atram mutantur, solùm sunt causæ mediatæ maniæ & specierum ejus quæ à nobis sunt assignatæ in quantum ex illis generatur atra bilis quæ solùm causa immediata est.

CAPUT III.

An hydrophobia sit species Maniæ.

Pro explicatione quæstionis supponendum est hydrophobiam esse morbum quam rabiem appellamus, non tamen pro quolibet statu dicitur hydrophobia, sed quando rabientes perveniunt ad statum in quo aquam tanquam dirum inimicum fugare tentant quod contingit aliquando in principio rabiei, aliquando verò post aliquod tempus provenit. Quo supposito definit Avicen. hydrophobiam his verbis. *Accidit cani rabies quæ est conversio suæ complexionis ad melancholiam malam, malignam, venenosam*: Ergo juxta Avicennam est species maniæ, quia *in textu prædicto* ly melancholia interpretatur ab Autoribus pro eodem quod mania, ac proindè asserimus hydrophobiam esse speciem participantem essentiam & communem maniæ, & suprà maniam aliud symptoma addentem, scilicet metum & fugam aquæ præsentis.

Sed dices quia mania distinguitur à melancholia morbo, quia in ista invenitur timor, secùs verò in illa: ergo hydrophobia non potest esse species maniæ; siquidem in ea est timor & fuga aquæ. Pro cujus solutione indagandum est in quo consistat hydrophobia, vel quâ ratione fiat: circa quod innumeræ sunt sententiæ, quibus rejectis proponimus primam conclusionem, scilicet quod timor aquæ in rabientib. hydrophobicis procedit ex peculiari delirio orto ratione talis distemperiei ad id conducentis. Et probatur quia fuga rei convenientis supponit cognitionem illius rei quæ aliàs conveniens est, ac si non conveniens esset; sed talis cognitio est erronea; ergo intellectu assentiente necessariò supponitur delirium.

Est tamen dubium, cujus potentiæ sit hoc delirium, vel error, & imprimis quod erret æstimativa certum est, cùm judicetur aqua, quæ conveniens est, ac si reverà esset disconveniens: quod dubium latiùs magis patebit dum explicabimus modum quo contingat.

Difficile autem videtur assignare quâ ratione hydrophobiâ affecti priùs aquam cum ingenti siti appetant, eâ tamen visâ, aut quovis liquido liquore, statim fugiant & timeant tanquam quid disconveniens. Circa quod valde variant Autores: nam alij dixerunt hoc evenire propter antipathiam quam habent hoc morbo affecti cum aqua. Alij ad visionem spumæ reduxêre, alij denique ad visionem transparentiæ & splendoris. Quas omnes sententias acutè refutat Petrus Garcia *in hac disputatione*, quas quisque in suo libello facilè videbit; brevitatis enim gratiâ omnes impugnationes quæ ab eo conficiuntur omitto.

Nostra tamen sententia sit, tale symptoma contingere visâ aquâ, quia rabieos vi distemperiei peculiaris apprehendit canem in aqua quam videt, adeò vivaciter, ut intellectus talem actum nequeat corrigere; sicque cùm canem invadentem apprehendat, judicat conveniens aquam fugere, etiamsi ipsam quando est absens ratione intensi caloris & siccitatis nimis appetere cogatur, qui actus erroneus quo canis apprehenditur in aqua, ad imaginativam pertinet. Hanc sententiam probat Petr. Garcia autoritatibus Gal. & Avicen. Et præcipua ratio ejus stat in eo quod nihil repugnans, vel falsum vi argumentorum quæ in contrarium fiunt, deducitur ex ipsa conclusione.

Sed jam clamat contra nostram assertionem quoddam argumentum difficile, quo soluto, cætera omnia quæ diximus clariora fiant: argumentum autem est in hunc modum, si rabiens in aqua præsenti necessariò vidit canem, ratione cujus fugit, etiam in aqua absente debet illum videre, ac proindè nequit eam absentem appetere, quod est contra ea quæ dicta sunt. Antecedens probatur, quia species quæ mittitur ab aqua præsenti ipsi imaginativæ, est omninò ejusdem rationis cum specie aquæ reservata in imaginativa, ratione cujus in absentia aquæ eam imaginatur: sed species aquæ præsentis necessariò repræsentat canem imaginativæ: ergo species aquæ absentis reservata in imaginatione, necessariò etiam repræsentabit canẽ in aqua, ac per consequens in absentia non debent eam appetere rabientes, ut diximus, sed potiùs eam fugere, sicut in ejus præsentia. Patet ultima consequentia, quia utraque species repræsentat aquam ut præsentem, ut constat ex *Disputatione de delirij natura, capit.* 2. Et ex alia parte est idem temperamentum ex parte potentiæ, & eadem potentia: ergo erit idem modus repræsentandi ac anteà, quia ad repræsentationem speciei internæ per accidens se habet, quod objectum in re sit præsens, vel secùs, præcipuè cùm entitas speciei non dependeat postquam producta est ab extrinseca conservatione in ordine ad repræsentationem, ac proindè; vel etiam quando apprehendunt, vel imaginantur aquam absentem, fugiunt, quod est contra experientiam, vel quando in re præsentem aquam vident, non vident canem, ratione cujus timor & fuga prædicta in eis fiat.

Pro argumenti solutione, nota duplex objectum percipere rabientem hydrophobicum; unum verum, scilicet aquam quam vidit, & alterum imaginatum, scilicet canem quem imaginatur videre; etiam advertas, quæso, rabientem nunquam aquam respuere, quia aquam imaginetur ut disconveniens, sed potiùs aquam semper, ut valde convenientem apprehendit, semperque elicit actum appetitûs circa aquam, vel præsentem, vel absentem.

Dices: quâ ergo ratione fugit aquam? Respondetur nunquam fugere aquæ præsentiam quia ipsam judicet disconvenientem in se, sed fugit ipsam non ratione ipsius, sed ratione canis, quæ vivaciter in ea apprehendit; itaque judicat conveniens fugere canem invadentem; cùm verò fuga canis non possit compati quin aqua simul fugiatur; siquidem intra eam apparet, indè videtur rabiens aquam fugere etiam si non aquam, sed canem visum fugiat. Majus tamen damnum & nocumentum timet rabiens inducendum esse ab illo cane, quàm sit emolumentum & requies quàm ex potûs sumptione consequitur. Unde licèt colligere in tali casu non delirare æstimativam circa aquam, quia ipsam semper apprehendit ut convenientem; delirat tamen ipsa imaginativa quatenùs imaginatur aquam aliter ac in se est, quia cùm simplex existat ipsam componit cum cane invadente, & indè per consensum errat æstimativa, quatenùs apprehendit & judicat disconveniens & nocivum illud quod in re non est.

Quibus prælibatis ad argumentum dico verum esse quod species repræsentans aquam absentem, ex eo quod eam ut præsentem necessariò repræsentet, debeat simul figuram canis repræsentare quod, ut rectè probat argumentum, verum est. Deindè negamus consequentiam, scilicèt quod fugiat rabiens dum videt canem in aqua imaginata eo modo, ac fugit; dum verò videt aquam præsentem. Ratio disparitatis in eo stat, quia dum rabiens imaginatur aquam & simul canem in ipsa, optimè corrigit hunc actum cognoscens aquam illam imaginatam esse, non verò in re præsentem, undè quasi per sequelam, vel naturalem instinctum in brutis & in hominibus per discursum infert rabiens illum canem esse etiam imaginatum, cum aqua in qua videtur, etiam ut imaginata cognoscatur; cùm verò cognoscat imaginatum esse canem, neque timet, nec fugit; at verò dum in re videt præsentem aquam, & simul canem in ipsa, habet minus fundamentum ad judicandum canem esse imaginatum, cùm verè videat aquam, & canis appareat in ipsa, quapropter cogitur fugere, non aquam, sed canem ipsius aquæ. Quod canem fugiat & non aquam, patet, quia ex eo quod videat aquam, non extinguitur insatiabilis sitis quâ laborat, ergo etiam si videat aquam, adest appetitus aquæ: ergo simul cum appetitu aquæ nequit imperare actum fugæ respectu aquæ, ac proindè solùm ratione canis quem in aqua videt.

Sed dices: quomodò potest corrigere actum quo imaginatur canem in aquam imaginata, & non potest corrigere actum quo imaginatur canem in aqua vera, si uterque actus ejusdem rationis est, respectu canis imaginati.

Respondetur quod ad corrigendum actum respicit facultas egens circumstantias quas valet apprehendere in ordine ad oppositum, vel actus, cùm verò sit maxima circumstantia ad cognoscendum canem imaginatum esse cognoscere aquam in qua apparet, esse etiam imaginatam; indè valet hunc actum corrigere, alterum verò secùs, quia reverà videt aquam, & sic habet intellectus majus fundamentum ad sentiendum canem esse verum; quo videtur argumentum sufficienter solvi.

Ex quo patet simul in rabiente posse stare timorem & furorem; nam talia inveniuntur circa diversa objecta; siquidem timor est

circa

circa aquæ potum propter malum quod ibi imaginatur, ex delirio dicto; furor verò non est circa prosecutionem aquæ, sed aut circa ea quæ inferunt vim ut bibant, aut alia diversa, & hæc possunt esse simul, & quia in rabientibus præter affectionem ventriculi, est læsum cerebrum affectione, ex qua sequitur particulare delirium, fit ut ratione illius possit procedere odium aut timor aquæ; nam major causa in illo casu est ad timorem quàm ex affectu ventriculi ad fruitionem actualem; denique constat hydrophobiam consistere in distemperie calida & sicca, quia ventriculus cogitur frigidum & humidum appetere, etiamsi ratione distemperiei conjungendo speciem canis cum aqua pro viribus aquam fugere conetur, non ratione sui, ut diximus, sed ratione canis in ea repræsentati invadentis.

Indè facilè solvi potest argumentum in principio positum, dicendo quod ille timor non provenit ex eo quod sit distemperies aliqua, conducens ad hoc ut objecta quæ timeri non debent apprehendantur ut tremebunda, sed provenit ex peculiari delirio quo res quæ ex se si verè existeret timorem induceret, temperies verò quæ in hydrophobia reperitur potiùs conducit ad furorem & audaciam, licèt respectu canis audacia non sit ratione antipathiæ inter rabientes & canem.

CAPUT IV.

De Melancholia ex amore.

AUTORES inter species melancholiæ amorem enumerant & videtur difficile ad melancholiam reduci posse, quia amor est passio facultatis concupiscibilis quæ in corde residet, peculiarem transmutationem inducens in corpore.

Sed notare oportet quod amor non dicitur passio melancholica ex eo quod semper sequatur hanc affectionem, sed quia quando amor excedit limites naturales, atque nimis inveteratus existit, adeò ut ad statum in quo curatione indigeat perveniat, tunc oritur ex melancholica dispositione, quapropter ad melancholiam reducitur, quia sed perseverantiam ipsius, atque ex solicitudine quæ in amore invenitur, copia humoris melancholici generatur.

Sed dices, quo pacto dicitur passio melancholica si in amantibus hujusmodi, metus & tristitia non reperitur, ut symptoma eorum.

Respondetur metum & tristitiam non esse symptoma pathognomonicum cujuslibet passionis ortæ à melancholico humore, sed illius speciei de qua diximus esse proprium symptoma, quam speciem propriè melancholiam morbum appellamus; at verò amor passio melancholica dicitur, quia ab humore melancholico suboritur & nascitur.

Inquires undè proveniat quod amantes lætentur, quandoque verò tristentur? Ad quod dicimus illud provenire ex peculiari modo quo causa cerebrum afficit. Itaque cum tali dispositione rem amatam ut convenientem &

lætitiam inducentem apprehendit; aliæ verò curæ & solicitudines quæ exindè oriuntur, tristitiam inducunt.

Circa partem affectam dicimus esse cerebrum, quia etiamsi verum sit quod amor est passio concupiscibilis residentis in corde, tamē cùm hîc de amore agatur quatenùs symptoma est procedens ex dispositione melancholica cerebri; indè meritò cerebrum pars affecta dicitur. Nota quod in hoc affectu non requiritur læsio in actu imaginationis, quia amantes optimè imaginantur rem amatam, verùm æstimativa actum habet depravatum, quia apprehendit ut conveniens interiori modo quàm debetur objectum, unde quatenùs actio imaginativæ, æstimativæ & rationis fiunt cum majori efficacia, & perseverant, possunt dici actiones læsæ per augmentum.



DISPUTATIO XVI.

De incubo.

CAPUT PRIMUM.

De Essentia Incubi.



INCUBUS dicitur ab incubando, ex eo scilicet quod ità affecti imaginantur aliquod onus sibi incumbere. Solet hic affectus præcedere epilepsiam & apoplexiam, & in nostro Hispano idiomate dicitur *Pesadilla*, sic definitur ab Avicen. *fen 1. lib. 3. tract. 5. cap. 5. Incubus* inquit, *est ægritudo in qua homo sentit, cùm in somnium ingreditur, phantasma grave super se cadens, & comprimens ipsum: & angustiatur ejus spiritus & intersecatur vox ipsius, & motus ejus.* Ubi per ejus symptomata hunc morbum definivit, sumit tamen denominationem incubi à præcipuo symptomate in principio capitis assignati. Rursùs alij Recentiores sic Incubum breviùs definiunt, *Est phantasia in somnis corpus opprimens & gravans, motum, & loquelam perturbans.*

Hoc ergo supposito quæritur in quo consistat ejus essentia. Circa quod aliqui affirmant esse morbum cerebri in compositione consistens in obstructione facta in viis ejus. Probant quia non est morbus in soluta unitate, neque in distemperie, ergo in compositione. Secundò quia unum ex symptomatibus, quæ in hoc affectu reperiuntur est diminutio sensûs & motûs; defectu influxûs communicandi à cerebro: sed à nulla causa potest impediri communicatio influxûs quàm ab obstructione; ergo ista necessariò debet esse ut dicti effectus contingant, ac proindè in illa debet consistere.

Sed licèt dicta symptomata & alia plura à prædicta obstructione nasci possint, nihilominùs videtur unum ex symptomatibus incubi & præcipuum non posse oriri à prædicta obstructione, scilicet quod aliquis sibi aliquod

pondus imaginetur incumbere, ità ut ferè suffocetur, vixque aut nullo modo possit vocem emittere; videtur enim hoc symptoma ab obstructione non posse procedere, & omissis aliis modis dicendi, nos asserimus hujusmodi symptoma ab obstructione cerebri nasci, ratione cujus minùs virtus quàm in somno naturali communicatur ad sensum & motum; undè thorax minùs dilatari potest, & respiratio fit cum majori molestia, non ob multitudinem humoris existentis intra thoracem molestantis & pondus facientis, ut aliqui sentiunt, sed ratione objecti molestantis ad respirandum intensiùs quàm pro natura propter impeditam respirationem; defectus enim influxùs ad motum communicandi facit quod thorax appareat cum majori pondere, ex quo procedit imaginationem apprehendere aliquid incumbere à quo suffocetur, ac proindè fit imaginatio depravata, undè omnia symptomata à morbo in obstructione consistente nascuntur. Undè etiam fit quod illa obstructio quæ necessaria est ad incubum, est major quàm in somno naturali, & minor quàm in epilepsia & apoplexia: ex quo fit ut in hoc affectu minùs influat ad nervos & musculos thoracis quàm per somnum naturalem, & sic manet improportionata virtus motiva cum pondere thoracis.

Ex dictis patet læsionem & depravationem esse in actu imaginationis: nam ex eo quod præcedente sensatione tactùs in thorace quo percipimus aliquod pondus, imaginatio imaginatur magnam molem super se cadere, quod in re non est, & ità in ea est actio erronea, & delirium in incubis reperitur.

Sed dices: delirium fit à distemperie calida, aut sicca: sed in incubo datur delirium tanquam symptoma ipsius; ergo debet nasci à distemperie, ac proindè hic morbus non solùm in obstructione, sed etiam in distemperie consistet.

Respondetur semper quod delirium nascitur ab intemperie, verum esse illam debere esse calidam, aut siccam, tamen in sententia Petri Garciæ, delirium non causatur à determinata intensione caloris aut siccitatis, cùm multoties experiamur cum remissiori calore esse delirium, & non cum intensiori, quod ex eo est quod aliqua secunda qualitas conducit ad delirium, suppositis illis primis, nempè calor & siccitas: cùm autem in incubo defectu influxûs communicandi varietur secunda qualitas, inde est quod cum remisso calore aut siccitate, fit delirium in incubo.

Hoc dubio possumus etiã dicere nõ causari incubum ex compressione cerebri, quia etiã dum ex pergefiunt liberantur homines ab illo sicut à somno si autem ex

Dices etiam, ex compressione cerebri potest fieri somnus, ità ut diminuta sit communicatio influxûs à cerebro nervis & musculis thoracis, sicut quando hoc fit ab obstructione in qua dictum est consistere incubum: ergo non solùm in obstructione, verùm etiam in compressione cerebri debet consistere. Patet consequentia, quia eodem modo sequentur omnia symptomata pathognomonica ex compressione quàm ex obstructione.

Respondetur dicendo quod si compressio fit in parte posteriori præcipuè, non est dubium, quia fiet incubus in casu dicto, quod fit idem impedimentum ac per veram obstructionem ipsius partis. Undè Petr. Garcia venit intelligendus nomine obstructionis quodcumque impedimentum, ut communicetur virtus ad sensum & motum nervis, & præcipuè musculis quibus thorax movetur, & sic diminutio virtutis debet intelligi in hoc affectu, præcipuè in musculis thoracẽ moventibus. Constat etiã quod non in omni soporosa affectione debeat reperiri deliriũ quod in incubo invenitur, quia in illis præcipuè non est obstructio & impeditio communicationis influxûs in parte posteriori cerebri, & in musculis quibus thorax movetur, vel si major est obstructio, faciet apoplexiam, aut epilepsiam, à quibus sufficienter ratione symptomatum incubus differt, ut suis capitibus propriis constabit.

compressione cerebri contingeret, impossibile esset ità citò liberari, ob quam rationem solum ex obstructione factum, & non ab humore causari docet P. Garcia cap. sequenti.

Denique dicimus actionem sensûs externi esse læsam in diminutione, ut constat, quia cùm major obstructio sit quàm in somno naturali, quid mirum quod sensus & motus diminutè magis quàm pro natura sint. Ulteriùs dicimus symptomata incubi in vigilia non posse stare, quia nequit esse obstructio quæ ea valeat causare sine somno.

CAPVT II.

De parte affecta in Incubo.

Circa partem affectam existimarunt aliqui esse thoracis venas; nam ex eo quod in illis sit maxima plenitudo, ideò taliter affecti existimant aliquod sibi incumbere onus, cum hoc tamen isti Autores fatentur cerebrum pati per consensum; aliàs enim actio imaginativæ non poterat esse depravata & erronea, ratione cujus delirium in ea esse diximus.

Hæc tamen sententia peccat ex eo quod licèt hac ratione possit contingere incubus, quando scilicet venæ thoracis patiuntur per propriam passionem, & cerebrum per consensum cum illis, tamen causam universalem cum hoc solùm, talis affectus non explicat: nam ex eo quod cerebrum patiatur per propriam passionem obstructionem, nullà adstante plenitudine in venis thoracis, solùm ex eo quod patiatur per consensum diminutè solùm communicatà virtute musculis thoracis ad motum remanet improportionata virtus cum pondere thoracis, ut diximus, quo fit ut incubus detur per propriam passionem cerebri, nullà adstante venarum thoracis repletione: ergo pars affecta non explicatur ab his optimè; sed ità debet explicari ut semper patiatur cerebrum sive per consensum cum venis thoracis, sive per propriam passionem. Quæ autem pars cerebri afficiatur est dubium, & dicendum est tam partem anteriorem quàm posteriorem æquè affici, quia tanta læsio est in imaginatione residente in parte anteriori, quàm in respiratione & sensu, quibus à parte posteriori virtus communicatur.



DISPUTATIO XVII.

De Vertigine.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit Vertigo, & an habeat species.



ERTIGO est quædam affectio quæ nomen sumit à symptomate suo, quia scilicet qui ipsam patiuntur, verti & circumvolui dicuntur, ità ut res quietæ videantur in gyrum moveri; quapropter sic Avicennas vertiginem definivit *fen 1. lib. 3. tr. 5. cap. 1. Vertigo*, inquit, *est ut habenti ipsam imaginetur quòd res super ipsam volvantur, quare non regit se, ità ut firmetur, immò cadit.* Undè Paulus dixit nasci hunc affectum cùm frigidus glutinosúsque humor cerebrum occupat. Est ergo vertiginosus aliquis quando imaginatur rem quietam in gyrum moveri, & etiam requiritur quod caput & proprium corpus ejus qui vertigine laborat, videatur moveri.

Hoc ergo prænotato, circa species vertiginis dicendum est quod ex peculiari aliquo accidenti addito supra circumvolutionem, aliam speciem communiter constituunt Medici quæ *scotoma* dicitur, & alio nomine tenebricosa vertigo, ex eo quod hæc species præter circumvolutionem rerum quæ conspiciuntur, ægroti sensus videtur repentè destrui, cùm sibi tenebras circumfundi opinantur. Sed juxta hunc modum philosophandi necessariò tenemur assignare aliam tertiam speciem quâ vertiginosi non possint se continere, sed decidant. Et ratio esse videtur, quia ex eo speciem peculiarem scotiniam dictam constituunt, quia in ea reperitur aliquod peculiare accidens conjunctum, nempè læsio in visione; sed similiter datur vertigo in qua reperiatur aliud peculiare symptoma spectans ad facultatem motivam; ergo sicut constituunt secundam speciem vertiginis, tertiam propter eandem rationem debent constituere.

Unde infertur vertiginem differre ab epilepsia, quia in hac reperitur motus concussivus membrorum, in illa verò licèt quandoque ægroti decidant, & non possint contineri, nihilominùs nunquam talis motus concussivus in ea invenitur.



CAPUT II.

Quæ res præternaturam sit vertigo.



MPRIMIS videtur vertiginem non esse rem præternaturam: nam neque est causa, cùm nullus morbus sit qui à vertigine producatur; neque est symptoma, quia hoc debet oriri à morbo: sed in vertigine nullus est morbus à quo oriatur, utpotè nullo existente morbo quotidie experimur, ut res quietas in gyrum videamus moveri, ut patet in talento argenteo existente immoto in fundo vasis, quod videtur moveri, ex eo quod aqua moveatur: & hoc etiam patet sæpissimè in plurimis diversis objectis, nullo existente morbo: ergo semper idem continget, ac proindè in vertiginosis tale symptoma non est necessarium quod nascatur à morbo, ac proindè assumptum, nempè nullam esse ex tribus rebus præternaturam, manet probatum.

Sed dicendum nobis est vertiginem esse rem præternaturam, quod imprimis constat ex eo quòd curationem per remedia medica postulet; dicimus deindè in vertigine verum & rigorosum symptoma inveniri, à quo ipsa sumit denominationem. Ad cujus assertionis intelligentiam notare oportet unam & eandem actionem intrinsecè invariatam non habere rationem symptomatis & præternaturam, sed ex aliqua impotentia potest nasci naturali, & eadémet prorsùs quantum ad intrinseca se habente fieri symptomaticam, ex eo solum quod adsit morbus à quo dimanet, & hujus stant quamplurima exempla: non ergo erit mirum quod ex eo quod quis videat res externas quæ in se quiescunt, moveri in gyrum sine aliquo morbo, semper hujusmodi actio depravata & erronea, sine morbo debeat contingere. Neque ex eo quod in vertiginoso pars quæ elicit actionem intrinsecè eodem modo se habeat, dicere debemus actionem illam depravatam visûs non esse symptomaticam; nam licèt pars quæ eam elicit intrinsecè sit invariata, nihilominùs actio potest esse symptomatica defectu alicujus requisiti ablati per morbum, licèt non sit in cerebro sicut externa visio vitio medij potest esse erronea in naturalibus licèt non morbosa, sed solùm provenire dicitur ex aliqua naturali impotentia.

Ex quibus manet solutum argumentum Adversariorum: nam licèt eademmet actio intrinsecè invariata dicatur depravata, non tamen symptomatica, quia non nascitur à morbo, sed solùm ex vitio medij, & ex naturali impotentia, ut patet quandò videmus nummos quietos in aqua qui videntur moveri, ex eo quod aqua moveatur, nullo existente morbo in parte visionem eliciente; tamen eademmet actio si nascatur à morbo, dicetur sine dubio symptomatica; hoc autem in vertigine contingit, erit ergo ejus actio præternaturam.

Sed restat dubium explicandum, quisnam morbus sit à quo tale symptoma procedit. In qua re validissima & communis opinio fuit vertiginem consistere in obstructione facta in viis cerebri à flatu crasso contento in ventriculis ipsius: sed hæc opinio non videtur firma; imprimis quia obstructio nihil facit ad prædictum symptoma, utpotè si non moverentur flatus, ità ut causarent inordinatum motum in spiritibus, nullatenùs res apparent in gyrum moveri: sed ad motum flatuum nihil facit obstructio; non ergo ista est mor-

bus à quo tale ſymptoma naſcitur.

Deindè quia illud ſine quo poneretur ſymptoma, & eo poſito ceſſaret, nihil conducit ad hujuſmodi ſymptoma, neque ab eo dimanari dicere quis poteſt: ſed ſine obſtructione ponitur ſymptoma prædictum; nam ſi citra flatus calefieret cerebrum à Sole, ità ut ſpiritus aſſerventur magis quàm pro natura, adquiſitáque levitate petant locum ſurſum, appoſitóque impedimento retrocedant, tunc ſine dubio eſt motus inordinatus ſpirituum, & ſine obſtructione facta à flatu: ergo inordinatus motus ſpirituum cauſatus à flatu, per accidens ſe habet ad tale ſymptoma, & non eſt dicendus morbus à quo neceſſariò ſequitur motus rei externæ in gyrum; nam flatus in tantum conducunt ad hoc, in quantum cauſant motum inordinatum ſpirituum: ſed etiam ab alia cauſa, ut dictum eſt, poteſt naſci hujuſmodi motus inordinatus: ergo obſtructio flatuum non eſt morbus immediatus à quo neceſſariò tale ſymptoma naſcatur.

Dicendum ergo nobis eſt tale ſymptoma non naſci immediatè à morbo, ſed mediante motu inordinato ſpirituum; morbus autem à quo talis motus inordinatus cauſatur, eſt diſtemperies calida valens elevare flatus, ad quorum motus moventur ſpiritus, vel valens attenuare ſpiritus, ratione cujus ſurſum aſcendāt; & cùm impediatur ejus motus, inordinatè movētur per totum cerebrum, vel ab impulſu producto à corpore impediente, vel ab aliis ſpiritibus, vel vaporibus qui aſcendunt ſurſum, & alios expellunt ad latus; ſic enim ſequitur talis ſpirituum inordinatus motus: dicitur autem prædicta diſtemperies frigida, quia non diſcutit & reſolvit flatus, licèt in re calida ſit, quæ tantùm valet eos elevare, & hinc naſcitur ratio ob quam in ſenibus & tempore hiemis talis morbus communiter contingat: nam cùm in ſenibus ſit plurima quantitas humoris pituitoſi & flatuum: & ex alia parte ſit calor minor quàm ſufficiat ad reſolvendum, neceſſariò eſt quidquid requiritur ad prædictum morbum, ſcilicet calor qui valeat elevare flatus, ad quorum motum etiam motus inordinatus ſpirituum neceſſariò ſequitur: tamen non valet hujuſmodi calor ob ſuam remiſſionem diſcutere. Hinc etiam intelligis quare dixit Paulus fieri vertiginem cùm frigidus craſſúſque humor & glutinoſus, cerebrum occupat, loquebatur enim de cauſa materiali à qua ratione diſtemperiei calidæ in qua morbus prædictus conſiſtit, elevantur vapores qui cauſent prædictum motum inordinatum.

CAPUT III.

Unde procedat ut in hoc affectu res quieſcens appareat moveri.

COMMUNITER ab omnibus defenditur hoc peculiare ſymptoma quo res quietæ apparent moveri, in vertiginoſis naſci ex inordinato motu ſpirituum, aut vaporum ſecum deferentium ſpiritus: hoc autem nullo alio argumento probat Galen. quàm ex his quæ extrinſecùs contingunt: nam ſi quis crebrò circumvoluatur, etiam ſi quieſcat, aliquo temporis ſpatio videntur res moveri, quaſi in gyrum, etiam ſi quieſcant: hoc autem nullam aliam cauſam habere poteſt, niſi quod ex illo motu corporis ſpiritus aut humores moveantur inordinato motu: ergo cùm quis tali laborat morbo, ut videantur res quietæ in gyrum moveri, ſimilis erit cauſa, ſcilicèt motus inordinatus ſpirituum.

Sed quæres à quo fiat talis motus inordinatus ſpirituum, cùm citra occaſionem externam vertigo accidit: Et Reſpondeo moveri à flatibus ſecum ſpiritus deferentibus. Sed rursùs quæres à quo efficienti flatus moveantur in gyrum?

Reſpondetur, quod flatus ob levitatem ſuam ſurſùm moventur; cùm autem inveniant impedimentum, vertuntur in latus, ſecum etiam ſpiritus deferentes, virtutem verò ad illum motum ad latus ex impediente corpore, motum eorum ſurſùm adquirunt. Sed mihi videtur dicendum illum motum in gyrum non cauſari à corpore impediente, ſed ab impulſu aliorum vaporum, ſurſum etiam aſcendentium propter incompoſſibilitatem corporum in eadem parte, & ſic vapores qui exiſtebant cùm impediantur ſurſùm moveri, & ex alia parte ſint alij vapores priores impellentes, à fortiori verſus latera debent eos impellere, & ſic ſequitur eorum motus in gyrum.

Sed cùm non ſemper inordinatus ſpirituum motus fiat vi motûs vaporum ſecum ſpiritus deferentium, ut conſtat ex Avicenna qui non ſemper intercedere flatum fatetur, dicendum eſt quod etiam ſpiritus poſſunt inordinatè moveri abſque alio deferente, ità ut eorum motus vertiginoſum ſymptoma inducat; moventur autem à levitate contranaturam adquiſita, & indè fit quod ſurſùm aſcendant & detineantur, & vi corporis impedientis ad latus moveantur, ut ait Petrus Garcia, vel impulſu recepto ab aliis ſpiritibus ſurſùm aſcendentibus, ut nos paulò anteà diximus; aut poſſunt moveri ab alio agente, vel motore impellente illos, & quandoque ex motore ſpiritus exteriùs, ſicut percuſſione capitis, & fractione cranij, ità ut comprimat cerebrum & faciat ſpiritus moveri circulariter, & undosè; omnibus autem his modis poteſt fieri inordinatus ſpirituum motus, & per conſequens vertigo.

Vel dic cum Capivacio talem motûs ſpeciem poſſe naſci ex debilitate facultatis retentricis non potentis retinere, ità ut nullâ exiſtente debilitate in expultrice, impellat ſpiritus, & indè motus eorum inordinatus ſequatur.

Sed quæres quæ ſit cauſa propter quam dum quis vidit aliquid in gyrum moveri converſis oculis ad alia quieſcentia appareant moveri.

Reſpondeo ex eo eſſe quia moventur ſpiritus quando corpus in gyrum movetur, poſteà autem conſervatur motus ipſorum, duràtque facilè, ex eo quod ſit corpus facilè mobile:

mobile: quando autem quis videt rem ad extrà moveri, moventur spiritus, eo quod oculus sequitur motum corporis & convertitur versus partes illius, ex quo fit ut spiritus etiam moveantur ab oculis, & posteà per continuationem qui existunt in cerebro extensione impulsùs moventis; non aliter quàm moto vase, moventur partes aquæ in eo existentes, etiamsi ipsum vas quiescat, sic ergo moto oculo qui sequitur motum corporis in gyrum, quoad partes corporis convertitur, sequitur etiam motus spirituum qui posteà conservatur, & sic quiescentia moveri apparent.

Ex eo autem quod motus qui est sensibile commune modificet speciem sensibilis proprij quæ in spiritu recipitur, non sequitur quod ea quæ quiescant, appareant moveri, quia species quantumvis modificata motu, non potest esse causa efficiens realis motûs, sicut neque si spiritus moverentur ab alia causa, species objecti quiescentis faceret ipsum objectum quiescere ratione illius modi, quia cùm non produeat ille modus alios effectus materiales, neque motum aut quietem producet.

Sed dices contra nostram doctrinam, ex eo quod medium sensationis moveatur, non est necessarium res externas moveri, ut patet in aëre qui est medium ad videndum colores qui etiam si agitetur & moveatur, colores non apparent ut moti: sed spiritus, se habent ut medium per quod defertur species ab externis sensibus ad internos: ergo licèt spiritus moveantur, non ideò debet apparere objectum quod videtur moveri, si in re quiescens est. Sed ad id respondent aliqui, spiritus non tantùm se habere ut medium, sed ut instrumentum ad actiones, ac proindè sicut ex motu calami verbi gratia qui est instrumentum ad scribendum (& idem dico de quolibet alio instrumento) scriberet quis trepidè, ità etiam ex motu spirituum qui instrumenta sunt objectum apparet moveri. Tamen contra est quia spiritus non sunt verè instrumentum sicut instrumenta artis; nam hæ effectiva sunt actionum; spiritus autem nullo modo sunt elicitivi actionum, ac proindè nihil mirum quod si instrumenta artis moveantur, sequatur actio tremula, & ob motum spirituum objectum non appareat moveri si reverà quiescit.

Sed poterit quis respondere quod spiritus præterdicta munera, & munus producendi qualitatem influxam necessariam ad sensum & motum, habet aliud, scilicet conservandi species & producendi eas in sensibus internis & in cerebro; quo fit ut si spiritus quiescunt, solùm appareat objectum in uno situ; si autem moveantur, cùm in eis fiunt species, & eas producant apparet objectum bis, seu in duplici situ, quia in diversis partibus cerebri recipitur, & sic apparet objectum moveri quod reverà quiescit. Sed contra est, quia non potest habere ortum hoc symptoma ex eo quod species in spiritibus cõserventur in absentia objectorum, vel secùs, quia licèt fateamur speciem propter spirituum motum bis produci in organo secundùm diversas partes ejus, non tamen sequitur apparere moveri, sed solùm duplici operatione cognosci, sicut quantumvis in duplici oculo, vel duplici aure producatur species objecti, nihil aliud facit quàm quod duplici operatione cognoscatur, non verò quod appareat moveri: ergo hoc idem contingit in cerebro.

Deindè quia prædictum symptoma non minùs contingit quando præsens est externum objectum, quàm si abesset: sed quando est præsens, species recipitur in aëre medio, qui quantumvis moveatur, non apparet objectum moveri; ergo similiter quantumvis moveantur spiritus, ex eo quod species in eis recipiantur quando est præsens objectum, non apparebit moveri.

Alij dicunt ad prædictum symptoma non sufficere motum spirituum intra cerebrum, sed esse necessarium crassos vapores aut spiritus crassiores factos descendere ad oculos & apponi ante humorem crystallinum, qui in eo spatio moveantur, & sic propter reflexionem specierum per crassos vapores qui moveutur, apparet res quiescens moveri non aliter quàm nummus existens intra aquam, quando aqua movetur per reflexionem specierum nummum repræsentantium per diversas lineas, & non per lineam rectam, quod non contingit in aëre ob ejus tenuitatem: ad hoc enim quod species reflectantur oportet corpus quamdam crassitiem habere. Fundamentum autem hujus est quia non sufficit læsio alicujus actionis internæ ad hoc symptoma nisi visio lædatur.

Sed iste modus dicendi falsus est, sicut & præcedens, quia in vertigine non solùm res externa apparet moveri, sed clausis oculis quando nihil extra videtur, caput laborantis & totum corpus ejus apparet moveri: sed tunc talis motus non potest nasci ex eo quod reflectatur & modificetur species alicujus objecti externi à vapore crasso se movente ante humorem crystallinum: ergo ratio dicta est insufficiens.

Nobis autem dicendum est cum Galeno & Medicorum omnium opinione prædictum symptoma reduci ad inordinatum motum spirituum animalium in cerebro ex eo præcisè quod hujusmodi spiritus habeant rationem medij ad hanc læsionem circa objecta externa, idque ratione specierum, non quidem ut asserebat prior sententia, quia species bis producatur in diversis partibus cerebri discontinuis, ità ut aliqua pars illius sine specie remaneret, sed quia species objectorum in spiritu modificantur ex ejus motu, ità ut objecta apprehendantur quasi quod moventur, ut contingit in aqua mota in qua nummus videtur moveri propter modificationem ejus speciei cum motu medij, scilicèt aquæ. Neque ad hoc est necesse spiritus adquirere majorem crassitiem quàm pro natura habent, sed sufficit propria crassities. Unde colligimus impertinens esse ad hoc ut prædictum symptoma sequatur quod spiritus animales conservant species, aut secùs in absentia objecti externi; quia etiam si non conservetur in eis cum in illis recipiantur, & producant alias, idem symptoma contingere ex eo solum quod impotentia conserventur species & producantur in spiritibus iterum.

Cum hac nostra sententia tenemur fateri sensū internū de facto cognoscere sensibile commune, scilicet motum quam priùs fuit.

Asserit

vit cognitum per aliquem ſenſum externũ, ex eo quod cognoſcitur ſpecies objecti modificata per motum ſpirituũ qua ad intra moventur.

Aſſerit quidam noſtræ Scholæ Primarius, doctrinam Petri Garciæ circa naturam vertiginis ſuſtineri non poſſe ob allatum Inconveniens à nobis *capit. proprio in margine*, ob ſpeciale urgumentum ab eo poſitum, videlicet quia idem in ſpecie objectum ſemper producit ſpeciem ejuſdem naturæ: ſed motus in quolibet corpore eſt idem in ſpecie; ergo ſemper producit ſpeciem ejuſdem naturæ: ſed poſitâ ſpecie motûs albi in imaginatione, imaginatio non conciperet objectum album motum, ſecùs verò poſitâ in potentiâ viſivâ: ergo ſi motus ſpirituum eſt ejuſdem ſpeciei infimæ cum motu corporis albi verbi gratiâ, & poſitâ ſpecie hujus in imaginatione, non imaginabitur album objectum motum, ex eo quod non ſit denudata, & proportionata talis ſpecies albi moti cum imaginatione, ſequitur à primo ad ultimum quod ſpecies modalis motus, producitur ab ſpiritibus agitatis ut circumvolutis non poſſit immutare imaginationem, quemadmodum ſpecies albi moti quæ recipitur in potentia viſivo, non immutaret imaginationem ſi in ea poneretur uſquequò denudetur.

Hoc argumentum putat difficillimum, & convincere contra Petrum Garciam evidenter: ſed non videt ſolam diverſitatem numericam in ſpeciebus motûs ſufficere ad hoc ut prædicata quæ de uno verificantur non verificentur de ulio, licèt in ſpecifica conveniant, ue proindè ſpecies motûs ſpirituum poterit eſſe proportionata, etſi hæc non poteſt immutare imaginationem quia priùs debet migrare per ſenſus antecedentes ad imaginationem. Tota vis argumenti refunditur in hoc quod eſt non poſſe imaginationem percipere objectum quod priùs non fuerit ſenſatum per ſenſum externum; & hæc eſt difficultas communis, quam in margine adduco in hoc libro, ac per conſequens non erit ſpeciale dubium ab eo poſitum in doctrina Magiſtri.

Aliud adducit contra Magiſtrum, ſcilicèt quod ſequatur ex ejus doctrina quod priùs facultas viſiva videat objectum quietum, & poſteà ut motum: nam priùs eſt potentiam viſivam recipere ſpeciem objecti externi quieti, ut reverà quieſcit, & poſteà quod producatur in imaginatione ulia ſpecies ejuſdem objecti, ſolo numero diverſa, & hac receptâ in ſpiritibus, ipſiſque motis modificetur ſpecies ſenſibilis proprij à motu ſpirituum; & denique producatur in imaginatione: ſed ante totum hoc priùs viſiva facultas debet elicere viſionem objecti ut quieti, quia tali ſpecie informatur: ergo ſemper debet antecedere perceptio objecti quieti unte perceptionem iſtius ut moti. Sed non videt hic Autor ità inſtantaneum eſſe tempus quod mediat ut non ſit ſenſibile ad hoc ue hæ perceptione diſtinguantur, & ſic nihil contra Petrum Garciam adducit.

Attamen in hac re diverſo modo philoſophatur, & dicit, abſque modificatione ulla motûs, objectum reverà quietum, imaginationi apparere ut motum; ait enim ſpiritibus in gyrum motis, neceſſariò producere ſucceſſivè in diverſis partibus ſubjecti (cerebri ſcilicet) ſpeciem objecti ad extra exiſtentem quem habent in ſe receptam, & conſervatam; & cùm talis ſpecies repræſentet objectum in diverſo loco, ex propria naturu, vel quia producitur ab agente exiſtente in diverſo loco, nempè ſpiritu, vel quia in diverſis partibus cerebri in quibus ſubjectantur ipſæ ſpecies, diverſimodè ſituatum percipitur, quia fiunt plures ſenſationes ſucceſſivæ, ſpeciebus receptis in diverſis partibus cerebri in gyrum; hinc fit ut abſqua modificatione ulla objectum reverà quietum moveri appareat.

Sed tamen contra iſtum Autorem plura meo videri difficillima militant; nam vel tale objectum apparet moveri in vertiginoſis, præciſè propter motum ſpirituum in gyrum, habentibus virtutem conſervandi ſpeciem quæ hoc ipſo quod producatur in potentia repræſentat objectum in diverſo loco, quia ſpiritus eam producens, eſt in diverſo loco ſucceſſivè dum in gyrum movetur; & hoc modo incidit in idem inconveniens, ac ipſe Petrus Garcia; nam tunc jam per aliquam ſpeciem repræſentatur motus, hoc eſt objectum in diverſis localibus præſentiis (nam alio modo, percipi non poteſt motus meliùs, ut idem Autor fatetur) ſed talis ſpecies motûs ad intra producitur, quin ad extra præceſſerit; ergo quemadmodum, per modificationem conceſſam à Petro Garcia ex motu ſpirituum, ſequitur imaginationem percipere aliquod objectum quod non fuerit perceptum per viſum; ſic in hac opinione.

Si verò dicas objectum apparere motum, quia prædicta ſpecies ſenſibilis proprij recipitur ſucceſſivè in diverſis partibus cerebri in gyrum. Contra etiam argumentor; nam hoc non eſt neceſſarium ut objectum imaginetur motum; nam ſolo poſito, inordinato motu ſpirituum, ſi per poſſibile vel impoſſibile, omnes ſpecies objecti reciperentur in unica parte ſubjecti repræſentarent objectum ſub diverſis præſentiis, ut patet in probabiliori opinione dicentium omnes partes extenſionis cujuſlibet objecti ſubordinari in productione ſpeciei impreſſæ; in quo caſu in qualibet indiviſibili parte medij repræſentatur totum objectum extenſum: ergo ſic ſimiliter licèt producantur diverſæ ſpecies, à diverſis ſpiritibus, vel ab eodem in diverſis locis exiſtenti in unica parte ſubjecti, nempè cerebri, imaginabitur objectum motum, quia quælibet ſpecies repræſentat objectum in diverſo loco ubi eſt ſpiritus ſpeciem producens: ergo impertinens eſt quod producatur ſpecies ſucceſſivè in diverſis partibus ſubjecti, ac per conſequens ruit doctrina Recentioris.

Præterea ſi ſucceſſivè producitur ſpecies in diverſis partibus cerebri, priùs fieri debet ſenſatio objecti in una parte, & deindè in aliu, & ſic de aliis partibus; ergo quælibet ſenſatio quæ prior fuit alterâ, jam præterivit, dum altera ſubſequetur, in nuva parte cerebri: ſed ſi præterivit & non actu eſt, non poterit objectum apparere vel imaginari ut movetur actualiter, quia ad hoc ſenſationes in gyrum in diverſis partibus ſimul & actu deberent eſſe; ergo non apparet moveri

moveri objectum, quia successivè in diversis partibus cerebri producatur species illius.

Si verò respondeas ibi manere conservatas species in diversis partibus in quibus successivè producuntur, & hoc sufficere ut simol per novam excitationem sentiatur, & imaginetur objectum in diversis partibus, sequitur quod clausis oculis fit vertigo: & quia Autor affirmat per parvum tempus non esse inconveniens, quia affirmat hoc à fortiori esse concedendum toto tempore quo conservantur spiritus in quibus species subjectabantur, usque dum resolvantur. Probo etiam per multum tempus & etiamsi resolvantur prædicti spiritus vertiginem esse concedendam, adhuc clausis oculis: nam species possunt conservari in diversis partibus potentiæ imaginativæ in quibus fuerunt productæ ab spiritibus; ergo poterunt simul excitatis conducere ut objectum sentiatur in diversis partibus clausis oculis: sed hoc ipso erit vertigo, ut ipse Recentior probat; ergo. Et si dicat absentibus spiritibus in qoibus species conservabantur, hoc essa impossibile, arguo sic in illum. Cur species existentes & conservatæ in diversis partibus potentiæ, non poterunt producere in spiritibus qui de novo sunt geniti (clausis adhuc oculis) alias species, sicut species existentes in spiritibus producunt eas in potentia, & in diversis partibus illius, ut Recentior tenet, ac per consequens de novo immutabunt potentiam secundum diversas partes, & erit vertigo per multum tempus, clausis oculis, quod ipse negat.

Dices, primò sequitur ex hoc, sine motu spirituum animalium vertiginem fieri: nam vapora crasso existente motu, intra cerebrum etiamsi quiescat spiritus, fiet productio specierum in cerebro cum ipsa modificatione: fiet ergo idem symptoma.

Respondetur per vaporem motum intra cerebrum non fieri modificationem in illa specie, prout à subjecto, medio quo communicantur species internæ, quia modificatio non fit nisi à corpore in quo subjectantur: cùm igitur non subjectentur in vaporibus crassis, sed in spiritibus, indè est quod per motum spirituum fiat modificatio in speciebus, non verò per motum vaporum: sed reverà nullum est argumentum, quod probat non posse in illis vaporibus subjectari species objectorum, ac proindè possumus dicere ut à calumnia Galen. liberemus, nomine spirituum etiam intelligere vapores: dicere autem in spiritibus esse peculiarem dispositionem ut in ipsis species recipiantur, & non in vaporibus, videtur ad libitum, & sine ratione.

Dices secundò: species non potest modificari nisi ob sensibile commune quod est simul cum proprio: sed motus medij est in alio subjecto ac proprium visibile de quo est sermo: ergo species hujus à moto existente in alio nequit modificari. Sed facilè Respondetur negando antecedens; non enim est necessarium sensibile commune esse in eadem parte, ac est proprium, ut faciat dictam modificationem: Et probatur quia medietas baculi existentis in qua apparet densior quàm alia existens in aere, solùm quia medium scilicet aqua, per quam illa medietas videtur, est densior: ergo non est necessarium quod sensibile commune modificans proprium, sit in eadem parte in qua est proprium. Et hujus rei stant quamplura exempla quæ brevitatis gratiâ omitto.

Dices tertiò: licèt, ut dictum est, ad prædictum symptoma non sit necessarium quòd species conserventur in spiritibus, tamen de facto conservari in eis concedimus: sed si ità est, species quæ conservantur, non poterunt modificari per motum eorum utpotè videtur necessarium de novo species debere produci, ut modificentur: sed non possunt de novo produci, cùm similes jam sint productæ in spiritibos, & duo accidentia solo numero diversa in eodem subjecto non possunt existere juxta Philosophos. Ergo.

Respondetur quòd licèt non producantur de novo species cum eisdemmet quæ conservantur in spiritibus appareret res moveri, si spiritus moveantur, & non esse necessarium quod de novo producantur species. Id patet in exemplo externo: nam ponamus intra aquam quiescentem existere nummum, species ejus reflectitur, & modum quietis habet: nam per motum non redditur aqua apta ad reflexionem; tunc sic moveatur aqua, tunc enim eadem numero species quæ in ea est recepta modificatur illo motu & nummus apparet moveri & anteà quiescere, & ratio est, quia ideò quando objectum movetur producit modum in specie sua, quia est modus, scilicèt modus in ipso, sed quando movetur medium cum specie quam recipit vel conservat species internum modum diversæ præsentiæ successivè adquirit, ergo in alia quam producit, causabit modum qui repræsentet objectum sub tali modo, etiam si motus in alio fit quàm in objecto, ac proindè ex eo quod moveantur spiritus animales, talis modus motùs potest produci in speciebus quæ in eis conservantur; posteà autem species quæ est in spiritibus modificata per motum eorum, necessariò in potentia interna debet de novo producere speciem modificatam illo motu: nam in specie objecti quæ in potentiis conservatur, non potest produci illa modificatio, cùm independenter ab spiritibus conservetur in potentia qualibet interna quæ habeat vim conservandi & hoc sufficit ut objectum visibile appareat moveri imaginationi, non autem visui: ad hoc autem ut visui appareat objectum moveri, necessarium est de novo produci speciem ab objecto in spiritibus, quibus motis producatur in eis illa modificatio, & indè species quæ est in spiritu producat aliam modificatam in ipsa potentia, quo fiet ut objectum visui appareat moveri: ad hoc autem ut imaginationi tantùm appareat moveri, & non visui, sufficit quod

ſpecies objecti quæ cõſervabatur in ſpiritibus per eorum motum modificetur, & rursùs hæc ſpecies modificata producat ſimilem in potentia, quo fit ut ſtatim imaginetur quin objectum moveretur, tranſactâ verò vertigine, cùm adhuc maneat ſpecies cum illo modomotus, percipiet imagioatio objectum moveri, ſicut anteà, ſed non erit talis actio ſymptomatica, quia jam morbus ceſſavit.

Ultimò denique dubitatur quâ ratione fiat ut in aliquibus vertiginoſis sẽtiatur proprium caput moveri; & licèt aliqui ad imaginationem depravatam id reducant, tamen non apparet poſſibile, cùm non ſit propria ſpecies ſenſibilis quæ repræſentet proprium caput laborantis; modus autem motûs debet modificare ſpeciem ſenſibilia proprij: cùm autem hæc videatur impoſſibilia, etiam difficile videtur aliquem vertiginoſum poſſe imaginari proprium caput moveri. Sed dicendum nobis eſt quod ſaltim per reflexionem poſſit dari ſpecies propria capitis illius qui laborat vertigine; hæc autem poteſt in ſpiritibus conſervari; quo fit ut ſi moveantur ſpiritus, illa ſpecies modificationem recipiat, & rursùs producat aliam in imaginatione, ut paulò *ſuprà* diximus; quo fit ut imaginationi appareat proprium caput moveri, licèt non viſui: hoc autem non omnibus vertiginoſis evenit, vel quia non neceſſariò in omnibus debet eſſe propria ſpecies capitis, ſaltim per reflexionem, vel ſi eſt talis ſpecies in ſpiritu, poteſt contingere ut adeò ſit remiſſa, ut non poſſit intendere illam quæ eſt in cerebro, licèt moveantur ſpiritus, non perducetur modus in illis ſpeciebus, & ſic non apparebit caput moveri. Deniqne ſequitur ibi non eſſe actionem externi ſenſus cum deceptione: nam non eſt viſus, cùm clauſis oculis hujuſmodi ſymptoma quo proprium caput apparet moveri, contingat: ſi tamen aliquis eſſet, maximè tactus; in hoc autem deceptio non poteſt contingere, quia perciperet objectum quod reverà moveretur, & non aliud; tactus enim ſolùm percipit rem moveri quatenùs eam tangit in diverſis præſentiis, quo fit ut adhoc ut percipiat objectum moveri, reverà tangat eum in diverſis præſentiis, & ſic quoad motum non poſſit decipi; in ſenſu autem viſûs eſt diverſa ratio, quia percipit objectum per diverſas, lineas in quo poſt eſſe deceptio.

CAPVT IV.

De parte affecta, facultatéque cujus actio eſt læſa.

Communis ſententia inter Autores eſt, in vertigine partem affectam eſſe cerebrum, ſive afficiatur per propriam paſſionem, ut quando in eo ſit cauſa quæ ſufficiat pro inordinato motu ſpirituum, aut quia efficiatur per conſenſum, ut quando ex ventriculo, vel qualibet alia parte aſcendant vapores ad cerebrum quæ ſecum movent ſpiritus, & prædictum motum inordinatum vapores dicti in ſpiritibus cauſant. Quod autem cerebrum ſit pars affecta, conſtat ex Paulo dicente fieri vertiginem cùm frigidus glutinoſúſque humor cerebrum occupat: Et pro hac parte ſtant quampluries autoritates aphoriſticæ, in quibus hoc expreſsè fatetur; brevitatis tamen gratiâ ab eis ſuperſedere decrevi. Quando autem tenebroſa vertigo eſt, non ſolùm cerebrum, ſed oculi patiuntur per conſenſum, ſicut in alia ſpecie in qua concidunt, patitur per conſenſum ſpinalis medulla; unde nervi aut muſculi motorij procedunt.

Dices contra nos, quia videtur prædictum ſymptoma contingere citra affectionem cerebri: nam ex eo ſolùm quod oculi patiantur, ità ut ante humorem cryſtallinum vapor craſſus ponatur, ità ut moveatur, ſine dubio apparebit res extrà moveri: ſed hoc ſymptoma nullius eſt morbi præterquàm vertiginis: ergo cùm poſſit vapor communicari oculis ſine capite, ſequitur caput in hoc affectu non neceſſariò pati.

Sed pro ſolutione hujus argumenti oportet explicare cujus facultatis ſit prædictum ſymptoma; undè conſtabit an ſola apparitio rei externæ ut motæ conſtituat illud. Et dicendum nobis eſt in vertigine actionem facultatis internæ lædi; neque læſionem eſſe in actione viſûs, aut alicujus ſenſus externi neceſſariò. Ex dictis probatur, quia ſi ut dictum eſt, cerebrum eſt pars affecta: ergo aliqua ejus actio debet lædi: hæc autem aſſero eſſe imaginativæ potentiæ, & probatur ex Avicenna dicente, *Vertigo eſt ut habens ipſam imaginetur quod res ſuper ipſum volvantur.* Et probatur à ſufficienti enumeratione: nam in hoc affectu, non eſt læſa æſtimativa, cùm laborantes judicant verè res non moveri, licèt moveri imaginationi appareant: ſimiliter actio memoriæ in eis læſa non eſt, ut patet. Reſtat ergo læſionem eſſe ſolùm in actu imaginationis, quia error juxta ſimplicia ad imaginationem pertinet, ut ſiquis dicat tibicines adeſſe, error eſt in imaginativa; ſed ità ſe habet quando quis apprehendit rem moveri quæ reverà quieſcit; ergo cùm hic error ſit circa ſimplicia, ad imaginationem ſpectat, & eſt in actione depravata, quia non eſt ablata, cùm fiat, neque diminuta, quia non eſt remiſſior ſecundum intentionem quàm pro natura erit: ergo erit depravata.

Hinc ergo Reſpondeo ad argumentum ſuprà poſitum, concedendo illo modo poſſe decipi viſum, non tamen erit vertigo, quia hæc ſemper & neceſſariò poſtulat læſionem in imaginatione, neque ſufficit læſionem in viſione ſine læſione imaginationis; neque ex læſione ſenſûs externi, ſequitur neceſſariò debere lædi actum imaginationis, ut ſuperiùs diximus, & ſic ex læſione ſolius viſûs non ſequitur idem ſymptoma, nec vertigo poteſt dici.

Sed

Sed objicies contra dicta, quia si in vertigine actio imaginandi est læsa contra objecta visûs, non est ratio cur non lædatur circa objecta tactûs & auditûs, & cæterorũ sensuum objecta, quia omnes indigent spiritibus; ergo cùm hi moveantur; objecta omnium sensuum necessariò debent apparere moveri imaginationi, ac proindè non solùm erit vertigo circa objecta visûs, sed circa omnes sensus erit deceptio; quod experientiâ constat esse falsum: nam solùm ea quæ videntur, apparent moveri, non verò ea quæ audiuntur, aut tanguntur, etiam si per hos sensus motus & quies percipiantur. Et augetur difficultas: nam ideò per visum ea quæ quiescunt apparent imaginationi moveri, quia species sensibilis proprij quæ in ea est, modificatur per motum inordinatum spirituum, & sic species repræsentat modum motus: sed similiter species quæ sunt in imaginatione sensibilium aliorum sensuum sunt aptæ ad repræsentandum modum motûs causatum à motu objecti, & spirituum: ergo tunc percipiet imaginatio objecta aliorum sensibilium ut mota, ac proindè circa omnia erit vertigo, quod est contra experientiam.

Huic dubio respondet Petrus Garcia in vertigine læsâ imaginationem decipi solùm circa visibile, & non circa objecta aliorum sensuum externorum, quia læsio illa imaginationis est proportionalis huic objecto visus, & non aliis, ità ut si cùm in externis experimur aliquid esse medium aptum ut species quæ est in ipso producat aliam cum modo motûs; aliquod autem medium ineptum esse ad hoc, ità dicere possumus spiritus esse accommodatos ad productionem modi motûs in specie visibili, & non in specie aliorum sensuum externorum, nisi ab extrinseco cum modo motus species aliorum sensuum præter visûs sensum, producantur, & ità negandum est species aliorum sensuum modificari per motum internum spirituum, in quo autem consistat hæc diversitas ex parte spirituum, ait Petrus Garcia non posse exactè dici & explicari; quo, meo videri, argumentum videtur in sua prima vi manere.

Sed fortassè posset aliquis respondere non decipi imaginationem circa objectum tactûs aut auditûs in modo motûs, licèt spiritus in quibus recipiantur eorum species moveantur, quia potentia non aliter sentit objectum moveri per hos sensus, nisi quatenùs tangit objectum in diversa præsentia nunc quàm anteà (& idem dic de auditu) in quo non potest esse deceptio, ut patet. At verò visus non aliter percipit objectum moveri, nisi quatenùs repræsentatur per diversas lineas; cùm ergo licèt quiescat, potest repræsentari per diversas lineas, ex eo quod moveatur medium in quo recipiuntur (dummodò non sit ità tenue, sicut aër in quo non potest esse reflexio specierum) indè evenit ut motis spiritibus in quibus recipitur illa species visibilis, objectum repræsentetur per diversas lineas, licèt quiescat, & sic imaginationi apparet moveri.

Dices ulteriùs: sequitur omnem vertiginosum toto tempore quo laborat vertigine, omnia objecta percipere ut mota, quæ in re quiescant: probatur, quia cùm spiritus moveantur, quælibet species objecti visibilis modificabitur per motum spirituum, & sic repræsentabit objectum ut motum.

Respondetur spiritum non esse necessarium secundum omnem partem moveri, neque species omnes esse in qualibet parte spiritus, & sic non quælibet species modificabitur motu spirituum. Præterquam quod potest non approximari potentiæ hæc vel alia species, & sic licèt sit modificata non apparebit objectum moveri, & quia adhoc ut appareat objectum moveri, debet esse nova productio speciei, aut conservatio, ut *suprà cap. præcedenti*, diximus, & sic objecti cujus non sit nova productio, non apparebit motus.

Dices iterum, quia videtur in vertigine non solùm esse læsionem in imaginatione, sed etiam in potentia cogitativa & memoria, quia imaginativa producit in æstimativa speciem rei motæ quæ in re non moventur: ergo æstimativa (& idem dico de memoria) percipit rem moveri quæ reverà non movetur, ac proindè ejus actio erit læsa. Deindè quia non minùs possunt modificari in spiritibus species cogitativæ per eorum motum inordinatum, quàm species imaginativæ: ergo non minùs una potentia quàm alia percipiet objectum moveri quod reverà quiescit.

Respondetur quod sicut potest esse dispositio præternaturam in organo quæ lædat unam potentiam, & non alteram, ut *suprà in disp. de læsione memoriæ* dixi; ità potest esse vitium in spiritu proportionale, ut lædatur actio imaginativæ, & non æstimativæ; neque ex eo quod imaginatio producat speciem objecti moventis in æstimativa, sequitur æstimativam errare, quia potest corrigere talem actum, ut de facto contingit, & hoc etiam facit, licèt species ipsius cogitativæ modificentur motu: nam facilè corrigit illum actum, & cognoscit motum illum solùm esse imaginatum. Et ratio est aperta, quia in prædicta potentia nullum est vitium in propria temperie, ac proindè non est quod impediat ad hoc ut corrigat illum actum. Tenebricosa tandem efficitur vertigo ex opacitate corporis in potentia visiva existentis, quæ impedimentum fit etiam lumini externo.

CAPUT V.

De causa Vertiginis.

AD curationem non est parvi momenti (causam vertiginis investigare; fit enim ex Gal. vertigo propter inordinatum motum spirituum, tum humorum, nomine quorum vapores etiam plures intelligunt: causam ergo hujus inordinati motûs quærimus. Et ut certa ab incertis separemus, dicimus vertiginem secundum accessionem aut posse fieri à causa procatarctica, vel externa excitante internam morbosam (nam aliàs vertigo symptoma non erit) aut denique potest fieri citra causam externam.

Causæ procatarcticæ vertiginis sunt aspectus rerum exteroarum quæ circumvolvuntur, aut agitatio ejusdem corporis, vel capitis in gyrum: nam in his spiritus sumunt occasionem ad motum ob rationem *suprà* dictam, tunc etiam quando quis vidit rem ex alto, est occasio ut moveantur spiritus, non quia producatur ab extrinseco aliquod moveos, sed medio timore existimo moveri, sicut in aliis passionibus animi. Similiter densitas cerebri à frigida vel sicca causa, etiam est occasio prædicti motûs spirituum, ex eo quod densato cerebro occluduntur pori & detinentur vapores, qui secum movent spiritus, & in hoc casu est peculiaris ratio morbi consistens in densitate distincta ab alia ratione morbi quâ flatus generantur; nam hæc in distemperie calida consistit, quæ valet elevare flatus, & ab aliquibus frigida dicitur, quia eos non valet discutere & resolvere.

Deindè aliam causam assignat Paulus, scilicèt compressio cerebri, aut constrictio calvariæ, ratione cujus spiritus impulsum recipiunt & incipiunt moveri; deindè calor externus, etiam ad id conducit, aut quatenùs elevare valet flatos, attenuando materialem causam ex qua fiunt, crassum scilicet & frigidum humorem; aut quia attenuat spiritus & leviores reddit, sieque incipiunt moveri. Quod significavit Avicennas dum asserit, ***Et quandoque fit non propter motum vaporis in cerebro, sed propter malitiam complexionis in ipso.***

Dices: posito quod causæ externæ non causant vertiginem absque interna dispositione quæ sit hæc, ratione cujus in aliquibus fit vertigo, & in aliis non. Resp. internam dispositioné esse debilitaté cerebri, ratione cujus cerebrum non possit detinere spiritus ne moveantur inordinatè; accidit etiam quod ratione debilitatis facilè recipit tam internas quàm externas impressiones. Deindè ex parte spirituum etiam potest esse dispositio ad vertiginem: nam sicut in externis videmus aliqua corpora esse magis apta ad recipiendum impulsum, ut moveantur, alia minùs. Idem etiam poterit contingere in spiritu ut propter aliquam causam præternaturam, ità afficiantur patiantúrve, ut levi causâ accedente externâ vel internâ virtutem recipiant, ut moveantur.

De causa interna dicimus esse omnes illas quæ valeot spiritus movere, ut vapores calidi aut humores à Galeno adducuntur. De flatibus non est dubium: nam prætetquam quod insinuat Gal. à vapotosâ materia excitari, experientiâ etiam compertum & ab omnibus Practicis satis usitatum, ut plures hoc morbo affecti liberentur, sectione arteriarum post aures, quia impeditur commonicatio vaporum ad cerebrum per illas vias. Avicennas magis universaliter locutus fuit, dicens in omni specie vertiginis incipiendum esse à sectione venæ cephalicæ, & deindè venas quæ sunt post aures debere secari, non aliter nisi quia per hoc impeditur vaporum communicatio.

Sed dubitabis an vertigo sit ab humore mediatè, idest an sit necessarium in flatum mutari ab ipso humore, immediatè fiat. Et dicendum est utplurimum fieri ab homore mediatè, idest converso in flatum, quia opus est causam sursum moveri, & hunc motum non possunt habere humores, tamen non implicare fieri aliquando ab humore, nullo interveniente flatu: nam poterat humor moveri sursum à parte irritata impulsu communicato, in quo casu inordinatum motum spirituum causabit, ac proindè vertiginem, à flatu tamen fieri frequenter certum esse debet.

Indè fit etiam non solùm à pituita, sed ab omnibus humoribus posse elevari flatus qui sufficiant pro motu inordinato spirituum, verùm etiam ipsi humores immediatè, ut dicemus paulò *infrà*, quando possunt moveri sursum ratione impulsûs ab aliqua parte irritata; quo fit ut ab omnibus humoribus tam mediatè quàm immediatè modo explicato vertigo causari possit.

CAPUT VI.

De differentiis Vertiginis.

COMMUNITER jam receptum est ab omnibus Autoribus tres esse species vertiginis; prima per propriam passionem: Secunda per consensum cum omnibus venis, vel saltim cum majoribus & amplioribus quæ in corpore sunt: Tertia per consensum cum ventriculo: istæ autem tres claudunrur in duobus, hoc est quando patitur per propriam passionem, vel quando patitur cerebrum per consensum; in omnibus autem debere pati cerebrum certum est ex dictis: nam aliàs non esset aliqua ejus actio læsa; contrarium autem experientiâ constat, cùm videamus in vertiginosis læsam esse imaginationem; signum ergo est evidens pati cerebrum in qualibet hujus affectûs specie.

Licèt autem Autores solùm faciant mentionem de illa specie vertiginis in qua patitur cerebrum per consensum cum ventriculo. Tamen non est dubium quin sint aliæ partes cum quibus cerebrum consentit & vertiginem pati solet, tales sunt uterus atque cor, ex quibus & aliis possunt vapores elevari, licèt utplurimùm fiat ex stomacho; ob quod ventriculi in speciali faciunt mentionem Autores.

Sed adverte quod quando fit per consensum cum ventriculo, non est necessarium ob hoc communicari aliquam substantiam cerebro; sed satis est communicari qualitatem sine materia: quænam autem hæc sit dubitatur, & dicimus nullam esse qualitatem secundam, cùm hæc per continui alterationem prodoci nequeat, esse tamen calorem communicatum per continui alteratione qui valet spiritus attenuare, ratione cujus sursùm moventur, & ejus motus inordinatus fit, ac proindè vertigo.

DISPUTATIO



DISPUTATIO XVIII.

De Epilepsia.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Epilepsia, & in quo consistat natura hujus morbi.



PILEPSIA ab omnibus Medicis inter soporosas affectiones solet connumerari & præcipuè apud Aristotelem *in fine lib. de somno & vigilia*, & à Galen. sic describitur *lib. 3. de locis cap. 7.* dicens *Atque morbus comitialis, convulsio est omnium partium corporis; non perpetua, sicut in emprosthotono, & opisthotono & tetano videre est, sed quæ ex temporum accidit intervallis; neque solùm hac re, sed mentis quoque ac sensuum oblæsione. Ex jam dictis convulsionum generibus differt.* Ubi verbum *convulsio* ponitur loco generis, & per verbum *non perpetua*, differt ab illis speciebus convulsionis numeratis in definitione in quibus perpetua convulsio reperitur, id est longo tempore durans; in epilepsia verò non est perpetua, id est non durat per longum tempus, sed quibusdam intervallis adest, & posteà cessat; tum etiam quia dicta convulsio quæ in epilepsia, morbo comitiali dicta reperitur, est simul cum læsione sensûs & motûs, utpotè in ea cerebrum afficitur, & in aliis convulsionibus non.

Avicenn. tamen *fen 1. lib. 3. tract. 5. cap. 8.* sic explicat ejus naturam, *Epilepsia est ægritudo prohibens membra animata ab operationibus sensûs & motûs & erectionis non integra.* Ecce ubi Galen. per symptomata, & Avicen. per morbum epilepsiam definiunt, ut frequenter esse solent.

His ergo prælibatis, quæritur in quo consistat hujus morbi essentia. Circa quod communiter solet affirmari epilepsiam consistere in obstructione ventriculorum cerebri. Et ratio quæ pro hac sententia adducitur, est sequens, quia in epilepsia est privatio sensûs interni & externi; ità ut sit unum ex ejus symptomatibus: sed nequit esse privatio hujusmodi, quin sint obstructi ventriculi cerebri, cùm aliter non possit impediri transitus spirituum animalium; ergo in obstructione debet consistere.

Alia est opinio asserentium hunc morbum non consistere in vera obstructione ventriculorum cerebri: Et probant primò quia si epilepsia in obstructione ventriculorum vera consistit, non differret ab apoplexia quæ in obstructione etiam consistit, & ab eodem humore facta. Neque valet dicere in apoplexia esse majorem obstructionem & sic differre ab epilepsia in qua multò minor est. Tamen contra est, quia sequitur ex hoc semper præcedere epilepsiam quando quis laborat apoplexià: probatur; nam cùm repletio illa cavitatum in apoplexia non fiat simul, necessum est ut præcedat minor repletio ad majorem repletionem necessariam ad apoplexiam: sed si necessariò debet præcedere minor repletio in ventriculis; necessariò debet præcedere epilepsia, cùm hæc in minori repletione consistat: ergo nequit dari apoplexia quin præcedat ad eam epilepsia; quod est absurdum; ac proindè non secundùm magis & minus in genere obstructionis differunt; debet ergo epilepsia in alio quàm in obstructione ventriculorum consistere. Et simili fundamento etiam debebamus colligere etiam post apoplexiam sequi epilepsiam, cùm illa obstructio apoplexiæ non deficiat simul, sed successivè, ac proindè dum diminuitur, est minor obstructio quæ non sufficiat ad apoplexiam, & constituat epilepsiam.

Similem sententiam huic tenet Rondeletius *cap. de epilepsia*, ità ut affirmet non solùm epilepsiam per propriam passionem, sed etiam per consensum, non consistere in obstructione; sed solùm in hoc affectu propter irritationem concuti cerebrum ad expulsionem nocentis. Et probat, quia si in obstructione ventriculorum cerebri consisteret impediente communicationem spirituum animalium, sequitur quod sicut in epilepsia cessat sensus, cesset etiam motus, aut remissiori modo fieri, cùm eadem sit virtus ad utrumque; sed constat motum valde intensiorem fieri; non ergo in obstructione consistit. Secundò quia sternutamentum est quædam epilepsia parva; & tamen in illa nulla est obstructio, sed quædam irritatio facta in cerebro, mediâ quâ movetur ad expellendum nocivum: ergo idem in epilepsia magna debet contingere.

CAPUT II.

Quo pacto solvant Autores argumenta Fernelij & Rondeletij adducta.

VISUM fuit *in præsenti cap.* argumenta suprà posita à Fernelio & Rondeletio dissolvere juxta aliorum placita; & quidem qui affirmant epilepsiam in obstructione consistere, respondent ad argumentum Fernelij dicendo non esse necessarium epilepsiam semper præcedere apoplexiam: nam licèt verum sit quod successivè apoplexia fiat; ità parvo tempore causatur; ut illa minor obstructio quæ physicè præcedit non est sufficiens ad causandam epilepsiam medicam, nam ità parvo tempore durat; ut priùs quàm accidentia epilepsiæ sensibilia sint, sit integra cerebri obstructio; ac per consequens apoplexia, & ejus symptomata; & idem dico de epilepsia quam dicebant subsequi necessariò ad apoplexiam: nam propter eandem rationem propter quam diximus epilepsiam non debere præcedere ad apoplexiam, debemus dicere non subsequi ad eam.

Ad argumenta Rondeletij respondent Autores

tores & ad primum dicunt communiter omnes motum illum qui in epilepsia reperitur non fieri à facultate animali motiva, & ideò non indigere virtute cerebri aut spirituum; quando autem dicitur majorem virtutem requiri ad motum quàm ad sensum, intelligitur de motu facultatis animalis, quæ subordinatur appetitui. Cum hoc tamen verum stat quod in apoplexia, & epilepsia partes non omninò privantur virtute ad sensum & motum, sed remissè communicari à cerebro; quâ fit ut non sentiant nisi objectum sit intensè valdè molestans.

Ad secundum argumentum dicimus sternutamentum in rigore non esse veram epilepsiam parvam, adhuc per consensum, dici tamen parvam epilepsiam propter similitudinem in motu, quo facultas intendit expellere nocivam. Hoc autem responsum est juxta opinionem dicentium epilepsiam in obstructione consistere; in quavis tamen opinione negandum est, epilepsiam esse veram convulsionem, ut *infrà* latiùs dicemus.

CAPUT III.

In quo ponitur vera sententia.

NOBIS autem circa hanc rem videtur dicendum solam cerebri obstructionem non sufficere ad generationem epilepsiæ: nam duobus modis epilepsiam posse fieri dicimus, aut cum vera obstructione, aut citra illam; semper tamen erit verum epilepsiam esse morbum instrumentalem consistentem in cavitate vitiata.

Quod verò sola cerebri obstructio non sufficiat ad epilepsiæ generationem, sic notum facio: nam unum ex symptomatibus pathognomonicis epilepsiæ, est concussio omnium partium corporis, vel plurium nervorum, sed per solam obstructionem talis concussio fieri nequit, sicut non est quando in qualiber alia cavitate partis sentientis est humor obstruens: ergo morbus non est sola obstructio; sed potest fieri citra illam, quando videlicet cerebrum irritatur ab humore, sive per propriam passionem, sive per consensum, sive obstuat, sive secùs, quo fit ut cerebrum comprimatur ad expulsionem illius versus ventriculos ejus. Ecce ubi datur morbus in cavitate vitiata per compressionem cerebri sine propriè dicta obstructione, non est ergo ad epilepsiam necessaria, neque sola sufficit. Quam sententiam clarè dixit Avicen. & Gal. & alij plures Autores asserentes præter obstructionem necessariam esse irritationem in cerebro, ex qua concussio quæ reperitur in epilepsia sequatur. Quod totum latè qui voluerit videre, potest apud nostrum Petrum Garciam *in hac disputatione, capite prædicto.*

Vallesiua noster circa hanc rem existimavit quod licèt obstructio epilepsiæ ab obstructione apoplexiæ differat secundum magis & minus, ut constat ex Gal. 4. *de loc. cap.* 2. dicente, *Veriùm in sopore & morbo comitiali ventres magis cerebri, corpus minus &c.* Tamen morbum constituentem epilepsiam non differre secundum magis & minus à morbo constituente apoplexiam: nam symptomata horum morborum non differunt secundum magis & minus; nam in apoplexia est actio sensûs & motûs ablata, in epilepsia est actio quantum ad motum depravata: ergo hujusmodi affectus non differunt secundum magis & minus, licèt quoad obstructionem ità differant, quia privatio sensûs in utroque morbo secundum magis & minus est.

Sed ratio quæ *suprà* est posita ad probandum necessariò reperiri aliquam obstructionem in epilepsia indiget examine; sumitur autem ratio ex defectu sensûs interni & externi, qui non posset esse nisi adstet obstructio impediens communicationem spirituum animalium à cerebro in omnes partes. Nobis autem videtur dicendum quod licèt in epilepsia sit humor in cerebro obstruens ejus ventriculos, nihilominùs non esse necessarium ut symptoma dictum sequatur, scilicet privatio sensûs interni & externi. Assumptum probo: nam hujusmodi privatio potest procedere ab alia causa nempè ex compressione ipsius cerebri, quâ movetur ad expellendum nocivum humorem irritantem, quæ non minùs cavitates occupat quàm humor: ergo eodem modo impediet communicationem, ac proindè idem symptoma sequitur ex oppressione cerebri versus ventriculos quàm ex vera obstructione ex symptomate: ergo non colligitur necessariam esse obstructionem, licèt fateamur hanc reperiri in epilepsia.

Sed dices, sequitur ex hac doctrina, quod durante ipsâ accessione per intervalla partes privari sensu, & posteà minimè quod est contra experientiam. Sequelam probo, quia quando comprimitur cerebrum, est defectus spirituum animalium; quando verò dilatatur spiritus, debent communicari; siquidem cavitates fiunt majores, quo fit ut in ipsa accessione, modò sit privatio sensûs, modò non.

Respondetur eandem vim habere argumentum in opinione, dicentium epilepsiam per consensum fieri sine vera obstructione solùm per compressionem cerebri; siquidem etiam in illa quæ per consensum fit, est defectus sensûs. Præterea respondeo intra exiguum spatium fieri hanc cerebri agitationem, ità ut ventriculi destituantur spiritibus, ac proindè toto tempore accessionis, erit privatio sensûs: est ergo tanquam certum tenendum quod in epilepsia quæ fit concussione cerebri, non est obstructio morbus à quo procedit ille motus concussivus.

Hinc sequitur morbum à quo ille vitiosus motus oritur esse illum à quo procedit dolorosa & molesta sensatio, sive sit solutio continui, sive distemperies, ut quis voluerit opinari; respectu veræ privationis sensûs, morbus est occupatio cavitatum ab alio corpore, sive per obstructionem, sive compressionem cerebri, ut *suprà* dictum est. Neque ex eo quod in substantia cerebri sit exiguus sensus, colligere debemus irritationem dictam in ea non sentiri, quia licèt sit in substantia cerebri exiguus sensus, sufficiens tamen ad percipiendam irritationem objecti valde molestantis, undè irritatio non fit in

membranis

membranis solùm; sed in substantis cerebri, utpotè membranæ non moventur ab insita facultate, sed ad motum substantiæ cerebri, & sic ad motum convulsivum oportuit irritationem iu substantia fieri; aliàs enim non fieret talis motus; neque est credibile cerebrum moveri in subsidium membranarum facta in his tantùm irritatione, quia principalior est pars cerebrum ipsis membranis, & sic non potest moveri in subsidium alterius minùs præcipuæ; posset autem moveri si esset pars minùs præcipua.

Dices: sequitur ex nostra doctrina quod in epilepsia per propriam passionem posse cerebrum concuti sine aliquo sensu qualitatis irritantis, ex eo solùm quod humor obstruens impediat motum naturalem ipsius cerebri. Probatur: nam eadem facultate quâ moventur cor & arteriæ, movetur cerebrum: sed cor & arteriæ sola variatione finis sine cognitione ejus, diverso modo moventur: ergo similiter cerebrum per solam obstructionem impedientem motum ejus naturalem, poterit vario motu moveri & concuti.

Respondetur quod quantumvis impedimentum sit ad motum naturalem tam in corde quàm in arteriis & in cerebro, solùm faciet majorem dilatationem aut compressionem celeriorem, aut crebriorem pro diversa urgentia finis; motum verò concussivum nunquam fieri sine irritatione quæ cogat facultatem illum modum motûs facere quo concuti videatur.

Undè inferimus duplicem esse modum quo fit epilepsia juxta Gal. doctrinam, primum per concussionem cerebri (an verò hæc sufficiat ad motum nervosarum partium *cap. sequenti* videbimus) alio modo fit epilepsia per obstructionem cerebri sine concussione ipsius, ità ut communicetur causa aliqua irritans origini nervorum, quâ motûs concussivus in partes corporis sequatur, in quo casu erunt omnia symptomata pathognomonica epilepsiæ: nam defectus sensûs causabitur ab obstructione, & concussio partium corporis à portione humoris irritantis communicata origini nervorum.

Dices: si obstruitur cerebrum, necessariò concutitur ad ejus expulsionem, quia irritatur, & sic semper erit concussio in cerebro.

Respondetur Gale. nunquam fecisse mentionem hujus motus cerebri causati vi humoris impedientis & obstruentis, & dicimus quod licèt concedamus reperiri, esset impertinens ad talem affectum, quia sine illo sunt necessaria symptomata.

CAPUT IV.

An vera sit convulsio in epilepticis.

Non tamen motum convulsivū nō esse idē ac motū dilatationis & cōpressionis, sed

POSTQUAM jam egimus de natura epilepsiæ, restat quod agamus de ejus symptomatibus: & quidem duo sunt à nobis enumerata, privatio sensûs, de quo satis dictum habemus, & convulsio universalis totius corporis, de quo in præsenti totus erit noster sermo; & quidem quod Gal. multoties vocasset convulsionem motum convulsivum, constat ex ejus doctrina quampluribus in locis, quos quisque videre potest apud Garc. *in hoc cap.*

supra illum aliquid addit; quâ ratione non omnis motus pulsus dicitur convulsivus, etsi magna celeritate fiat; sed dicitur convulsivus, quando est talis modus motus ut alia partes moveantur ad extra, alia verò ad intrà, hoc enim propriè concuti est; at verò motus dilatationis & compressionis est motus solùm à superficie ad profunditatem, quod valde diversum est à concussione.

Sed dubium est, an nomen *convulsio* in definitione epilepsiæ significet verā convulsionem, an verò motum convulsivum: circa quod Comes Montanus tanquam certum supponit nomen *convulsio* in definitione epilapsiæ significare rigorosam & veram convulsionem, & non motum convulsivum: quod licèt ille non probet, probari potest ex eo quod convulsio est contractio musculorum versus suam originem præter voluntatem: sed hujusmodi est in epileptico motu; ergo in epilepsia est vera convulsio.

Sed vera sententia est in epilepticis non esse veram convulsionem, sed solùm motum concussivum, sive contractio illa musculorum fiat per motum cerebri, sive per irritationem in origine nervorum. Et probatur: nam in nulla vera convulsione talis modus reperitur in musculo laborante: ergo non est cur dicamus motum epilepticorum esse veram convulsionem, utpotè ast modus motus qui in vera convulsione non invenitur.

Prætereà quia dixit Galen. quod convulsio epilepticorum non erat perpetua sicut in opisthotono, emprosthorono & tetano: sed potiùs per certa intervalla repetere: sed si esset vera convulsio, nulla esset causa ob quam non esset perpetua, sicut prædictæ: ergo. Et ratio fundamentalis est quia vera convulsio, aut per repletionem, aut per inanitionem causari debet: sed quæ reperitur in epilepsia nullam causam istarum habet, non ergo est vera convulsio.

Hinc respondeo ad argumentum *suprà* positum, quia licèt motus epilepticus sit per contractionem nervorum versus suam originem, nihilominùs quia illa contractio non fit à morbo solùm, sed à facultate, ideò vera convulsio non potest nominari; requiritur enim ad veram convulsionem tanquam conditio necessaria quod contractio fiat à solo morbo.

Hinc sequitur motum concussivum esse inseparabile symptoma cujuslibet speciei epilepsiæ: nam etsi ab Avicen. dicatur aliquam speciem sine illo dari, debet intelligi sine motu concussivo in ipso cerebro, quando scilicet fit epilepsia à materia obstruente, & non irritante; nunquam tamen fit epilepsia sine motu concussivo musculorum per communicationem portionis humoris, origini nervorum, vel musculorum irritantis ad ipsum motum.

Denique dubitamus an prædictus motus concussivus in epilepsia debeat esse universalis, ità ut in qualibet specie epilepsiæ omnes corporis partes moveantur. Et respondeo verū esse ad apilepsiam omnes musculos simul agitari in qualibet parte, neque in toto paroxysmo cujuslibet epilapsiæ simul: neque in definitione dicitur omnium partium, aut universalis convulsio, quia actu ità fit; sed quantum agitatur ex vi morbi, ità possit fieri.

Sed quæres, unde nascitur ut quidam epileptici convellantur, & alij non, sed uni secundum aliquas partes, & alij secundum alias.

Respondetur

Respondetur in opinione dicentium concussionem omnium partium oriri à concussione cerebri, consequentec debemus dicere id evenire quia cerebrum non iteitetur secundum omnes partes, & ità solùm illi musculi moventur qui correspondent parti cerebri quæ movetuc. Io alia verò opinione dicentium musculos moveri ratione communicationis humoris irritantis versus ejus originem faciliùs respondemus dicendo illos musculos moveri quibus in eo tempore fuit communicata materia quæ valeat iecitare.

CAPVT V.

Cujus facultatis symptoma sit hæc concussio.

PRo hujus rei exacta intelligentia notare oportet, vel in præsenti esse sermonem de motu concussivo ipsius cerebri, de quo ait Petr. Garcia tunc moveri cerebrum per modum naturæ, licèt ab anima sentiente procedat, estque respectu hujus actio depeavata ex irritatione præcedenti, deindè non est dubium ibi cepeeici naturalis facultatis expellentis symptoma, quando cerebrum lacessitur & concutitur ad expulsionē.

Sed in præsenti solùm est seemo de motu concussivo musculorum, circa quod Vallesius affirmavit *lib. 5. controvers. cap. 26.* esse symptoma facultatis animalis motivæ executivæ motûs: Et probat ex eo quod talis motus fit præcedente sensatione, vel cognitione, & mediis musculis fit media ieritatione: ergo est motus animalis. Neque valet dicere hunc motum non posse à nobis cohiberi, & sic non esse animalem & voluntarium, quia etiam si respicatio dormientium à dicta facultate animali fiat, tamen ejus motus à facultate non potest cohiberi peopter impedimentum somni: sic ergo in epilepsia talis motus nequit cohiberi ratione morbi, contrarium autem contingeret si non esset morbus: Præterquam quod ego existimo non esse de ratione motûs animalis quod nos possimus eum cohibere, vel non: juxta hanc verò Vallesij sententiam musculi moventur virtute communicatâ à cerebro, tali enim dispositione indigent ad actionem illius facultatis.

Nostra tamen sententia sit, quòd si loquamur de motu musculorum qui fit ex motu ipsius cerebri se habentis ut trunci, & musculi ut rami ab eo procedentes; tunc sicut moto trunco ad ejus motum moventur rami, sic moto cerebro ad ejus motum, musculi ab eo dependentes moventur, qui motus in musculis est omninò naturalis, quia neque fit à musculis ratione sui, sed ad motum alterius: neque fit in eis præcedente cognitione sensationéve: ergo quando musculi ad motum cerebri moventur, ejus motus omninò naturalis est, & nullatenùs requirit irritationem nec sensationem præcedentem in eis: quo fit satis ad argumentum Vallesij qui absolutè de motu musculorum loquens, ait esse facultatis animalis motivæ.

Si verò loquamur de motu musculorum, qui fit communicatâ aliquâ portione humoris ieritantis ad originem nervorum, nullo adstante motu concussivo in cerebro, & sola obstructione ejus ventriculos occupante, ratione cujus in epilepsia est privatio sensûs; tunc dicimus hujusmodi motum pertinere ad facultetem animalem motivam, quia fit præcedente cognitione seu sensetione: si enim non esset ieritatio, talis motus in eis non esset quo concutiuntur ad expellendum nocivum.

Neque contra nostram conclusionem facit, quod si ille motus fit à facultate animali motiva, & eadem virtus est ad sensum & motum, quomodò intensus est motus?

Respondetur etiam in illa parte, quæ movetur esse virtutem ad sensum, & de facto sentire, haberéque sensum proportionatum ad talem motum; etiamsi sensus remissior sit, quàm in bene valentibus; sufficiens tamen virtus est ad sensum proportionatum cum illo motu, etiam si vis diminuta sit.

Sed mihi videtur dicendum contre Petr. Garciam, etiam motum concussivum cerebri esse animalem, quia fit præsuppositâ sensatione, sicut motus musculorum qui à nobis dicitur animalis.

Non negat Petr. Garcia motum cerebri esse animalē, sed motum musculorum factum vi motûs cerebri, sicut motus rami moto trunco, quod non contradicit Petr. Garc.

CAPUT VI.

Quæ pars affecta in epilepsia.

COMMUNIS consensus omnium Medicorum est in epilepsia partem affectam esse cerebrum, sive dictus affectus sit per propriam passionem, sive per consensum, quod ex læsione actionum quæ in eo contingit manifestum fit.

Sed cùm *suprà* diximus hunc morbum esse instrumentalem affectis cerebri ventriculis, vel ab humore crasso & glutinoso, vel sola compressione cerebri, nunc in præsenti examinandum restat, an hujusmodi affectio debeat esse secundum omnes cerebri ventriculos, an verò solùm secundum aliquos. Circa quod breviter nobis dicendum est pati cerebrum secundum omnes ejus ventriculos, & imprimis quod secundum anteriores patiatur, constat ex eo quod ità affecti frequenter læsionem patiuntur in visu, & auditu, & in his quæ pertinent ad faciem, ità ut motus depravati lacertorum, faciei, & palpebrarum sequantur, & sic frequenter eorum quæ pertinent ad faciem, quæ omnia ex anteriori parte cerebri procedunt, ex eo quod nervi ab illa deriventur, & dependant; signum ergo est partem anteriorem cerebri pati, cùm nervi qui ab illa originantur, lædantur & depravati moveantur.

Quod autem medium ventriculum patiatur, constat ex læsione cogitativæ quam in hoc affectu experimur cecidere in medio ventriculo: Et similiter probamus posteriorem ventriculum pati ex læsione respirationis & aliarum partium quæ à posteriori ventriculo originantur. Sed adverte nos non colligere pati ventriculum posteriorem, ex eo quod

quod musculi quibus thorax movetur, originem ducant à ventriculo posteriori : nam,ut docet Gal. ab spinali medulla dimanant quæ in cervice est ; sufficit tamen ad veritatem nostræ sententiæ spinalem medullam à posteriori parte cerebri procedere , ità ut ex læsione illius partis cerebri respiratio lædatur , etiamsi possit lædi ex læsione solius spinæ. Galenus tamen *in fine cap. 7. lib. 3. de locis* dicit. *Cùm itaque spirationem vehementer impeditam difficultérque procedentem videris , non parvam in cerebro morbidam dispositionem esse conjicere debes ; itque in soporosis morbis quos nimirum omnes in cerebro fieri manifestum est.*

Undè deducimus læsionem in respiratione non esse tam intensam , sicut in apoplexia , & esse intensiorem quàm in caro. Undè etiam fit omnes ioteroas actiones , scilicet cogitativam , memoriam & imaginationem læsionem pati quoad diminutionem ; & de imaginatione de qua poterat esse majos dubium constat , quia jam probavimus partem aoteriorem cerebri lædi, in qua præcipuè vis imaginandi residet. Quantum verò attinet ad læsionem rationis & memoriæ , perpendite verba Galeo.3.*de locis,cap.7.* dum dicit : *Accedit ad hac , ut is , qui sic laborat, neque videat, neque audiat , neque ullo sensu quidpiam percipiat, ac ne consequi quidem possit, quid factum sit : sed cum memoria viribus ratio quoque laditur.* Quibus verbis claté constat in hoc affectu æstimativam & memoriam læsioné pati.

CAPUT VII.

An epilepsia fiat à pituitoso & crasso humore.

MAIOR Medicorum pars tenet epilepsiam per propriam passionem semper fieri à pituitoso & crasso humore, qui tanquam excrementum cerebri ponitur, & per nares & palatum expurgatur ; quo fit ut si hujusmodi humor non expurgetur, incidant homines in epilepsiam per propriam passionem. Quod confirmat Gal. & alij plures antiqui Autores & confirmant ex subita hujus affectus generatione & discussione quæ non fieret si ab intemperie alia causaretur.

Sed hanc communem veritatem turbare videntur aliqui Autores existimantes epilepsiam non fieri à frigido & crasso humore, ut vulgò intelligitur. Probant primò quia si abhoc humore fieret, non esset differentia inter apoplexiam, paralysin , & epilepsiam, tùm omnes ab eodem humore causentur : sed facilè huic argumento possumus respondere pro prima sententia dicendo sufficienter separari hujusmodi affectus penes tam diversa & manifesta symptomata quæ in eis reperiuntur , & ratione majoris , vel minoris obstructionis , licèt ab eodem humore fiant.

Dices epilepsiam & apoplexiam etiam differre in causa: sed apoplexia fit à frigido & crasso humore : ergo epilepsia ab eo non fit: Antecedens probo : oam epilepsia potest fieri per consensum , nervis aut cerebro non obtinentibus causam ; apoplexia autem minimè: ergo differunt in causa, tum quia epilepsia fit subitò , apoplexiâ verò & paralysis minimè: differunt ergo in causa. Sed ad hoc etiam possumus satisfacere pro prima sententia dicendo quod sicut epilepsia potest fieri per consensum per susceptionem alicujus indebiti ab alia parte communicati, ità etiam causa faciens apoplexiam potest ab alia parte mitti in cerebrũ, ac proindè erit apoplexia per consensum; quod autem probat argumentum est quod quando epilepsia fit per consensum, non contingat ex crasso humore, non verò quando fit per propriam passionem quod nos fatemur libenter , & dicimus crassum humorem non esse causam universalem omnis epilepsiæ, *ut cap. seq.* clariùs patebit. Verumtamen est quod epilepsia quæ fit per consensum potest curari remediis solùm adhibitis in parte primariò affecta mittente , quod in apoplexia per consensum non potest fieri : hoc autem nascitur ex eo quod cùm in epilepsia ratione motûs concussivi cerebri , humor vel vapor missus ab alia parte in ipsum expellitur; & discutitur, quod noo cootingit in apoplexia.

Nobis igitur sententiam & Gal. placitum amplectentes, dicendũ est, epilepsiam à frigido & crasso humore obstruente fieri, & similiter à flatibus qui sine dubio obstruere valent , & impedire possunt communicationẽ spirituum, ut *cap. de Apoplexia* manifestè patebit. Quod placitum sufficieoter possumus defeodere solutione argumentorũ quæ pro contraris parte adducuntur, & prætereà ratione tradita ab ipso Gal. quæ sic se habet: Epilepsia subitò fit & solvitur; ergo non fit à siccitate, sed ab humore crasso obstruente. Ubi adverte non excludere flatus à causa epilepsiæ, sed solùm posuit exemplum in humore: ergo juxta Gal. certum est ab humore crasso epilepsiam causari posse, quin in ejus ratione flatus exclodat.

Sed contra Gal. rationem arguit Averroës *l. 3. collectaneorum c.41.* nam dissolutio humoris debet esse per coctionem , nam nihil aliud est quàm dominatio naturæ supra humorem, decoquendo ut retineat quod est conveniens notrimeoto, & aliud expellat : sed hoc in humore frigido & crasso non potest fieri, nisi lõgo tempore, ergo non optimè colligit Gal. epilepsia subitò generatur & dissolvitur : ergo causatur ab humore crasso & frigido. Sed facilè respondetur pro Gal. nostro, dicendo dissolutionem in epilepsia non fieri per coctionem; hæc enim quàm longum tempus peteret: sed per expulsionem humoris aut flatuũ à ventriculis cerebri qui humore vel flatu erant obstructi, & impediti ; hæc autem expulsio non requirit longum tempus , & sic subitò fieri dixit Galenus.

Dices: humor tenuis faciliùs pellitur & breviùs : ergo non ex eo quod subitò dissolvatur epilepsia, debemus colligere ab humore crasso & frigido causari: sed potiùs ab humore tenui. Sed respondere possumus humoré tenué faciliùs imbibi in substantia partis læsæ ratione pororũ, & sic difficiliùs expellitur. Quod confirmat quod humores crassi existentes in ventriculo faciliùs expelluntur quã tenues , imò uti solent adeò imbibi ut singultum excitent.

Undè fit quod licèt à crasso & pituitoso humore epilepsia causetur, non ideò frequenter in senibus reperiri dicendum nobis est, ex eo quod in his magna quãtitas hujus humoris generatur. Ratio autem cur in pueris frequen-

ter contingat, & non in senibus, & quia hic morbus frequenter contingit ex debilitate cerebri ex propria natura: qui autem debiles sunt non possunt in epilepsiam non incidere in ætate pueritiæ, præsertim cùm in ea crudi & crassi humores generentur: si autem quis pervenit ad senectutem quin hoc morbo corripiatur, signum est cerebrum habere robustum, & sic senibus frequenter non contingit, sed pueris & adolescentibus magis. Neque valet dicere quod cùm in pueritia dictus humor in plurima quantitate generatur, quod pueri frequenter incidant in apoplexiã magis quàm senes, quod est contra experientiam: non inquam valet, quia cùm sint maximè porosi, maximè transpirabiles sunt; undè fit ut plurimum resolvantur, & ità nunquam aut raró perveniant ad tantam obstructionem in cerebro quæ causet apoplexiam, licèt minorem causent, quæ valeat ad epilepsiam.

Hinc etiam fit, rationem quare citò incidant & resolvantur ægri in epilepsia, non esse difficilem, licèt sit per propriam passionem: nam humor contentus potest expelli per nares, & palatum, & rursùs in cerebro iterum potest congeri quantitas sufficiens dicti humoris, & sic citò repetere & dissolvi paroxysmum epilepsiæ.

CAPVT VIII.

An ex alio humore possit fieri epilepsia.

CONSTAT jam ex dictis epilepsiam ex pituitoso humore causari posse, & similiter ex fumoso vapore, ut patet in epilepsia per consensum. Dubium ergo est utrum ab alio humore causari possit: Et primò quantum attinet ad melancholiam, dubium nobis non est ab ea epilepsiam tam per propriam passionem quàm per consensum causari posse. Ratio est aperta, quia sive ad epilepsiam requiratur obstructio, sive compressio cerebri, præsupposità irritatione quâ mediâ moveatur ad expellendum humorem irritantem; hæc omnia potest facere humor melancholicus: ergo ab humore tali omnia symptomata pathognomonica epilepsiæ fient, causare ergo potest epilepsiam. Quod autem ab humore melancholico per consensum possit fieri hujusmodi affectus constat, quia humore tali moto in venis potest elevari ab illis in cerebrum, quo fiet ut omnia dicta symptomata fiant quæ diximus requiri ad epilepsiam.

De sanguine verò major solet esse disceptatio; sed nobis dicendum est etiam epilepsiam causare posse: Et probatur quia potest obstruere sua quantitate & corporaturâ, & similiter potest irritare cerebrum, vel suo pondere si non putrefiat, vel alia qualitate acri, si putredinem patiatur: quo fiet ut comprimatur cerebrum ad expulsionem illius & omnia dicta symptomata eveniant quæ epilepsiam comitantur & similiter à sanguine potest fieri per consensum, ut diximus de melancholia. De bile similiter in nostra doctrina est philosophandum: nam ut *disp. sequenti* probabimus, potest obstruere, poterit ergo epilepsiam causare, ut ex dictis cuique contemplanti patebit: Accedit quod potest suâ acrimoniâ irritare, & sic compressione movebitur cerebrum ad ejus expulsionem; unde in nostra doctrina hoc sufficiet ut epilepsia fiat cùm ratione irritationis motus convulsivus fiat, & ratione compressionis privatio sensùs, eo modo quo dictum est. Prætereà quia si concedunt Autores flatum obstruere posse, & sic hunc affectum causare, multò meliùs id faciet bilis.

Potest similiter fieri per consensum cum ventriculo: nam inanito, & fame laborante, copia hujus humoris biliosi fertur ad eum, & vapores elevantur ad caput; ex quibus omnia dicta symptomata eveniunt, ita ut non tantùm vapores eleventur ex crudo & pituitoso humore existente in ventriculo calore ipsius bilis agente & alterante, sed etiam ex ipso humore bilioso elevati vapores assero quæ sufficiant ad hunc affectum: Et licèt dictus humor se habeat, ut materia, tamen idemmet se habet ut agens alterans serum ipsius ex quo elevantur tales vapores, calore bilis agente in serum. Præterquam quod potest accedere alia causa putrefaciens quæ valeat esse efficiens vaporum qui elevantur ab ipso humore.

CAPUT IX.

An epilepsia possit fieri à siccitate.

COMMONIS Medicorum consensus est epilepsiam non posse causari à siccitate, & probant ratione Galeni: nam iste affectus citò generatur, & citò solvitur: sed si fieret à siccitate, fieret paulatim & paulatim solveretur: ergo epilepsia non fit à siccitate. Et confirmatur quia cerebrum adeò humidum est ex sua natura, ut non possit exsiccari adeò ut vivo animali faciat epilepsiam.

Sed dices: in syncope est subitus virium lapsus, & inter causas ejus ponitur distemperies sicca: ergo siccitas ad subitam immutationem & alterationem potiùs condocet quàm contrariatur, ac proindè hoc non obstabit quominùs epilepsia à siccitate possit causari, sed possumus respondere pro Galeno dicendo quod quando negavit rationem causæ epilepsiæ siccitati, intelligit per siccitatem defectum substantiæ humidæ, quæ cùm subitò fieri non possit, ut de se patet, nihil mirum quod ab ea non causetur epilepsia, & de hac siccitate debet intelligi Avicenn. dum dicit non posse cerebrum ad tantam siccitatem pervenire ut spasmetur, quin moriatur corpus prius.

Sed cùm siccitas quæ facit syncopem non sit facta ex defectu substantiæ humidæ; sed fiens quæ ab agente extrinseco producitur in parte, oportet nunc examinare an ab hac possit causari epilepsia, & subitus motus. Et breviter dicendum nobis est neque in nostro corpore esse substantiam quæ ratione siccitatis valeat irritare, & causare motum epilepticum: neque possibilem esse talem immutationem à siccitate in cerebro. Et probatur: nam non potest irritare siccitas ad expulsionem; ergo non

non potest ab ea motus epilepticus, seu convulsivus fieri. Antecedens probatur: nam nervi quibus inest vis sentiendi quantumvis reddantur sicci (ut in marasmo evenit) non irritantur: ergo neque cerebrum quantumvis siccum sit. Et confirmatur quia siccitas non ponitur inter causas facientes dolorem.

Præterea probatur, quia etiam in maniacis valde exsiccatum est cerebrum, & in exquisita phrenitide laborantibus, & tamen non fit epilepsia, neque talis irritatio quæ causet motum epilepticum in his affectibus: ergo siccitas nullo modo epilepsiam causare potest: neque potest vivo animali adesse tanta siccitas ut substantia mollis cerebri indurata & veluti concreta cesset à motu quodammodò.

CAPUT X.

De speciebus epilepsiæ, & an à nuda qualitate possit contingere.

GALENUS noster tres species epilepsiæ enumerat: primam per propriam passionem: secundam per consensum cum ventriculo: tertiam per consensum cum alia parte qualibet nostri corporis, vel cum omnibus, enumeratur tamē ut distincta, quæ fit per consensum cū ventriculo, quia frequenter accidit.

Dices: ex hac doctrina sequitur non esse epilepsiam per propriam passionem, sed omnem epilepsiam fieri per consensum: nam à qualibet causa fiat, diversa debet esse pars quæ congerit excrementa ab illa quæ ea recipit & obstructionem patitur, vel irritatur, aliàs non fieret subitò & repentè paroxysmus: oportet ergo causam epilepsiæ mitti ab una parte in aliam quomodocumque & in qualibet occasione causetur: sed hoc ipso quod fit per communicationem unius partis in aliam, fit per consensum: ergo tam pro hoc modo fit, & non dabitur epilepsia per propriā passionē.

Respondet Vallesius negando omnem fieri per consensum: nam tunc per consensum dicitur cùm una pars consentit alteri; non verò cum idem sibi ipsi secundum diversas partes ejus: hoc autem in cerebro contingit, quando ejus substantia mittit in ventriculos humorem obstruentem, & sic dicitur per propriam passionem, quia cerebrum totum per modum unius semper sumitur, licèt in se habeat plures partes.

Sed licèt hoc modo sufficienter fiat satis argumento posito: tamen ratio nunquam contra nos probat: nam non est necessarium in omni epilepsia quod una pars congerat humorem, & altera illum recipiat: neque id est necessarium ut subitò & repentè fiant paroxysmi, quia præcisè si in substantia cerebri, aut in solis ventriculis congeratur humor obstruens, statim irritabit ad expulsionem, & fiet epilepsia; fiet etiam, ut dixi, subitò, nam humor qui congeritur non irritat in qualibet quantitate, sed quantitate determinata, quo fit ut statim ac tanta fit, subitò & repentè irritabit, licèt non irritet quando congeritur, & sic quando congeritur donec fiat quantitas sufficiens & tanta, non erit epilepsia.

Difficilius tamen est explicare utrum epilepsia à nuda qualitate irritante causari possit ità ut nulla substantia quamvis non obstruat, communicetur cerebro, sed solùm nuda qualitas, utrum scilicet tunc possit epilepsia causari: Et dicendum nobis est id posse contingere, ut in morsu viperæ; vel si qualitas venenosa in nostro corpore generetur, & cerebro communicetur. Et probatur: nam si aliqua substantia tenuis communicetur ut vapor, vel qualibet alia quæ nullo modo valeat obstruere cerebri ventriculos: sed sola qualitate irritante agat in cerebrum, & eum irritet, tunc sine dubio apud omnes erit epilepsia (si opinentur obstructionem non esse necessariam, sed sufficere compressionem cerebri ad impediendam communicationē spirituū, ut nos latè probavimus *suprà*) sed hujusmodi qualitas irritans potest cōmunicari per continui alterationem cerebro, ut in morsu viperæ, vel qualitate venenosa intra nostrum corpus generata: ergo tūc à nuda qualitate sine dubio erit epilepsia, cùm ratione irritationis cōprimatur cerebrum & fiat motus concussivus ad expulsionem illius quod irritat; quo fit ut omnia symptomata pathognomonica hujus affectus sequantur, & proindè à nuda qualitate poterit causari epilepsia.

Neque ex hoc sequitur quod in omni febre maligna, ut est puncticularis, esse epilepsiam, quia licèt in nostro corpore sit qualitas venenosa, non tamen quilibet respicit omnia mēbra, & habet sympathiam cum omnibus: sed quædam venena cum partibus determinatis, & non cum aliis. Sic ergo in præsenti dicere possumus illam qualitatē malignam non habere sympathiam cum cerebro, & sic in febribus puncticularibus non datur epilepsia.

Sed poterat contra hoc objici: nā si illa qualitas producatur usque ad cerebrum, & tactu irritet ipsam cerebri substantiam, cur qualibet illa sit, non causabit, vel poterit causare in cerebro motum epilepticū, & cætera accidentia epilepsiæ propria. Sed nota quod ad epilepsiā non requiritur necessariò repetentia, neq; paroxysmi, quia etiamsi iste morbus non haberet nisi unicam accessionem, epilepsia vera diceretur, non ergo ex natura hujus morbi requiruntur paroxysmi diversi, & diversæ repetentiæ, & accessiones.

Deniq; dubitabis, an possit fieri à nuda qualitate prima aliqua faciente dolorē hujusmodi affectus: nam cùm possit aliam producere per continui alterationem, potest pervenire ad cerebrum in quo dolorem excitabit, & irritabit, non est cur ei denegetur. Sed nobis videtur id non fieri ab aliqua ex primis qualitatibus; nam sæpè videmus fieri dolorem capitis ex distemperie primarum qualitatum, essèque vehementem, & tamen non concutitur cerebrum ad expulsionem: ergo ratione primæ qualitatis id nequit contingere.

Sed dices: etiam experimur multoties fieri dolorem capitis à flatu distendente, & tamen non fit epilepsia, & concussio cerebri: ergo si ab his causis irritantibus non fit, etiam neque ab aliis, epilepsia fiet, vel ab omnibus debet causari.

Sed huic argumento possumus respondere rationem

rationem diversitatis stare in peculiari repugnantia certæ qualitatis ad cerebrum; à quo cum tali molestia tantáque irritatur, ut motu concussivo moveatur ad expulsionem. Si verò quis voluerit addere peculiarem modum læsionis à tali qualitate fieri, nihil dicet repugnans, etiamsi in particulari non possit explicari quisnam sit. Hoc idem contingit in motu concussivo & in rigore febrium, juxta commune omnium placitum: nam nervi non concutiuntur quomodcumque irritentur; sed est necessarium ut peculiariter lædantur & irritentur, ut motus ille concussivus, & tremor fiat.

CAPVT XI.

An epilepsia finiatur in paralysin.

TOTA difficultas hujus capitis est explicare duo loca Galen. quibus videtur contrariari; nam in uno ait epilepsiam finiri in paralysin, & in alio id expresse negat. Primum testimonium est *4. de loc. c. 2.* ubi ait, *Inter soporem verò & apoplexiam morbus comitialis medius est, convulsionem afferens universo corpori, sed in paralysin non finitur.* Alius locus est ipsius etiam Gal. *4. acutorum comm. 27.* ubi dixit, *Nam quod eas qua apoplexia, vel epilepsia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt paralyses.* Et constat quod post epilepsiam possit sequi paralysis; nam humor per concussionem non solùm potest discuti, sed in aliquam partem debilem mitti: ergo tunc fiet paralysis.

Sed hæc duo testimonia in optimo sensu interpretari possunt: nam quando asserit epilepsiam in paralysin non finiri, non intelligit quod nunquam ità contingat, sed quod non ità frequenter; sicut ex apoplexia: Ratio autem quare post apoplexiam frequenter incidimus in paralysin, est; nam cùm in apoplexia sit virtus magis oppressa quàm in epilepsia, indè fit quod in hac potest faciliùs humor per nates, & per os expelli extra corpus, aut per aliam viam, cùm sit maximus conatus cerebri in movendo; in apoplexia verò non ità contingit, cùm sit virtus magis oppressa, & sic ex hac frequenter incidimus in paralysin, non autem ità frequenter ex epilepsia, ac proindè Gal. hanc frequentiam negavit epilepsiæ, & concessit in alio loco quandoque finiri epilepsiam in paralysin.



DISPVTATIO XIX.

De Apoplexia.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Apoplexia.



APOPLEXIÆ nomen si rectè consideretur, nihil aliud sonat quàm percussionem lethalem: nam qui ità afficiuntur, sic se habent, ac si essent lethaliter percussi; nam cadunt sine sensu & motu, & sic hoc nomen à symptomate impositum fuisse. Sic Gal. *lib. de diff. sympt. c. 3.* dixit: *Sicut apoplexia cùm est totius corporis resolutio, unà cum rectricis partis, functionibus cohibitis.* Sed quid sit apoplexia oportet scire.

Avicen. *fen 1. lib. 3. tr. 5. cap. 12.* ait. *Apoplexia est ociositas membrorum à sensu & motu propter oppilationẽ contingentem in ventriculis cerebri, & in cursibus spiritus cerebri sensibilis & motivi.* Hoc idem omnes moderni & antiqui insinuant, licèt non eisdem verbis; ut autem omnia quæ in apoplexia reperiuntur comprehendantur, sic ab omnibus describitur, *Apoplexia est integra cerebri obstructio cum omnimoda privatione sensûs & motûs, læsionéque respirationis.* Meritò tamen in hac descriptione mentionem facimus de obstructione; nam licèt humor qui obstruit, non possit non causare aliquam distemperiem in cerebro; tamen quia præcipua symptomata ab obstructione nascuntur, & non à distemperie; ideò hujus non fit mentio, sed illius, nam ratione obstructionis integræ in ventriculis cerebri impeditur transitus & communicatio spirituum animalium omnibus partibus sentientibus; quo fit ut in hoc affectu sit totalis privatio sensûs & motûs medicè loquẽdo, licet si physicè loquamur, aliqua sit communicatio, licèt servetur in aliquibus speciebus apoplexiæ, sufficiens virtus ad sensibilem motũ respirationis.

Hinc constabit quâ ratione apoplexia differat à reliquis affectionibus: nam à syncope differt, quia in hac non solùm (cùm sit passio cordis) actiones animales possunt sensibiliter auferri, sed vitales, id quod clarè constat ex pulsu: nam in syncope ferè deficit, in apoplexia verò solet esse integer, nisi cùm jam morti sunt proximi, in syncope verò à principio morbi languidus est pulsus: prætereà differunt in colore, nam in his qui syncope laborant, est sicut in cadavere, non ità in apoplecticis contingit.

Deindè differt à lethargo, quia in hoc sunt actiones diminutæ; & quia febris in eo adest continua ex putrescenti humore orta, at verò in apoplexia sunt ablatæ actiones sensûs & motus modo explicato, & ulteriùs carent febre, ità ut quantum est vi hujus morbi non sit necessarium humorem putrefieri in cerebro; si autem in apoplexia adsit febris à principio, ut ait Avicen. habet ortum ex apostemate cerebri, distinguitúrque à lethargo tunc actione ablatâ sensûs & motûs, & vitio respirationis. Deindè à caro & catalepsi differt penes difficilem respirationem, ut diximus *suprà*; ab epilepsia verò differt quia in hac minor est obstructio, & quia non est omnimoda ablatio sensûs & motus, neque epilepsia habet tanquam proprium symptoma difficilem respirationem; & denique deferunt quia in epilepsia reperitur ille modus motûs quem in apoplexia non experimur.

Sed ut finem imponamus huic capiti advertere oportet, obstructionem requisitam pro apoplexia non solùm debere esse in ventriculis cerebri, sed etiam in ejus substantia, vel corpore, nomine cujus poros obstructos intelligimus; nam si substantia cerebri non obstrueretur, etiamsi ventriculi ejus obstruantur, non esset illis talis privatio, nam intra po-

ros

ros existeret animalis spiritus in aliquo tēpore in quo fieret operatio, & similiter influxus.

CAPVT II.

In quo consistat essentia hujus morbi.

SI in hac re attendamus, Gal. clarè inveniemus semper existimasse essentiam apoplexiæ in obstructione ventriculorum cerebri consistere, etiamsi ejus substantiam similiter debere affici asserat; ac proindè asserit esse morbum instrumentalem, & nullatenùs in temperamento. Ità ipse *l. 3. de locis cap. 7.* ubi ait. *Apoplexia quod subitò eveniat, aut frigidum succum, aut crassum, aut viscidum, qui cerebri principaliores ventriculos affatim implet, non totius substantiæ intemperiem causam esse manifestum est.* Quibus verbis manifestè fatetur in obstructione, non in intēperie consistere. Idem tuetur Avic. in sua definitione ubi dicit apoplexiam contingere *propter oppilationem in ventriculis cerebri.* Idem pluribus aliis in locis traditur quos qui voluerit inveniet apud Petrum Garciam.

Nobis tamen dicendum est sententiam Gal. esse veram, quatenùs affirmat apoplexiam esse morbum instrumentalem, & non in intemperie: nam si ab aliqua intemperie causaretur, maximè à frigida, quatenùs per illam aut resolvuntur spiritus, aut densatur cerebrum, sed cum frigiditate quæ hoc valeat facere, nequit compati usta, ab ea ergo hujusmodi affectus causari nequit. Aliud quod dicit Gal. scilicet ab obstructione causari semper, est etiam verum, si nomine obstructionis non intelligat rigorosam obstructionem, sed solam impeditā communicationem spirituum, sive per quantitatem humoris verè obstruentis & occupantis cavitates ventriculorum, sive per magnam compressionem cerebri quæ non minùs impedit communicationem spirituum quàm obstructio: nam per compressionem ventriculorum cerebri circa latera cerebri propinquiora fiunt, cùm magis accedant ad se se: ergo non erit locus, ut spiritus qui communicandi sunt permaneant, ac proindè sicut carus & alij affectus soporosi per compressionem dictam fieri possunt, quid mirum quòd si major sit compressio, apoplexia causetur; certè nihil mirandum, cùm positā hac compressione omnia symptomata apoplexiæ fiant.

Dices: potest fieri apoplexia ex inflammatione cerebri: sed hæc non facit obstructionem in ventriculis cerebri: ergo citra illam fit apoplexia.

Respondetur per inflammationem cerebri ipsam substantiam magis extendi, quo fit ut ad pensum quo extendatur, ventriculi fiant minores, & sic per magnam inflammationem impeditur cavitas, ac proindè communicatio spirituum deficit, & apoplexia causatur, ex inflammatione modo explicato, & sic manet semper esse morbū instrumentalem.

Sed oportet explicare rationē quā Galenus probat in distemperie frigida apoplexiam non consistere, quæ sic se habet. Apoplexia subitò fit, & subitò solvitur: ergo non fit à frigore. Contra quam rationem sic aliqui objiciunt, quia licèt per illud verbum *subitò*, breve tempus intelligatur, ut etiam fatetur ipse Galenus; tamen experientia compertum est, plurimos apoplecticos non solùm spatium unius diei, sed & magis durare, signum ergo est quod subitò non solvatur.

Sed omissis aliis dicendi modis quibus Autores variant in explicatione illorum verborum, *subitò fit, & subitò solvitur*, dicendum nobis est juxta Gal. placitum, non significare quomodocunque tempus, sed potiùs invasionem morbi nullo alio præcedente morbo, Medico sensibili, ac proinde apoplexia communiter causatur nullo alio præcedente morbo sensibili: si verò aliquando aliter contingat, erit ex accidenti (sæpè enim apoplexia post alios morbos fit.) Frigus enim si fingamus adeò in cerebro crescere posse, ut temperiem spirituum corrumperet, aut ventriculos coalesceret, atque ità apoplexiam excitaret, non fieret subitò & repentè, idest quin aliter morbus sensibilis priùs adesset, qui Medica curatione indigeret: nam postularet frigiditatem esse in maxima intensione ad illam coarctationem ventriculorum, aut ad corruptionem spirituum, infra quam intensionem frigus morbum sensibilem faceret. Et licèt verum sit quod quandò movetur humor ad cerebri ventriculos, priùs una pars occupet locum quàm alia, tamen antequam faciat occupationem necessariam ad apoplexiam, non facit alium morbum Medico sensibilem, quia tam parvum est tempus inter minorem occupationem quæ non sufficit ad apoplexiam, & sufficit ad epilepsiam v.g. aut quemlibet alium morbum in obstructione consistentem, ut pro parvo illo tempore non possint fieri symptomata pathognomonica quæ pro illo debentur, & sic non est morbus antecedens ad apoplexiam sensibilis Medico.

Sed dices: Idem posset dici de frigore: nam quando alteraret ad apoplexiam faciendam, licèt in remissiori gradu valeret efficere alium morbum, tamen nisi cessset alteratio non indigebit propriā curatione propter breve tempus, quod intercederet: si autem cessaret indigebit propria curatione, sicut si humor cessaret fluere tempore quo non erat sufficiens obstructio pro apoplexia; tunc enim faceret alium morbum expostulantem propriam curationem sine dubio: ergo propter hanc rationem non bene probat Galen. à frigore non posse fieri apoplexiam: ac denique quando dicit *subitò solvitur*, non potest intelligi quod solvatur non remanente alio morbo, nam priùs deficit pars humoris quàm totus humor obstruens.

Sed his non obstantibus pro Galeno Respondemus dicendo quod si frigus faceret apoplexiam, ex natura rei ante tantam intensionem faceret alium morbum sensibilem priùs, humor verò prout obstruens minimè, quia licèt humor moveatur successivè, & frigus etiam alteret, ità tamen frigus ante illam intensionem etiam continuo tempore productam, sensibiliter lædit actiones; neque

AAa 3 enim

enim qualibet alia ulteriori intensione fiunt læsiones alterius morbi, scilicet apoplexiæ (si eam valeret causare) in humore verò obstruente id non contingit, sed potiùs celeritate motûs præveniuntur: verum quidem est quod si humoris motus cessaret secundum medietatem quantitatis, quod faceret alium morbum: sed id non contingit in apoplexia, quod patet experimento.

Hinc deduco quod quando apoplexia causatur ex inflammatione cerebri, tunc non fiet phrenitis, licèt adsit febris continua: nam quoties ab una causa possunt duo effectus nasci, vel duo genera morborum, unum qualitate per alterationem, aliud verò quantitate, licèt minor occupet locum, priùs tamen eo tempore antequam sequatur alteratio requisita ut fiat morbus temperamenti, prævenitur ulteriori quantitate, & fit aliter morbus instrumentalis prima invasione, v.g. minor quátitas sanguinis etiam tumorem inducentis, sufficit ad phrenitidem si putrefiat, aut ad delirium, quod ratione temperamenti excitatur, quàm ut inflammatio tanta fit quæ efficiat apoplexiam; præsente autem humore antequam sufficienter alteret partem ad illos affectus, fluit in tanta quantitate ut causet apoplexiam, sícque non necessariò præcedit ad hanc alter affectus, sed solùm ex accidenti.

Denique non possumus contraria ratione convinci si dicamus apoplexiam etiam causari ex vulnere penetrante ventriculos cerebri: nam non aliter ab obstructione causatur, nisi quia ratione hujus partes privantur sensu & motu, ex eo quod deficiant spiritus animales: sed similiter in prædicto vulnere deficient spiritus, quia deserunt ventriculos: ergo fient symptomata apoplexiæ ex prædicto morbo, vulnere scilicet, ac per consequens vera apoplexia. Et licèt cum febre conjungatur, nihil obstabit quo minùs talis dicatur: nam etiam quando quis laborat apoplexiâ ex inflammatione cerebri, habet febrem, & tamen hoc non obstat ut vera apoplexia dicatur, ergo idem in vulnere dicere possumus.

CAPUT III.

De causis Apoplexiæ.

OMNES Medici unanimiter fatentur apoplexiam fieri posse ex pituitoso humore, quod expresśe tenet Galenus pluribus in locis, & 3. *aphor. comment.* 23. dicit fieri hanc passionem quando caput repletur pituitâ, & *comment.* 31. ait. *De apoplexia autem quid oportet dicere? Nullus enim morbus adeò est senili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus.* Id quod pluribus in locis confirmat expressis verbis.

Neque contra hanc doctrinam facit illa Hip. sententia 6. *aphor. text.* 57. in qua asserit apoplexiam fieri maxime à quadragesimo anno usque ad sexagesimum, in quo tempore non abundat maximè pituita, sed in tempore sequenti, sed ait in dicto tempore maximè fieri: ergo ab alio humore præter pituitam fieri sentit.

Respondeo non loqui de apoplexia quæ causatur ab atra bile quæ in illo tempore magis viget in corpore. Neque ex eo quod pueri licèt excrementis pituitosis abundent, tarò incidant in apoplexiam, aliquid contra nostram conclusionem sequitur: nam cùm pueri habeant naturalem facultatem robustam, tarò expectant integram obstructionem cerebri quæ ad apoplexiam requiritur, sed ante illam propter irritationem conantur expellere, ex eo quod habeant facultatem motivam quâ concutitur cerebrum robustissimam, licèt aliam naturalem expultricem quæ mediis fibris fit, debilem propter humiditatem habeant. At verò in senibus virtus est torpida, & sic non insurgit ante integram obstructionem, ideóque frequentiùs fiunt apoplectici, & faciliùs somnolenti senes quàm vigiles in hunc morbum incidunt.

Hinc deducimus missionem sanguinis in hoc affectu fieri ad revellendum humorem à capite qui per venas communicatur, & ad illum evacuandum ex parte affecta, & ad commovendos humores ipsos, & si fortasśe in apoplexia facta ex pituita, non conveniret sanguinis missio, propter eandem rationem non conveniret in illa quæ fit ex succo melancholico, cùm etiam obstructio fit extra vasa, & humor frigidus.

De melancholico humore nobis etiam dubium non est quin possit facere apoplexiam, quod præterquam quod est expressum Galen. ratione etiam confirmatur, quia melancholicus humor potest integrè obstruere ventriculos cerebri, quia crassus est; ergo etiam poterit causare apoplexiam, ex eo quod positâ tali obstructione omnia signa pathognomonica apoplexiæ sequuntur.

Sed major solet esse dubitatio de duobus humoribus qui restant, scilicet de sanguine & bile. Et quidem de sanguine plures sunt autoritates Avicennæ & Galen. quibus videtur probari ab illo apoplexiam causari posse, quas quisque poterit videre in nostro Petro Garcia. Et ratione etiam confirmatur hoc placitum quod tanquam verum amplecti debemus. Nam sanguis sola multitudine, crassitie qualibet seclusâ, potest obstruere & occludere ventriculos cerebri: sed adstante tali obstructione deficiet sensus & motus: ergo ratione illius erit vera apoplexia, quia potest replere poros, cerebri etiam, ut contingit in vera ejus inflammatione.

De bile autem licèt tarò contingat, tenendum nobis est, etiam posse apoplexiam causare: nam bilis licèt nullam habeat crassitiem, potest tamen in magna quantitate esse, ità ut obstruat ventriculos cerebri: ergo tunc erit privatio sensûs & motûs, ac proindè apoplexia. Antecedens, scilicet quod bilis suâ quantitate possit obstruere constat: nam potest suâ qualitate implere poros cerebri, ut contingit in erysipelate; ergo si fuerit plurima hujus humoris quantitas, poterit implere cavitates majores, quales sunt ventriculi cerebri: poterit ergo suâ quantitate obstruere,

re, & per consequens apoplexiam causare.

Sed dices: Si apoplexia potest causari à bile, sequitur non fieri subitò, idest nullo præcedente morbo. Sequelam probo: nam cùm bilis valdè irritans sit priùs quàm noceat quantitate obstruendo, irritabit sua qualitate, ac proindè movebitur cerebrum ad ejus expulsionem, & epilepsia fiet antequam fiat apoplexia: non ergo fiet subitò in sensu explicato, vel dicendum est non causari à bile.

Respondetur bilem priùs posse esse in magna quantitate quàm alteratione realem producat sufficientem, mediâ quâ fiat irritatio, si multâ copiâ repente, & subitò moveatur ad cerebrum: quo fiet ut priùs non fit irritatio quando minor est quantitas, neque sensibilis alius morbus Medico producatur: Tum etiam quia non oportet semper bilem esse tam acrem & mordacem ut pellatur à natura, quia juxta hanc qualitatem irritantem sunt gradus; nihil ergo mirum quod possit inveniri in ventriculis cerebri, quin talem irritationem pariat antecedenter.

Dices iterùm: ea quæ deobstruunt, temperiei calidæ & siccæ sunt, & tenuium partium: sed bilis hujus naturæ est: ergo non potest obstruere, sed potiùs deobstruere, ac proindè apoplexiam non poterit causare.

Respondetur facilè dicendo verum esse ea quæ deobstruunt habere prædictas qualitates, hæ tamen conveniunt contra causam quæ crassitie obstruit, quæ non obstant, ut dicamus, bilem sua quantitate obstructionem parere: præterquam quod licèt bilis sit humor aliis tenuior, potest tamen ab aliis attenuari ut faciliùs educatur.

De flatu major solet esse dubitatio an apoplexiam causare possit. Et breviter dicimus à flatibus apoplexiam causari posse, licèt non difficulter solubilem. Probatur: nam somnus naturalis potest causari à flatibus, aut vaporibus ad cerebrum ascendentibus, in quo minor est communicatio sensûs & motûs quàm in vigilia, ut experientiâ compertum est: ergo tunc talis somnus & impeditio communicationis ratione obstructionis: ergo si adeò multus & in magna quantitate fuerit flatus, & aliquam crassitiem habeant, non mirum quod tantam obstructionem in ventriculis cerebri causari possint, ut omnimoda privatio sensûs & motûs medicè sequatur, ac proindè apoplexia causetur.

Neque contra nos facit quod spiritus in cerebro commiscentur flatibus, ac proindè non impellantur, & fortasè tantam crassitudinem aut majorem habent spiritus quàm flatus, ex eo quod ex his illi per coctionem generentur quæ crassitiem parit, ac proindè cùm spiritus non destituant cerebri ventriculos, non erit privatio sensûs & motûs, ac proindè neque apoplexia ex flatibus. Nam ad id Respondeo imprimis quod à crassis flatibus possent spiritus pelli, præterquam quod licèt non pellantur, non ideò partes non privantur sensu & motu; nam illa permixtio non fit secundum exiguas partes. Si tamè concedatur permixtio adhuc secundum partes exiguas, adhuc nihil contra nos probat: nam illa expulsio spirituum ad extra non est necessaria: nam satis est opponi crassos flatus obstruentes inter spiritus & spinalem medullam, nervósque alios, ut influxum non recipiant quia medium est impeditum.

Denique inferimus fumos carbonis lædere homines dissipando & corrumpendo spiritus vitales; tamen cùm trahitur per nares ad cerebrum potest ità ejus ventriculos replere, ut incidat in apoplexiam; nam per illorum vaporum multitudinem aut crassitiem integra fiet obstructio, ac proindè apoplexia causabitur, quod constat ex eo quod Medici eisdem remediis quibus apoplexiam curant, solent hos curare.

CAPUT IV.

Quæ sit pars affecta in Apoplexia.

Certum & indubitatum inter Autores in hac re est, in apoplectica affectione cerebrum pati, ut constat ex privatione sensûs & motûs omnimoda, quæ in ea reperitur: nam cùm cerebrum sit principium à quo virtus ad sensum & motum reliquis corporis partibus communicatur, deficiente in omnibus partibus, signum est principium à quo dimanat, scilicet cerebrum affectum esse, secundum ejus ventriculos præcipuè, & licèt circa ventriculos posteriores sit plurimum ipsius causæ facientis hunc affectum, utpote ex eis communicatur virtus spinali medullæ quæ origo est quamplurimorum nervorum quæ in nostro corpore sunt, tamen negari non potest, etiam cerebrum pati secundum anteriorem ventriculum; nam aliàs non esset ociositas sensûs & motûs in anteriori parte capitis; nam nervi quibus partes faciei habent sensum ab anteriori ventriculo capitis procedunt, ac proindè cùm partes faciei careant etiam sensu & motu, anteriorem cerebri ventriculum pati in apoplexia necesse est.

Sed dubitabis, an sicut in reliquis affectibus partes laborantes possunt affici per propriam passionem, & per consensum cum aliis, ità in apoplexia possit contingere. Circa quod certum est in apoplexia cerebrum posse pati per propriam passionem, & per consensum quando consensus est per receptionem alicujus indebiti, ut contingit quando ab alia parte in cerebrum mittuntur vapores crassi obstruentes, vel humores valentes obstruere cerebri ventriculos.

Sed major dubitatio est an cerebrum in hoc affectu possit pati per consensum quando consensus est per privationem alicujus debiti, ità ut in apoplexia cerebrum pati dicatur, ex eo quod privetur aliquo sibi debito, ità ut ratione hujus sequatur omnimoda privatio sensûs & motûs. Aliqui circa hanc rem existimatunt ità posse contingere ex eo quod arteriæ soporiferæ per quas à corde in cerebrum communicantur spiritus vitales, sint occlusæ; nam hoc ipso quod occluduntur, non possunt tales spiritus communicari cerebro; & cùm sint materia ex qua fiunt spiritus

ritus animales, indè fit ut per defectum vitalium tanquam per materiæ defectum deficiant animales, ac proindè virtus ad sensum & motum reliquis corporis partibus non communicetur, quo fiet ut per privationem alicujus debiti apoplexia causetur. Ad quod accedit quod cùm calor influens vitalis sit virtua generalis requisita ad hoc ut omnes corporis partes operentur, hac non communicatâ, non erit sufficiens principium ad communicationem virtutis ad sensum & motum ex parte cerebri: per privationem ergo alicujus debiti etiamsi spiritus vitales non se haberent ut materia respectu animalium, hujusmodi dicta apoplexia per consensum causari oon repugnat.

Nos tamen hanc prædictam sententiam amplectendam suscipimua, scilicet talem apoplexiam esse veram per consensum, licèt differat ab apoplexia per propriam passionem, in hoc, quod apoplexia dicta per privationem alicujus debiti, nullo modo fiat subitò; imprimis quia non potest fieri brevi tempore, nam licèr spiritua animalis ex vitali generetur, non tamen statim ac deficit vitalis, partes privantur sensu & motu, præcipuè quia spiritus animalis qui modò genitua est, & sufficiens ad actiones illas, non postulat continuam generationem spiritûa vitalia, quâ deficiente pereat subitò, sed aliquo tempore durat, contrarium autem contingeret si vis ad sensum & motum à corde in cerebrum communicaretur. Deindè prædicta apoplexia per consensum, non fieret subitò, hoc est non præcedente alio morbo, ut *suprà* illud verbum *subitò*, explicui: nam à fortiori in affectis per consensum debet præcedere morbus in parte primariò affecta. Quando autem *suprà* diximus apoplexiam fieri subitò, id est nullo alio morbo præcedente, debet intelligi, de illa quæ fit per propriam pasionem, non de illa quæ fit per consensum, quod non tollit, ut hæc dicatur apoplexia vera; nam in ea sequeotur omnia symptomata pathognomonica apoplexiæ: nam cùm calidum influens vitale sit necessarium ad omnes actionea, erit similiter ad sensum & motum, & ex consequenti illo deficiente cessabunt, & similiter cessabit respiratio ob hanc eandem rationem: undè fortissima apoplexia potest fieri per defectum communicationis spirituum vitalium, licèt conservarentur spirims animales in cerebro, dummodò vitales non producantur; nunquam tamen hujusmodi apoplexia fiet subitò, ut dixi, neque post paucum tempus, quod voluit Gal. dum dixit, *Neque immediatè post causatur, sed aliquo tempore transacto, non tamen parvo.* Iuxta quem modum philosophandi non erit difficile intelligere flatum venas intercipientem, similem morbum parere: nam distendendo vasa hæc, poterit comprimere & reddere mutos.

CAPUT V.

De speciebus sive differentiis Apoplexia, & unde sumantur.

IUXTA quæ *pracedenti cap.* dicta sunt; duæ sunt species apoplexiæ, altera per propriam passionem, & altera per consensum, de quibua nullus Medicus dubitat: sed præter has, aliæ quatuor species enumerantur quæ ex diversa læsione respirationis desumuntur. Prima species est in qua non apparet respiratio, neque spuma circa os; nam si aër non ingrediatur & permisceatur cum humido, spuma non est, & hæc est gravissima apoplexia. Secunda species est in qua licèt servetur respiratio, tamen aër attrahitur cum magna violentia, & etiam est fortia. Tertia est minor, licèt etiam sit fortis, in qua neque intensa, neque violenta est respiratio, inæqualis tamen & inordinata atque intermittês. Quarta est in qua respiratio aliquem servat ordinem, tamen est difficilis & læsa.

Sed circa has species duæ restant examinandæ difficultates. Et à prima incipientes, est an verum sit quod io prima specie homo privatur respiratione, idest an animal vivere possit sine respiratione, sic enim intelligemus, an in prima specie animal illâ omninò privetur.

Circa hoc dubium expressum videtur apud Arist. *lib. 5. meth. c. 5.* ubi expresè sentit animal sine respiratione vivere non posse. Idem tenet Gal. *l. 6. de locis c. 5.* ubi asserit. *Quippe in confesso est & spirationem à vita, & vitam à respiratione separari non posse: adeò ut viventem non spirare, & spirantem non vivere impossibile sit.* Id etiam constat in his qui suspenduntur, & exemplo illius servi cujus fecit mentionem Gal. 2. *de motu musculorum, c. 6.* ubi affirmat se interfecisse cobibitâ respiratione, & non alio modo qui suspeoduntur moriuntur, nisi quia deficit respiratio: nequit ergo esse vita sine respiratione, ac proindè his poterat quis persuaderi non esse aliquam speciem apoplexiæ in qua non sit respitatio, cùm probatum sit vitam sine illa manere oon posse, & sic quando dicitur ablata in specie assignata, intelligitur quo ad sensum, non quia omninò deficiat, quia reverà respiratio est, licèt non sentiatur à nobis.

Nobia tameo dicendum est animal posse vivere sine raspiratione, licèt parvo tempore, atque adeò posse vivens per aliquos morbos privari omninò respiratione etiam insensibili per breve tempus, ac proindè dari apoplexiam fortem in qua nulla sit respitatio. Probatur assumptum ex Arist. *l. 1. de historia animalium c. 11.* ubi dicit: *Sed datur vivendi facultas, etiamsi respiratio desit.* Et ratione probatur, quia respiratio est ad attemperandum calorem nativum: sed io morbia prædictis & aliis hujusmodi potest causa adeò remittere calorem, ut non indigeat refrigerio medio aere attracto motu thoracis: ergo in hoc eventu nulla respiratio est necessaria. Et confirmatur quia calore cordis remisso, differentiæ respi

respirationis quæ erant ad intensionem caloris conpescendam & remittendam, minores sunt: ergo si adeò remittatur, ut non indigeat refrigerio, cessabit omninò respiratio.

Neque valet si dicas quod antequã animal perveniat, ad tantam frigiditatem, ut non indigeat attẽperatione, necessariò deficiet & vitâ privabitur, quia experimur aliqua esse animalia frigidia succis referta, quæ in latebris terræ degunt sine respiratione: ergo idem poterit contingere in reliquis animalibus. Neque valet si rursùs respondeas quod cùm prædicta animalia minùs calida sint quàm cætera animalia perfecta, possunt conservari cum valde remisso calore quæ attemperationem non exposcat, & ità sine respiratione possunt vivere: at verò animalia perfecta & sanguinea postulant intensiorem calorẽ ad suam cõservationẽ, & sic non possunt vivere cũ calore ità remisso ut attemperatione non indigeat ab aëre attracto per respirationem. Tamen contra est, quia major calor est in benevalenti quàm in morboso animali, sed id non obstante in bene valente potest prohiberi respiratio per aliquod tempus, licèt parvũ, quin animal vitâ privetur: ergo multò meliùs in animali morboso, id continget, cùm in eo sit remissior calor qui nõ expostulat tam celerem attemperationem. Et confirmatur quia mors defectu respirationis aut contingit suffocatione ratione multitudinis fuliginũ, aut contingit à nimio calore: sed quomodocunq; contingat est opus augmento harum causarũ notatu digno, quod fiat in tempore quo vita sit, etiam si non respiret: ergo tunc tempore illo quo prædictæ causæ augentur in sufficiente intensione & quantitate pro morte, erit vita sine respiratione, non ergo repugnat pro parvo tempore carentia respirationis, etiam insensibilis cum vita.

Sed dices contra nos, quia videtur primam nostram rationem quâ probavimus nostram conclusionem esse nullius momenti: nã finis respirationis non solùm est attemperatio caloris nativi qui est in corde, sed etiã est ventilatio ut reaccendatur hujusmodi calor, & generatio spirituum animalium, & hujus finis in apoplecticis est magna necessitas: ergo licèt tã remissus possit esse calor ut indigeat aëre ad attemperationem, ac proindè ex hac parte nõ indigeat respiratione; tamen cùm alij fines partiales, videlicet ventilatio & spirituum generatio valde urgeant, nunquam non poterit non esse respiratio licèt non propter hunc finem, propter alios assignatos: sed hæc si aliquam habent vim, non solùm probant debere esse respirationem, sed etiam eam debere esse sensibilem: nam isti partiales fines qui positi sunt, sensibilem respirationem postulant, cùm ipsimet adeò excedant, ut sentiri possint.

Sed propter hæc argumenta nobis videtur dicendum quòd si respiratio cessat, nõ tam est quia deficiat ille finis attemperandi, quã quod desit virtus ex parte efficientis, ad movẽdum thoracẽ, ex eo quod tanta potest esse obstructio in cerebro ut virtus ad nervos & musculos thoracis nõ distribuatur, defectu cujus non sequatur respiratio, licèt adsint fines sufficientes. Et cõfirmatur, quia ut respiratio fiat debet sentiri priùs objectum sensu tactûs, ad hoc ut stimulet ad illam: sed vi obstructionis poterit deficere virtus in nervis thoracis ad illũ sensum; ergo tunc non irritabit & instimulabit objectum, & per consequens respiratio non fiet, non quidem defectu finis, ut probabat ratio prima à nobis posita, sed defectu efficientis non potentia defectu virtutis communicandæ elicere illum motum thoracis.

Similiter potest vivens per breve tempus vivere sine pulsu, quod eadem ratione quâ probavimus de respiratione probatur: nam ad suffocationem aut tantam intensionem quæ valeat vivens interimere requiritur tempus: ergo licèt deficiat pulsus, vivens vivet toto illo tempore quo causæ augentur in sufficienti intensione, ut interficiant. Unde quando Arist. dicit impossibile esse vitam sine respiratione, planè debet intelligi de longo tempore, quod est verum, non quod parvo tempore sine illa non possit vivere, ut satis dixi.

CAPVT VI.

An in aliis speciebus apoplexiæ servetur respiratio.

SI doctrinæ *suprà* traditæ stemus, videtur nullam esse speciem apoplexiæ in qua respiratio servetur: nam à cerebro, omnibus partibus corporis cõmunicatur virtus ad sensum & motum: sed aliæ partes defectu hujus virtutis privantur sensu & motu: ergo etiã musculi thoracis respirationi deservientes hac virtute debent privari, ac proindè nulla erit species apoplexiæ in qua servetur respiratio, sed potiùs si doctrinæ generali stemus, in omnibus debet esse ablata respiratio, præsertim cùm cerebrum læsum sit æqualiter ad omnia instrumenta.

Sed cùm constet experientiâ plures apoplecticos respirare, examinare oportet quâ ratione id fiat, quo etiam faciemus satis simili dubitationi quâ quæri solet cur inter dormiendum cesset motus localis aliorum membrorum nisi rarò, & tamen servatur respiratio. Sed huic dubitationi si doctrinæ positæ stemus, clarè parebit quâ ratione contingat: nam certum est in somno, & etiam in apoplexia qualibet, partes non privari omninò virtute influente ad sensum & motum, imò quod aliqua virtus communicetur, licèt remississima, ut in apoplexia, & minùs remissa, ut in somno, omnes fatentur. Unde fit quod cùm illa virtus quæ communicatur, valde remissa sit, objecta communia & quæ valdè intensè non irritant, non sentiatur: illa autem quæ sufficienter irritant, sicut contingit quando aliquis vi aliqua excitatur à somno, ut punctione acûs; unde fit quòd si aliqua virtus communicatur musculis thoraci deservientibus, nihil mirum quòd respiratio servetur tam in somniantibus quàm in apoplecticis. Sed urget ratio quare omnes partes non moventur si æqualiter omnibus virtus licèt remissa communicatur.

Respondetur cum Galen. ideò esse quia in musculis thoracis magis irritatur & stimulatur natura ob magnam necessitatem motûs thoracis, sicut qui fugit propter aliquod malum imminens, vehementiùs movetur & conatur, quàm si aliter moveretur.

Sed dices : respitstio est actio spontanea quæ postulat ex propria natura cognitionem objecti : sed in apoplecticis non est objectum quod cognoscatur, etiamsi vis aliqualis ad sentiendum sit : ergo in illis non potest esse respiratio, sicut neque motum aliarum partium.

Respondetur concedendo majorem, & negando minorem : nam in apoplecticis de quibus est sermo, non solùm est virtus interna sufficieos ad cognoscendum, sed etiam externa aliqualis ad objectum quod immutat sensum tactûs partium quæ sunt juxta thoracem, & sic præcedente illâ sensatione tactûs, incitantur partes ad respirationem : nam circa partes illas solet esse ardor & fervor & molestia illata ex causa suffocante, quæ cùm non sint neque similia io aliis partibus præter thoracem, oihil mirum quod aliæ non moveantur.

Oportet tamen advertere quod licèt ad motum animalem partium non sit opus semper præcedere actum sensûs externi, nam per species reservatas in cognoscente, potentia sufficienter potest cognoscere objectum & immutari appetitus, & sic exequi motum & cessare ab illo ; tamen in præsenti casu in prædictis apoplecticis est necessaria sensatio externa tactûs adhoc ut eliciatur motus respirationis: nam cùm species plurium serveotur quæ poterant deservire ad motum aliarum partium ratione cognitionis, ad id iocitantis, cur thorax potiùs quàm aliæ moveri deberet ; neque enim ex parte specierum servatarum est differentia : oportet ergo ut in apoplecticis dictis sit motus respirationis, & oon aliarũ partium, quod sit irritatio ab objecto externo tactûs in musculis thoraeis, ut sic à sẽsu externo & interno cognoscatur, & sic talia instrumenta operentur qualia sunt necessaria ad illã actionem : nam si opus est ambulare, non movet musculos brachiorum, & similiter si pungatur digitus inter dormiendum, pars illa fugit & contrahitur, & non alia.

Unde fit quod quia hujusmodi irritatio mediâ quâ fit respiratio, est valde consueta ratione illius, non excitetur animal à somno, licèt sit sufficiens ad apponendum opus ; sic contingit in homine rustico consueto affligi morsibus pulicum qui non excitatur, licèt moveat partes quæ vellicantur.



DISPUTATIO XX.

De Paralysi.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Paralysis, & quomodò differat à quibusdam affectionibus.



DEM sonat bemiplegia quod paralysis, idest resolutio, quæ sic cõmuniter definitur, *Paralysis est privatio sensûs tactûs & motûs in determinata parte.* Unde ab apoplexia solum distinguitur paralysis ratione partis affectæ : nam in illa est privato sensûs & motûs io omnibus partibus corporis : in ista verò solùm in dimidia parte corporis, vel in qualibet alia parte determinata. Unde etiam fiat quod cùm in apoplexia simul sit privatio sensûs & motûs, etiam in paralysi (quæ raoone partis affectæ solùm ab apoplexia differt,) simul in parte determinata quæ afficitur debet esse privatio sensûs & motûs ; si autem servetur sensus sine motu, & è contrà in aliqua parte (quod quomodò fieri possit dicam alibi) tunc qualis debeat dici talis affectio, nunc non curamus, poterat tamen dici paralysis imperfecta.

Alterum dubium restat examinare, scilicet quo pacto possit contingere ut paralysis afficiat totum integrum latus, altero manente incolumi. Huic dubitationi possumus Respondere cum Avic. quod quando natura irritata pellit materiam, pars illa recipit quæ debilior est, & illa non recipit quæ robustior, sed potiùs resistit ; unde fit quod quando paralysis afficit totum integrum latus, est quia illæ partes ob suam debilitatem faciliter recipiunt, partes verò alterius lateris robustiores sũt, & sic resistunt, & totum latus incolume manet.

Sed Vall. probabiliùs solvit difficultatẽ positam, dicendo quod quando medietas cerebri aut spinalis medullæ obstructionem patitur, tunc contingere solet unum latus affici, altero incolumi manente, ex eo quod virtus quæ à cerebro communicatur per lineas rectas producitur, idest secundum rectitudinẽ partis quæ recipit in ordine ad efficiẽtem causam, ex quo fit ut si medietas sit obstructa, in parte quæ ei correspondet non producatur virtus ab alia parte cerebri, vel spinalis medullæ, quæ sana & sine obstructione est, quia pars sana non servat rectitudinem cum partibus quæ eam servant cum parte quæ obstructa est, & non sana; sicut si nubis satis densa apponeretur medietati Solis, tunc lumen non communicaretur parti aëris correspondenti corpori denso, sed tantùm communicabitur illis partibus aëris cum quibus habeat rectitudinem, & nullum est impedimentum.

Ex dictis sequitur paralysim differre ab apoplexia, ex eo quod cùm in ista omnes ventriculi cerebri patiuntur, partes omnes priventur sensu & motu, quod non contingit in paralysi: sed si in hac aliquando patitur cerebrum, ut io hemiplegia, non tamen secundum omnes ventriculos, sed secundum medietatem, & adhuc hoc non est necessarium ad paralysim, ut patet in ea in qua peculiaria pars illis actionibus caret. Ex qua differentia sequitur quod in apoplexia sit necessariò læsio in operibus sensuum internorum, eò quòd cerebrum læsum est, in paralysi verò non est necessariun hujusmodi actiones lædi; licèt aliquando ut in hemiplegia cerebro obstructo secundum medietatem id contingat. Deindè differt paralysis à torpore ex parte symptomatis secundum magis & minus : nam torpor dicit diminutum sensum & motum propter diminutam virtutem ante confirmatam paralysim : A tremore etiam differt quia in eo est solùm diminuta virtus motiva. Et tandem à gangræna separatur quia in hac oon est totaliter amissus sensus.

CAPVT

CAPUT II.

Quæ res præternaturam sit paralysis, & quis morbus intercedat.

CUM res præternaturam sit in triplici differentia, vel morbus, vel causa, vel symptoma, quærimus in præsenti quæ ex his sit paralysis, circa quod omnes ferè conveniunt esse morbum à quo symptoma, hoc est privatio sensûs & motûs, procedit in parte hoc morbo affecta; undè nascitur ut Autores quandoque uno & eodem nomine symptomatis appellant morbum ipsum; in paralysi ergo est symptoma ablatæ actionis à solo morbo originatum.

Sed dubitatio major est quisnam sit talis morbus à quo tale symptoma quod in paralysi experimur, nascitur. Circa quod videtur quòd sit obstructio, quia apoplexia & paralysis, ut *suprà* diximus, conveniunt in ratione morbi, ità ut inter alia quantum ad morbos attinet, solùm differant secundùm magis & minus: sed morbus in quo consistit apoplexia est obstructio, sive nomine obstructionis non solùm intelligamus veram obstructionem, sed etiam compressionem: ergo similiter paralysis in hujusmodi obstructione consistere debet.

Nostra tamen sententia est paralysim aliquando consistere in vera obstructione, licèt non semper: Probatur autoritate Galen. *lib.2. de causis sympt. cap.1.* ubi asserit, *Diximus enim nervum vel frigore densatum, vel à crassis humoribus obstructum, vel à quavis alia causa pressum, in paralysim incidere.* Et ratione etiam probatur, quia si humor crassus occupat cavitatem quæ est in principio nervi, sine dubio pars privabitur sensu & motu, defectu virtutis quæ debuit communicari per spiritum: ergo tunc erit in illa parte symptoma paralysis, non ab alio morbo nato, nisi ab obstructione in principio nervi facta.

Sed dices contra nuper dicta, quia privatio sensûs & motûs non potest nasci à sola obstructione: ergo nunquam in illa potest consistere morbus in paralysi. Antecedens probatur, quia virtus non communicatur neque influit per cavitates (etiam si demus nervos eas habere, quod non est verum nisi in nervis opticis secundum omnium consensum) sed per substantiam ipsorum quæ constituit parietes & latera cavitatis; cùm ergo obstructa cavitate substantia maneat eodem modo, colligitur apertè non impediri productioné illius qualitatis per latera nervorum, ac proindè quantumvis obstructi essent, non esset privatio sensûs & motûs in illis: nequit ergo paralysis in obstructione consistere, neque adhuc in aliqua occasione.

Resp. imprimis quia omnes concedunt in apoplexia quæ fit ab obstructione humoris reperiri in partibus in quibus fit obstructio hujusmodi symptoma, scilicet privatio sensûs & motûs: ergo quemadmodum id concedunt in apoplexia, id debent concedere in paralysi; in apoplexia verò nullomodo contingit nisi quia per obstructionem cavitatum, vel ventriculorum cerebri pelluntur spiritus qui in cavitatibus sunt per incompossibilitaté duorum corporum, undè fit quod cùm in ventriculis ratione obstructionis deficiant spiritus, etiam deficiunt in nervis rectitudinem habentibus cum ventriculis: sic ergo in hemiplegia contingit quæ dimidiam partem cerebri obstruit, & paralysis dicitur in qua etiã ab illa medietate cerebri pelluntur spiritus, & sic dimidiæ parti corporis rectitudinem habenti cum illa parte cerebri quæ obstructionem patitur, deficit virtus ad sensum & motum, ex eo quod principium à quo communicanda erat, caret spiritibus expulsis propter obstructionem.

Sed si sermo sit de paralysi respectu particularis nervi, est major difficultas; sic posito quod nervi non sunt cavi, & virtus per latera possit communicari, ac proindè hæc paralysis videtur nunquam in obstructione consistere.

Sed Resp. obstructionem quæ particularem nervum afficit esse in principio illius, undè fit quod in principio nervi non sint spiritus qui possint communicari ratione incompossibilitatis duorum corporum per obstructionem factam in cavitate quæ est in principio nervi; & licèt verum sit quòd hujusmodi spiritus extra corpus non pellantur, sed maneant in alia parte cavitatis residuam quia tota cavitatem non est necessarium esse obstructam; tamen cũ hoc non fit cõmunicatio virtutis partibus inferioribus, quia oportet esse secundũ rectitudiné, & non fit propter humoris impedimẽtũ.

Sed nota quod paralysis quæ consistit in obstructione, specie medicà differre à convulsione, & non secundum magis & minus: nam obstructio in paralysi est in cavitate magna quæ valet impedire transitum spirituum: at in convulsione obstructio solùm est in porositatibus nervorum aut musculorum, sicque ipsos secundum latum extendit, & eos contrahit secundum longitudinem, ex eo quod in tumorem elevat partem; constat autem tumorem esse morbum alterius rationis ab obstructione: ergo specie medicà differunt dicti affectus. Unde colligis quòd si aliquis nervus haberet cavitatem & repleretur humore, tanta quantitas posset esse ut contraheret, & convelleret & absque eo quod humor intra poros ipsius esset, faceret utrumq; affectum, paralysim scilicet & convulsionem, & ità differentia posita est vera utplurimum, non tamen semper; præterquam quod alia assignatur differentia, scilicèt quia in convulsione partes debent mutare situm secùs in paralysi.

Dico secundò, non semper reperiri in paralysi unum morbi genus, scilicet obstructionem, sed esse alios ad quos quandoque potest reduci, nempè ad obstructionem, ad compressionem ad solutionem continuitatis, & ad temperamentum. Probatur quia si apoplexia potest fieri, non solùm ex obstructione, sed ex compressione quæ fit à tumore præternaturam, sive ictu: ergo etiam hemiplegia quæ paralysis dicitur, ab his potest procedere, neque solùm vitio cavitatis, sed etiam vitio substantiæ nervi, hujusmodi affectus potest contingere, ut si distentur & comprimantur, quæ omnia clarè docet Gal. *lib.2.* *de*

de causis sympt. c. secundo, dicens, *Diximus enim nervum vel frigore densatum, vel à crassis humoribus obstructum, vel à quavis extrinseca causa pressum, in paralysim incidere.* Et quod à solutione continui fiat satis omnibus compertum est: ex quo constat paralysim non teduci ad unum genus morbi, de temperamento autem *cap. sequenti* dicemus.

CAPUT III.

An Paralysis fieri possit à distemperie.

MAIORIS difficultatis est examinare an paralysis fieri possit à distemperie sine humore, sive cum humore, dummodò humor non suâ corporaturâ, sed tantùm suâ qualitate distemperando afficiat partem. Et videtur id fieri non posse: nam apoplexia & paralysis à similibus morbis fiunt, ut satis dictum habemus: sed apoplexia non potest fieri à distemperie præsertim frigida, quia subitò fit, & distemperies non subitò producitur; ergo similiter in paralysi id debet contingere, ac proindè à distemperie nequit fieri. Secundò quia in hydrope satis frigus in sensum est, sine febre, & tamen non est paralysis: ergo hæc non fit à distemperie; nam si ab aliqua, ea deberet esse frigida.

Nobis tamen dicendum à distemperie posse fieri paralysim; id autem præterquam quod testimonio Avicen. Gal. & Aëtij, potest confirmari; ratione etiam, quia propter distemperiem partes possunt privari sensu & motu, etiam nullo alio sensibili symptomate præsente: ergo cùm symptoma paralysis nullum aliud sit, poterit à distemperie causari. Quæ autem sit hæc distemperies à qua prædictum symptoma fit, dubium est: tamen nobis dicendum eam esse distemperiem frigidam, & probatur quia stupor & torpor differunt à paralysi secundum magis & minus: sed illi affectus à frigore possunt fieri: ergo etiam paralysis à frigore poterit fieri, si sit in aliqua majori intensione; frigus autem facit paralysim, quia corrumpit temperiem spirituum, & ipsos spiritus, undè impedit communicationē virtutis ad sensum & motum, quæ medijs illis produci debebat, & per consequens pars hac distemperie affecta caret sensu & motu & labitur in paralysim. Sed licèt hæc solutio probabilis sit, tamen aliam efficaciorem assignare possumus: nam ratione frigiditatis redduntur nervi incapaces & inepti ad recipiendam virtutē ad sensum & motum producendam ab spiritibus & à cerebro, non tamen defectu spirituum, neque sola simplici alteratione à frigore facta in nervo, existimamus enim per nullam reddi nervum indispositum, sed potiùs in quantum secunda aliqua qualitas producitur, ratione cujus impediatur receptio virtutis ad sensum & motum producendæ: hæc autem densitas, aut major crassities est; unde fit quod cùm frigus non faciat paralysim quomodocunque se habeat, sed modo explicato, mediâ scilicet densitate, ideò hydropici paralysi non laborant.

Dico secundò, etiam à distemperie humida sine materia posse fieri privationem sensûs & motûs in parte quæ eâ afficitur. Probatur, quia ratione illius partes mollificantur & laxantur, quo fit ut concidant & faciant obstructionem & occupationem in viis per quas spiritus debebant communicari, ac proindè ratione humiditatis privantur sensu & motu. Licèt tamen hoc sit verum respectu cavitatum per quas spiritus debet transire, tamen absque hoc vitio per solam mollitiem sine concidentia partium potest reddi incapax nervus ad sensum & motum; nam non est mirum quod per eandem qualitatem secundam per quam redditur ineptus ad motum & sensum reddatur incapax ad recipiendam virtutem quæ propter hos actus est; & non solùm propter hoc, sed etiam viciato temperamento: nam præter virtutem quæ medijs spiritibus & à cerebro communicatur, necessaria est certa temperies in partibus ad sensum & motum, quâ deficiente etiamsi aliæ dentur partes, poterunt privari sensu & motu.

Quia optimè potest aliquod recipere virtutem ad aliquod opus, & illud non exercere ob aliud vitium.

Rursùs dubium est an paralysis possit fieri à calore & siccitate. Et partem affirmativam deffendendam accipimus, scilicet à siccitate sola, vel cum calore etiam sine materia posse fieri. Et probatur, nam ideò fieri potest à frigore, quia mediâ secundâ qualitate, densitate scilicet, redduntur nervi incapaces ad recipiendam virtutem: sed hoc idem potest facere siccitas, & calor, id etiam facit quatenùs conducit ad humidæ substantiæ resolutionem: ergo siccitas vel se sola, vel cum calore quatenùs densare & corrugare partes potest, facit & causat privationem sensûs & motûs. In hectica febre aut in marasmo, licèt sit calor & siccitas, non fit paralysis, quia in his affectibus non densantur nervi, neque corrugantur, ità ut occupent minorem locum, & magis secundum situm partes approximentur, contrahantur & convellantur, quod non fit in hecticis & marasmo affectis, quia siccitas non est in tanta intensione, ut pro hoc vellicet. Etiam ad aliud argumentum positum in principio dicimus apoplexiam licèt conveniat cum paralysi in aliquibus causis, non tamen in omnibus; non enim potest apoplexia à frigore causari, quia cùm sit morbus afficiens omnes ventriculos cerebri, nequit in eo esse tanta frigiditas quæ vivo animali corrumpat spiritus, vel densitatem, in eo producat, ratione cujus reddatur ineptum ad sensum & motum.

Potest probari quod à calore solo fiat paralysis, quia sicut nervi & partes requirunt certam & determinatā densitatem, qua si excedat redduntur inepti, ità requirunt certā raritatē & tenuitatē quæ si excedat rationum intensi caloris, erit impedimentū, ut recipiant virtutem ad sensum & motū.

Sed mihi videtur à siccitate hunc affectum causari non posse: nam siccitas non alio modo densat quàm ex eo quod ratione illius magis partes appropinquantur, occupéntque poros: sed continuitas partium non est impedimentum ad receptionem virtutis communicandæ ad sensum & motum, (licèt quoad cavitates locum habeat:) ergo ratione siccitatis paralysis nequit fieri ob rationem *suprà* positam.

CAPUT IV.

De causis Paralysis.

CAUSÆ paralysis dicuntur omnes illæ quæ valent sensum & motum auferre, sive propriè obstruant, sive comprimant, sive

sive propter intemperiem densent, aut alii ter afficiant nervum, & illum indispositum reddant. Sed cùm obstructio propriè dicta sit una ex præcipuis causis, & ab humore causetur, examinare oportet in præsenti à quonam humore prædicta obstructio quæ facit symptomata paralysis causetur. Et breviter dicimus frequenter à pituita causari, licèt etiam possit causari à sanguine & melancholia, & similiter quandoque à bile. Et probatur unica sed efficaci ratione, quia omnes humores possunt sua quantitate obstruere, ità ut impediant transitum & communicationem spirituum: sed hoc ipso impeditur communicatio virtutis requisitæ ad sensum & motum, quæ mediis spiritibus erat producenda: ergo erit in partibus privatio sensûs & motûs ratione obstructionis in eis causatæ ab omnibus humoribus ratione suæ nimiæ quantitatis, ac per consequens paralysis ab omnibus humoribus causari potest. Et confirmatur quia apoplexia dicit obstructionem totalem in ventriculis cerebri: sed hujusmodi obstructio potest fieri ab omnibus humoribus ut *suo cap.* ostendimus quâ positâ in omnibus partibus corporis est omnimoda privatio sensûs & motûs: ergo etiam paralysis quæ ab obstructione vera fit, potest fieri ab omnibus humoribus sua qualitate obstructionem causantibus, & communicationem spirituum impedientibus, quæ fit ut partes quæ obstructionem patiuntur priventur sensu & motu, & per consequens paralysi laborent. Sed advertє non solùm bilem, ut dixi, esse causam materialem paralysis, quatenùs sua quantitate obstruit, sed etiam causare potest prædictum affectum, ex eo quod se habeat ut vehiculum medio quo pituitosi humores deferantur ad cerebrum.

Undè fit quod anteà quàm suâ acrimoniâ irritet & possit facere motum convulsivum, aut alium affectum tempore sensibili Medico, potest suâ quantitate obstruere, ex eo quod fluat magno impetu, ac proindè quin præcedat, neque faciat alium affectum sensibilem Medico, sua quantitate impediet transitum spirituum, & faciet paralysin.

Denique advertere oportet plures esse causas comprimentes nervos ut propter illos amittant, motum & sensum: nam ex ligatura, tumore, & luxatione vertebrarum id contigit; luxatio autem vertebrarum tribus modis potest contingere, vel secundum partem posteriorem, & dicitur gibositas, aut in partem anteriorem, & dicitur curva, vel in aliquod latus dextrum aut sinistrum. Similiter inter causas hujus affectûs enumerari solent passiones animi, quatenus ratione illarum spiritus & humores moventur versus partes internas, aut externas, ità ut pro certo habeatur ratione timoris, aut alterius passionis plurimos à paralysi liberatos fuisse, ex eo quod humor in aliam partem moveatur, & partem affectam deserat.

CAPUT V.

Cujus lateris paralysis sit frequentior & deterior.

Quod attinet ad primam partem dubij, faciliter solvemus, si dicamus in latere sinistro frequentiorem esse paralysin quàm in dextro. Et probatur, quia latus sinistrum laborat majori imbecillitate quàm dextrum; quo fit ut faciliùs recipiat & patiatur, ex eo quòd cùm debilior sit quàm debetur, retinet magis morbificam causam, & sic frequenter patitur. Et confirmatur ex Aristot. dicente 3. *de partibus animalium, cap. 2.* quod dextra in omnibus animalibus calidiora sunt, & præsertim in homine, & similiter sicciora. Ex quo fit ut difficiliùs secundum talem partem incidant in morbum frigidum, & humidum, à quo ut plurimum fit paralysis: si verò rem ex parte obstructionis consideremus, eadem stat ratio pro nostra parte: nam cùm latus sinistrum habeat remissiorem calorem, magis aptum est ad obstructionem patiendam; siquidem ob remissum calorem est major angustia cavitatum. Cùm autem dictum à nobis sit, paralysin etiam à distemperie calida & sicca causari posse, juxta hanc causam videtur magis paratum esse latus dextrum quàm sinistrum; siquidem calidum & siccum temperamentum habet magis quàm sinistrum, nisi dicamus robore adhuc magis resistere latus dextrum quàm sinistrum qualitatibus contrariis.

Quantum attinet ad secundum dubium, scilicet in qua parte sit deterior, in dextra, an in sinistra, dicendum nobis est esse deteriorem in dextra. Et probatur ex Hippocr. *lib. 3. de morbis*, ubi dicit, *Quantò dextra robustiora sunt sinistris, tantò eorum affectus deteriores.* Id posset etiam probari ex eo quod dixit Hipp. 2. *aphor. comment. 34. In morbis minus periclitantur, quorum natura, aut ætati, aut habitui, aut tempori, magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum convenit.* Sed paralysis est morbus proportionalis lateri sinistro: ergo est cum minori periculo. Sed licèt prædicta proportio in morbis temperamenti minuat malum quantum attinet ad periculum; non verò in morbis compositionis; nam sicut qui calidam habent temperiem, morbis calidis cum minori periculo vexantur; ità qui habent angustum thoracem, non solùm frequentiùs, sed cum majori periculo phthisi laborant: ergo licèt proportio in morbis temperiei minuat malum quantum attinet ad periculum, non verò in morbis compositionis, sed potiùs proportio in his morbum auget, ut in exemplo posito de angustia thoracis in ordine ad phthisim; cum hoc tamen verum est proportionem in morbis temperiei esse occasionem ut faciliùs in talem morbum dilabentur, quod non est idem ac esse periculosiores tales morbos ratione similitudinis; in morbis verò compositionis non solùm ut faciliùs incidant, sed

ut diutiùs causam conservent; angustia autem thoracis maximè conducit ad retinendam materiam causantem phthisim; portio autem in morbis compositionis consistit in facilitate incidendi in illos, sicut disproportio ex difficultate, ut qui alicujus partis angustam cavitatem habent, faciliùs obstructionem patiuntur, & à minori & exigua causa quàm qui amplam habent cavitatem: unde fit quod proportio aut improportio, in his morbis ex difficultate, aut facilitate incidendi in illos desumitur; unde juxta hanc doctrinam, facilè quisque poterit philosophari de deterioritate paralysis in uno ex duobus lateribus, faciendo comparationem de eodem morbo cæteris paribus in utroque latere, undè etiam constabit in quo sit deterior.

CAPUT VI.

Undè procedat ut membrum paralysi affectum extenuetur.

LICET præsens dubium à nemine examinatum sit præter Petr. Garciam, ab eo in præsenti supersedere non decrevi. Circa quod imprimis certum est & experientiâ comprobatum membrum paralysi affectum extenuari; quod fatetur expressè Avicen. in præsentia autem rationem quærimus quare hoc ità contingat; & antequam id perpendamus tanquam supponere debemus cum Galen. hanc extenuationem substantiæ esse symptoma in excretis præternaturam; licèt quandoque habeat rationem morbi in magnitudine diminuta si lædet talis defectus magnitudinis requisitæ sensibiliter.

Hoc ergo supposito, ad rem nostram devenire operæpretium erit. Et ratio difficultatis stat in hoc quod cùm paralysis sit privatio sensûs & motûs, tantum propter defectum virtutis communicandæ à cerebro, mediis spiritibus, videtur hujusmodi defectum non esse causam extenuationis; siquidem illa vis ad nutritionem non confert, sed potiùs ad sensum & motum, ac proindè ejus defectus non poterit defectum substantiæ causare.

Neque valet dicere defectum substantiæ, aut defectum reparationis & nutritionis in membra paralysi affecta esse, quia qualitas quæ à cerebro communicatur est lumen valens producere calorem; & cùm deficiat virtus à cerebro in membro paralysi affecto, de primo ad ultimum, deficit calor, ac proindè nutritio diminutè fit: non inquam valet, quia imprimis quod communicatur non est lumen, sed tale vocari à Galen. propter similitudinem, ulteriùs quia si illa qualitas esset lumen, posset suppleri alio lumine ejusdem speciei, & ità manente vitio morboso ubi erat antea, poterat pars sentire, quod est falsum, & contra experientiam. Denique quia in omnibus paralyticis reperitur extenuatio dicta, cùm in omnibus deficiat virtus communicanda à cerebro, quod etiam est contra experientiam.

Deindè possumus satisfacere difficultati positæ, dicendo quod licèt præcisè propter privationem motûs, extenuatio non contingat, contingit tamen propter causam aliquam positivam quæ ex privatione motûs in membro paralysi affecto reperitur: nam defectu motûs & exercitij in parte congeruntur quamplurima excrementa & calor innatus suffocatur, quo fit ut nutritio diminuta reddatur, & membrum extenuetur, non præcisè defectu motûs, sed ratione causæ positivæ conjunctæ cum defectu exercitij.

Sed licèt solutio assignata sit sufficiens, alia est quam tenet Petrus Garcia, scilicet illam extenuationem fieri in membro paralysi affecto defectu alicujus comprincipij requisiti ad nutritionem, scilicet defectu spirituum vitalium: nam quando causa quæ facit defectum spirituum animalium, adeò crescit, ut etiam impedimento sit, ne calor influens distribuatur, partique communicetur, cessant spiritus vitales maximè necessarij ad nutritionem, & sic fit in illa parte diminuta nutritio & extenuatio, ac proindè possumus dicere illam partem atrophiâ laborare, ut constat ex ejus definitione: nam atrophia juxta Galen. *lib. 3. de sanitate tuenda*, est quando corpus ex alimento fructum non capit: sed hoc contingit in membro extenuato paralytico; ergo atrophiâ laborat. Denique spiritus vitales possunt deficere, quia excrementa in illa parte congesta possunt illos suffocare, & sic deficient spiritus maximè pro nutritione conducentes, ac proindè diminuta nutritio & extenuatio fit ob hanc causam.

CAPUT VII.

An possit in aliqua parte servari sensus sine motu, & è contrà.

PRO intelligentia dubij nota non esse sermonem de duobus nervis à quibus alteri communicari potest virtus, & alteri non, ratione alicujus obstructionis, nam in his certum est posse esse motum sine sensu, ità ut una & eadem pars dummodò exquisita non fuerit, poterit moveri, quia alicui nervo qui musculo inseritur communicatur sufficiens virtus ad motum, & poterit non sentire, ex eo quod partibus externis virtus sufficiens ad sensum tactûs (de quo est sermo & de motu animali) non communicetur. Solùm ergo in præsenti est sermo de parte nervosa exquisita quæ musculo inseritur, an respectu illius possit esse sensus sine motu, & motus sine sensu. Et quantum ad primum, scilicet quod possit esse sensus sine motu, constabit clarè ex dicendis, cùm major virtus quoad intensionem, licèt una in specie requiritur ad motum quàm ad sensum, ac proinde deficiente intensione requisita ad motum, poterit servari sufficiens virtus ad sensum.

Difficultas major apud omnes stat, utrum in eadem exquisita parte possit servari motus sine

sine sensu, & etiam possit communicari virtus ad motum quin communicetur ad sensum. Et nobis dicendum est, neque posse esse motum sine sensu in eadem exquisita parte, neque posse communicari virtutem ad motum, quin communicetur ad sensum: siquidem una est sola intensione & remissione diversa. Hæc est expressa sententia Galeni, & probatur ratione ab ipso tradita, quia sensus consistit magis in patiendo quàm in agendo, & motus cōsistit magis in agendo quàm in patiendo; undè fit quod musculorum motus multa egeat animali virtute; nam pars quæ movetur transfertur tota; at verò sensus parva virtute perfici potest; ex quo fit ut si minor virtus requiritur ad sensum quàm ad motum, nullatenùs poterit esse virtus ad motum, quæ non sit ad sensum, ac proindè motus sine sensu non potrrit dari, licèt sensus sine motu optimè possit compati. Dicimos autem in ratione Galen. motum magis consistere in agendo, non quia non recipiatur in subjecto, sed quia per motum illum musculi, transfertur membrum de uno loco in alium, & sic colligit majorem virtutem requiri ad motum quàm ad sensum, non quia potentia ad sensationem effectivè non concurrat, quia hoc nullus dixit, sed quia ad sensationem non est necessarium ut transferatur membrum de uno loco in alium; ideò dixit magis sistere in patiendo, & sic indigere minori virtute, ac proindè si una virtus est sola intensione distincta, nunquam poterit esse virtus ad motum quin ad sensum sit, utpotè intensior requiritur ad motum quàm ad sensum; optimè tamen potest esse virtus ad sensum quin sufficiat ad motum, quia remissior sufficit ad sensum.

Dices inter dormiendum repetitur motus sine sensu, ut experientiâ patet: ergo similiter per morbum capitis aut alterius partis poterit esse motus sine sensu. Aliqui respondent cerebrum influere per diversam viam & sic aliquibus partibus communicari virtutem, & aliquibus non, propter obstructionem quæ invenitur in una, & non in alia; sed hæc solutio non est ad rem, quia quæstio solùm procedit de una & exquisita parte, & ità respondemus quod sicut tempore somni communicatur aliqua virtus ad sensum & motum, licèt remissa, ob quod non quælibet objecta sentit nisi vebementia, ità vis non movet nisi præcedente vebementi excitante ad motum; excitar verò vebemens actus imaginandi ad motum, quæ dum somniat vebemens satis est, at verò tunc non sentit, quia non est vebemens irritatio ad sensum, & sic manet apertum in eadem exquisita parte posse servari motum sine sensu, quia potest esse vehemens irritatio ad motum ex parte imaginationis, & non ad sensum tactûs, de quo est sermo in præsenti dum comparatur sensus ad motum.

In dormientibus virtus sufficiens est ad sensū, & tamen sensus nō est, motus sic, quia ad hunc est sufficiens & vehemens irritatio, scilicet vehemens imaginatio, & ad illum non

Dices iterum: quia actio cujuslibet facultatis requirit proprium temperamentum ut eliciatur, sic ergo in præsenti actio motus requirit siccitatem; actio verò sensûs requirit humiditatem; ergo optimè poterit esse motus sine sensu, si sit temperies ad motum, scilicet siccitas, quæ contraria est temperiei requisitæ ad sensum, scilicet humiditas.

Respondetur imprimis quòd si dicamus quæstionem tantùm procedere ex parte virtutis, nihil probat argumentum: nam est virtus sufficiens ad sensum & motum, licèt ex parte temperamenti, possit elici motus sine sensu. Tamen etiam dicimus non posse esse ullo modo motum sine sensu: nam dispositio non consistit in indivisibili, sed habet tantam latitudinem, ut etiam siccitas non sit sufficiens, ut non eliciatur actio sensûs; nam motus magis exactum temperamentum expostulat, quàm sensus, & ità fieri potest, ut crescente siccitate priùs auferatur motus quàm sensus, quia pervenit ad eam intensionem propter quam inceptum sit instrumentum ad motum, quàm ut cesset omninò sensus. Quam solutionem tradit Vallesius *lib. 5. controversiarum cap. 40.*

est vehemens irritatio, & sic licet sit virtus ad sensum, non tamen sentit.



DISPUTATIO XXI.

De Convulsione.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit Convulsio.



Tomnia quæ dicenda sunt elariùs pateant, exordium à definitione convulsionis, esse debet: & quidem si doctrinam Gal. pluribus in locis perpendamus, deveniemus ad definitionem convulsionis quam omnes Medici amplectuntur, quæ sic se habet. *Convulsio est retractio musculi versus suam originem præter voluntatem.* Quibus verbis, Gal. ut dixi, non contrariatur, per motum qui est symptoma, convulsionem explicat. Avicen. autem aliter definit eam, per morbum scilicet, *fen 2. lib. 3. tract. 1. cap. 5. Spasmus est ægritudo nervosa quâ moventur lacerti versus sua principia.* Unde idem morbus explicatur per symptomata à Gal. & per suam essentiam constitutivam ab Avicen. accipiens nomen pro morbo, & Galen. pro symptomate.

Sed dices contra nostram conclusionem, quando musculus unius partis faciei paralysin patitur, qui est in altero contrahitur versus suam originem, præter voluntatem, & tamen ibi non est convulsio, sed paralysis: ergo convulsio non est optimè explicata.

Respondetur quod quando dicimus convulsionem esse contractionem musculi versus suā originem, debet intelligi causâ afficiēte præternaturam partem quæ convellitur: cùm autem contractio quæ fit ex resolutione contrarij musculi, in musculo bene se babente non ità se habeat, ex eo quod causa præternaturam afficiente afficiat musculum paralysi affectum, quod non contrahitur, inde fit quod contractio quæ fit in musculo bene se habente, non dicatur convulsio.

Undè fit quod illa contractio est præternatu-

naturam facta à morbo alterius partis : dicitur tameo pars illa sana, idest nõ affecta morbo in illo existeute, quod verissimum est; non dicitur verò illa contractio symptoma convulsionis, quia convulsio fit à solo morbo, illa verò contractio fit à oatura partium, & similiter à morbo quodammodò, ut explicavi, non existeote in eadem parte, sed in alia quæ paralysin aut resolutionem patitur. Totum hoc venit iotelligenduio in commuoi doctrioa affirmantium in resolutione uuius lateris partem sanam trahere ægram, de quo *infrà* erit propria disputatio.

CAPUT II.

Sub quo genere symptomatis convulsio contineatur.

CERTUM est convulsionem habere veram rationem symptomatis, ut Gal. satis clarè in definitione fatetur, restat nunc examinare sub qua specie continetur. Et quidem omnes conveniunt sub actione læsa comprehendi, non verò in qualitate mutata, aut in his quæ excernuntur : similiter omnes fatentur in convulsione actionem non esse diminutam. Posset tamen aliquis existimare esse symptoma actionis læsæ ablatæ respectu facultatis motivæ animalis : & probatur, quia facultas hæc omninò cessat ab actione in convulsione, cùm non sit in ea motus voluntarius : ergo convulsio est symptoma in actione animali ablata: secundò quia in convulsione musculus cessat à motu cùm sit in termino motûs ; ergo est actio ablata illius motus à quo cessat, & sic erit actio ablata.

Sed nihilominùs nobis dicendum est esse symptoma in actione depravata ; quod præterquam quod est expressum Gal. ratione probatur ex antè dictis desumpta : nam si convulsio a motu naturali solùm differt, in eo quod convulsio præter voluntatem fit, debent in aliis convenire, ac proindè convulsio etiam debet esse actio, & non cessatio actionum ut contrarium dicebant.

Sed posset aliquis hanc quæstionem dirimere, dicendo, quod si convulsio consideretur prout in via, erit actio ; si autem prout in termino, est cessatio, & in primo modo erit symptoma in actione depravata ; & secundo modo in actione ablata. Sed adhuc explicatio hæc nobis non probatur præsertim si attendamus id quod Galen. nos docet *lib. de tremore & rigore cap.*4. asserente non esse idem motum propriè dictum & actionem, ac proindè in animali quando quiescit reperiri veram actionem. Hoc patet : nam si animal extendat brachium, vel illum contrahat, & quiescat, tunc in illa quiete est vera actio naturæ quâ conservatur ille ubi vel illa præsentia, nam aliàs statim decidet : ergo ex eo est quod in termino motûs vera reperitur actio, licèt non verus motus, quia in hoc aliter se habet mobile nunc quam priùs, ac proindè in convulsione licèt quando est in termino quiescat mobile, tamen est vera actio, & sic semper erit verum esse symptoma in actione depravata : unde patet solutio ad secundum argumentum.

Hinc constat actionem optimè reperiri posse sine mutatione, ut patet in conservatione quæ vera actio est, utpotè in illa est forma prout ab agente, & tamen in ea nulla est mutatio, neque ordo ad non esse, ut si Sol ab æterno illuminaret, ageret sine dubio, & aër non mutaretur, ac proindè licèt in illa quiete quæ est in convulsione non sit mutatio, est tamen vera actio.

Dices, in quiete rerum naturalium, ut quando quiescit lapis, non est actio ; ergo neque in quiete voluntaria.

Respondetur in quiete v.g. lapidis (& idem est de aliis) esse actionem conservativam, quâ proprium ubi conservatur; & à posteriori potest colligi ex eo quod resistit actioni quâ extrahitur à quiete. Constat etiam solutio ad secundum argumentum : nam licèt in convulsione nulla sit actio facultatis animalis motivæ, quia hæc facultas nihil agit in convulsione, cum hoc tamen dicitur actio depravata morbi à quo convulsio procedit, & sic nihil contra nos probat argumentum : Et licèt actio illa terminetur ad terminum naturalem, non tamen ideò dicimus non esse erroneam, quia talis dicitur ex parte proprij efficientis (morbi scilicet) non tamen ex parte termini.

Hinc fit talem actionem depravatam quæ in convulsione reperitur esse symptoma quod non nascitur à facultate animali motiva, neque ab alia, sed solùm à morbo dimanare dicitur : nam si à facultate simul cum morbo fieret, & ab illa mediâ irritatione, semper ad convulsionem præcederet dolor ex irritatione causatus, quod est contra experimentum, deindè quia sequeretur quod dum est in facto, non diceretur convulsio, sed solùm quando est in fieri : sequela patet cùm quando est in facto, non sit irritatio.

CAPUT III.

A quo morbo procedat symptoma convulsionis.

CUM omne symptoma nascatur à morbo ; restat in præsenti examinare, an contractio illa quæ reperitur in convulsione nascatur à morbo temperiei, aut conformationis, vel à quo morbo procedat. Circa quod communis sententia est oriri à morbo in mala conformatione pororum ; siquidem ex illo sequitur contractio illa : Et quidem de convulsione quæ fit ex repletione, probatur, nam humor qui facit tumorem ità poros ingreditur ut distendantur secundum latitudinem magis quàm pro nata, & secundum longitudinem breviores fiunt, & ad proportionem hujus contractio sequitur : similiter quando convulsio fit propter inanitionem ab eodem morbo fit : nam resolutis partibus humidis pori fiunt majores, & sic contractio, omit-

timus

timus vitiosam illam figuram quæ contingit in toto membro, quæ advenit ex contractione, quia hæc est posterior symptomate ipso, de quo modò est sermo.

Vallesius tamen circa hanc rem existimavit non esse inconveniens, unum symptoma nasci à duplici morbo diverso in specie, qui uno nomine appelletur propter similitudinem symptomatis,& sic in convulsione illud symptoma nasci à duplici morbo, aliter compositionis in magnitudine aucta, quando humor ità madefacit partes ut in tumorem attollantur præternaturam, ratione cujus contractio sequitur alter in temperamento sicco, nam ratione siccitatis contrahuntur partes; onde fit quod symptoma hoc se solum non erit pathognomonicum cujuslibet morbi ex dictis; sed cum aliis signis conjunctum id faciet, quod peculiare sit cujuslibet morbi.

Quidam tandem dixerunt in convulsione ex inanitione, morbum esse in magnitudine diminuta, eò quod defectum humidæ substantiæ patitur talis pars, sed licèt fiat hoc modo morbus ille, non per se & immediatè sequitur illa contractio, sed tantùm remotè & occasionaliter se habet.

CAPUT IV.

Quot sint causæ convulsionis, sive species.

Missa circa hanc rem sententiâ eorum qui affirmârunt convulsionem causari ab spiritu vel flatu immediatè, non verò ab humoribus replentibus, aut ab inanitione nervorū,quia nullius momenti est, ex eo quod repletio & distensio meliùs fit ab humore quàm à flatibus; & quia siccitas si valet densare, cur non contrahet? Communis Medicorum sententia est causas immediatas convulsionis esse repletionem & inanitionem, quod expressè fatentur Hipp.& Gal.& exemplo fidium & chordarum quæ sunt in cithara satis constat.

Avicen.autem videtur alia causam invenisse quam explicat & dicit esse *improportionem ad materiam*, idest irritatio alicujus, mediâ quâ moventur & contrahuntur musculi ad expellendum: id autem quod irritat improportionatum dicitur, ut est humor calidus mordicans, aut qualitate venenosa superveniente ad cerebrum.Et probatur quia ex eisdem causis fiunt convulsio & singultus; sed hic fit ab alia causa præter repletionem & inanitionem, scilicet ab irritatione alicujus, ut si quis edat granum piperis, in singultum incidere solet, eò quod ab ejus mordaci qualitate irritetur ventriculus ad ejus expulsionem;idem ergo in convulsione contingere debet. Deindè quia ex morsu aut vulnere fit convulsio: sed istæ causæ sunt diversæ à repletione & inanitione; ergo præter istas sunt aliæ assignate.Sed hæc parvi momenti sunt:nam quando singultum convulsionem vocant Autores loquuntur de motu convulsivo, multoties enim Gal.convulsionem cum motu convulsivo confunderunt; & cùm motus convulsivus à qualitate irritante fiat, nihil mirum quod dicatur convulsionem fieri propter improportionatam materiam, quia per convulsionem, tunc intelligi debet motus convulsivus, & idem dico de affectu aut convulsione quam dicunt causari ex morsu, intelligi scilicet nomine illius motum convulsivum; & licèt ratione morsûs poterit fluere humor ad illam partem,& tumorem causare,non ideò hæc causa ad repletionem debet reduci,quia hoc ipso quod est morsus,reperitur talis affectus nullâ factâ inflammatione;ergo ista causa ex se præcisè quatenùs talis ad repletionem debet reduci. Differentia verò quæ versatur inter motum convulsivum, & convulsionem,est quod hæc fit à morbo tantùm ille verò à natura irritata & à causa morbi, aut aliquo alio simili.

Nobis autem dicendum est quod præter repletionē & inanitionem quæ tanquam causæ frequentiores enumerantur à Galen. & Avic. esse alias causas convulsionis, scilicet flatus crassi qui occupando, replendóque nervos, eos distendit secundum latitudinem, & contrahit secundum longitudinem, non aliter ac humor,sed licèt hujus causæ Gal.& alij antiqui non fecerint mentionem, tamen sub repletione potest comprehendi, quia Gal.solùm fecit mentionem de causa quæ perseverat, & curationem expostulat, & cùm flatus cito evanescant, de convulsione quæ fit ex flatibus non fecit mentionem, vel dicere possumus Gal. posuisse exemplum in humoribus, quando à repletione dixit causari, ideò tamen non negavit a flatu posse causari.

Alteram causam addimus convulsionis, scilicet nimium frigus; hoc videtur esse expressum Gal.*lib.4.aph.comm.*49.dum ità dicit. *Partium fiunt perversiones, dum tenduntur atque contrahuntur hi qui ad eas nervi pertingunt. Quod autem tendantur, accidit propter inflammationes, vel duros tumores, aut siccitates, aut frigiditates immodicas.* Quibus verbis id clare docet; & præterea ratione probatur, quia frigus ex sua natura habet vim densandi & congregandi ex sua natura non minùs quàm siccitas; ergo faciet contractionem: sed hoc ipso quod musculi à frigiditate contrahantur, convulsionem patiuntur; ergo causa convulsionis dici debet. Neque communi doctrinæ Gal.contrariamur: nam licèt duas causas enumeret,videlicet repletionem & inanitionem, loquitur de his quæ frequenter contingunt, non quia ex frigore non possit causari. Denique advertere oportet quod Gal.convulsionem ex repletione ità explicat, quia pars in tumorem elevatur, ut distensio fiat secundum latum, contractio verò secundum longitudinem,qui modus non reperitur in quovis humore irritante.

CAPUT V.

Quis modus sit quo qualibet causa ex dictis convulsionem pariat.

Suppositis jam convulsionis causis, restat scire quomodò contractio ab

ab eis fiat; antea tamen advertere oportet, quòd quando dicimus convulsionem à solo morbo fieri, non debet intelligi juxta eos qui arbitrantur morbum esse qualitatem consistentem in disproportione in sensu formali, sed pro fundamento, scilicet aut ab humore replente, aut à siccitate comprimente.

Hoc ergo supposito dicimus quòd quando convulsio fit ex repletione, contingit illa contractio musculorum versus suam originem, ex eo quod per repletionem cavitatum, vel existente humore, in origine & radice nervorum, distenduntur & dilatantur quoad latitudinem & comprimuntur quoad longitudinem: si autem talis humor facit tumorem, ratione cujus pars etiam distenditur quoad latitudinem & abbreviatur quoad longitudinem, oportet humorem extravasari & ad porositates exire, ut indè elevet tumorem in parte & prædicta contractio fiat.

Major est difficultas circa secundam causam, quare scilicet ex siccitate aut ex defectu substantiæ humidæ prædicta contractio fiat: Et videtur quod non, nam qui laborant marasmo prædiri sunt majori siccitate quàm qui convulsionem patiuntur: sed illi convulsione non laborant; ergo à siccitate sive defectu humidæ substantiæ, contractio illa quæ invenitur in convulsione inveniri non potest: sed hoc argumentum parvam vim habet: nam licèt concedamus in marasmo affectis esse majorem siccitatem (de quo in præsenti non disputamus) tamen cùm siccitas sit æqualis in omnibus partibus musculi, non est major ratio quare ponùs versus unam partem quàm versus aliam accessus fiat: at verò in his qui convulsionem patiuntur siccitas inæqualiter est in partibus musculi, & sic una pars versus aliam movetur, & sic contractio fit in convulsione affectis, non verò in marasmo laborantibus.

Sed ut hoc dubium clariùs intelligatur, examinare oportet an partes ex inanitione convellantur propter defectum humidæ substantiæ, an verò propter siccitatem positivam, quæ ibi producitur. Ad quod breviter dicimus à siccitate positiva oriri illam contractionem tanquam à causa per se immediata comprimente & uniente ipsas partes; ex defectu verò humidæ substantiæ nasci tanquam à causa necessaria, sine qua non, & per accidens, quia solùm conducit ut oriatur siccitas ab interno principio.

Sed quæres à quo effectivè coëunt illæ partes, cùm siccitas non moveat localiter. Respondeo quod licèt siccitas per se primò non moveat localiter aliud corpus, bene tamen potest in proprio subjecto facere unionem localem partium, ex eo quod corpus densum minorem locum occupat per minorem præsentiam localem intrinsecam quam habet; quod autem siccitas denset quis neget: ergo sicut per raritatem partes occupant majorem locum, ità per densitatem minorem: cùm ergo siccitas hoc faciat, nihil mirum quod hæc per se faciat contractionem quæ reperitur in inanitione, hæc autem siccitas non potest stare quin consumptionem humidæ substantiæ faciat; siquidem si hoc facit, debet esse in aliquali intensione quæ sufficiens sit ad consumptionem prædictam faciendam.

CAPUT VI.

Quænam sit pars affecta in convulsione.

Breviter ea quæ ad hoc dubium attinent attingam, si dicam partem affectam in convulsione debere esse musculos: nam ab eodem instrumento organico elicitur motus voluntarius, ac elicitur motus ille depravatus qui in convulsione reperitur, quia similis est motui voluntario, licèt coactè, & à morbo tantùm fiat: sed motus voluntarij instrumentum est musculus; ergo etiam illius motus depravati, qui fit in convulsione, ac proindè pars quæ pati debet, debent esse musculi; partem verò alicitivam actionis diximus in alia parte esse carnem fibrosam, quæ necessariò debet pati, aut per se, aut per consensum in vera convulsione, sicut etiam musculi quando patiuntur per se, quandoque per consensum, quando scilicet patitur nervus, ut cùm iste in tumorem attollitur, vel exiccatur, tunc necessariò musculus consentit, cùm hic sit organum conflatum ex nervis.

CAPUT VII.

De Signis & causis convulsionis.

Ex signis à Galen. traditis alia sunt quæ demonstrant causam à qua fit convulsio, alia verò quæ denotant partem affectam: tradit etiam signa quibus possimus cognoscere an convulsio fit ex repletione, an verò ex inanitione; signa autem ostendentia convulsionem ex inanitione sunt labor, vigilia, fames, solicitudo, febris arida æstuans, qualis solet reperiri in phreniticis, & præcedentia alicujus immodicæ evacuationis, ratione quorum vivens exiccatur; & humida substantia deperditur & inanitio fit, ac per consequens contractio quæ in convulsione invenitur.

Cùm autem inter signa ostendentia convulsionem ex siccitate, aut ex inanitione, ponat Galenus ea omnia quæ numeravimus, quæ virtutem habent exiccandi, & inter illa labor ponatur, videre oportet qua ratione, ex labore siccitas & defectus humidæ substantiæ producatur. Ad quod supponere oportet nomine laboris intelligi exercitium immodicum per motum localem. Quo supposito non erit difficile assignare rationem quare exiccet: nam cùm ratione motûs & exercitij, spiritus & totum corpus magis calefiat, & ampliùs quàm oportet, nihil mirum quod ratione intensioris caloris humidum absumatur, & corpus ratione illius motus exiccetur. Alia etiam ratio hujus assignari potest, & est quia cùm spiritus sint humidi intensiùs quàm sit nostra natura, sit indè ut illam humectent; & cum ratione motus magis calefiant, attenuantur magis, & sic resolvuntur; si verò resolvuntur, ergo deficit humidum

humidum quod intensius est quàm nostra natura, & sic vivens exsiccatur ob laborem; quod qualibet ex his rationibus potest defendi.

Posuit inter causas convulsionis ex siccitate, vel inanitione etiam febrem æstuantem, qualis reperitur in phreniticis, idest febrem exiccantem, ut intelligamus non hoc ipso quod quis incidit in febrem, incidere in convulsionem ex inanitione, sed potest esse ex repletione, ex eo quod ratione caloris humores possunt liquari & fundi, ac proindè occupare & currere ad aliquem musculum, eúmque distendere secundum latitudinem, & contrahere secundum longitudinem: oportet ergo quod quando convulsio ex inanitione nascitur à dicta febre, quod non statim incidant in convulsionem, ac incidunt in febrem, sed paulatim transacto aliquo tempore, quo valeat calor exiccare.

Sed quæres, an possit convulsio ex siccitate invadere à principio, à causa saltim procatarctica, non præcedente alio morbo, hoc est an possit contingere subitò, sicut convulsio ex repletione subitò fit; ità ut verbum *subitò*, non significet non præcedentiam alterius morbi: nam jam diximus convulsionem ex repletione posse fieri præcedente febre adhuc æstuante, & sic etiam hæc convulsio subitò non fieret in hoc sensu, significat ergo verbum *subitò*, breve tempus. Hoc ergo supposito dicimus convulsionem ex siccitate non posse à principio invadere absque præcedentia alterius morbi, & paulatim etiam induci assero. Probatur, quia si contrarium fieret, maximè quia subjectum dispositum est, & exsiccatum; hæc autem siccitas esset morbus; nam cum illa non erat convulsio, & cum intensiori est; oportet ergo dare causam quæ ulteriorem illum gradum producat, ac proindè cæteræ causæ exsiccantes dummodò ad illam intensionem non perveniant, morbum priùs inducent antequam convulsionem. Et licèt marasmus & qualibet hectica febris possit induci à principio non præcedente aliâ febre, non verò non præcedente alio morbo, nam siccitas antequam sit in sufficiente intensione ad hanc febrem, morbosa erit.

Hucusque de causis demonstrantibus convulsionem ex inanitione egi, restat nunc causas demonstrantes convulsionem ex repletione assignare. Et quidem una ex his est plenitudo corporis, & otium, quod maximè conducit ad multitudinem humorum crudorum; hoc expressit Gal. *lib. 2. aph. comm. 16. Cùm igitur*, ait, *aliquem sanum contigerit repentè convelli: hujusmodi convulsionem necesse est ex repletione fieri.* Nam quæ fit à siccitate, paulatim excitatur; si verò fiat à frigore facilè constat externa aliqua refrigeratione, aut ex decubitu in loco frigido.

Hanc autem convulsionem quæ fit ex repletione, omnes Autores conveniunt fieri ex tribus humoribus, sanguine scilicet, pituitâ & melancholia, vel tumorem elevantibus, & sic contractioné illam facientibus modo explicato; vel absque eo quod tumorem elevent, solùm suâ copiâ, madefaciente tamen, ità ut non unam solam partem, sed totum nervum prehendat. Sicut in lyris contingit. Hoc ergo supposito, dubium potest esse an ex bile etiam contingat convulsio ex repletione; & breviter dico non esse ullam repugnantiam quare ab ea fieri non possit: nam sua quantitate posse obstruere satis ostendimus, *cap. de apoplexia*, & similiter potest tumorem elevare; non est ergo ratio quare convulsionem causare non possit si dictis stemus.

Sed dices quod antequam bilis sit in quantitate sufficienti, ut obstruat, & tumorem elevat, irritabit sua qualitate, ac proindè expellitur à natura, antequam convulsioné excitet.

Respondetur hoc non ità contingere: nam potest tam citò in tanta quantitate fluere, ut non sit tempus sensibilis Medico antequam excitet convulsionem, & sua quantitate obstruat. Vel possumus dicere cum Petr. Garcia quod licèt bilis accedat ad nervos, aut eorum exortum, vel cavum, non expelletur motu cóvulsivo: nam talem modum expellendi quæ moveri potest, nervus autem non movetur secundum se. Sed contra hoc mihi videtur quia cùm musculus sit pars affecta in convulsione, ut diximus, si ad eum accedat portio bilis, non est cur non irritetur sua qualitate, & cùm possit moveri, non est cur bilem non expellat, ac proindè antequam possit facere convulsionem expelletur.

CAPUT VIII.

An Tetanus sit convulsio.

COMMUNITER Autores enumerant tres species convulsionis, scilicet Emphrosthotonos, Opisthotonos, & Tetanus, in præsēti autē capite de Tetano erit sermo, an scilicet sit vera convulsio. Et quidē videtur quod non: nā convulsio, vera est contractio musculorum versus suam originem: sed in tetano nulla est contractio, imò potiùs membrum tetano laborans rigidum apparet, quod contrarium est convulsioni & contractioni, ergo Tetanus licèt conveniat cum convulsione in ratione generica pravæ figuræ, tamen contrariatur ei, quatenùs in Tetano non est contractio, sed membrum rigidum, & in convulsione est vera contractio, & membrum rigidum non est. Aliqui ad hoc respondent quod licèt in Tetano de facto non sit contractio, est tamen causa de se valens contractionem facere, quæ de facto non facit ratione impedimenti, scilicet quia contraria pars est affecta, & sic musculus contrarius, resistit contractioni alterius, quo fit ut uterque musculus habeat causam sufficientem valens contractionem facere in Tetano, & tamen mutuò se impediant, & sic pars rigida manet in Tetano.

Nobis tamen dicendum est, tetanum esse veram convulsionem, quod sic probo: nam licèt membrum rigidum in eo appareat, & quiescere videatur, verum est quod ibi est actio musculi, licèt pars immobilis sit, cùm autem nulla sit actio musculi præter contractionem, indè est quod in tetano uterque musculus de facto agit, & contrahitur, pars tamen rigida apparet immota, ex eo quod cùm musculi contrarij simul agant, & contrahantur, sese mutuò impediunt, & ità pars non potest moveri, neque cedere in aliquam

partem, licèt in utroque musculo sit vera contractio de facto facta à solo morbo; operatur enim ejus causa detinendo partem in illo situ. Hinc claré intelligetur tetani definitio, si dicamus, *Tetanus est cùm partes invite in contraria retrahuntur à musculis oppositis.* Ex quo etiam facilè intelligitur tetanum vocari convulsionem compositam, ex eo quod in tetano concedimus contractionem in utroque musculo opposito, ratione cujus pars tetano affecta rigida apparet, licèt musculi contrahantur.

CAPUT IX.

Quot sint species convulsionis ratione partis.

AUTORES omnes conveniunt in assignandis speciebus convulsionis ratione partis, & dicunt esse tres. Prima est quando caput vergit ad thoracem, & dicitur *Emprosthotonos.* Secunda quando caput vergit ad spatulas & posteriores partes, & dicitur *Episthotonos.* Tertia species est quando ad nullam partem vergit, sed rigida manet, & dicitur *Tetanus.*

Sed contra istam communem & à nobis defendendam doctrinam arguunt sic: nam ex dictis solùm colligitur quod sint tres specica convulsionis spectantes ad caput: at sic est quod etiam in aliis partibus convulsio reperitur: ergo respectu earum aliæ diversæ species convulsionis statui debent.

Respondetur quod sub illa divisione comprehenduntur convulsiones omnium partium; nam illa divisio est in omnem illam partem quæ antè, aut retrò, aut versus nullam partem vergit; cùm autem hoc conveniat omnibus partibus, nam vel antè convelluntur, vel retrò, vel rigidæ manent, & sic omnibus partibus illæ species convulsionis sunt communes; ponunt autem Autores exemplum in capite, quia convulsiones ejus sunt manifestiores, & magis obviæ sensibus.

Dices secundò; caput non solùm vergit, antè & retrò, & ad nullam partem quando rigida manet, sed etiam vergit ad latus versus humeros; ergo si ex eo quod vergit antè & retrò, duas species statuunt Authores, etiam ex eo quod vergit ad latus, alias duas statuere debent.

Respondetur illas contractiones versus latus fieri ab eisdem musculis à quibus aliæ contractiones versus partem anteriorem & posteriorem fiunt; undè fiunt quod cùm omnes hujusmodi contractiones ab eisdem musculis fiant in omnibus his tantum sunt illi duo musculi affecti, ac proindè dum species ratione partis affectæ enumerantur, tantùm duas enumerat, licèt motus & inclinatio partis sit diversa, quando est versus humeros quàm quando est versus anteriores aut posteriores partes. Quod autem non sint diversi musculi ponendi ad omnes diversos motus partium, constat; nam ab eisdem musculis brachium movetur sursum & deorsum, & circulariter; ergo idem continget in capite & in quolibet alio membro.

CAPUT X.

An in vulneribus capitis convulsio fiat in latere opposito, & paralysis in principio, & habeat causam aliquam ex dictis.

OCCASIONEM huic dubio dedit Hippocr. nam *lib. de vulneribus capitis* dum recenset illorum signa mortalia, dicit: *Plerisque enim nervorum distensio in altera parte corporis supernascitur: siquidem vulnus in sinistra capitis parte fuerit, nervorum distensio dexteram corporis occupat; si dextera capitis vulnerata sit, nervi in sinistra corporis distendum.* Quibus verbis clarissimè constat rationem dubitandi ab Hipp. insinuatam esse, quare scilicet hoc contingat. Ad quod adverte quod Hippocr. non vult semper contingere quod dextro latere affecto, vel vulnerato, sinistrum convelli, sed utplurimum, ut denotatur per illud verbum *plerisque.* Secundò nota ibi loqui de vera convulsione, & non de motu convulsivo.

Hoc ergo supposito, & prætermisso occulto consensu nervorum ad quod Peramatus redducit prædictum eventum; quia sine fundamento est. Accedamus ad placitum Gentilis qui ait causam hujus eventûs esse, quia cùm pars vulnerata sit debilis, non potest contrahi super materiam, sed subsidet & laxatur: pars verò distantior siccior est, & ità potest contrahi: sed hæc ratio insufficiens est, quia non reddit rationem ob quam paralysis sit in parte vulnerata; nam licèt non possit contrahi ob debilitatem, non ideò sequitur non posse paralysi laborare.

Sed reddit rationem quare contingat paralysis in parte vulnerata: nam cùm ad partem vulneratam currat quamplurima copia humoris, utpotè debilem quæ valet obstruere, & sic facit paralysim, ad oppositam verò partem minor copia humoris fluit, & sic facit motum convulsivum: sed hæc ratio etiam insufficiens est, quia non reddit rationem quare ad partem oppositam sanam aliquid debeat fluere.

Sed ut ad resolutionem hujus dubij accedamus, nota sermonem esse, ut dixi, de vera convulsione. Secundò nota duobus modis posse intelligi excitari convulsionem ex ulcere, aut ortâ inflammatione in parte ulcerata distendentéque secundum latum, vel quia postquam cepit apparere, evanuit tamen, & hoc est frequentiùs. Et ratio est quia cùm in illis ulceribus tumores evanescunt, intrò recurrunt, radicésque nervorum occupant, & fit convulsio. Quando ergo Hipp. inter lethalia signa vulnerum capitis posuit & assignavit convulsionem contrarij lateris, loquitur de illa quæ fit tumore non apparente perseveranter, nam si tumor, aut inflammatio appareat, potiùs est consentaneum rationi fieri in eodem latere convulsionem.

Sed dices: si parte exulcerata dextrâ existente, potest fieri convulsio in sinistra, & è

contrà

contrà cur parte posteriori exulceratâ, non fiet convulsio in anteriori, & è contrà?

Respondetur partem dextram esse proximiorem parti sinistræ; partem autem posteriorem esse distantiorem à parte anteriori, & sic parte dextrâ patiente vulnere para sinistra afficitur, & è contrà; non verò patet anteriori pars posterior patitur:nam aliàs in longinquam partem fieret consensus.



DISPUTATIO XXII.

De Tremore.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Tremor.



Nter ea quæ solent evenire musculis, est tremor, qui secundum Medicinæ parentes est symptoma in actione læsa proveniens à facultate debili.

Sed restat dubium sub quo membro actionis læsæ tremor sit; & videtur esse sub actione diminuta. Et probatur quia tremor procedit ex debili facultate ex omnium Medicorum sententia: sed quando ex tali facultate procedit hujusmodi symptoma,est læsæ actionis in diminutione: ergo si à debili facultate procedit, symptoma in actione diminuta est tremor.

Nobis autem dicendum est tremorem esse symptoma ex duplici motu compositum, sursùm scilicet & deorsùm, constatque duplici motore,gravitate scilicet ad motum deorsùm, & facultate debili, ad motum sursùm & sic tremorem partim esse actionem diminutam, quantum ad id quod fit à debili facultate,partim verò esse actionem depravatam quantùm ad id quod fit à gravitate, ac proindè motus deorsùm qui à gravitate fit est depravatus & erroneus, non auctus: dicitur autem erroneus in quantum fit à gravitate, vitio scilicet principij; motus autem sursum cùm ex debili facultate procedat,non est dubium quin sit diminutus: cùm autem tremor sit symptoma compositum ex duplici motu, sursùm scilicet & deorsùm,non erit mirum partim esse actionem depravatam, partim verò diminutam.

Sed dices: motus deorsùm non est præter naturam: siquidem à gravitate quæ est principium naturale illius motus: ergo non habet rationem symptomatis in actione læsa per depravationem.

Respondetur illum motum deorsùm esse naturalem corpori in quantum grave est,non verò in quantum animatum animâ sensitivâ: nam juxta hanc rationẽ debet moveri ab alio principio, & non à gravitate; & licèt verum sit habere rationem symptomatis,non tamen rectè infertur gravitatem illam habere rationem morbi, licèt ab illa fiat immediatè, quia non est opus immediatam causam actionis læsæ rationem morbi habere, licèt verum sit omne symptoma procedere à morbo mediatè, vel immediatè.Explicatum autem jam est quod ille motus deorsùm sit præternaturam ex parte principij, non corpori ut gravi,nam ut sic, naturalis est, sed corpori in quantum animatum animâ sensitivâ.

CAPUT II.

Ad quam facultatem spectet Tremor.

SEntentia satis communis & recepta apud Autores antiquos est, tremorem esse symptoma facultatis animalis motivæ quæ sponte agit, & voluntariè. Hoc expressè tenent Galenus & Avic. quampluribus in locis, & præcipuè Gal. *lib. de differ. symptom. cap. 3. & lib. epid. 3. part. 2. comment. 4.* dum ità dicit, *Iam motus voluntarij qui secundum naturam obitur, una est forma qui tremor appellatur.* Idem etiam expressè fatetur quampluribus aliis in locis.

Sed videtur hoc non consonare cum dictis *cap. præcedenti*, ibi enim diximus tremorem constare duplici motu, sursùm scilicet & deorsùm, quorum quilibet fit à suo motore, ità ut motus deorsum fiat, à gravitate: sed motus factus à gravitate non est cur dicatur facultatis animalis motivæ esse, neque ullo modo voluntarius: ergo.

Respondetur quod licèt quod in argumento proponitur est verum, tamen meritò dicitur tremor symptoma facultatis animalis, etiam secundum motum deorsùm, quia quod gravitas moveat, tunc ex debilitate virtutis procedit, licèt non efficienter: undè fit tremorem etiam quoad utrunque motum dici aliqua ratione nobis voluntarium, in quantum est in nostra potestate operari, vel secùs; dicitur tamen motus ille deorsùm invito animali fieri, quia postquam cepit animal movere sursùm, tunc licèt velit continere partem,in se ipsam,aut ulteriùs progredi motum, non poterit.

Sed dices non omnem tremorem factum mediis musculis & nervis esse voluntarium; nam duplex est tremor, unus perfectus & exquisitus, qui fit ex debili facultate & gravitate membri, ut est in senibus ut convalescentibus, qui motus est voluntarius, ut diximus: alius verò est motus tremulus omninò morbosus, fitque ex causa irritante quæ animalem facultatem cogit ad opus, & ex gravitate membri quæ contrarium motum(deorsum scilicet) cogit fieri: in hoc autem facultas animalis involuntariè movet, & dicitur talis motus convulsivus. Quod patet: nam talis motus non potest per voluntatem nostram cohiberi; neque eâ renuente non fieri, ac proindè non omnis motus factus mediis musculis, & nervis debet vocari voluntarius.

Sed licèt non sit præter rationẽ motum illum convulsivum fieri à debili facultate quæ irritata

irritats moveat mediis musculis, & à gravitate ipsius partis in motum deorsùm inclinante, (licèt habeat difficultatem, cùm motus iste fit ad expulsionem causæ molestantis: quo pacto constat duplici motu altero à gravitate, cùm iste non sit accommodatus ad expulsionem illam.) Nolo in præsenti contentionem facere an motus iste convulsivus qui reperiri solet in malignis febribus, possit dici verus tremor, quia potiùs quæstio de nomine quàm de re est. Sed nobis non placet dicere, quod si motus ille fit mediis musculis & nervis, sit involuntarius, sed potiùs necessariò voluntatium debere esse: nam facultas animalis semper operatur cum subordinatione ad cognitionem & ad actionem appetitûs sensitivi; & sic licèt molestia & irritatio præcedat, ad illam semper hoc modo operatur, ac proindè facultas executiva motûs non potest in nobis fieri renuente voluntate, licèt non postulet motus ille actum positivum voluntatis inclinantem ad eum; unde colligimus motum illum convulsivum mediis musculis factum non fieri in nobis necessariò, adhuc si præcedat irritatio, dummodò caput bene valeat; siquidem voluntas nostra ex irritatione non necessitatur.

Undè deducimus non esse inconveniens musculos quamvis sint instrumenta voluntarij motus pati aliquod præter voluntatem, ut in vera convulsione contingit, quia nos non quærimus passionis causam, sed agentem quæ si facultas animalis sit, non potest facere motum in nobis renuente voluntate.

Nobis dicendum est in præsenti talem motum musculorum in quantum non cessat ex voluntate nullomodo fieri à facultate motiva animali, neque secundum totum, neque secundum partem, sed fieri à causa contra naturam, nempè ab humore, aut tenui aliqua substantia immediatè, quæ effectivè movet partem intra quam includitur, humor verò ille aut tenuis substantia movetur à facultate naturali expellente quæ præcedente sensu objecti operatur; hoc autem non est inconveniens, ut patet in fibris naturalibus quæ moventur ad expulsionem in ventriculo, & in intestinis præcedente sensûs tactûs irritatione: non ergo est inconveniens facultatem naturalem expellentem mediâ sensûs tactûs irritatione operetur, dummodò talis motus non subordinetur per se imaginationi, & appetitui, ad quem motum ea parte quâ est deorsùm, non implicat juvari etiam à gravitate ipsius membri. Denique constat hunc motum convulsivum differre à convulsione, quia ista à solo morbo, nullâ operante facultate fit.

CAPUT III.

An Tremor fiat à duplici motore, an ab uno.

Nanquam certum in hoc dubio suppono sermonem esse de vero tremore, & non de môtu convulsivo; an scilicet fiat à duplici motore; estque expressa Gal. mens, in tremore esse motum sursùm factum à facultate debili, ità ut ob ejus debilitatem nec possit progredi motum sursùm, neque in eo sistere, ac proindè deorsùm movetur à gravitate membri naturali, vel quandoque à gravitate præternaturam humoris indebiti, in ipsa parte ponderantis; quot fit ut in tremore sit duplex motor, & duplex motus, unus deorsùm in quo sisteret pars, si non esset facultas intendens motum sursùm tanquam principium efficiens ejus, & alter sursùm factum à sola facultate.

Undè fit quod licèt motus deorsùm fiat à gravitate ipsius partis naturali quæ nullo modo habet rationem morbi, tamen optimè à Galeno dictur tremorem fieri à natura, hoc est à facultate secundum motum sursùm, & à morbo secundum motum deorsùm, non quia gravitas partis naturalis sit morbus, sed quia satis est ut ille motus sit symptoma fieri ab aliquo principio ratione morbi, & quia gravitas ibi non moveret nisi adesset morbus, ex quo virtus motiva animalis debilitaretur, ideò dicitur fieri à morbo, remotè tamen & occasionaliter, licèt fiat à gravitate efficienter & immediatè, quæ morbus non est, nisi fiat à gravitate humorum extensum in musculis, pondus præternaturam facientibus in partibus, tunc enim gravitas illa morbosa, & præternaturam erit.

Ex Medicis solus Gentilis de Fuligineo non convenit cum Gal. sed affirmat quod licèt in tremore sit duplex motus, sursùm & deorsùm, non tamen fit à duplici motore, sed ab uno, nempè à facultate: Et probat quia additio resistentiæ in mobili supra virtutem motoris, non facit distinctum motum, sed eundem motum facit tardiorem: sed gravitas illa quæ est in tremore est additio resistentiæ mobilis; ergo solùm ex illa fiet motus à facultate tardiùs, non verò fiet diversus motus.

Sed Respondent aliqui satis acutè, quod quando additio resistentiæ superat virtutem motoris, tunc fiet alius motus; si verò non superet, licèt sit additio resistentiæ mobilis, solùm faciet motum tardiorem, ac proindè in tremore gravitas superat virtutem facultatis, & sic fit ille motus diversus deorsùm à gravitate, & non à facultate.

Tamen contra istam solutionem possumus insurgere: nam oportet explicare si in motu deorsùm vincit gravitas à quo posteà crescit virtus animalis, ut moveat sursùm, & à quo etiam diminuitur, ut vincat gravitas; à nullo certè videtur hoc fieri: nam virtus est reddita debilis propter morbum; hoc autem eodem modo se habet: ergo semper virtus movet debilis, ac proindè non est undè crescat ut faciat rursùs motum sursùm postquam est victa à gravitate faciente motum deorsùm.

Ad hoc in quo tota est difficultas Respondent aliqui facultatem in illis qualitatibus reperari non aliter ac facultas vitalis in pulsu intermittenti, parvis illis quietibus reparatur, & rursùs intendit motum, & arteriam movet quam tempore quietis non poterat movere; sic ergo facultas animalis quando in motu deorsùm factum à gravitate quiescit, separatur, & sic rursùs facit motum sursùm. Sed licet ab his Autoribus assignetur occasio in

in qua reparatur virtus, non tamen explicatur quo pacto fiat. Et ità nobis cùm Gal. dicendum est, contingere quia impedimentum quod erat ad virtutis descensum, variatur in ordine ad ipsam. Itaque aliquando vincitur virtus propter magnam obstructionem & integram, quo fit ut tunc fiat motus deorsùm à gravitate, aliquando verò non vincitur virtus, ex eo quod obstructio non est integra, & ità virtus potest communicari; quo fit ut conante facultate, se excitet ut causam obstruentem, quodammodò expellat, & sic influxus possit communicari, ità ut contra gravitatem turtòs sursùm moveatur pars à propria facultate.

Hinc ergo constat rigorem non fieri à duplici motore: nam oon constat duplici motu; non enim cooftat motu deorsùm; siquidem cùm rigor totus sit ad expulsionem materiæ, & motus deorsùm ad id non conducat, indè est quod talis non sit in rigore, & proindè non nisi unicus motus, scilicet facultas, licèt verum sit quod etiam duplex motus ab eodem motore fieri potest; tamen quod dicimus est, in tremore duplicem illum motum non fieri ab uno motore, sed à duplici.

Quod sic probo: oam ille duplex motus sursùm scilicet & deorsùm, non potest fieri ab uno motore, quia non à gravitate, siquidem hæc non potest movere sursùm corpus cui inest, neque à facultate animali motiva: nam si potest movere altero motu contrario, non est cur non possit continuare priorem, vel saltim in eo sistere, & sic vel continuabit motum sursùm, vel in eo sistet; non verò faciet motum deorsùm. Dices majus robur virtutis requiri, ut continuetur motus sursùm, quàm ut fiat motus deorsùm, quia ad hunc juvat gravitas, ad illum resistit; tamen contra est, quia saltem poterit retardare motum deorsùm, ne tanta celeritate fiat: sed cùm experientiâ constet fieri secundum proportionem gravitatis id non contingit; ratio autem cur non possit fieri à facultate utetque motus, est quia non esset major ratio cur unus quàm alter fieret: nam dispositio prætcrnaturam eadem remanet quoad utrumque motum. Neque valet dicere utrunque motum esse voluntarium cum mediis musculis sit factum, & ideò pro voluntate hunc vel illum exerceri: nam contra est; nam motus deorsùm multoties fit repugnante voluntate: nam quando volumus movere brachium sursùm ob aliquem finem, tunc motus deorsùm ad nihil conducit, sed potiùs est impedimentum ad consequutionem finis, & sic est præter voluntatem; manet ergo esse duplicem oiotorem.

CAPVT IV.

Quis morbus reperiatur in Tremore, & quas causas habeat.

QUм omne symptoma à morbo nasci debeat, quæritmus in præsenti à quo morbo tremor oaseatur: licèt etiam ipse tremor qui symptoma, est habeat etiam rationem morbi instrumentalis in situ mutato. Sed dubio breviter respondemus morbum à quo procedit tremor non esse unum, sed diversos, tot nempè quot possunt debilem reddere facultatem, & virtutem animalem sicut obstructio, aut aliquid aliud, ut patet in senibus & convalescentibus, in quibus ob debilitatem virtutis tremores fiunt: constat etiam in eis qui portant aliquod onus majus quàm rectè, possint vires ferre.

Circa causas à quibus potest tremor causari, dicit Avicen. esse tres, aut ex parte virtutis, aut instrumenti, aut utriusque simul. Primum contingit quando virtus debilitatur, aut propter passiones animi, aut propter consumptionem spirituum, aut propter obstructionem impedientem communicationem virtutis ad sensum & motum, ratione cujus manet impropoztionata facultas cum pondere, & sic fit tremor. Secundum contingit per vitium instrumenti, ut si mollificetur ab humiditate, aut frigore quod debilitat nervos, aut spiritus, aut nimiè exiccetur, ità ut non obediat rest.xioni facilè. Denique causa ex parte utriusque contingit, quando simul istæ duæ adsunt. Et hæc de hac Disputatione.



DE AFFECTIBVS Oculorum.



VT clatiùs in affectionibus oculorum procedamus, advertere debemus oculum posse pati morbum ut pars similaris est, ut quando aliqua distemperie præteroaturam afficitur, & etiam potest pati ut instrumentalis pars est, ut quando meatus obturatur propter inflammationem, aut scirrhum, & quid simile, quod contingit malo oculis non apparente. Denique aliud vitium est cùm nihil aut exiguum splendidi spiritus à cerebro in oculos descendit; nam cùm mediis spiritibus virtus ad sensum & motum communicetur, nihil mirum quòd deficientibus spiritibus visio lædatur.

Rursùs advertere debemus visionem tripliciter lædi posse, vel ablatè, ut contingit in cæcitate, in qua si nihil prorsùs in oculo apparet, dicitur Græcè *Amaurosis*, quæ accidit, aut propter obstructionem nervorum opticorum compressionémque, aut quia virtus à cerebro deficit; vel depravatè visio fit, quando scilicet apparent videri objecta quæ non sunt, quam affectionem Græcè appellant *Pororasim*. Quòd si contingat ob crassum humorum inter crystallum, & tunicam corneam, dicitur *Cataracta*; denique potest diminutè lædi visio, & dicitur *Amblíopia*, sive imbecillitas; cùm ergo lædatur visio propter nervos opticos, tunicas, humores malè affectos, & propter vitia spirituum, sigillatim de his agendum est; & initium sumimus ab affectibus tunicarum.

DISPVTA



DISPUTATIO XXIII.

De Affectibus tunicæ adnatæ.

CAPUT PRIMUM.

De Ophthalmia.



X morbis quibus tunica adnata, idest tunica externa quæ constituit album oculi, solet affici, est ophthalmia, Latinè lippitudo dicta, quæ definitur, *Est inflammatio tunicæ adnatæ.* Ubi advette, nomine inflammationis non phlogosim, sed verum humorem intelligi. Duplex solet inter Medicos dici ophthalmia seu lippitudo, una propria quæ vera inflammatio est tunicæ adnatæ; alia impropria quæ perturbatio dicitur, vel ophthalmia incipiens quæ non in vero tumore consistit, sed rubedine oculi cognoscitur, & à causis externis frequenter excitatur, ità ut multoties auferatur, hoc ipso quod causa externa aufertur, qualis solet esse aër, insolatio, & aliæ similes: Et hinc fit quod cùm perturbatio seu ophthalmia incipiens non sit morbus consistens in vero tumore, quod sit morbus distemperiei calidæ & humidæ cum materia, idest cum humore. Sed adverte humorem illum descendentem ad tunicam albam externam adnatam dictam, & ruborem causantem in albo oculi non esse sincerum sanguinem quartum humorem, sed aliquid massæ sanguinariæ descendere;& cùm quartus humor, in illa, est in majori quantitate, viget ejus color rubor; & sic apparet rubedo in oculo, non quia solus quartus humor descendat, quia non erat major ratio cur ille quàm reliqui humores descenderent, sed ob rationem dictam.

Hinc constat veram ophthalmiam consistere in vero tumore, ac per consequens esse, morbum instrumentalem, vel temperamenti cum fluxu humoris, ut quis voluerit opinari. Denique alius affectus tunicæ adnatæ est qui dicitur *Chemosis*, qui solùm per magnitudinem à lippitudine differt; nam in chemosi major inflammatio quàm in lippitudine est.

CAPUT II.

De Pterygio.

ALTER morbus solet evenire tunicæ adnatæ qui *Pterygium* dicitur, qui nihil aliud est quàm caro dura similis nervo supercrescens in tunica adnata ad modum unguis, & utplurimum incipiens à lacrymali; quod his verbis explicuit Avicennas *fen 3. lib. 3. tract. 2. cap. 22.* dicens, *Est additio conjunctiva, & velaminis continentis oculum, incipiens secundum plurimum à lacrimali, & currens semper super conjunctivam.*

Sed oportet explicare quis morbus sit pterygium. Et dicimus breviter esse morbum in numero aucto, lædereque actiones, & quia contractionis oculi motum impedit, rum etiam quia procidendo totam pupillam contegat; ex quibus prior læsio est quantum ad motum, & secunda quantum ad sensum, quia scilicet cùm sit corpus opacum, facit umbram, & ideò obtenebrat. Ex quibus planè constat esse partem viventis.

Deindè alius est morbus qui huic tunicæ tribuitur, & dicitur hyposphasma, idest quando ex ictu aut percussione rumpuntur venæ hujus tunicæ adnatæ, taliter ut exeat sanguis: qui morbus licèt aliis partibus corporis conveniat, tamen quia frequenter contingit in hac tunica, illi tribuitur; posse etiam fieri à causa interna, ut à fervore sanguinis, asserimus. *Hyposphasma.*



DISPUTATIO XXIV.

De Affectibus tunicæ corneæ.

CAPUT PRIMUM.

An ex mutatione coloris hujus tunicæ, & cùm humores fluunt diversi coloris, lædatur visio.



Ro intelligentia totius disputationis oportet advertere tunicam corneam lædi quoad visionem, vel quia inspissetur, vel quia inerassetur, vel quia humectetur, vel quia colorem mutaverit, eò quod talis tunica est tenuis, dura, densa, & splendida, & sic per crassitiem, aut inspissitudinem opacitatem contrahit, & sic est impedimento quo minùs recipiatur intrinsecùs lumen in parte elicitiva visionis; ratione verò humiditatis fit visio caliginosa, eò quòd partes ab illa laxantur & concidunt inter se, sicque adumbratio contingit, & visio fit læsa.

Sed quod majorem difficultatem habet *in præsenti cap.* est explicare an per mutationem coloris hujus tunicæ, aut cùm humores fiunt diversi coloris, lædatur visio. Et partem affirmantem videtur tenere Gal. & probat similitudine de sensu gustûs: nam si quis intra sensum gustûs habeat saporem amarum; omnia externa quantumvis dulcia sint, apparent amara; ergo eadem erit ratio de colore in sensu visûs, ità ut si in ejus organo sit unus color, objecta omnia apparebunt talis coloris.

Sed his non obstantibus contraria sententia tanquam vera est nobis sustinenda. Et probatur primò quia Aristot. in quibusdam tunicis

tunicis oculorum posuit colores, & tamẽ experientiâ constat non videri omnia externa ejusdẽ coloris: ergo idẽ tenendum est de mutatione coloris tunicæ corneæ. Dices, verum esse si tunicæ prædictæ in quibus adest aliquis color, essent elicitivæ visionis, sed cùm non sint, nihil probat argumentũ. Tamen cõtra est, quia species objectorum ità recipiuntur in aliis partibus quæ sunt ante humorẽ crystallinũ, sicut sin ipso, ac proindè variabunt ipsam visionem per variationẽ speciei; ergo si non cõtingit in casu posito, neq; continget variatio, quamvis tunica cornea afficiatur quolibet colore.

Deindè, quia licèt imaginatio sit potentia existens in organo corporali habente qualitates naturales, istæ non impediunt imaginari res alias sicut sunt, neque apparet res ejusdem naturæ cum illis, sed diversas res sicut sunt in se potest imaginari: ergo sic continget in sensu visûs, licèt prædicta tunica quolibet colore afficiatur. Deindè quia in visu extensio potentiæ non potest impedire cognitionẽ extensionis objecti, ergo neque alia, licèt realiter in organo sint. Neque valet si dicas extensionem esse sensibile commune, quod non producit propriam speciem, colorem verò maximè, & sic oportet denudari à natura sensibilis proprij. Tamen contra est quia saltem percipitur per modum diversum; ergo si species alicujus objecti visibilis proprij impeditur ab entitate coloris existentis in oculo, ità species modalis sensibilis cõmunis debet impediri ab aliquo simili existente in oculo, hoc autem non contingit, ergo neq; illud. Denique quia quodlibet objectum producit in sensu diversam speciem sui propriam; ergo licèt in organo v.g. sit color niger, nihil obstabit quominùs objectum repræsentet propriam sui speciem.

Dices: quando videmus objectum per vitrum viride, ità apparet objectum; ergo per colorem medij modificatur species propria objecti. Respondetur ibi nullam esse modificationẽ neq; illo modo fieri, sed ideò apparet objectũ viride, quia ille color medij mittit speciẽ ad oculũ efficaciorem quã aliud objectũ, trahitque potentiam ad sui cognitionem, & alter color non videtur, vel remissè. Sed pro cõpleta intelligẽtia advertere oportet duobus modis posse intelligi reperiri in oculo aliquem colorẽ præternaturã, vel mutato temperamento cui debeatur color ille, aut fluente humore participe coloris; quolibet autem ex his modis læditur visio, sed non propter colorem ibi productum sed ratione temperamenti vitiati, ità ut licèt talis color ibi non produceretur, eodem modo esset læsio in visu. Quapropter sentimus cõtra Valles. colorem oculi non esse morbum, quia nõ lædit per se visum, sed potiùs esse symptoma in qualitate mutata. Hinc fit quod licèt in his qui morbo regio laborant omnia externa quæ videntur appareant pallida, non est quia color sit supra hanc tunicam pallidus, neque quia hujusmodi color supra tunicã videatur, sed quia exit vapor pallidus extra qui facit sui visionem producendo speciem sui coloris. Sed contra videtur, quia etiam lumen posset foras exire & facere apparere omnia objecta lucida. Unde ad rationem contra nos primò factam dicimus, ibi non impediri sensationem objecti dulcis, sed quia tunc sapor amarus producit species acriores & potentiores ac sapor dulcis, tunc quia objectum dulce valde remissè sentitur, veluti deobscuratur præsente sensatione intensiori objecti amari

CAPUT II.

De ulcere corneæ tunicæ, & aliis morbis ejus.

TUNICA cornea exulcerationem pati potest ex qua aliquid aquosi humoris foras effunditur: neq; de essentia hujus morbi est quod modò agamus, cùm constet esse in soluta unitate, quod non solùm contingit tunicæ corneæ, sed & uveæ. Sed dubium est an staphyloma sit affectus hujus tunicæ corneæ, an potiùs uveæ. Et licèt apud Aëtium inveniãtur duo loca quæ videntur contrarij, tamen certum est staphyloma quod in prominentia tunicæ simili acino seu grano uvæ consistit orta *Staphyloma.* à corrosione aut ruptione tunicæ, esse affectũ primariò competens tunicæ corneæ, ut communiter omnes Autores referunt, & secundariò affici tunicam uveam, eò quòd mutet situm naturalem.

Alter affectus solet à Medicis poni qui dicitur albugo, estque juxta communem sententiam de natura cicatricis quæ existens in ipsa *Albugo.* tunica, visionem lædit; de quo effectu dubitatur sub quo genere morborum comprehendatur, & dicimus non esse neq; in numero aucto, neq; diminuto, cùm licèt verum sit, quod para tunicæ amittatur, tamen cùm cicatrizatur, adquiritúr alia loco illius, & sic læditur visio, vel diminutè, vel ablatè, & morbus à quo procedit, est in qualitate secunda, ut densitate & crassitie, de quibus suo loco erit sermo.

Sed adhuc dubitabis cur dicatur albugo morbus proprius tunicæ corneæ, cùm etiam cicatrices possint in aliis tunicis & partibus inveniri. Respondetur quod licèt verum sit quod in aliis partibus sint cicatrices, tamen quia solùm in tunica cornea videntur referre albũ colorem, proprius hujus tunicæ, albugo dicitur morbus; dicitur autem cicatricem in tunica cornea referre colorem album, quia fit prædicta tunica ex semine, & etiam cicatrix quæ juxta naturam partis fit, & cum majori densitate, & sic apparet cicatrix alba.

Deindè numeratur inter affectus hujus tunicæ Carcinomia, quæ nihil est quàm can- *Carcinomia.* crum, dicitur autem proprium hujus, quia frequentiùs in tunica cornea fit quàm in aliis. Sed an id sit verum examine indiget, pro quo advette ex pluribus causis posse contingere partem aliquam cancro affici: Primò ob molliriem & laxitatem partis; sic enim apta est ad recipiendum, ob quod faciliùs mulieres incidũt in hunc tumorẽ, & præcipuè, circa ubera. Similiter ex situ partis provenit major aptitudo ad hunc affectum; ut in partibus inferioribus quàm in superioribus faciliùs contingit, cæteris paribus; siquidem gravis humor aptior est ad descensum quàm ad ascensum; tum etiam latitudo viarum facit ad prædi-

ctum cancrum. Et deniq; quod postquam humor receptus est in parte, plurimum inculcatur, intiméque adhæreat, ità ut propter prohibitam ventilationé fiat cancri materia, quæ aptitudo licèt non fit ad recipiendum, est tamen ut quæ recepta est materia, fit accómodata ad cancrum. His ergo notatis dico quod licèt ex parte mollitiei, & vasorũ, tunica adnata fit aptior ,ut in illa recipiatur humor,tamen aptitudo tunicæ corneæ superat;nam ab densitaté majoré contingit frequentiùs exulcerari, quia excrementa minùs expurgantur : similiter materia cancri semel recepta magis detinetur, & ad putredinem est accommodatior;quæ aptitudo ad cancrum superat alias ; & sic quia frequentiùs contingit in tunica cornea , dicitur carcinomia affectus illius.

Hypopyi. Alter affectus tunicæ corneæ dicitur Hypopyon,& dicitur talis quando in hac membrana,vel sub ipsa pus continetur,& quia ad formam unguis solet generari propter locum in quo cótinetur solet Hypopyon nominari unguis, licèt non propriè ut pterygium. Sed cũ hujusmodi pus etiam possit generari in aliis tunicis;quærimus rationem ob quam dicatur morbus corneæ. Et dicimus id fieri quia pus ad sui generationem requirit putredinẽ, quæ faciliùs fit in illa parte ubi adest prohibita ventilatio:cùm ergo minùs ventiletur humor sub cornea,ob ejus densitatem faciliùs ibi putrescit humor,& postcà in pus mutatur,atque ideò ob frequentiam dicitur Hypopyon proprius affectus tunicæ corneæ.Dicitur à Gal.toto genere contra naturã,& cõmuniter nominatur symptoma tertij generis,quia retinetur quod excerni debebat.Similiter Gal.dixit etiã habere rationẽ morbi in numero aucto , quia licèt nõ lædat visionẽ quatenùs numerus auctus est,sed quatenùs opacitatem efficit,& sic impedit visionem , tamen ratione numeri aucti impedit motum oculi , propter pondus,sicut lapis , in vesica ; quod autem non sit vivenris pars nihil facit ad rationem numeri aucti , ut *suprà* diximus.



DISPUTATIO XXV.

De morbis tunicæ uveæ.



CAPUT PRIMUM.

De Mydriasi, & Phthisi.



Orai hujus tunicæ quidam pertinent ad foramen illius,alij verò ad corpus ipsius tunicæ,de quibus suo ordine agemus, & priùs de affectionibus foraminis, inter quas una est mydriasis *Mydriasis.* quæ cõsistit in dilatatione pupillæ majori quã secundum naturam debetur,quã affectione ità visus læditur,ut omnia quæ conspiciuntur ab ipsis , minora quàm sunt appareant. Morbus autem à quo prædictũ symptoma procedit,est in mala conformatione cavitatis,cum pupilla extendatur magis quàm pro natura expedit , quod verũ est,sive talis major dilatatio sit orta ex principiis generationis,sive à causa morbosa,quia etiã vitia quæ ex principiis generationis cõtrahuntur,possunt habere rationẽ morbi ut *in lib.de morb.& sympt.* dixit P.Garc.Modus verò læsionis qui reperitur in visu præsente hoc affectu , est in actione diminuta , vel ablata aliquando, quod contingit quia cũ cavitas sit major faciliùs dissipatur spiritus animales,& potissimũ ab externa causa,ut si quis aspiciat lumẽ,quia scilicet dispersa virtus minùs resistit ab quod qui habent oculos prominentes sunt debiles in visu eò,quod virtus est magis distributa & partita sit infirmior : cùm ergo oculus ad videndum indigeat qualitate spirituum animalium, sit ut hac dissipatã lædatur visio , vel diminutè , vel ablatè juxta majorem , vel minorem dissipationem.

Sed dubitationem habet id quod diximus in principio quæ scilicet sit causa ut in hoc affectu objecta appareant visui minores quã sunt in se. Circa quod aliqui affirmarunt ideò id cõtingere quia in dilatata pupilla species magis extenditur, & sic objectũ apparet minus, sicut quando angustior est pupilla,quia species minùs extẽditur,apparet objectũ majus.Quod probant exemplo:nam cùm quibusdam specillis objectũ apparet majus,cũ aliis verò minus: sed hæc ratio nulla est:nã extensio sola speciei major,vel minor non potest conducere ad hãc diversitatem,ratione specillorum;nam exẽplo constat cum eisdem specillis in quibus species servat eandem extensionem, aliquibus hominibus videtur unum objectum minus , & ab aliis videtur idem majus;ergo non stat diversitas in majori, vel minori extensione speciei.

Alij verò affirmant id contingere ob dispositionẽ spirituũ:nam dilatatã pupillã, spiritus est magis dispersus , & sic species rei visibilis non potest in eo multiplicari, ità ut faciat ibi terminationẽ, ob quam rationem non potest res videri in aëre,& viderũt in aqua,& sic cũ ob hanc rationem species in spiritu non possit multiplicari,fit ut objecta diminutè videatur, & minora quàm sunt,sicut ex opposito ex cõstrictione pupillæ res apparet major, quia ob multam spiritũs coadunationẽ species potest multiplicari multum,quia ex tali coadunatione,spiritus fiunt quasi densi , quod ostendunt exẽplo,nã in serenitate hyemali minutissimæ apparent stellæ,quia earũ species possunt recipi terminativè propter aëris grossitiẽ;in serenitate verò æstatis stellæ non apparẽt ob raritatẽ aëris, Causa autẽ hujus necessariò debet esse debilitas secundũ omnes Autores,licèt in modo quo prædictus evẽtus cõtingat discordent.Sed contra istam sententiã sic argumentor,quia spiritus non potest adquirere tantam densitatem,ut terminet speciẽ,ità ut rectã viã ultra non transgrediatur. Deindè quia dato casu quòd possit adquirere densitatem, sequeretur impedire visionẽ;nam si sint spiritus rectã viã cum parte similari,ubi est potentia & species,tune si in spiritu terminaretur,nõ posset rectã viã producere speciem in potentia,sicut si ante potentiam poneretur aliud corpus potans terminare, ut aqua,aut speculum:ergo etiã dato quòd possint adquirere spiritus densitatem sufficientem, impediretur visio ; ac proindè non dissolvitur quod inquiritur.

Alij verò cum Gentili affirmãrunt contingere apparitionem objecti minoria quàm sit in se propter debilitatem cõtractam ex dispersis spiritibus, non ità ut hæc sola sufficiat ad prædictum

prædictum effectum, sed quia debili existente facultate, imbecillitas ipsa facit, ut palpebræ contrahātur in angustū, & sic cùm ex angusto inspiciant, exiguam magnitudinē vident, quia cōpressis palpebris fit angulus minor. Sed contra istam sententiam sic argumētor, quia idem effectus sequèretur, si debilitas fiat ob aliam causam, & non ob dispersionem spirituū contractam ex majori dilatatione pupillæ. Præterea, quia etiam sequeretur in bene valentibus objecta apparere minori quā sunt in se, quod est contra experientiā. Sequelam probo, quia species tunc dicitur terminari in angulū, quia partes magis uniuntur quò magis accedunt ad oculum, & sic cùm proportionaliter magis uniantur quò magis accedunt, ideò dicunt apparere objecta minora quādo palpebræ comprimuntur: sed eodē modo contingit in bene valentibus; nam quò species magis accedit ad potentiā, magis unitur, cùm anteà fuerit magis dispersa: ergo si ob majorem unionē objectum repræsentant in minori extensione (quod falsum est) etiam in bene valentibus, omnia objecta apparebunt minora quàm sunt.

Capivaccius verò contra hanc rem tenet eandem dubitationem posse excitari in bene valentibus qui percipiunt objecta minora quā sunt in se propter multam distantiā. Et sic ratio quæ convincit ad hunc eventum cōvincit ad alterum. Capivaccius idē asserit ideò contingere, quia cùm objectum est valde distans, non agit secundum omnes partes in crystallinum, & spiritus, & sic apparet objectū minus, sic ergo in dilatatione pupillæ, spiritus, utpotè minus uniti, minùs patiuntur, objectum apparet minùs. Sed hæc solutio non solvit quod inquirit dubium: nam cùm totum objectum distans valde videatur, & non est major ratio cur hæ partes non mittant speciē quàm aliæ, totum objectum videtur: & ideò ob hanc rationē nō apparet minus. Ratio verò quare objecta valde distantia appareant minora, est quia objectum visibile usq; ad certam distantiam producit certum modum sensibilis communis; nempè extensionē, túncq; videtur objectum tantæ extensionis, sicut est, post illam verò distantiam producitur alter modus numero diversus, qui repræsentat minorem extensionem objecti, ideòq; apparet minor: neq; solùm talis modus est in specie impressa, sed in expressa. Sed adhuc hæc sententia non videtur locum habere in nostro casu, nam modus sensibilis illius communis, non ità variatur ex dilatatione, aut angustia pupillæ.

Alij verò dicunt objectum distans videri minùs extensum, quia species sunt remissiores, & imperfectiores, & ità licèt repræsentetur totum objectum secundum omnes partes extensionis (cùm ut dicebamus non sit major ratio unius quàm alterius) tamen quia remissè & imperfectè repræsentantur, ideò appareret objectum minùs, sicut in condensatione sunt omnes partes quæ erant anteà, tamen redactæ ad minorem locum. Sic ergo dicunt quod in dilatatione majori pupillæ objectum apparet minus, quia priùs species producuntur in spiritu quàm in potentia: cùm verò sit valdè rarus ob dispersionem dictam producit in potentia speciem objecti valde remissam, sicut quando producitur ab objecto valde distanti, & sic apparet minùs extensum.

Sed prædicta doctrina supponit speciem priùs produci in spiritu, & hanc producere aliam in potentiā, quod non est verum: nam si agens naturale ità potest producere effectum in parte distantiori, ut effectus productus in parte proximiori non sit totalis causa ipsius productionis in parte distantiori, ità etiam in productione specierum potest contingere, & sic non producet speciem aliam remissiorem in potentia species quæ est in spiritu rarefacto, cùm sit virtus in efficienti, ut eam producat in potentia in majori intensione. Cùm hoc tamē noster Petrus Garcia nihil peculiare dicit quod solvat dubium positùm. Tamen contingere ob remissionem specierum, & improportionem earum cum potentia, eò quòd hæc sit debilis, ratione resolutionis spirituum, probabilius judico, & eadem est ratio quando objectū apparet minus ob distantiam magnā. Dices quia symptoma læsæ actionis est hoc in quo objecta apparent minora visui, ac sunt in se, & dicimus cum Petro Garcia esse in actione diminuta: nam non est depravata aucta talis visio, ut constat; neque est depravata erronea, cùm non versetur circa alienum objectum, ac est reverà: ergo talis erit actio diminuta, licèt fiat alter quàm pro naturæ modo, quia hoc non tantùm est proprium actionis depravatæ, sed diminutæ: nam omnis actio diminuta fit aliter quàm pro naturæ modo.

Causæ mydriasis sunt quæ faciunt tensionem in tunica; hanc autem tensionem à duplici causa aiunt fieri communiter, vel ob tumorem in dicta tunica, ratione cujus tensionem patitur versus latus, sicut contingit in convulsione ex repletione, vel causatur à siccitate, ratione cujus partes magis densantur, & inter se magis uniuntur, & sic medium foramen majus redditur: idem facit humor distendens partem, eámque replens, licèt non faciat tumorem.

Alter morbus ponitur ab Autoribus præcedenti oppositus, qui vocatur Phthisis, Latinè verò tabes, qui nihil est quam foraminis constrictio, seu angustia præternaturalis prædictæ tunicæ. Ex quo constat esse morbum in conformatione oppositus præcedenti: nam ille est in majori amplitudine foraminis uveæ, iste verò in majori angustia. Læsio quæ reperitur in hoc affectu est depravata aucta, licèt ab aliquibus dicatur in hac affectione objecta apparere majora quàm sunt in se. Sed hujus rei causam indagare ità difficile est, sicut indagatio contrariæ causæ, de quo nihil Petr. Garcia; advertere tamen oportet auctā hanc visionem non dici læsionem in ordine ad naturam visionis absolutè, sed in ordine ad peculiare individuum, quod ante habebat foramen dilatatum, & posteà constringitur, & sic licèt visio intensiori modo fiat, dicitur contra naturam, quia nascitur ex angustia quæ est contra naturam huic individuo.

Causæ hujus mali sunt laxatio, vel distensio talis tunicæ, ratione cujus foramen fit minus; inter has etiam recenset Petrus Garcia siccitatem esse causam constrictionis hujus. Sed meo judicio videtur contrariari, eò quòd dixit *folio 468. columna secunda in medio*, ubi dicit siccitatem quamlibet esse causam majoris foraminis, eò quòd cōstrictæ & densatæ partes quæ sunt ad latus, foramen fit majus.

CAPVT II.

De Hypochysi sive suffusione.

SUFFUSSO etiam pertinet ad prædictum foramen pupillæ, vel tunicæ uveæ, quæ veluti diffusio humoris in partem quæ afficitur est, & vulgo nostro dicitur *Cataracta*; pro cujus exacta intelligentia advertere oportet quod suffusio absolutè non est unus morbus cùm in ea affluxus humoris inveniatur, obstructio etiã cavitatis seu foraminis, & humor ipse qui potest facere morbum in numero aucto, & densitas seu opacitas, sive sit secunda qualitas spectans ad temperiem, sive ad pororum obstructionem, in quo judico suffusionem probabiliùs consistere morbum constituentem suffusionem, impedientéque visionem quatenùs impedit ingressionem specierum visibilium, usque ad humorem crystallinum, eò quòd partes perforatæ quæ sunt versus latera non sunt aptæ ad recipiendas species visibiles secundum profunditatem, ut possint commodè usque ad humorens crystallinum produci.

Alia quæ docet Gal. *c. de suffusione*, non videntur aliena à ratione: nam dicit quod si totum illud foramen à crasso illo humore obtenebratum non sit, sed aliqua pars ejus pura supersit, singula externa non vider deterius, cùm non sit quod impediat ingressom speciei per illam partem puram. Rursùs dicit quod plura simul non potest videre, quod est verum, si alia objecta præter unum ponatur ad latus, & non correspondeant parti perforatæ, secus si ponantur lineâ directâ, ità ut foramini correspondeant. Ex quo patet quòd si totum foramen occlusum est, visio erit ablata; si verò non erit diminora quoad extensionem objecti, quia tantam extensionem percipiet objectivam, quanta correspondet foramini.

Causæ suffusionis si sit incipiens, erunt flatus; si sit confirmata, humor crassus, etiamsi eadem accidentia suffusionis possint etiam accidere ex humore albugineo crassiori facto; frigiditas verò solùm erit causa remota in quantum potest facere concretionem. Pars denique affecta est foramen tunicæ uveæ, vel spatium quod correspondet illi foramini.

CAPVT III.

De Imaginationibus.

INCIPIENTEM suffusionem aut præludium ejus vocavit Avicen. imaginationem, quia sunt ibi apparitiones quædam propter vaporem contentum ante humorem crystallinum, & definit ità, *Sunt colores qui sentiuntur coram visu, ac si ipsi sint mixti in aere:* Ubi talia explicato traditur per symptoma quod in hoc affectu reperitur: morbus à quo procedat est sicut in suffusione, humor scilicet existens ante humorem crystallinum, lædens visionem, sive quia obstruit, sive quia facit numerum auctum, ut quis voluerit philosophari; eadémq; est pars affecta ac in suffusione, quo fit ut juxta diversam naturam humoris diversa appareant ante oculos; nam quandoque apparent pili, quandoque culices nigrescentes, quandoque muscæ apparent quæ volitare ante oculos videntur; juxta sententiam verò Avicen. læsio fit ob impedimentum ad ingressum specierum visibilium, ratione flatûs crassi qui non est subjectũ capax illarũ.

Læsio quæ reperitur in hoc affectu, dicitur depravata erronea, quia id quod intùs videtur, apparet extra videri, & in hoc fit error, cùm hoc tamen verum stat, hoc non esse vitium in imaginatione; nam non sufficit error in potentia antecedenti, ut fiat etiam in actione subsequentia potentiæ, cùm possit hæc corrigi. Differentia autem versatur quando hujusmodi apparitiones reperiuntur in laborantibus phrenitide, ac quando reperiuntur in affectu oculorum, de quo loquimur: nam in illis non solùm diu, sed etiam noctu & in tenebris fiunt dictæ apparitiones; in hoc verò affectu non aliter nisi quando videat taliter affectu fiunt apparitiones.

CAPUT IV.

An ea quæ existunt intra oculum ut causent accidentia suffusione similia videri oporteat.

SI attendamus Philosophis & S. Thomæ circa difficultatem hanc quæ plus Philosophiæ quàm Medicinæ continet, videbimus esse receptam & satis communem sententiam existimantium: ea quæ sunt intra oculum, videri posse: quod præterquam quod videtur docere S. Tho. *quæst. de veritate*, ubi dicit ipsummet lumen quod oculis inhæret, videri posse, etiam alij Philosophi docent, ut sunt Coimbricenses, Toletus, & alij: Et ratione probant, eò quòd in tenebris dum oculus movetur videat proprium splendorem: similiter à paritate, quia gustus percipit illud quod est intra organum, & sonus etiã percipitur intra organũ auditûs: ergo & similiter visus poterit percipere illud quod est intra oculũ.

Nos tamen in hac re dicimus id quod est intra oculum non posse videri ab eadem specie directa, sive sit ex his ex quibus oculus constat secundum naturam, sive contra naturam; specie autem reflexâ, ut si ponatur speculũ, nullus dubitare potest id posse contingere.

Ratione probatur nostra sententia, quia quandò aliquod videtur per propriam speciẽ, necessariò debet videri ejus magnitudo, figura, & situs, quæ sunt sensibilia cõmunia, & sine quibus propria sensibilia percipi non possunt: sed nihil horum sensibilium communium sentimus ex vapore illo: ergo non sentitur per propriam & directam speciem.

Respondebis hæc omnia videri, quia aliquando apparent muscæ & alterius figuræ & certæ magnitudinis, id quod referunt qui tali affectu laborant: tamen contra est, quia non videntur per positivam & propriam speciem tunc; nam color albus tunicæ adnatæ etiam secundum illam partem quâ directè respicit foramen tunicæ uveæ, non videtur; ergo neque videbitur vapor qui est intùs inter corneam tunicam, & crystallinum. Patet quia tunica adnata magis distat ab humore crystallino qui elicit visionem, quàm vapor existens inter corneam & ipsum crystallinum, & tamen adhuc secundum illam partem correspondentem foramini uveæ non videtur, ergo neque

neque humor vel vapor prædictus videbitur, ac per consequens non ob dictam rationem causantur accidentia suffusioni similia.

Præterea quia ut appareant videri accidentia suffusioni similia, idest ut appareat videri extra quod non est, sed intra, non est necessarium videre quod est intra; nam una ex causis hujus apparitionis est cicatrix quædam quæ reperiri & fieri potest in cornea, aut vitium quod potest contrahere humor albugineus, ut constabit *infrà*: Sed prædicta non videntur; ergo non oportet videre ea quæ sunt intra ut prædicta accidentia causentur suffusioni similia.

Sed adhuc manet difficultas quæ scilicet sit causa ut prædictus vapor existens in foramine illo juxta humorem crystallinum non videatur. Et ratio difficultatis est, nam objectum illud producit spem sui in parte elicitiva visionis actione transeunte (defectu cujus illud quod inhæret tali parti non videtur) deindè propter propinquitatem non impeditur; siquidem color producit speciem sui in parte contigua aëris; ergo similiter humor vel vapor in parte contigua oculi interiori poterit producere sui speciem. Neque ex parte recipientis est aliqua repugnantia, cùm sit capax speciei & ex alia parte nihil est quod impediat productionem ejus, neque defectus medii externi impedit ad productionem talis speciei: ergo videtur nihil deficere, ut prædictus vapor vel humor intra oculum existens videatur.

Dubitationi respondet noster Petrus Garcia tunc non videri vaporem seu humorem prædictum, quia spes illa & improportionata ex parte modificationis à sensibili communi, nempè à præsentia illa locali valde proxima, nam sicut rectè intelligitur, non sentiatur propter exiguam extensionem, ità etiam ob talem præsentiam localem valde proximam redditur inepta species ad visionem.

Undè ad illud quod adducitur ex S. Thoma, nempè lumen quod inhæret in oculo videri posse, dicimus tunc non esse lumen quod videtur, sed spiritum animalium videri, qui lucidus est, & confricatione oculi exit extra, & sic lumen ejus potest videri. Neque etiam repugnat id contingere quiescente oculo, ut constat ex Galeno, exemplo illius qui laborabat affectu imminentis suffusionis: nam tunc etiam exit spiritus.

Ad secundum respondetur ibi fieri comparationem sensûs visûs ad sensum gustûs & auditûs: nam quemadmodùm suffusione laborantes judicantur extra esse, quæ intra oculum continentur, ità gustandi facultas, dum in ejus organo est, aliquid imbutum, judicat saporem illum esse in re quæ extra effertur: & idem est de auditu; tamen ob hoc paritas non debet esse omnibus; nam gustus & auditus possunt percipere objecta quæ sunt in ipso organo, quia requirunt immutationem realem ante intentionalem, secùs verò visus, & sic ea quæ intra oculum sunt, percipi non possunt. Ratio autem cur in suffusione fiant apparitiones dictæ, est aut quia vapor ille qui intùs est, impedit externam illuminationem, aut ingressum specierum secundum omnes partes objecti, & sic ante oculos apparere videntur muscæ & alia similia, eò quod ratione vaporis impedientis ingressum specierum secundum omnes partes objecti, objecta appareant minora, & veluti obtenebrata, quia imaginatio tunc decipitur circa prædictorum objectorum apparitionem.



DISPUTATIO XXVI.

De affectibus oculorum qui visionem lædunt ratione humorum oculi.

CAPUT PRIMUM.

De his quæ pertinent ad Albuginem.

POSTQUAM de affectionibus tunicarum egimus hucusque, restat agere de illis quæ ad humorem pertinent, & primò de his qui sunt humoris albuginei qui potest pati duos morbos, quantitatis continui, unum in quantitate diminuta, alterum in quantitate aucta, eò quod diminuatur, vel augeatur prædictus humor albugineus, quod si contigerit ut omninò auferatur, erit morbus in numero diminuto: læditur visio per augmentum humoris albuginei, quatenùs impedimentum est ut humor crystallinus recipiat lumen, ut oportet in tanta scilicet intentione sicut expedit ad visionem.

Sed dices humor albugineus est diaphanus ex se & subjectum capax luminis: ergo quantumvis crescat, non impediet, nec faciet opacitatem in crystallino, ac proindè videtur non lædere visionem, quatenùs impedit receptionem luminis requisiti in humore crystallino.

Respondemus idem esse dubium quod quæri solet cur res quæ sunt in profunditate magna aquæ, non videntur; etsi non sint profundæ videntur, & viderentur si medium non esset aqua, sed aër qui minùs densus est quàm aqua, posito quod omnes partes aquæ sunt ejusdem rationis, & ità non erat cur esset impedimentum ad visionem rei existentis in profundo aquæ. Respondeo ideò non videri, quia cùm sint plures partes aquæ in tanta copia non illuminatur id quod est in profundo sicut expedit, quia plures partes impediunt illuminationem ob suam densitatem; quod non contingeret si medium esset aër, quia hic magis capax illuminationis est; adeò ergo possunt multiplicari partes aquæ, ut distantiores ab illuminante, exiguum aut nullum possint recipere lumen; aër verò optimè posset; quia magis capax. Sic ergo augmentum humoris albuginei qui majoris densitatis est quàm aqua, ob profunditatem majorem, adeò remissum lumen producatur in crystallino ut non sufficiat ad perfectam visionem; quod si augeatur humor, non per additionem novæ

partis ejusdem humoris, sed per permixtionem alterius substantiæ turbidæ, melius fiet læsio, quia impeditur illuminatio crystallini.

De læsione quæ contingit quando humor albugineus minor est, est quod dicamus & dicimus ideò per diminutam quantitatem humoris albuginei lædi visionem, quia facit angustiam pupillæ, & quia humor albugineus est datus in custodiam crystallini, quo fit ut si diminuatur crystallinus, recipiat intensius lumen quàm exposcit ad perfectam visionem, & sic læditur, eò quod ab intensiori lumine resolvuntur spiritus qui ad visionem valde conducunt; unde fit ut prædicti laborantes diminutione humoris albuginei plus videant noctu quàm diu, quia lumen noctu est magis proportionatum & remissum, & sic melius fit visio quàm die, in quo ob intensum lumen fit spirituum resolutio, & sic visio fit læsa diminuta.

Quæres quæ sit causa ut si quis existens in magno lumine, se transferat ad locum tenebrosum, statim non videt quousque transeat aliquod tempus.

Respondetur ideò esse quia potentia ipsa corporalis non patitur tam subitas mutationes circa extremè opposita; obscurus enim locus requirit magnam potentiæ attentionem, quæ non potest poni post visionem lucis majoris, eò quod ratione luminis magni dissipantur spiritus, & sic debilior est virtus, ob quod non potest statim ponere attentionem requisitam ad visionem objecti in obscuro loco positi; & licèt videat objectum, si iterum ad locum lucidum revertatur nihil facit contra nos, quia minor virtus requiritur in loco claro quàm in obscuro ad percipienda objecta. Denique apertè intelligitur, quod per crassitiem majorem, & tenuitatem prædicti humoris læditur visio, sicut etiam læditur per crassitiem majorem & tenuitatem crystallini, eò quod vel impeditur receptio luminis, vel ingreditur in majori intensione quàm exposcit humor.

CAPUT II.

An vitia quæ contingunt ratione humoris vitrei, lædant visionem.

PRIMO supponendum est humorem vitreum præstare nutrimentum humori crystallino, ità ut illius defectu contabescat humor crystallinus, & malè præparatus existat. Ex quo fit ut vitium humoris vitrei non lædat visionem primò & per se, sed ratione alicujus quod crystallino noxam facit, ex eo quod præbet ei nutrimentum, & sic nocet quatenùs non præbet alimentum, siquidem visio fit in humore crystallino postquam est vitreus.

Dices: etiam ex vitio aliarum partium non læditur visio, nisi quia aliquid patitur crystallinus, cùm ejus actio sit læsa: ergo non lædunt per se quantumvis afficiantur cæteræ partes.

Respondet Petrus Garcia quòd si afficiantur aliæ partes quæ sunt ante humorem crystallinum, iste non recipit aliquid positivum, sed aut privatur lumine, aut speciebus; at verò ex vitio humoris vitrei aliquid positivum comparat. Sed solutio non placet, quia quando læditur visio vitio vitrei, propterea est tabes quia non tribuitur alimentum; ergo etiam lædunt per privativum, existente vitio in humore vitreo, ac proinde si iste non lædit per se, neque reliquæ partes oculi existentis ante humorem crystallinum lædunt per se.

CAPUT III.

De vitiis quibusdam humoris crystallini.

CUM humor crystallinus ex sua natura sit levis, splendens, talémque situm & figuram ac magnitudinem habeat, taléque temperamentum potest in his omnibus vitium comparare, & sic plures morbos pati potest, & similiter in tenuitate, & crassitie, & in soluta unitate morbum pati potest: hæc quidem omnia nota sunt. Alius est affectus qui dicitur *Glaucoma*, quod nihil aliud est quàm mutatio humoris crystallini ad glaucum colorem qui tendit ad albedinem; in quo omnes conveniunt, & actio quæ læditur est depravata: nam in hoc affectu aliter quàm sunt percipiuntur objecta, cùm omnia appareant ejusdem coloris, ac humor crystallinus; undè fit esse symptoma in qualitate mutata, quod per se ipsum non lædit actionem, sed ratione morbi à quo procedit hujusmodi color glaucus qui est in temperamento.

Sed à quo causetur talis color in humore crystallino, est quod dicamus; nam alij à siccitate causari affirmarunt, alij verò ex frigida & humida distemperie ortum ducere asserunt; sed possunt componi prædicta placita, si dicamus quod per frigidam & humidam distemperiem intelligunt causam remotam, humorem scilicet pituitosum qui non per alterationem causat dictum colorem, sed per se ipsum; nam habet colorem album, & ità repræsentatur: qui verò dicunt à siccitate causari, intelligi debent de resolutione humidi, & de evacuatione, & resolutione humoris albuginei, ratione cujus talis color fit in crystallino.

DISPU



DISPUTATIO XXVII.

De his quæ contingunt vitio spirituum, circa læsionem visionis.

CAPUT PRIMUM.

An ex ex nimia quantitate spirituum læsio fiat.



RIMO supponere oportet ut certa ab incertis separemus, non esse quæstionem de læsione actionis visivæ, quando fit, aut quia non mittuntur à cerebro in partem elicitivam, aut non recipiuntur in parte, quia impedita est via; solùm ergo procedit dubium an ob nimiam multitudinem spirituum existentium in ipsa parte elicitiva visionis, lædatur visio. Circa quod plurium fuit sententia existimantium, spirituum multitudinem lædere visionem quatenùs non ità liberè & expeditè moventur, ità ut deferant species objectorum ad extra existentium; & quia conculcantur circa oculum, & quia aliquando sont causa obtenebrationis ob eorum multitudinem: præterea quia cùm deferant species per motum, ratione multitudinis eorum motus impediri potest, ac proindè multitudo potest esse causa læsionis in visu.

Nobis tamen dicendum est quantitatem nimiam spirituum nunquam lædere visionem. Et ratione sumitor, quia cùm spiritus sint ex sua natura valde tenues, & facilè dissipabiles, nunquam possunt pervenire ad tantam quantitatem ut lædant; nam antequam perveniant, aliqui resolvuntur; neque est eadem ratio de aliis humoribus crassis, nam cùm difficilè resolvantur, suffocationem causant, & tensionem in parte, vel in cavitate in qua congeruntur. Neque ex eorum multitudine timenda est conculcatio, idest unio eorum maxima in aliquo loco; nam hæc non contingit nisi aliqua alia substantia accedat simul, ut contingit in vehementi timore aut tristitia. Deindè illud quod dicitur de motu spirituum ad deferendas species nihil facit; nam etiamsi non moverentur, species poterant produci usque ad partem elicitivam per continui alterationem. Præterquam quod ex multitudine non ità impeditur motus eorum, ut valeat facere læsionem. Denique calor qui à spiritibus producitur non potest esse tam intensus ut distemperet partem, eò quod spiritus animales non sunt adeò calidi, ut hoc possint facere.

CAPUT II.

Ea quæ sumuntur ex parte modi substantiæ spirituum quas causas habeant.

EX modis substantiæ quos spiritus possunt comparare, sunt tenuitas & crassities, sub quibus comprehendebat Avicen. turbulentiam & splendorem. Et aggrediens explicare causas tenuitatis, primò numerat siccitatem, sive quia hæc consumit humidos & crassos vapores, sive quia disponit ad ignem simul cum calore; ignis autem tenuior est aliis. Aliam causam tenuitatis spirituum addit ipse Avicenn. quæ accidit ex eo quod majus lumen videatur, & similiter eandem tenuitatem causant quæ album colorem habent, & quæ splendent. Ratio verò quare ratione luminis attenuentur spiritus est propter tenuitatem quam causat, ratione sui effectus, medio scilicet calore. Altera verò causa scilicet albus color, causat tenuitatem, non quidem per speciem intentionalem quam producit, neque per realem, cùm color nullam producat, sed quia ratione luminis disgregat visum, eo quod ex illo reflectatur lumen majori intensione quàm oporteat, & sic producens calorem, alterat & dissolvat, & sic attenuat.

Sed insurgit dubium unde contingat intensius lumen produci per reflexionem in eadem parte medij. Et videtur difficile id fieri; nam illa major intensio non potest produci à lumine existente in corpore opaco, impediente, ut à patiete v. g. nam cùm agens agat uniformiter difformiter, lumen existens in pariete est remissius quàm quod est in aëre contiguo parieti; ergo non potest intendere lumen magis intensum. Præterea neque ab agente potest fieri illa major intensio, cùm sit idem agens ac anteà eadem virtute operante; ergo sicut anteà non potuit producere in medio majorem intensionem, neque eam poterit producere, quamvis sit corpus impediens transgressionem locis ad majus spatium.

In præsenti ergo quæritur à quo fiat illa major intensio lucis in medio, quando est reflexio? Respondetur illam majorem intensionem fieri ab agenti, quod intensiùs agit in remotum quàm in propinquum si ex parte passi remotioris sit major dispositio, quâ ratione Luna intensiùs illuminatur à Sole quàm aliæ partes orbis propinquiores, eò quod ob ejus densitatem magis est disposita ad lucem intensiorem recipiendam; sic etiam ob densitatem quæ est in corpore opaco major quàm in aëre medio ibi producit agens intensius lumen.

Sed contra hoc est, nam si partes illæ medij possunt recipere intensius lumen à lumine parietis, aut speculi, etiam poterunt recipere à primo illuminante; si autem non recipiunt ab hoc propter indispositionem, neque recipient ab illis. Respondetur partes medij recipere majus lumen, quia proximiores sunt parieti quàm agenti illuminantis, & sic quia

quia partes parietis sunt aptiores, produceit agens majus lumen in illis quàm in partibus medij quæ si essent magis propinquæ, & juxta illum intensiùs illuminarentur, & sic non illuminantur ab agente, quia non sint capaces lucis intensioris, sed quia non sunt ità propinquæ ut majorem intensionem luminis possint recipere. Undè clarè constabit ex corpore habente albedinem fieri luminis reflexionem, & sic major intensio ratione illius producitur, à qua spiritus attenuantur & separantur.

Contingit autem visum delectari & bene se habere respectu colorum mediorum, & malè se habere respectu extremorum, quod ideò evenit, quia non omnes colores sunt æquè dispositi ut reflectatur lumen, ac proindè colores medij ità se habent ut ex illis reflectatur lumen proportionatum quod non dissipat, neque lædit spirituum substantiam.

Advertere tamen oportet id quod dicitur de colore nigro non habere locum, scilicet congregare visum; nam cùm talis congregatio debeat fieri per motum localem, non est in tali colore quod sit effectivè illius; ac proindè nobis videtur dici colorem nigrum congregare, quia non disgregat, non quia aliquid positivum efficiat. Aliam causam adducit Avicenn. tenuitas spirituum, scilicet coarctatio, vel unio spirituum, quæ per se non potest subtiliare spiritus, sed per accidens, ex eo quod cùm magis uniuntur, magis calefaciunt partes, & humiditates resolvunt, quo fit ut siccitas resultet quæ valeat subtiliare spiritus.

Denique advertere oportet rationem ob quam qui vident lucem postquam egressi sunt à loco caliginoso, læduntur, esse quia organum ratione loci adquirit dispositionem contrariam ab illa quæ requiritur ad visionem sine læsione. Denique causa ingrossationis spirituum est humiditas & aggregatio non ità vehemens, ut per accidens, si sit in subjecto robusto causet tenuitatem ratione majoris coloris, ut dictum est.

CAPUT III.

De aliis modis, quibus debilis fit visio ex parte spiritûs, & quas habeant causas.

GALENUS noster 1. *de causis symptomatum cap.* 2. plures combinationes spirituum videtur facere ratione quarum visio perficitur vel læditur. Prima combinatio est quando spiritus est plurimus & purus, in quo casu ea quæ longissimè absunt videntur & perfectè; nam multitudo confert maximè ad majorem virtutem & dispositionem, & sic cùm majoris virtutis sit videre remota, ea videt existente multitudine; puritas verò confert ad exactam visionem, non quidem ratione dispositionis productæ in parte, sed potiùs quia spiritus etiam habent rationem medij; si autem clarus sit, & non turbidus, videt perspicuè; si verò non, turbidè videt.

Secunda combinatio est, quod si paucus est spiritus & purus, quæ prope sunt, exactè dignoscit, quæ verò procul adsunt, non videntur, quia ex tali vehementi motu, adeò subtiliantur spiritus, ut resolvantur, præcipuè cùm pauci sint, eò quod minùs resistunt; potest tamen oculus sic dispositus videre propinqua, quia illi spiritus manent, eò quod à tali motu utpotè exiguo, non patiantur talem resolutionem.

Si verò quærat aliquis à quo subtilientur spiritus, idest quo pacto fiat fortior motus in humore crystallino, & spiritu quando objectum est remotum.

Respondetur quod quando objectum est remotum, plures partes medij sunt illuminatæ; ex quo fit ut fortiùs illuminetur oculus, & moveatur, & sic fiat subtiliatio & resolutio.

Sed dices contra hoc: nam solutio de partibus mediis illuminati solùm videtur habere vim, quando objectum quod videtur est opacum, non verò quando diaphanum est; nam sic partes luminosi aëris quæ sunt ultra corpus diaphanum concurrunt cum aliis quæ ante corpus sunt, & sic facient illam subtiliationem & resolutionem quantumvis objectum diaphanum propinquum sit, & sic erit similis ratio, ac si remotissimum esset objectum. Præterquàm quod sententia Avicenn. solùm habet locum in opinione affirmantium lumen requiri ex parte medij ad visionem; non verò in alia etiam probabilissima, quæ affirmat lumen requiri ex parte objecti.

Sed quæret aliquis quæ sit causa ut senes aliquando videant remota objecta, non verò proxima, & è contrà. Ad quod satisfaciendum notare priùs oportet visionem posse vitiari ex tribus, nempè ex objecto, ex medio, & organo potentiæ, sub quo spiritus etiam comprehenduntur. His ergo notatis, dicimus ideò contingere senes videre objecta aliquando remota, & non proxima, quia oportet proportionem quandam servari inter speciem & potentiam, sicut in actionibus aliis inter instrumentum & causam principalem. Est autem improportio ex parte intensionis speciei, quandoque etiam ex parte præsentiæ localis quæ est sensibila commune, ità ut licèt ex parte medij sit eadem proportio, aut ex parte speciei, potest deficere proportio requisita ex parte sitûs & præsentiæ, & sic non videri objecta.

Quæret aliquis ulteriùs quænam sit causa propter quam senes meliùs videant cum specillis ocularibus (vulgo *antogos*) quàm juvenes? Quidam respondent ideò contingere, quia senes habent internum lumen exiguum, cum ocularibus autem suppletur defectus luminis, eo quod suo fulgore & densitate ad id conducunt, juvenes verò cùm habeant internum lumen sufficiens, externo lumine hebetantur. Sed contra est quia si ob majorem lumen id contingit, sequeretur quod senectus ocularibus, si ab alia causa produceretur tam intensum lumen, viderent ità clarè & perfectè senes sicut si existerent ocularia, quod est falsum. Nos autem dicimus id contingere ob proportionem speciei visibilis cum tali potentia, quæ proportio fit ex eo quod fiat

fiatper tale medium, & hoc constat in duobus, debilem visum habentibus qui non vident eisdem ocularibus; ergo ex eo quia sunt proportionatum medium respectu oculus, & non respectu alterius: hæc autem proportio quam adquirit species visibilis ratione medij aliquando consistit io intensione, aliquando in extensione specierum; aliquando verò reducitur ad entitatem individualem speciei ortam ex tali medio magis proportionato huic potentiæ potiùs quàm illæ.

CAPVT IV.

De Nyctalopia.

Sonat Idem nyctalopia ac noctis cæcitas, definiturque ab Avicenna *fen 3. lib. 3. tract. 4. c. 5.* sic, *Est ut evanescat visus in nocte, & videat in die, & debilitetur in fine ejus.* Contingit autem in sanis plurimis hoc contingere, sed non in tanta intensione, & tam citò contingit sicut in laborantibus nyctalopiâ, ità ut si sani minùs vident noctu medio lumine exiguo, qui patiuntur dictam affectionem adhuc minùs & citiùs non vident. Ex quo clarè constat esse symptoma actionis diminutæ.

Sed causas à quo prædictum symptoma procedit oportet perpendere. Pro quibus advertere oportet immediatam dispositionem à quæ procedit esse illam in qua oculus ad videndum indiget plurimo lumine, & quia hoc reperitur diù, minimè verò noctu, contingit noctu non videre, diu verò sic. Causas autem Avicennas enumerat, imprimis grossities & multitudo; hæc in humore albugineo, illa verò tam in albugineo quàm in crystallino humore; nam ob multitudinem humoris albuginei (ut *suprà* diximus) fit ut requiratur intensius lumen à quo illuminetur: & similiter causat prædictum symptoma crassities tam in dictis humoribus quàm in spiritibus ob eandem rationem; sed quia crassities dicta pendet ex humoribus, mirum non est si conveniat in hoc affectu evacuatio aut per sanguinis missionem, aut per expurgationem; fit etiam nyctalopia ex parvitate humoris albuginei, & siccitatem interstantem spiritus, aut humores.

Sed dubitat Gentilis an cum dilatatione pupillæ possit hoc symptoma reperiri.

Respondetur quod cùm una ex causis dilatationis pupillæ sit multitudo humoris albuginei, ex hac parte, ut dictum est *suprà*, poterat contingere; tamen cùm ex alia parte hoc ipso quod dilatatur pupilla, fit major spirituum segregatio & dissipatio, non potest ferre lumen diei, & sic ex hac parte non potest compati prædictum symptoma cum dilatatione pupillæ; qui verò habet pupillam angustam, optimè fert lumen & sic potest videre diu, non verò nocte.

CAPVT V.

De opposito vitio nyctalopiæ.

Vitium oppositum nyctalopiæ est quando quis diu non potest aliquid videre, videt tamen noctu, quod ità verum est ut taliter affecti adhuc noctu non videant, si Luna appareat. Hucusque de symptomate, nunc de causis est quod dicamus, quæ sunt aut parvitas spirituum, aut eorum subtilitas, licèt ambo quandoque simul possint inveniri, sufficit tamen quælibet ex his causis ut ex illa sequator vitium prædictum. Et ratio est: nam à lumine diei resolvuntur spiritus & dissipantur, vel ob eorum tenuitatem, vel ob eorum parvitatem, & sic virtus debilitatur, & non potest ferre lumen die, ac proindè diu non videot; noctu verò spiritus magis oniuntur, & perseverant, quia non est lux quæ valeat resolvere & sic noctu vident, non verò diu.

Similiter potest hoc vitium contingere propter parvitatem humoris albuginei & propter maximam raritatem tunicarum: fit enim ut ratione hujus non possit virtus ferre lumen diei, quia ab eo dissipantur spiritus, & sic contingit videre noctu non diu; ab his etiam causis.

Advertere tamen oportet quod in his in quibus prædictæ causæ non sunt in tanta intensione, contingit ut diu videant in umbra, ubi est minor lux quæ non valeat dissipare; in tenebris verò nulla potest esse visio, quia ad hanc necessariò requiritur lumen; differt verò umbra à tenebris, quia hæ dicunt privationem totius lucis, illa verò dicit privationem luminis intensi, non verò remissi, & sic in umbra possunt videre.

Alia affectio oculorum est quæ dicitur Myopis, in qua laborantes non vident nisi objecta ponantur juxta oculos; quæ contingit ob magnam debilitatem quæ vi morbi potest contrahi, estque hæc affectio incurabilis, & frequenter à nativitate fit.

CAPVT VI.

De diminutione radij, & Altumar, idest albedine vincente.

De his affectionibus suo ordine dicemus, & circa primam, scilicet diminutionem radij, Gentilis tenet nomine illius duo posse intelligi, aut diminutionem virtutis visivæ, cujus hoc symptoma est, ut videat oculus quæ sunt prope, non verò quæ sunt remota; quod fit ex causis ab Avicen. numeratis, scilicet ab inflammatione spiritus, & nimia calefactione & coruscatione, ratione cujus spiritus resolvuntur, & sic debilitas io virtute fit, & sic solùm objecta quæ prope sunt valet percipere; splendor enim totum id facit, licèt non per se, medio tamen calore; sed si in hoc sensu intelligatur Aviceonas, diminutio radij pertinet ad debilitatem visûs, de quo jam diximus.

Alio modo per diminutionem radij, intelligit talem modum per quem quidam splendor ante oculos videtur; contingit autem ex eo quod spiritus plurimùm lucidus exit foras extra oculum, & sic potest talis lux videri, ut contingere solet in percussionibus oculorum, & etiam iuxta hunc sensum contingit ut in diminutione radij oculus videat quæ sunt prope, non verò quæ sunt remotè. Et ratio est quia tunc spiritus quando inflammationem & coruscationem patitur, habet plurimam lucem internam, in aspectu verò rerum quæ distant propter plurimum lumen medij, lumen internum adeò augetur, ut ipsum oculus non possit ferre, quia spiritus dissolvuntur, & disgregantur, & ideò non videt objecta remota, quando verò objectum proximum est, non augetur lumen internum, & non fit dissipatio, & sic videtur objectum. Sed an ex lumine medij hoc contingat, ut fiat prædicta laesio & laesio, *supra* examinavimus.

Alij tamen solutionē prædicti eventus inveniunt, scilicet, quod cùm spiritus exeant ante oculos, taliter ut videantur splendores, minuitur eorum quantitas; sed dū parva est spiritus, est debilis virtus quæ non sufficit ad visionem objecti distantis, & sic ad proximi objecti visionem, ac proindè ob hanc causam talis eventus contingere potest; deindè aliquando illa apparitio splendoris significat charabitum, seu phrenitidem; nam bile putredinem subeunte in cerebro inflammantur spiritus, & adeò commoventur, ut exeant ante oculos.

Alter affectus erat Altumar, idest albedo vincens, quæ ex Avicen. quandoque accidit ex lumine vincente, aut albedine quando aspectus assiduatur in nive, aut in aliquo alio objecto albo, ut non videat nisi parum, & videat illud ex proximo, & non ex remoto ob debilitatem spiritus, & cùm aspicit colores, imaginatur quod super eos sit albedo, ex quo patet duplicem modum laesionis inveniri, una in actione diminuta, quia solum videt res quæ prope sunt; altera in actione depravata: nam quoscumque colores, videat apparet ei videri albedinem, & ità objectum videtur aliter quàm est in se: sed quia hæc procedunt à causa externa & procatarctica, non habent rationem symptomatis, nisi ibi producatur morbus, quod non est necessarium; nam omnia quæ sunt posita, sine morbo esse possunt.

Sed ex his quæ diximus iuxta Avic. doctrinam, nempè apparere quodlibet objectum album in Altumar, ex eo quod aspectus assiduetur in nive, videtur species visibiles servari in potentia absente objecto, quod difficile inter Philosophos apparet: nam actio sensus externi est intuitiva quæ necessariò versatur circa objectum actu existens, aliàs erit abstractiva, deindè quia si brevi tempore conservantur prædictæ species visibiles, etiam longo tēpore debent conservari; cùm non sit causa corrūpens eorū, nam imprimis non defectu cōservantis, si enim aliquo tēpore possunt conservari sine illo, longo etiā poterunt; neque defectu subjecti, si tale permaneat, neque ratione contrarij cùm tale non habeat species visibiles; neq; defectu termini, cū non sit relativa quæ verè dicat habitudinē secundum esse ad terminū aliquē, ergo ex nullo capite videtur posse deficere, ac proindè si durat per parvum tempus, potest longo tempore perdurare.

Nobis tamen dicendum est species visibiles posse perdurare absente objecto per tēpus aliquod: quod præterquā quod est expressum ex Avic. & Gentili, probatur ex Philosopho *lib. 3. animae. c. 2.* dicente, *Quocirca sensibilibus ipsis semotis insunt in sensuū instrumentis, sensus, imaginationesq;*. Et *cap. 3. ejusdē lib.* asserit, *Atq; nobis, quod quidē paulò antea dicebamus, clausis etiam oculis visa videntur, atque apparent.* Quibus verbis clarè constat absente objecto, vel sensibili posse idem objectum sentiri ratione speciei in potentia remanentis. Neq; quod adductum est in contrariū nos cogit; nā ad primam rationē dicimus non requiri ad cognitionem intuitivā, objectum esse actu præsens, sed satis esse, ut secundū se dicat ordinē ad existentiā, etiamsi sub quavis differentia tēporis objectū cognoscatur. Ad secundū respondetur non omnia pendere æquè à sua causa efficienti in conservari, sed quædā quæ neque momēto temporis durant ut lux, alia verò quæ pro aliquo brevi tempore durare possunt, & tamē posteà paulatim desinunt, ut impulsus, & species visibiles, & sic mirū non est absente objecto per aliquod breve tēpus objectū videri.

Alij verò Recentiores respondent species visibiles adhuc absente objecto pendere à conservante; nā in vehementi objecto virtute luminis refracti, imprimitur aliqua qualitas physica oculo, quam Arist. appellavit commotionem, aut motiunculam, hæc autem qualitas physica deficit paulatim, ex eo quod nativa virtute reducitur oculus ad proprium & naturale temperamentum, & sic durant species per parvum tempus absente objecto.

DISPUTATIO XXVIII.

De laesione visionis quæ contingit vitio nervorum opticorum.

CAPUT UNICUM.

De gutta serena.

Ut præsens dubium clarius fiat, supponere oportet nervos opticos seu visivos dici illos per quos spiritus animales perveniunt ad oculos, & virtus ad videndum à cerebro communicatur, & inter omnes nervos qui sunt in nostro corpore, solùm hi manifestam habent cavitatem, ad quid autem oportuit cavos fieri, diximus *lib. de parte naturali.* Hoc ergo supposito constabit clarè quòd si impediatur via hæc per quam spiritus & virtus ad visionem communicatur, lædetur necessariò visio, & dicitur tale symptoma gutta serena, seu *parentosis*: hoc autem vitium pluribus modis contingere potest, aut propter obstructionem horum nervorum, aut propter compressionem ab aliquo tumore præternaturam, aut propter siccitatem magnam, aut propter humiditatem, seu mollitiem facientem ut partes concidant & impediant cavitatem. Totum quod notum fecit Galen. *lib. 4. de locis affectis, cap. 2.* ubi dicit quod ubi non apparet in

in oculis aliquod malum, & sensus cernendi deperditus est, certum est causam esse aut humorem obstruentem, aut inflammationem &c. ubi videtur insinuare quod quando est vitium prædictum in nervis opticis, nullum est vitium in oculis; quod ità est intelligendum, ut quando est in nervis opticis tale vitium, nullum sit in oculis ità manifestum, sicut illud quod provenit ex humore obstruente, aut qualibet alia causa impediente cavitatem prædictorum nervorum; non verò in illis non esse aliquod malum: nam certum est tale esse deficientibus spiritibus, qui per alios nervos non possunt communicari, cùm optici solùm nervi sint cavi, & non alij, ut supposuimus. Ex quo facilè colligi potest quis sit morbus à quo tale symptoma procedit, non est enim unus, sed plures, ut constat ex *suprà* dictis *in hoc cap.* dum fecimus mentionem de modis quibus hoc vitium contingere potest.

Causa verò hujus læsionis in visione est defectus spirituum animalium. Contingit autem pluries obstructio nervorum opticorum laborantibus, & quando eam incipiunt pati, videant splendores ante oculos. Ratio verò hujus est quia cùm spiritus lucidi sunt, & ex alia parte fluat humor ad cavitatem nervorum per quam transeunt spiritus, impelluntur, & foras exeunt, & sic splendores apparent.



DISPUTATIO XXIX.

De affectibus qui oculis contingunt propter musculos quibus moventur.

CAPUT PRIMUM.

Quot sint musculi oculorum.



R o hujus rei completa intelligentia nota primò quandoq; in oculis lædi sensum, quandoque motum, quandoq; utrumque. Nota secundò necessarium fuisse oculos habere musculos, & quia oportebat volūtario motu moveri, & talis motus fit medio musculo; & ulteriùs quia oculus nō potest aspicere nisi visibilia quæ sunt in recto, vel secundum rectitudinem: nam objecta quæ sunt ad latera, vel sursùm, aut deorsùm videri non possunt nisi directè ponantur; si verò oculi carerent motu, talia objecta non viderentur; oportet ergo illum habere.

Nota tertiò (ut numerum musculorum inveniamus) plures esse motus quibus oculus potest agi; nam & potest oculus moveri versus nasum, & ad extra versus aures; & rursus versus supercilia, & tādē deorsū versus malas. His notatis cùm oculus ad quemlibet ex his motibus indigeat peculiaribus musculis, & motus sint quatuor, etiam erunt quatuor musculi quibus potest oculus moveri: Et rursùs cùm etiam videamus oculum circumagi & circumvolvi, oportet alios duos ponere ad talem obliquum motum.

Sed præter hos solet poni alius qui circumdat nervos opticos juxta radicem eorum, & dubitatur an sit unus, vel plures: sed oportet examinare priùs an qui circumdat tales nervos sit verè musculus: Et dicimus probabilius esse non esse verè musculum; nam partis cujusque natura ex nullo alio meliùs cognoscitur quàm ex operatione: sed nullam experimur operationem voluntariam, neque spontaneam illius: ergo non est musculus. Minor probatur, cùm non laxentur, neque contrahantur eò quod, ex vi suæ formationis in ulteriorem situm non possint progredi. Et confirmatur, nam si possent progredi aliquando, nobis constaret de illa majori contractione, quod non fit: prætereà quia si esset in nostra potestate illa contractio, oculi mutarent situm, & exirent extra. Denique probatur ex usu prædictæ partis circumdantis nervos opticos; nam data fuit, ut sua firmitudine esset tutela mollissimorum nervorum, quales sunt optici; ne rumperentur in vehementibus lapsibus in caput. Deinde alter usus ejus est ut insixi oculi respiciant objectum, idest ut firmet oculum in ordine ad objectum: sed ad hæc omnia non oportuit talem partem esse musculum, sed sufficit esse ligamentum; nulla ergo apparet ratio ut dicamus musculum esse.

CAPUT II.

De usu musculorum oculorum.

EX *capite præcedenti* constat quatuor poni musculos ad diversos illos motus; sursùm scilicet & deorsùm, &c. etiam constat alios duos poni obliquos ad motum circumvolutionis oculorum. De quibus est dubium an sint necessarij; Vallesius affirmavit hos necessarios non esse, sed motus circumvolutionis oculorum optimè fieri à quatuor prædictis musculis rectis, eò quod laxentur alteri, & alteri contrahantur. Nos tamen dicimus ab ipsis non posse fieri motum circumvolutionis; nam si moveatur oculus successivè musculis rectis ordine quodam, talis motus non potest esse in circulum sed in quadratum: sed constat oculum circulariter perfectè moveri: ergo hic motus non fit quatuor illis musculis; sed necessarij sunt alij duo obliqui ut circumvolvantur oculi.

CAPUT III.

De Strabismo.

CERTUM est musculos oculorum pati easdem affectiones sicut musculi aliarum partium, sed in præsenti ob peculiare symptoma quod inducunt quando afficiuntur, de illis agere decrevimus. Est ergo strabismus

bisimus convulsoria affectio musculorum vultum moventium, juxta Pauli doctrinam: nomine autem convulsionis intelligit tam veram convulsionem quàm retractionem musculi oppositi; fit autem hæc retractio aut propter convulsionem musculi, aut propter Paralysim ejusdem: si autem contingeret quod omnes convellerentur, esset tonica actio. Ex quo constat ex parte oculorum esse morbum instrumentalem in situ mutato, ex parte verò musculorum est idem morbus ac diximus contingere aliis musculis, pars verò affecta sunt musculi oculorum.

Cùm ergo constet in strabismo lædi motum oculorum, cùm non possint moveri versus oppositam partem quâ est contractio; dubium est quo pacto lædatur visio in hac affectione; & dicimus cum Galen. quod quando oculus movetur ad superiora, aut ad inferiora, facit quòd res una appareat duplex; quando autem movetur ad duo latera, non facit nocumentum aliquod in visione, sed solùm modus depravationis dictus fit quando ad superiora, aut inferiora fit circumvolutio; quia verò sæpè contingit, ut sola perversio oculi ad latus non reperiatur quin simul fit perversio sursum aut deorsum; nam difficile fit perversio ad solum latus, cùm oculus circularis sit; indè fit quod aliquando duplicatum appareat objectũ quãdo oculus ad latus pervertitur.

Sed ut clariùs constet id quod in dubium positum est, oportet priùs scire quæ sit causa propter quam dum oculi bene se habent, quælibet res non appareat duplex. Et ratio difficultatis est; nam non solùm est duplex oculus, duplex humor crystallinus; sed etiam est duplex species & duplex visio, & terminus ipsius in quolibet oculo propria: ergo quælibet res videtur apparere duplex: contrarium autem experientiâ constat: sed quæ fit causa quærimus. Et dicimus parum referre, cujuslibet objecti esse in oculis duplicem speciem, & duas sensationes, ut una res duplex appareat; nam cùm hoc stat, ut objectum videatur in eadem distantia, & in eadem locali præsentia, ideóque videtur objectum unum. Ad quod valde facit quod dixit Galen. pupillas scilicet esse in eodem plano; nam sic axis oculorum in ordine ad objectum servat rectitudinem; & indè procedit quod quando elevatur unus oculus, aut alter deprimitur res geminati videatur; nam nõ habent rectũ axem ad suum objecti, oportet enim ad perfectam & non viciatam visionem species venire ad oculum seu ejus axem per lineam proportionem servantem secundum rectitudinem; quia verò hæc rectitudo servatur oculis perversis versus aliquem angulum, fit ut res gemina non videatur quando ad latus fit circumvolutio; sicut quando ad superiora, vel inferiora movetur.

Sed contra solutionem Autoris est argumentum, quia ponamus objectum versus aliquem oculum, ità ut proximius sit magis uni quàm alteri, ut in hac figura [figura] tunc lineæ non protrahuntur æquales, neque habent rectum axem, neque triangulus perfectus potest deduci; tum etiam quia in posita figura constat non servari rectitudinem linearum per species objecti ad oculum; ergo in hac figura & quando ad latus circumvolvitur oculus, objectum debet apparere geminum, & non solùm quando ad superiora, aut inferiora movetur.

Quæres iterum: cùm in ebriis objectum unum appareat duo, & dicimus contingere propter motum vaporum à quo species modificantur, & sic ob agitationem unum apparet duo, sicut quando movetur aqua, figura Solis apparet duplex, quod totum diximus *cap. de vertigine*, deceptionem scilicet contingere propter medium.

Quæres iterum quæ sit causa ob quam cùm digitus ponitur supra nasum in medio oculorum, aut quodlibet aliud objectum, licèt oculi bene se habeant, & sint in statu naturali, tunc unum objectum apparet duo.

Dicimus ideò contingere quod ex eo quod digitus sit in medio duorum oculorum, impeditur visio totius objecti à quolibet oculo, & solùm videtur à quolibet oculo secundum medietatem objectum, idest secundum partem superficiei sibi correspondentem, & ità apparent duæ superficies, & duo corpora. Plures sunt oculorum affectiones quæ ad angulum eorum spectant & ad palpebras, sed quia nihil peculiare continent, ab eis supersedere decrevimus.

DISPUTATIO XXX.

De affectibus aurium.

CAPUT PRIMUM.

Quot modis lædatur actio audiendi.

PRO intelligentia dubij advertere oportet quod sicut in oculis est pars determinata, nempè humor crystallinus qui visionis est elicitivus, cæteræ verò partes quæ in oculo sunt, solùm præstant usum; sic in auditu est quædam pars determinata quæ auditionem elicit, scilicet finis meatûs audiendi ubi nervo dilatato conjungitur, & reliqua quæ extra ipsum sunt præstant usum auditioni. Deindè notare licet auditionem lædi aut propter vitium nervi qui à cerebro procedit, aut propter aliam partem quâ constant aures, aut propter vitium cerebri; & non solùm potest pati auditum per consensum cum cerebro, verùm cum aliis partibus, ut cùm dentibus, in doloribus scilicet eorum, aut cùm ipsi primò nascuntur, quod evenit ob maximam communionem nervorum gingivarum cum nervis auditûs, & hinc meo videri, oritur ille veluti dentium stridor audito sono aspero.

Supposito ergo quod auditus potest pati per consensum cum cerebro defectu virtutis ab eo communicandi, & etiam potest consentire cum aliis partibus per receptionem alicujus nocivi, aut inutilis, restat jam quòd de

de læsione actionis audiendi agamus, & quidem potest esse actio auditûs ablata, cùm nihil audit, diminuta etiam cùm minùs audit quàm pro natura illius, ut si solùm audiat sonos maximos & vehementes, & in minori distantia. Denique depravata, cùm apparet aliquis sonus extra qui reverà non est, sed solùm motus circa membranas cerebri tales imaginationes creet, quod accidit in tinnitu, seu sibilo aurium, ut dicemus. Idem symptoma est quando quis inæqualiter audit, ità nunc aliquis audit vehementer, licèt submissè res dicantur, postcà verò minimè audit, nisi magno sono fiant; quod arguit aliquam mutationem in organo, non intemperiei, neque humoris, neque solutionis continui; nam non fieret mutatio tam citò ratione humorum, & sic consonum mihi videtur esse flatum existentem intra porum, qui citò discedit, & sic citò est prædicta mutatio.

Sed quæret quis quæ sit illa pars quæ nomine finis meatûs audiendi, dicitur à Galen. quam diximus esse auditionis elicitivam; & videtur per eam non intelligi nervum; nam audit ubi nervo dilatato conjungitur, manifestum ergo fit per eam partem elicitivam auditionis non intelligi nervum: prætetquam quod nervus ille solùm est per quem virtus communicatur à cerebro.

Respondetur Galen. per finem meatuum audiendi intelligere præcipuam partem auditionis elicitivam, quæ est aër congenitus ibi.

Sed hoc verum mihi non videtur, nam in omni actione debet esse aliqua pars similaris illius elicitiva: sed aër non est pars, ergo non elicit auditionem. Tum etiam quia actionis vitalis debet esse agens vitale: sed tale aër non est, ergo. Quare probabilius est dicere organum auditionis esse nervum secundæ conjugationis in utraque aure expansum, qui alteratur ab aëre illo delatori speciem soni.

CAPUT II.

In quo proponuntur quidam affectus aurium communes cum aliis partibus.

PRÆTER affectiones communes quas patitur auris, una est dolor, de cujus essentia & causis jam diximus; sed in hac re existimamus, quod hæc pars non laborat sensatione dolorifica, ut organum audiendi est, quia ad auditum non spectat, sed ad tactum, prout ibi existit; est tamen actio depravata, ut ostensum est.

Est etiam commune auribus eruptio & exitus sãguinis quod est symptoma tertij generis, in his quæ excernuntur. Etiam solent pati aures ulcera, quorum natura consistit in soluta unitate. Patiuntur etiam exitum puris qui est etiam symptoma tertij generis, & hoc non solùm contingit vitio aurium, ut ex earum ulcere aut inflammatione: sed nullo in eis vitio existente contingit, quando scilicet cerebrum expurgatur per aures, tanquam per vias; tunc enim nullo affectu laborant, & cerebrum solet à morbo liberari, ut tenet Hipp. *lib. 6. aphor. text.* 10. ubi inquit, *Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, aut aqua, aut sanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, solvit morbum.* Possunt etiam generari vermes in auribus cùm non repugnet ratione loci; erit tamen morbus tunc in obstructione, non in numero, quia non fit læsio ratione numeri aucti, licèt in intestinis ita fiat. Potest etiam dici symptoma in retentis contra naturam. Potest similiter esse in auribus morbus instrumentalis impediens cavitatem ratione alicujus corporis, ibi existentis, qui eatenùs lædit auditionem, quia species perveniunt ad potentiam in tanta remissione, ut improportionatæ sint ad auditionem, remissio autem fit ratione corporis impedientis speciem soni in ea intentione quâ producitur.

Potest denique pati inflammationem auris, quæ valde acutus morbus est, juxta illam Hip. sententiam *lib. 3. prognost. text.* 13. *Aurium* (inquit) *dolor acutus, cum febre continua ac vehementi, difficilis est; periculum enim delirij mortisque imminet.* Et ratio hujus est quia cerebrum maximam habet communionem cum parte interiori aurium. Nec mirum est hanc partem pati tam acerbos dolores, cùm nimis exquisito constat sensu, sub quo verò genere morborum inflammatio contineatur, & quod symptoma dolor sit, constat ex propositis *in capitibus præcedentibus.*

CAPUT III.

De sibilo & tinnitu aurium.

AVSCANNAS *sen 4. lib. 3. tract. 1. cap. 9.* sic tinnitum aurium definivit, *Est vox, quam homo incessanter audit exteriùs, & ejus comparatio ad auditum, est comparatio imaginationum, & tenebrarum, quas videt homo absque causa exteriùs ad oculum.* Undè, sicut suffusio oculorum est actio depravata erronea, eò quod taliter affecti res externas videant quæ reverà non sunt, ità tinnitus aurium est actio depravata erronea, eò quod vox quæ continuò eis videtur sonare, reverà non est; ac proindè Averroës vocavit tinnitum, auditum phantasticum, quia neque fit à rebus quæ sonum efficere possunt, neque per conveniens medium, scilicet aërem externum, per quem debent deduci species soni ad auditum.

Sed advertere oportet similitudinem tinnitûs cum suffusione non tenere in omnibus, nam in tinnitu oportet sonum positivum ad intra percipere; error verò stat in eo quod ad extra esse videatur, in suffusione verò non percipitur aliquod objectum intra, ut diximus, sed solùm fiunt accidentia illa, vel visiones suffusionis, quia non videtur extrà objectum sicut est, sed desinit videri juxta id quod est intra oculum impediens secundum certam figuram: at verò in tinnitu non contingit depravatio, quia objectum extrà non sentitur sicut est; sed quia extrà apparet sen- *Explicatur ratio quare apparent accidentia suffusioni similia.*

tiri, quod non est. Ulteriùs maxima cum diligentia advertere debemus, illud sonum quod sentimus intra aures esse verum sonum. Neque oportet opponere dixisse Aristotelem in omni sono tria reperiri, percutiens & quod percutitur, ut medium quo fit percussio; nam hæ conditiones non sunt necessariæ ad quemlibet verum sonum, sed cum illis sunt corpora paratiora ad sonum efficiendum. Quod autem illa tria realiter diversa non sint necessaria, sed sufficere diversitatem secundum rationem, constat in sonis ex ventis agitatis, & in undis aquarum, & in virgæ motu dum percutit aërem, ubi non sunt illa tria corpora realiter diversa: ergo sonus ille qui in tinnitu contingit est verus sonus intrà factus qui fit à flatu intrà se movente, quod sufficit ad verum sonum, sicut de sono qui fit ex ventorum agitatione diximus. Ex quo constat errorem tinnitûs qui consistit in eo quod id quod verè sonat intrà, appareat sonare extrà, non esse errorem imaginationis, sed auditûs, aliàs non poneretur inter actiones ejus depravatas.

Quæret aliquis, quæ sit causa ob quam clauso foramine aurium digito, aut alio corpore, sentiatur sonus, secùs verò si id non fit.

Respondetur quod aër qui est in cavitate antis (non qui est pars viventis quæ dicitur substantia aërea elicitiva auditionis) sua levitate sursùm movetur, impedito verò à digito seu quolibet alio corpore resilit ad latera, & fit sonus, quia aër percutit aërem, ità ut quædam pars habeat rationem medij, & alia rationem corporis percutientis, & solidi aurium habeat rationem corporis percussi, quo fit ut sint omnes conditiones requisitæ ad verum sonum, ac proindè hac dicta ratione contingit. De parte affecta in hoc symptomate nulla est dissensio; siquidem omnes fatentur non esse opus eam affici intrinsecè morbo, sed sufficere affici cavitatem auris per se, aut per consensum.

Circa causas est quod aliquid dicamus, sed quæ communiter adduci solent, sunt duæ, nempè flatus seu vapor cui non pater exitus, & partis exquisitus sensus ad audiendum; de flatu nullus dubitat esse causam immediatam qui suo motu efficit sonum; flatus verò habet ortum à morbo in distemperie frigida consistente; idest minùs calida quàm possit discutere. Ex quo fit ut depravata auditio non fiat à morbo immediatè, sed mediâ retentione atûs præternatur am.

Secunda causa videtur majorem habere difficultatem: nam potiùs acuties sensûs minùs debet errore in perceptione objecti, ergo talis auditionis depravatæ non potest esse causa. Dicimus acutiem sensûs non esse causam adæquatam talis auditionis, sed conducere ad illam, quatenùs multoties si talis acuties non esset, non sentiretur objectum, & sic est causa; etiam potest contingere quod existente acutie sensûs, & nullo interveniente flatu, sonus exiguus sentiatur: nam potissimùm talis sonus solet fieri ex motu membranarum cerebri, aut juxta illas, intervenire tamen oportet aër aut spirituosa substantia in quo sonus recipiatur tanquam in medio, aër tamen iste non postulat remedia medica, & sic *suprà* diximus contingere sonum nullo interveniente flatu; solâ acutie magnâ sensûs existente; morbus autem à quo tunc tinnitus procedit, si motus cerebri non sit major quàm pro natura debetur, est distemperies calida & sicca in organo auditûs, ratione cujus talis acuties sensûs fit, & licèt hæc possit fieri à principio generationis, nihil obstar quominùs dicatur morbosa dipositio.

Denique debilitas facultatis naturalis aurium conducit ad tinnitum, quatenùs eâ sic existente generantur flatus qui valeant facere sonum; hæc tamen causa non est distincta ab illis quas posuit Galenus.

CAPUT IV.

De Surditate & gravi auditu.

SUPPONERE *in hoc capite* priùs oportet surditatem & auditum gravem maximè distingui; nam illa dicit actionem audiendi undequaque abolitam, ità ut surdi dicantur qui nullos sonos audire possunt, neque magnos & vehementes; iste verò constituitur eò quòd qui gravi auditu laborant, magnas voces aut sonos difficulter audiunt, exiguos verò aut in magna distantia factos, minimè; unde constat surditatem esse symptoma consistens in actione ablata, & gravem auditum, in actione diminuta. Sed cùm surditas sit duplex, una quæ est à nativitate, & altera quæ ex tempore, propter aliquem morbum est contracta; quæritur cur auditus maximè ab ortu naturæ lædi potest, & dicimus, ideò contingere quia instrumentum auditûs magis patitur & læditur dum fœtus est in utero quàm instrumenta aliorum sensuum; tum etiam quia auditus habet nervum maximè proximum cerebro, cui excrementum possit communicari per viam satis manifestam, qualem ideò non habet nervus qui ad videndum est accommodatus.

Surditas juxta omnium Medicorum consensum fit per consensum cum cerebro, aut propter vitium alicujus particulæ, ut gingivarum, dentium, aut eorum qui constituunt organum, aut vitio foraminis; & etiam posse pati auditum per consensum cum pulmone pro certo habeo. Sed causæ surditatis & gravis auditûs quædam sunt externæ, quædam verò internæ inter primas ponitur vehemens aliquis sonus; nam vehemens sensibile ex Philosopho corrumpit sensum non productione speciei, sed reali facta in organo immutatione; et si cum sono moveatur aër, si ille sit vehemens, adeò pellitur usque ad interiora aurium, ut organum labefactet; similiter ponitur crassus ventus, auster ab Hippoc. *lib. 3. aphor. text. 5.* ubi dicit, *Austri auditum hebetant*; & *text. 17. Austrina constitutiones dissolvunt corpora & humectant & auditum obtundunt.* Et ratio hujus est quia ob crassitiem aëris obstruitur foramen aurium, & sic impeditur ingressus specierum; aut quia humiditate ipsius aëris tollitur ab organo certa siccitas requisita ad operandum.

Inter

Inter causas internas solet poni internus sonus: sed hic non potest causare surditatem, sed solùm erit impedimentum quo minùs alij soni remissiores audiantur, dum intra est talis sonus: deindè alia solet adduci causa, nempè crassities illius membranæ quæ appellatur septum, dividitque primam cavitatem à secunda, & alio nomine appellatur tympanum, & ducit ortum ex portione duræ meningis. Denique non solùm à quolibet humore crasso obstruente surdi possunt esse homines, sed etiam ab humore bilioso, ut testatur Hipp. *lib. 4. aphor. text. 28.* ubi dicit, *Quibus sunt biliosæ dejectiones, factâ surditate, cessant: & quibus surditas adest, biliosis dejectionibus cessat.* Quibus verbis clarè constat humorem biliosum raptum ad aures posse facere surditatem, & per discessum ejus liberantur ægri.

CAPUT V.

De Sordibus aurium.

Sordes aurium ponuntur etiam inter causas quæ valent obstruere foramen earum, & ità adhiberi solent remedia quibus extrahi possint; & communiter tales sordes appellantur cera ob similitudinem quam cum ea habent, consistentiam & modum emplasticum. Dicitúrque excrementum amarum quo cerebrum secundum naturam expurgatur per aures; ità ut si deficiat in tali excremento amaritudo, cerebrum non esse secundum naturam significat; talis amaritudo nascitur ex exigua quadam putredine amara quæ in statu humoris naturali fit; & non ob commixtionem humoris biliosi cum illis excrementis quæ per aures expurgantur; nam si ità esset, etiam prædicta amaritudo contingeret in reliquis excrementis, quibus cerebrum expurgatur per nares, aut alias partes, quod non est ità. Solet autem contingere ut sordibus existentibus dulcibus, sit signum mortale in his qui sunt prope mortem quod est verum si dulcedo fiat eo quod tunc exhaletur calidum proprium, ob quam causam deficit illa parva putredo à quo fit amaritudo, & sic non apparent sordes amaræ, etiamsi positiva non sit dulcedo nisi quando est mixtio sanguinis.

DISPVTATIO XXXI.

De Vitiis narium.

CAPVT PRIMVM.

De modis læsionis sensûs olfactûs.

Sexto olfactûs, sicut & aliorum sensuum, potest lædi tripliciter, vel ablatè si omninò deficiat, vel diminutè, si odores remissiùs percipiantur à potentia quàm pro natura debentur, vel depravatè, si odores fraudulentos percipiat qui inventi non sunt, aut si pravos odores percipiat ut optimos, & è contra, fit autem hoc modo depravatè actio olfactûs, quia in sensu aliqua substantia vel succus vitiosus continetur quæ evaporet usque ad organum, ubi fit actio, & sic res optimi odoris apparent mali odoris, non aliter quàm in sensu gustûs ob succum in eo contentum omnia objecta diximus apparere de sapore illius substantiæ quæ continetur intra organum, sic ergo contingit actio depravata in sensu olfactûs.

Contingit autem ablatio & diminutio in hac actione propter obstructionem & impeditionem in via nasi per quam deferuntur species rei odorabilis ad partem ubi est sensus olfactûs quæ dicitur organum illius, sive sit in interioribus ventriculis cerebri, ut major pars Medicorum affirmat, sive in pellicula nasi tanquam in parte similari elicitiva actionis; in quolibet verò placito semper erit verum per impeditionē factam ab humore, aut inflammatione, aut à quolibet alio corpore, impediri communicationem specierum objecti odorabilis, quia etiam impeditur inspiratio aëris medio quo deferuntur species; non enim olfacimus nisi inspirando, ut constat experientiâ. Advertere tamen oportet, quod quando dicimus depravari actionem olfactûs eò quòd percipiat odorem fraudulentum quod inventum non est, ità debet intelligi sicut de tinnitu aurium diximus sentiri verum sonum intrà, & talem extrà apparere, quod reverà extrà non erat; sic similiter intrà percipitur odor talis naturæ ob aliquem succum ibi putrefactum, qui extrà nullo modo est, & ità dicitur fraudulentus in hoc sensu.

CAPUT II.

De Polypo, Ozæna, &c.

Polypus dicitur tumor præternaturam in naribus obortus, qui talis dicitur ob similitudinem in carne cum quodam animali ità dicto, proptereà quod sit carnis mollis & fungosa, & in figura rotunda, cujus essentia non est diversa ab essentia aliorum tumorum qui sunt toto genere præternaturam, quod indè manifestum fit, quia sine præcedenti ulcere potest quis incidere in polypum.

Alter est morbus narium, qui dicitur ozæna, qui est ulcus in naribus putredinosum ex fluxu acrium humorum proveniens; & de ejus essentia constat esse in soluta unitate. Deindè fluxus sanguinis per nares dicitur hæmorrhagia, sive talis fluxus fiat per se, sive per consensum patientibus naribus, essentiam hujus affectionis constat esse symptoma tertij generis in his quæ recensentur præternaturam; morbus autem à quo procedit non est unus, sed plures, ut diximus *cap. de hæmorrhagia*

morrhagia thoracis & pulmonis. Cùm autem solis hominibus contingat fluxus sanguinis per nares, quæritur ratio hujus in præsenti, & dicimus ideò esse quia alia animalia habent vasa magis crassa & densa, & similiter cotim; quæ omnia juvant ad retentionem, & sic frequenter solis hominibus talis fluxus contingit, licèt non sit impossibile aliis etiam animalibus competere.

CAPUT III.

De Sternutamento.



STERNUTAMENTUM ex Avicennæ doctrina est motus cerebri quo movetur ad expulsionem & expurgationem illius quod molestat. Ex quo sequitur esse symptoma in actione depravata, quia fit mediâ irritatione talis expulsio & modus motûs. Sed cujus facultatis sit symptoma, restat quod dicamus: Et licèt aliquibus visum fuit esse facultatis naturalis expultricis, nobis tamen dicendum est esse symptoma facultatis animalis quæ mediâ cognitione operatur, & movetur ad expulsionem, sicut de motu epileptico diximus, cùm etiam sternutamentum vocetur epilepsia parva. Pars affecta est cerebrum, licèt sufficiat nares solas pati; nam hoc solo præcisè movetur cerebrum ad expulsionem ejus quod nares molestat; nec mirum, nam thorax etiam movetur in expulsionem ejus quod molestat pulmonem; morbus autem à quo procedit est ille qui fit à causa irritante; utrum autem fieri possit sternutamentum à siccitate, constabit, si quis in memoriam revocet ea quæ diximus *capite de epilepsia*, & quæ dicemus *capite de singultu*, in quibus partem affirmantem probavimus.

CAPUT IV.

De Catarrho, Coryza, & Gravedine.



CATARRHUS est excrementitij humoris ex capite in subjectas partes descensus; fortitur verò diversa nomina ratione diversæ partis in qua fluit humor; nam si fluat per nares, dicitur gravedo, aut coryza; si in fauces & palatum, dicitur distillatio, sive catarrhus; si denique in asperam arteriam, aut ejus membranam interiorem, dicitur raucitas, sive branchus; cum hoc tamen bene stat ut generali significatione dicatur catarrhus, fluxio humoris à cerebro ad quamlibet partem ex dictis; similiter quatenùs dicit fluxum humoris seu distillationem est symptoma tertij generis, in his quæ excernuntur immodicè præternaturam.

De morbo à quo prædictum symptoma procedit est quod dicamus. Et primò certum est distemperiem calidam, cerebri esse morbum à quo procedit catarrhus, eò quod à calore attenuentur & liquefiant humores, & sic facilè fluant per dicta loca. De distemperie frigida cerebri etiam constat esse morbum à quo prædictum symptoma procedit; sed de modo quo id facit dubium est. Circa quod dicimus quod ratione frigiditatis in cerebro, fit in ejus substantia quædam condensatio, ratione cujus partes & pori comprimuntur, & sic humor imbibitus exprimitur, & fit destillatio, seu catarrhus. Neque credendum est posse vivo animali congelari cerebrum; hoc enim non dicimus, quia valde distinctum est congelari & densari; neque ex hoc colligitur etiam humores à tali frigore densari, & sic inceptos remanere ad fluxionem; nam potest frigus externum non alterare in tanta intensione humores, sicut cerebrum, eò quòd resistant magis, vel ob aliquam aliam causam, & sic fiet prædicta expressio, & humores non concrescent, seu reddentur incapaces ad fluxionem; si verò frigus in tanta sit intensione ut non solùm faciat deosationem seu concretionem in cerebro, sed in humoribus, nullo modo erit talis affluxus humoris neque catarrhus.

Humiditas etiam idem potest facere, eò quod potest laxare humores, & eos reddere aptos ad fluxionem, sed non facit id frequenter sicut calor & frigus, quæ quia frequenter id faciunt, de eis solùm facit mentionem Avic. De siccitate etiam quæritur an id possit facere, & dicimus non implicare aliqua ex parte; nam catenùs frigiditas valet facere prædictum symptoma, quia condensat partes cerebri, & sic facit expressionem humoris contenti in poris cerebri: sed hoc idem valet siccitas facere, licèt non ità frequenter; ergo ab illa non implicat fieri catarrhum. Cum hoc tamen verum est ut si in eadem intensione aut majori alteret ipsos humores, alterat substantiam cerebri, reddere illos incapaces ad fluxionem, ut etiam de frigiditate diximus.

Potest etiam fieri ex repletione morbum instrumentalem facientem in venis & cavitatibus cerebri; similiter frigido existente cerebro fit, eò quòd non resolvat vapores ad ipsum ascendentes, & sic in aquam convertantur, sicut convertitur in alembio illud quod ascendit in forma vaporis, in aquam.

DISPUTATIO XXXII.

De Morbis faciei.

CAPUT UNICUM.

De morbo spasmo cinico dicto, orisque tortura.



ORIS tortura communiter solet dici convulsio canina, quia canes dum conantur mordere, nasum & os in latus movent, & *Vide Petri. Garcia. super hanc*

quæstion. ubi plures invenies solutiones incognitas.

& oculum & partes faciei ; & quia ità contingit in oris tortura & appellatur, & sic definitur ab Avic. *fen 2. lib. 3. tract. 1. cap. 15.* dicente. *Ipsa est morbus officialis in facie, propter quam trahitur pars faciei ad partem non naturalem, & alteratur forma ejus naturalis & removetur bonitas obviationis utrorumque labiorum, & ambarum palpebarum ex parte.* Sed advertere oportet quod licèt oris tortura procedat ax paralysi, aut convulsione quæ secundum se habent rationem symptomatis, cum quibus etiam est morbus conjunctus, ut *suprà suis capitibus* diximus, tamen præter hunc est etiam alius morbus officialis dictus ab Avicenna qui consistit in situ oris mutato. Causas hujus mali *Capitibus de Paralysi, & Convulsione* diximus, in præsenti tamen dicimus causas immeditas torturæ oris esse paralysim aut convulsionem unius lateris, ità ut quando para unius lateris paralysi laborat, contractio fiat versus partem sanam ; quando verò convulsione, fit contractio versus partem eorum.

Sed tota difficultas stat in hoc, an verum sit quod dum una pars faciei paralysi laboret, pars sana trahat ægram, & quando laborat convulsione, pars ægra trahat sanam versus se. Pro affirmativa parta stat Gal. qui *lib. de causis morb. capite 7.* videtur id expresse tenere.

Pro negativa parte stant Avicen. & Gentilis qui affirmant non esse necessarium neque certum partem sanam trahere ad se ægram paralysi laborantem : Et probant; nam licèt in sana sit virtus trahendi oppositam, potest contingere ut fluat humor in partem paralysi laborantem adeò in magna copia, ut ponderet & resistat tractioni alterius partis sanæ oppositæ ; imò non implicat tantùm esse affluxum humoris ut potiùs ægra trahat sanam : ergo si fluat humor ad partem ægram quæ faciat proportionatam resistentiam tractioni alterius partis, remanebit facies in sana figura, etiamsi altara ejus pars paralysi laboret. Poterunt tamen conciliari hi Autores, ità ut primum dogma intelligatur esse verum quando in parte ægra nullum sit impedimentum ratione cujus resistat tractioni partis sanæ.

Sed adhuc dubium non manet solutum : nam etiamsi nullum sit impedimentum in parte paralysi laborante, videtur non posse trahi versus sanam. Probatur antecedens : nam facultas quâ pars sana operatur, est animalis quæ mediâ cognitione, & apprehensione operatur : sed parte contrariâ laborante paralysi, non est aliquid ratione cujus altera pars teneatur elicere motum contractionis, præsertim cùm in hominibus fiat, saltim non repugnante voluntata : ergo non videtur certum partem sanam trahere ad se ægram paralysi laborantem.

Neque valet si Respondeas musculum non solùm contrahi voluntariè, sed etiam naturali impetu, ut contingit si mortuo homine abscindatur musculus ; tunc enim contrahitur ; ergo idem poterit dicere vivo animali partem sanam trahera ægram veluti mortuam, facultate naturali & impetu per modum naturæ ad contractionem. Sed contra est, quia non est finis ad quem natura posuerit talem facultatem per modum naturæ ad contractionem, non ergo est ponendus. Prætereà quia si in quolibet musculo esset naturalis impetus ad contractionem, sequeretur ut quando una pars faciei voluntariè moveretur, esset in opposita naturalis repugnantia, quod est contra institutum naturæ : nam laxatio oppositi musculi est necessaria, ut alter contrariæ partis contrahatur.

Unde nobis videtur dicendum quod ex eo quod una pars paralysi laboret, non fieri contractionem in opposita, nisi opposita laboret convulsione aliqua, aut moveat alteram, voluntariè se contrahendo ; tunc enim pars quæ paralysi laborat manebit contracta quousque sanitati restituatur : nam ità affecta non potest contrahi ut redeat sana ad priorem suum situm naturalem, tunc enim sana jam est contracta, & ægra non potest contrahi, quia resoluta est, & sic manebit vivens in illa figura quousque pars ægra sanitati restituatur.



DISPUTATIO XXXIII.

De Affectibus linguæ.

CAPVT PRIMVM.

De natura usúque linguæ, & modis quibus læsionem patitur.



LINGUÆ usus juxta Avic. doctrinam multiplex est ; nam confert ad conversionem cibi masticati, idest ad motum cibi ab una parte oris in aliam ; & ad edendam vocem locutionémque, & ad gustandos sapores. Ex quo licet colligere linguam voluntariè moveri, & duplici sensu esse præditam, nempè gustûs quo percipiat sapores, & tactûs quo etiam percipiat qualitates tangibiles eorum.

Sed quæres an lingua possit seorsim pati symptomata unius sensus sine alio, taliter ut lædatur actio gustandi, & non tangendi, & è contrà. Et dicimus id posse contingere, nam tangibiles qualitates sive primæ, sive secundæ, possunt dolorem in lingua facere, sed talis dolor est symptoma actionis tactûs ; ergo poterit lædi actione gustûs perfectâ remanente ; & è contra, nam experimento constat linguam circa sapores malè se habere, & tamen rectè sentire qualitates tangibiles, ergo bene potest in lingua esse symptoma circa actionem unius sensûs, quin sit circa actionem alterius, etiamsi mediis eisdem nervis fiant tales sensationes.

Sed dubium manet an diminutè, aut ablatè possint lædi, unam scilicet sine altera, propter virtutem receptam à cerebro, aut propter partis temperamentum. Circa quod

Galenus tenet majorem perfectionem requiri ad gustum quàm ad tactum, & sic sicut ostendebat in eadem exquisita parte motum posse inveniri sine sensu, non è contrà, ità ait posse essa actionem gustandi sine actione tangendi, non tamen è contrà. Sed si dictis stemus à Galeno, non est idem aliam actionem perfectiorem esse alterâ, & indigera majore virtute ad operandum, & sic licèt actio gustandi sit perfectior, non ideò debemus colligere posse inveniri sine actione tactûs, quia non indè colligitur indigere majori virtute ad operandum; neque est unde constet indigere majori virtute à cerebro unam actionem quàm aliam.

Sed dicimus crebriùs lædi actionem gustûs quàm tactûs, eò quòd illa requirat necessariò humiditatem, non quidem ut priùs sentiatur (nam in casu in quo esset in organo æqualis humiditas ac in aliquo objecto gustabili, sine dubio fiet gustatio, & tunc non fiet sensatio humiditatis) sed quia laxat poros, ut possit substantia saporosa ingredi, & sic patet posse lædi crebriùs actionem gustûs quàm tactûs; siquidem aliquid peculiare est requisitum ad operationem gustûs quæ non requiritur ad operationem tactûs. Sed si dictis stemus à nostro Petro Garcia, videtur debere concedere etiam calorem & siccitatem eodem modo conducere ad actionem gustandi, sicut humiditas. Seqnela probatur, nam ipse fatetur *disput.* 19. *cap.* 3. *fol.*401. *infra medium secunda columna*, à calore & siccitate causari paralysim propter laxationem, hæc sunt ejus verba. *Hac laxitas (ut alibi monstrabo) est raritas qua multò meliùs fit à siccitate, &c.* Sed non alio modo humiditas conducit ad gustum nisi quatenùs laxat, ergo eodem modo conducunt calor & siccitas, ratione substantiæ ingredientis per poros. Quare mihi videtur dicendum ideò gustum requirere humiditatem, quia facit quod substantia gustabilis fluida fiat, & sic facilè ingrediatur per poros, & quia reddit cibum lentum, ut facilè adhæreat linguæ, quà adhæsione meliùs actio sequitur; quod constat in his alimentis quæ humida & fluida sunt quæ statim sentiunt absque humectatione salivæ.

Undè in gustandi actione potest esse actio diminuta & ablata, & depravata sicut de reliquis sensationibus dictum est; tunc enim fit actio depravata quando lingua est impleta extraneo humore, ità ut alia objecta quæ de novo percipiuntur, appareant amara, aut salsa juxta naturam humoris implentis porositates linguæ; stat autem depravatio in eo quod licèt in hoc eventu sentiatur qualitas saporosa, tamen quia sensus judicat talem qualitatem reperiri in objecto quod extra accedit ad gustum; ideò fit depravatio, ut *suprà* tetigimus. Cum hoc tamen bene stat ut sentiatur sapor talis naturæ qualis est humor implens poros absque eo quod objectum externum de novo percipiatur, eò quòd cum ipsa saliva, aut aliquo alio gerente vices objecti commisceatur talis humor, tunc enim stat depravatio in eo quod licèt sentiatur qualitas quæ reverà est, tamen non quando oportet, neque quando expedit naturæ animalis, tunc enim non se habet modo naturali ità affectum.

CAPUT II.

De locutione & quibusdam vitiis ejus.

CERTUM primò est locutionem essa concessam hominibus, ut possint manifestare suos conceptus, & nihil aliud essa quàm vocem articulatam, aut vocis per linguam explanationem juxta Aristotelem, *sectione* 11. *problem. quæstione prima*, Cùm igitur vox sonus sit ex ipso Aristot. *lib.* 2. *anima cap.* 8. locutio etiam sonus erit, aut plures sonos, ut dicemus *infrà*. Deindè certum est locutionem propriam quæ ad nihil est quàm ad significandos conceptus mentis ratione dirigente, & cognoscente, solùm competere hominibus; vocem autem emittera etiam competit aliquibus brutis; propterea tamen loqui, dicere non possumus, cùm non sit idem locutio propria & rigorosa, ac vocis emissio; nam locutio præter vocis emissionem & articulationem, dicit ordinationem quandam, & directionem internam quam bruta non habent; hinc etiam deducimus vocem; (idest instrumenta soni) essa à natura, non verò vocem esse à natura, prout est significativa, quia ut sic pendet à diversa hominum institutione. Locutionem verò non esse à natura dicimus, sed per disciplinam comparari, quod nullo argumento quàm eo quod sumitur ab experientia potest probari; videmus enim pueros non loqui nisi disciplinati fuerint anteà; si autem ità contingeret ut ab initio ortûs non disciplinarentur, haud quaquam loquerentur, signum ergo est locutionem non esse à natura, sed disciplinâ adquiri.

His ergo jactis, advertere oportet quod etiam in locutione reperiuntur tres modi læsionis; nam ablatè quando quis ea totaliter privatur, ut in mutuitate, in quo affectu potest salva reperiri vox: læditur etiam locutio diminutè quando quis loquitur cum difficultate, & talis affectus appellatur ab Aëtio, *Anzinoglossi, tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 36. Hi autem affecti quidam sunt à nativitate, cùm scilicèt membranæ inferiores quibus lingua innititur, duriores & mutilæ à natura sunt productæ; alij verò ità sunt affecti non à nativitate, sed à morbo, scilicet propter incurvationem linguæ præcedente ulcere, aut cicatrice durâ sub lingua relictâ; qui autem ità sunt, difficulter locuntur; denique est in locutione depravatio, ut quando balbutiem habet conjunctam; hæc autem tribus modis contingit; nam aut non potest statim proferri oratio, sed cogitur homo repetere aliquam syllabam, & tale vitium dicitur titubantia; alter modus est quando quis non potest totam dictionem integram proferre aut exprimere, & appellatur blesitas; denique alter modus blesitatis est,

cùm

cùm scilicèt non potest homo proferre unam literam, sed pro una profert aliam, ut pro R, L, ut cùm vult dicere triticum, dicit tliticum, quod vitium propriè dicitur depravatio: Arist. autem circa hoc affirmat quod ad literarum explanationem, & ad sermonis expressionem lingua debet esse mollis, lata & absoluta, quia sic meliùs potest contrahi, dilatari & bene firmari; quibus omnibus locutio & expressio fit perfecta, & absque vitio aliquo.

CAPUT III.

De mutuitate, & ejus causis.

Ex *praecedenti cap.* constat mutuitatem actionem esse ablatam quae potest causari aut vitio cerebri, quando scilicet laborat apoplexiâ propter defectum virtutis animalis à cerebro communicandae ad sensum & motum necessariò requisitae, aut potest contingere mutuitas vitio alienjus partis requisitae ad locutionem, ut si musculi linguae paralysi laborent, aut convellantur, tunc enim impeditur motus linguae, & sic fit mutuitas.

Dubitabis an etiam inter causas mutuitatis ponatur surditas, ità ut surdi à nativitate necessariò sint muti & dicimus id non esse necessarium, neque è contrà mutum esse surdum, licèt utrumque simul esse posse certum sit. Probatur, quia ut Anotomici testantur, ad radicem linguae veniunt nervi ex tertio pari & ad linguam ex septimo, ad auditum verò venit ramus ex quinto pari, quae diversitas est sufficiens, ut actio unius laedatur sine laesione alterius. Et licèt verum sit ex quinto pari surculum quendam non exiguae magnitudinis in aurem inseri, & ex eodem pari, portionem exignam in linguam & laryngem; tamen haec communicatio non est sufficiens ad oppositum affirmandum, quia rami sunt diversi, & humor imbibi potest in uno, ut faciat laesionem in proprio sensu, & non in alio. Praetereà quia vitium potest provenire ex affectione propriae partis similaris; ergo tunc erit laesio in una actione, & non in alia, quia potest esse vitium in non parte similari elicitiva actionis, & non in alia.

Sed dices: locutio fit mediâ disciplinâ: sed qui surdus est à nativitate, nequit disciplinari; nam mediâ auditione deberet fieri: ergo qui surdus est, nequit loqui.

Respondetur aliter posse hominem disciplinari quàm per voces: nam possunt exercitari homines quantumvis surdos à nativitate per scripturas, eò quòd discant scribere, & res ipsae quae characteribus significantur, indicentur digito, excitentùrque ad prolationem per motum linguae earum rerum quae charateribus ipsis correspondent; tunc enim loquuntur absque necessitate disciplinae per auditum, optimè ergo potest esse laesio in una actione quin sit etiam in alia.

CAPUT IV.

De quibusdam aliis affectibus linguae.

Inter affectiones linguae ponitur ranula quae tumor est inflammatus sub lingua ad similitudinem ranae, contingitque frequenter in pueris, & ab eo impeditur motus linguae, cujus essentia enumeranda est juxta naturam aliorum tumorum. Praetereà linguae magnitudo immoderata tam à nativitate quàm vi alicujus morbi, ut tumefactione, ratione cujus adquirit majorem locum quàm anteà, licèt non adquirat novam partem substantiae, est alter affectus, ratione cujus laeditur locutio, quia scilicet non potest, ità exactè moveri lingua. Deindè etiam est altera affectio, abbreviatio linguae, sive à principio generationis, sive ab spasmo, sic contracta. Alij etiam sunt affectus, ut quando lingua exit extra os, & etiam exulceratur, sed quia nihil peculiare continent, ab eorum inquisitione abstinemus.

DISPUTATIO XXXIV.

De Ore.

CAPUT PRIMUM.

De numero partium oris, & de dentium natura.



Os pluribus partibus constat, aliis externis, internis aliis. Priora ordinis sunt labia, posteriora sunt dentes, gingivae, palatum, larynx, mandibulae lingua, & tonsillae; omnes istae partes patiuntur plures morbos, sed quia non in omnibus est quod dubitationem habeat, solùm de his quae spectant ad naturam dentium erit disputatio, quia plura continent scitu digna.

Dens igitur solet ità definiri, *Est os maximè durum, frigidum & siccum, intus cavum, sentiens, venis & arteriis & nervo constans, ad praeparandos cibos ventriculo.* Sed antequam ad id quod majus est progrediamur, advertere oportet contra aliquos Autores, dentes esse veras partes viventis, quod ex eo constat quia nutriuntur vera nutritione, quod ex eo probatur quia venae & arteriae ad ipsos dentes distribuuntur more aliarum partium, quod in nulla excrementitia substantia contingit. Neque praedicta distributio est ad nutritionem aliarum partium proximarum, cùm singulae venae ad cavitatem cujusque dentis tributae sint. Neque obstat

quod ad partes externas non perveniant, cùm neque alia ossa venas habeant distributas in propriam substantiam, & sic sufficit adeò proximas esse, ut possint trahere alimentum ex illis.

Ulteriùs dicimus dentes esse ossa & non habere distinctam naturam ab illis, quod ex temperie & modo substantiæ simili cum reliquis ossibus colligitur satis. Neque obstat à principio ortûs viventis non esse dentes, sed transacto aliquo tempore; nam hoc est quid extrinsecum ad eorum naturam & essentiam. Neque obstat semper augeri; nam cum hoc optimè stat, ut habeant terminum limitatum, nam tritu & masticatione aliquæ partes deperduntur, & resolvuntur, quo fit ut si non esset continua auctio eorum, deperderentur non aliter quàm in viventibus, in quibus est continuum augmentum, etiam si habeant terminum magnitudinis: nam cùm per resolutionem deperdantur aliquæ partes, si continuò non restaurarentur per nutritionem citò periret vivens; sic ergo in dentibus contingit; non verò prædicta auctio est in aliis ossibus, quia in illis non est tritus, neque operatio aliqua ratione cujus partes eorum continuò defraudentur, & sic omnes sunt ejusdem naturæ cum dentibus, licèt hi habeant aliquid accidentale quod non habeant cætera ossa. Addimus ad hoc non esse certum dentes non generari in prima fœtûs formatione, sed quod est certum, est quod non erumpant nisi transacto aliquo tempore. Quod autem in prima fœtûs formatione generentur, videtur consonum rationi, nam tunc est efficiens & materia idonea ex quo generentur cum reliquis conditionibus ad agendum: ergo non est cur negemus eorum generationem; Autores verò qui contrarium asserunt, de eorum eruptione intelligendi sunt: tempus verò erumpendi non est determinatum, sed juxta naturam lactis hoc fit, ità ut in his in quibus fiat nutritio calidiori lacte, citiùs fiant eruptiones dentium extra gingivas. Sed advertas, quæso, quod si frangitur dens, non generatur callus in fractura, sicut in reliquis ossibus, quia sicciores sunt dentes quàm ut possint succum ex quo generatur callus producere.

CAPUT II.

An dentes sentiant.

CUM ex *suprà* dictis constet dentes esse de natura ossium, quæritur an dentes sentiant, vel non sentiant, sicut alia ossa non sentiunt. Et dicimus dentes non habere sensum tactûs, de quo est disputatio, & nobiscum convenit Vega asserens dentes non sentire nisi ratione nervorum, ità ut nervi sentiant. *Ità lib.* 3. *meth. sect.* 7. *cap.* 2. Idque ratione probatur, quia ossa alia non sentiunt: sed dentes habent eandem naturam cum ossibus; ergo sicut reliqua ossa non sentiunt, neque dentes sentiunt. Neque valet dicere dentes sentire ut mediâ sensatione liberentur à plurimis injuriis quas pati possunt; nam etiam esset utile reliquis ossibus, ut mediâ sensatione liberarentur à noxis quas etiam pati possunt: ergo hæc ratio sumpta ex fine, nihil valet. Si verò dicas ossa non sentire quia non habent nervos insertos sicut dentes, mediis quibus recipiant virtutem à cerebro; contra est, quia ad sensationem requiritur facultas animæ quæ ortum ducat ab ipsa, & recipiatur in parte habente dispositionem, & ulteriùs requiritur virtus quæ à cerebro medio nervo debet communicari. His jactis, tunc sic argumentor; Reliqua ossa habent eandem naturam cum dentibus, siquidem dentes ossa sunt, ut diximus: ergo si ossa omnia habent insitam facultatem ad sentiendum, frustrà ponetur si non ponantur in omnibus nervi, ut communicetur virtus à cerebro mediâ quâ debebat operari, aliàs enim frustrà poneretur facultas quæ nunquam erat operatura. Si verò dicas ossa non habere talem insitam facultatem, neque dentes eam habebunt; nam ossa habent animam sentientem quæ est sufficiens principium illius facultatis: ergo si hanc non habent est defectu dispositionis & temperiei: sed dentes habent eandem temperiem; ergo etiam debent carere prædicta facultate. Sine fundamento enim fingeretur diversitas temperamentorum (cùm dentes sint de natura ossis) propter quam dentes habeant dispositionem accommodatam ad recipiendam illam facultatem, & non ossa alia.

Præterrà: nam si quis patiatur scissionem dentis secundum eam partem, quæ est extra gingivas non afficitur dolore; ergo non sentiunt dentes. Consequentia patet: nam ibi est sufficiens causa doloris, cum quavis conditione requisita ex parte objecti; ergo si aliàs est potentia sensitiva, non est cur non sentiat dolorem; sed constat dentes tunc nullum pati dolorem; ergo in eis non est facultas sentiens. Neque valet si respondeas secundum partem extra gingivas non sentire, secùs secundum partem intra gingivas existentem, nam juxta hanc nervi inseruntur: nam contra est, quia dentes secundum utramque partem sortiuntur idem temperamentum, ergo si in parte interna est accommodatum, ut recipiat facultatem sentientem ab anima, etiam in parte externa.

Similiter argumentum de hemodia nihil valet; siquidem talis affectio ad gingivas solùm pertinet, nam non videtur ratio quare à cerebro communicetur dentibus virtus quâvis remissa ad sensum & motum, & sic cùm ad hemodiam hoc esset necessarium, videtur manifestè dicendum hemodiam solum esse passionem gingivarum.

CAPUT

CAPVT III.

An ossa sentiant.

VERIOR pars in hac re est, ossa non sentire, quod præterquam est expressum à Philosopho *lib.* 1. *anima, cap.* 7. ubi ait, *Ea quæ sunt simpliciter terrea, ut ossa, nervi, pili, nihil sentire videntur.* Ratione probatur, nam nihil potest sentire quin à cerebro communicetur virtus: sed non est unde constet communicari ossibus, cùm nulli sint nervi in illis inserti per quos virtus à cerebro communicari debebat: ergo. Haly abbas conatur satisfacere dicendo non probari ossa non sentire ex eo quod non habeant nervos, nam etiamsi non habeant venas nutriũtur & augentur, & sine arteriis recipiunt spiritum vitalem, ergo similiter non erit mirum quòd sentiant, etiamsi nervis careant, eò solùm quod ad exiguam distantiam communicetur virtus sine nervis insertis in ossibus; nam satis est nervos esse in periostio. Hoc enim nihil valet, nam alia est ratio de sensu, ac de nutritione: nam ossa per virtutem quam habent naturalem possunt trahere ex proximis partibus alimentum quod præparant, ut fiat aptum ad nutritionem, etiamsi in ipsis venæ non inserantur, & similis ratio est de spiritibus vitalibus. At verò cùm virtus ad sentiendum quæ est in nervis exiguæ sit activitatis, non potest similem producere in illa distantia; & hoc constat, experimento aliarum partium quæ sunt extra calvariam, ex quibus nulla sentit quæ nervum non habeat insertum; si verò posset sentire in tanta distantia sicut ossa habent illum, non oporteret in partem ità inseri.

Deindè, ossa non sentire comprobatur aliis rationibus quibus utitur Galen. nam ossa sunt veluti stabilimentum & sedes omnium partium, & veluti propugnaculum seu murus, ex quo colligere possumus non sentire: nam si corpus defendunt ab injuriis, malè fecisset natura si illis tribuisset sensum cum quo molestia afficerentur. Tum præterea quia pondus totius corporis quod sustinent læderent. Deinde quia experientiâ constat sectione facta in osse non sentire cum molestia aut dolorosè, ergo signum est non habere sensum. Neque valet dicere cum Hippocr. 2. *aphor. text.* 46. *Duobus doloribus non eandem partem infestantibus, vehementior obscurat minorem.* Dum autem secatur aut uritur os, simile quid patitur periostium, quod habet exactiorem sensum, & sic in eo excitatur major dolor qui obscurat ossis dolorem. Sed contra est, nam experimento constat detracto periostio ab osse, etiamsi secetur, aut uratur, nullum objectum sentire, ergo ex eo quia facultas sentiendi ossa non habent.

CAPUT IV.

De causa finali dentium.

DENTIUM plures assignant fines partiales, inter quos masticatio & elaboratio alimenti quæ fit in ore non habet infimum locum, ità ut ex dentibus alii conducant ad sectionem alimenti, ut sunt primi acuti, alij verò ad emollitionem, ut sunt lati. Deindè roboris gratiâ sunt instituti tum ad invadendum, tum ad defendendum. Rursùs conducunt ad verborum rectam articulationem litterarúmque aliquarum expressionem, quod colligitur ex læsione actionis quæ contingit per defectum dentium conducentium ad verborum seu litterarum expressionem, ut tenet Gal. *lib.* 11. *de usu partium, cap.* 8. rursùs conferunt dentes ad firmitudinem linguæ dum movetur, aut aliqualem aëris retentionem.

Sed non solùm hos usus habere dentes credimus, sed alios ad longitudinem vitæ pertinentibus, ut tenet Hippocr. *lib.* 2. *epidem. sect.* 6. *text.* 2. ità ut asserat quod qui habet dentes raros & in minori numero, minoris sit vitæ quàm qui eos non habet raros. Ratio autem hujus assignatur ab eo; nam ex raritate dentium utplurimum significatur os utriusque mandibulæ esse densum, & similiter os cranij compactum, quia humidum non fuit ità obediens virtuti firmativæ ut possit facere extensionem; quando autem caput ità se habet, fuligines & alia hujusmodi non rectè extrà mittuntur; cùm autem retinentur, putrefit cerebrum, & sic brevis vita contingit: sed quam connexionem habeat raritas dentium cum densitate ossis mandibularum & cerebri non explicavit, nisi dicamus in illo eventu plurimam partem consumi materiæ accommodatæ ad dentium generationem in illorum ossium productione, sícque fieri dentes minores & raros. Tum præterea quia significant robur seu debilitatem facultatis naturalis, & sic ex hac parte longitudo aut brevitas vitæ potest mensurari.

Tandem advertere oportet quod in masticatione debemus considerare & motum elevationis, & compressionis qui fit mediis musculis facultate animali operantibus, & præterea peculiarem actionem dentium, quæ illam comitantur; estque manducatio actio vitalis ratione principij à quo procedit: nam fit ille motus ab imaginatione & appetitu & anima; immediata verò actio quæ fit à dentibus non est vitalis aliter, & licèt verum sit ipsam comestionem secundum totam substantiam fieri à non vivente, etiam cum motu locali simili & actione dentium, non tamen secundum illum modum quo fit ab animali, modus autem propriè consistit in eo quod diximus.

CAPUT V.

De numero morborum dentium, & de singulis in particulari.

AFFECTUS dentium qui communiter à Medicis enumerantur, sunt dolor, corrosio, defædatio seu nigrities, mobilitas, & hæmodia, fissura, nimium augmentum, fractio, stridor, vermes, tumores etiam præter naturam, & morbi temperamenti, sicut & solutæ unitatis; sed de omnibus his non agemus, sed solùm de illis quæ sunt peculiares; & quidem quando de dentium dolore fit sermo, constat intelligi debere de parte circumvicina, cùm ipsi non sentiant, vel quia in ipsis est objectum seu causa quæ sentitur ab alia parte: sed circa explicationem hujus symptomatis, causasque ejusdem immorandum non est, cùm jam sint dictæ.

Advertere etiam oportet dentes valde paratos esse ad fluxiones, nam quilibet eorum cum osse maxillæ facit veluti quemdam articulum cui non alligantur ossa ligamentis duroribus, veluti in aliis articulis, sed nervulis, quos juxta Gal. sententiam recipiunt per radices qui valde sentientes sunt. Similiter per radices, venas & arterias recipiunt, nam ob firmitudinem oportuit dentibus alimentum communicari. Tempora autem consensum cum dentibus habent, & sic solent condolere, quod habet fundamentum & causam in ea portione nervorum tertiæ conjugationis quæ exit ex calvaria, & illa coarticulantur mandibulæ, quæ distribuitur in tempora & radices dentium, indéque compassio prædictarum partium procedit.

Præterea inter ea quæ dolorem excitare solent poni solet dentitio, idest exitus dentium extra gingivas ob quam causam inter morbos puerorum nominatur, ut Hippocr. 3. *aphor. text.* 25. licèt eorum augmentum sit secundum naturam; potest enim in alia parte morbum causare, & dolorem excitare: verba sunt hæc: ***In progressu verò cùm jam dentire incipiunt gingivarum prurigines, febres, & convulsiones, alvi profluvia.*** Advertere etiam oportet esse maximam communionem inter dentes & aures ob nervos quintæ conjugationis à cerebro descendentes, quapropter in curatione doloris dentium in consuetudine est positum medicamenta auribus instillare, & ob eandem communionem sæpè fit permutatio affectionis dentium in aurium affectiones, ut insinuat Hipp. 5. *epidem text.* 41.

Cæterùm ex morbis quos dentes patiuntur qui pertinent ad distemperiem & tumores præternaturam, necnon ad solutionem unitatis, non habent aliquid peculiare quod indigeat in præsenti animadversione.

De inflammatione seu tumore dentium, licèt aliqui fuère qui affirment eam pati posse quando fit per congestionem alicujus recrementi devenientis ad nutritionem, non verò per fluxionem, ità ut à vasis magnis in exiguos fiat delatio, & ab his in porositate; nam hoc ossibus repugnare dicunt. Tamen ad naturam tumoris seu inflammationis parum referre judico ab hac aut illa causa fieri, ac proindè existimo quod dentes non possunt veram pati inflammationem; nam hæc à Gal. dicitur tumor cum rubore, dolore, & renitentia: sed ossa non sentiunt, neque dentes; ergo in his non potest fieri dolor ac per consequens, neque inflammatio, & sic quando inflammari docet Galen. non verè, sed per similitudinem eò quod præter dolorem cætera alia possunt reperiri.

Deindè dentes ex corrosione possunt pati perforationem quæ morbum in soluta unitate facit & in cavitate vitiata in quantum cavitas fit ubi non debebat esse; fit autem hujusmodi corrosio ex humiditate, vel humore ibi putrefacto qui dentem valet putrefacere; vel ex eo quod humor qualitatem acrem & mordacem adquirat, non ità ut istæ qualitates valeant producere sui similes, sed ex eo quod prædictæ substantiæ tenuitate partium corrodere valent, eò quod penetrent & excavent si non putrefiant, aut urant, quæ actio, productione primarum qualitatum priùs fieri debet.

Nec mirum est dentes posse putrefieri, & non uri ab igne, etsi tantæ activitatis sit; nam potest esse resistentia major in aliquo passo respectu unius agentis potentioris, quàm respectu alterius minùs efficacis, dummodò affectus sint dissimiles naturâ; certum enim est os, aut testam, faciliùs frangi quàm comburi ab igne, & dentes comminui faciliùs quàm putrefieri, non ergo est mirum ignem comburere dentem non posse, quia huic affectui maximè resistit, bene tamen putrefieri, aut corrodi, quia minorem habet resistentiam respectu hujus affectûs.

Sed quæres quæ sit causa ut incipiente corrosione in dentibus non sit dolor, & posteà ulteriùs progrediente sit dolor, & tandem majori existente cesset dolor.

Respondetur primò corruptionem non tangere nervum in quo inseritur dens, & sic cùm non sit sensus, non est dolor; dum ulteriùs progreditur accedit ad nervum, & sic dolorem causat, cùm sit pars valde sentiens: at dum corruptio magis procedit, solat cessare dolor, quia facto majori orificio humor qui fluit expurgatur optimè, & non detinetur, & sic neque molestum sensum causat.

Diminutio dentis potest contingere, vel à principio generationis, vitio virtutis formatricis, aut defectu materiæ, vel quia detrahitur portio ejus; in quocumque enim eventu est morbus in quantitate diminuta; si verò totaliter deficiat dens, morbus est in numero diminuto, & actio vitiata procedit in masticatione, quod autem multoties dens non adquirat eandem magnitudinem ac ille qui decissus est, procedit ex debilitate facultatis, sicut non crescere quando abscissus est ex debilitate ipsius procedit. Morbus huic oppositus est in quantitate aucta, dente existente majori, & à principio generationis potest oriri, ratione cujus vitium etiam in masticatione reperitur.

Stridor dentium nihil est quàm motus convulsivus factus à musculis maxillam moventibus

tibus irritatis, seu molestatis, quod symptoma est facultatis motivæ animalis, rigorosè tamen affectus dentium non est, dicitur tamen talis quia ad motum, illum sequitur sonus in dentibus qui scotitur, à quo sumit denominationem.

DISPVTATIO XXXV.

De Angina.

CAPVT PRIMVM.

Quænam sit essentia Anginæ.



NGINA si nominis etymologiam sequimur, ab agendo seu suffocando dicitur, qui morbus peracutus est. Est tamen dubium sub quo genere morborum comprehendatur. Circa quod aliquibus placuit esse, vel consistere in inflammatione; sed cùm constet ex omnibus Medicis esse quandam anginam ex luxatione vertebrarum colli quæ in inflammatione non consistit, videtur falsa prædicta opinio. Ad quod satisfacere conantur dicendo esse prædictam anginam nothain, seu per consensum, non legitimam. Contra quod stat validum argumentum; nam in ea sunt signa omnia pathognomonica anginæ: ergo à qualibet causa nascatur, vera erit angina legitima.

Dicendum tamen nobis est morbum immediatum sub quo angina continetur, esse vitium cavitatis gutturis consistentis in angustia ejus, sive talis angustia fiat tanquam à causa seu morbo mediato ab inflammatione, sive à luxatione vertebrarum colli, semper tamen est verum vitium in cavitate diminuta esse in anginosis, ob quod eis imminet suffocationis periculum, definitur tamen frequenter per inflammationem, quia ab ea frequenter contingit.

Sed examinare oportet an debeat dici vera angina ea quæ fit ex luxatione vertebrarum colli; siquidem in ea omnia symptomata videntur reperiri, scilicet difficultas respirandi à qua suffocatio imminet, quæ etiam advenire potest ob alias plures causas à Gal. enumeratas, scilicet ab humore impediente ingressum aëris, vel à spasmo seu convulsione musculorum gutturis, & à pluribus aliis, quibus videtur omnia hæc anginas dici debere.

Sed si doctrinæ & communi Medicorum consensui stemus, dicere debemus solùm consuevere nominari anginam eam quæ fit suffocatione eveniente propter inflammationem partium gutturis, ità ut non quamlibet angustiam ex qua eadem symptomata eveniunt dicatur angina, sed quæ vi inflammationis prædictarum partium evenit, ac proindè solùm ob similitudinem ad hanc dicitur angina ab illa quæ ex luxatione procedit, cujus non est ulla ratio, sed solum hominum placitum qui voluerunt vocare anginam illam suffocationem quæ fit ex inflammatione prædictarum partium, in qua sunt aliqua accidentia quæ non sunt in aliis, ut dolor & color partis.

CAPVT II.

De speciebus Anginæ.

PLURES species anginæ Autores numerare solent, nam quando ex diverso humore diversas constituunt species, ità diversa species anginæ constituatur quando humor pituitosus à capite in fauces descendit, quod tempore hiemis & veris frequenter solet contingere; ab illa scilicet quod humor calidus & biliosus fluit in prædictam partem, quod frequenter æstate & autumno solet contingere, cur autem ex aliis duobus humoribus, aliæ duæ species non constituantur, dicemus posteà.

Alio modo videmus dividi anginam ab Hipp. in tria membra, quæ divisio ex magnitudine periculi venit desumenda. Prima species est in qua celerrimus interitus evenit, ea scilicet in qua nihil conspicuum apparet in faucibus, aut in ore, attamen in ea est vehemens dolor & ortopbnæa, idest recta respiratio, meritò verò hæc periculosissima est, eò quod sit in ea magna angustia, quod dixit Hipp. *lib. 1. prorrhe. text. 14. Fauces dolentes absque tumore cum implacabilitate strangulantes, supra modum perniciosa.* Quia cùm nihil in ipsa appareat, existimare oportet intra gutturis corpora inflammationem adesse, ratione cujus strangulantur. Secunda verò species est quando dolor similis est alteri speciei dictæ, non tamen tanta est difficultas respirandi, ut cogat ægrum rectâ cervice respirare, sicut in prima, quia non est tanta angustia & inflammatio in musculis gutturis, est tamen inflammatio & rubor in faucibus, quæ quidem species exitialis est, etsi paulò longior ac præcedens, utpotè in ea est magna respirandi difficultas. Tandem tertia species est quæ caret magno dolore & difficultate respirandi cum inflammatione faucium, & cervicis, gutture nequaquam patiente quæ minùs periculosa est, cùm symptomata minoris sint momenti.

Alia divisio communiter solet afferri ratione partis affectæ in quatuor membra; nam si inflammetur guttur (quod est asperæ arteriæ pars summa constans tribus cartilaginibus) secundum musculos internos dicitur Synanches; si secundum externos musculos dicitur paracynanches: Si autem fauces inflammentur secundum duplicem partem, externam scilicet & internam, duplicem aliam speciem constituunt, ità ut inflammatio interna earum dicatur Synâches; extra verò paracynâches, dicuntur fauces pars illa quæ mediat inter orificium gulæ & asperæ arteriæ.

Aliam speciem assignavit Aretheus quæ non est angina vera, sed solùm suffocatio quæ ab eo explicatur per mutationem spiritûs in calidissimum & siccissimum, quod potest evenire à causa externa vi vaporis venenosi, vel aëris, & meliùs si habeat qualitatem adstringentem, etiam à causa interna potest fieri, non

non ſolùm quando venenum in corpore generatur, quod ſuffocationem pariat, ſed mutatione ſpiritûs in calidiſſimam & ſicciſſimam naturam, propter quem uſum tanta ſit neceſſitas reſpitationis, ut non ſufficiat, ſed brevi rempore ſuffocarionem homo pariatur; videmus tamen hoc non reperiri in febre ardentiſſima, etiamſi nimis caleſiat cor, non eſt tamen præter rationem mente concipete majorem indigentiam & neceſſitatem reſpirandi cujus defectu ſuffocetur animal, ſed meliùs videtur ſi dicamus contingere quia aër qui debebat ventilare corrumpitur ab humore intùs exiſtente, vel à maligna qualitate ſimul cum calore, quæ non neceſſariò reperiuntur in febre quantumvis ardente.

CAPVT III.

Quæ pars afficiatur in Angina.

SATIS commune & certum in hac re eſt, partem affectam in angina eſſe gutrur, & fauces quarum inflammatio ab omnibus angina dicitur, quia cùm quælibet illarum ſymptomata pathognomonica reperiuntur; ſed cùm ſuffocatio quæ præcipuum ſignum eſt, nullâ exiſtente affectione in pulmone, inveniatur, ſignum eſt ullatenùs eſſe affectionem pulmonis, ut aliqui ſine fundamento voluêre. Neque ad id facit eſſe aliquam ſpeciem anginæ in qua nihil apparet, quantumvis lingua comprimatur, id eſt non apparet tumor: Ex hoc tamen non colligitur affectum eſſe pulmonem, ſed partem profundiorem laryngis eſſe inflammatam, quæ cùm profunda ſit, ad viſum non patet. Rutsùs licèt in anginæ ſpeciebus ardor ſentiatur in pulmone, non proindè patitur, & pars affecta vocari poteſt, quia ibi non exiſtit inflammatio. Sed hac exiſtente in faucibus vel gutture, non fit attempetatio pro neceſſitate uſus, cùm impedita ſit cavitas, per quam ingredi debet, ac proindè à fuliginibus ibi detentis, fit ardor in pulmone. Neque ſanguinis miſſio ex venis mammarum intentum probat, quia cùm propter ſuffocationem caleſcant iſtæ partes, detractione ſanguinis refrigerabuntur, & periculum ſuffocationis minùs imminebit, ſolùm ergo prædictæ partes afficiuntur.

CAPVT IV.

De cauſis & ſignis Anginæ.

OMISSIS cauſis externis à quibus hoc malum poteſt excitari, de quibus non eſt opus in dubitationem trahere, de cauſis internis dicimus ab omnibus humoribus fieri poſſe anginam. Et de ſanguine certum eſt, de bile etiam conſtat, cùm in faucibus & gutture poſſit fieri eryſipelas, quod licèt non elevet partem in magna quantitate, tamen eo exiſtente non ità proportionatè & commodè fit attemperatio per reſpitationem ac debetur, & ſic timenda eſt ſuffocatio; reliqui etiam humores, etſi frigidi ſint, non eſt cur non faciant tumorem in faucibus, aut gutture quæ pars affecta dicitur, & ex alia parte anxietas & incendium poteſt excitari, eò quod non fiat debita ventilatio ratione tumoris, & ſic fuliginibus detentis poteſt incendium excitari, quamvis non putreſcerent humores frigidi, inflammationem, ſeu tumorem cauſantes.

Sed dices: Angina eſt morbus acutus: ſed ſi fiat ex pituita, non fit acutus; ſiquidem ejus motus non erit velox, neque accidentia & mala citò apparebunt; ergo Angina non fit ex pituita.

Reſpondetur ex tali cauſa talem morbum non dici acutum, nam aliquando in quatuor dies prolongatur, anginam verò tunc eſſe acutum cùm exquiſita eſt, & à calido humore oritur; quæ verò angina ex pituita fit, dicitur à Fernelio notha; hæc autem febris eſt expers, & ſine rubore & ardore fit, per deſtilationem pituitoſi humoris in fauces, vel in cervicis muſculos.

Circa ſigna manifeſtantia talem affectum dicimus eſſe difficultatem reſpirandi, & deglutiendi difficultatem non ità, tamen ut ambo in qualibet angina neceſſariò reperiantur, ſed unum aut alterum, & multoties, imò frequenter utrumque ſimul juxta diverſitatem partis affectæ, quâ ratione Hippocr. *lib.6. de morb. vulgarib. part.7. text.* 1. docuit eſſe quandam anginæ ſpeciem in qua ſolùm æger deglutire non poſſet, quod explicans Valleſius, dixit, ideſt qui non aliter quàm in deglutitione noxam ſentiebant, eò quod apoſtema erat malignum, & in poſtrema lacerti parte erat, & ſic cum eo non erat conſtrictio anhelitûs, niſi cùm deglutitio erat.

De dolore an neceſſariò in qualibet angina reperiatur, facilis eſt ſolutio; nam cùm ab omnibus humoribus fieri hactenùs dictum ſit, ſi fit ex pituita & melancholia, non erit dolor, cùm experientiâ conſtet omnes tumores ab his humoribus factos dolore carere: ergo etiamſi tumor ſit in faucibus, aut larynge, erit ejuſdem naturæ. Quando verò Autores dolorem eſſe neceſſariò docent, de angina exquiſita veniunt intelligendi, quæ ab humore fit calido: de febre verò jam diximus aliquam poſſe eſſe anginæ ſpeciem, licèt notham, in qua non ſit.

Circa difficultatem deglutiendi eſt quod dicamus cùm ægroti res liquidas difficiliùs deglutiunt, quàm ſolidas; & dicimus ex eo eſſe, quia neceſſaria eſt major compreſſio ad res liquidas deglutiendas quàm ad ſolidas, ob quod ſalivam non poſſunt deglutire, res verò ſolidas ſic. Cùm autem major compreſſio ſit difficilior ratione inflammationis, hinc conſtat faciliùs deglutire res ſolidas ægrum. Sed hoc omninò certum non apparet; ſiquidem in omnibus non eſt verum; nam contingit aliquos meliùs deglutire res ſolidas, aliquos verò meliùs res liquidas. Cauſam ergo hujus quærimus, & dicimus ratione partis affectæ id fieri: nam ſi muſculi laryngis afficiantur, res ſolidæ difficiliùs tranſglutiuntur,

tur, eò quod ad harum transglutitionem necessariua est motus sursùm laryngis & linguæ cibum impellentis jugulum, & sic larynge affecto difficilis fit rei solidæ transglutitio; dum verò radix linguæ magis patitur, deteriùs potum deglutimus, eò quod ejus transglutitio, potiùs scilicet, magis fit per motum linguæ, seipsam intra deprimendo, quàm per motum laryngis, & sic linguæ radice laborante deteriùs res liquidas deglutimus: ad omnia tamen deglutienda motus gulæ æquè est necessarius.

Sed quod restat examinandum, quâ ratione fit ut in quadam angina periculosissima ortophnœa dicta, ægri meliùs erecta cervice respirent, ità ut cogantur recta cervice respirare. Cujus rationem dedit Gal. nam si tales jaceant supini, meatus gutturis clauditur magis, collo thoracéque secundum anteriores vertebras concidente supra dorsum & cervice; si verò erectus sit, intatus magis patet, per quem aër ingrediatur, & sic oportet erectâ cervice ægrum jacere, ut respiratio fiat meliùs.



DISPVTATIO XXXVI.

De vocis natura.

CAPUT UNICUM.

Quid sit vox; quot sint ejus instrumenta & modus læsionis.



T à definitione incipiamus, *Vox est ictus aëris* (apud Aristotelem 2. *anim. cap.* 9.) *respiratione attracti, qua quidem ab anima fit ea quæ in his partibus collocatur, ad eam qua gurgulio appellatur, cum imaginatione aliquid significandi* Ubi intellige vocem formaliter, non esse ictum aëris, sed causari sonum ex ictu aëris attracti per respiratio. nem; qui quidem aër ad duo deservit, primò ad attemperationem caloris nativi ipsius cordis, secundariò verò ut esset materia vocis, eique deserviret: fit etiam ab anima, quia hæc mediâ imaginatione, & appetitu movet instrumenta ad attrahendum aërem inspiratione, debet etiam esse cum imaginatione aliquid significandi; non quia oporteat omnem vocem esse significativam rei, sed quia ett ostensiva conceptûs animi, in eam partem quæ gurgulio appellatur. Ubi adverte quod hæc pars non est simpliciter necessaria, quia plures sine gurgulione emittunt vocem, eò quod percussio non fit in eò, sed in cartilagine: solùm ergo conducit ut meliùs formetur vox. Ex quo patet causam efficientem vocis esse facultatem animalem mediâ cognitione operantem & mediis musculis tanquam instrumentis, ità ut sit in nostra potestate eam emittere vel non emittere.

Sed adverte materiam vocis esse aërem respiratione mediâ attractum, non secundum quod respiratione trahitur, sed in quantum ille qui pellitur, detinetur ad verberationem & articulationem faciendam; ex quo differt à tussi, quia hæc fit solùm expiratione aëris. Denique advertere oportet, laryngem, esse partem organicam præstantem usum ad vocem. Partem verò similarem elicitivam esse ligulam quandam cum qua habet similitudinem lingua, quæ est in fistula artificiali: cujus naturã describit Gal. 7. *de usu part. cap.* 17. Nervos etiam esse necessarios ad vocem formandam certum est, cum mediis illis virtua ad motum musculis communicetur; illi verò sunt qui recurrentes nominantur, & inseruntur in musculis laryngis & similiter qui in musculos thoracis inseruntur necessarij sunt, sicut & ipsum pulmonem ad id facere experitntia manifestat: nam qui eo carent, neque respirant, neque vocem emittunt. Linguam verò est necessaria solùm ad vocem dearticulatam, non verò ad vocem seu sonum quæ sine articulatione fit.



DISPVTATIO XXXVII.

De his quæ spectant ad respirationem.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit respiratio, & à qua facultate fiat, voluntaria, an naturali.



ESPIRATIO sic communiter definiri solet, *Est actio ex dilatatione & compressione thoracis, quibus trahitur aer, expelluntur fuligines, à facultate secundum naturam operante ad refrigerationem caloris & generandos spiritus.* Sed quod difficultatem habet à qua facultate fiat, an à naturali, an verò ab ea quæ est subjecta voluntati in sua operatione, hoc est an fiat à facultate animali. Ad quod supponere oportet voluntarium sumi dupliciter, primò prout procedit à voluntate quæ potentia spiritualis est, vel liberè, vel necessariò, de quo voluntario non est nostra disceptatio, cum in brutis inveniatur respiratio, & non voluntas. Secundo modo sumitur voluntarium pro spontaneo, sic definito à S. Thoma cujus principium est intra, cùm additione scientiæ. Arist. verò sit cujus principium est in ipso agente sciente singula: de hoc verò voluntario procedit quæstio, an scilicet respiratio sit actio spontanea, an verò merè naturalis.

Circa quod non defuêre qui merè naturalem actionem esse voluêre, eo quod in dormientibus fit, & quia tussis est respiratio vehemens, & tamen non est voluntaria, cùm positâ causâ molestante, eam cohibere non possimus. Et confirmatur ex eo quod in actionibus voluntariis contingit lassitudo si nimio fiat usu, ut constat in motu progressivo, sed toto vitæ tempore non contingit in respiratione defatigatio: ergo.

Alij dixerunt actionem esse mixtam voluntariam & naturalem, illam quatenùs fit mediis musculis, banc quatenùs musculi constant venis, nervis, & arteriis, & mediis istis cor communicat virtutem ad motum, & ex hac parte naturalis dicitur. Alij dixerunt esse animalem ratione instrumentorum, naturalem verò ex parte finis cogentis talem motum fieri cum certa mensura, ordine & tempore, quod in actionibus omninò voluntariis non invenitur; siquidem pro libertate efficiuntur in quolibet tempore & occasione. Alij voluère esse voluntarium ratione musculorum moventium thoracem; naturalem verò propter motum ipsius pulmonis; nam iste cùm non habeat musculos, naturaliter movetur, & quia talis motus originem ducit à corde.

Sed advertere oportet in præsenti dubium non esse de fine respirationis: nam hunc esse naturalem seu à natura impositum, nemo hucusque dubitavit. Dubium ergo solùm procedit de facultate quæ concurrit ad hanc actionem, an sit merè naturalis, an animalis seu voluntaria. Rursùs noto motum thoracis à corde non dimanare eò quod dum dilatatur thorax, septies dicat Gal. dilatari cor, & quia experientiâ constat, ut ipse testatur, quòd si denudetur cor & manu comprimatur, animal non privatur neque voce, neque respiratione; & idem contingit si arteriæ quæ in thoracem inseruntur ligentur. Ex quo constat talem motum à corde non dimanare & sic calor influẽs sit necessarius tanquam commune principium vel comprincipium ad omnes actiones. Constat deindè, quia in actionibus merè naturalibus nulla est defatigatio, neq; remissio ratione divertentiæ animæ, neque negligentia, secùs verò in animalibus & voluntarus: sed constat actiones cordis & arteriarum non fieri diverso modo, ex eo quod mens sit occupata & distracta circa aliud objectum, respirationem verò negligentiùs fieri, ut *disp. de phrenitide* satis probavimus: ergo ejus actio voluntaria, & non naturalis est; siquidem advertentiam requirit, ut debito fiat modo.

Dicimus tertiò motum thoracis non esse compositum ex voluntario & naturali, eò quòd motus compositus fit duplici genere instrumẽtorum; ut constat in expulsione urinæ, & ventris inferioris exoneratione, fit enim fibris transversis & musculis abdominis; sed in respiratione seu motu thoracis nullæ apparẽt fibræ, sed solùm musculi, ergo solùm fit uno genere instrumentorum, ac per consequens actio non est mixta: sed licèt hoc sit verum, non videtur optimè probare argumentũ; nam motus localis necessariò non petit fibras, ut in cerebri motu constat, atq; adeò potest quis respondere motũ thoracis fieri etiam à facultate insita naturali sine fibris, & sine cognitione operante. Neq; contra hoc aliquid valet dicere quod cessante cogitatione & appetitu, aut renuente voluntate, cessat actio, quòd si esset alia facultas naturalis, no fieret: nõ inquã valet; nã quando duo se habent ut causæ partiales respectu alicujus effectùs, qualibet cessante, cessat totus effectus, ac per consequens nihil probat argumentũ; & sic licèt non probetur motum non esse naturalem ex parte, quia non fit mediis fibris, alia ex parte potest corroborari tertia nostra conclusio: nam quoties aliqua est causa partialis alicujus effectus, ei debet aliquid correspondere in effectu, aliàs sine necessitate multiplicantur: sed in motu thoracis nihil est quod possit tribui causæ operanti naturaliter, præatereà quia si talis facultas naturalis concurrit, eâ ablatâ cessaret talis motus thoracis quod nunquam contingit, imò quavis ratione se habeat, si ad eam se habeant bene, sine ulla fit læsione: ergo.

Dicimus quartò respirationem esse actionem voluntariam solùm, quod testatur Gal. *lib. de motu musculorum cap. 5.* ubi affirmat nullo alio modo cognosci actionem esse voluntariam quàm ex eo quod possit retardari, citiùs, crebriùs, aut rariùs fieri, quod totum in respiratione invenitur. Et confirmavit *cap. 6. citati lib.* historiâ illius barbari qui cùm vehementi ita esset concitatus, humi prostratus cohibitâ respiratione se interfecit; ergo est in nostra potestate, ac proindè voluntaria. Quod confirmatur ex eo quod fit mediis musculis qui instrumenta voluntarij motûs dicuntur. Neque valet dicere hac ratione solùm probari in nobis solùm esse voluntariam & liberam, secùs in brutis in quibus non est libertas; nam solùm voluntas habet locũ & dominium suprà actiones spontaneas, & non suprà alias, & sic ex eo quod in nobis cohiberi possit, inferimus esse omninò spontaneam & animalem quod solùm de brutis affirmamus; nam cùm in illis non sit voluntas & liberũ arbitrium, non potest cohiberi respiratio, ad hoc autẽ ut aliqua actio sit in nobis voluntaria & libera, nõ requiritur quod præcedat deliberatio, & consilium, ut fiat, sed satis est voluntatem non renuere, ac per consequens actus positivus voluntatis non requiritur, ut constat in motu progressivo qui omninò voluntarius est, & tamen sufficit ad ejus elicientiam voluntatem non renuere.

Sed dices contra Gal. conclusionem: si respiratio est actio voluntaria, fieri nequit ut ea cohibita pereat vivens, sicut non perit ex eo quod aliæ actiones voluntariæ cohibeantur.

Respondetur aliquas esse actiones liberas nulli deservientes ut deambulatio, locutio, aliàs verò esse voluntarias, deservientes tamen affectibus corporis, ut manducatio est actio libera, & tamen si per multum cohibeatur tempus, vivens perit, quia ad nutritionẽ deservit, sic respiratio ad attemperationem caloris nativi deservit, & sic solùm per parvum tempus sine noxa cohibetur. Neque contra nos facit quod dicũt, scilicet quod si intenti sumus circa aliud objectum, respiramus; ergo sine cognitione aut sensatione præcedenti fit, facilè namq; respondetur: nam quando valde magna est diversio, non fit respiratio, ut contingit in phreniticis usquedum finis crescit, & objectum, vel finis respirationis valde instat, & cognitio est; quando plura facimus, respiramus etiam simul, quia non deficit omninò cognitio pro respiratione, quæ ità velox est, ut videatur multoties non præcedere.

Deindè contra nostram conclusionem efficaciter insurgo, nam respiratio est actio voluntaria quæ non solùm prærequirit actionem internam,

internam, sed externam tactûs sensationem, eò quod licèt species possint conservari in imaginatione & memoria quæ valeant ad similem actum excitare sternum ad respirationem, vel motum thoracis scilicet, tameo quia respiratio non fit quovis modo homo velit, sed secundum exigentiam & necessitatē illius, ità ut modò fiat dilatatio, modò constrictio, modò cum tanta crebritate aut celeritate, oportuit interiorem potentiam determinari à sensatione tactûs à partibus noxam recipientibus, quâ præcedente juxta necessitatem auxilij, potentiæ interiores subministrant species, & movent appetitum ad respirationē eliciendam: quod non eodem modo in pulsu contingit, licèt ejus motus eodem ordine fiunt, quia à fine extrinseco sufficienter facultas pulsifica determioatur cùm sine cognitione operatur, facultas verò respirandi cùm præcedente cognitione necessariò operetur, non potest determinari ad hunc, vel illum motum sine illa. Quo prænotato sic conficio argumentum: usus respirationis non solùm est attemperatio caloris, sed spirituum regeneratio, ità ut deficientibus his, crescat secundum magnitudinē, & alias differentias, si opus fuerit; sed tunc per tactū nihil est quod percipiatur, cùm defectus spirituū sit quid privativum quod à tactu imperceptibile est; ergo, similiter quando multitudo spirituum est, etiam respiratio mutatur in tardam & raram, sed tunc nihil etiam sentitur per tactum; nam multitudo adveniens ab interna potentia non potest sentiri.

Huic dubio posset quis respondere, quod in excessu spirituum non sentitur ipse excessus, sed calor major qui producitur per talem excessum; tamen contra sic insurgo; nam si tunc calor sentitur in respiratione, debent esse differentiæ quæ calorem auctum comitentur quæ sunt magnitudo, celeritas, & crebritas; constat verò asse raritatem, parvitatem, & tarditatem: ergo in tali excessu non sentitur calor spirituum. Neque in defectu spirituum potest sentiri defatigatio, seu debilitas; nam hæc potiùs ad parvitatem pulsûs conducit quàm ad magnitudinem; constat autem in defectu spirituū pulsum esse magnum; ergo quod sentitur non est debilitas: neq; frigiditas potest sentiri; nam parvus esset pulsus, ratione usûs diminuti; sed experientiâ constat esse pulsum magnum; ergo nihil est quod sentiri possit per tactum, ac per consequens videtur non esse actionem voluntariam.

Noster Petr. Garc. affirmat circa solutionem hujus argumenti, neque sentiri spiritûs abundantiam, neq; defectum; sed aliquid conjunctū cum illis; nempè cum per calorem resolvantur spiritus in exercitio v.g. non sentitur ipse defectus, sed calor ipse qui defectum comitantur; at dum restaurantur, jam cessat sensatio illius objecti. Sed dices non solùm deficiunt spiritus ex vi exercitij, sed in magna evacuatione, sed tunc non est calor qui sentiatur, neque aliquid aliud, ergo concedit Petr Garcia aliquid conjunctum sentiri debere, sed non explicat quid sit.

Ad rationes primò positas dicimus inter dormiendum partes non omninò privari influxu à cerebro, sed aliquem communicari sufficientem pro motu, quod constat ex pluribus quæ agunt dormientes, ut ambulare; quâ etiam ratione dicimus respirationē adesse in apoplecticis. Sed hæc solutio difficilis mihi videtur, quia in apoplecticis, aut in aliis sensu privatis non potest sentiri objectum hoc excitans ad respirationem; ergo. Antecedens probatur: nā sequeretur etiam sentiri causam dolorificam, quod est falsum: sequela patet, nā potentiâ eodem modo se habente meliùs debet sentire & irritari à causa intensiori quā à remissiori; sed ponamus adesse causam dolorificam valde intensiorē, quàm ea quæ ad respirationem excitat, quod evidenter probatur: nam id quod ad respirationem excitat, calor est, ut asserit Autor *fol.* 610. sed licèt accedat ignis apoplectico, non sentit, ergo neq; sentit calorem alium. Quod argumentum tantam mihi ingerit difficultatem ut existimem hac ratione oppositū probari, sed cùm ratio Gal. etiā magnam vim habeat, existimo id quod verum mihi videtur, quod sic se habet.

Pro quo notandum est id quod in Philosophia verum est, scilicet motui naturali posse accidere esse præternaturam, & è contrà: exēplum primi constat in lapide descendente deorsùm, & in medio itineris impulsi, vel à magna mole, vel ab aliqua alia causa, ità ut velociori motu moveatur quā natura sua postulabat, tunc motus ille violentus est saltim ex parte modi. Exemplum secundi sit in aqua ascendente sursùm ad vitandum vacuum, tunc motus ille in veriori opinione naturalis est, quia in bonū commune quod magis naturalis est quā propriū, ecce quomodò motu violento accidat naturalis. Ex quo sic possemus dicere ut Gal. mens defendatur, nempè respirationem esse actionem voluntariam utplurimùm, cui potest accidere quòd sit actio naturalis, ob aliquam causam impedientem cognitionē, & sic in apoplecticis, quia deficit sensatio est impedimentū cognitionis, & tunc nō est volūtaria.

Ad secundum dicimus tussim etiam esse voluntariam seu spontaneam, fierque medijs musculis, & licèt non sit vox, quia non est cum imaginatione aliquid significandi, est tamen cum actu imaginationis moventis.

Ad ultimum dicimus nō contingere in motu thoracis lassitudinē ità frequenter sicut in motu progressivo; nam cùm hic sit totius corporis in quo plures consumuntur spiritus, nihil mirum contingere passim, secùs verò in thorace seu motu cujuslibet membri, id sufficit aliquando posse contingere. In calce tamen hujus capitis, notare oportet venas & arterias non esse partes componentes musculum, sed solùm carnem & fibras, qui verò vasa ad musculos pertingunt veluti rivi quidam sunt, qui non substantiam complent, sed eis subministrant, ut in vita permaneant, ex Gal. *lib. art. med. cap.* 50.

CAPUT II.

A quo efficienti moveatur pulmo in respiratione.

NOn defuēre qui existimārunt thoracem non moveri ex se, sed ad motum pulmonis; hunc autem moveri à corde; sed in hac

hae re dico primò thoracem moveri motu proprio & voluntario, nam non moveri ad motum pulmonis constar, ex eo quod habet musculos proprios, sed si à se non moverentur, ad nihil essent necessarij: ergo. Et confirmatur, nam musculis abscissis cessat thoracis motus; sed si ad motum pulmonis moveretur, non cessaret, vel si partialiter ab eo fieret; non omninò cessaret; constar autem experientià cessare, ergo.

Dicimus secundò, pulmonem non moveri motu voluntario, quia nó habet musculos quos diximus esse instrumenta motûs voluntarij.

Dicimus tertiò, pulmonem moveri motu priùs thorace, & ad hujus motum; non quidem per alligationem, idest quia pulmo sit alligatus thoraci, ac proindè moveatur sicut moveretur lapis alligatus brachio dum brachium movetur: sed pulmo movetur ad motum thoracis, quia priùs requiritur quod thorax moveatur, ut successione ejus quod evacuatur, pulmo moveatur, hoc est ad replendum vacuum: à quo verò moveatur difficultas est quæ coincidit cum philosophica difficultare, scilicet quando aliquod corpus ad replendum vacuum movetur, à quo moveatur. Et cum communi opinione dicimus moveri à virtute corporis quod discedit; itaque quantitas habet vim à natura propria ut trahat corpus sibi contiguum ne detur vacuum; sic ergo dilatato thorace movetur pulmo ab illo, vel ab alio corpore contiguo quod deserit locum, in compressione verò movetur pulmo quia thorax comprimitur & pellit illum à loco in quo est.

Quod autem pulmo moveatur dicto modo probatur: nam perforato thorace, ità ut per vulnus ingrediatur aër, cessat motus pulmonis, ergo movetur à thorace gratiâ vitandi vacuum.

Respondet Averroës negando consequentiam, quia potest cessare motus pulmonis quia refrigeratur frigido aëre ingrediente per vulnus, ob quod, etiamsi haberet propriam virtutem motivam, non operaretur cessante fine; tamen contra est, quia statim quod thorax tale vulnus patitur, cessat pulmo à motu, & quamvis longo tempore maneat aëria ingressus, (quo potuit sufficienter refrigerari,) statim quod clauditur digito, aut quovis alio corpore, incipit moveri pulmo, sed tam citò non potest cessare frigus; ergo signum est moveri ratione vitandi vacuum. Confirmatur præcipua ratio, nam sectis musculis, vel nervis qui inseruntur in musculos thoracis, cessat hæc pars à motu, & similiter pulmo: ergo iste ad motum illius movetur.

CAPUT III.

An respiratio fiat solo motu septi transversi.

COMMONSS satis Medicorum sententia est, septum transversum esse solum instrumentum respirationis naturalis quolibet alio secluso musculo, vel instrumento: sed hæc solùm deservire quomodocũque præternaturam & ordinem naturalem respiremus. Quod non caret difficultate: nam in respiratione duplex invenitur motus, alius qui dicitur inspiratio quo dilatatur pulmo, alius qui dicitur expiratio, quo comprimitur. Ex his verò motionibus, licèt possit intelligi inspirationem fieri solius septi motu, non tamen expiratio, nam quilibet musculus solum unum habet motum, nempè contractionem, ità ut quando debet laxari ex contractione oppositi procedit, ut patet in motu brachij; sed septum transversum non habet musculum oppositum, ex cujus contractione possit laxari; ergo non potest concurrere ad naturalem expirationem, & consequenter non erit voluntaria, quia nullo fit musculo ex cujus contractione septum laxetur. Sed posset aliquis respondere verum esse quod probat argumentum, ac per consequens expirationem neque à facultate fieri, nec medio musculo, sed sola decidentia à gravitate ipsius musculi tanquam ab efficienti; quod autem septum cesset à tensione, est causa per accidens veluti remotio prohibentis.

Sed contra hanc doctrinam est non leve argumentum, quia gravitas movet corpus cujus est, deorsùm ex propria natura: sed compressio thoracis non est deorsùm, ergo non fit à gravitate. Minor probatur, quia homine erecto existente, vel in qualibet positione, ità ut compressio fiat sursùm, fit compressio thoracis: sed si à gravitate fieret, non fieret quando corpus est in ea positione ut compressio thoracis fiat sursùm, ut contingit in positione quam vulgus vocat *boca avaxo*: ergo non fit à gravitate, quo eodem argumento probatur contra Valles. neque talem motum compressionis juvari à gravitate etsi talis motus est deorsùm, etiam contra Valles. constat non esse cur juvet gravitas usque ad naturale cavum, & non ulteriùs, cùm gravitas semper in locũ inferiorem faciat corpus inclinare. Præterea sequitur respirationem secundum utramque partem non esse spontaneã seu animalẽ actionem, quod est contra Gal. id expresè affirmantem seu absolutè & absque distinctione. Præterea etiam cùm sit necessarium tanquam removens prohibens quod tensio septi auferatur, & laxitas inducatur, ut expiratio fiat, videtur impossibile, cùm ut dictum *supra* est, non sit musculus contrarius cujus contractio laxet septum: ergo. Neque valet tensionem cessare à gravitate, quia imprimis hæc non sufficit, ut constat in aliis partibus: deindè quia si non fuit sufficiens ut impediretur motus contrarius, neque erit sufficiens ut non conservetur terminus illius.

Quidam sunt arbitrati expirationem fieri per contractionem musculorum abdominis qui videntur habere aliquam cum septo oppositionem ad quorum contractionem laxatur septum, & expiratio fit: hoc tamen apertè contrariatur Gal. *lib. de dissect. musculorum cap. 23.* ubi affirmat abdominis musculos non esse necessarios simpliciter ad expirationem naturalem, sic ait *Thoracis etiam contractioni, aliquid conducunt nonnunquam abdominis musculi*; ergo sentit non esse simpliciter necessarios ad expirationis motum, cùm dicat *nonnunquam aliquid conducere.*

Neque placet opinio asserentium aliquos musculos

musculos ex intercostalibus concurrere ad thoracis contractionem in expiratione naturali, ità ut compresso thorace laxetur semper septum; non inquam hoc valet, sed potiùs Galenus contrarium voluisse constat ex 8. *lib. de anatomicis administrationibus cap.* 5. sic ait, *Sectâ spinali medullâ, musculos intercostales dicit reddi immobiles, respirationem verò fieri solo septo; quippè hoc solo inquit quodvis animal in parvis respirationibus utitur: cum verò majoris respirationis usus suboritur, aut exercitio, aut febre, aut vehementi aëris calore, aut alio quodam affectu digesto, necessitas est diaphragmatis functioni intercostales subvenire.*

Nobis tamen dicendum venit expirationem non fieri ex contractione alterius musculi oppositi septo, sed tam inspirationem quàm expirationem ab ipso fieri septo, eò quòd ipse habeat plures & diversos motus contractionis juxta diversas fibras, quibus gaudet: & licèt frequenter contingat ex Gal. musculos non habere nisi unicum fibrarum genus, tamen non tollit quo minùs aliquos eas habeant, nam secundus musculus eorum qui scapulas movent, habet plures fibras; siquidem movet illam sursùm versus occiput, & deorsùm ad octavam thoracis costam, & ad latus versus vertebrarum regionem, semper tamen unus motus est, illius nempè contractio, aliter minimè; non ergo mirum est quod in septo diversæ inserantur fibræ, ratione quarum plures valet elicere contractionis motus, ità ut ratione unius fiat inspiratio, & ratione alterius expiratio eliciatur, taliter ut per contractionem unius partis fiat laxatio in altera absque ullo opposito musculo. Ex quo manifestum fit compressionem thoracis habere intensionem & remissionem, & non fieri à gravitate decidentiam facientem, ità ut sicut in motione non naturali compressio suscipit magis & minus, ità similiter in motione naturali, talis motus potest esse intensior & velocior in uno quàm in alio juxta diversos fines instigantes diversos juxta diversam naturam repertam in hominibus diversis.

CAPUT IV.

Quibus partibus constet respiratio.

QUATUOR esse in respiratione partes sicut & in pulsu, compertum est apud Galenum pluribus in locis; nam in respiratione est duplex motus, alius qui dicitur inspiratio, alius verò qui expiratio nominatur; est similiter duplex quies, altera externa, quæ terminus est motûs dilatationis thoracis, altera interna quæ terminus compressionis ejusdem motus thoracis dicitur. Inter has verò hæc communiter solet assignari differentia quod motus sint partes per se & principales respirationis, quietis verò per accidens.

Hinc communis solet oriri difficultas, an scilicet quietes sint per se intentæ à facultate sicut & motus: sed quia dubitatio hæc *ad lib. de pulsibus* spectat, in præsenti ab illa supersedere decrevimus, & solùm in præsenti aliquæ ex his quæ communia sunt pulsui & respirationi attingam.

Dubitari ergo potest ex motu duplici in respiratione repetto quis sit prior dilatatio thoracis, an compressio. Circa quod Gentilis de Fuligineo affirmat priorem esse compressionem, ipsâ dilatatione tam in corde quàm in respiratione, eò quòd in prima viventis productione vivens producitur quoad calorem temperatissimum, & sic non est opus refrigerio, ratione aëris dilatatione attracti; si enim aër attraheretur & refrigeraret cor, sine dubio eum distemperabit, quod non est concedendum; debet ergo compressio prior esse, quia calor intra terminum naturalem producit fuligines quæ debent & possunt expelli, quod idem contingit in respiratione; ergo tam in respiratione quàm in pulsu motus compressionis prior erit.

Sed juxta sententiam nostri Petr. Garciæ qui affirmat calorem febrilem ab intrinseco principio cordis dimanare, ità ut causæ quas Medici recensent sint per accidens, oportet asserere dilatationem tam cordis quàm thoracis esse priorem, eò quòd talis calor sit in primo instanti in corde ante fuliginum quamlibet productionem. Modò ergo juxta Gal. opinionem solvere debemus difficultatem. Aliqui affirmarunt dilatationem esse priorem, eò quod in morientibus ultima est expiratio; ergo dum incipiunt vivere, prior est inspiratio. Cui poterit aliquis respondere dicendo nihil probare: nam in morientibus motus ultimus compressionis non fit à facultate, sed à gravitate ipsius membri, & sic potiùs probati in morientibus ex motionibus à facultate factis ultimam esse dilatationem, seu inspirationem: nam compressio quæ postcà subsequitur fit solùm à gravitate.

Sed possumus respondere primam rationem nonesse universaliter veram, sed debere intelligi in solis morientibus morte naturali, in quibus calor naturalis adeò remissus est, ut non indigeat refrigerio, sed solùm expulsio fuliginum magis instet; in quo casu videtur esse verum compressionem esse ultimum motum. Sed licèt hoc ità intellecto sit verum, nihilominùs non convincit argumentum: nam nullam dependentiam, neque connexionem habet; non ergo bene sequitur in morientibus est ultima compressio, ergo incipientibus vivere est prima dilatatio.

Sed ut res meliùs absolvatur, nota nos in præsenti loqui juxta communem philosophiam dicentium naturalia corpora in primo instanti produci in statu naturali dispositionis qualitativæ, quia hæc debet produci à forma supposita materiâ sine aliquo accidenti existente in ipsa: nam si sequamur opinionem satis probabilem dicentium plura accidentia in materia prima subjectari, & eadem numero quæ fuerunt anteà remanere post generationem novam, dubium non est posse produci vivens de novo cum aliqua qualitate contra naturam existente in materia cum quantitate propria; cùm autem possit esse excedens calor, iste petit in principio cordis dilatationem, & sic in hoc casu erit prior.

GGg 5 Absolutè

Absolutè ergo loquendum videtur esse efficax argumentum ad probandum dilatationem esse priorem, dummodò vivens in instanti primo generationis cum omni dispositione qualitativa naturali supponatur, quia nulla causa excogitari potest propter quam à facultate formatrice cor, aut thorax producantur in situ & termino dilatationis, cùm non sit ità secundum naturam sicut habent illæ partes compressionem, ità enim situm magis naturalem quàm dilatatæ habent: ergo dilatatio necessariò erit prior, etiamsi priùs urgeat finis compressionis, quia compressio fieri nequit quin priùs thorax dilatetur.

Et hinc fit in morientibus non esse certum ordinem quoad motus respirationis; nam in aliquibus ultimus motus est expiratio, in aliis verò inspiratio, juxta diversitates finium qui prope mortem contingere possunt; nam alij moriuntur ob distemperiem nimiam calidam, in quibus erit ultimus motus dilatatio. Alij ob suffocationem in quibus potest esse compressio ultimus motus, eò quòd dum comprimitur thorax, non possit ulteriùs dilatari, quia pro illo instanti tanta fuit fuliginum multitudo, ut interficere valuit.

Dices: cordis calor dum major est moderato, producitur à fuliginibus: ergo priùs est esse fuligines expulsionem petentes per compressionem, quàm calorem attemperationem exposcentem per dilatationem, ac per consequens prior erit dilatione compressio.

Respondetur concedendo antecedens & negando consequentiam: nam calor qui indiget refrigerio à minori copia fuliginum producitur, quàm sit copia fuliginum quæ petit expulsionem per compressionem, & sic priùs erit dilatatio, quia fuligines quæ valent producere calorem petentem refrigerium per dilatationem, non exposcunt expulsionem per compressionem, usque dum sint in majori quantitate.

Quæri ultimò potest quæ ex quietibus quæ in respiratione reperiuntur sit major. Circa quod Vallesius dixit internam esse majorem, quia facultas vel pars magis quiescit. Quod videtur falsum, cùm dicamus in utraque quiete operari facultatem, ideóque nobis videtur dicendum non posse certam regulam assignari, sed illam quietem esse majorem cujus contrarius finis minùs urgeat: hoc autem juxta diversam naturam compensari debet.

CAPUT V.

Quibus moveatur thorax, in respiratione non naturali.

CERTISSIMUM est musculos thoracis tam internos quàm externos fuisse datos propter respirationem, non tamen naturalem; nam hujus solùm septum est effectivum, ut diximus: dubium ergo in præsenti est an supposito quod in thorace sint & musculi interni & musculi externi, necessariò unico solùm motui thoracis deserviant, vel solùm unico & determinato. Circa quod Vesalius tenet tam internos quàm externos solùm deservire motui expirationis, inspirationem verò à solo septo fieri.

Contraria tamen sententia verior est, & expressa Galeni, nempè musculos externos thoracis deservire inspirationi, internos verò expirationi, quod præterquam quod est expressum in Galeno *lib. 2. de motu musculorum*, est etiam Avicen. *fen 1. lib. 1. doct. 5. cap. 16.* & similiter ex Anatomia constat ex modo quo prædicti musculi inserantur sumpto argumento.

Rursùs dubitari potest, an saltem in respiratione violenta, aut quavis alia quiescente septo transverso, solo motu intercostalium, possit contingere respiratio. Circa quod Vallesius partem negantem tuetur, quia existimat septum ad quamlibet respirationem esse instrumentum simpliciter necessarium, & sic licèt possit dari respiratio solo septo agente sine musculis intercostalibus, non tamen è contrà, quia solùm illi sunt necessarij, cùm opus est flatu.

Nobis tamen dicendum venit posse respirationem esse solis musculis intercostalibus agentibus; nam si verum est ad majorem respirationem conducere etiamsi septum quiescat, poterunt dilatationem & compressionem facere in thorace. Et confirmatur; nam omnes musculi moventur in nobis propriè & voluntariè; ergo similiter septum, ac proindè ejus motus poterit cessare nobis volentibus quantumvis thorax moveatur.

Dices id verum esse absolutè, tamen si homo semel decrevit thoracem movere, oportet uti hoc instrumento, sicut bene potest quis liberè cessare à motu musculorum manûs; si verò semel decrevit movere manum, oportet musculis illis uti. Sed contra est, quia septum non est instrumentum necessarium ad quamlibet respirationem, sed ad naturalem, musculi autem manûs sunt necessarij ad quemlibet illius motum, & sic non tenet paritas.

Dices iterum: musculi intercostales conducunt ad magnam respirationem, septum ad parvam: sed magna non potest dari sine parva, cùm eam præsupponat; ergo necessariò semper præsupponitur motus septi.

Respondetur respirationem magnam quæ fit per majus spatium præsupponere parvam, idest, quæ fit per minus spatium: tamen ridiculum est existimare, quòd si musculi intercostales possunt per magnum spatium movere, non possint per minus, & ita per idem per quod potest septum: quod indè constat, quia in violenta expiratione nimia contrahitur thorax, & usque ad locum ad quem comprimit septum, ergo ad inspirationem sequentem, si violenta debet esse, concurrent musculi intercostales: ergo respiratio illis solis fieri potest.

CAPUT

CAPUT VI.

De dyspnœa, idest difficultate respirandi in genere.

CUM respirationis plures sint causæ, respiratio ex pluribus potest lædi, & ut rectâ methodo incipiamus, primò notandum venit difficultatem respirandi seu dyspnœam actionem esse læsam quæ quidem pati potest ablationem quoad sensum, saltem vel diminutionem, vel depravationem: hoc ergo prænotato, Galenus enumerat unam speciem difficultatis respirandi, quam vocat sublimem, in qua laborans movet totum thoracem, in parte scilicet anteriori usque ad jugulum, & in utroque latere usque ad humerum, & in parte posteriori usque ad scapulas. In quo advertas, quæso, non esse idem respirationem esse sublimem & magnam, nam sæpè debili existente virtute contingit moveri omnia instrumenta respirationis, & tamen tunc non est magna respiratio, utpotè magnitudo est differantia familiaris facultatis robustæ, non est ergo idem respirationem esse sublimem & magnam.

Ut ergo cognoscamus causam læsæ respirationis in memoriam revocare oportet tres esse causas continentes respirationis, facultatem scilicet, instrumentum & usum: & quidem primò cognoscemus læsam esse respirationem propter usum auctum si pulsum perpendamus: nam si magnum, crebrum & celerem tangimus, usum esse auctum cognoscimus, & respirationem læsam, ob hanc causam inferimus, è contra verò si pulsus rarus & tardus.

Dubium. Sed inquiri solet cur Gal. ad cognoscendum calorem auctum cordis, posuisset priùs expirationem quàm inspirationem: nam per hanc attrahitur aër ad refrigerium cordis, & per illam fuligines expelluntur; pari ergo ratione videtur quod ostendant cordis incendium.

Respondetur facilè, quod ex vi expirationis magnæ & confertim factæ, necessariò colligimus multitudinem ustarum fuliginum quæ effectus sunt caloris maximique incendij; at verò ex multa inspiratione non licet colligere necessariò intensionem caloris, cùm possit esse ob alium finem, scilicet regenerandi spiritus; undè certius signum demonstrans incendium est expiratio quàm inspiratio.

Sed inquiri solet cur quando usus est valdè auctus, expiratio vel spiritus exsufflando fit.

Respondetur breviter expirationem quæ exsufflando fit solùm distingui à simplici expiratione, penes hoc quod illa fit cum sono, secùs hæc; hoc autem contingit ex eo quod illa fiat cum majori vehementia & impetu, quo fit ut fiat sonus.

Præterrà omissâ difficultate respirandi quæ fit ob aliquam instrumentorum angustiam, quia nihil difficile continet, docet Galen. quòd quando difficultas respirandi nascitur ex debili facultate, contingit ut nulla in ore facta exsufflatione per nares solùm exsufflemus; quod si alæ vel pinæ narium comprimantur, vel dilatentur, ait esse efficax inditium prostratæ facultatis & imbecillitaris virium, quod debet ità intelligi, ut non solùm ea debilitate facultatis, fiat hujusmodi motus alarum narium; nam certum est quòd si usus augeatur, & viæ sint constrictæ, ità ut finis non satisfiat per exsufflationem per os, necessariò etiam erit hujusmodi motus alarum narium, utpotè sunt instrumenta naturalia respirationis per cujus constrictionem attrahitur major quantitas aeris ad refrigerium, & per dilatationem major copia fuliginum molestantium pellitur: ergo hujusmodi exsufflatio non est signum solius facultatis debilis: sed omnibus aliis positis quæ facultatem debilem demonstrent si sequantur motus alarum narium, indicium efficax est debilitatis facultatis.

Una ex præcipuis differentiis læsæ respirationis, est respiratio magna & rara, quam ut proprium & inseparabile signum delirantium & eorum qui à mente alieni sunt, ponit Galenus. Quæ doctrina intelligenda est quantum attinet ex vi delirij; nam optimè potest cum delirio conjungi alter affectus cujus causa sit potentior, & sic apparebit respiratio alio modo, ut si cum delirio inflammatio pleuræ conjungatur, in quo casu parva & crebra erit respiratio. Sed adverte hanc doctrinam esse intelligendam in his quæ citra causam procatarcticam contingunt, nam per ingentem tristitiam contingere potest eadem differentia quæ inest delirantibus ob quam respiratio fit magna & rara.

Rursùs, alia est differentia respirationis læsæ, scilicèt parva & crebra, cujus duas causas adducit Gal. dolorem scilicet & inflammationem, nomine istius quemcunque tumorem calidum intelligit, vel phlogosim, eò quod ratione doloris & inflammationis, non potest dilatari thorax sufficienter pro usûs satisfactione, & sic necessariò apponit celeritatem & crebritatem; undè, si quis velit voluntariè ferre dolorem, sine dubio respiratio erit magna, & similiter quando urgentia respirationis exhibet majorem molestiam quàm causa doloris, erit magna respiratio. Poterit esse alia causa parvæ & crebræ respirationis, nempè compressio & coarctatio instrumentorum respirandi, propter eandem rationem; nam vi compressionis non possunt dilatari pro satisfactione usûs, & sic ad satisfactionem parvos & crebros motus eliciunt; & similiter similis respiratio potest contingere ab debilitatem facultatis ob eandem rationem.

Sed apparet dubium, cur scilicet existente dolore, eò quod dilatatio fiat major, fiat major dolor; videtur enim difficile: nam dolor solùm crescit, vel aucto sensu, vel auctâ causâ, vel conditione. Primum eodem modo manet, etiam si magis dilatetur thorax, nec secundum, nam non est unde crescat solutio continui vel distemperies, solùm per majorem dilatationem. Neque tertium, nam per illum majorem motum thoracis, vel augetur solutio continui intensivè, vel extensivè; si extensivè non erit major dolor, sed erit dolor idem in pluribus partibus, hoc est Dubium.

in

in partibus aliis in quibus antea non erat: si intensive, implicat quòd sit major dolor; nam solutio continui consistit in defectu unius indivisibilis; ergo implicat quòd sit major: nam quomodolibet fit, solùm defectu indivisibilis fit, qui non suscipit magis & minus.

Respondet Petr. Garcia quod rigorosè loquendo in ordine ad indivisibilia optimè probat argumentum, attamen cùm hoc stat ut in casu posito dolor fit major; nam per majorem dilatationem thoracis partis discontinuæ, magis distant localiter, quo fit ut aliquod corpus de novo ingrediatur, ne detur vacuum à quo major immutatio realis producitur, & intensior species.

Sed meo videri dubium semper manet in sua vi; nam si vi hujus immutationis majoris realis sentitur major dolor; ergo vel quia est nova solutio continui, & hæc non faciet dolorem majorem intensivum, sed extensivum; dicere autem eandem solutionem continui fieri majorem, est impossibile; nam non suscipit magis & minus, ut paulò anteà diximus: ergo. Sed fortasse possumus respondere in alia parte vi majoris dilatationis fieri solutionem continui majori impulsu & intensiori & celeriori motu,& sic sentit vivens intensiorem dolorem in alia parte quæ anteà non sentiebat.

Deoique aliam speciem læsæ respirationis Galen. enumeravit in qua veluti quadam brevi quiete intercipitur motus thoracis: hanc appellavit spiritum offendentem, & quandoque fit inspirando, quandoque expirando, & frequenter iste respirationis modus contingit in pueris flentibus, ut fit ad modum pulsus caprisantis. Hujus respirationis causas adducit Gal. usum auctum cum debilitate facultatis, & vitium instrumenti, vel per duritiem, vel per aggravationem quod significavit per convulsionem musculorum thoracis, ità ut in hac respirationis læsæ specie, & in ejus causis philosophandum sit quemadmodum in causis pulsûs caprisantis.



DISPUTATIO XXXVIII.

De Vitiis pulmonis.

CAPUT VNICVM.

De Asthmate.



POSTQUAM de læsione respirationis in genere egimus, meritò de asthmate tractamus; siquidem species principalissima est respirationis læsæ, sicque ab Avicenna describitur. *Est ægritudo pulmonis cum qua patiens non invenit excusationem ab anhelitu frequenti.* Itaque est symptoma respirationis consistens in crebritate immodica sine febre, ex passione pulmonis. Oportet autem attendere Antiquos solùm attendentes ad crebritatem immodicam respirationis, nomen asthmatis inducere, de qua appellatione nulla ratio à priori reddi potest, nisi quia sic voluêre; appellatur autem asthma aliquandò crebra & magna respiratio, aliquandò verò crebra & parva, non quia non dilatetur arteria juxta usum auctum, imò multoties magis, sed quia licèt dilatetur ob quod dicitur magna, semper tamen aër qui attrahitur est in parva quantitate proptee constrictionem & oppressionem instrumentorum, ob quod dicitur parva respiratio, semper tamen crebra dicitur, ratione cujus, ut dixi, asthma appellatur.

Cùm autem hujusmodi affectio sit symptoma in actione læsa, oportet scire quæ sit. Et breviter dico esse depravatam, eò quòd cùm in asthmate parum aëris ingrediatur ad satisfaciendum usui, fuligines magis irritant, & sic depravatè fit actio, eo modo quo actiones pertinentes ad facultatem expultricem dicuntur depravatè, ex eo quod præcedat irritatio à qualitate molestante; cum hoc tamen bene stat quod licèt impropriè dicatur etiam actio diminuta, non quia facultas ita operetur, sed quia aër ingreditur in parva quantitate ob morbum præexistentem.

Diximus laborantes hoc morbo sine febre esse, quod intelligendum est quantum ex vi hujus affectionis, nam non oportet humorem causantem hunc affectum putredinem subire, ac proindè si putrefiat humor, erit febris per accidens, tamen erit in hoc affectu, quia etiam si ea non esset, symptomata propria asthmatis fierent.

De morbo à quo nascatur restat quod dicamus, & dicimus, immediatum morbum à quo fit esse in cavitate vitiata, vel impedita, sive sit ex obstructione, sive ex compressione, sive ex subsideotia, & licèt Avicennas morbi complexionis in hoc affectu mentionem fecerit, intelligendus est de morbo mediato, quod non negamus.

Circa partem affectam constat ex Avicen. esse pulmonem, sed quæ pars ejus patiatur, est dubium, & dicendum nobis est cum communi consensu,esse asperam arteriam;eâ enim compressâ, vel alio modo impeditâ, non ingreditur aër sufficiens ad refrigerium cordis, quo fit ut propterea dicatur parva, ut diximus,& crebra quia ob necessitatem refrigerij parum detinetur in quietibus.

Sed dices: etiam per arteriam venalem ingreditur aër ad refrigerium cordis; ergo eâ vitiatâ symptomata asthmatis sequentur sine dubio.

Respondetur negando sequelam; nam licèt esset crebra respiratio usu aucto, nihilominùs non diceretur parva, eo modo quo in asthmate: nam ingrederetur aër proportionalis dilatationi & usui aucto, quando arteria venalis vitiatur, vel comprimitur; asthma autem constituitur per crebram respirationem citra plurimam aëris tractionem.

Citra causas ejus dicimus causam frequentiorem esse humorem crassum cavitatem asperæ arteriæ, vel bronchia pulmonis occupantem, etiamsi verum sit ab humore tenui, &

& à vaporibus crassis ibi existentibus causari quandoque posse.

Dubium tamen potest esse an à debilitate facultatis fieri possit asthma, & negativè Respondemus, quia debili existente facultate non potest fieri dilatatio thoracis magna quoad intrinsecum, sed parva, sed ad verum asthma requiritur necessariò dilatationem ita esse, & quod aër attrahatur in parva quantitate, & improportionatus, ergo à debili facultate nequit fieri, & propter eandem rationem vitio existente in musculis intercostalibus & in septo transverso non fiet verum asthma, quia dilatatio quoad intrinsecum nequit fieri magna, licèt sit crebra ob usum auctum. Quando ergo alias causas præter has adducit Avicennas, loquitur de spurio asthmate, non de vero.



DISPUTATIO XXXIX.

De Tussi.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Tussis, & ad quam facultatem pertineat.



AVICENNAS sic tussim definivit, *Est ex motibus quibus expellit natura nocumentum à membro aliquo.* Ex qua definitione apertè constat esse symptoma facultatis motivæ quæ expellit motu locali id quod nocet. Galenus verò sic tussim describit. *Est vehemens exsufflatio quâ plurimus spiritus pellitur.* Quibus definitionibus suppositis facilè cognosci potest tussim esse symptoma in actione depravata, quia facultas suppositâ irritatione alicujus nocentis movetur ad expulsionem illius motu illo depravato, non aliter quàm in diarrhæa & dysenteria, & asthmate, ut *capite præcedenti* explicuimus, constátque ex Galeno *lib. septimo aphorism. commentario* 51. ità. *Sicut enim tussis symptoma quoddam naturale est ad expurgandas eas, quæ sunt in pulmone, asperas arterias, &c.*

Sed oportet scire cujus facultatis sit actio læsa. Et quidam affirmatunt pertinere ad facultatem naturalem expultricem, idque non alia ratione probant nisi quia expulsio est actio facultatis naturalis expellentis: sed tussis est actio quâ natura intendit expulsionem; ergo est actio facultatis expellentis. Sed licèt aliquibus videatur tussim partim esse actionem voluntariam, partim naturalem, dicendum nobis est tussim pertinere ad facultatem animalem motivam, ac proindè esse actionem voluntariam, sicut respiratio. Hanc veritatem comprobant quamplurima Avicennæ & Galeni testimonia quæ brevitatis causâ omitto. Et ratione probatur, quia tussis fit eisdem instrumentis ac fit respiratio, nempè à musculis thoracis, ergo est voluntaria. Præterea quia ea quæ à facultate naturali pelluntur, attenuantur, ut meliùs fiat expulsio: sed quæ tussi pelluntur non semper debent attenuari, sed reduci in mediocrem modum substantiæ quando nimis crassi, aut tenues sunt, quia expulsio fit medio aëre qui nec penetrat crassum, neque movet nimis tenuem substantiam, quia hæc cedit ad latus; ergo diversa facultas est effectiva tussis à naturali expultrice, quia diverso modo operatur.

Accedit ad hoc quod tussis possit à nobis cohiberi, quod omnimodam voluntarietatem significat. Et ut hoc notum fiat, adverte in tussi & esse causam molestantem præsentem parti quæ pati debet, & esse sensationem molestam, & tandem actionem vel motum ipsius thoracis; Ex his autem neque præsentia causæ voluntaria, neque sensatio illius, nam tactus præsente objecto cum conditionibus requisitis liberè non sentit. Solùm ergo dicimus motum illium thoracis esse voluntarium in quo tussis consistit, licèt fiat præsuppositâ irritatione, & violentiâ aliquâ sicuti in respiratione contingit, in qua licèt cum noxa potest animal cessare à motu, ac proindè tussis & respiratio sunt actiones voluntariæ, & possunt cohiberi, licèt cum aliqua noxa, ex quo solùm infertur non esse tamen voluntarias sicut motus crurium, aut manuum, quia hujusmodi sine aliqua noxa omninò cohibentur à nobis.

CAPUT II.

Quæ pars afficiatur in tussi, an hæc sit pulmo necessariò.



POSTQUAM in præcedenti dubio de causa effectrice tussis diximus, cùmque esse thoracis musculos affirmavimus, in præsenti partem quæ necessariò in tussi debet pati explicare necessum est, & licèt aliquibus videatur quod ad tussim spuriam seu illegitimam quæ per desiderium tussiendi explicatur, non sit necessarium pati pulmonem, sed sufficere musculos thoracis pati, ità ut per inæqualem intemperiem in eis tussiendi cupiditas fit, non aliter ac contingit in rigore, tamen nobis dicendum est omnem tussim fieri per affectionem pulmonis necessariò: nomine autem pulmonis debet intelligi aspera arteria per quam ingreditur aër, sive patiatur per se, sive per consensum. Hanc nostram conclusionem quamplurima Galeni & Avicennæ testimonia exornant, & ratione potest comprobari, quia tussis est motus factus à facultate animali motiva ad expulsionem nocivi medio aëre: ergo solùm illa pars debet affici per quam transit aër; atqui solùm per asperam arteriam ingreditur aër; ergo solùm illa necessariò

cessariò debet pati, vel per se, aut per consensum.

Quòd autem in tussi quam non legitimam vocant, hoc est in tussiendi desiderio, etiam aspera arteria patiatur, probatur: nam in vomitu patitur ventriculus, & similiter in nausea quæ cupiditas vomendi est, ergo similiter si in vera tussi patitur aspera arteria necessariò, etiam in non vera patietur, ex eo quod causa molestans sit remissior.

Sed dices contra conclusionem: in asthmate patitur etiam aspera arteria, ità ut morbus à quo provenit sit vitium in ejus cavitate: sed in asthmate non est tussis; ergo non sufficit causam molestantem esse, vel occupare asperam arteriam ut tussis fiat.

Respondetur non quodlibet impedimentum sufficere ad tussim, sed majus quàm illud quod in asthmate reperitur & licèt non possit negari in asthmatibus non tussientibus majorem partem humoris reperiri occupantis cavitatem asperæ arteriæ, quàm quantitas partis quæ solet tussim movere, aut quantitas alicujus corporis solidi, tamen tunc ratio tussis in uno casu, & non in alio est ratione loci ubi existit: nam quando in medio cavitatis est impedimentum, in minori quantitate excitat tussim quàm si hæreat parietibus cavitatis asperæ arteriæ, quod contingit in asthmate ob quod in hac affectione tussis non est.

CAPVT III.

A quo morbo nascatur, & quæ sint ejus causæ.

CUM dictum jam sit tussim esse symptoma in actione depravata pertinens ad facultatem animalem motivam, partémque affectam esse asperam arteriam, restat scire qualis sit morbus à quo procedit. Et dicendum nobis est morbum immediatum à quo tussis procedit esse in vitiata cavitate asperæ arteriæ, ratione cujus impediatur transitus spiritûs, ità ut omnes alij morbi à quibus originem ducit non immediatè, sed quatenùs valent vitiare cavitatem morbum causent prædictum.

Causæ autem quæ communiter enumerantur, sunt repletio arteriarum pulmonis, obstructio, inæqualis intemperies, asperitas, aut mordicatio; de omnibus his non est dubium quin tussim causent, eò quòd facultas moveatur ad expulsionem nocivi. Sed de intemperie poterat esse majus dubium; nam aliqui non omnem intemperiem esse causam tussis affirmarunt, excludunt enim humidam, eò quòd affirment eatenùs intemperiem causare tussim quatenùs dolorem inferre valet; itaque medio dolore irritare facultatem affirmant isti, ac proindè tussim causare.

Nobis tamen dicendum est non causare tussim medio dolore, nam multoties contingit dolorem esse in via spiritûs, & non tussim: & ratione probatur, nam tussis est ut expellatur id quod impedit ut aër ingrediatur; sed ratione doloris præcisè nullum fit impedimentum nisi quid aliud accidat ad dolorem consecutum, ut attractio sanguinis & spiritus prædicti: ergo qualitates, vel intemperies non causant tussim medio dolore, sed mediatè, ut dixi, ità ut siccitas producendo vel causando asperitatem tussim causet, quatenùs per asperitatem aliæ partes asperæ arteriæ sunt eminentiores, aliæ non, & sic vitietur cavitas; & frigiditas hoc facit inæqualiter densando; & calor & humiditas laxando; Ubi adverte per inæqualem intemperiem intelligi nudas qualitates intensiores in una parte quàm in alia, ratione cujus aliæ partes asperæ arteriæ eminentiores sint aliis, ac proindè cavitas vitiatur, & impeditur ingressus aëris, quo fit ut facultas moveatur ad expulsionem mediâ actione tussi dictâ, propter noxam quam sentit animal, sicut quando prohibetur respiratio. Hæc autem noxa non est, quia sentiatur causa prædicta, sed alia, ut fuligines, aut quid simile à quo suffocatio imminet; ubi etiam adverte mordacia non causare tussim, quia dolorem inferant, sed quia exasperant cavitatem asperæ arteriæ; valet enim consequentia, quidquid mordax est tussim causat, non è contrà.

CAPUT IV.

De divisione tussis, & quibusdam quæ tussi excernuntur.

PRIMÒ dividitur tussis in tussim per propriam passionem asperæ arteriæ & in tussim per consensum, vel alterius partis, vel cum toto corpore, qualis est illa quæ in febribus ardentibus excitari solet. Deindè alia dicitur tussis sicca, eò quòd in illa nihil expuatur, licèt causetur à distemperie cum materia; alia verò dicitur tussis humida, eò quòd in illa aliquid expuatur: inter causas autem tussis siccæ materiam aut nimis crassam, aut nimis tenuem adducunt Autores, eò quod cùm expulsio necessariò debeat fieri medio aëre si materia est nimia tenuis, humor dividitur, & in latera migrat: si nimis crassus, adhæret lateribus asperæ arteriæ, & sic nihil expuitur & tussis est sicca.

Sed advertere oportet aliquando per tussim expelli aliquid grandini simile, & lapidosum, quod causam calefacientem & exiccantem denotat in pulmone, ratione cujus quod est tenue in humore resolvitur, & crassum durius

dutius efficitur. Et licèt Gal. in hac curatione usus fuerit remediis calidis & siccis, non ideò taxandus est, quia non adhibuit hæc tanquam contraria causæ hujus morbi facientis concretionem, sed ut sua tenuitate lapillus concretus frangeretur, non aliter quàm in lapide renum, similibus medicamentis utuntur Autores.



DISPVTATIO XL.

De Peripneumonia.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Peripneumonia, & à quo humore fiat.

PEripneumonia est quidam affectus qui denominationem sumit à parte affecta, nempè à pulmone, ità ut inflammatio pulmonis peripneumonia, seu pulmonia dicatur. Ex quo planè constabit in quo consistat morbi essentia, & sub quo genere collocari debeat, & tandem quæ sit pars affecta. Ubi nota nomine inflammationis verum tumorem debere intelligi, & non phlogosim, seu ardorem, ut in Phrenitide *proprio cap.* diximus.

Sed dubium esse solet utrum peripneumonia possit fieri ab omni humore, & licèt aliquibus videatur non posse fieri à bile ob ejus tenuitatem, attentâ etiam substantiâ pulmonis quæ mollis, tenuis & laxa est, ac proindè bilis cùm humor subtilis sit, facilè fluit, ac proindè non potest facere moram sufficientem ut tumorem elevet; tamen nobis dicendum est quod etiam si frequenter ab humore pituitoso, & crasso fieri nos doceat Galenus, tamen posse optimè fieri à bilioso, ut ipse testatur, & ab sputo in hac affectione colligit fieri posse à bile, utpotè hæc per tussim evacuatur in peripneumonia. Prætereà quia quædam sunt species bilis quæ majorem crassitiem habent quàm sanguis biliosus, ut patet de bile vitellina, quæ ustione generatur ex flava. Sed qui negant fieri hunc affectum à bile, concedunt fieri à sanguine bilioso: ergo vel fieri ab utroque humore est concedendum, vel à nullo fieri. Hanc sententiam expressit Galenus pluribus in locis ubi affirmat pulmonem in hac affectione erysipelate laborare.

CAPVT II.

In quo explicantur modi quibus Peripneumonia generatur, & signa ipsius.

PEripneumonia dupliciter generari potest, vel præcedentibus aliis morbis, ut maximis fluxionibus, dolore pleuritico, anginâ, aut anhelationibus; cùm enim pulmo propter suam laxitatem, & spongiositatem facilè retineat, & recipiat; indè est quod plerumque prædictis morbis præcedentibus tanta in pulmonem fluat materia, ut tumor in ipso fiat, & febris excitetur, ac proindè peripneumonia. Etiam potest fieri per permutationem horum morborum, non ità ut simul maneant, sed quod cessantibus illis, in pulmonem fiat fluxio humoris, & tumorem elevet, & pulmonia fiat, permutato morbo alio in hanc affectionem, juxta quod dixit Hippocrat. 1. *aphorism. text.* 11. *A morbo laterali pulmonis inflammatio, malum.* Quod non debet intelligi quia malum sit eo quod anteà erat morbus tantùm lateralis, & jam peripneumonia, sed quia peripneumonia est acutior morbus, cujus causa vicinior est cordi, utpotè pulmo vicinior est. Similiter potest generari pulmonia non præcedente alio morbo ex eo quod per congestionem paulatinam fiat tumor, sicut in qualibet alia parte, ex eo quod plurimum alimenti attrahatur, & non possit totum converti in substantiam.

Sed dubitationem habet id quod insinuant communiter omnes, quare scilicèt frequentiùs pleuritis permutatur in pulmoniam, & pulmonia rarissimè permutatur in pleuritidem. Siquidem utriusque est eadem via, per quam materia potest communicari, tamen rationem reddit Galenus quare id contingat, nempè quia dum pulmo dilatatur attrahit à partibus circumvicinis, & à levibus arteriis: at verò quandò mediâ compressione expellit, non mittit ad easdem partes, sed per os & guttur expellit, ac proindè rarò in pleuram mittit materiam. Nos tamen huic rationi Galen. addimus aliam rationem, quæ sumitur ex natura pulmonis ad facilem receptionem, & ex debilitate facultatis expultricis ejus. Adde ad illam primam Galen. rationem quod os & guttur est commodior via ut tussi expellatur, id quod pulmoni molestat, ac proindè frequentiùs materia infestans pulmonem per os expellitur.

De signis est quod dicamus, & ea ponit Gal. *lib.* 4. *de locis*, nempè difficultas respirandi cui angustia & gravitas conjuncta est, febris acuta, & pulsus quandoque mollis, quandoque durus propter diversitatem causæ: nam si humor frigidus & humidus, mollis; si calidus & siccus, durus est pulsus. In hac affectione dolor est gravans, eò quòd substantia pulmonis sensu careat, ac proindè solùm

solùm membrana quæ substantiam pulmonis succingit sentit gravitatem & pondus, & sic modus doloris fit cum gravitate & pondere, ac per consequens gravans nuncupatur.

Denique alterius signi mentionem fecerunt Autores, nempè de rubedine maxillarum, quod ex eo est quia maxillæ carnosæ sunt, & raræ, ob quod faciliùs recipiunt quàm aliæ partes; & propter rectitudinem quam habent cum pulmone vapores calidi elevantur, & ruborem magnum faciunt, aliter quàm in febribus ardentibus; nam rubedo quam ut signum peripneumoniæ tradunt Autores, est similis illi quem vulgo vocant *planchas coloradas*.



DISPUTATIO XLI.

De Sanguinis sputo & rejectatione.



CAPUT PRIMUM.

Quid sit, & à quo procedat.

Licet sputum sanguinis possit procedere ex affectione plurium partium, tamen quia solet habere ortum ex quibusdam affectionibus pulmonis, in præsenti de hac affectione tractare decrevi. Et suppono primò distinctionem inter sputum & fluorem, quod sputum est expulsio in parva quantitate, fluor verò est expulsio in plurima quantitate: quo supposito sic sputum definitur, *Est expulsio parva & crebra sanguinis per os voluntarie facta.* Ubi adverte, quod dicitur parva, non quia per sputum non possit expelli plurima quantitas sanguinis absolutè, sed quia plurima quantitas nequit unico sputo pelli; sed à fortiori si per sputum pellitur, in parva quantitate debet fieri, licèt possit esse plurima per plures expuitiones. Dicitur etiam crebra, quia non fit sputum sanguinis morbosum semel tantùm unico die, ac proindè ut morbosum existimetur, cum aliqua crebritate fieri debet. Ubi adverte in præsenti non loqui de sputo sanguinis quod contingit dum quis laborat pleuritide, vel peripneumonia; sed de illo qui contingit citra hos morbos.

His præsuppositis, sputum est symptoma in excretis, quia elicitur id quod debebat retineri, sed antequam videamus à quo morbo procedat, scire oportet quot modis possit affici pars ut ex illa sanguis fluat. Et dicendum cum Galeno nobis est triplicitet, id posse contingere, vel per anastomosin, idest ex eo quod oscula vasorum aperiantur, vel per diapedesin, idest per transcolationem vasorum, vel per diæresin, idest per divisionem eorum; divisio autem vel potest fieri per ruptionem, vel per contusionem, vel per vulnerationem, vel tandem per erosionem. Hoc ergo supposito aliqui affirmarunt morbum à quo sputum sanguinis procedit esse in soluta unitate, solùm quod probant ex eo quod neque apertio vasorum, neque transcolatio potest fieri quin sit per solutionem continuitatis; ergo.

Nihilominùs dicimus non esse unum genus morbi id à quo sputum sanguinis procedit, sed quandoque esse in soluta continuitate, quandoque in vitiata cavitate. Quod facilè probatur: nam oscula vasorum nulla indicunt in se continuitatem naturalem: ergo in eorum apertione nulla continuitas solvitur, sed solum contiguitas; ergo tali vitio existente in vasorum osculis, erit sputum sanguinis quin præcedat solutio continuitatis. Idem patet in diapedesi: nam talis affectio fit per transcolationem vasorum, vel resudationem, quod per nimiam eorum raritatem contingit, sicuti & apertio osculorum vasorum fit, vel ob impetum sanguinis ad oscula, vel ob laxitatem, vel ob eorum imbecillitatem, vel alia hujus generis.

Ultimò quæres quæ actio sit læsa in sputo sanguinis, & dicimus quod vel sermo potest esse de illa actione mediâ quâ pelluntur sputum postquam exivit à vasis, & hæc est actio facultatis animalis motivæ quâ voluntariè pellitur sputum, vel potest esse sermo de illa actione quâ sanguis exit, à vasis, & hæc juxta Capivacium est actio læsa facultatis retentricis vasorum; vasa enim à sua natura habent facultatem retinendi, & sic videtur quod quando ab illis exit sanguis, sit actio ablata in retentrice eorum. Nobis tamen videtur etiam esse actionem læsam facultatis expultricis vasorum rejectationem sanguinis, non quidem quod necessariò simul retentrix & expultrix in hoc affectu necessariò lædantur, sed posse fieri vel per actionem ablatam retentricis vasorum, ut optimè Capivacius, vel per depravatam actionem facultatis expultricis; nam vitio sanguinis, sive in qualitate, sive in quantitate, eo solum quod pars irritetur expelli contingit, sed in eo casu non læditur retentrix; nam optimâ existente si fortior est expultrix, præstabit suum effectum etiam si retentrix majori conatu quo possit retineat; ergo optimè potest fieri rejectatio sanguinis per vitium cujuslibet ex dictis facultatibus.



CAPUT II.

De partibus undè solet expui sanguis, & de signis quæ illas ostendunt.

Certum est apud Autores sanguinem per os excerni ex pluribus partibus; nam aut ex capite per palatum descendit, aut ex ipso palato, & gingivis, aut ex faucibus, columella, aut œsophago, ventriculo, jecore, mesenterio, thorace, aspera pulmonis arteria; & ex ipsa pulmonis substantia.

Signa

Signa ergo quæ ostendunt quæ pars sit affecta ad quatuor reducuntur, scilicet ad modum excernendi, (sub quo etiam licèt intelligere si excretio fit cum dolore aut secùs) vel ex quantitate illius quod excernitur, aut ex substantia, & illo quod simul cum sanguine expellitur, aut tandem ex corporis dispositione, quantum ad modum quo excernitur. Primò dico quod si sanguis excernatur cum tussi, certum est pati aliquod instrumentum respirationis saltim per consensum; nam hoc ipso quod parte aliqua existente affectâ, ut jecur, vel lien, potest sursùm usque ad pectoris cavitatem mittere sanguinem, quo fit ut perveniat ad asperam arteriam, & tussi excernatur, ac proindè excretionem esse cum tussi; non significat affectionem per propriam passionem necessariò in aliquo ex membris, vel instrumentis respirationis, sed sufficit ut per consensum patiantur. Membra autem, vel instrumenta respirationis sunt aspera arteria, pulmo, thorax, septum transversum. Quando autem instrumentum aliquid respirationis patitur per consensum, cognoscetur ex pluribus conjecturis, ut si ex capite descendat in asperam arteriam, cognoscetur an primariò laboret caput ex rubedine faciei & ex consuetudine fluendi per nares; etsi per evacuationem illam sentitur in capite alleviatio alicujus ponderis & ex aliis pluribus quæ conjectari possunt, & idem judicium est faciendum si alia pars corporis primò affecta sit, servatis servandis.

Deindè in dubium est apud Autores quòd si simplici expulsione pellatur sanguis, exit ab ore; etsi excreatione, à faucibus; si verò per vomitum, ex ventriculo excerni certissimum; ità tamen ut excretio per vomitum non significet necessariò pati ventriculum per propriam passionem, sed per consensum, potest enim ex aliqua primò affecta mitti in ventriculum, & sic vomitu excerni, quin ipse per se patiatur, ut de excretione per tussim etiam notavimus: ubi adverte quod quando ex jecore, aut liene affecto sanguis fluit ad ventriculum, & per vomitum excernitur, tunc excretus sanguis est grumosus & niger.

Advertere tamen oportet ad cognitionem partium quæ afficiuntur ex modo quo excernitur sanguis; quod si pars affecta est aspera arteria, excretio fit cum minori tussi, ac si esset pars affecta pulmo, & adhuc cùm majori tussi fit excretio, si fiat affectio in ipso thorace, quàm in pulmone. Ratio est quia expulsio fit mediis musculis thoracis, medio aëre, quo fit ut quantò distantia sit major à quo pellitur, tantò cum majori difficultate fiat tussis, ac proindè major quando afficitur thorax, eò quod sanguis est in tepidiori loco, & sic concrescit, & difficiliori pellitur modo. Etiam difficiliori modo pellitur si afficiatur ipsa substantia pulmonis, quàm si fiat affectio in vasis ipsius; nam difficiliùs permeat sanguis per oscula asperarum arteriarum. Ex quo deducitur ut qui laborant ulcere pulmonis, aliquando non habeant sputum sanguinis; nam propter distantiam carnis pulmonis ab aspera arteria coit in grumos, & sic non potest traoscolari.

Etiam partem affectam colligimus ex modo doloris, aut si fiat sine illo; nam si absit dolor, pulmonem affici significat, utpotè cùm careat sensu, dolore etiam caret; & si aliquis sentitur, est remissus, & non ratione sui, sed ratione membranarum cum quibus circumvolvitur. Aliud signum solet sumi ex qualitate ipsius sanguinis ad cognoscendam partem affectam, nam si fiat expulsio sanguinis, pauci, nigri, & grumosi, fit ex thorace tanquam parte affecta, ità ut licèt thorax pars admodùm calida sit, nihilominùs cum sanguis extravasatur, non est agens intra cavitatem thoracis tantæ activitatis ac erat intra venas valens fundere & liquare, & sic in grumos reducitur, & concrescit, licèt non sit agens exuperans in frigiditate, sed minus calidum, quod patet in plumbo, & aliis metallis; nam juxta ignem liquantur, & separata concrescunt, & tamen tunc non habent frigiditatem excedentem; cùm si tangantur comburant: ergo sic in sanguine contingere debemus dicere.

Adverte tamen quod cùm sanguis extra vasa sit minùs calidus quàm intra, ac proindè adquirat aliquid frigiditatis à quo fit concretio, poterat esse dubium an talis frigiditas sit naturalis, & affirmativè respondeo; nam intra vasa sanguis ratione spirituum adquirit majorem calorem quàm ex sua natura expostulabat. Prætérquam quod etiamsi concretio non fieret ab illo minori calore non valente liquare, poterit ratione loci in quo est, adquirere majorem frigiditatem quàm ex sua natura postulabat, & sic ab illo concrescere.

Deindè si sanguis qui expuitur sit spumosus, signum est procedere ex pulmone, hoc est ex ipsius carne, nam ex venis non excernitur spumosus. Ubi adverte per sanguinem spumosum nos non intelligere sanguinem aliquâ spumâ commixtum; hic enim cùm fiat ex aërea & flatuosa substantia, motu aut calore tanquam efficienti à qualibet parte sanguis hoc modo spumosus potest pelli. Quando ergo dicimus sputum sanguinis spumosum denotare carnem pulmonis esse affectam, loquimur de sanguine qui est totus quasi spuma, sumptâ similitudine ab ipso pulmone à quo sub illa forma & similitudine elaboratur, ipso pulmone in sanguine agente.

Sed dubium potest esse quare ex thorace niger exeat sanguis, & respondeo ex alteratione ibi facta reddi prætetoatutam, & sic adquirere illum colorem.

Ex quantitate sanguinis etiam sumitur indicium ad partis affectæ cognitionem; nàm si sit in magna quantitate, ex pulmone fieri significat, ob ejus tenuitatem, & sic exiguo orificio exit plusquàm ex aliis partibus; cum hoc tamen bene stat ut etiamsi expellatur in parva quantitate possit affici pulmo, quia causa disrumpens potest esse imbecillis, vel corrosio in substantia pulmonis parva, & sic parva erit excretio.

Tertium signum sumebatur ex ipso modo substantiæ sanguinis & ex aliquo quod cum illo sanguine erat permixtum.

Quartum denique erat dispositio corporis præsens, aut præterita, sed quia de his nihil difficile nec scitu dignum tradunt Aute-

res, nihil de illo agit Petr. Garcia. Solum unicum dubium tangit, an scilicet ex signis à nobis *suprà* traditis possimus certò colligere aliquod instrumentum respirationis esse affectum per propriam passionem, & non per consensum: Et videtur quod non, hancque sententiam amplectimur; nam neque ex eo quod vomitu ejiciatur, neque tussi, ut diximus: nam communicatâ causâ ab alia parte in ventriculum, & in asperam arteriam, hoc fiet sine dubio; ergo ex hoc solùm sequitur laborare has partes per consensum; & non per primam passionem. Deindè excretum esse grumosum & nigrum non denotat thoracem laborare primariò; nam ex eo quod ab alia parte mittatur in cavitatem thoracis grumosus reddetur ex actione illius & niger, & expulsio fiet talis, non ergo videtur esse aliquod signum certò significans aliquod instrumentum respirationis laborare per propriam passionem, dum sanguis expuitur; solùm poterat esse dum excernitur spumosum in sensu *suprà* dicto, significare substantiam pulmonis laborare per se, quia nulla alia pars generat sanguinem spumosum nisi pulmo.

CAPVT III.

In quo quædam quæ ad prognosticum spectant in hoc morbo, explicantur.

CUM dictum sit *suprà* sputum sanguinis procedere aut ex apertione osculorũ, aut disruptione eorũ, aut ex corrosione, in præsenti oportet aliquid tractare de his quæ spectant ad prognosticum. Et primũ est quod quando sputum sanguinis procedit ex apertione osculorum venarum, hinc est minùs periculosa & minùs mala, quia sine dolore fit, & quia hujusmodi vitium facilè emendatur, utpotè fit sine febre & sine inflammatione. Sed huic doctrinæ videtur contrariari Hipp. *lib. 4 aph. text. 27.* ubi ait *Sanguinem suprà ferri, qualiscumque fuerit, malum.* Aliqui explicant illud verbum *suprà*, idest, per os, malum. Gentilis explicatio est quod sententia Hippocr. est vera non semper, sed utplurimum esse lethalem, & præcipuè est pessima excretio sanguinis per os, si procedat ex corrosione, quia significat acrem, & mordacem humorem, ad quem est longum tempus necessarium ob ejus malitiam; aliter enim parvo tempore emendari nequit. Deindè excretio sanguinis quæ fit ex ruptura deterior est illâ quæ fit ex apertione osculorum, & minùs quàm quæ ex corrosione procedit; nam potest esse timor ex abundantia illius quod excernitur, licèt aliàs possit prodesse alicui suppressæ evacuationi.

Quando autem ex pulmone elicitur sanguis, duo debemus timere, & superfluitatem excretionis, & ulcus imminens, ità ut si non cesset excretio, significet solutionem continuitatis perseverare; si autem hoc cum febre conjungatur, pessimum est, quod significavit Hipp. 7. *aphor. text. 25.* ubi ait, *Ex sanguinis sputo puris sputum malum.* Etiam periculosum est si accedant febres, nam partem inflammatione affici est existimandum; inflammatio enim non solùm impedit curationem ulceris, sed facit quod ibi putrescat sanguis, & sic corrosio fiat major.

DISPVTATIO XLII.

De Phthisi.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Phthisis, & sub quo morborum genere contineatur.


ICET varias phthisis aut rabis acceptiones communiter enumerent Autores, oportuit in præsenti eis relictis illam solam enumerare quæ propriè phthisis dicitur à Gal. & talis dicitur quando ex ulcere in carnositate pulmonis sputum elicitur purulentum cum febre continua, & extenuatione totius corporis. Sed dubium est an etiam dicitur phthisis si ulcus sit in thorace, vel in canna pulmonis. Et videtur exquisitam phthisim talem appellari posse, nam posito ulcere in thorace, vel in canna pulmonis, sequentur omnia signa pathognomonica quæ repetiuntur in phthisi ex ulcere in carne pulmonis; nam & esset sputum purulentum, & febris continua, & extenuatio in toto corpore ob easdem rationes, ac in phthisi enumerata à Galeno; ergo dicentur verè phthisis exquisitè etiamsi ulcus non sit in carne pulmonis. Sed si stemus doctrinæ Galen. & communi Medicorum consensui, sola exquisita phthisis est quæ ex ulcere in carne pulmonis originatur, & quia omnes hanc solam phthisim rigorosam consueverunt nominare, & quia Galenus dum sermonem instituit de phthisi, dixit sequi ad pulmonis ulcera insanabilia: cùm autem ulcera carnis pulmonis sint difficulter sanabilia, secùs ulcera thoracis & cannæ pulmonis, hinc est illam solam phthisim rigorosam esse nominandam, totum quod quæstionem de nomine esse censeo.

Secundum quod inquirit quæstio est, sub quo genere morborum contineatur, & aliquibus visum fuit esse morbũ compositum ex soluta unitate ex carnis amissione, utpotè viscus illud phthisis corrosione fit, hæc autem nequit intelligi sine carnis amissione. Sed hoc videtur falsum quantum ad carnis amissionem; nam licèt quando fit ulcus ex corrosione sit verum, tamen undè probant isti semper fieri corrosione, nam optimè caro pulmonis potest putrefieri, & tunc non erit defectus carnis, sed solutio continuitatis, & distemperies aliqua antequam pus fiat; similiter potuit rumpi non solùm vas pulmonis, sed etiam ipsa caro, & ex hoc vulnere fieri ulcus genitu pure, in quo eventu nullus erit defe-

ctus carnis, sed solùm solutio continuitatis, & aliqua distemperies quæ faciat pus: ergo phthisis non est morbus compositus ex soluta unitate,& ex defectu carnis. Præterea quia in vulnere solùm est solutio continuitatis quæ solùm in defectu unius indivisibilis consistit, ergo non est necesse carnem deficere. Certum ergo ex dictis manet phthisim non esse necessariò morbum compositum, cùm possit quandoque reperiri sine amissione carnis.

Cùm autem in phthisi maneat aliud symptoma, nempè extenuatio in toto corpore, defectu nostræ substantiæ,dicendum est quod si hæc macies & extenuatio ad eum excessum pervenerit, ut lædat peculiariter actiones, habere rationem morbi in magnitudine diminuta, secùs erit symptoma tertij generis, scilicet in his quæ excernuntur præternaturam, morbus autem à quo procedit, est calor febrilis qui ibi adest. Sed adverte in extennatione & posse considerari substantiam remanentem, & secundum hanc dicitur morbus in magnitudine diminuta, & potest considerari substantiam resolutam, & secundum hanc dicitur symptoma in his quæ excernuntur. Tandem nota phthisim esse morbum contagiosum, quia vapor inspiratus à phthisico, potest ab alio inspirari, imò in vestimento potest servari, undè infectio sequi potest.

CAPUT II.

In quo diversæ occasiones tabis continentur.

Licet tabes magis pateat quàm phthisis propria, oportuit in præsenti diversas occasiones incidendi in tabem detegere,ut generalibus præceptis instructi, ad particularia faciliter descendamus. Igitur ad rem devenieodo, Hipp. *lib. de internis affect. pag.6.* tres species tabis enumeravit. Prima quidem fieri à pituita ait, eò quod putrefcat in cerebro, descendátque in pulmonem, & exulcerationem & corrosionem faciat, & hæc communiter contingere solet, & propria phthisis dicitur. Secunda species enumerata ab Hipp. est ea quæ fit à labore, eò quod nimis resolvatur & extenuetur corpus ratione laboris, & in hac non fecit mentionem de causa exulcerante. Tertia species fit quando spinalis medulla repletur sanguine, nam in tali casu non communicatur ab ea in partes inferiores virtus sufficiens ratione obstructionis; quo fit ut in maciem & extenuationem incidant ægri.

Alios tres modos incidendi in tabem communiter adducunt Autores: nam aut à cerebro in pulmonem descendit humor, ut diximus, aut præcedente anginâ seu pulmoniâ, aut morbo laterali, an tertio modo ruptione alicujus vasis, aut corrosione facta.

Possumus, ut dixi, incidere in tabem eò quod à cerebro in pulmonem communicatur putrida materia corrodens & exulcerans, quod licèt sit verum, etiam similiter est verum posse à cerebro communicari humor ad spinalem medullam, seu ad dorsùm, in quo casu etiam in tabem incidunt ægroti. Ratio autem est quia ab spinali medulla in plutimas partes communicatur virtus ad sensum & motum; & licèt defectus hujus virtutis nihil faciat, ut lædatur nutritio partium inferiorum necessariò, nihilominùs cùm aliquod membrum privatur motu & exercitio,excrementa redundantia ex nutritione non resolvuntur, ac proindè valent vitiare proptium efficiens & membrum extenuatur, ut contingit in membro paralysi affecto ob eandem rationem, & sic defectus communicationis virtutis animalis per accidens est causa extenuationis, ut dictum habemus. Alij alteram reddunt rationem, quia scilicet fluente humorè ad spinalem medullam patitur plures dolores, ex quibus fit corporis extenuatio ob resolutionem.

Similiter potest quis incidere in tabem ex eò quod pulmo laboret calidâ & siccâ distemperie, eò quòd cùm aër ingreditur ad cor, priùs per pulmonem, si hic calidâ & siccâ distemperie afficitur, incalescit magis, & exiccabitur, quo fit ut cor patiatur similem affectum,& per consequens toti corpori communicetur, & sic extenuatio fiat. Etiam aliam speciem tabis enumerant Autores,scilicet coxatia, quæ potest esse particularis ratione propriæ partis, similiter & cruris, eò quòd ab humore ibi existente corrumpatur alimentum, neque aptum fit ad nutritionem. Aliam deindè tabem vocant asthmaticam, ex abundantia crassorum humorum in ramis asperæ arteriæ,eò quòd non sufficiens aër attrahatur ad attemperationem cordis, & sic opus est ut immodicè calefiat, & sic totum corpus extenuetur, intemperato per calorem calescente corde. Deindè ex ulcere renum & ex suppressione hæmorrhoidarum, & ex suppressione menstrua potest humor fluere in pulmonem, eúmque exulcerare, & phthisim facere, & non minùs substantia pulmonis potest putrefieri intempetie calidâ & humidâ laborante sine materia, in quo casu erit vera phthisis, sicut etiam ex suppuratione contingit verâ. Et ratio est quia detento pore in pulmone, necesse est corrosionem pati & sic ulcus, juxta illud Hip. *lib. 5. aphoris. text. 15. Quicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur, à die quâ fit ruptio, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt.* Ex quo adverte non omnes suppuratos fieri phthisicos etiamsi pus effundatur in cavitate thoracis; nam ut advertit Hip. intra spatium quadraginta dierum potest adquirere acrimoniam quæ valeat exulcerationem facere.

Tandem potest aliquis in tabem incidere ex decidentia cartilaginis mucronatæ, quæ est juxta ventriculum ubi finitur pectus, & ex decidentia alterius cartilaginis in qua finitur spina ad caudam, quæ vulgus appellat *(colilla caida)* eò quod vitiatis istis partibus, ventriculo, aut jecori vitiati aliquid communicatur vitiana alimentum, quod ineptum fit nutritioni partium,& sic fit extenuatio;alimentum enim in his partibus potest vitiari eò quod cavitas earum fit vitiata.

CAPUT

CAPUT III.

De Signis phthisis.

SIGNA pathognomonica phthisis quæ communiter enumerantur sunt tussis, sputum purulentum seu cruentum, febris lenta, sive exigua cum totius corporis extenuatione: potest autem contingere ut sit vera phthisis, quin de facto sit sputitio purulenta, eò quod nimis incrassetur aut attenuetur materia, aut ob debilitatem facultatis, quod non tollit, quin sit signum pathognomonicum phthisis; nam si deficit, est quia ab alia potentiori causa impeditur, ut aliqua ex dictis.

Sed dices contra assertionem: In empyematicis, sive suppuratis sunt omnia dicta signa pathognomonica phthisis: ergo non sunt propria phthisis: Antecedens constat: nam hoc ipso quod materia suppuratur in thorace, est tussis, expuitio purulenta, est similiter febris lenta, à qua extenuatio oritur: ergo sunt omnia.

Respondetur hoc verum esse, tamen empyematici ultra hæc signa addunt aliquid, nempè fluctuatio materiæ quæ in phthisicis non est, ac proindè sufficienter separantur hi affectus, licèt signa essentialia unius ingrediantur in symptomate alterius.

Secundò contra nostram sententiam dices: experientiâ constat ex destillatione à capite mutari humorem in pus in thorace, & sic adesse omnia illa tradita signa, absque eo quod sit vera phthisis. Huic objectioni respondet Garcia his solis signis non distingui hos duos affectus sufficienter, sed solùm deberi distingui ex conjectura quadam facta ex præcedentibus, aut aliis quæ ex fluxione à capite solent repetiri.

Nobis videtur illum humorem descendentem à capite non posse facere extenuationem & febrem quin priùs faciat ulcus, ac proindè erit phthisis. Sed nota quod ex causis complicatis possunt esse omnia signa essentialia phthisis, tamen tunc non erit phthisis: sed affectionum complicatio, ut si excitaretur febris hectica, & cum illa complicaretur destillatio à capite in thoracem.

Advertere etiam oportet sputum in phthisicis non semper esse purulentum, sed aliquando cruentum, etiam quod evenit ex eo quod ulcus sit in vasis pulmonis, in quo casu cruentum & sanguineum erit: si verò ulcus sit in carne pulmonis erit purulentum. Nec hoc contrariatur Gal. dicente ex ulcere pulmonis sanguinem excerni spumosum, ac proindè non semper purulentum: nam facillimè solvitur eò quod licèt cum purulento misceatur aliquid sanguinis, nihil reputatur comparatione ad sanguinem qui excernitur, existente ulcere in vasis. Et idem est de sanguine qui excernitur existente ulcere in vasis; nam licèt aliquid purulenti habeat, est in parva quantitate, & sic tota excretio cruenta reputatur.

Unum ex signis essentialibus est febris lenta de qua quæritur, an necessariò sit hectica; circa quod communis consensus est esse hecticam: nam verè phthisici ex ulcere pulmonis ex Galeno verè tabidi sunt: sed tabidi laborant febre hecticâ, ergo & phthisici. Nos tamen dicimus quod, vel sermo est si potest in principio esse phthisis sine febre hectica; & videtur quod sic, nam ulcere parvo existente in pulmone, non est necessarium statim communicari calorem in facto in corde, licèt verum sit quod posteà procedente affectu hectica febris fiat propter vicinitatem cum corde. Cum hoc tamen verum est extenuationem illam in toto corpore posse fieri à calore colliquante, & non esse necessarium semper fieri à febre hectica.

Sed quæres quo pacto fiat hæc febris in phthisicis, & dicunus ideò contingere quia aër qui transit per pulmonem ad refrigerium cordis plus calefit ab affectione pulmonis, & sic cor non refrigeratur, quod sufficit ut à calore fuliginum accendatur, & fiat febris. Præterea quia etiam elevantur vapores ex pure qui fit in pulmone, vapores autem cor calefaciunt præternaturam.

Undè advertas, quæso, quòd si phthisis fiat ex putrefactione in pulmonis carne, tunc reducatur ad febrem in continentibus; illa verò quæ fit in principio phthisis ex pure reducatur ad aliud membrum, scilicet in contentis usque dum progressu temporis fiat hectica, communicato calore in facto cordi. Unde etiam fit semper præcedere in phthisicis hanc febrem febri hecticæ; nam priùs est esse calorem in facto in pure quàm in corde, ex quo etiam pati esse in phthisicis complicationem duplicis febris, eò quod sit calor in facto in corde, & in pure, ob quod continget aliquantulum crescere febrem penes eo quod ex pure eleventur vapores calidiores in uno tempore quàm in alio, & sic aliquod incrementum febris fit, ità tamen, ut cessante pure etiam remaneret febris altera hectica per calorem in facto cordis, sicut in principio est calor in facto in pure & posteà in corde.

Ultimò quæres, utrum permanente ulcere pulmonis possit quis non solùm carere sputo, sed etiam febre, & respondeo affirmativè; nam ex eo quod inducatur crusta in ipso ulcere, non erit sputitio. Deinde remediis frigidis & humidis perveniet corpus ad infebricitationem, ex eo quod cùm in ulcere sit crusta, aër qui per pulmones transit, non calefiet, & sic non erit causa fovens distemperiem cordis, ac proindè manente ulcere pulmonis, neque erit sputum, neque febris, licèt ab occasione qualibet quandoque & passim auferatur crusta, & iterum ægroti spuant cruentum & febricitent, ut passim expertus est Galenus.

CAPUT

CAPVT IV.

An ulcera pulmonis sint insanabilia, & in difficultate curationis superent, quæ sunt in thorace.

VLCERA pulmonis quæ juxta Galeni doctrinam in principiis phthisicorum reperiuntur, insanabilia dicuntur ab ipso, non quia ipse sensisset impossibilem esse curationem earum (contrarium enim constat ex ipso in aliquibus historiis in quibus fatetur aliquos phthisicos liberatos fuisse,) sed quia difficillimam esse censet, primò quia ut ulcera curentur, conglutinari debent; constat autem ad conglutinationem quietem esse necessariam, quam esse impossibilem in pulmone constat ex necessitate respirationis.

Secundò etiam, quia cùm in his fit tussis, fit major dilaceratio in ulcere ob vehementiorem motum, vel ob aërem ingredientem majori violentia. Nam potest aliquis dicere tussim fieri per magnam compressionem thoracis, per hanc autem potiùs fieri in ulcere pulmonis conglutinationem, & sic ad violentiam aëris debemus recurrere.

Tertiò est difficillima curatio, eò quod medicamenta quæ possunt applicari transeunt per longum spatium, & sic eorum vires franguntur. Deindè quia ex motu fit major dolor ratione cujus est major attractio, & sic difficilioris conditionis redditur ulcus.

Quartò quia vel medicamenta sunt frigida, & hæc non possunt penetrare partem nisi tardissimè, vel sunt calida, & hæc nocent febri, sicut si sunt sicca: si autem humida, nimis laxant, & impediunt conglutinationem: videtur ergo omni ex parte difficillima, licèt non impossibilis curatio: nam cùm respiratio sit voluntaria, potest fieri sensim, & sic parvus erit motus pulmonis, quo habet locum curatio, licèt difficilis existat.

Ultimum quod inquirebat quæstio, est quæ ulcera habent difficiliorem curationem, ulcera pulmonis, an thoracis; & videntur æquè militare de utrisque rationes *suprà* traditæ pro ulceribus pulmonis: sed reverà ulcera pulmonis sunt difficiliora, absolutè loquendo, & cæteris paribus, eò quod substantia pulmonis sit magis rara, & sic facilè recipiat, ac proindè debiliori constet facultate quàm substantia ipsa thoracis; & constat etiam quia per tussim non fit dilaceratio in ulceribus thoracis eò quod hæc, ut diximus, fit ab aëre ingrediente cum majori violentia; qui quidem non tangit thoracem, sed pulmonem.

DISPVTATIO XLIII.

De affectu quem passus est Antipater Medicus.

CAPUT UNICUM.

Quisnam fuerit ille affectus.



ALENUS *lib. 4. de locis, cap. ultimo*, enarrat historiam circa affectum quem passus est Antipater Medicus; asserit enim se tetigisse ejus pulsum, in eòque invenisse tam inæqualitatem collectivam seu in pluribus pulsationibus, quàm simplicem, seu in unica pulsatione, sine febre & sine difficultate respirandi: Interrogatus quo affectu laborabat, respondit Gal. pati obstructionem, seu angustiā in lævibus pulmonis arteriis, vel à crassis humoribus, vel à crudo tuberculo; neque laborabat suspiriosâ orthopnœa quia hæc est in asperis arteriis pulmonis. Iussit verò Gal. curari eisdem medicamentis quibus asthmatici curari solent, & transacto spatio sex mensium, difficultate respirandi & palpitatione cordis mortuum fuisse affirmat. Ex quo colligimus morbū à quo corripiebatur esse in cōpositione, in cavitate vitiata scilicet, & partē affectam læves arterias pulmonis; causas autem duas recenset Gal. scilicet & humores crassi, & crudū tuberculū, quia frequentiores, non quia ab aliis humoribus, & à vaporibus crassis hujusmodi obstructio fieri non possit. Si autem doctrinæ Gal. attendamus, non cōstat certò quæ sit causa ex illis duabus assignatis ab eo, quæ affectū Antipatris Medici causaret, & sic quod possumus colligere ex verbis ipsius est, prædictū affectum causari ab humoribus crassis obstruentibus, & angustiā facientibus in arteriis pulmonis; nā propositā illâ duplici causâ, nēpè crasso humore, & tuberculo, ità refert tunc ille respondens. *Oportuisset, inquit, me anhelosâ ortophnœa laborare: probabiliter dixi ipsum loqui, sed nondum verè, quippè cùm ab hujusmodi causa ortophnœa fiat, humore crasso & lento non in lævibus arteriis, sed in aspera arteria collecto.* Ex quibus verbis colligitur apertè crassum humorem in Antipatro Medico in lævibus arteriis extitisse.

Sed apparet difficile in Antipatro nullam esse læsionem in respiratione; nā arteriæ læves pulmonis sive venales, sunt deservientes ad attemperationē cordis, utpotè deferunt aërē ad cor: ergo existente in eis obstructione non ingrederetur aër sufficiens pro cordis attēperatione, & sic usus augeretur, & necessariò læderetur respiratio si tali affectu laborabat. Sed juxta nostrā doctrinam certum est posse esse angustiam dictam in lævibus arteriis & non esse difficilē respirationē, quia licèt aër ingrediatur in minori quantitate, sufficiens tamē est pro augmento caloris, & sic non est difficilis, & sic poterat responderi in illo casu angustiam in regione cordis sentiri, non in respiratione usquedum impedimentum magis augeatur quàm pro communi angustia.



DISPVTATIO XLIV.

De Empyemate.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Empyema, & in quo genere morborum continetur.



Primo quod inquirit dubium incipientes dicimus propriè empyematicos dici qui intra cavitatem thoracis continent pus, & sic empyema *Est pus contentum intra cavitatem thoracis*, quod constat ex Hippoc, & Galen. pluribus in locis ubi hoc expressè affirmant.

Oportet tamen explicare quis morbus sit, & aliqui cum distinctione loquuntur: nam si sumatur impropriè empyema pro mutatione humoris facientis inflammationem inpus; tunc dicunt esse morbum in quantitate aucta: si verò sumatur empyema rigorosè pro pure contento in cavitate thoracis, dicunt esse morbum in numero aucto toto genere contra naturam, ad quod non est necesse quod id quod additur sit pars propria, sicut ad hoc ut sit morbus in quantitate aucta est necesse quod addatur pars quantitatis, sed sufficit quantitatem præxistentem extendi ad ulteriorem locum.

Sed nobis dicendum est juxta communem consensum, pus contentum in cavitate thoracis non facere morbum in numero aucto; nam non videtur quæ actio ibi lædatur ob solum numerum auctum, & sic solùm facere pus morbum in cavitate vitiata obstruendo cavitatem thoracis, à quo actio fit læsa manifesta, nempè motus thoracis quoad compressionem læditur, utpotè impeditur compressio, ità ut non adquirat thorax terminum naturalem ob pus contentum impediens adquisitionem termini naturalis compressionis thoracis.

CAPVT II.

An ex pituita & quovis alio humore generetur verum pus.

CIRCA præsens dubium omissis his quæ ad præsentem institutum non pertinent, videtur pus non posse fieri ab aliis humoribus præter sanguinem quartum humorem, quia pus fit à calore & humiditate; nam medicamenta suppurantia calida & humida debent esse; undè fit quod humor melancholicus non possit esse materia ex qua fit pus utpotè frigidus & siccus, neque humor biliosus, quia licèt calidus sit, nihilominùs ratione siccitatis contraristur qualitatibus facientibus pus, & deindè propter tenuitatem conjunctam cum calore excedenti deflatur & resolvitur; nec humor pituitosus, quia licèt propter humiditatem sit aptus, propter frigiditatem est ineptus, non ergo videtur possibile ex aliis humoribus præter sanguinem quartum humorem fieri pus, & quantum attinet ad bilem, tenet Valles. *lib. 4. de morb. vulg. comm. 41.*

Nobis tamen dicendum est verum pus (& non per similitudinem solùm, ut aliqui dixerunt) posse fieri ex quolibet humore immediatè; nam inprimis non est ratio neque experimentum quod probet à solo sanguine, & non ab aliis humoribus fieri; nam quod dicunt Autores de dissimilitudine primarum qualitatum reperta in tribus humoribus, non probat ex illis non fieri, sed tantùm difficiliùs fieri, quàm ex sanguine quarto humore, ob quod asserit Philosophus, faciliùs converti elementa symbola quàm dysymbola, non quod dysymbola non convertantur, ac proindè dicta dissimilitudo non arguit repugnantiam, sed difficultatem. Deindè quia sedimentum, appendiculum & nebula quæ in urinis reperiuntur proportione respondent pari; sed illa tria ex omnibus humoribus fiunt, ergo similiter potest fieri pus verum ex omnibus, neque valebit si dicas pus solùm habere aliquam proportionem cum sedimento, distingui tamen ab eo magnoperè penes majus pondus & alia, licet conveniat cum eo in accidentibus communibus, ut inesse album, læve & æquale, ac proindè etiamsi sedimentum fiat ex omnibus humoribus, non idem probatur de pure. Tamen non est undè constet talis diversitas in his substantiis; nam ab eodem instrumento fiunt, nempè à parte solida sive seminali, & medio eodem instrumento, nempè calore, & ex eadem materia; nam utraque substantia potest fieri ex sanguine, non ergo est ratio cur distinguantur. Deindè in probabiliori opinione affirmantium omnes humores immediatè nutrire, sic insurgo: nam possunt putrefieri; sed in tali casu non est unde repugnet actio media naturæ quâ intendat eos in se convertere (sive dicatur coctio, sive non, quod non est hujus loci) & ob eorum ineptitudinem formam mediam adquirant sedimenti; ergo ex illis omnibus potest fieri immediatè.

CAPUT III.

An ea quæ continentur intra thoracem possint aliter quàm tussi expurgari.

CERTUM imprimis est ea quæ continentur intra thoracem per os expurgari mediâ tussi, quia familiaris valde via, ampla & commoda pro hujuscemodi excretione est, sed dubium est quomodò pus existens in cavitate thoracis tussi expellatur. Et circa hanc rem Andreas Laurentius affirmavit pulmonem dilatatione sua trahere ad se pus contentum in thorace & compressione illud pellere usque ad asperam arteriam, & sic tussi pellitur: sed hoc non est verum, quia cùm dilatatur pulmo, potiùs attrahit aërem per aliā

viam

viam expeditiorem: ergo ratione vacui non est cur attrahat pus existens in cavitate. Et sic nos dicimus per compressionem thoracis pus pelli in pulmonem & in asperam atteriam, & sic hoc modo excitari tussim. In præsenti ergo dubium procedit utrum supposito quod dicta via sit conveniens naturæ & valde familiaris ad prædictam evacuationem sit alia via (non occulta, nam de hac non erat dubitandum esse, præsertim ex Hip. 7. *aph. text.* 54. ubi ait, naturam quandoq; per ossa mittere humorem, & fieri abcessum) manifesta & patens: Et affirmativam partem ferè omnes antiqui & recentiores tuentur, quamplurimis in locis in quibus expresse fatentur materiam contentam in cavitate thoracis excerni pluries per urinam, & per intestina, aut alvũ, & præcipuè constat ex Hip. *in coacis prænotionibus lib. 6. sect. 2. text. 4.* ubi ait, *Suppuratis à pulmone pus per ventrem secedere, lethale.* Quibus verbis expresse fatetur pus occupans cavitatem thoracis posse expurgari per aliam viam manifestam citra os. Viæ autem per quas transit pus usque ad alvum & vesicam, sunt arteriæ læves pulmonis, mediis quibus transit etiam per latus, vel sinum sinistrum cordis, & posteà descendat usque ad intestina per venam cavam per quam trahit, & cor sanguinem sui ad nutritionem, & licèt hujusmodi arteriæ sint plenæ spiritibus & sanguine, optimè potest facultas expultrix pellere nocivum, scilicet pus, etiamsi sit mixtum cum optimo sanguine, & facultas retentiva retinere quod est optimum, ut contingit in febribus ardentibus, quæ solent terminari per ictericiam; nam licèt humor biliosus sit permixtus cum sanguine, natura ipsum tantùm pellit ad partes externas retinendo reliquum sanguinem. Neque ex eo quod transeat per cor, pus causat syncopem in corde, aut aliud grave symptoma, eò quod & quia brevi tempore existit in corde & paulatim, & sic exiguam in eo mutationem facere potest; neque enim quælibet putredo, aut vapor sufficiunt, etiamsi communicentur cordi ad causanda in eo talia accidentia, ut in febribus putridis constat, in quibus vapores putridi cordi communicantur, sed oportet ut ità fiat ut pravâ qualitate inficiunt cor, & non paulatim sed confertim.

CAPVT IV.

Qualis febris sit illa quæ in verè suppuratis reperitur.



Rò intelligentia quæstionis supponere oportet in præsenti solùm esse sermonem de febre quæ in suppuratis seu in empyematicis est, vi talis affectûs, non de ea quæ potest sequi, hac vel illâ causâ existente complicatâ, vel de ea quæ potest accidere si à calore in facto existente in ipso pure inducatur, calor etiam in facto in spiritibus, vel in humoribus, vel in partibus solidis; nam certum est juxta diversitatem substantiæ habentis calorem in facto, excitari diversam febrem complicatam cum illa quæ ex vi talis affectûs in suppuratis necessariò evenit: quæstio ergo præsens de hac procedit, quæ scilicet necessariò sit an hectica, putridáne, vel diaria.

Circa quod dicimus primò hujusmodi febrem dici hecticam à pluribus, quia sine manifestis incrementis reperitur, & quia habitualis: sed falsò, nam hectica propria debet dici quæ habet calorem in facto in partibus solidis, hoc est independentem à qualibet alia causa; sed constat in suppuratis pluries cessare febrem pure solùm evacuato; ergo calor febrilis non erat in facto tunc in partibus solidis, sed solùm in pure, ac proindè in hac affectione, non est febris hectica necessariò vi hujus affectûs, præsertim cùm ab una, vel duabus horis ab assumpto cibo, non magis incalescant hoc affectu laborantes.

Neque prædicta febris est putrida, (ut alij affirmarunt, quia pendet ex putredine puris, fuliginibus deductis ad cor) probatur primò quia in hac non est calor in facto in aliquo ex quatuor humoribus: secundò quia febris suppuratorum caret quatuor temporibus morborum, quod non contingeret si esset putrida. Denique quia quælibet febris putrida quæ non est continens, habet determinatos circuitus & repetentias, quibus caret febris propria empyematicorum: ergo.

Alij denique sine fundamento affirmarunt prædictam febrem esse diariam. Nos tamen dicimus febrem suppuratorum necessariò neque esse putridam, neque diariam, neq; hecticam, sed contineri sub illa divisione quã fecit Hip. in contentis, continentibus, & impetum facientibus. Et ex his *sub contentis* necessariò continetur, cum id quod habet calorẽ in facto, neq; sit humor, neq; spiritus, neque pars solida, sed altera substantia ut pus in se fovens calorem in facto; nam contentum non se habet ad cõvertentiã cum humore, ac proindè illa febris necessariò est in contentis; cum hoc tamen optimè stat ut ex hac causa habente calorem in facto in dies possit fieri hectica, communicato calore in facto ab illa in partes solidas, in quo casu erit complicatio harum febrium sicut si communicetur calor humoribus, vel spiritibus in facto, erit etiam complicatio. Undè hujusmodi febris propria suppuratorum accidentalis & symptomatica potest nominari, sicut illa quæ oritur ex bubone, quia sicut quæ nascitur ex bubone aufertur illo ablato, neque indigeat novâ curatione, ità illa propria suppuratorum, aufertur expulso pure, neque indiget aliâ novâ curatione.

DISPVTATIO XLV.

De Plevritide.

CAPVT PRIMVM.

De appellatione Plevritidis, & de ejus deffinitione.

T promissis stemus, & suo ordine satisfaciamus ad id quod inquirit quæstio, primò certum est plevritidem sumere denominationem à parte affecta in hoc morbo, scilicet à plevra, seu velamine

ſuccingente coſtas: quod teſtatur Hip. pluribus in locis in quibus variis affectionibus impoſuit varia nomina tum propter partis affectæ denominationem, tum etiam propter ſuam cauſam.

Secundò certum eſt plevritidem ſic ab omnibus Medicis definiri, *Eſt inflammatio membranæ ſuccingentis coſtas, plevra dicta.* Sed dubitant aliqui; an hic affectus ſumatur pro inflammatione à Medicis, an pro dolore. Et dicimus eſſe quæſtioné de nomine, nã utrumque in hoc affectu neceſſariò eſſe affirmant Autores omnes inflãmationem tanquã morbum, & dolorem tanquam ſymptoma. Sed dubitabis an nomine inflãmationis in definitione, debeat neceſſariò intelligi tumor præternaturam, vel ſufficiat eſſe phlogoſim, aut ardorem, ſicut de phrenitide *ſuperioribus diſputationibus*, diximus. Communis ſententia eſt in plevritide neceſſariò debere eſſe verum tumorem, & non ſufficere ardorem aut phlogoſim, eò quod ſigna pathognomonica plevritidis neceſſariò ſupponunt & indicant veram inflammationem, ut pulſus durus qui in morbo laterali laborãtibus neceſſariò reperitur, quod non contingit in phrenitide, & lethargo; nam in his affectionibus optimè intelliguntur omnia ſua ſigna eſſentialia ſine vero tumore, ut *ibi* diximus: nam pulſus durus non eſt ſignum eſſentiale phrenitidis, licèt quandoque in ea inveniatur.

Undè fit quod plevritis ſicca dicta ab Hip. quæ citra fluxũ humoris fit, eò ſolũ quod pulmo magnoperè exiccatus fuerit, non eſſe verã & rigoroſam plevritidem, licèt ſit dolor in latere, & tuſſis, quia nonquã ex hac cauſa erunt omnia ſigna eſſentialia, taliter qualiter ad exquiſitam & rigoroſam plevritidem requiruntur. In calce tamen adverte quod licèt tempora plevritidis communiter diſtinguantur ex ſputo, tamen cũ hoc bene ſtat ut ſit verus tumor & inflammatio cujus ſunt propria tempora ratione fluxionis materiæ, ut de aliis tumoribus diximus. Et licèt non ſemper mutetur in pus, indè non ſequitur quòd non ſit vera inflammatio & tumor, quia ſolùm tunc mutatur plevritis in pus, quando reſolutione, aut alio modo non potuit terminari, non aliter quàm de aliis tumoribus dictum eſt, ſecundum omnium communem doctrinam ſatis receptam.

CAPVT II.

De quo tumore intelligatur definitio plevritidis.

PRIMUM quod examine eget, eſt an neceſſariò plevritis fiat ex humore, & apparet quod non, quia tumor poteſt fieri ex flatu & vaporoſa ſubſtantia, ſicut in pluribus partibus fit, ergo in plevra poteſt ità fieri, cùm non ſit aliquod inconveniens ex eo. Tamen nobis dicendum eſt, inflammationem conſtituentem veram plevritidem non poſſe fieri ex flatu, nam omnia ſigna pathognomonica plevritidis non poſſunt procedere dum inflammatio fit ſolùm ex flatu, & non ex aliquo humore, nam ſigna ſunt, febris continua, dolor pungens, difficilis reſpiratio, tuſſis, & pulſus durus. Ex his autem licèt febris poſſit originari, vel adeſſe tumore flatuoſo exiſtente in plevra, eò quod vapores elevantes tumorem putrefiant, & ſic excitent febrem, ſaltem communicato calore cordi per continui alterationem. Deindè poteſt eſſe pulſus durus ratione tenſionis factæ vi inflammationis in arteriis, eſt ſimiliter dolor pungens; nam licèt etiam ſit dolor tenſivus ratione flatuum diſtendentium partem, qui modus doloris eſt in quolibet tumore, tamen non poteſt negari quin vapores præter tenſionem alterent partem ſua qualitate, & ſic cauſent dolorem pungentem. Similiter flatuoſo tumore exiſtente in plevra, eſt difficilis reſpiratio, quia quando fit tumor ab humore, ideò eſt difficilis reſpiratio, quia ratione doloris inſtrumentum reſpirandi non diſtenditur adeò ut poſtulat uſus auctos, & ideò fit parva & crebra reſpiratio, ſed ſimiliter in flatuoſo tumore eſt dolor in inſtrumento reſpirationis, ſcilicet in plevra, ergo eodem modo debet lædi reſpiratio. De tuſſi eſt major difficultas; nam ſi ea eſt à flatuoſo tumore, ſine dubio ab eo plevritis vera ſit, etſi tuſſis non eſt, apertè conſtabit non debere eſſe illam veram plevritidem, ſiquidem ad illam non ſequuntur omnia ſigna pathognomonica.

Et videtur veram tuſſim eſſe, hoc ipſo quod in plevra eſt tumor flatuoſus; nam tuſſis fit, ut ſuperiùs diximus, ex cauſis quæ valeant impedire cavitatem aſperæ arteriæ, quo fit ut non ingrediatur aër ut decet, & ſic tuſſis fiat; ſed ex flatuoſo tumore in plevra dolorem cauſante fit anguſtia in aſpera arteria, eò quod dilatatio fiat minor ratione doloris, ergo erit vera tuſſis, & per conſequens vera plevritis.

Nihilominùs dicere debemus ex tumore flatuoſo non excitari neceſſariò tuſſim, & ſic non eſſe veram plevritidem. Probatur, quia illa major anguſtia à qua tuſſis debet fieri propter dolorem tanquam occaſionem facientem, ut thorax non dilatetur, ut expedit: ſed hæc non neceſſariò ſequitur exiſtente dolore, nam ſi quis voluntariè velit ferre & pati dolorem ſine dubio fiet dilatatio ut expedit, & per conſequens nulla erit difficultas reſpirandi: ergo tuſſis non adeſt neceſſariò, exiſtente tumore flatuoſo in plevra dolorem faciente: ſed eſt neceſſarium ut ſit tumor ex humore, & quod reſudet neceſſariò aliquid in aſperam arteriam, ut neceſſariò fiat tuſſis vi tumoris, & inevitabiliter. Et licèt ex tumore flatuoſo poſſit in aſperam arteriam aliquid tranſmitti, hoc ità parvum eſt ut non impediat ſenſibiliter, & ſic non cauſat tuſſim ob ejus tenuitatem, ratione cujus non impedit ſenſibiliter cavitatem.

De humore à quo cauſatur, dicimus frequentiori modo, & utplurimum fieri ab humore bilioſo, & ex ſanguine tenuiori, eò quod ſua tenuitate plevram faciliùs penetrant, quia hæc nimis denſa eſt, ob quod difficiliùs multò fit à pituita & melancholia, licet non poſſit negari ab illis poſſe fieri, ex quo nulla apparet contradictio; ſolùm fit quod quando plevritis fit ex humoribus craſſis,

sis, plus temporis durat & diuturnior est affectus; an verò sola plevritis quæ fit ex bile & tenui sanguine sit exquisita, dicam alibi.

CAPUT III.

Quæ sit pars affecta in plevritide.

Tanquam certum imprimis supponere debemus, plevritidem dici exquisitam & notham ratione causæ, ità ut si fiat ab humore bilioso & sanguineo, dicatur exquisita; si verò à pituitoso & melancholico, dicatur notha, seu spuria, quia accidentia remissiora fiunt. Sed cùm etiam sit certum ratione partis affectæ dici plevritidem exquisitam & notham, in præsenti quærimus quæ sit quæ dicatur exquisita, & quæ notha ratione partis affectæ, ut ex indè constet quæ sit pars affecta in utraque plevritide. Circa quod certum est quod quando inflammatio est in plevra seu membrana succingente costas, plevritis est exquisita, dummodò primariò laboret; deindè commune satis etiam est quod quando musculi intercostales externi inflammatione laborant, sit plevritis notha, dubium est de musculis intercostalibus internis, an eorum inflammatio sit exquisita plevritis, & dicimus quod non: nam inflammatione existente in his, non est dolor pungens, ratione sui, sed ratione membranæ costas succingentis, quæ necessariò patitur per consensum, existente inflammatione in musculis internis intercostalibus; si autem ad hanc solam attendamus, dolor tantùm erit pulsans, eò quòd constent arteriis. Sed nota quod quando dicimus existente inflammatione in internis musculis, disseminatis per plevram, & eam succingentibus, necessariò communicari malum ipsi plevræ, non ità debet intelligi ut metaphysicè, vel semper sit verum, sed quia frequenter contingat quòd affectis musculis afficiatur plevra, & hâc affectâ afficiantur illi propter continuitatem quam habent; quo fit ut in hoc casu erit complicata plevritis exquisita cum notha. Quod autem possit inflammatio esse in musculis internis, & non in plevra, & è contrà, constat, quia minor fluxio humoris requiritur ad inflammationem unius partis quam duarum, ac proindè cùm humor possit in parvaquantitate fluere, poterit inflammari una pars ex dictis, & non alia. Licèt autem plevritis notha quæ inflammatio est musculorum internorum intercostalium sufficiente distinguatur à plevritide exquisita quæ inflammatio plevræ est, penes eò quod in hac est dolor pungens, in illa non. Alium modum distinguendi affert Galenus scilicet quia cùm non faciat tantam tensionem inflammatio in internis musculis ac in plevra, utpotè hæc durior pars est, & sic dum intumescit, facit majorem tensionem, ac proindè pulsus est magis durus in hac. Similiter musculis intercostalibus externis inflamatis etiam pulsus habet parvam duritiem, ex eò quod sint magis distantes à corde, & sic parvam tensionem inducunt, ratione cujus parum durus est pulsus illis affectis.

De inflammatione septi transversi est quod dicamus, an sit plevritis exquisita, & dicimus eam non esse, quia eà posità non sequuntur omnia signa pathognomonica veræ plevritidis, utpotè deficit tussis quæ non sequitur quamlibet inflammationem septi, sed magnam, ratione cujus impeditur cavitas asperæ arteriæ, & fit tussis. Hæc Petr. Garcia. Sed nescio quid possit respondere dum est inflammatio magna in septo; nam in illo casu adsunt omnia signa essentialis veræ plevritidis: ergo. Aliud signum adducit ad ejus distinctionem, nempe quod septo inflammatione laborante, est retractio hypochondriorum versus superiora à principio morbi.

Denique dicimus inflammationem mediastini & periostij quæ duæ tunicæ sunt succingentes costas, esse plevritidem, saltem notham, quia non est ratio cur inflammatio musculorum externorum intercostalium dicatur plevritis notha, & non inflammatio harum tunicarum.

CAPUT IV.

De signis Plevritidis & causis eorum.

Inter signa plevritidem ostendentia, alia sunt essentialia, ea scilicet quæ simul cum morbo necessariò incipiunt, & cum morbo desinunt; alia sunt assidentia quæ possunt simul cum morbo oriri, & non ità, sed posteà, aut mox apparentia, & hæc sunt signa coctionis & cruditatis, aut salutis, aut mortis; & etiam hujus generis sunt signa critica; de omnibus ergo his est nobis agendum, & priùs de pathognomonicis quæ quinque sunt juxta communem omnium consensum, dolor pungens, difficilis respiratio, tussis, febris continua, pulsus durus: ex his autem difficilis respiratio, febris continua, tussis, sunt communia peripneumoniæ, particularia autem & quibus distinguitur plevritis à peripneumonia, est dolor pungens, & pulsus durus seu serrans. Ex his autem signis quædam ostendunt affectionem, ut dolor absolutè morbum ostendit; quædam verò partem affectam, ut speciem doloris, scilicet esse pungentem, esse affectam membranam denotat. Sed adverte dolorem dici pungentem ad similitudinem cum punctione quæ in externis contingit, ad quem esse necessariam fortem penetrationem humoris in partem dicimus, ut pungens dicatur; non tamen est necessarium, ut placuit Avicennæ, quòd humor sit mordicans; nam licèt talis non sit per penetrationem, esset dolor, & non aliter quàm pungens, ergo non est necessaria mordacitas in humore, licèt eam habeat humor biliosus à quo frequenter hujusmodi dolor in plevra causatur.

Dicit deindè Avicennas in morbo laterali aliquando non sentiri dolorem pungentem,

nisi quando fit respiratio quod ex eo solet contingere, quia ratione motûs ipsæ partes magis premuntur, & sic fit intensus dolor ratione solutionis factæ de novo cum majori impulsu; constat etiam in plevra inflammata non esse dolorem pulsantem, quia talis pars caret arteriis.

Alterum ex signis essentialibus erat læsa respiratio, quod non de quavis læsione est intelligendum, sed de parva & crebra; nam licèt usus sit auctus, & hac ex parte debebatur magnitudo, tamen ratione doloris potest thorax dilatari, & sic apponit crebritatem ad satisfactionem usûs aucti simul cum parvitate: celeritatem etiam non potest apponere ratione doloris: nam ratione velocitatis motus major fit dolor, & sic talis respirationis læsio est parva, quia ratione instrumenti viciati nequit dilatari thorax pro usu sufficienti & est crebra, quia aliter facultas non potest satisfacere usui aucto: cum hoc tamen non nego habere aliquam celeritatem, sed omnem quam potest habere pro illo usu aucto nego; hoc autem signum læsæ respirationis tantùm denotat aliquod instrumentum respirationis esse læsum, non autem plevram. Alterum signum essentiale est tussis quæ ex eo contingit non propter vicinitatem solam, sed quia plevrâ inflammatione humorali laborante, aliquid humoris resudat ad pulmonem, & ad asperam ejus arteriam, ejus cavitatem viciantem; quo fit ut fiat necessariò tussis ex his quæ *proprio cap. de tussi*, & modo quo fiat diximus. Ad prædictam autem communicationē resudationis in pulmonem multum facit vicinitas plevræ, & sic se habet ut conditio ad communicationem; cum hoc tamen verum stat posse esse tussim sine resudatione, ut in inflammatione flatuosa plevræ diximus, eò quòd angustietur via respirationis, quia non potest sufficienter dilatari propter dolorem, sed tussis ex hac causa non est necessaria, ut diximus; nam si quis voluntariè velit ferre dolorem, sine dubio commoda fiet dilatatio, & non erit angustia in via respirationis, neque tussis. Nota tamen quod si via est obstructa, aut tunica nimis densata, tunc aderit dolor plevriticus, licèt actu non sit tussis, quia obstructio in via per quam debebat communicari materia pulmoni, est potentior causa, & sic nihil mirum ut tale signum essentiale impediatur, ut de pluribus *suprà* dictum est.

Quartum signum erat febris continua, quæ necessariò sequitur inflammationem plevræ, eò quòd sit valde propinqua cordi, & sic vel per continui alterationem communicatur calor, vel fuligines elevantur calefacientes cor, & sic talis febris vel potest esse diaria, vel putrida penes communicationem caloris in facto in diversa materia. Unde quod ab aliquibus Autoribus dicitur defecisse in plevritide aliquando febrem, vel intelligendum est de spuria ratione partis affectæ distantis à corde, ut sunt musculi externi intercostales, vel de spuria ex parte humoris; nam si fiat inflammatio ex humore frigido, & non putrefacto, non erit febris; vel denique possunt intelligi Autores de febre quæ valde remittitur ratione alicujus evacuationis per sputū magnę.

Ultimum signum est pulsus durus & serrans; durus, idest tensivus, propter inflammationem plevræ à qua originantur arteriæ plurimæ, & sic distentâ plevrâ ratione inflammationis per consensum arteriæ tensionem patiuntur. Serrans apparet pulsus propter inæqualitatem tensionis; nam ex eo quod aliquæ partes arteriæ sint magis tensæ, minùs dilatantur, ac aliæ quæ minorem tensionem patiuntur, & sic serrans apparet pulsus.

Advertere tamen oportet in plevritide vera posse reperiri delirium ex eò quod plevra existente inflammatâ potest communicari cerebro humor vel distemperies, ratione cujus cerebrum patiatur per consensum, & sic deliret plevriticus. Adde quod id quod dicunt de plevriticis, scilicet appetere vinum, licèt aliàs eum non appeterent esse sine fundamento; nam neque id potest contingere ratione humoris, neque ratione partis affectæ, neque ratione debilitatæ virtutis; nam hæc omnia possunt esse & existunt de facto absque eo quod ratione illorum sit talis vini appetitus; non ergo est concedendus in plevriticis tanquam signum ejus.

CAPUT V.

An morbus possit reperiri sine signis pathognomonicis, & signa, sine illo.

LICET videatur morbum non posse reperiri sine suis signis essentialibus, & præsertim plevritis, ob quam in præsenti hæc quæstio proponitur, & intelligi debet de omnibus morbis, eò quòd signa essentialia dicuntur quæ constituunt rem cujus sunt signa, & ab ea inseparabilia sunt; & similiter quia plura sunt signa quæ nunquam à suis morbis separantur, ut suppressio urinæ, lapide existente in vesica, difficilis respiratio in apoplexia, pulsus parvus in syncope, & sic de aliis; ergo idem est sentiendum de omnibus quia non est major ratio unius quàm alterius.

Sed nihilominùs dicimus optimè posse existere morbum sine suis signis essentialibus, & è contrà, signa sine morbo; & præcipuè hæc veritas probatur in plevritide; nam signa omnia possunt esse sine plevritide: nam imprimis tussis potest esse ratione alicujus destillationis, febris etiam, eò quod humores putrescant in venis, pulsus durus, si inflammatio fit in qualibet alia parte; dolor pungens ex flatu crasso ingrediente poros membranæ succingentis costas, difficilis respiratio, crebra & parva, ex eò quod debilis sit facultas, & usus auctus. Sed in tali casu erunt omnia signa plevritidis, & talis nullo modo dicetur talis; nam ad hoc ut talis diceretur, omnia signa illa deberent dimanare ab unica tantùm affectione. Præterea constat sitim intensam & insatiabilem esse signum pathognomonicum febris ardentis, & tamen hæc potest reperiri sine illa, ex eo quod sit aliqua destillatio humida quæ illam siccitatem valeat obtundere. Et ratio à priori nostræ conclusionis

clusionis est, quia cùm omnes morbi sint causæ naturales à quibus dimanant symptomata essentialia, potest contingere quòd causa aliqua potentior conjungatur quæ valeat producere effectum contrarium, & sic impedita alterum producendum ab altera causa, ut contingit in exemplo tussis & destillationis *suprà* posito: non ergo est mirum symptomata posse existere sine morbo, & è contrà, licèt verum sit, ut probat secundum argumentum aliqua signa essentialia non posse impedire, eò quod non possit conjungi causa potentior, quod non probat in omnibus idem debere contingere, quo manet solutum argumentum. Et ad primum dicimus signa essentialia non esse constitutiva essentiæ, sed potiùs eam supponunt constitutam, quia sunt effectus illius, ac proindè sine illa possunt esse, & è contrà; cùm autem verum stat quod dicantur essentialia, quia per illa essentiam & naturam morbi cognoscimus. De symptomatibus assidentibus quæ solent reperiri in plevritide, nihil est quod dicamus, quia nihil particolare continent.

CAPUT VI.

De signis temporum Plevritidis.

PLEVRITIS sicut & alij plures morbi, habet quatuor tempora juxta communem omnium consensum, principium quod cognoscitur quod tussis est omninò sicca, & nihil expuitur, aut aquosum expuitur, sicut in principio febrium putridarum urina est aquosa quæ correspondet tussi siccæ, aut perturbata, quæ correspondet sputo aquoso; significat enim ultimam partem principij, in qua aliqua & obscura coctio invenitur. Augmentum est quandò incipit expuere pauca cocta. Status seu summus vigor, quandò sputum est multum & exquisitè coctum. Et tandem declinatio, quandò similiter coctio adfuerit perfecta, quantitas verò quæ expuitur minor est quàm in statu.

Notare tamen oportet dici siccam tussim esse in plevritide, non quia fiat à nuda distemperie, sed quia est sine sputo: potest autem contingere esse plevritidem sine sputo, aut quia debilis sit facultas, aut qua materia sit nimis tenuis, aut nimis grossa, aut quia sit obstructa via per quam communicatur materia cavitati thoracis, & ob alia quæ possunt impedire expulsionem materiæ, & fluxum illius. Oportet autem examinare utrum in qualibet plevritide sit necessarium præcedere tussim siccam, & partem negantem defendimus cum Petr. Garcia, eámque ex Galeno deducimus ubi numerans principium plevritidis, dicit esse aut quando tussis est sicca, & nihil spuitur, aut quando sputum est exiguum, tenue, & aquosum. Ex quo deducitur principium hujus morbi posse compati cum sputo, ac proindè non est necessarium tussim siccam in eo semper præcedere.

Nec valet si dicas hoc esse verum in fine principij, sicut etiam urina est perturbata, tamen non probare in principio principij, vel in prima parte principij necessariò esse tussim siccam. Et confirmatur, quia signa temporum universalium suo ordine præcedūt sicut mutationes ex quibus procedunt; ergo sicut obscura coctio præcedit manifestam, & manifesta, perfectam coctionem, ità omnimoda cruditas quamlibet coctionem, licèt obscuram debet præcedere, quia omnimoda cruditas est terminus à quo incipit obscura coctio.

Respondetur materiam morbi non dici crudam in principio universali quandò præcedit omnem alterationem, sed dicitur cruda quandò putrida, & non victa à natura; sed potest esse putrida, & non victâ à naturâ materiâ, etiamsi sit obscura coctio: ergo potest esse totum tempus principij cum obscura coctione, & sic non opus est tempus præcedere tussim siccam in plevritide.

Alterum dubium est quare quandò nimia cruditas est in materia crudo existente morbo, tussis in tali casu sicca sit.

Respondent aliqui ideò esse, quia in principio nulla est resudatio plevræ in pulmonem; interrogati autem quare nulla sit resudatio, respondent quia in principio retinetur à natura, & postcà dum est cocta expellitur: sed contra, quia ex hoc sequitur nunquam in principio aliquid expelli, quod est contra id quod *suprà* diximus. Dicunt ulteriùs non esse resudationem in principio, quia materia est nimis conculcata, & sic nequit expelli ad extremitates pororum. Sed contra est, quia etiam quandò obscurè coquitur, deberet esse talis inculcatio, quia etiam est principium morbi, & per consequens nulla expulsio debebat fieri; quod esse falsum, constat ex dictis: prætereà, quia non est quod impediat communicationem materiæ ad poros, præsertim cùm ex Galeno constet in omni inflammatione mitti materiam à vasis magnis in capillares & poros.

Dicendum ergo nobis est in principio universali plevritidis etiam quandò tussis sicca est, aliquid licèt parvum resudare ad pulmonem, aliter enim in hac affectione necessariò nequit fieri tussis, ut diximus dum signum esse essentiale explicavimus; resudatio autem continget ex eo quod rara sit membrana, efficiens verò à quo fit resudatio, est substantia à qua humor in plevram mittitur, ad quod etiam juvat calor ipsius partis qui attenuat & liquat humorem; postquam verò materia est cocta, licèt crassior reddatur, expellitur in majori copia, quia tunc est tempus, ut facultas expultrix operetur, & anteà non, ob naturalem subordinationem harum facultatū.

In augmento verò illa portio materiæ est perfectè cocta taliter quod si non expelleretur, non adquireret perfectiorem coctionem, sicut in augmento febrium putridarum contingit, ob quod securè in hoc tempore exercetur expurgatio.

Majorem tamen difficultatem habet explicare an in summo vigore plevritidis materia sit necessariò suppurata, quâ scilicèt actione hæc perfecta coctio in illa contingit, an suppuratione quam actionem mediam inter putredinem & coctionem existimavit esse Galenus quam ut veram defendimus; non sit autem

semper

semper hujusmodi suppuratio in plevriticis quia impeditur sufficienter per expulsionem continuò factam: si autem hæc deficiat, sine dubio suppurabitur, ut docet Hip. *lib.5. aph.* t.8. *Si expurgatio intra decimumquartum diem non fit in plevritide, suppuratur materia*; Actio ergo illa est actio quâ fit pus, & quâ fieret si non expurgaretur materia, quam mediam inter coctionem & putredinem vocavit Galenus.

CAPUT VII.

Cujus lateris Plevritis sit deterior.

AD decisionem quæstionis notare oportet plevritidem posse terminari tribus modis, vel per resolutionē, vel per suppurationē, vel per corruptionem: ex his melior est primus, quia citò liberat ægrotum: secundum locum habet terminatio per suppurationem, quia hoc modo aliqui liberantur, licèt tabidi fiant; deterior verò omnibus est quæ per corruptionem terminatur. Hoc ergo supposito, licèt aliquibus videatur deteriorem esse plevritidem sinistri lateris, quia propinquior est cordi. Tamen re meliùs considerata, & factâ comparatione cæteris paribus, præter illud in quo fit comparatio, dicimus deteriorem esse plevritidem lateris dextri; nam latus dextrum est calidius ob rectitudinem quam habet cum jecore, & sic valde paratum ad inflammationem. Et probatur ex Galeno *lib. 2. de præsagatione ex pulsibus cap. 4.* ubi dicit. *Qui habitu sunt valenti & admodum diù in morbos non inciderunt, periclitantur si incidant.* Adverte tamen hanc deterioritatem debere intelligi ratione principatûs partis, non quidem quod latus dextrum sit pars princeps absolutè, sed quod sit principalior ac latus sinistrum, & sic morbus illius erit deterior: unde constat hanc doctrinam esse veram cæteris paribus ex parte propinquitatis cum corde, nam si plevritis sinistri lateris sit in parte plevræ propinquiori cordi, ac plevritis dextri, sine dubio erit deterior: in quo casu non procedit quæstio, sed cæteris paribus ex parte loci, & ex parte causæ, & aliis, & sic quando Avicenna dicit esse deteriorem plevritidem lateris sinistri, non est intelligendus de quacunque plevritide lateris sinistri, sed de illa quæ majorem propinquitatem habet cum corde, quod nos non negamus, & in hoc sensu aptior est hæc ad resolutionem: in alio verò à nobis allato aptior est plevritis dextri ad resolutionem quia calidior, & deterior erit, quæ in sinistro, ob corruptionem seu mortificationem partis; nam cùm debilior sit, minùs resistet; cum hoc tamen verum stat, ut licèt plevritis lateris dextri melior sit ad terminationem per resolutionem, est deterior ratione principatûs partis, ità ut hoc sit deterior in hac quàm in eadem sit optimum terminari per resolutionem.

Sed dices: resolutio debet fieri à calore partis: sed humor qui putrefit & inflammationem causat, est calidior parte, ergo non potest ab ea resolvi.

Respondetur resolvi vi medicamentorum resolventium, tamen calor major partis conducere ex eo quod dum calidior est, minùs habet frigiditatis retardantis resolutionem.



DISPUTATIO XLVI.

De quibusdam quæ ad cor spectant.

CAPUT PRIMUM.

An omne mortis genus contingat necessariò corde intemperato.



CErtum imprimis in hoc dubio est, cor esse principaliorem partem principem ex his quæ in nostro corpore sunt, & esse originem & fontem innati caloris quo indigent necessariò partes ad sua opera exercenda; cúmque etiam sit certum cor esse principium facultatis vitalis, & caloris vitalis, ità ut sua temperie actiones omnium partium perficiat, fit indè ut nequeat vivens perire quin cor laboret intemperie aliqua saltim originata ex defectu alicujus, sicut partes dicuntur interire saltim occasionaliter defectu caloris vitalis.

Secundò, quia actiones necessariò procedunt à temperamento partium similarium, licèt unitas & partium compositio præstent usum actioni: sed actiones totius corporis ex temperamento cordis dependent, sicut ablatio ex intemperie ejusdem, ergo cùm actio cessat necessaria ad vitam, intemperatum est cor, quia deficit illi calor vitalis. Et licèt verum sit, cessare actionem, & minui defectu eorum quæ præstant usum, ut de morbis oculorum satis constat, tamen hoc ipso quod cessat actio necessaria ad vitam, necessariò debet pati cor intemperie aliqua originata, & occasionata ex defectu caloris vitalis qui necessariò deficit per dispositionem contrariam vitæ. Ex quo apertè deducitur mortem evenientem vi morbi, semper comitari intemperiem frigidam cordis, licèt sit verum mortem naturalem evenire per intemperiem frigidam & siccam, quia ex Aristotele vita consistit in participatione calidi & humidi.

CAPUT II.

De morbis quos pati potest cor.



CUm tria genera morborum communiter ab omnibus enumerentur, examinare in præsenti oportet, an cor ea omnia tria pati possit. Et circa distemperiem sive sit cum materia, sive sine illa, nullum apparet dubium, cùm constet in omnibus

nibus febribus continuò diſtemperie calidâ affici eum materia in febribus putridis, & ſine illa in hecticis, & ſimiliter in maraſmo diſtemperie ſiccâ, quam non ſolùm per conſenſum, ſed per propriam paſſionem poteſt habere cor.

Deindè dicimus cor pati poſſe morbum in mala conformatione, ex eo quod pati poſſit apoſtema. Sed advertere oporret hanc veritatem tantùm de apoſtemate incipiente intelligi debere, non de confirmata: nam hæc non poteſt eſſe vivo animali, ſed neceſſariò ſubitò evenit mors, ratione hujus morbi, cum morbo tamen in temperamento non evenit ſubita mors.

Sed quæres cur cor cum diſtemperie poſſit durare longo temporis ſpatio, & non cum inflammatione. Reſpondetur, quia cum inflammatione non ſolùm eſt calida intemperies, ſed humor qui impedit proprios motus cordis valde neceſſarios ad ſuam attemperationem, quo fit ut illis admodum impeditis ratione tumoris ſuffocetur calidum nativum à fuliginibus eſcedentibus, & contingit mors. Similiter pati poteſt cor tumores frigidos à quibus non evenit mors tam ſubita, præſertim pati poteſt hos tumores in tunica in qua cor eſt circumvolutum.

Sed de ſolutione continui eſt dubium, an illam pati poſſit cor, vivo exiſtente animali. Ad quòd dicit Galen. quod ſi ſolutio continui fit in carne cordis, poſſunt vivere per ſpatium unius diei ac noctis; ſi verò ſolutio continui penetret ventriculos cordis, minimè poſſunt vivere, præcipuè ſiniſtrum ventriculum, quod ideò eſt, quia ventriculus ſiniſter continet ſanguinem puriorem & magis ſpirituoſum, quo fit ut ſi ſolutio continui ad eum penetret, evacuetur plus de ſpirituoſo ſanguine, & ſic citiùs fiat mors. Advertere tamen oportet ſolutiones continui in corde eſſe incurabiles ob continuum ejus motum, qui poteſt eſſe diminutus, & depravatus, & ablatus, ſaltim quoad ſenſum.



DISPVTATIO XLVII.

De Cordis Palpitatione.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit cordis Palpitatio, & quomodò fiat.



ALENUS *libro de tremore & rigore, capite* 5. aſſerit palpitationem eſſe elevationem & depreſſionem præternaturam. Quibus verbis conſtat nihil aliud eſſe quam dilatationem & compreſſionem præternaturam; de quibus dubium eſt à quo fiant, & imprimis de motu dilatationis inquirimus à quo fiat illa dilatatio præternaturam in palpitatione: & aliqui dixerunt fieri à levitate flatus faciente illum motum ſursùm, ac proindè illam elevationem, quod quàm falſum ſit conſtat ex eò quod ſi pars ponatur verſus centrum, ceſſet palpitatio, quod ſi ratione levitatis movetur, levitas deorsùm tendere non poteſt: igitur cùm conſtet motum dilatationis præternaturam in palpitatione fieri, etiamſi verſus centrum ſit poſita pars, indè eſt quod illa elevatio non poſſit fieri à levitate flatûs. Nos ergo dicimus illum motum fieri à parte mittente, movente & impellente flatum à quo fit dilatatio, ac proindè talem motum non fieri à ſolo morbo, ſed etiam à parte flatum movente, & impellente; etiamſi flatus à ſolo morbo generetur.

Non minorem habet difficultatem explicare à quo fiat illa compreſſio? Et certum eſt non fieri à gravitate ipſius partis, cùm conſtet fieri illam compreſſionem quomodocumque ponatur ipſa pars, vel in qualibet poſitione, & ſic nos dicimus duplici viâ poſſe defendi fieri illam compreſſionem, primò ab ipſo aëre reſiliente ſecum trahente carnem ne detur vacuum, nam eodem modo ac pila reſilit ex pariete per impulſum & impetum quem facit vincentem priorem, ità flatus dum primò movetur per impulſum receptum à parte mittente reſilit à carne reſiſtente, & ſic dum aër iterum movetur ad partem à qua diſceſſit ſecum trahit carnem ne detur vacuum, & ſic fit illa compreſſio. Vel poſſumus dicere omnes partes habere propriam facultatem naturalem motivam ad proprium ſuum locum, ità ut ablato impedimento ſtatim illum ſitum ſibi connaturalem adquirant, ut patet quandò quis dilatat carnem manu ſua, & poſteà illam relinquit, tunc quidem decidit à propria facultate, non quià partes internæ imprimant impulſum; nam non eſt unde conſtet hoc, neque contingit tunc compreſſio illius carnis, quia quandò dilatatur, ingreditur aër, & quandò comprimitur, diſcedit aër, aut aliud corpus ſecum afferens carnem; nam potiùs caro dum comprimitur expellit tale corpus, cùm conſtet tale corpus ſemper neceſſariò adeſſe dum caro eſt elevata: conſtat ergo utroque modo ex illis à nobis aſsignatis poſſe fieri illam compreſsionem in palpitatione cordis. Quandò autem contingit compreſsio primo modo ex dictis, talis motus eſt contra naturam ex parte principij efficientis, licèt ſit ſecundum naturam ex parte finis, cùm adquirat pars ſuum locum naturalem. Quandò autem talis compreſsio à facultate naturali fit, etiam poteſt dici hujuſmodi motum eſſe contra naturam; nam licèt non fiat à morbo immediatè, ſed potiùs à principio naturali, ſufficit quod talis motus fiat occaſionaliter à morbo præcedente efficiente dilatationem præternaturam.

Sed ſolùm reſtat ſcire ſub quo genere ſymptomatum

ptomatum palpitatio comprehandatur. Et dicimus poni sub actiona læsa, ut nulli dubium est; non sub ablata, cùm fiat actio; non sub diminuta, cùm non fiat remissiùs dilatatio, & compressio aa in statu naturali, oportet argo esse actionem depravatam: cùm autem actio possit dici depravata, quia aucta, & quia erronea, oportet scire an sit aucta, an erronea. Et dicimus dilatationem esse actionem erroneam, quia aliter fit quàm pro natura debabat fieri, utpotè fit à natura sive facultate irritatà à causa morbi, ratione cujus pars seu facultas movetur ad pellendum flatum. Compressio verò dicitur etiam actio depravata si fiat à flatu resiliente, & sicum carnem deferente: quod si fieri dicamus à facultata naturali, dicimus posse dici depravatam, non ratione principij immediatè, sed præsuppositivà. De facultata à qua fiat dicimus fieri à vitali, quia motus est similis ei qui fit à vitali facultata, & dissimilis valde ei qui fit mediis musculis à facultata animali motiva, hanc autem dissimilitudinem *infrà* explicabo.

CAPUT II.

A qua causa fiat, palpitatio & cujus morbi symptoma sit.

CERTUM est palpitationem esse symptoma necessariò præsupponens morbum à quo procedat, fierique ab illo, medianta aliquo quod habet ratione causæ pro certo habemus. Quid autem sit hoc quod habet rationem causæ dubitant Autores: sed nos dicimus esse substantiam flatuosam facians distensionem illam, & depressionem modo *suprà* explicato; esse autem ventositatem seu flatum causam palpitationis verè, & non humorem, ex eo constat quod citò generetur, & citò solvatur, adeò ut ab humore fieri impossibile videatur. Et licèt *capite de epilepsia & de apoplexia*, probaverimus illam non fieri à siccitate, & hanc à frigiditata nuda, sed utamque ab humora quia citò fiunt & solvuntur, tamen palpitatio, citiùs adhoc fit & solvitur quàm epilepsia & apoplexia, & sic optimè probatur palpitationem non fieri ab humora, sed à flatu. Nota tamen quod quandò dicimus juxta Galeni sententiam citò generari & solvi palpitationem, non debere intelligi de generatione ipsius flatos, ità ut quoties fit de novo palpitatio, hoc est quoties repetitur motus distensionis & compressionis, fiat de novo generatio flatùs & solvatur; hoc enim non asse necessarium ad palpitationem sic ostendo, quia palpitatio potest fieri multiplicatis motibus, ità ut intar unum & alium tempus exiguum intercedat: sed in tam exiguo tempora nequit generari & corrumpi, quia non apparet agens quod tam citò corrumpat vel dissolvat flatus; ergo doctrina non est intelligenda de generatione flatùs, sed de ipsis motionibus, ità ut permanente flatu absque nova ipsius generatione, fiat motus distensionis & depressionis præternaturam.

Sed dices: quod si palpitatio fit juxta modum *suprà* dictum, sequitur posse etiam fieri ab humore, præsertim si tenuis sit; nam irritatione in parte præcedente satis velociter potest moveri ut elevat partem, & posteà faciat retrocessum eo modo quo diximus da flatu, ità elevatio fiat à facultate partis mittentis & impellentis; ergo erit vera palpitatio ab humore.

Respondetur in tali casu esse motum valda similem palpitationi: sed non esse veram palpitationem, quia citiùs fit, & solvitur ea quæ fit ax flatu. Sed meo videri, non est undè non possit dici vera palpitatio. Adverte tamen quamplurimos falli, existimantes quemlibet modum cordis similem palpitationi esse veram palpitationem, & sic aiunt consequenter posse fieri palpitationem ex abscessu & sero coalescuto intra pericardium, quæ omnia intelligenda sunt non de vera palpitatione, sed de motu simili motui palpitationis veræ.

Restat scire, quisnam sit morbus à quo palpitatio oritur: Et communis sententia est esse distemperiem frigidam, ità tamen est intelliganda doctrina quod distemperies à qua procedit palpitatio sit calor valens alevare flatus, & non dissolvere, quapropter frigida dicitur distemperies, etiamsi calor valens elevare & non dissolvere possit excedere temperiem naturalem, & sic esse præternaturam. Cum quo benè stat ut semper curatio fiat per medicamenta calida, sumptà indicatione à causa ut discutiatur. Plures sanguinem mittunt, quia affirmant ax multitudine & sanguine cor infestante fieri posse; sed hoc intelligendum est in palpitationa non vera, sed similitudinaria, ut diximus.

CAPUT III.

Quæ sit pars affecta in vera palpitatione.


TANQUAM verum in hac dubitatione existimo palpitationem non esse solam passionem musculorum & arteriarum, sed cujusque corporis mollis, cavitatem habentis qui possit dilatari & comprimi. Sed dubium est utrum cor possit pati veram palpitationem. Et partem affirmativam ut veram defendimus; nam non repugnat cor laborare distemperie frigidà; sed tunc existente materià crassà, necessariò elevarentur flatus distendentes cor: ergo in tali casu fiet palpitatio; nam calor sinistri aut dextri ventriculi cordis in tali casu non erit sufficiens ad discutiendos flatus, cùm cor laboret distemperie frigidà: ergo in tali casu per propriam passionem patitur cor propriam palpitationem

palpitationem. Similiter per consensum eam pati potest ex eo quod vapores crassi & flatus cordi communicentur ab aliis partibus per arteriam magnam, aut per arteriam venalem. Neque ad hoc obstat quod sit via calidissima, nam potest distemperie frigidâ laborare, & sic non erit sufficiens, ut discutiat flatus. Neque obstat occlusio ostiolæ, seu valvularum arteriæ magnæ; nam hæ non sunt omninò clausæ neque per compressionem cordis impeditur transitus aëris; nam non adeò comprimitur: ut non possit ingredi substantia flatulenta palpitationem causans modo *suprà* explicato, neque tanta potest esse copia vaporum ut motum impediat & suffocationem faciat: nulla ergo ex parte repugnat cor pati palpitationem.



DISPUTATIO XLVIII.

De cordis Tremore.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit cordis Tremor.

CIRCA difficultatem positam primò venit notandum magnam inter Scriptores esse cōfusionem inter tremorem & motum tremulum, quod in causa fuit ut cordi, tremorem sine dubio concedant, eò quod à Galeno pulsum tremulum in eo cōcedatur. An verò in corde reperiatur verus tremor, in controversia est, nam aliqui affirmant tremorem esse symptoma facultatis animalis motivæ voluntariè operante, & sic cordi haudquaquam competere, quod videtur etiam insinuari à Galeno, sed si modo motus quo fit tremor sternus, videtur cordi posse competere, quia in tremore duplex motus reperitur, alter sursùm à facultate factus, alter deorsùm à sola gravitate elaboratus. Sed uterque eodem modo potest fieri in corde: ergo. Minor probatur, quia non repugnat adeò debilem esse vitalem virtutem ut vincatur à gravitate & pondere: sed in tali casu erit motus sursùm factus à facultate, & motus deorsùm factus à gravitate: ergo erit verus tremor.

Neque valet si dicas in tali casu motum compressionis fieri etiam à facultate, quia etiam brachium habet facultatem quâ moveatur deorsùm, & tamen quia gravitas ejus vincit facultatem, motus deorsùm fit à gravitate; solùm ergo sic in corde compressio erit à sola gravitate, præsertim si ad compressionem tunc non urgeat finis. Dices iterùm quod quantumvis debilis reddatur vitalis facultas, non fiet motus deorsùm à gravitate, quia quandò sic est facultas, cessat à motu, & sic facit pulsum intermittentem; & licèt possit vinci à pondere, & sic non quiescere, talis motus non fiet à gravitate quia non est deorsùm, sed compressionis qui necessariò fit à facultate vitali quantumvis debilis. Dices iterùm; ponatur cor, vel animal in eo situ, ut dilatetur cor versus superiora universi, tunc sine dubio compressio erit deorsùm, ergo in tali casu si gravitas vincat facultatem, talis motus erit à gravitate, & sic verus tremor erit in corde.

Sed poterit quis respondere quod adhuc in hoc eventu non est ille motus deorsùm à gravitate, quia cor secundum omnes partes comprimitur, & dilatatur à propria facultate vitali, & sic erit per accidens illa positio animalis ut motus dicatur fieri à sola gravitate; nam si secundum omnes partes movetur cor à propria facultate vitali, cur etiam non movebitur, etiamsi illo situ & modo ponatur animal, ac proindè dicendum nobis est in casu argumenti, solam gravitatem non facere illum motum deorsùm; sive compressionis, sed fieri à facultate etiamsi gravitas ad illum coadjuvet, quod parum refert, & per consequens non posse dici verum tremorem esse in corde si onus motus ejus à sola gravitate, & nullatenùs à facultate debet fieri.

CAPUT II.

De causis Tremoris cordis.

DUPLICITER potest cor pati tremorem, aut per propriam passionem, aut per consensum; utriusque affectionis frequentiores causæ enumerantur. Causæ tremoris cordis per propriam passionem frequentiores sunt, vel materia humorosa, nomine cujus non solum verum humorem intelligimus, sed flatum & humiditatem seu aquositatem quæ solet intra pericardium existere; humor verò causat tremorem sive faciat inflammationem, sive secùs; potest etiam causari à sensu vehementi, aut à distemperie nuda. Quandò autem fit per consensum, fit aut communicatâ causâ à toto corpore, ut in febribus pestilentibus, aut ab aliqua determinata, ut cum pericardio, cum ventriculo aut pulmone, quandò scilicèt est obstructio in arteriis per quas debet communicari aër, & impeditur, & cum aliis partibus quæ vehementi dolore afficiuntur, & sic fit aliquandò in crisi dictus tremor cordis. His ergo positis, necesse est ut percurramus & examinemus omnes causas tremoris & à prima incipientes, primò ponitur inter causas internas humor, sive aqua quæ in pericardio continetur quæ etiam solet causare palpitationem.

Sed primum dubium est an hujusmodi aqua reperiatur solùm in corde morboso, an etiam in corde benevalenti, & dicendum arbitror in corde benevalenti etiam reperiri, eo quod per potum parva portio aquæ ingrediatur per asperam arteriam, usque

usque ad pericardium, attrahitúrque à corde ad ejus attemperationem; cùm autem fit in tam parva quantitate dum ingreditur per asperam arteriam, non causat tussim, neque oportet esse quantitatem magnam aquæ semper, cùm toties vivant animalia quia plurimum resolvitur, & pellitur per alias vias, quandoque verò potest esse in magna copia, ut quandò causat palpitationem.

Altera causa est acuties sensûs, in ipso corde quæ eatenùs conducit ad tremorem, quatenùs percipit causam quæ aliàs non perciperetur, & sic movetur ad expulsionem motu præternaturam. Sed hæc causa pendet ex alio dubio, an scilicèt, cor secundum suam substantiam habeat sensum, & dico cor in propria substantia non habere sensum, quia non habet in ea nervos disseminatos, sed solùm in pericardio eos habere, idest in tunica succingente cor, sicut de substantia lienis & jecoris diximus, non habere sensum nisi ratione membranarum succingentium hujus substantiam. Quod autem membrana succingens cor sentiat, sufficit ut faciat motus tremulos eò quòd irritetur ab humore molestante membranam, undè constat hoc sufficere ut in corde fit verus motus tremulus.

Sed dices, si cor in suo motu dilatationis & compressionis non indiget sensu, quo pacto variatur motus ea sensatione molesta tunicæ, cor succingente.

Respondetur ratione sensationis molestantis rei variare motum, etiamsi non indigeat sensatione ad proprium motum naturalem; quod satis difficile apparet, & alibi dicetur. Sed huic doctrinæ addere oportet posse fieri tremorem quin præcedat molesta sensatio, ex eo quod intra cor potest esse crassus flatus comprimens & impediens motum, in tali enim casu poterit moveri concitato motu ad auferendum impedimentum, non aliter quàm in motu naturali citra sensationem diverso motu movetur pro varietate usûs instigantis.

Aliam causam tremoris adducamus, scilicèt intemperiem sine materia, quæ si fit fiens, & etiam facta, eatenùs causat tremorem, quatenùs molestiam infert, eò quod debilitatem causet in corde, ac proindè ratione illius aliquid residuum permanet, & sic movetur cor ad ejus expulsionem, & tremulum facit motum, ex eo quod irritetur ob varios motus: & cùm ex alia parte debilis sit facultas, & non possit eos exercere, tremulos facit motos. Similiter ex abscessu in pericardio fit tremulus motus in corde, eò quod impediat proprium motum, & aliquod nocivum ipsi communicetur ei molestans.



DISPUTATIO XLIX.

De Syncope.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit syncope, & quo pacto differat ab aliis affectibus, cum quibus videtur convenire.



SYNCOPE est gravissimus affectus cum quo prope mortui ægri apparent, cùm cor illo laborat, & sic definitur à Galeno 12. *meth. cap.* 5. *Est præceps virium lapsus*, idest subitus. Dubitârunt plures an ad syncopem necessariò requiratur quod fiat subitò virium animalium lapsus: quòd si loquamur juxta communem consensum, affirmativam partem tenere debemus cum Galeno; attamen si rem attentè inspiciamus, non est cur non nominetur syncope paulatinus virium lapsus, siquidem nulla est ratio quæ contrarium probat.

Sed quatuor sunt nomina quæ similitudinem aliquam habent, licèt aliquo modo differant, scilicèt virtutis exolutio, tremor, animi deliquium, & syncope; nam virtutis exolutio, est quædam debilitas quâ sensus & motus perturbantur, servantur tamen secundum aliquam proportionem. Deliquium verò animi majorem debilitatem continet, licèt ab aliquibus pro eodem ac exolutio virtutis accipiatur: deindè tremor seu motus tremulus ex majori debilitate procedit, & tandem ex multo majori syncope nascitur, ità ut secundum magis & minus differant ex parte causæ, syncope & animi deliquium.

Rursùs inquires, an solùm differant secundum magis & minus prædicti affectus, & dicendum esse arbitror etiam differre ratione partis affectæ, nam in animi deliquio primariò patitur cerebrum, eò quòd possint deficere spiritus animales non deficientibus vitalibus, nec deficiente pulsu, ut constat quandò præcipit Galen. sanguinem mittere usque ad animi deliquium, quod non fecisset si in animi deliquio necessariò pateretur cor: in syncope verò primariò patitur cor. Cum hoc tamen verum est ut in magno animi deliquio, etiam pati cor, licèt non primariò; quandò autem deficit quantitas spirituum necessaria pro toto, tunc primò patitur cor, quia illa passio commonis totaliter non fit.

Sed dubitabis in quo consistat hoc symptoma, scilicet animi deliquium, an in defectu spirituum, an verò in retrocessu remanentium versus principium, scilicet versus cerebrum. Et dico quod licèt retrocessus spirituum fit conjunctus cum animi deliquio, tamen non esse causam immediatam ejus, sed potiùs causam immediatam esse defectum ipsorum

ſorum io debita quantitate;nam defectu ipſorum poſito, etiamſi impediretur retroceſſus ſpirituum remanentium verſùs cerebrum, ſine dubio erit prædictum ſymptoma, quia deficerent ſpiritus pro actionibus animalibus, & tamen non erit retroceſſus; ergo cauſa immediata erit defectus, non retroceſſus.

Similis dubitatio poteſt fieri de ſyncope, an conſiſtat in defectu ſpirituum vitalium, an verò in retroceſſu eorum ad cor. Et eodem modo dicimus ac de animi deliquio, de ſyncope, ob eandem rationem; & quia retroceſſus ad cor potiùs juvat pro actione quàm pro ejus ablatione, in qua hæc ſymptomata conſiſtunt. Advertere tamen oportet quod adhuc in retroceſſu ſpirituum eſt maxima eorum præfocatio, & reſolutio à cauſa infeſtante cor, ob quod actiones diminutè adhuc in corde ſunt.

Dubitatur ulteriùs an animi deliquium includatur intrinſecè in ſyncope. Ad cujus reſolutionem ſupponere oportet in ſyncope eſſe lapſum virium animalium, & vitalium, & eſſe affectum primò competens cordi, id eſt per propriam paſſionem, & cerebro per conſenſum, cum quo ſtat ut cum ſyncope neceſſariò conjungatur animi deliquium, eò quod patiatur cerebrum per conſenſum cum corde. Pluribus autem modis poteſt dici cerebrum pati poſſe animi deliquium per conſenſum cum corde ſyncope laborante, primò propter defectum ſpirituum vitalium immediatè, eo quòd calor influens cordis ſit neceſſarius ad omnes actiones, etiam animales eliciendas, ac proindè illo deficiente, ceſſant etiam omnes actiones.

Secundò quia ſpiritus vitales ſe habent ut materia animalium, & ſic illis deficientibus non fit nova regeneratio animalium, & qui ſunt generati reſolvuntur, & ſic fit animi deliquium per conſenſum.

Tertio modo poteſt contingere per ſubordinationem quandam, ità ut retroceſſu facto ſpirituum vitalium ad cor, animalium ad cerebrum etiam fiat ob ſubordinationem quandam quam dicunt. His ità ſuppoſitis, facilè eſt ſolvere quæſitum, dicendo animi deliquium non includi intrinſecè in ſyncope, neque eſſe partem illius; nam nullus dixit affectum per conſenſum ſive per ſubordinationem cum alio, eſſe partem illius qui eſt per propriam paſſionem, licèt ità conjungantur ut exiſtente uno, aliud ſequatur.

Sed ulteriùs quæres, an animi deliquium præcedat neceſſariò ſyncopem, & juxta noſtram ſententiam in qua diximus hos affectus pertinere ad diverſas partes, & contingere affectu diverſorum ſpirituum, facilè eſt intelligere non præcedere neceſſariò animi deliquium ad ſyncopem, & in qualibet operatione exiſtimamus hoc eſſe verum; nam licèt in gradibus intenſionis id reperiatur, ut non poſſit agens pervenire ad intenſum quin priùs tempore accipiat remiſſum, ſi productio fiat in tempore, tamen in corruptione alicujus entis naturalis benè contingit ut corruptio plurium partium fiat ſimul, non præcedente corruptione cujuſlibet minoris ſecundum tempus, quia poteſt agens applicari pluribus ſecundum extenſionem, præſertim ſecundum virtutem ſufficientem; undè benè ſtat ut in ſyncope corrumpantur ſimul plures ſpiritus vitales, abſque eò quod præcedat ſecundum tempus corruptio eorum, ex quibus propter defectum materiæ ſaltim mediatè poterat fieri animi deliquium. Si autem dicamus per defectum vitalium ſpirituum immediatè deficere actiones animales, quia ſpiritus vitales ſunt principium commune neceſſarium pro omnibus operibus, dicere debemus ſemper animi deliquium præcedere ad ſyncopem.

Ex dictis ſequitur animi deliquium & ſyncopé eſſe ſymptomata in actione ablata ſuarum partium; ità ut in corde ſit actio ablata tam facultatis pulſificæ quàm facultatis generantis ſpiritus; quæ quidem ambo reſident in corde, & deficiunt à ſuis actionibus, eò quod deficiant ſpiritus neceſſarij valdè ad actiones adhuc ſuarum facultatum; morbus autem à quo hæc ſymptomata procedunt, eſt privatio qualitatis requiſitæ ad actiones: juxta Gal. verò ſententiam cùm defectus ſpirituum non ſit morbus, ſed ſymptoma tertij generis, dicimus ſyncopem non procedere à defectu iſtius requiſiti immediatè, ſed medio alio morbo, quid autem ſit, dicemus poſteà.

CAPVT II.

An animi deliquium ſit ſoporoſa affectio.

CONCLUSIO noſtra ſit, quòd etiamſi in animi deliquio ſit retractio ſpirituum animalium verſus ventriculos cerebri, nihilominùs non debet dici ſomno præternaturam laborare vivens (nam de naturali non eſt dubium quin in illo non ſit) & ratio quæ à noſtro Petro Garc. adducitur, eſt quia privatio ſenſûs & motûs non dicitur ad convertentiam cum ſomno; nam aliàs qui ſunt proximi ad mortem propter extremum languorem facultatis, dormire dicerentur, quod eſt falſum, cùm potiùs dicantur impotentes ad vigilandum; itaque ut aliqua affectio ſoporoſa dicatur, requiritur eſſe in ea privationem ſenſûs & motûs propter motum impeditum ſpirituum animalium à cauſa præternaturam facientem morbum obſtructionis. Sed reverà id videtur gratis dictum, & contra ejuſdem doctrinam, *cap. de ſomno & vigilia*, ubi ait ſomnum fieri ob retractionem ſolam ſpirituum animalium.

Adhuc contra doctrinam Petr. Garciæ nuper inſinuatam militat argumentum difficillimum; nam inter ſpecies cari numeratur ab eo ea quæ fit per ſpirituum reſolutionem ex ingenti aliquo dolore; ſed carus eſt affectio ſoporoſa, ut ipſe fatetur expreſsè, ergo defectus ſenſûs & motûs qui fit in animi deliquio per conjunctionem ſpirituum, & eorum retractionem ad cerebrum, erit verus ſomnus præternaturam. Reſpondet Autor hanc aſſignatam non eſſe veram ſpeciem cari, ſed ſolùm dici propter ſimilitudinem, ac proindè non eſſe affectionem ſoporoſam, ſicut neque animi deliquium.

Sed dices, in tali specie quæ per similitudinem ait dici carum, sunt omnia signa pathognomonica cari, quia est privatio sensûs & motûs sine febre, & sine læsione respirationis; ergo erit vetus carus.

Respondetur verum esse ibi reperiri omnia signa, sed non procedentia ab unica solùm affectione, sed à pluribus affectionibus partialibus, ut de dolore pleuritico diximus *proprio cap. & de empyemate*; in tali autem casu in prædicta specie præter signa assignata est dolor quod sufficit ut distinguatur à vero caro.

CAPUT III.

De causis Syncopis.

SUPPONO imprimis robur virium duo potissimùm solùm respicere, spiritus, & partes solidas, ità ut quodlibet ex his petat certam quantitatem & qualitatem. Hoc ergò prænotato quatuor communiter assignantur causæ syncopis, nam aut potest causari à vitio spirituum, vel à malo totius corporis, sub quo etiam cor comprehenditur, aut à distemperie cordis, aut propter morbum instrumentalem ejus. Ut ergo à prima in ordine incipiamus, certum est vitio spirituum causari; nam cùm eis indigeant partes, per eorum corruptionem actiones necessariò deficiunt, possunt autem corrumpi aut ab intemperie, aut ab humoribus qui ità subeunt corruptionem, ut veneni vim comparent, aut evacuatione magna, aut maximo dolore, fame, aut rupto abscessu, aut hydrope repentè vacuatis, aut alvi profluvio, aut suffocatione possunt perire per multitudinem humoris, ut in principiis accessionum solet contingere, aut in quibusdam animi passionibus, dum ad cor moventur; quid autem sit quod producatur in ipsis ut deficiant, non est hujus loci disputare; aut denique ut solet contingere in febribus syncopalibus, aut per interruptionem vasorum juxta cor, ob quod non possunt communicari in partes inferiores.

Secunda causa est sumpta ex malo totius corporis simul & cordis, ut in febre colliquante & utente ratione dissipationis spirituum, nam aliter non potest intelligi syncopem causare.

Tertia causa est ex parte solius cordis, quandò laborat aliqua distemperie.

Quarta quandò morbo instrumentali afficitur, ut inflammatione, aut vulnere.

Ex quo debet conjectari solam spirituum alterationem absque eorum corruptione, non sufficere ad syncopem, nam experimur multoties quamplures esse intemperies magnas quin faciant animi deliquium; tum præterea quia intemperies non sufficit ut à propria forma non dimanet qualitas vivificans partes, necessaria ergo est corruptio spirituum ad animi deliquium. Licet etiam conjectari ex distemperie calida posse sequi syncopem, eò quod talis potest esse ut dissolutionem spirituum faciat subitò; undè non sequitur in qualibet febre ardente, aut alia qualibet causa tantæ intensionis, hoc idem necessariò contingere, nam ob passi majorem resistentiam, potest non sequi dissipatio subita; hæc autem causa ad corruptivam spirituum reduci debet.

Ultimò dubitari potest quod dixit Galen. nempè ab omni intemperie posse syncopem causari; nam videtur difficile de siccitate & humiditate, nam hæ qualitates subitò non possunt causare virium lapsum, sicut neque epilepsiam, ut ibi diximus, solùm possumus dicere causare syncopem quatenùs potest commonicare spiritibus aliquod vitium, ut densitatem, aut aliquid aliud quod impediat eorum vim, aut eos corrumpat; sed hoc est contra doctrinam *suprà* traditam: nam densare, alterare est, ergo per solam alterationem (non solùm siccitatis, sed cujusvis alterius qualitatis absque corruptione spirituum, eò solùm quod in eis producatur aliquid quod impediat, vel eorum generationem, vel eorum motum, ut etiam de distemperie frigida potest dici esse impedimentum ad eorum regenerationem) potest contingere syncope, eò solum quod aliquid producatur in spiritibus quod impediat vim eorum, etiamsi eos non corrumpat.



DISPUTATIO L.

De vitiis œsophagi, aut gulæ.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit gula, quis ejus usus, & cujus facultatis.



GULA idem est quod œsophagus, est autem hic quædam pars quæ inter fauces & os ventriculi est media, & est continua ventriculo, via quidem est angusta & longa per quam ea quæ devorantur tendunt ad ventriculum, & per quam dejiciuntur ea quæ à ventriculo ad os elevantur, constatque eisdem tunicis, ac ventriculus.

Sed dubitabis cujus facultatis sit actio, deglutitio. Et dicimus esse actionem compositam ex duplici facultate, alterâ naturali attractivâ quâ attrahitur alimentum; alterâ animali & voluntaria, quâ musculi ibi existentes aperiuntur, & dilatantur pro voluntate nostra. Itaque operatio deglutiendi illis duabus facultatibus complectitur, adeò ut qualibet deficiente, duriter & difficulter fiat deglutitio, ut quotidie experimur; nam si fastidio habeamus aliquam rem duriter fit illius deglutitio, ergo facultas illa appetitiva cui attractiva naturalis est subordinata, ut dicemus posteà, aliquid facit partialiter ad deglutitionem

titionem saltim mediatè, mediâ scilicet attractiva naturali. Quod autem ad hujusmodi actionem concurrat facultas animalis constat, cùm multoties per paralysim in musculis œsophagi evenientem impeditur deglutitio; & præterea probatur, quia quandò volumus devoramus, signum ergo est facultatem animalem ad prædictam operationem concurrere.

Dices: si deglutitio est actio voluntaria, & in nobis libera, cur existente inappetentiâ non fit.

Respondetur facultatem ventriculi & œsophagi quæ eadem est, esse subordinatam appetentiæ quæ in ventriculo ponitur, ac proindè quod appetit ventriculus, faciliter devoramus, secùs quandò non appetit. Ad quod valde facit quod dixit Gal. 3. *de fac. naturalib. cap.* 8. ciborum appetentiam præcedere ad deglutitionem ciborum. Advertere tamen oportet illam appetentiam cui diximus subordinati attractivam facultatem deservientem ad deglutitionem non requirere actualem sensationem objecti, & positivam, sed sufficere non habere repugnantiam ad cibum aut potum.

Sed quantum attinet ad instrumenta facultatis naturalis attractricis quæ est in œsophago, deglutitioni deserviens, dico esse villos oblongos ad attrahendum, & latos ad expellendum, licèt etiam villi lati conducant ad ipsam deglutitionem, protrudendo alimentum versus ventriculum; villi oblongi sunt in tunica interna œsophagi, lati verò in tunica externa: Et non est mirum ut lati villi concurrant ad expulsionem & attractionem, quia id faciunt eò quod incipiant motum ex diversa parte; nam si incipiunt motum ab ora ventriculi, pellunt, si verò ab ore, detrudunt versus ventriculum. De villis transversis non est quod dicamus, cùm in œsophago non sint necessarij, quia retentio ad quam conducunt non est necessaria, & si aliqua est, fit à villis latis, in quibus posuit Avicenn. virtutem retinendi licèt parvam.

CAPUT II.

De vitiis quæ pati potest gula.

CUM gula seu œsophagus duplicem habeat usum, & esse viam per quam transit alimentum, & attrahat pelláque in deglutitione & vomitu, indè est quod secundum utrunque ipsius affici possit. Secundum modum primum instrumentaliter per impeditionem cavitatis, impediens enim corpus causat læsionem in gula, aut propter angustiam, & hæc potest contingere, aut per propriam passionem, aut per consensum, ut quandò contingit angina ex luxationa vertebrarum colli, aut quandò ibi excitatur tumor aliquis præternaturam. Quoad alia munera quæ exercet gula, potest pati vitium in temperamento, & etiam in soluta unitate. Sed notare oportet quosdam laborantes ità se habere, ut deteriùs res liquidas & cum majori difficultate deglutiant quàm solidas. Cujus rei potest esse ratio, quia ob debilitatem facultatis non possunt contrahi fibræ ad unum opus, & sic ad aliud: nam major contractio requiritur ad res liquidas quæ propter tenuitatem imbibi possunt, quàm ad solidas. Et si dicas fluxibilitatem juvara ad deglutitionem, etiam dicimus gravitatem rerum solidarum juvare.

Secunda causa hujus potest esse siccitas magna in cartilagine coopetiente caput asperæ arteriæ, nam siccâ existente non cooperit sicut oportet, & sic tunc ingreditur res liquida & potabilis, & non solida, cùm via non sit ità patens, ut possit ingredi, quo fit ut impediatur ob hanc causam transitus rei liquidæ per œsophagum seu gula, & per consequens res solida solùm possit deglutiri.

Tertia causa potest esse appetentia rei solidæ & non liquidæ. Potest etiam contingere impedimentum in deglutitione ex siccitate fibrarum gulæ, ratione cujus non possunt contrahi.

Ut ergo cognoscat Medicus an vitium in deglutitione proveniat ex debilitata solùm illius partis, oportet ut attendat si æqualis est difficultas per totum œsophagum aut gulam sine aliqua mora, aut dolore; nam si ità avenit, sine dubio causa est debilitas in parte illa, sicut si erectâ cervice transeat sine difficultate, & non erectâ difficulter. Si autem est in via tumor aliquis præternaturam, non est æqualitas in transitu, sed in aliqua parte magis detinetur, cùm ibi sit major angustia.



DISPUTATIO LI.

De his quæ spectant ad ventriculum.

CAPUT PRIMUM.

De partibus quibus constat, & earum usu.



COMMUNIS doctrina est inter omnes Medicos, in ventriculo esse duas partes potissimas, nempè os ejus cui appetentia tribuitur, eo quod sit pars valda nervosa, quia advenit ei ex nervis cerebri ramus, ob quod valdè sensibilis est hæc pars propter necessitatem famis & sitis; in qua parte virtutem concoquendi licèt parvam, concedunt Medici.

Altera pars præcipuè consideranda in ventriculo est fundum ejus cui tribuitur coctio, & est valde carnosa pars in qua aliquâ appetentiam concedimus: unicuique harum partium unicam tunicam dedit natura quæ prædictâ vi pollet, in ora scilicet ventriculi tunicam nervosam posuit internam, in fundo verò

verò tunicam carnosam externam, illa virtute sentiendi pollet, hæc verò concoquendi. In calce tamen adverte plures morbos sequi per consensum cum ventriculo, præsertim cordis & cerebri, hæ enim partes valdè consentiunt cum ventriculo, ob quod vitiato existente, solet contingere ut homines syncope stomachicâ laborent, (quæ ad differentiam alterius syncopis cardiacæ, dicitur) similiter melancholiam morbum, delirium, difficiles respirationes & soporosas affectiones, quas omnes affectiones ex diversis causis infestantibus ventriculum eveniunt.

CAPUT II.

De sensu famis.

Pro intelligentia dubij adverte quod quandò dicimus ventriculum sentire famem aut sitim, debet intelligi in eodem sensu, ac dicimus quamlibet partem sentire dolorem, non quidem quòd sentiat ipsam actionem dolorificam, sed quòd sentiat objectum dolorificum; sic ergo ventriculus sentit objectum famis & sitis, non ipsam actionem. Hoc ergo supposito, cùm sentire famem non sit proprium munus alicujus sensûs interni, ut de se patet, necesse est quod sit actio alicujus externi sensûs; ex his autem nulli propriùs videtur competere sensatio famis aut sitis, quàm tactui, nam ut deinceps dicemus, sensatio famis & sitis est dolorifica: sed objectum doloris pertinet ad tactum, ergo sensatio famis & sitis ad tactum pertinere debent qui percipit qualitates tangibiles alimenti, ex quo sequitur statim appetentia.

Ex quo potest quis non difficulter deducere, tactûs sensum qui reperitur in ventriculo esse ejusdem rationis cum tactu aliarum partium nostri corporis, eò quod qualitates tangibiles sive extrinsecùs, sive intrinsecùs accedant, habent tandem modum immutandi tactum; ergo frustrà diversas species tactûs ponunt aliqui Autores, sed existimandum est ne sine necessitate augeantur entitates, unicam esse speciem infimam tactûs, eámque esse in ventriculo sicut in aliis partibus.

Sed id quod diximus *cap. præcedenti*, scilicet in ore ventriculi esse appetentiam alimenti tanquam in subjecto, non caret difficultate, nam si facultas appetitiva est facultas sentiens animalis, videtur difficile sedē habere in ore ventriculi, sed potiùs in cerebro.

Andreas Laurentius respondet facultatem appetendi esse in cerebro, actionem verò & efficientem in ore ventriculi, sicut videndi facultas est in cerebro, & efficientia visionis in oculo. Tamen si hoc intelligatur de parte ubi residet facultas tanquam in prima radice, est verum, id tamen non tollit ut ibi sit vera facultas ubi elicitur actio, & sic debet fateri in ore ventriculi esse veram facultatem appetitivam animalem.

Nos tamen dicimus potentiam appetitivam cibi & potûs nullatenùs in ventriculo, neque in ejus ore esse ponendam, sed residere in cerebro, & esse eandem potentiam ac illa cum qua alia objecta appetimus. Probatur quia non est ratio quæ id probet, & quia quod ibi in ore ventriculi fiat sensatio dolorosa famelica, nihil probat; nam non ponitur diversa facultas appetitiva in aliis partibus, ubi fiunt dolorosæ sensationes; ergo neque in ore ventriculi; sed potiùs credere debemus ex sensatione externa tactûs non moveri immediatè appetitum, sed mediâ cognitione internâ quâ repræsentatur objectum ut conveniens, vel ut disconveniens: sed hæc cognitio interna non est in ventriculo, ergo neque appetentia in illo sedem habere potest: sed ibi fit sensatio externa tactûs, undè procedit appetitus cibi & potûs. Causam autem hujus tam magni consensus cerebri cum ventriculo, dicimus esse propter communionem nervorum à cerebro in ventriculum, qui nervi dicuntur sextæ conjugationis, licèt noster Vallesius dicat fieri ob occultam analogiam inter has partes. Advertere tamen oportet pro integra hujus dubij intelligentia in ventriculo esse omnes fibras quæ ad operationes animales conducere solent, videlicet sunt fibræ rectæ ad attrahendum, & latæ ad expellendum, & etiam sunt obliquæ ad retinendum. Adverte tamen fibras oblongas esse in tunica interna ventriculi, latas verò in tunica externa suam sedem habent.

CAPUT III.

De Symptomatis læsæ actionis ventriculi.

Certum imprimis est ventriculum posse pati tria illa genera actionis læsæ quantum ad suas actiones naturales, nempè ablatæ si deficiat aliqua actio naturalis; diminutæ, & depravatæ. Et primò sumimus exordium à læsa actione quæ respectu facultatis trahentis potest contingere; nam vel non trahit, vel longo tempore trahit, aut vix ægrè, & hoc modo est diminuta; primo verò modo est ablata, vel denique vitiosè trahit, ut palpitando, tremendo, vel convellendo, vel vibrando, & tunc depravatè trahit. Dum autem dicimus depravatè seu vitiosè moveri, tunc de parte trahente est intelligendum, non de alimento; nam in hoc non apparent illæ differentiæ motûs; & licèt ut absolutè aliqua pars trahat, non est necesse ut moveatur, ut de magnete est manifestum, tamen si pars trahens habeat fibras accommodatas ad hoc opus ut ventriculus, sine dubio localiter movebitur, secùs partes quæ non habent fibras, ut ossa, in quibus hoc modo non potest coctio depravata esse, licèt ex parte objecti possit dici depravatio, quando vitiosum est quod trahitur. Sed adverte quod licèt ad depravatum motum ventriculi fecimus mentionem de fibris non est credendum motum hunc fieri à facultate animæ vegetativæ, sed quia juvant tractionem naturalem, ideò illius motûs fit mentio.

Sed

Sed ut adducamus læsionem quam pati potest facultas retinens in suis actionibus, supponimus tunc facultatem retinentem esse secundum naturam, cùm tempus complectendi alimentum coæquat cum tẽpore concoquendi. Hoc ergo supposito, actio retentricis potest lædi tribus illis modis dictis, ità ut si nihil retineat, fit ejus actio ablata; diminuta est quandò non undique complectitur alimentum, nam cùm habeat fibras à natura institutas oblongas ad retentionem, si undique non retinet, est quia non quantum expedit contrahitur pars secundum illas fibras, vel etiam est diminuta quandò non tanto tempore detinetur sicut expedit ad coctionem; utrãque autem debilitatem arguit in facultate.

Sed videtur actionem retentricis non posse esse minori tempore quàm expediat, quia semper ex parte alimenti, & partis retinentis, omnia se habent eodem modo, ergo non est cur retentio non duret magis, cùm in alimento nulla addatur major repugnantia, sed omissis pluribus dicendi modis, dicimus retentionem cessare quia fibræ mediis quibus fit, patiuntur à pondere per successivam receptionem impulsûs à pondere caussatus qui paulatim producitur, & ideò juxta majus, vel minus pondus durat retentio, vel non ex eo solùm quod vincatur paulatim virtus facultatis ab impulsu.

Advertere tamen oportet quod inter ea duo quæ indicant diminutam esse facultatem retinentem, scilicet non undique retineri alimentum, vel non debito tempore illud retineri; hæc ultima arguit majorem debilitatem facultatis, & posse separari etiamsi ambo indicent debilitatem, licèt intensiorem & remissiorem, constabit ex signis utriusque, nam imbecilli existente complexu, hoc est quod non undique complectitur alimentum, sunt fluctuationes cum sonitu & flatulentiæ, quandoque verò non justo tempore retinetur, fit celer exeretio, & corruptela ciborum in ventre inferiori; ergo si signis bis stemus, optimè unum ex his sine alio poterit reperiri. Depravatio verò actio facultatis retinentis, quandoque cum palpitatione quodammodò, aut convulsione, aut vibratu, aut tremore fit.

Similiter respectu actionis expultricis sunt tres modi quibus læditur actio, nam est ablata quandò nihil excernitur, ut in ileo; diminuta fit actio quandò fit excretio tarda, & depravata quandò fit excretio antequam finiatur coctio, quod idem est ac celer exeretio, ut contingit in his qui in declivi currunt qui non valent se sistere.

Denique circa facultatem alteratricem, seu coctricem ventriculi, etiam possunt inveniri omnes tres prædictæ læsiones in ejus operatione; nam si non coquat, dicitur ablata, si verò fiat longiori tempore quàm oportet, diminuta dicitur; & tandem depravata, si alimentum mutetur in alienam qualitatem quàm pro natura debet.



DISPVTATIO LII.

De fame & siti naturalibus.

CAPVT PRIMVM.

An aliqua fames & sitis sit secundum naturam.



Upporo tanquam certum famem & sitim non esse contra naturam, eò quod sanitatẽ optima gaudentes, verè famescunt & sitiunt; si autem fames & sitis essent affectiones contra naturam, inducerent sensibilem læsionem in operationibus, & postularent auferri per medica remedia; constat autem hoc esse ridiculum, ergò nullo modo sunt præternaturam. Nec symptomata dici possunt, cùm nullum morbum medicum seu sensibilem supponant qui postulet ablationem sui. Fames ergo & sitis naturalis dicuntur secundum naturam, quatenùs procedunt à caussa secundum naturam & inevitabiliter operantibus; & etiam quatenùs sunt actiones à natura institutæ pro conservatione viventis, aliàs enim non esset cur natura ità formasset ventriculum tam acri sensû præditum; ut sentiret objectum famis, aut sitis. Et licèt hæ sint sensationes dolorificæ, & ex hac parte malæ, nihilominùs possunt intendi, licèt non posse ut fines, tamen ut medium valdè conducens ad nutritionem, & conservationem viventis. Possunt etiam dici secundum naturam, quatenùs sunt operationes factæ à natura, idest à principio activo, licèt præcedat aliqua passio corporalis; est tamen alia fames contra naturam quæ per remedia medica auferri postulat, ut quæ pendet ex nimia frigiditate ventriculi, aut ex pituita acida. Adverte tamen quod licèt dum vivens famescit, inanitum esse videatur, non tamen hoc sufficit, ut dicatur esse præternaturam, nam licèt eum hac inanitione completè vivens non sit secundum naturam, non tamen potest dici morbosa, quia non procedit à morbo sensibili postulans sui ablationem.

Sed quæres an in fame sit appetitus similium, an verò contrariorum; circa quod si fames sit præternaturalis, certum est esse appetitum in ea contrariorum; de naturali est dubium, circa quod vel possumus loqui de appetitu animali cum cognitione operante, & hunc esse contrariorum asserit Gentilis, quia est ventriculus in dispositione non naturali, ut in frigida, sicut sitiens in calida; si autem loquamur de appetitu naturali non operanta eum

cum cognitione, tenet esse similium, vel circa similia, quia suam conservationem quærit ventriculus. Tamen contra est, quia si in ventriculo appetitu animali famescente, est aliqua qualitas vi naturalis quæ expostulet sui ablationem, etiam appetitus naturalis non debet esse ad similia, sed ad contraria; probatur, nam si esset ad similia, esset inclinatio ad id quo augeretur qualitas ibi existens: præterea quia ventriculus famescens non postulat sui conservationem, quin potiùs naturaliter inclinarat ad illius ablationem.

Sed reverà nobis dicendum est nullum appetitum ex his quæ sunt in fame esse, neque circa similia, quia alimentum, ut postea videbimus, non est simile dispositioni illi internæ ex qua fames resultavit: neque circa contraria, quia neque est contrarium illi dispositioni, nisi longissimà significatione vocetur contrarium, quatenùs per adventum illius tollitur quod anteà erat, quod non est esse contrarium; neque ex eo quod petat fames seu sitis sui ablationem, sequitur esse contra naturam eo modo quod diximus, nam temperamentum senectutis appellatur à Gal. secundum naturam, & tamen petit reductionem & ablationem, ergo etiamsi fames petat ablationem sui, potest dici secundum naturam modo à nobis dicto, & quia nullam facit sensibilem læsionem, licèt cum ea malè se habeat aliquo modo.

CAPVT II.

Quot sint in animali dum famescit naturaliter.

GALENUS *lib. de causis symptomatum, cap.* 7. circa rem hanc affirmat dum vivens famescit naturaliter, quinque reperiri: primum resolutio, vel exinanitio, vel vacuatio partium earum quæ sunt circa cutem; secundum est appetentia naturalis earum partium quæ exinanitæ sunt, quæ non est peculiaris potentia, sed inclinatio quædam tertium tractio partium ordine se consequentium usque ad ventriculum à quo partes proximæ sugunt; quartum sensus suctùs; quintum & ultimum appetentia animalis. Sed ex his tria prima, animalia habent communia cum plantis, & in duobus ultimis differunt, nempè in appetentia animali, & in sensu suctùs, quo reliquæ partes sugunt alimentum ex ventriculo.

His ergo suppositis sic procedimus. Circa primum, à quo scilicet fiat vacuatio seu resolutio, vel inanitio illarum partium quæ sunt juxta cutem; & breviter dicimus cum Galen. fieri à calore nativo nostro continuo agente in proprium humidum, & resolvente: Et licèt hujusmodi resolutio à calore extraneo & ab aëre ambiente juvetur, non tamen ulla ex his est causa necessaria, sed solum noster calor.

Sed contra dicta est argumentum, nam non videtur oportere ut partes trahant alimentum, eúmque sugant ex ventriculo, priùs exinaniri; nam facultas naturalis est attrahens quæ non potest non attrahere præsente objecto, utpotè operatur in quantum potest; ergo etiamsi partes quæ sunt juxta cutem non exinaniantur, sua facultate trahent ab aliis usque ad ventriculum.

Respondetur hujusmodi facultatem operari propter finem, & subordinatione quadam; quo fit ut licèt ex parte agentis, vel virtutis activæ omnia in quolibet tempore sa habeant eódem modo, tamen ex parte finis, non ità contingit, ac proindè pro necessitate finis operatur, & sic quandò est inanita trahit pars, secùs verò quandò non. Et licèt magnes semper trahat, nihil facit contra nos; nam non est eadem ratio habenda de omnibus agentibus naturalibus.

Dices ulteriùs: sequitur ex dictis in Athletis non reperiri famem illam naturalem, nam cùm in his vasa sint adeò plena sanguinè, non patiuntur partes cutaneæ indigentiam ex qua debebat sequi tractio.

Respondetur non esse inconveniens concedere in Athletis non esse famem excitatam ex hoc modo tractionis per partium cutanearum resolutionem usque ad ventriculum, cùm sit materia superans in his in venis quæ possit attrahi pro satisfactiona inanitionis, reperiri tamen famem in Athletis, ex eo quod ventriculus privetur alimento, aut indigeat chylo, ut si mittatur ad jecur ob indigentiam generationis sanguinis: quo fit ut illa causa, scilicet resolutio partium cutanearum, non sit simpliciter necessaria ad famem naturalem ventriculi.

Ex quo licet advertere, quod licèt fœtus in utero existens non nutriatur per os, sed per vasa umbilicaria, laboret propria fame; nam licèt ejus ventriculus non nutriatur ex chylo, nutritur tamen ex sanguine, & cùm ex alia parte habeat sensum in illo qualis requiritur ad famem, necessarium videtur, quòd per indigentiam sanguinis famescat.

Tandem in fine hujus dubij advertere oportet, quod licèt Galen. non fecisset mentionem de siti naturali, non tamen debemus eam negare, imò potiùs debemus credere easdem causas quas proposuimus circa famem competere sine dubio siti naturali, & præsertim prima à qua cæteræ oriuntur; nam ob consumptionem humidæ substantiæ fit attractio usque ad ventriculum ab aliis partibus in quo est sensus suctionis, & posteà appetentia animalis: quod autem substantia humida, hoc est aquea, non nutriat, nihil facit ut partes eam attrahant, ut constat in pluribus exemplis.

CAPVT III.

An essentia famis & sitis consistat in sensatione, an verò sit passio appetitûs.

CUM famis & sitis affectiones dolorosæ dicantur à Gal.& hoc sit satis commune inter omnes Medicos, in præsenti dubio philosophari debemus juxta doctrinam communem de actione dolorifica, an scilicet sit actio formaliter sensûs,an verò appetitus sensitivi. Et ut imbuti generalibus præceptis ad peculiaria descendamus, de natura famis & sitis, imprimis supponere debemus, in fame seu siti & esse sensationem tactûs, & esse actionem appetitûs animalis quo fugit aut prosequitur objectum sensatum per tactum; hæc enim duo sunt peculiaria in fame & siti, nam in aliis tribus causis conveniunt cum plantis.

Hoc ergo prænotato, licèt pro utraque parte sint rationes dubitandi quas omitto, quia potiùs ad naturam doloris quàm ad præsens dubium spectant. Dico in hac re famem & sitim formaliter consistere in actione appetitûs; sensationem verò tactûs præsuppositivi requiri ad famem & sitim, ac proindè quando communiter dicitur famem & sitim consistere in sensatione tactûs, intellige causaliter, formaliter verò ad appetitum pertinere suadent plures rationes quas omitto, quia alibi sunt adductæ, ubi annotavi esse quæstionem de nomine quæstionem illam quæ inquirit an dolor pertineat ad sensum tactûs, an verò ad appetitum, vide in hac re super naturam doloris Primarium Nostrum Doctorem Martinez *in suo opusc. de reb. naturalibus,non naturalibus & contra naturam, cap. de dolore*, ubi ad latum hæc omnia invenies.

CAPVT IV.

Quis actus sit appetitus.

CUM duplex sit actus appetitûs, alter fugæ, & prosecutionis alter, inquirit dubium an fames & sitis consistant in actu prosecutionis, an verò in actu fugæ ipsius appetitus.Ad quod supponere debemus in fame & siti esse actum fugæ quo fugit objectum dolorosum anteà sensatum per tactum. Deindè est certū esse actū prosecutionis quo desiderat alimentum quo aufertur molestia illa, qui actus non differt à desiderio, cùm sit per modum motûs in finem extrinsecum: quæstio ergo est an in hoc actu desiderij, an verò in illo quo fugit animal molestam sensationem consistat fames aut sitis.

Hoc ergo supposito, nobis dicendum consistere in ipso actu fugæ. Et probatur primò à simili de alterius cujusque doloris natura, qui in actu fugæ consistit, etiamsi in illis sit alius actus desiderij quo cupiunt liberari à tali molesta sensatione: ergo cùm fames & sitis sint dolorosæ sensationes, necessariò consistunt in actu fugæ, etiamsi desiderant alimentum quo auferatur illa molesta sensatio.

Advertere tamen oportet, quod quandò Gal. dixit sitim esse appetitum frigidi & humidi, nomine illius debet intelligi fluidi, vel substantiæ potabilis; nam quandò in alia parte sentiente est molestia à calore & siccitate, in illa est appetitus animalis frigiditatis & humiditatis, & tamen non laborat siti, oportet ergo esse appetitum fluidæ substantiæ, vel substantiam potabilem, qui solùm est in ventriculo, & non in alia parte. De fame dixit etiam esse appetitum calidi & sicci; quod ità intelligi debet, ut sit appetitus illius quod habet aliquam consistentiam saltim in fine; nam licèt in quantum est in reparationem substantiæ deperditæ dicatur humidum aliquo sensu,tamen quia compactam habet substantiam, dicitur siccum, prout contraponitur fluido, & in hoc sensu debet intelligi appetitus calidi & sicci; nam etiamsi sit frigidum alimentum actu, tamen ex illo reparatur substantia calida, & ideò dicitur appetitus calidi. Unde si stemus dictis Galen. solùm in ventriculo erit fames & sitis vera, & forsan si aliqois vult asserere esse sitim in faucibus & linqua, eò quod in his partibus est eadem tunica ac in ventriculo, eadem currere debet ratio de fame.

CAPVT V.

Cujus substantiæ defectu sequuntur fames & sitis.

FAMES & sitis contingunt cùm deficit in ventriculo aliquid; in præsenti ergo dubio explicare oportet quid sit id quod deficit, ratione cujus fames & sitis eveniunt; circa quod Vega tenet necessariò in ventriculo deficere non solùm chylum, sed substantiam nativam, ut fames & sitis excitentur, & probat quia animalia degentia multo temporis spatio in latebris terræ, per multum tempus carent fame naturali: sed non est credibile tantùm temporis durare chylum in ventriculo; ergo non solùm per defectum chyli, sed alterius substantiæ, nativæ scilicet, succedit fames & sitis. Frivola quidem ratio, nam hujusmodi animalia abundant plurimis succis crudis & pituitâ quæ mutata in sanguinem, potest nutrire.

Quapropter mihi dicendum videtur solùm per chyli defectum excitari famem. Probatur quia una ex causis famis *suprà* à Gal. enumeratis est tractio partis à parte usque ad ventriculum ubi est sensus suctionis &c.sed partes solùm attrahunt chylum & alimentum ventriculi; & non substantiam nativam; ergo per solum defectum chyli succedit fames.

Secundò,quia licèt maxima fames sit, sta-

tim cessat ab assumpto cibo ; sed tunc non potest reparari in tam brevi tempore nativa substantia; ergo solùm quod causabat famem, erat chylosæ substantiæ defectus.

Sed quæres utrum, in fame & siti sit ordo prioris & posterioris, ità ut necessariò vivens primò sitiat quàm famescat, vel è contrà. Et respondeo inter has actiones nullum esse ordinem prioris & posterioris, sed tunc famem contingere priùs, cùm substantia solida priùs deficit, tum verò sitim priùs sentimus, cùm fluida substantia priùs resolvitur.

Dubitabis ulteriùs an simul possint esse fames & sitis. Et ratio difficultatis stat in eo quod fames procedit ex nimia frigiditate calidore in ventriculo, sitis verò ex nimio calore ; ergo videtur difficile aliquem simul habere sitim & famem.

Respondeo has qualitates posse esse in gradibus remissis, quo fit ut ambæ affectiones erunt, licèt remissæ ; vel dicito, posse esse simul in gradibus intensis calorem & siccitatem illum excitantem, famem & sitim, ac proindè simul erunt hæ affectiones in gradibus intensis.

CAPUT VI.

Quid sit quod sentitur in ventriculo ut objectum, dum famescit naturaliter, aut sitibundus est.

CUtqua rem contemplanti videbitur dubium nostrum facilè solutu, nam cùm fames & sitis sint actiones dolorificæ, sine dubio earum objectum erit aliqua ex qualitatibus primis, aut secundis tangibilibus. Sed adhuc manet difficultas ardua, nam cùm plures sentiant dolores in ventriculo, & tales non sint fames, neque sitis, oportet examinare quid speciale est quod sentitur in fame aut siti. Circa quod communis sententia est sentiri corrugationem quandam in ventriculo in prædictis actionibus, quæ contingit ex defectu cibi & potûs, in qua corrugatione dicta debemus considerare motum localem partium, & solutionem continui factam ea illo. Ea his autem docet Vega sentiri in fame solam continui solutionem. Ratione probatur hæc sententia, quia non aliter calor tollit famem quàm laxando; ergo coarctatio erat quæ causabat solutionem continui, & objectum illius sensationis. Sed contra istam sententiam argumentor, quia in illa corrugatione solùm possumus considerare duo, & motum localem & solutionem continui causatam ea ipso motu ; sed imprimis motus localis non potest sentiri in fame, aut siti, cùm sit sensibile commune qui sine proprio sentiri nequit. Similiter non potest sentiri solutio continui, quia solutio passiva in eadem parte in qua est, sentiri nequit. Præterea quia hæc solutio continui in fame & siti est ejusdem rationis quantum ad intrinseca ; undè si quis vexaretur fame, & assumeret potum, cessaret fames, & si quis vexaretur siti, & sumeret alimentum, cessaret sitis, quod est valde absurdum. Neque ad id valet quod ea diversa causa ortûs solutio continui quæ est in fame quàm quæ est in potu ; nam id per accidens est, quoad intrinsecum ipsius objecti quod sentitur si solutio est.

Alij verò affirmârunt in fame sentiri frigiditatem ; in siti verò siccitatem. Sed contra est, quia sequitur, quod si aliquis sitibundus assumeret alimentum humidum, statim auferretur sitis, & si aliquis fame laborans assumeret aquam, vel potum calidum, statim deficere famem, quod est contra experientiam.

Alij verò tenent famem naturalem excitari ab humore melancholico naturali qui à liene in ventriculum mittitur, qui quidem sua frigiditate, seu, ut aliqui dicunt, virtute quadam suâ adstrictivâ facit corrugationem in ventriculo, & expressionem substantiæ alimentosæ, & sic famem excitari ; objectum autem quod sentitur tunc, est frigiditas quædam, seu asperitas quæ in ventriculo remanet post talem expressionem ; sed contra istam sententiam sic argumentor, quia experientiâ constat deficiente alimento in ventriculo sentiri famem : sed tunc non est objectum quod sentiatur aliqua qualitas prædicti humoris : patet, nam humor non fluit semper à liene ad ventriculum, neque ille qui semel fluait semper perseverat ; siquidem aut evacuatur, aut resolvitur : neque etiam est ratio aliqua quæ persuadet ut statim ac est defectus alimenti in ventriculo, lien mittat in eum humorem melancholicum ; nam potest tunc lien non irritari, aut gravari ad talem expulsionem ; non ergo videtur ratio quare inter prædictas partes ponamus talem consensum necessarium, ergo cùm possit deficere alimentum, quandò nulla portio talis humoris in ventriculo est, erit fames, quin ab eo causetur.

Ulteriùs sic argumentor, quia qualitates quibus talis humor posset excitare famem, vel est frigiditas seu aciditas ; & hæc non, quia per usum alimentorum frigidorum & acidorum in eadem intensione ac in melancholia, non tolleretur fames, sed potiùs magis excitaretur, quod videtur absurdum, & contra experientiam : vel qualitas excitans famem est virtus adstringens quæ reperitur in tali humore, & de hac potest confici idem argumentum de usu alimentorum adstringentium. Neque aciditas potest esse causa, nam hæc potiùs ad gustum spectat quàm ad tactum, & sic nequit sentiri in ventriculo.

Præterea quia non afferunt quid sentiatur in siti naturali, nam dicere esse viam per quam jecur mittat in ventriculum bilem, sicut est via per quam lien mittat melancholiam, est præter rem, & ad libitum ; præterquam quod si hoc esset verum, fierent molestæ affectiones & sensationes in ventriculo quas non experimur. Et denique contra *supra* traditas omnes sententias est argumentum difficile, nam non possunt explicari cur in aliis partibus sentientibus applicato eodem objecto quod dicunt sentiri in fame, ibi non sentiatur,

sentiatur fames, cùm sit sensus tactûs, & objectum, & cætera requisita ad talem sensationem, certè videtur difficile rationem assignare. Cum hoc tamen non negamus humorem melancholicum si fortasse existat in ventriculo non juvare, sed quod dicimus est hujusinodi humorem non esse causam necessariam famis naturalis.

Sed nobis dicendum videtur in hac re sentiri quandam peculiarem qualitatem tangibilem dolorosam quæ habet ortum ex natura ventriculi ab eóque efficienter producitur, supposito defectu alimenti aut potiùs tanquam conditione, est tamen diversa hæc qualitas in fame, aut siti, ut colligitur ex effectibus diversis, ut sunt appetitus diversarum rerum, quia alia pars non habet naturam ventriculi à natura institutam in subsidium nutritionis, indè est quod solùm fames in ventriculo reperiatur. Hæc autem qualitas quæ sentitur neque est prima, neque secunda ex his quæ talia à nobis dicuntur, sed esse primam alterius naturæ ab illis; sic enim lumen est qualitas prima, & sonus non est propriè secunda, neque prima ex quatuor, qualitas tamen quæ sentitur est talis naturæ ut inclinet peculiariter in appetitum alimenti, aut potûs. Neque mirandum ut in fame hæc qualitas sit quæ sentitur, cùm omnes ad hanc aut illam huic similem debeant reducere objectum quod in siti sentitur huc, usque à nullo Autore assignatam.

Sed dices contra hanc conclusionem; nam cùm hæc qualitas oriatur à principio interno ventriculi est formaliter in organo; ergo non sentitur, siquidem non potest producere speciem sui, sed si dicamus hanc qualitatem non indigere specie ut sentiatur, sed ipsam qualitatem realem esse principium suæ sensationis, nullam habet vim argumentum. Tamen in sententia communi concedente species, dicimus nòn sentiri in parte in qua, sed à parte contigua; sed hoc habet difficultatem, nam qualitas tangibilis non sentitur nisi prævio affectu reali, sed nulla fit immutatio ab una parte ventriculi in aliam; nam una pars carnis, aut nervi non sentit mollitiem, aut duritiem alterius. Et ratio est quia cùm nullam realem immutationem recipiat, neque speciem recipere valet; sed oportet aliquid prævium produci ab una parte ventriculi in aliam ut sentiatur prædicta qualitas in fame. Quod autem producatur, fatetur noster Petrus Garcia, & affirmat non posse certò determinare quid sit prævium quod producitur; quod quantùm difficile sit, jam constat.

Advertere tamen oportet, quòd licèt talis qualitas quæ sentitur in fame oriatur à natura ventriculi, deficit tamen per præsentiam alimenti, & producitur per defectum alimenti, non quia ventriculus mutetur quoad intrinsecum, sed quia est finis extrinsecus ad quem ordinatur fames; & sic illo posito cessat, & ablato producitur; sicut aliqui dicunt de vacuo, nam eo posito, concedunt aliqui in corporibus contiguis principium cõnaturale quo moventur ad replendum vacuum, ità ut illo posito fiat motus, & illo deficiente cesset, & tamen finis externus est. Cùm hoc tamen bene stat humorem melancholicum, & alia frigida conferre ad famem magnoperè, quatenùs ad corrugationem conducit, quæ corrugatio conducit ad famem, quatenùs est necessaria conditio ut aliqua qualitas dolorem faciat, fit autem illa corrugatio ab illa qualitate quam diximus, & sic non tollitur per aliquam qualitatem primam ex positis.

Sed in hac re mihi videtur dicendum probabiliùs esse existimare naturam ad actionem tam necessariam instituisse viam per quam lien continuò communicet melancholiam naturalem quæ excitet famem sua qualitate adstrictiva mediâ quâ facit corrugationem, & expressionem quæ conducit ad famem supposito defectu alimenti (sicut ait Petrus Garcia de qualitate illa occulta tangibili) tanquam conditione, ità ut posito alimento cùm deficiat finis extrinsecus, non operetur humor melancholicus, neque adstrictionem illam faciat, vel quia obtunditur ab alimento; meliùs enim est assignare causam manifestam, licèt cum aliqua difficultate quàm confugere ad qualitatem occultam cui quælibet operatio quantumvis difficilis pro libito potest attribui.

Verum tamen est adhuc manere insolutum quid sentiatur in siti, & adhuc difficile est explicare in hac nostra sententia, in qua dicimus fieri famem ab humore melancholico misso à liene in subsidium famis in ventriculum, quod est objectum quod ibi sentitur: tamen possumus respondere quod sicut in alia sententia in qua dicit Petrus Garcia humorem melancholicum conducere ad famem: tenetur assignare quid peculiare sentiatur vi humoris talis, ratione cujus sit major fames, ità in hac nostra idem possumus assignare quod in illa Contrarij assignare tenêtur.



DISPUTATIO LIII.

In qua continentur vitia, quæ circa læsam appetentiam ventriculi contingunt.



CAPUT PRIMUM.

De Canina appetentia.



APPETENTIA sicut & reliquæ actiones potest pati ablationem, diminutionem, & depravationem; depravata actio vel potest esse ob nimiam cibi appetentiam, vel ob alienarum qualitatum desiderium; ex his ergo canina appetentia una est, quæ dicitur immodica ciborum appetentia, ità ut hac affecti eum ingerendis nimis cibos modum excedunt, ità ut se sustinere nequeant, indè est, quod gravato ventriculo his alimentis non potente sustinere molestiam ad vomitum se vertunt,

quemadmodum contingit in canibus, ob quam similitudinem canina vocatur hujusmodi appetentia: contingit etiam sæpè si non vomant, ut fluore alimentum deficiant. Ex quo constat esse symptoma depravatæ actionis pertinens ad facultatem sensitivam seu animalem ventriculi; dicitur autem depravata, quia aucta est illa actio facultatis sensitivæ ventriculi, quâ sentitur immodicè objectum famis, cum qua consentit actio appetitûs ob connexionem quam habet cum molesta illa sensatione tactûs. Ubi advertas, quæso, ad id non esse necessarium quod communicetur aliquid à ventriculo in partem ubi residet appetitus, sed sufficit connexio & concomitantia quæ inter dictas potentias reperitur.

Cùm autem causetur hujusmodi appetentia ex acido succo & frigido, & ob nimiam resolutionem totius corporis, ratione cujus partes trahunt ex ventriculo & exinanitur, & statim resultat à natura ventriculi qualitas illa tangibilis dicta, in magna intensione, dicendum est morbum à quo procedit prædictum symptoma non esse unum, sed quandoque esse distemperiem frigidam, sive cum humore, sive sine illo, quandoque verò calidam distemperiem, quatenùs facit prædictam resolutionem, ex qua sequitur attractio à ventriculo, & seorsùs, juxta ea quæ *suprà* diximus: vel possumus dicere calorem immodicum adhuc existentem in ventriculo causare famem caninam quatenùs resolvere valet humiditates & superfluitates, vel substantiam humidam & calidam, ex quorum defectu redditur ventriculus frigidus, & sic excitatur fames dicta. Semper tamen est verum quandò excitatur fames dicta ob resolutionem partium ob quam fit attractio, & inanitio in ventriculo, quod patitur ventriculus, & morbo laborat per intensionem illius qualitatis tangibilis quæ intensiori modo tunc sentitur, qui morbus aliquo sensu potest dici per consensum, quatenùs sequitur ad defectum ejus quo indigebat, in rigore tamen non patitur per consensum, quia invariato quoad intrinsecum resultat illa qualitas, ut diximus.

Tandem aliam causam addimus, scilicèt vermes existentes in intestinis, aut in ventriculo; nam non ob aliam causam distemperies calida in toto corpore causat appetentiam caninam quia per attractionem partis à parte causat defectum alimenti in ventriculo; sed hoc idem faciunt vermes, ergo possunt caninam appetentiam causare. Ex quo licet conjectare ad prædictum symptoma non esse necessarium ventriculum pati morbum, sed satis esse morbum esse in corpore à quo medio alio symptomate procedat prædicta appetentia canina. Quando autem ex vermibus procedit morbus, vel sunt ipsi vermes, ut aliqui voluerunt, in numero aucto, vel ut meliùs aliqui, morbus est illa mala dispositio quæ est in corpore qua generantur vermes, quo fit ut hic morbus medio hoc symptomate in terentis præternaturam scilicèt mediâ retentione vermium causet defectum alimenti à quo oritur actio læsa prædictæ appetentiæ caninæ. Etiam licet advertere non esse necessarium in hoc affectu esse vomitum illius quod devoratur; nam quando fit ea resolutione partium à nimio calore, potiùs fit attractio alimenti ex ventriculo, & inanitio in eo; non ergo est causa necessaria, sed contingens.

CAPUT II.

De fame quæ dicitur boulimos.

Boulimos idem est ac magna fames quæ dicitur hoc nomine, quia boves eâ corripi solent, quapropter Avicenna appellat eam famem vaccinam. Est autem boulimos symptoma non simplex, sed compositum ex indigentia alimenti omnium partium corporis præter ventriculum, & ex diminuta, aut ablata actione appetitiva ventriculi; unde constat esse symptoma compositum ex actione depravata omnium partium corporis præter ventriculum, & ex actione ablata, aut diminuta hujus; contingit autem esse appetentiam ablatam, aut diminutam ob magnam frigiditatem, sive internam, sive externam mortificantem partem, licèt etiam possit ità lædi ventriculus à distemperie calida ibi existente, licèt non ità frequenter. Unde constat illam immodicam indigentiam partium esse symptoma procedens à morbo ventriculi, ratione cujus non assumit alimentum, undè partes trahant; in partibus verò talis defectus alimenti non est morbus, siquidem facultates naturales non patiuntur per consensum, ut *suprà* ostendimus. Sed existimo etiam posse dici symptoma distemperiei calidæ à quo fit illa resolutio alimenti, ratione cujus sequitur illa indigentia.

Constabit ex his satis distingui famem caninam & boulimum: aliqui tamen voluerunt semper famem caninam ad boulimum præcedere, eò quòd frigiditas intensa à qua fit inappetentia anteà fuit remissa, & sic causabit famem caninam; sed licèt frequenter ità fiat, non tamen est necessarium ità fieri Medicè loquendo, quia potest ità breve esse tempus, ut insensibile sit; undè etiam advertere licet in hoc affectu esse duplicem morbum, in distemperie calida unum, à qua fit resolutio, ratione cujus fit illa indigentia in venis, & in distemperie frigida alterû, à qua fit mortificatio illa & inappetentia. Ex quo patet ad hunc affectum non sufficere solam distemperiem ventriculi, tamen ut *suprà* diximus non implicat inappetentiam illam quæ est in boulimo, fieri à calore.

CAPUT III.

De fame, pica dicta, sive citta.

Missâ nominis etimologia de fame dicta pica seu citta, ad id quod majus est oportet calamum extendere. Et primò fames

fames pica est symptoma depravatæ actionis appetitivæ potentiæ ventriculi quo res alienæ & diversæ naturæ appetuntur ; quâ ratione hoc affectu laborantes appetunt multoties carbones , & alia aliena & contraria nostræ naturæ ; hujusmodi autem affectus frequenter contingit in mulieribus pravis succis abundantibus , præsertim si menses sint suppressi , & etiam contingit in mulieribus prægnantibus , præcipuè in tribus primis mensibus , in quibus non est tanta attractio humoris Inducentis hoc symptoma à fœtu.

Difficiliùs tamen est explicare à quo morbo procedat hoc symptoma : ad quod priùs oportet examinare causam hujus mali , & modum generationis illius, circa quod Galenus affirmavit causam esse vitiosum humorem imbibitum in tunicis præcipuè oris ventriculi. Sed adhuc restat ut explicemus modum quo ex imbibito illo humore fiat talis appetitus , hoc tamen pendet ex alio dubio , scilicet an talis appetitus sit ad contraria respectu humoris ibi existentis , an verò ad similia. Circa quod nobis dicendum est esse appetitum ad contraria illi humori à quo causatur talis appetentia,vel pica fames. Probatur quia talis humor est præternaturam ventriculo & sensatio quæ in tali fame est, non est voluptuosa ; ergo debet esse appetitus ad contraria.Patet consequentia, nam cùm sit contranaturam,necessariò debet esse molesta, ac proindè debemus appetere ejus ablationem ; constat etiam hæc veritas ex ipso Gal. *lib.art. Med. cap.63.* dicente, *Malæ verò temperaturæ , quæ ratione morbi ventriculum occupant , hoc differunt ab his , quæ naturales existunt, quia contraria, non verò similia appetunt.* Deindè quia aut sermo est de appetitu naturali,& hæc semper est ad contraria,nam semper est in subjecto inclinatio ad ablationem rei sibi præternaturali & molestæ , vel sermo est de appetitu animali , & hic etiam debet esse ad contraria;nam talis appetitus non solùm sequitur actionem vel cognitionem sensûs interni , sed tactus existentis in ventriculo, ergo si tactûs sensatio est molesta, actio appetitus erit ad dissimile , & non ad simile, utpotè non potest molestiam desiderare , & appetere.

Mihi tamen videtur dicendum omnem appetitum esse ad simile causæ excitanti talem appetitum ; si autem est præternaturam,etiam erit appetitus , ad id quod est præternaturam viventi : si verò est causa excitans appetitum naturalis, erit appetitus ad id quod est secundum naturam viventi, & in hoc sensu est intelligendus Galenus quandò dixit *Malæ temperaturæ in hoc differunt ab illis quæ talia non sunt , quod appetant contraria*, intellige contraria viventi, non tamen contraria causæ excitanti talem famem. Vallesius tamen ità interpretatur Galen. ut affirmet quod quandò dixit *Malæ temperaturæ conducunt ut appetant contraria* , debet intelligi dummodò non sit redondantia horum pravorum qui imbibiti sunt in tunicis oris ventriculi,quia in tali casu semper est appetitus ad simile causæ excitanti talem appetitum.

Alij dixerunt sententiam Galen. esse intelligendam in intemperie sicca ; tunc enim est appetitus ad contraria , secùs verò in intemperie jam facta ; hæc enim semper ad simile excitat appetitum.Hæc sententia sicut & Vallesij est impugnata à Petr. Garcia *proprio capite* juxta verò doctrinam *suprà* dictam à Petr. Garcia quandò in ventriculo est appetitus rerum alienarum à nostra natura , sentitur quædam qualitas tangibilis quæ causa est cujusdam dolorosæ sensationis quæ proprio nomine non potest nominari ; cùm autem humor præternaturam ibi retineatur , ibi est symptoma in tertio genere;producitur autem à distemperie cujusdam partis ventriculi , aut alterius,undè morbus ibi erit in distemperie quadam orta à vitio illius humoris qui retinetur , à quo prædictum symptoma evenit.

CAPUT IV.

De inappetentia & cibi fastidio.

INappetentia & cibi fastidium actiones læsæ appetitivæ potentiæ existentis in ventriculo sunt,& communiter à Medicis pro eodem usurpantur,ità ut inappetentia dicatur actio ablata , si universaliter contingat , si verò non,erit actio diminuta appetitivæ potentiæ, solùm potest esse discrimen , ut omne cibi fastidium inappetentia sit, non verò omnis inappetentia est cibi fastidium;nam cibi fastidium postulat in ventriculo aliquid præternaturam , ratione cujus abominatur ea alimenta quæ utilia sunt. Cum quo optimè stat , ut cibi fastidium per inappetentiam explicetur tanquam per rationem superiorem in eo imbibitam.

Sed adhuc restat explicare an in cibi fastidio propriè dicto sit necessarius aliquis actus appetitûs qui sit fuga & aversio,& dicendum nobis est cibi fastidium totale esse quandam inappetentiam cum actione ventriculi , & appetitûs ablata ; si verò inappetentia sit circa quædam alimenta , & non circa altera , erit tunc actio diminuta ; hoc autem contingit quin necessariò sit aliquis actio appetitus aversionis, seu abominationis circa objecta utilia, & sibi similia ; quod autem aliquandò aliqui respuant & aversentur alimenta, ex alia causa procedit,nempè quia taliter affecti auditis, aut visis mediâ internâ sensatione , aut alio sensu , perceptis alimentis , aut sola recordatione appetitûs movetur ad talem actum, eò quod percipit talia sub ratione nocentis , soléque ventriculus moveri ad nauseam , aut vomitum , non quidem quia ventriculus aliquid recipiat de novo , sed propter subordinationem quandam , sicut res pessimi odoris solent subvertere ventriculum , nihil in ipso recepto ; solâ etiam cognitione sensûs externi potest ventriculus illa pati ob eandem rationem ; totum quod non fit necessariò in cibi fastidio , cùm faciat illa aversio, quin ventriculus tactu suo percipiat aliquid de novo, ratione cujus hujusmodi aversiones fiant. Quæres undè est illa apprehẽsio objecti per modũ nocentis , si tactus ventriculi non operetur. Respódeo ex eo quod non sentitur aliquid ex

Nisi sit aliquid quod ratione advertentiæ anima de novo excitata per cognitionem terree in ventriculo non potest esse talis adversio, ut c. de vomitu. diximus.

indigentia

indigentia, quod incitet ad assumenda talia alimenta non prosequitur.

Ex his inferre licet, in cibum fastidientibus præter inappetentiam & cessationem actionis ventriculi, posse esse rationem symptomatis in actione læsa depravata; nam jam diximus quod licèt non sit necessarium in his reperiri illos actus aversionis, tamen quandò reverà sunt, non potest negari quin sint actiones symptomaticæ in actione depravata; nam fastidiunt de alimento quod appetere debebant; hoc autem symptoma habet ortum à morbo quo laborat ventriculus dum laborat inappetentiâ, seu cibi fastidio; neque est inconveniens ab eodem morbo nasci actiones ablatas in una parte, & in alia inducere alium modum læsionis in actione depravata, quin in parte aliquid de novo producatur; & hoc non per sympathiam, sed solùm ob connexionem, & ob eandem causam contingere solet in his nausea & vomitus, quin sit aliqua irritatio de novo in ventriculo; Galen.verò neque Autor hunc modum,neque causam horum symptomatum non explicat.

CAPUT V.

De quibusdam causis inappetentiæ, & fastidij.

Missis pluribus causis fastidij, & inappetentiæ,quia nihil peculiare difficile continent, ad eas quæ aliquid scitu dignum continent oportet animum erigere. Et primò Autores inter causas inappetentiæ ponunt calorem, sive sit cum humore, sive secùs, & frigiditatem si sit immodica, & nimis intensa;nam secùs valet ad excitandam famem, ut dixi; sed quâ ratione hujusmodi causæ valeant facere inappetentiam satis disputatum, & dubitatum est apud Scriptores,& omissis variis modis dicendi circa hanc rem quos quisque videre potest apud Petrum Garciam,ad nostrum placitum penetrrere necesse est. Et si stemus doctrinæ dictæ *suprà* de objecto famis, non erit difficile semitam à calumniis liberam invenire.Cùm ergo objectum famis sit peculiaris qualitas tangibilis, dicendum est, ideò frigiditatem (non immodicam, ut diximus) conducere ad famem, & quia expressionem alimenti facit, corrugationémque, & quia est dispositio, & conditio accommodata, ut illa qualitas intensior dimanet à natura ventriculi; quo fit ut illa sensatio,existente frigiditate dicta,fiat cum majori molestia, & sic fames excitetur major illâ existente quàm si non existeret. Calor verò ideò impedit famem, quia laxat, & quia indispositio est ut illa qualitas tangibilis quæ est in fame resultet, & dimanet ab ipso ventriculo, & sic cùm producat dispositionem contrariam ab illa quæ requiritur ad famem, causat inappetentiam & cibi fastidium.

Rursùs advertere oportet Avicennam inter causas prædictæ inappetentiæ posuisse debilitatem jecoris,quod ideò fecit quia in illo posuit facultatem concupiscibilem. Deindè aliam assignat, scilicèt consueta alimenta, talia enim dejiciunt appetitum; hæc tamen causa debet intelligi non in corpore temperato, & bene se habente quoad omnia, sed in corpore parato cadere secundum appetitum; quod ex eo est, quia in corpore benè temperato, & benè se habente secundum appetitum consueta alimenta conducunt pro conservatione illius quod secundum naturam est; at verò in parato corpore ad inappetentiam alimenta consueta nocent,eò quod conducant ad illam intemperiem inducendam quæ vi consuetorum alimentorum incepit produci. Aliam denique causam inappetentiæ enumerant Autores, scilicet repletio, quâ positâ, cùm non sit necessitas tractionis, non fit suctus, & sic non fit fames, ideò verò non attrahunt partes, quandò non sunt repletæ humoribus, & alimento, quia tunc natura est valde intenta in coctione & nutritione, & sic deficit ab attractione, quod difficile est juxta ea quæ de divertentia animæ diximus in actionibus animæ vegetativæ. Meliùs tamen, meo videri, respondebimus si dicamus repletione existente deficere attractioné,quia tunc habet pars quidquid requiritur ad optandum juxta finem extrinsecum.

CAPUT VI.

De siti contra naturam.

Sitis sicut & fames, alia est naturalis, alia præternaturam; illa dicitur quæ sequitur causas naturales, ut est illa quæ post alimentum continuò sequitur, eò quod ratione illius humidum consumitur; alia dicitur præternaturam, ea scilicet quæ causam præternaturam sequitur, ut est ea quæ fit à calore & siccitate præternaturam humidum resolvente, vel ab humore calido & sicco,vel salso. Ex quo sequitur sitim præternaturam contineri sub omnibus generibus actionis læsæ; nam potest esse actio sitis ablata & diminuta, & denique depravata, non solùm per augmentum, eò quod nimiam potionem appetant laborantes, sed quia varias & alienas potiones desiderent, ad modum quo de fame canina & pica diximus;quæ omnia sunt symptomata in actione læsa facultatis animalis; undè si causis sitis quas numeravimus stemus, constabit morbum à quo sitis præternaturam procedit, aut esse distemperiem calidam, aut siccam.

Sed quæres an sola calida intemperies, vel sola sicca possit facere sitim: Et quidem in hac difficultate primò dicimus sitim morbosam posse produci solùm per consumptionem humidæ substantiæ potabilis,absque eo quod aliqua siccitas ab extrinseco producatur in ventriculo.Probatur:nam prædicta substantia potest deficere distemperie calidâ morbosâ existente in partibus prope eum, & propter maximam resolutionem exiccatæ partes possunt trahere à ventriculo eodem modo ac in fame canina orta ex tali causa, in tali autem casu erit sicca distemperies non ab externa

terna causa, sed ab interno principio potest resultare per defectum humidæ substantiæ. Addimus ad hoc non esse necessarium calorem illum præternaturam producere aliquem gradum siccitatis morbosæ ut fiat sitis præternaturam: nam si ad siccitatem naturalem sufficit non produci aliquem gradum siccitatis, sed solùm consumi humidam substantiam potabilem; si hæc consumptio fiat vi morbi calidi, sine dubio erit symptomatica, & per consequens sitis præternaturam quin producatur vi caloris aliquis gradus siccitatis morbosæ, & ob eandem rationem siccitas potest hoc idem facere sine calore morboso, quo manet solutum dubium.

Dices; ad sitim est necessaria corrugatio; sed hanc non potest facere calor, nam iste laxat potiùs ex Galeno: ergo non potest causare sitim.

Respondetur dicendo illam corrugationem produci à qualitate tangibili quæ sentitur in siti; hæc autem est majoris efficacitatis ad faciendam corrugationem quàm calor ad laxitatem; semper enim tenere debemus ad sitim, præter calorem aut siccitatem esse qualitatem illam tangibilem quam sentimus. Denique advertere oportet humores salsos, biliosos, aut nitrosos non aliter excitare famem quàm calefaciendo & exiccando, ratione *suprà* posita.



DISPUTATIO LIV.

De his quæ pertinent ad facultatem expultricem ventriculi.

CAPUT PRIMUM.

De Singultu, quid sit, & quomodò fiat.



INTER ea quæ pertinent ad facultatem expultricem ventriculi, singultus est præcipuus affectus, qui sic ab Avicen. explicatur *fen* 13. *lib.* 3. *tract.* 5. *capite* 19. *Est motus diversus compositus sicut spasmus; constrictivus cum tensione dilatativa, existens in ore stomachi, aut toto corpore ejus, aut meri.* Oportet autem singula perpendere: Imprimis dixit esse motum diversum, quod ideò dixit quia erat contra naturam, & sic diversus à naturali, estque sermo non de motu rei quæ intra ventriculum movetur, sed de motu ipsius ventriculi, quia iste præternaturaliter movetur. Ex quo patet esse symptoma in actione læsa depravata, non solùm quia aucta; sed quia erronea ex parte modi constat, cùm neque sit diminuta, neque ablata; facultas autem quæ ità operetur est expultrix ventriculi quæ movetur ad expulsionem rerum molestantium motu simili convulsivo, licèt neque sit vera convulsio, cùm hæc sit solùm passio musculorum & in ventriculo tales non sint; & quia non est motus compositus ex constrictione & dilatatione, sed tantùm in retractione consistit, & denique quia solùm fit à morbo, singultus verò à facultate fit; neque est motus convulsivus, cùm etiam sit proprius solùm musculorum; dicitur autem singultus convulsio, vel motus convulsivus, non quia verè talis, sed quia similis est motui convulsivo; hic autẽ motus constrictionis & dilatationis similis cõvulsivo, sive causetur per inanitionem, sive per repletionem fiat, quia parte sentiente irritata fugit & facit motum contractionis, non solùm ut fugiat à re nocente, sed quia per ipsam constrictionem se præparat pars ad ipsam expulsionem, ut experimento contingit, in his qui brachio pellunt lapidem; nam retracto brachio versus posteriora, fortiùs impellitur versus anteriora, similiter qui saltant priùs contrahuntur, ut vehementiorem motum edant dilatatione; sic ergo in singultu constrictio non solùm fit ut pars fugiat à nocente, sed ut fortiùs pellat nocivum motu dilatationis qui posteà sequitur, medio impulsu; non quidem fit expulsio in singultu per expressionem media constrictione, sicut quandò pellitur aqua existens in spongia, sed mediâ dilatatione per impulsum quem facit pars in rem molestantem.

Hujusmodi autem motus contractionis qui in singultu reperitur fit à fibris dispersis per totam tunicam illius tanquam ab efficienti. De motu dilatationis est major dubitatio; nam quandò fit à siccitate ratione inanitionis, tunc qualitas inhærens non sentitur, & sic non est cur moveatur ventriculus ad expulsionem, cùm nulla sit irritatio. Ob id affirmavit Avic. quod quandò singultus fit ab inanitione, contractio fit solùm à siccitate, & dilatatio fit non ad expulsionem, sed quia natura contraoperatur alteri motui contranaturam; propterea quod ratione contractionis à siccitate facta fit sensus molestiæ ex solutione continui facta à siccitate. Sed quàm alienum sit hoc à ratione constat, cùm tam compressio quàm dilatatio sint actiones depravatæ facultatis expellentis, ac proindè ad expulsionem nocivi debent ordinari; quomodò verò id contingat in singultu ex inanitione, constabit *capite sequenti* quo solvetur dubium primò positum. Sed à quo efficienti fiat dilatatio non explicat Petr. Garcia, quia cùm diversa ratio sit de fibris quàm de musculis, utpotè per contractionem unius dilatatur pars altera musculosa; at verò cùm fibræ in ventriculo existentes solùm habent unum motum contractionis, ibi non currit ratio eadem ac in epilepsia. Nam ibi dilatatio fit à musculis sicut & contractio, in singultu verò licèt contractio fiat efficienter à fibris, dilatatio verò non videtur à qua efficienti fiat, neq; explicat P.G. nisi dicamus esse aliam facultatem motivam in ventriculo quâ movetur ad expellendum per motum dilatationis medio impulsu communicato rei expellendæ.

Si fateamur esse in ventriculo aliâ facultatem animali quâ operatur supposita cognitione quin medius musculis moveatur, neque

sit voluntaria, & eandem esse, inde nulla erit difficultas si dicamus palpitationem & singultũ, & vomitum, & nauseam fieri à facultate animali consequẽte gradũ spirituum imperfectum, ad quam nõ est opus musculis.

Dicea : In singultu humor qui irritat & expelli debet, est intra tunicas; ergo non potest recipere impulsum per dilatationem. Probatur quia corpus quod impellit alterum, non recedit ab eo, sed potiùs accedit ut imprimat impulsum in illo, sed per dilatationem cùm pori & cavitates fiant majores, partes magis distant, ergo & magis recedunt latera ab humoribus, ac per consequens illo motu non impellitur humor, sed potiùs ipse decidet, vel resolvitur, sicut aqua existens intra cavitatem spongiæ decideret si partes lateris fierent distantiores. Sed hoc argumentum adhuc habet eandem vim contra asserentes communiter motum convulsivum fieri à facultate irritata ad expulsionem. Respondetur tamen in utroque casu, verum esse quod probat argumentum; si quandò dilatatur ventriculus, vel quælibet alia pars, partes solùm distarent per præsentiam localem, toto omninodè quiescente, tamen cùm reverà totum moveatur, etiamsi pori dilatentur, accedit humor uni aut alteri parti, & sic impellitur ratione impulsûs ab ea producti. Ex quo fit & ex dictis posse dici in singultu contractionem fieri ante dilatationem esséque illam priorem hac, quia contractione veluti præparatur pars ad faciendam expulsionem per dilatationem cum majori impetu.

Hinc etiam colligere debemus differentiam inter vomitum & singultum esse, quia in singultu humor est contentus intra tunicas, & sic esse vehementiorem propter majorem affixionem quam habet materia nocens; in vomitu verò materia est in ipsa cavitate ventriculi, & sic non indiget motu tam vehementi, sed cum minori impetu, ob quod in vomitu materia expellitur, non verò in singultu, etiamsi quod non expellatur possit esse alia causa. Neque ob hanc differentiam debemos existimare solùm differre vomitum à singultu secundum magis & minus, nam singultus duplici illo motu constat à nobis explicato, vomitus verò non; nam ut expellat materiam nocentem ventriculus per vomitum non oportet illum modum motus facere qualem in singultu ad quem dicebamus requiri contractionem ut meliùs fieret dilatatio & expulsio, & ut fugeret, rem molestantem, nam in vomitu contractio non est necessaria, quia materia non est ità affixa ut in singultu, & quia nullus ex Medicis appellavit vomitum similem motui convulsivo.

CAPVT II.

De parte affecta, & causis singultûs.

PRIMÒ indubitatum est partem quæ non habet principium motûs localis non posse pati singultum, neque motum convulsivum, cùm constet in prædictis affectionibus partes moveri localiter in expulsionem nocivi, instrumenta autem motûs localis sunt fibræ, aut musculi; etiamsi cerebrum sine his moveatur localiter, tamen quia est principium undè derivatur virtus, natura dedit illi principium motûs sine prædictis instrumentis.

Hoc ergo supposito, certum est in singultu partem affectam esse ventriculum, vel secundum os ejus, vel secundum totum corpus ejus, cum quo tamen etiam est verum gulam seu œsophagum posse pati singultum, quia constat duplici tunicâ, & genere fibrarum ejusdem rationis cum illis qui sunt in ventriculo quantum ad usum, & sic videtur probabiliter posse concedi pati posse singultum : & licèt uterus constet etiam fibris, & sensu, tamen non potest dici pati posse singultum, quia sunt quædam symptomata & morbi qui accipiant peculiarem denominationem à parte affecta, licèt ex natura rei non differant aliis, ac proindè licèt in utero experiatur similis motus, tamen non dicetur singultus nisi talis motus fit in ventriculo. Neque existimare oportet pertinere ad thoracem singultum eò quod sternutatione auferatur; nam hoc contingit quia ex tam vehementi motu concutiuntur partes ventriculi, & ità pellitur materia; sic etiam uterus laborans suffocatione potest juvari sternutatione, ergo optimè compatitur, singultum esse solam passionem ventriculi, & auferri sternutatione.

Circa causas est quod dicamus, & primò certum est duas causas enumerasse Galenum, repletionem scilicet & inanitionem; repletio autem in tantum causat singultum in quantum sua quantitate gravat ventriculum & irritat ad expulsionem : de inanitione verò est major difficultas quomodò id faciat, id est quomodò à siccitate quæ per inanitionem resultat, in ventriculo fiat singultus, & dicimus, omissis aliis quæ nihil utilitatis afferunt, à siccitate causari occasionaliter, quatenùs eâ existente in ventriculo contingere potest, ut aliquid fluat ad ventriculum, ut quandò evacuatio fit nimia, & loco ejus succedit, quod valeat irritare & facere illum motum, & quia aliquid in ventriculo manet, redditur receptâ siccitate acrius & mordax, & sic irritat; aut quia ob densitatem quam causat in poris ventriculi magis detinetur aliqua substantia nociva, & sic occasionaliter à siccitate causatur; hoc autem ultimo modo etiam à frigiditate occasionaliter potest causari, quatenùs densare potest poros, ratione cujus detineatur aliquid in ventriculo quod molestet, est etiam occasio frigiditas, quatenùs reddit materiam magis contumacem; similiter tam calor quàm frigus possunt causare singultum quatenùs possunt solutionem continui causare in ventriculo, & sic inferunt molestiam; ergo non repugnat in tali casu ut irritent ad expulsionem, non aliter ac causant præter has dictas causas ab humoribus acribus serosis, & medicamentis stomachum mordentibus, ut contingit in his qui piper devorarunt, aut alterum calidum medicamentum sumpserunt, & deindè super id calidam potionē biberunt. Ex quo patet omnes prædictas causas mediante irritatione & molestiâ causare singultum,

tum, undè etiam constabit non esse unum genus morbi à quo causetur singultus, sed plures, quos attentia causis quilibet potest conjectare.

CAPVT III.

De nausea & vomitu.

Ut optimè naturam humorum perpendamus, oportet à definitione incipere. Circa primum sic Avicenn. vomitum definivit, *Est motus ventriculi ad expellendum ex eo aliquod quod est in eo per viam oris*: Nausea verò est impetus ventriculi, vel inclinatio quædam retentà causà ad vomitum, quæ quidem inanis & sine vomitu solet appellari. Hinc fit non distingui hos affectus secundum magis & minus, adhuc quia non semper procedit ex debilitate non expellere materiam, sed ob alias causas; solùm ergo differunt accidentaliter, eo quod in vomitu fit expulsio materiæ, in nausea verò licèt fit idem motus in ventriculo, tamen nihil expellitur; hinc fit esse symptomata in actione læsa secundum depravationem, nam constat non esse diminutam, neque ablatam. Fit ergo depravatè ex parte modi quælibet ex his actionibus quia fit media irritatione, & quia fit aucta præternaturam, utpotè quælibet ex his actionibus fit intensior quàm naturaliter contingere solet; facultas autem quæ patitur est expultrix naturalis quæ medià irritatione pellit. Ex his facilè erit intelligere à quo morbo procedat, nam licèt immediatè procedat, quia causa irritat ventriculum, & fit dolorosa sensatio quæ habet adjunctam solutionem continui, tamen præter hanc esse potest alter morbus considerandus vel ex parte quæ generat materiam, vel productus ab ipsa materia, quæ molestat.

Sine difficultate assignatur principium effectivum dilatationis ventriculi in vomitu, & in singultu, & in nausea, & similiter in palpitatione, si concedamus tam ventriculo quàm cordi facultatem quandam animalem motivam quà contrahuntur & dilatantur istæ partes ad expellendam causam molestantem quæ operatur suppositâ sensatione, & non indiget musculis; neque ejus operatio est nobis voluntaria, proptereà quod sequatur gradum sensitivum tantùm, & non sensitivum rationalem. Vide ad hoc nostrum Primarium Emanuelem Martinez *Suo tomo de rebus naturalibus, nonnaturalibus & contra naturam, opusculo de passionibus animi, in ultima quæst. in secunda parte*, ubi invenies rationem ob quam talis facultas debeat poni, & modum quo ab illa fiant affectiones cordis & ventriculi prædictæ.

CAPVT IV.

An vomitus sit evacuatio naturalis.

Cum dictum sit juxta doctrinam P. Garc. vomitum esse symptoma in actione depravata facultatis expultricis, videtur dubium impertinens; nam quod est symptoma, non potest esse naturale. Sed nihilominùs dicere debemus vomitum posse dici naturalem & contranaturam. Dicitur naturalis quatenùs illa actio fit instrumentis naturalibus à natura ad id destinatis, & à facultate quæ convenit viventi secundùm naturam; ac proindè attento principio efficienti & instrumento, talis motus dicitur naturalis: sed quia licèt hoc sit verum, est etiam verum, hujusmodi actionem esse læsam quia procedit à morbo, & fit irritata natura à causa præternaturam, ac proindè dicitur etiam ex hac parte contra naturam; advertere tamen oportet vomitum non fieri contractione fibrarum oblongarum versus os, quia hic modus repugnat ex parte formationis & adhærentiæ quam habet cum tunica interna; potiùs ergo fit à fibris transversis existentibus in tunica externa, ac proindè licèt per eandem viam & per eandem tunicam possint fieri de glutitio, & vomitus, non tamen eisdem instrumentis, fibris scilicet.

CAPUT V.

De parte affecta & causis.

Convenit inter Autores in vomitu & nausea partem affectam esse ventriculum, sed videtur quod licèt in utraque affectione patiatur ventriculus non secundum eandem partem, nam in vomitu patitur secundum cavitatem, ità ut causa ibi existens evacuetur, in nausea verò patitur secundum tunicas, eò quod causa molestans ibi sit imbibita; propter quod in nausea fit impetus & inclinatio ad expulsionem, nihil tamen in ea expellitur; cum hoc tamen benè stat non patiatur necessariò in nausea ventriculus secundum tunicas, nam optimè potest materia esse in cavitate ventriculi, & propter debilitatem facultatis non expelli, in quo casu erit vera nausea.

Circa causas est quod dicamus omissis tamen aliquibus quæ nullam nobis afferunt utilitatem, ut de reliquis agamus, præmittere oportet tria esse consideranda in objecto vomitûs, aut in causa quæ irritat ventriculum ad vomendum, & qualitatem, & quantitatem & aliena à natura, seu id quod à tota substantia est alienum. Neque id solùm in vomitu debemus attendere, sed etiam in qualibet alia expulsione

expulsione quæ fit præcedente sensu. Hoc ergo supposito restat quomodò quælibet causa ex his operatur, & quid producit in parte, ratione cujus inferat molestiam. Et quantum ad duas causas res est facilis; nam quantitate inomodica sentitur pondus per speciem sui præcedente aliquâ solutione continui, quo fit ut facultas gravata & molestata moveatur ad expulsionem; præterea quæ qualitate mordaci irritant, etiam inferunt molestiam præsuppositâ aliquâ continui solutione: Quid verò producatur in parte à qua fiat talis sensatio, diximus jam *suprà*; major verò difficultas est, in eo quod dicamus quo pacto operentur ea quæ aliena dicuntur à nostra natura secundum totam substantiam, & quid producant in parte, quod pertinet ad libros de morbo & symptomate, ubi de hoc diximus.

Præterea advertere oportet inter occasiones vomitûs poni à Medicis debilitatem facultatis retentricis; sed hæc sola non sufficit ad vomitum nisi expultrix operatur, nam ex eo quod non retineatur, corpus potest decidere à proprio pondere, tamen vomitu exire minimè nisi pellatur per impulsum quod adhuc debet esse verum quandò per locum inferiorem movetur humor; recipit enim impulsum ex eo quod contractione fibrarum pellitur; aliter enim non potest pelli & extra mitti à proprio pondere, eò quod via non sit accommodata per quam transeat proprio pondere. Positâ autem debilitate facultatis expellitur id quod anteà non expellebatur, quia humor magis ponderat & irritat facultatem, nam non retinere, est occasio ut augeatur effectus realis, quod experientiâ constat in externis; si enim lapidem, vel ferrum digitis comprimam, ferè non sentio pondus; si verò supra ponam extentis digitis, sentitur major pondus, & molestia, ità ut non retinere sit occasio istius; sic ergo contingit debili existente facultate retinenti ut pondus qui anteà non irritabat & molestabat ad expulsionem ob prædictam occasionem irritet.

Dubitabis, à quo nascatur ut viso aut imaginato alimento horribili, multoties plures excitentur ad nauseam seu vomitum.

Respondetur hoc non fieri vi imaginationis tanquam causa, sed quia viso aut imaginato objecto horribili, major fit advertentia & attentio, ratione cujus molesta qualitas quæ anteà non sentiebatur, ob attentionem sentiatur; si autem in illo casu non esset quid molestans in ventriculo quod sentiretur, etiamsi esset imaginatio, aut visio talis objecti, non excitaremur ad nauseam seu ad vomitum, quod idem contingit dum quis mingit ex eo quod videat alterum mingentem; hoc autem diximus *Disput. de morbis per consensum in responsione quarti argumenti.*

Cùm autem non solùm hæ affectiones fint per propriam passionem, verùm etiam per consensum, & inter partes cum quibus ventriculus consentit, præcipua sit cerebrum, scire oportet, quare vulnerato cerebro statim fit vomitus bilis, nam licèt concedamus inter prædictas causas certam communionem, oportet explicare unde proveniat, quod bilis perveniat ad ventriculum, statim ac cerebrum est vulneratum, undè fit vomitus, ut expressit Hippoc. 6. *aphor. text.* 50. his verbis. *Quibuscumque præscinditur cerebrum, his necesse febrem, & bilis vomitum supervenire.*

Causæ nausæ plures sunt: primò non expellitur materia, etiamsi concitet ad vomitum, quia vehemens est retentrix facultas, aut quia parum irritat qualitas molestans, vel ex parvitate materiæ, parvâ enim existente, aut minùs irritat, aut non potest expelli, quia non potest recipere impulsum debitum ob suam parvitatem, sicut in externis contingit non posse expelli aliquod corpus ob ejus parvitatem, nimirum quia non potest recipere impulsum.

CAPUT VI.

De Cardialgia.

COMMUNITER Medici os ventriculi cor solent appellare, juxta quam acceptionem asserunt cardialgiam esse affectionem cordis, idest oris ventriculi: advertere tamen oportet esse affectionem dolorosam, & non quamlibet; nam imprimis non est sicut fames, nam hæc est sensatio dolorosa in qua præcedit sensus suctûs qui non reperitur in cardialgia. Similiter non est quilibet ventriculi dolor, sed ille dolor qui habet ortum à pravis succis mordentibus os ventriculi, ità ut in ea sentiatur morsus: ex quo patet cardialgiam esse symptoma in actione læsa depravata eo depravationis genere quo dolor quilibet, siquidem dolor est: cum hoc tamen stat ut pluries communicata causa cordi ab ore ventriculi ob communionem harum partium eveniant in his affectionibus syncopes & multoties febris, ex eo quod bilis flava ebulliat in tunicis ventriculi.

Hinc etiam constabit quâ ratione cardialgia distinguatur à cardiaca affectione; nam in hac non est dolor mordax necessariò, sed est affectio ventriculi in qua totum corpus languet & exolvitur vitio alio peculiari ventriculi ob dissipationem paulatim factam ipsius substantiæ ab humore venenoso; compatiente autem corde totum corpus languet: neque oportet ventriculum dolere ut cor trahatur in consensum, nam ex humore venenoso aliqua portio deducta ad cor spiritus corrumpit, & totum corpus languet quæ affectio ex lumbricis evenire solet qui halitu suo pravo causant hoc symptoma multoties. Ex quo colligitur hoc non esse symptoma in actione depravata ventriculi sicut cardialgia, sed est symptoma tertij generis quantum attinet ad defectum spirituum, vel substantiæ spirituosæ, eò quod evacuatur quod debebat retineri; undè sequitur virtutis debilitas & actio diminuta actionum. Solent hoc malo correpti anxios esse qui decubitum non ferentes, jacendi

cendi figuram evariant per depravatam motionem localem, eò quod homo tempore quo debebat quiescere movetur.

CAPUT VII.

De morbo cholera appellato.

PRIMO certum est non appellari hanc affectionem cholera morbus, quia fiat à tali humore, nam potest ab alio fieri, scilicet ab alimento corrupto in ventriculo qui adquirat aliquam pravam qualitatem, ratione cujus irritet ad expulsiunem, ità ut supernè & infernè fiat evacuatio. Dicitur ergo cholera morbus *Immodica ventris perturbatio suprà infràque*, à Paulo *lib.* 3. *cap.* 2. frequenter tamen in hoc affectu humor biliosus supernè & infernè expellitur simul, licèt possit cessare una evacuatio manente alia ad invicem; & licèt Hipp. referat historiam in qua quidam laborabat hoc affectu, & tamen evacuatio Inferna erat suppressa, nihil facit contra nos: nam licèt non expellatur materia per has duas partes, sufficit evacuari per unam & esse irritationem in alia ratione cujus sit in illa inclinatio ad expulsiunem.

Advertere tamen oportet choleram morbum esse in duplici differantia alia dicitur humida, in qua aliquid excernitur; alia verò dicitur sicca in qua nihil excernitur, sed solùm in utraque parte, infernè scilicet & supernè est irritatio, hæc autem communiter solet causari à flatu acri & mordaci, sive generato ex edulus ad id accommodatis ut sunt cepa, allium, ova frixa, sive à calore, vel adustione ventriculi utente, etiamsi materia sit benigna, cum hoc tamen non repugnat choleram siccam fieri ab humore qui non possit excerni, & solùm valeat irritata supernè & infernà, sicut de nausea diximus.

Constabit ex hoc choleram morbum esse symptoma tertij generis, quia excernitur id quod est contra naturam, vel quantitate, vel qualitate, quod est verum considerando excretum; sed hoc symptoma fit vitio facultatis naturalis expellentis, sed quod irritat & molestat. Et licèt possit hoc symptoma sequi vitio facultatis retentricis, ut de vomitu diximus eò quod ea debili, humor vel causa molestás magis gravat & per cōsequens facultas expellena magis irritatur & movetur ad expulsionem; tamen sola vitiata retentrice hujusmodi symptoma nequit contingere; nam ad hoc ut extra fiat excreriu, oportet impellere materiam; & non sufficit non retinere, quod indicat necessariò actionem facultatis expultricis.

CAPUT VIII.

De causis choleræ morbi.

Pereda. PRÆSENS dubium in præsenti exagitatur propter cujusdam Autoris placitum *in suo scholio*, qui tenet solam esse unam causam choleræ humidæ, nempè biliosum humorem acrem & mordacem, à toto corpore ad ventriculum venientem. Cujus cationes adeò futiles sunt, ut ab eis libenter abstineam, ut id quod verius est, statim proferam.

Dico ergo non solùm à prædicta causa fieri choleram morbum humidam dictam, verùm etiam ex eo quod alimentum corrumpatur in ventriculo, ibi quod adquirat vitiosam qualitatem, ratione cujus irritet ad expulsionem in utraque parte, sursùm scilicet & deorsùm, in quo evanru sine dubio erit talis affectus, quin à venis aliquid communicetur, ratione cujus prædicta sequatur irritatio, & per consequens prædictum symptoma.



DISPUTATIO LV.

De his quæ pertinenter ad coctionem ventriculi.

CAPUT PRIMUM.

De imbecillitate ventriculi, & cruditatis speciebus.



INTAR vitia quæ conveniunt ventriculo, in quantum est instrumentum coctionis, unum est imbecillitas, quæ licèt possit competere aliis facultatibus naturalibus quæ sunt in ventriculo, ità ut actio cujuslibet dicatur debilis, tamen absolutè loquendo & sine addito, per imbecillitatem ventriculi intelligimus vitium & debilitatem facultatis concoctricis, quæ rigorosè loquendo actio diminuta est.

Ut ergo omnia hæc clara evadant advertas, quæso, cum Galeno coctionem *Qua alteratio ciborum est in convenientem animalis qualitatem*, tripliciter posse vitiari, aut ablatè quando scilicet non fit, sed alimenta remanent, sicut fuerunt assumpta, & appellatur Apepsia; aut potest esse debilis, aut diminuta, quando licèt producat qualitatem illam convenientem, alimentum ægrè tamen & spatio longiori, & appellatur bradypepsia; aut denique potest vitiari facultas coctrix depravatè quandò scilicet alimentum mutatur in alienam qualitatem; quæ omnia vitia à Medicis sub genarali nomine cruditatis appellantur; ex quo fit hæc omnia habere rationem symptomatis. Cruditas autem communiter dividitur in acidam & nidorosam: dubium est sub quo genere actionis læsæ cōprehendantur, & de nidorosa, dubium non est quin sit depravata, nam in ea fit mutatio alimenti in alienam qualitatem viventi. De acida verò cruditate est dubium, de qua non defuère qui existimàrunt esse diminutam actionem ventriculi, eò quod fieri dicant ex

diminuta coctione. Sed si attentè naturam ejus consideremus, constabit esse actionem depravatam sicut & nidorosam, nam aciditas est qualitas quædam multò diversa ab illa quam comparat alimentum dum sola diminuta coctione alteratur, & est aliena nostræ naturæ, aliàs non esset differentia inter illam quæ diminutè coquitur, & acorem comparat, ergo cruditas acida est actio depravata eo depravationis genere sicut nidorosa in qua fit mutatio in alienam qualitatem nostræ naturæ.

CAPUT II.

De morbo debilis actionis ventriculi.

PLURES causas à quibus coctio læditur enarrat Galen. *lib. 3. de causis symptomatum, cap. 3.* quia verò nihil difficile continent, eas omitto; modò verò quæro morbum à quo debilis fit coctio, seclusis autem his quæ extrinsecùs possunt accidere, aut aliquo se tenente ex parte alimenti, excrementique, & morbo instrumentali: Certum in hac re est morbum à quo procedit debilis actio coctrix, esse in distemperie frigida; nam cùm constet apud omnes coctionem fieri à calore naturali, juvatq; etiam ab humiditate, certum est à frigiditate vitiari, & debilem fieri, & deindè à siccitate, quia istæ sunt qualitates illis duabus contrariis à quibus fit coctio.

Deindè dicimus etiam ab omni distemperie posse minui coctionem; nam cùm requirat proportionatum temperamentum in quo vigeat calor in certo gradu, ut rectò & debito modo fiat, quò magis fiat deviatio à proportionato & debito temperamento, magis vitiabitur coctio & minuetur; eò quod ratione illius non possit alimentum adquirere qualitatem naturalem & conformem nostræ naturæ.

Aliqui Recentiores triplicis caloris altetantis ventriculum faciunt distinctionem, alimentalis scilicet, & influxi à corde & membris circumvicinis producti, & tandem alterius contracti ex semine & sanguine menstrui, qui in humido radicali conservatur, à quibus omnibus asserunt coctionem fieri, quia quælibet ex his diversum usum præstat in ventriculo per cujus defectum vitiatur coctio. Nobis tamen dicendum quod licèt verum sit quod omnes isti calores conducant ad perfectam coctionem, tamen frustrà ponuntur diversi usus in istis; nam cùm omnes alterent & conducant medio suo effectu primario, calore scilicet, omnes eodem modo conducunt, & eosdem effectus præstant. Vide circa hoc Petrum Garciam, *sup. hoc caput folio 875.*

CAPUT III.

De morbo cruditatis nidorosæ, & acidæ.

CONVENIUNT in hac re Autores circa morbum à quo fit cruditas nidorosa ventriculi, esse scilicet distemperiem calidam urentem alimentum, ratione cujus fit mutatio in alienam qualitatem; ad quod etiam valde facit siccitas quæ juvat ad ustionem, & quia auget vim caloris. Hæc est expressa assertio Galeni & Avic. & omnium Medicorum. Ad quam cruditatem etiam conducit dispositio ex parte materiæ, supposità tamen virtute efficientis alterantis quæ diversimodè alterando & putrefaciendo cruditatem prædictam causare valet.

Prætereà etiam convenit inter Medicos acidam ventriculi cruditatem fieri à frigiditate; sed dubium est cur in ventriculo quandoque producitur crudum sine acore, quandoque cum illo, cùm utrobique fit coctio diminuta, investigare autem oportet an hujusmodi cruditates fiant à diversis agentibus, & dicendum nobis est ex eo differre quod cruditas acida fit à frigiditate cum partium tenuitate, ob quod alimentum adquirit alium teminum; cruditas verò non acida fit ob debilem calorem non potentem perfectè coquere alimentum, ità ut adquirat qualitatē debitam & proportionatam viventi. Cum hoc tamen bene stat acidam cruditatem fieri à calore ventriculi quemadmodum fit in aceto, ex vino & in fermento, & aliis rebus externis; quod fit quatenùs ratione caloris vinum mutat formam substantialem, & transit in aliam naturam: sic ergo contingit in alimento, ità ut à calore ventriculi putrefiat, & mutet formam substantialem, transeatque in alienam naturam, quæ potest esse frigidi temperamenti naturalis, licèt causa antecedens efficiens sit calor. Ex quo facilè est intelligere quà ratione ex calore ventriculi quandoque fiat acor, quandoque nidorosus sapor, aut amarus, quod provenit quia ex parte alimenti, aut ventriculi est aliqua alia qualitas ex qua redditur accommodatum temperamentum ad illam secundam qualitatem, aut aliam.

DISPUTATIO LVI.

De his quæ spectant ad affectus intestinorum.

CAPUT PRIMUM.

De facultatibus quibus constant intestina, an præter expultricem habeant alias.

NANQUAM certum in hac re supponere debemus hîc non esse quæstionem de facultatibus quas quælibet pars nostri corporis habet ad suam nutritionem, quæ quidem quatuor enumerantur,

tur, subministrantes dictæ : nam his indigere intestina ad suam nutritionem nullus dubitat. Solùm ergo in præsenti dubitamus de facultate movente fibras, cujus motus cæteras dictas actiones juvat.

His ità præjactis convenit inter Medicos omnes intestina habere facultatem expultricem quâ communia excrementa debent pelli, eò quod habeant fibras ad hunc motum accommodatissimas, & quia aliter fæces quæ sunt excrementa primæ coctionis non poterant expelli : in dubium autem est an præter hanc facultatem, sit etiam facultas attractrix quæ propriis fibris operantibus exerceatur;& dicendum nobis est in intestinis esse fibras, vel villos oblongos, quibus fit attractio chyli ad intestina : probatur imprimis quia ex hoc nulla sequitur implicatio, nec sequitur quòd intestina non validè expellant ; nam facultas attractiva debilis est, & sic non erit impedimentum ad motum expulsionis ; sicut ex valida facultate pellente intestinorum non colligitur jecur cætere trahente, sic ex eo quod in ventriculo sit facultas pellens valida, non sequitur in intestinis non esse facultatem trahentem, præsertim cùm non lædat retentionem ventriculi ; nam idem inconveniens sequebatur positâ facultate trahente in jecore, & in aliis partibus, etiamsi sit expellens in antecedentibus ; inconveniens autem nullum est, tum quia ventriculus, vel quælibet alia pars potentiùs retinet quàm alia trahat, præsertim in ventriculo in quo clausus est pilorus usque elaboretur chylus; & sic licèt valida esset facultas trahens in intestinis non traheret à ventriculo ante tempus debitum.

Dubitabis an etiam in intestinis sit facultas retinens, non quælibet, sed illa quæ motu fibrarum operatur. Respondetur negativè ; nam non sunt fibræ ad hanc actionem determinatè, & probatur quia si talis poneretur, maximè ad retinendas fæces, sed hoc non, quia laxato sphinctere præter voluntatem decidunt, ergo non erant fibræ ad retentionem ; aliam tamen facultatem retinentem ministrantem ad nutritionem deservientem, libenter & à fortiori concedimus, sicut & facultatem concoctricem in tenuibus intestinis ad quam sufficit transitus alimenti per intestina, ut in venis, etiam sufficit transitus sanguinis ; præsertim quia via est stricta prioris intestini, & anfractus aliorum ; hæc autem facultas coctrix est prima ex tribus quæ communiter enumerantur ; nam ex Gal. intestina habent ferè eandem naturam cum ventriculo ; ergo in illis facultas eadem est ponenda, ità etiam ut tenuia intestina nutriantur ex chylo, præsertim ob similitudinem tunicarum cum tunicis ventriculi ; ex quo constat usum intestini tenuis esse distributionem chyli facere. De crassis intestinis etiam dicimus similem facultatem coctricem habere, quia sunt ejusdem naturæ, undè qui asserunt clysteres nutrientes ad crassa intestina solùm perduci, concedunt necessariò posse illa in chylum mutari & ex illo nutriri; dum verò hoc non cõtingit, nutriuntur ex sanguine, non ex chylo ventriculi ; siquidem non pervenit ad illa tanquam instrumenta distributionis, non tamen præcipuè facta ad colligendas & expellendas fæces.

CAPUT II.

De Lyenteria, sive intestinorum lævitate.

LIENTERIA ex Galen. *lib. 6. aphor. comment. 1. Est velox exitus eorum quæ comeduntur & bibuntur : quæ talia dejiciuntur, qualia fuerunt devorata.* Dicitur autem ab Antiquis talis affectio lævitas intestinorum, quia existimant intestina habere quandam asperitatem, mediâ quâ amplectuntur alimentum, amissâ autem hac, lenitas, vel lævitas in illis fit, ratione cujus non detinetur in illis alimentum, & fit velox excretio. Sed hæc nominis etimologia reprehenditur, ex eo quod in ventriculo est propria facultas à qua fit retentio ; hæc autem deficit quia facultas non operatur non defectu asperitatis, & idem est dicendum de intestinis.

Hoc ergo supposito, & supposito quod in hac affectione omninò cruda dejiciuntur excrementa, facilè est intelligere esse symptoma in excretis, quia videlicet excernuntur ea quæ debebant retineri ; actio autem quæ læditur est ablata; siquidem nullam mutationem suscipit alimentum ; sed cujus facultatis sit actio ablata, restat quòd dicamus ; frequentissimè in hoc affectu aufertur actio facultatis retinentis, licèt possit contingere lienteria, quin temperies naturalis facultatis retinentis labefactetur, eò solùm quod alimentum ità valde irritet ad expulsionem ut antequam operetur retentrix, expultrix facultas pellat alimentum, quin etiam ista labefactetur in sua temperie ; & sic potest esse symptoma facultatis expultricis lienteria ; oportet tamen in memoriam repetere quæ *suprà* diximus, etiam defectu retentionis expultricem operari, quia magis irritatur : ratione ponderis occasionati defectu retentricis.

Cùm hoc tamen licèt advertere quod si coctrix facultas ità esset debilis ut ejus actio esset ablata, omninò incoctum & crudum ejiceretur alimentum, tamen hæc affectio non diceretur lienteria, quia dejectio non esset celer, ità ut statim fiat ac devoratur ; an autem dicatur lienteria spuria ; quæstio de nomine est.

De morbo à quo hoc symptoma procedit dicimus non esse unum, frequens tamen est distemperies frigida & humida quâ vitiatur temperies retentricis, potest etiam esse solutio continuitatis, eò quod exulcerata parte, alimentum eam tangens adeò irritat ut incitet ad celerem illam excretionem, aliquandò etiam potest fieri à distemperie calida sua caliditate mortificante virtutem retentivam. Et licèt asperitas & rugositas ventriculi, & intestinorum conferant ad retentionem faciendam, nihilominùs his ablatis ; non erit sufficiens causa ad celerem dictam excretionem alimentorum, nam ob actionem facultatis retinentis non pendentis ab asperitate & rugositate

gositate sine dubio retinebitur alimentum, ac proindè non erit celer exeretio , neque lienteria cum conditionibus requisitis.

De parte affecta est aliquid quod dicamus, & breviter dicimus , in hoc affecto necessariò debere affici ventriculum , & intestina ; nam cùm in intestinis sit facultas coctrix , & etiam retentrix , (quæ non operatur medös fibris , nam hanc negavimus *suprà*) certum est vitio non existente in intestinis , etiamsi sit io ventriculo alimentom, nou excerni omninò crudum , neque celeriter , cùm debeat recipere mutationem in intestinis , & idem dicendum est si intestina solùm afficiantur ventriculo illæso manente , oportet ergo à qualibet causa fiat lienteria , simul affici ventriculum & intestina.

Causa verò ob quam tenet Galen. in hac affectione esse bonum signum ructum acidum, est quia signum est alimentum aliquantulum retineri in ventriculo,& calorem agere in illum, & sic quantum agitur ex vi lienteriæ , est bonum signum , licèt ex alia parte sit malum quatenùs alimentum convertitur in alienam naturam quod satis periculosum est.

CAPUT III.

De Cæliaca affectione.

SI quis attentè consideret ea quæ de lienteria diximus , facilè naturam cœliacæ affectionis intelliget ; est enim cœliaca affectio quandò alimentum semicoctum & imperfectum excernitur : ex quo constat secundum magis & minus differre à lienteria ; ex quo etiam sit fieri per solum vitium actionis facultatis retinentis , quandò scilicet talis facultas diminutè operatur. Probatur : nam hac diminutè operante , excernitur alimentum semicoctum , & imperfectum ; ergo per solum vitium illius sequitur prædictum symptoma , quin alia facultas patiatur. Cum hoc tamen optimè stat posse fieri per vitium facultatis coctricis non potentis perfectè coquere ob ejus debilitatem , licèt non contingat ex hac causa ità frequenter sicut ex debilitate retinentis facultatis : Probatur , nam debili existente coctrice alimentum semicoctum excernitur , & imperfectum , ergo erit cœliaca affectio per vitium illius. Patet quia hæc non requirit celerem esse excretionem sicut lienteria ; ergo per vitium coctricis fiet affectio cœliaca.

Aliqui verò affirmârunt excretum debere esse liquidum & putridum in hac affectione , ex eo quod detineatur alimentum in ventriculo , ibíque cùm non possit perfectè coqui ob debilitatem caloris nativi adquirit putrefactionem & corruptionem : sed quàm falsum hoc sit constat , nam non est de natura hujus affectus quod excretum sit putridum , neque hujus putrefactionis assignatur agens sufficiens, cùm defectus caloris nativi id non faciat , eò quod affectus positivus causam requirit positivam. In calce tamen hujus capitis , licet advertere , posse fieri cœliacam affectionem ex vehementia facultatis expellentis qui pellat ante perfectam coctionem, hoc ipso quod incipit materia coqui , & probatur ; nam si vomitus contingit ob facultatem expellentem sursùm , multò meliùs continget deorsùm.

CAPVT IV.

De diarrhæa , & quid sit.

DIARRHOEA est alvi fluxio diuturna sine inflammatione , aut exulceratione ; debet intelligi trium humorum alicujus ; nam quandò fluit sanguis ; etiamsi citra ulcus non mereatur nomen diarrhœa , est symptoma facultatis expultricis naturalis intestinorum quæ quantitate , vel qualitate humorum irrita movetur ad expulsionem, licèt verum sit debilitatem facultatis retinentis posse esse occasionem ad diarrhœam eò quod si cessat à retinendo,gravatur magis expultrix, & irritatur, tamen sine actione facultatis expultrices pellentis humorem ad extra hujusmodi affectio contingere nequit. Plures autem sunt morbi à quibus alvi diuturna fluxio potest excitari;nam in compositione,ut quando obstructione aliqua procedit , aut intemperie, ratione cujus immodicus humor fit, aut præternaturam alteratur. Pars affecta in hac affectione sunt intestina non semper, sed aliquandò & meritò , nam morbus à quo procedit , non est necessariò in illis , sed potest esse in alia parte laborante à qua mittatur humor in intestinis , & irritet ad expulsionem.

CAPVT V.

De dysenteria , & tenesmo.

PRo intelligentia dubij primò supponere debemus quatuor esse differentias excretionis sanguinolentæ quæ comitantur quatuor affectiones , una est quandò aliquis artuum abscissus est , vel si qui exercitationem dimiserunt ; nam cùm in his abundet sanguis ultra quantitatem naturæ convenientem , cujus portio anteà consumebatur in nutritione illius partis quæ deficit, vel consumebatur exercitio,dubium non est quin natura illum sanguinem redundantem pellat per ventrem inferiorem, eò quod ab illo molestetur & gravetur.

Secunda quandò ex jecoris debilitate aquosus excernitur sanguis similis loturæ carnis recèns mactatæ.

Tertia est excretio sanguinis melancholici, splendentia , eò quod postquam in jecore convenientem fructum suscepit , gravat ; & cùm non sit recta via per quam jecur eum expellat , retrocedit ad ventrem ; estque sanguis niger & splendens , quia permixtus ex sanguine & nigro humore , & admodum est coctus , & ratione cujus est splendor.

Quarta denique quandò paulatim & exiguo

quo tempore excretio fit, quandoque concreti, fuléque simul excerni, quandoque pus, vel crusta, aut membranosa substantia.

His ergo prælibatis, dysenteria sic à Gal. definitur *lib. 1. de causis sympt. cap. 2. Est sanguinis excretio per intestina ratione ulceris ibi existentis*, ad quam dolores præcedunt, & in ipsa dejectione vehementi dolore afficiuntur ægroti. Ex quo facilè deducere possumus dysenteriam esse symptoma in his quæ excernuntur toto genere contra naturam; morbus verò à quo fit est solutio continui; modus verò quo fit est cùm humor mordax & acris corrodit intestina & facit alias quæ corrosio solutio continui quædam est, quo fit ut irritetur facultas & moveatur ad expulsionem sanguinis. Contingit autem sæpè excerni humores acres & mordaces, & non sanguinem, eò quod non adhæreant, neque moretur per tempus sufficiens, ut faciant in intestinis corrosionem & continuitatis solutionem, in quo casu solùm erit diarrhœa & non dysenteria usquedum faciant ulcera in intestinis.

De causis est quod dicamus; circa quod omnes fatentur fieri ab humoribus acribus & mordacibus erodentibus, ità ut effectus non dependeat à causa, sed illà ablatâ ulcus perseveret. Sed dubium est an possit fieri à frigore. Circa quod dicimus frigiditatem posse esse occasionem, ut sequatur dysenteria, eò quod ratione illius possunt pelli versus intestina humores acres & mordaces qui ulcus facient, tum etiam quia ratione illius, plura excrementa pituitosa & viscida possunt congeri in intestinis, ibique adhærere, ratione cujus putrefiant, & pessimam comparent qualitatem, & ulcus faciant, quod nihil præter rationem continet.

De tenesmo restat quod dicamus, qui tantùm differt à dysenteria ratione partis affectæ quæ in tenesmo est intestinum rectum. Sic definitur, *Est vehemens deficiendi cupiditas cum tensione*. Cupiditas autem major est in tenesmo quàm in dysenteria, eò quod ulcus est in intestino recto, quod quidem est destinatum ad dejectionem & ob hoc est prædium acuto sensu. Morbus à quo procedit est ulcus, quod indicat cruenta dejectio cum dolore. Procedit autem illa immodica dejiciendi cupiditas propter fixionem & permanentiam causæ, pituitosæ scilicet & substantiæ mucosæ quæ adhæret & exulcerat intestinum rectum; si enim facilè humor labatur minimè hoc fiet.



DISPUTATIO LVII.

De quibusdam doloribus intestinorum.



CAPUT PRIMUM.

De colico dolore.



COLICUS dolor de quo *in præsenti capit.* agimus, sumit denominationem à symptomate, dolore scilicet, & à parte affecta, intestino videlicet colon dicto,

quod secundum ex crassis intestinis est; hoc autem est quod frequenter contingit, quia hæc vox *colica*, absolutè communis est ad iliacam, ità ut non implicet eundem dolorem, & ab eadem causa, existentem in intestino colon, existere in intestino ileon, frequenter verò diversi dolores constituuntur ob diversitatem partium quarum sunt affectiones. Ex quo facilè erit intelligere quis affectus sit dolor colicus, est enim symptoma in actione depravata spectans ad tactum, vel appetitum, sicut alij dolores. Duo autem symptomata in colico dolore considerantur, dolor scilicet, & difficilis exitus eorum quæ consueverant excerni secundum naturam per inferiorem ventrem, quæ possunt ab eadem causa, nasci diverso modo afficiente intestina; nam in quantum solvit continuum, facit dolorem, in quantum verò obstruit claudendo viam exitûs, facit retentionem, & similiter quandò fit à flatu distendente, in ipsa distensione potest utrunque procedere; nam erit dolor ratione distensionis solventis continuum, & erit retentio eorum quæ debebant excerni, quod faciet aliud symptoma in tertio genere, ex eo quod cùm ad expulsionem sit necessaria contractio, hanc impedit distensio. Advertere tamen oportet non esse necessarium ad dolorem colicum esse morbum in cavitate magna; nam si causa sit intra tunicas, erit dolor colicus.

De causis est quod dicamus, potest enim fieri ab humore pituitoso & crasso, à flatu, & ab humore bilioso, & ab inflammatione intestini, non implicat etiam fieri ab humore melancholico, licet rarò, & non ità frequenter; potest etiam à pituita vitrea causari, ut testatur Galen. in ipso evenisse, quæ omnia causæ quatenùs valent distendere & solvere continuum, prædictam affectionem causant, vel existentibus in cavitate ipsius intestini colon, vel in poris, vel venis ejus, licet iste sit acutior & difficilior; in qualibet autem ex his partibus existat causa, faciet solutionem continui, & distensionem ex qua sequatur retentio, & sic fiet dolor colicus legitimus.

Cùm igitur hac affectione correpti tali modo doloris soleant affici, ut videantur terebro perforari, oportet scire an iste modus doloris spectet ad crassum tantùm intestinum, an etiam ad tenue; pertinere ad crassum tantùm tenet Gal. expressè *2. de loc. affect. cap. 4.* quod amplecti debemus.

Quæritur etiam cur pituita illa vitrea existens in intestinis non calefiat, sed post excretionem frigida sentiatur, cùm adeò caleant nostræ partes.

Respondetur ideò hoc contingere quia inter pituitam & nostras partes, est actio & reactio ratione cujus calor partium vincatur, & ità exiguus maneat ut non possit calefacere sensibiliter illam pituitam, ità ut vincat suam frigiditatem, quo fit ut frigida sentiatur.

Secunda causa colici doloris est bilis quæ sua mordacitate causat dolorem: sed dubium est bilis si faciet forsan majorem dolorem quàm in dysenteria, in hoc affectu non facit corrosionem, sicut in dysenteria.

Respondemus quod in colico dolore bilis non prolabitur per cavitatem intestinorum, sed per tunicas ipsas earum vasa; si autem per cavitatem prolaberetur, & detineretur per tempus requisi-

tum, sine dubio faceret corrosionem. Sed contra, quia si humor sit in solis vasis tunicæ, non poterit sentiri qualitas dolorifica & mordacitas in tunicis intestinorum, quia humor distat ab illis, & realis dispositio requiritur, requisita ad receptionem illius speciei, quæ in subjecto distanti non recipitur; si verò dicas talem humorem biliosum existere in poris, urget argumentum suprà factum; cur scilicet ibi non faciat corrosionem sicut in dysenteria. Respondetur unum ex duobus dici posse, aut quod tunc bilis calore nimis alterante facit dolorem mordacem, & non corrosionem propter partis resistentiam; aut quia excitat dolorem imbibita in poris distendendo singulos, non autem facit corrosionem, quia est exigua portio applicata poris, cùm divisa sit materia per poros, major autem quantitas requiritur ad corrosionem partis quàm ut distendat poros.

De inflammatione & ventositate jam diximus quomodò dolorem causent, & retentionem excrementorum, ratione scilicet tensionis, vel obstructionis id faciunt. Tandem licet advertere hujusmodi dolorem; tam in parte dextra quàm sinistra posse esse ob positionem intestini coli.

CAPUT II.

De iliaca passione, sive volvulo, & parte affecta ejus.

HÆc affectio sicut & præcedens nomen accipit à parte affecta, scilicet ab intestino tenui quod dicitur ileon; dicitur etiam volvulus à symptomate quodam, quia volvi videtur intestinum ad similitudinem chordæ, ità ut supra umbilicum tumor aliquis emineat; in hac autem affectione sunt duo symptomata, & dolor, & omnimoda excrementorum retentio; sunt etiam duo morborum genera; nam quantùm ad suppressionem est symptoma tertij generis in retentione eorum quæ debebant excerni, & nascitur à morbo in compositione, scilicet ab obstructione maxima impediente viam. Erit etiam solutio continuitatis à qua dolor fiat, est etiam in hac affectione ablata facultatis expellentis, non quidem quod hæc lædatur necessariò in suo temperamento, sed ob obstructionem impedientem viam quominùs possit excerni excrementum.

Sed aliqua sunt scitu digna. Primum an solùm hæc affectio in solo ileo intestino reperiatur; & omissis diversis placitis Autorum, & Galeni qui pro utraque parte stare videntur, dicere debemus hujusmodi affectionem posse contingere per similem causam afficientem intestinum colon, & omnia intestina crassa. Constat imprimis quia iliaca passio solum à calida distinguitur penes eo quod nihil aliud est iliaca quàm colici affectus intensio, distinguuntur ergo penes magis & minus; ergo per affectionem unius partis fieri possunt, ac proindè affecto intestino crasso, ileon dicto fiet iliaca passio. Probat deindè ratione, quia affecto intestino crasso eodem modo ac tenui ileon dicto, in prædicta affectione sequentur omnia signa essentialia iliacæ affectionis; ergo potest contingere affecto intestino crasso. Antecedens probatur; nam stercore nimis indurato in intestino crasso, aut ortâ ibi inflammatione, ità ut omninò impediatur via; in tali casu erit dolor, & tormina & consensus cum ventriculo, ità ut stercus vomatur, ergo poterit fieri iliaca affectio per affectionem intestini crassi.

De causis, tempus est jam quod dicamus; præcipua autem est inflammatio, aut tumor quilibet in aliquo ex dictis intestinis, licèt frequenter contingat ex inflammatione in intestino ileon dicto, eò quod in eo sint plures venæ ramificantes, & sic plus sanguinis abundet; succedit autem prædictum symptoma à prædicta causa, eò quod inflammatione seu tumore existente in dictis partibus, impeditur cavitas per quam fæces debebant descendere, & sic retinentur, quo fit ut sit dolor vehemens; & quod ab intestinis vehementer retundentibus pellatur sursùm ad ventriculum à quo statim per vomitum expellitur; frustrà enim aliqui attractivam vim concessêre ventriculo, in ordine ad fæces, cùm nullus sit finis, neque peculiaris usus ad quem id fiat.

Dicimus deindè pituitam crassam & lentam posse causare iliacam passionem, quin faciat tumorem in prædictis intestinis; nam potest sua qualitate ità obstruere & occupare vias, ut impediat omninò motum stercoris ad locum inferiorem, præcipuè cùm maximè possit adhærere ob suam crassitiem & lentorem; in quo casu erunt omnia signa pathognomonica hujus affectionis; si tamen videatur difficile tale impedimentum fieri ab hoc humore, quin faciat inflammationem, poterit vocari iliaca spuria, pro illa verò sententia videtur stare Hippocrat. *libro 6. aphorism. text.* 44. ubi dicit. *Quibus ex stillicidio urina ileos supervenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superveniente urina satis effluxerit.* Ex quo constat posse fieri à crassis & frigidis humoribus; nam si ex inflammatione fieret ileos, non posset illi esse remedium febris adveniens.

CAPUT III.

De signis ilei morbi.

DUo inquirimus in hoc capite; Primum quænam sint signa volvuli absolutè; secundum quod signum sit ad cognoscendum an patiatur tenue intestinum, an crassum. Circa primum dicimus; signum pathognomonicum & indefectibile in volvulo esse quod nihil descendat ad inferiora, eò quod clausa omninò sit via per quam descendat; voluerunt etiam aliqui stercoris vomitum esse signum essentiale hujus affectionis, eò quod cùm via sit clausa per quam stercora debebant descendere, opus est expelli per vomitum. Ut autem veritas hujus signi pateat notare oportet modum quo in prædicta affectione vomitur stercus.

Dico ergo quod intestina dum secundum naturam se habent, conjunguntur ut expellát deorsùm initio sumpto à parte superiori; cùm autem sint aliqui affectus contra naturam quibus versus partem inferiorem excrementa non possunt pelli, incipit motus constrictionis ab inferiori parte, & sic trudit versus superiora, & sic usque ad ventriculum.

lum. Irritationem autem esse necessariam, vel ex acrimonia, vel ex pondere certum est, cùm aliter non posset pellere per viam non consuetam, ex quo fit adhuc in omnibus morituris non reperiri stercoris vomitum; nam aliqui possunt interire aliis accidentibus antequam talis vomitus veniat; undè quæsito respondetur, non esse vomitum signum pathognomonicum iliacæ affectionis, cùm non sit opus à principio esse, nam potest esse affectio, & nondum esse irritationem, quã præsupposita fit vomitus. Ex dictis etiam licèt advertere falsò aberrare qui affirmant multoties clysterem evomi cum stercore, nam si via est occlusa, ità ut stercus versus inferiora non potest pelli, quo pacto clyster potest transire ad superiora nisi fortasse causa sint fæces induratæ quæ vi clysteris possunt laxari, & sic clyster simul cum fæcibus potest vomi.

Aliud quod quærebamus erat, quo signo debeamus deprehendere ileum à culico diversum esse: Et dicimus quod quando afficitur ileum est assiduitas vomitionis, & potius non potest contineri, in his; id autem contingit ob majorem consensum quem dicit ileum cum ventriculo quàm coloo.



DISPVTATIO LVIII.

De lumbricis intestinorum.



CAPVT PRIMVM.

Quid sint lumbrici præternaturam, & à quibus causis fiant.

CIRCA primum quod inquirit quæstio, dicimus vermes intestinorum esse morbum in numero partium toto genere contra naturam, eò quod ratione aucti numeri lædunt actiones: neque dubium est posse esse causas aliorum morborum, ut solutionis continuitatis, & similiter aliorum symptomatum sunt causæ, alia etiam ratione possunt esse symptomata in his quæ præternaturam retinentur.

Sed circa causam efficientem lumbricorum est dubium, & quidem cùm ex semine non generentur, videtur generari per putredinem non alio modo ac animalcula in universo per putredinem generantur, ità ut ex pituita putrescente per ipsam actionem putredinalem in nostro corpore, vel in intestinis generari doceant Avic. & Gal. Alij tamen asserunt non sufficere putredinem solam non facere vermes, sed per coctionem etiam fieri, quod probant quamplurimis Gal. & Aristot. authoritatibus: quà verò ratione fiant hæc animalia per coctionem & putredinem, est difficillimum, quod traxit Autores in varios dicendi modos quos quisque apud Petr. Garciam videre potest *super hoc caput*, omissis tamen illis brevitatis gratià, nobis videtur dicendum, separatà materiâ per putredinem, & separatà causà putrefaciente materiam à calore remanente coqui alia coctione, juvatque ab externo aliquo, & hoc auxilium appellatur collectio & rectificatio virium ab Autoribus, quàdò diversa placita circa rem hanc tradunt; aute putredinem autem non potuit fieri generatio vermium, quia fortior est causa putrefaciens, quàm causa concoquens quæ post putrediorem producit suum effectum, & juvatur à calore Solis, vel influxu cœlesti. Hæc sunt quæ circa hunc philosophandi modum possunt dici: sed contra Aristotelis sententiam plura se offerunt; nam si vermes coctione generantur, ad quid facit quod præcedat corruptio putredinis; si dicas, ut corrumpatur forma mixti antecedens, contra est, quia non minùs deficere potest per ultimam dispositionem cõducentem pro generatione vermium quàm per putredinem; ergo frustrà est putredo antecedens. Neque valet si dicas putredinem concurrere partialiter ad generationem vermium simul cum coctione; nam contra est, quia ex Philosopho, putredine nihil potest generari, ergo neque partialiter potest concurrere ad dictam generationem.

Nobis tamen videtur dicendum generationem vermium in intestinis esse similem omninò generationi animalium qui ex putrefactione terræ cõmuniter dicuntur generari. ità ut ex dispositionibus passi, & ex his quæ ab efficienti sive universali, sive particulari producuntur, resultet quædam dispositio ad formam mediam horum animalium, non per se intentam ab agenti, sed per accidens resultans ex dispositionibus aliquibus ab agente productis pro introductione propriæ formæ, & ex aliquibus quæ sunt in passo, ità ut cœlum suo influxu sit agens producens formam viventis, in his animalibus, quæ per accidens generantur, ità tamen hoc debet intelligi, ut corpora cœlestia à se non valeant producere formam viventis tanquam causa principalis, utpotè est illis imperfectior, atque adeò non recurrere debemus ad intelligentiã moventem corpora cœlestia, quia prædicta substantia Angelica tantùm applicat per motum hujusmodi corpora, quin eis tribuat virtutẽ, ac proindè tenemur recurrere ad Autorẽ naturæ tanquã ad causam universalem concurrentem hujusmodi productionibus per concursum debitum juxta exigentiam, ac proindè in generatione vermium juxta causam efficientem eodem modo philosophari debemus, quàm in generatione cæterorum animalium quæ communiter ex putrefactione terræ generari dicuntur: nam licèt in viventibus sit principium perfectiùs ipsis vermibus, tamen cùm ab eo non generentur per se intenti, sed per accidens, indè est aliud agens esse assignandum productivum formæ præter viventem.

Causam materialem restat examinare. Circa quam certum est generari ex materia pituitosa frequentissimè, idque constat expresse ex Avicenn. licèt non sit ratio quæ probet non posse ex aliis humoribus putrefactis; nam id quod dicitur de colore nihil valet, cùm non fiot omnes vermes albi; & licèt ità essent, hujusmodi color potest etiam provenire vi propriæ formæ, non verò semper est reducendus ad materiam quæ præcessit, cùm ejus forma pereat per putredinem. Quandò ergo dicitur non fieri ex amaris & acidis, quia his medicamentis potiùs vermes moriuntur, debet intelligi non fieri ità frequenter ex amaris, ac ex pituita, quod libenter fatemur.

CAPUT II.

An lumbrici generentur in solis intestinis.

MIOSTUR in solis intestinis lumbricos generari, quia ibi generantur ubi putrescunt excrementa, & non ubi alimenta coquuntur: sed in solis intestinis putrescunt excrementa, & in ventriculo alimenta coquuntur, ergo in solis intestinis generari debent.

Nihilominùs contraria sententia est nobis sustinenda, & probatur primò quia in aliquibus partibus corporis quamplurium animalium generantur, ut refert Galen. pluribus historiis, ergo similiter in ventriculo possunt generari. Et confirmatur; nam ubi reperitur causa efficiens & materialis alicujus effectus, & locus accommodatus, sine dubio producetur: sed in ventriculo hæc omnia reperiuntur pro generatione vermium; ergo in illo sicut in intestinis generantur. Probatur per partes: nam ventriculus est locus accommodatus, præsertim cùm habeat eandem tunicam cum intestinis, & nulla sit ratio quæ oppositum probare possit. Deindè non implicat pituitam putrefieri in ventriculo; quæ materia est ad prædictam generationem. Et tandem efficiens potest esse ut calor partim concoquens, partim putrefaciens; ergo nulla ex parte implicat vermes in ventriculo generari, licèt frequentèr in intestinis generentur ob eorum circumvolutiones ob quas ibi magis detinetur materia, & excrementa, & sic putrefiant. Ad quod accedit quod cùm calor sit debilior in intestinis quàm in ventriculo, difficiliùs coquet pituitam in eis adhærentem, & sic facilè corrumpitur & putrefit. Tandem licet advertere tres esse species lumbricorum; alij dicuntur longi, sive teretes, alij dicuntur lati & rotundi, alij verò parvi & minuti qui dicuntur ascarides.



DISPUTATIO LIX.

De vitiis hepatis quæ ad distemperiem referuntur.

CAPUT PRIMUM.

De hepatica affectione.

UM jecur non solùm possit pati ut pars organica est, sed etiam ut similaris, de morbis omnibus agere debemus tam intemperiei citra tumorem præternaturam quàm cum ipso tumore, in præsenti ergo de morbis quæ ei possunt evenire ut pars similaris est, agemus; & primò de hepatica affectione dicta, quæ nihil aliud est quàm hepatis quædam debilitas circa sanguificationem citra necessitatem tumoris; ità ut in ea alvi sedimenta in qua nuper mactata caro, est abluta, similia esse videantur; cum hoc tamen bene stat ut possit complicari cum tali debilitate aliquis tumor, iste tamen non erit requisitus ad prædictam hepaticam affectionem; undè facile est colligere esse symptoma læsæ actionis diminutæ circa sanguinis generationem, ex qua procedit aliud symptoma tertij generis, quia excernitur aliquid quod debebat retineri. Facultas quæ patitur, est coctrix existens in ipso jecore, cùm enim diminutè operatur, generatur sanguis similis lotura carnis recèns mactatæ; imperfectus quidem, sicut quandò ventriculus imperfectè coquit; quod symptoma pathognomonicum est hepaticæ affectionis, eò quod gravato jecore ab ipso sanguine imperfecto, statim ad intestina pellitur.

Advertere tamen oportet pro majori intelligentia quæstionis, tres modos cruditatis reperiri in jecore sicut in ventriculo, unus est quandò chylus nullam suscipit alterationem, alter quandò eam suscipit licèt imperfectam, ità ut imperfectè coctum & nondum perfectam formam sanguinis adquirit, & tandem tertia quandò in alteram naturam mutatur. Ex his ergo si consideratio fiat, ut sunt actiones læsæ, deterior est prima, quia est actio ablata, altræ verò non; si verò consideratio fiat ex parte illius quod productum remanet, ratione læsionis, deterior est depravata; nam deterior est aliquid in alienam qualitatem mutari & adversam naturæ, quàm propriam qualitatem servare sine ulla mutatione, quia hæc minùs distat à sanguine naturali. Et licèt illud quod fit in actione depravata sit extra actionem naturæ, nihilominùs non est deterior in ratione actionis læsæ quàm ablata, quia non potest negari quin aliquid agat facultas naturalis in illam actionem per quam chylus in alienam mutatur qualitatem, & sic deterior non est in ratione actionis, quia aliquid operatur facultas, & in alio casu nihil operatur.

Cum dictis tamen habet locum hepaticam affectionem fieri per diminutam actionem facultatis retinentis. Probatur; nam hoc ipso quod retinens non retineat tempore debito; ut coctrix operetur, sed cesset ab actione antequam coctrix perfectè coquat, in tali casu sanguinis erit excretio imperfecti & crudi, sicut quandò debilis est coctrix, ergo in tali casu erit hepatica affectio per solam læsionem retinentis facultatis. Ex quo constat partem affectam esse jecur secundum partem carnosam in qua est virtus coctrix; in venis autem mesaraicis si aliquam alterationem suscipit alimentum, est ratione virtutis jecoris ad illas se extendentis, & sic semper pars affecta debet esse jecur in hepatica affectione.

Denique restat jam quod dicamus morbum à quo prædictum symptoma procedit, & dicendum nobis est morbum esse quamlibet distemperiem, præsertim tamen frigidam, ratione cujus coctio læditur, & diminuta fit; frigidâ enim distemperie existente, diminuitur calor maximè necessarius pro coctione. Quod autem possit fieri hæc læsio à qualibet distemperie constat, cùm coctio fiat à proportione omnium qualitatum quâ variatâ diminuitur, aut vitiatur coctio. Advertere tamen oportet quod non quomodocunque vitietur temperamentum, erit sufficiens ut actio deficiat,

ciat, aut vitietur eodem modo; sed tequiritur vel certa intensio, vel dispositio ex parte jecoris ob quam in hepatica affectione fiat prædictum vitium & mutatio in qualitatibus secundis, ità ut sanguis appateat cum illo colore simili loturæ carnis recèns mactatæ.

CAPVT II.

De malo corporis habitu, cachexia dicto.

CACHEXIA nihil est quàm malus totius corporis habitus, juxta quod symptoma debet dici in qualitate mutata; cùm omnes partes in hoc affectu, laxæ, molles, & albicantis coloris appateant; hoc autem symptoma procedit ab alio, nempè à læsa actione jecoris depravatè, ratione cujus non generat sanguinem optimum, sed imperfectum & incoctum, & sic in toto corpore prædicta accidentia appatent; pars verò affecta est jecur, ut ex dictis satis constat.

Pro majori verò intelligentia hujus affectionis oportet assignare discrimen inter cachexiam & hepaticam affectionem. Et imprimis cachexia distinguitur ab anasarca, quod in hac non solùm est morbus jecoris cum læsione actionis propriæ partis, sed etiam læditur nutritio partium extimarum sine peculiari morbi ratione in eis necessaria solùm propter materiæ ineptitudinem; in cachexia verò non ità: differunt prætereà ex parte ejus quod generatur; nam in cachexia est sanguis aliquantò aquosus, in anasarca verò pituitosus valde: differt prætereà cachexia ab hepatica dysenteria, quia in hac sanguis ille imperfectus distribuitur tantùm per venas mesaraicas ad intestina; affectio verò cachexia fiet ut vitio jecoris supposito, in quo convenit cum hepatica sanguis aquosus per genus venenosum dispertitur per singula membra, tamen non mutatur in eorum substantiam, sed veluti inutile excrementorum manens immutatum, membra in tumorem elevat.

Solet in dubium verti an cachexia præcedat necessariò hydropem; Et partem negativam defendimus; nam licèt distinguerentur secundum magis & minus; (quod non est verum ut de ascite & tympanite constabit,) tamen non erat necessarium præcedere sensibiliter cachexiam; nam terminus totius intensionis requisitæ ad hydropem potuit fieri ità brevi temporis spatio; ut anteà non esset cachexia sensibilis Medico: Idem dicendum est de anasarca; nam materia potuit etiam brevi tempore adquirere ineptitudinem ad nutriendum requisitam & à principio, quin præcedat cachexia, & sic non est necessaria in his affectionibus præcedentia.

CAPVT III.

De Hydropis natura & speciebus ejus.

OMISSA nominis etymologia, quia nullius momenti est, sic Avicenn. definivit hydropem *fen 14. lib. 3. tract. 4. cap. 4. Est ægritudo materialis cujus causa est materia exuberans frigida, ingrediens membra & consequitur per eam, aut membra manifesta omnia, aut loca vacua partium in quibus sunt regimen nutrimenti & humores.* Quo supposito constat in hydrope plura symptomata ab eodem morbo nasci, ità ut quæ habent rationem symptomatis respectu unius morbi, habeant rationem morbi respectu alterius symptomatis; sic ergo in hydrope quælibet materia est symptoma in his quæ retinentur, & debebant excerni quod nascitur ex morbo jecoris. Deindè ipsa materia si tumorem elevet, ità ut vi illius lædantur actiones, erit morbus in mala compositione, cum quo stat ut in ipsa parte tumefacta sit symptoma in qualitate mutata; cum hoc tam verum est posse esse verum hydropem sine morboso tumore, actio verò quæ necessariò læditur est virtutis sanguificandi.

Alterum quod proposuimus quærit, quænam sint hydropis species, & dicimus tres tantùm esse desumptas ex diversitate materiæ: una est anasarca quæ fit ex pituita; secunda est ascities; quæ fit ex aqua; tertia verò est tympanites quæ fit ex flatu; ponuntur autem tres species tantùm ex diversitate materiæ, quia non constat jecur producere suo vitio aliam diversam substantiam tumefacientem præter illas tres.

Nec valet si dicas quod sicut aqua & flatus in ventre inferiori contenta faciunt diversas species hydropis, sic etiam diversæ erunt si per venas distribuantur in alias partes corporis; sed nihil valet, cùm tantùm esset differentia in tali casu ex parte loci; quòd si ab hoc sumatur differentia; tantùm erunt duæ species; nam quædam est materia contenta in partibus quæ sunt sub cute, & est anasarca; alia verò est ex materia quæ continetur in ventris capacitate, & hæc est ascites & tympanites.

Quæres, cur sicut ex pituita fit hydrops, non fit ex reliquis humoribus. Ad quod primò dicimus nunquam visum esse generari tantam quantitatem bilis aut melancholiæ quæ tumidas reddat partes illas sub cute existentes, sicut reddit pituita. Prætereà respondetur cæteros humores antequam ad tantam quantitatem perveniant, ut hydropem faciant, irritare ad sui expulsionem. De sanguine verò quarto humore dicimus, quod licèt multa quantitas ejus generetur; non colligitur in uno loco determinato ubi fit aliqua ex duobus speciebus hydropis, sed fluit per venas, cùm sit humor valde familiaris nostræ naturæ; ob quam causam non exit extra ad partes sub cute existentes, ut in hydrope, ut etiamsi tumidæ appareant, ut quandò est plenitudo ad vasa. Tandem dicimus quod etiamsi concederemus tantam quantitatem humoris fieri ex illis; non tamen diceretur hydrops, quia hæc dicitur à Medicis ab aqua sub cute; cæteræ verò materiæ, vel humores valde diversam habent naturam; & sic non causant hydropem.

CAPUT IV.

Quænam sit pars affecta in hydrope, an necessariò sit jecur.

PARTEM affectam in hydrope non esse necessariò jecur videtur probari primò quidem ex loco quem adducunt aliqui autores ex Galeno, in quo affirmat posse fieri hydropem per colliquationem: ratione etiam probant de tympanite, nam nullo vitio existente in jecore potest venter ità distemperari, ut ex alimento & excrementis tantam copiam flatûs generet, ut in tumorem ventrem elevet; ergo in tali casu erit tympanites, sine vitio jecoris. Secundò quia solùm per vitium renum, ex eo quod ob debilitatem serum non trahant, tune necessum est tantam feri quantitatem coacervati inter peritonæum & intestina, ut faciat tumorem qui dicitur ascites. Ergo. Tertiò quia vitium sanguinis non solùm evenit per vitium jecoris, sed etiam vitio ipsius alimenti; ergo nullo vitio existente in jecore, solùm per vitium alimenti sanguis generabitur incoctus, & vitiosus, in quo casu erit hydrops, & non erit vitium in jecore.

Sed opposita sententia vera est, nempè in omni hydrope necessariò pati jecur, aut per se, aut per consensum: Et probatur, ratione quâ Gal. utitur, quia non potest aliqua actio lædi quin lædatur instrumentum: sed jecur est pars generans sanguinem: ergo quilibet defectus, vel læsio in ejus generatione necessariò debet supponere læsionem in jecore quod instrumentum generationis sanguinis est, ac proindè cùm in qualibet hydropis specie sit error in generatione sanguinis, in qualibet patitur jecur. Dicere potest aliquis sufficere ut post genitum optimum sanguinem, mutetur in naturam alterius humoris ob partium frigidam distemperiem, & sic erit vitium in sanguine, quin lædatur jecur, sed quid dicendum ad hoc, constabit *infrà*.

Argumenta omnia & autoritates quæ contra hunc placitum adduci solent, unico fundamento solvit Petrus Garcia; scilicet quod licèt vitio renum, & propter distemperiem alvi generentur aqua & flatus in sufficienti quantitate, ut faciant tumorem, nihilominùs non dici tales affectiones hydropes, quia necessariòm est pati jecur, juxta omnes Medicos qui ità voluerunt appellare solam hydropem affectionem in qua sint prædicta signa cum vitio jecoris.

CAPUT V.

De loco ubi continetur materia hydropis, & an sit opus præter jecur aliam partem affici.

QUANTOM attinet ad anasarcam, aliquibus videtur non tantùm in ea esse affectum jecur, sed etiam opus esse facultatem nutritivam partium lædi intrinsecè, ità ut in ea sint duo morbi complicati. Nobis tamen dicendum est quod licèt casus sit possibilis, quod cum exiguo lapsu jecoris generantis pituitæ copiam, etiam nutritiva vis sit debilis, ut non possit suum actum exercere; in talique casu esse verum hydropem, tamen non esse necessariam in partibus illis peculiarem morbi rationem, ut sic verus hydrops; sed solùm per affectionem jecoris, ineptâ existente materiâ nutritionis ad recipiendam perfectam alterationem, sequitur omne id quod requiritur ad verum hydropem, & ob eandem rationem, nempè ob ineptitudinem materiæ, venæ non mutabunt humorem illum, (si qua est in illis facultas.) Ratio verò ob quam in anasarca non colligitur pituitosus humor, inter peritonæum & intestina; sed pervadit per vasa usque ad partes extimas corporis, est quia in vis non est aliquod impedimentum, neque obstructio, aut quid coarctans, neque etiam ratione virtutis pellentis, aut trahentis est tanta debilitas quæ non sufficiat ad distributionem humoris.

Quantum verò attinet ad ascitem, videbimus præter distemperiem jecoris generantis illum aquosum humorem, non deduci talem aquosum humorem per vasa omninò, neque ad renes, aut vesicam, sed tantùm colligitur in uno particulari loco; in præsenti autem quæritur ratio ob quam non feratur ad renes & vesicam, posito quod in his est facultas tractativa serosi humoris. Respondetur multoties aquosum humorem in ascite non delabi in renes & vesicam, aut quia eorum facultas trahens est debilis, aut quia via est obstructa, ratione cujus materia congeritur juxta jecur. Et dico quod etiamsi tales partes nullo morbo laborent, solùm penes eo quod facultas expultrix jecoris sit debilis, fit ut aquosus humor congeratur juxta jecur, & non mittatur ad renes & vesicam.

Super est quod de alia tertia specie hydropis dicamus quæ dicitur tympanites quæ ex flatu fit, an scilicet hæc fiat per solam affectionem jecoris, quin aliæ partes necessariò afficiantur. Circa quod aliqui affirmaunt, necessariò ventriculum laborare distemperie frigidâ habituali, imò mesenterium & intestina; jecur verò laborare distemperie calida cum diminutione caloris nativi quæ valeat elevare flatus, & non resolvere, probaor: nam si ventriculus non afficiatur, generabit optimum chylum; hoc autem accedente ad jecur, non potest efficere flatum; nam si jecur tunc laborat distemperie frigidâ, generabit crudum humorem; si calidâ, generabit bilem: ergo ut generet flatum oportet vitium esse in ventriculo quo generet chylum crudum, ex quo jecur possit elevare flatus in magna copia, ut faciat tympanitem. Nobis tamen dicendum est sufficere affectionem jecoris ad tympanitem; Probatur, quia si causa efficiens est jecur illo morbo affectum, etiam si chylus sit optimus, illum producet, ac proindè efficiet flatus ex chylo pessimo. Patet: nam dispositio ad aliquem effectum non est opus præcedere activitatem efficientis.

CAPVT VI.

Per quam partem aqua hydropicorum ingrediatur ad locum determinatum ventris.

CERTUM imprimis in hac re esse debet partem affectam in affectione hac esse illam quæ continetur inter peritonæum & intestina, seu omentum: difficultas est quomodò aut per quam viam aqua ingrediatur in talem particularem locum. Iuxta quod non defuère qui existimarunt talem aquosum humorem dilabi in talem locum per scissuras, seu solutiones continuitatis quas imaginantur in jecore, & ejus membrana peritonæo: sed quàm falsum hoc sit, constat primò quia sentiretur dolor vehemens saltim dum fiunt, cùm habeant tales partes acutum sensum; hoc autem non est experimento cognitum. Secundò, quia simul cum aqua illa sanguis efflueret in cavitatem illam, quod non apparet in dissectione, neque in evacuatione ejus qui ad sanitatem restituitur.

Nobis tamen dicendum est talem aquosum humorem dilabi in partem illam seu locum determinatum dictum ob resudationem factam per poros: quod autem pori sint sufficiens via ad talem congregationem probatur à simili de resudatione sanguinis per cutem sanam, quæ pluries contingit: probatur etiam exemplo puris quod in suppuratis exit inter thoracem & pulmonem; similiter experimur aliquandò per ossa exire crassam materiam, quod totum fit exeunte materia per poros; ergo sic similiter in tympanite humor ille aquosus poterit in illum locum determinatum vergere, ibique coogeri. Neque ex hoc sequitur in benevalentibus fieri hujusmodi collectionem & tumorem: nam natura non mittit semper per eam viam: sed quandò ibi serosa humiditas commoratur juxta jecur quod propter imbecillitatem non potest mittere ad alias partes distantiores, & magis opportunas; hoc autem non contingit tempore sanitatis. Neque sequitur reperiri hunc tumorem aquosum in his qui laborant suppressione urinæ; nam jecur si in hoc affectu benè valet, ut sæpè contingit, mittit urinam per viam quam potest longiorem, si verò debilis sit, & ibi moretur materia, fiet hydrops.

CAPVT VII.

Quâ distemperie laborat jecur dum fit hydropis materia.

COMMUNE & satis vulgate est inter Medicos fieri à distemperie frigida jecoris, quod probant ex eo quod humores facientes hydropem sunt infra sanguinem; ergo possunt fieri à diminuto calore, & consequenter à jecoris frigiditate: sed hæc ratio non convincit, quia materia hydropis non est infra sanguinem, ut sit via ad ipsum, sed potiùs aliena ab illius natura, quo fit ut non postulet fieri à diminuto instrumento, calore scilicet. Sed quem sensum habeat hæc doctrina de jecoris frigiditate, dicemus *infrà*.

Quod autem majorem habet difficultatem est, an hydrops possit fieri à distemperie calida jecoris: pars affirmativa videtur suaderi à Galeno *lib.6. de locis cap.*1. Et ratio est, nam febris quæ in hydrope persevērat, nequit fieri à distemperie quæ non sit calida: ergo. Prætereà non est inconveniens quod à distemperie calida generetur frigida substantia: ergo quantumvis materia hydropis sit infra sanguinem, & sic humores frigidi sint, poterunt tamen fieri seu generari à distemperie calida jecoris. Antecedens in quo est difficultas probatur à simili, nam pituita est frigida, & tamen fit per coctionem à calore, similiter acetum est frigidum, & fit per putredinem à calore: ergo idem poterit dici de materia hydropis, esse scilicet frigidam & fieri à distemperie calida jecoris posse.

Sed tota difficultas stat in eo quod dicamus quomodò fiat effectus hydropis à causa calida, circa quod Vallesius *primo prognost. comment.* 1. tenet duobus modis posse affici jecur distemperie calida, alterá fiente, ut quandò non est mutatum radicale, & nativum temperamentum jecoris; alterá verò factâ, in qua eversum est radicale temperamentum. Ex his autem intemperies facta calida est efficiens hydropis; nam cum coctio vel sanguificatio in hepate fiat à calore nativo, & talis sit diminutus in intemperie facta; secùs in fiente; hinc est quod in illa vitietur sanguificatio, & generetur aqua, in hoc verò minimè, eò quod nihil temperamenti, vel caloris innati sit amissum in jecore. Sed motus talis dicendi Vallesij non probatur. Primò quia intemperies calida jecoris est una numero quæ fit ex calore addito & innato: ergo sive intemperies sit facta, sive fiens, semper erit unum numero agens, cujus toti intensioni debet correspondere affectus, & non solùm debet correspondere calido innato remanente in intemperie facta dicta à Vallesio.

Dices quod licèt verum sit quod fiat unum calidum ex calore addito & remanente, sive sit fiens, sive facta distemperies, tamen cùm productio humorum fiat à calore naturali, & hic remaneat in distemperie calida fiente, non verò in facta, indè est quod in hac vitietur sanguificatio, eò quod fiat à debili calore nativo. Sed cōtra est, quia substantiæ quæ faciunt hydropem, ut diximus, non causantur per diminutam coctionem facultatis quæ sit via ad coctionem perfectam, sed potiùs producuntur per depravatam actionem; cùm in quavis specie producatur substantia aliena à nostra natura; ergo non sufficit ad talem productionem calor nativus debilis; neque ex effectu colligitur necessitas talis causæ. Neque etiam videtur cur debilis calor innatus producat aquam in tympanite, quæ cùm frigida sit; à frigore fieri debet. Neque est eadem ratio generationis aceti; nam istud generatur à calore per accidens, quatenùs resolvere valet partes tenues calidas vini; quo fit ut frigefiat; sed etiam si hoc modo generatur materia, vel aqua hydropis; non oportet everti nativum temperamentum, ut ait Vallesius, sed calor etiam si fiens ejusdem activitatis est ad resolvendum; ergo eodem modo à distemperie calida fiente, ac à distemperie facta producitur materia hydropis. Denique quia sequitur in hydropicis omnibus esse hepaticá affectionem;

ctionem, cùm hæc solùm proveniat propter eversionem temperamenti radicalis, ratione cujus excrementa dejiciuntur similes lotutæ canis: cúmque in hydropicis eadem hæc distemperies reperiatur, erit cum hydrope complicata hepatica affectio. Respondere potest Vallesius hepaticam affectionem non solùm fieri ob prædictam causam, verùm ob debilitatem facultatis trahentis, hæc autem non est in hydrope necessariò, & sic in illu non est necessariò hepatica affectio. Sed contra est, quia jam *suprà* vidimus fieri hepaticam excretionem per prædictam diminutionem caloris nativi, ex eo solum quod impediatur distributio sanguinis per venas, ergo frustrà requiritur debilitas trahentis.

Alij verò affirmarunt per calorem præternaturam fieri resolutionem partium calidarum, ratione cujus producitur quædam habitualis frigiditas in jecore à qua producatur aqua in ascite. Sed non videtur intelligibile; nam si homo laboret febre, tunc nequit aqua fieri, cùm hæc à frigore debeat produci, & talis non sit dum est febris; esse autem habitualiter nihil obstat, nam agens quodlibet agit solùm per qualitatem quam habet actu, non per illam quam habet virtute seu habitu, sicut aqua calida per calorem, non per frigus quem habet, virtute vel habitu operatur.

Sed dicendum est cum P. Garc. non sufficere ad constituendas diversas species hydropis ponere diminutionem caloris nativi, quia hoc est commune in omnibus speciebus, & sic aliquid peculiare est ponendum præter hanc diminutionem à quo producatur in una specie aqua, in alia flatus, in alia pituita: hoc autem reducit Petr. Garcia ad diversam jecoris temperiem & dispositionem, ratione cujus modò producit aquam, modò flatum, modò pituitam, vel humorem crudum. Sed quàm difficile intellectu sit, satis constat; mens enim ejus modum decidendi capere non potest: nam non explicat modum quo à diversis temperiebus fiat diversæ substantiæ & producātor. Nam si ait modò produci aquam à frigore, modò verò flatum à calore, oportet assignare modum quo hujusmodi intemperies id faciunt, ut ipse in dubium vertit. Præterea ad asserendum quomodò illæ tres species hydropis simul fieri possint, & simul perseverare, posito quod à diversis distemperiebus, & contrariis nascuntur, docet has non consistere in indivisibili; sed habere aliquam latitudinem, quo fit ut intra intemperiem requisitam ad productionem unius substantiæ possit ingredi altera intra ejus latitudinem sine ejus variatione in productione; & sic simul produci possunt omnes; ad quod etiam facit diversitas materiæ & alimenti, ratione cujus producitur hæc substantia potiùs quàm altera. Alia dubia movet Petr. Garcia super hoc caput. Primum est quomodò existente febre, possit produci aqua in ascite. Secundum cur qui laborant hectica febre, aut marasmo, non sint hydropici, posito quod in his sit consumptio calidi innati; tamen quia insoluta sunt, ab eis supersedeo, & aliam viam in hac re aggredi tento cujusdam nostræ Scholæ Primarij *in suis manuscriptis*.

Docet ergo prædictus Recentior ascitem & tympanitem fieri à distemperie calida jecoris, non tamen ità ut ipsa per se conducat ad productionem aquæ, aut flatuum, sed quia per accidens id faciat, eò quod jecur ratione caloris ingentis, & præternaturalis (qui in eo præcedentibus febribus ardentibus solet perseverare) liquet chylosam substantiam, separétque serum à parte crassiori chyli, posteáque ab eodem calore reseratis & apertis osculis & tunicis venarum, derivatur serum inter peritonæum seu omentum, & intestina, quo fit ut in tumorem elevet talem partem, & sic ratione caloris & siccitatis uteotis, per accidens contingat fieri separatio & congestio in talem partem, eò quod jecur maximam obstructionem patiatur, ratione tumoris, ob quod non potest distribui pars serosa, sed in talem partem congeritur, indicium autem hujus congestionis est paucitas urinæ, eáque ignea & tenuis, sitis implacabilis, & excrementa indurata, quæ omnia denotant incendium jecoris; ex quo constat probabilitatem maximam habere hoc placitum.

Secunda occasio quæ ex exusto jecore generetur aqua, est quia vi caloris elevantur quamplurimi vapores ex illa materia humida ferventes, posteà denique tangentes alias partes minùs calidas quâ ipsi vapores concrescunt, & in aquam convertuntur, non aliter quàm vapores qui elevantur ex olla fervente, operculum minùs calidum tangentes concrescunt, & in aquam mutantur: sic ergo in jecore exusto contingit, ità ut ratione actionis adquirant vapores seu serosæ substantiæ ratione liquationis acredinem quandam quæ conducit ad penetrationem sicut in aceto contingit, quo fit ut congeratur illa aqua inter peritonæum & intestina, & sic fiat ascites à calore. Estque efficax ratio ad probandum aquam non posse generari à frigiditate jecoris; nam hæc potiùs incrassat chylum, & reddit illum contumacem, ac proindè ratione illius non attenuabitur & convertetur in aquam. Solùm autem potest dici frigiditas causa ascitis, non quia ratione frigiditatis generetur de novo aqua, sed quia frigidâ distemperie jecore laborante non trahit, aut lentè id facit, humorem aquosum, & indè gravatâ parte per oscula vasorum aperta, in ventrem rejicit aquosam substantiam, hæc tamen causa ascitis est rarior & infrequens.

De tympanite est etiam certum fieri à calore & siccitate etiamsi in majori intensione quàm ascites; fit autem ab intenso calore & siccitate, ratione cujus elevantur flatus calidi & sicci, seu exhalationes quæ ineptæ sunt ut in aquâ mutentur, etiamsi infrigidentur ab aliis partibus minùs calidis; cum hoc tamen benè stat ut rarò possit separari tympanites ab ascite, eò quod ex materia humida etiam eleventur vapores qui posteà alterati à partibus in aquam vertuntur, & sic fit complicatio duarum specierum hydropis; requiritur autem major calor in tympanite, ut fiat terrestrior materia ratione ustionis, & sic vapores sicci elevantur qui non possint verti in aquam. Hinc constat cóntra Petrum Garciam non esse necessarium in omni hydropis specie lædi sanguificationem, nam aliàs in omnibus esset malus corporis habitus ex sanguine aquoso & incocto generato; constat autem sæpè contingere hydropicos esse tumidos in ventre, & tabidos secundum omnes alias partes: ergo.

Denique de anasarca dico quod quandò in ea totum corpus apparet tumidum, tunc causatur à frigida & humida intemperie, quandò verò solùm venter tumescit, potest causari à calore & siccitate, non tam intenso ut in ascite & tympanite, sed remissiori, quatenùs aliquas partes humidas chyli resolvit, & alias coagmentat, & illas

illas reddit crassas & lentas, ratione cujus non distribuatur, sed semicoctus in ventrem descendat, eò quod vasa per quæ debebat distribui sunt occlusa ob affectum inflammatorium jecoris.

CAPUT VIII.

Quæ species hydropis sit deterior.

Omissis variis modis dicendi, quia nihil difficultatis continent, dicimus ex speciebus, ascitem esse deteriorem. Probatur quia illa est deterior species quæ fit à majori frigiditate: sed ascites fit à majori frigiditate, quàm tympanites & anasarca, quia aquosus humor frigidior est quàm pituita, & flatus: ergo ascites arguit majorem extinctionem caloris innati, ac proindè deterior est speciès; necedit ad hoc quod communiter dicitur ab omnibus Medicis, nempè in anasarea aliquandò mittendum esse sanguinem; in aliis verò speciebus nullus dixit: ergo anasarca non est deterior aliis duabus. Quòd autem ascites sit deterior tympanite, probatur quia flatus aliquem calorem indicant à quo elevantur: ergo non arguit tantam frigiditatem ac ascites; prætereà quia morbo eunte in meliùs, solet ex ascite fieri tympanites; ergo ascites est deterior. Probatur, quia non aliter in longis lævitatibus intestinorum laudat Hippocrat. ructus acidos, nisi quia signum est aliquam coctionem adesse: ergo similiter in ascite elevari flatus erit optimum signum, quia significant majorem aliquem calorem nativum à quo eleventur, & sic deterior est ascites quàm tympanites.

Sed dices: hydrops provenit defectu sanguificationis: ergo in illa specie cibi quo hæc fuerit magis frustrata, erit deterior; sed est magis frustrata in tympanite, utpotè flatus magis distant à natura sanguinis, quàm pituita & serosa substantia; nam illa dicitur sanguis non bene coctus, & humores sunt aqueæ naturæ: ergo videtur tympanitem esse deteriorem.

Sed hæc ratio nihil probat, nam non est undè colligat magis distare à natura sanguinis flatum quàm aqua: nam aër habet similem temperiem cum sanguine, & similiter flatus, ex quo fit ut ex parte solius effectus magis distet à sanguine aqua quam flatus; undè fit nullam difficultatem habere argumentum.



DISPUTATIO LX.

De vitiis compositionis jecoris.

CAPUT PRIMUM.

De jecoris obstructione.



Finitis jam vitiis distemperieì quibus jecur affici solet, ad eos qui instrumentales sunt gradum faciamus. Et imprimis de obstructione jecoris agimus in præsenti capite. Ad cujus exactam intelligentiam supponere oportet quod inter Medicos convenit, scilicet quatuor esse partes quarum obstructiones ad jecur referuntur.

Prima est obstructio venæ portæ, & venarum mesaraïcarum per quas chylus à ventriculo in jecur fertur, quibus obstructis, impedito transitu chyli, adsunt chylosæ dejectiones.

Secunda obstructio spectat ad venas, aut earum propagines, quæ degenerant in cavam venam per quam sanguis confectus distribuitur, ex qua sequitur atrophia, quia impeditur via per quam communicari debet alimentum ad omnes partes.

Tertia obstructio existit in vasis per quæ bilis ad intestina descendit, & felleum foramen constituunt, ut contingit in ictceritia laborantibus.

Quarta denique cùm pori ipsius carnis jecoris, aut extrema vasorum illam disseminantium obstruuntur; quas quatuor sub duabus comprehendit Avicenn. quandò dicit, *Oppilationes hepatis accidunt in carne hepatis, & quandò accidunt in venis quæ sunt ab ipso.*

Ex his autem propriè & simpliciter talis de qua agimus est quarta: nam aliæ non petunt specialem curationem sicut quarta; sed communis est una curatio tribus illis; quod autem illæ tres dicantur secundum quid obstructiones jecoris constat, ex eo quod quælibet ex illis debet reduci ad proprium caput cui primò & per se convenit symptoma ex illa procedens, ut obstructio venæ cavæ ad atrophiam; & obstructio venæ portæ & mesaraïcarum ad fluxum ventris chylosum. Quarta verò nulli alteri potest reduci nisi ad jecur quæ peculiarem expostulat curationem. Hæc autem obstructio jecoris est valde diversa ab aliis, nam aliæ fiunt à crassis & lentis humoribus; obstructio verò jecoris fit quia ejus substantia in magnitudinem augetur tactu nostro cognoscibilem, eò quod humor replens poros carnis jecoris magnitudinem & tumorem faciat, ratione cujus fiat compressio & obstructio in aliis cavitatibus, ità verò hæc doctrina est intelligenda ut tumor habeat rationem causæ conjunctæ prædictæ obstructionis, non verò rationem morbi, quia tumor non impedit generationem sanguinis optimam, cùm hæc solùm tribuatur temperamento carnis jecoris quod per tumorem illum non vitiatur, quia cum tumore illo non est necessariò cojuncta distemperies quæ lædat actiones, etiamsi possit progressu temporis comparari.

Licèt autem prædicta compressio viarum ratione tumoris contracta possit dici obstructio, larga tamen significatione, quam pati potest jecur, nihilominùs dicimus non solùm propter tumorem posse pati obstructionem, sed etiam ab humoribus obstruentibus, & impedientibus viis seu porositatibus jecoris, quin elevent tumorem aliquem, quod ità manifestum est, ut non indigeat probatione ulla præter id quod in obstructionibus aliarum partium experimur. Ex hoc etiam constat obstructiones omnes earum partium quæ ad jecoris compositionem spectant, dici propriè jecoris obstructiones, & non secundùm quid, sed simpliciter talia, licet etiam inferre obstructionem jecoris non esse alterius naturæ quàm obstructiones aliarum partium.

His jactis, facilè erit intelligere obstructionem esse morbum in mala compositione consistentem vitium in cavitate vitiata; symptoma verò quod sequitur ad jecoris obstructionem est diversum pro diversitate partis affectæ,ut in principio dubij conspicuè patet. Causæ verò prædictæ obstructionis aliæ sunt internæ, aliæ externæ; illæ sunt humores qui sua crassitie, vel lentore, vel multitudine valeant impedire vias jecoris: similiter crassus vapor id efficere potest, ut *cap. de apoplexia* diximus: quandò autem obstructio à solis vaporibus causatur, non inducit in partem sensum ponderis, sed solùm tensionem. Quantum ad causas externas certum est alimenta crassa juvare ad obstructionem; de alimentis dulcibus est major dubitatio, an scilicet conveniant in jecoris obstructionibus, & præcipuè de melle est inquisitio, in qua re si attendamus ad qualitates quas habet, & ad vim detergendi, dubium non est quin conveniat; at verò non debet exhiberi ob rationem tactam à Galen. quia videlicet cùm dulce sit, maximè familiare omnibus partibus, indè est quod attrahatur à jecore antequam perfectè in ventriculo coquatur, & sic eùm nondum coctum attrahatur à jecore, confert ad oppilationem, & ideò à Gal. reprobatur.

CAPUT II.

De jecoris inflammatione.

Cum satis constet de modo quo fiat qualibet inflammatio in qualibet parte illa sit, & ad quod genus morbi pertineat, ideò in hoc immorandum non est: Est præterea certum nomine inflammationis jecoris intelligi tumorem factum ex sanguine quarto humore, quo communiter & frequenter afficitur jecur. Dubium igitur est in præsenti an pati possit tumorem œdematosum, (nam de aliis non est controversia, si modum quo fiunt perpendamus) circa quod non defuère qui existimarunt jecur talem tumorem non habere; quod probant primò ex compacta substantia jecoris inepta ad penetrationem & congestionem materiæ in illa parte, præsertim cùm sit crassa. Secundò probant ex maximo calore nativo jecoris citò permutante frigidum humorem in sanguinem.

Sed hæc sententia nobis non probatur, & imprimis nihil valet prima ratio, nam ipsi asserunt jecur posse pati scirrhum, sed melancholicos humor ex quo fit talis tumor, est crassior pituitâ; ergo requirer minùs compactam substantiam, & tamen fit in jecore: ergo ob compactam substantiam jecoris non repugnat tumor œdematosus. Præsertim eùm membrana cerebri habeat substantiam magis compactam, & tamen tumorem œdematosum pati potest, quod etiam est verum in plevra: ergo idem poterit contingere in jecore. Secundò quia quantumvis calidum sit jecur, non est cur tam citò transmutet frigidum humorem in sanguinem, ità ut anteà non possit causare tumorem prædictum; ac proindè nobis videtur nolla ex parte implicare jecur affici œdematoso tumore.

Alia potest esse circa hoc caput dubitatio, scilicet in qua parte jecoris inflammatio sit deterior, in gibba, an in cava; & dicimus cùm Galen. deteriorem esse in gibba, quia ibi accedit sanguis magis depuratus, & eà affectâ, accidunt majora & deteriora symptomata ob majorem communionem quam habet hæc pars cum corde, & cum membris respirationis, & sic ex ea excitatur tussis & difficultas respirandi; & dulor usque ad jugulum: Et licèt pars cava jecoris majorem habeat communionem cum ventriculo ob quod veniunt aliqua symptomata quæ majorem terrorem possunt inducere, non tamen adeò mala & periculosa sunt sicut illa quæ sequuntur ex inflammatione partis gibbæ jecoris, quo fit ut quantum ad essentiam morbi conveniant, quia idem est in utraque parte, solùm ergo differunt prædictæ inflammationes & deteriores fiunt ratione symptomatum quæ ad tales morbos sequuntur.

Signa autem quæ ostendunt jecoris inflammationem est dolor gravans; nam cùm pars non habeat sensum, indè est quod solùm ratione membranæ succingentis jecur, sentiatur dolor à pondere humoris, non est autem pungens, quia cùm membrana sit densa, humor faciens tumorem seu inflammationem eam non potest penetrare. Alterum signum est exigua tussis aliquandò sicca, & aliquandò humida, hæc propter communicationem, vel refudationem materiæ à jecore in asperam arteriam; sicca autem contingit quia inflammato jecore comprimitur septum transversum; quò fit ut cavitas pulmonis angustior reddatur, & sic exigua est tussis, vel tussiendi cupiditas. Signa quibus distinguuntur jecoria inflammatio, & plevræ, sunt quia in hac non est sitis, nec vomitus, nec dolor gravans, secùs in illa ob proximitatem cum ventriculo.

DISPU



DISPUTATIO LXI.

De affectibus vesicæ fellis.



CAPUT UNICUM.

De Ictero citrino.



Upponere primò debemus cum Galen. esse tres species icteri, quarum duæ sunt simplices, scilicet altera quæ fit ex bile, & altera ex melancholia; alia deinde tertia est composita quæ ex utroque humore commixta est: sed quidquid sit de hoc, primò dicemus de ictero, qui fit ex bile de qua Paulus sic loquitur *Est effusio bilis per totum corpus.* Avicenn. verò de utraque specie simplici sic scripsit, *Ictericia est alteratio corporis fœda ad citrinitatem tendens aut nigredinem, propter cursum humoris citrini & nigri ad cutem.* Ex quo satis constat esse symptoma in qualitate mutata; nam totum corpus in prima specie ad citrinum colorem declinat, quod fit propter cursum humoris ad cutem qui per imbibitionem causat talem colorem, non quia illum producat, cùm color non sit qualitas activa, & licèt talis color sit naturalis humori juxta cutem se moventi, nihilominùs dicitur symptoma in qualitate mutata, quia diffunditur in locum non consuetum, ratione cujus in ambitu corporis apparet de novo diversus color, etiamsi reverà non sit productus, ut diximus, sed solùm sit humor habens talem colorem, imbibitus in partibus cutaneis; ad quod non est necesse quod putrefiat, nec de facto in illis partibus putrefit, cùm constet quod si putresceret, fieret febris proportionata illi humori; inhæret ergo quod ut fiat icterus citrinus, non est necesse quod putrescat humor.

Sed quæres quare non putrefiat bilis in ictero sicut contingit in erysipelate & herpete. Aliqui dicunt esse quia in ictero humor movetur versus poros qui sunt loca naturalia humoris, & sic non putrefit; sed nobis non placet, quia quærimus à quo conservetur. Respondent à nullo alio quàm ab ipsa parte existente in medio pororum. Quod si hoc est verum, etiam poterit conservare humorem, qui excedat ipsam partem; deindè quia defectus illius partis, non est sufficiens ut prædictus humor putrefiat, cùm sit putredo effectus positivus qui requirit causam positivam: propterea dicendum nobis est non putrefieri prædictum humorem in ictero, quia cùm sit in cute, & prope ipsam, non accedit causa putrefaciens quæ requiritur, præsertim quod ventiletur ab aëre externo.

Quæres ulteriùs quare in ictero seu morbo regio, non sentiatur rigor.

Respondetur ideò esse quia licèt humor moveatur per vasa quæ aliquem sensum & sufficientem habent, ut sentiatur objectum irritans, aut mordens, usque ad cutem, nihilominùs non fit rigor, quia hujusmodi actio requirit partem musculosam, utpotè rigor est concussio facta mediis musculis, ac proindè cùm venæ non sint partes musculosæ, neque habeant facultatem quæ mediis illis operetur, non fit rigor, dum in ictero per venas movetur humor, etiamsi sit sufficiens sensus in illis ad percipiendum objectum molestans.

Solùm restat examinare à quo morbo nascatur tale symptoma, constabit tamen si causas internas perpendamus: imprimis supponere oportet icterum citrinum posse procedere aut à vitio jecoris, aut vesicæ fellis, aut totius corporis: vitium hepatis non est unum à quo icterus nascitur, nam potest fieri à distemperie ejus calida, ratione cujus uberior fit generatio bilis quàm oportet; & sic non est mirum illâ redundante, intra vasa mitti ad cutem; tum etiam contingere potest icterus ob debilem virtutem expulsivam jecoris originatam, vel à distemperie, vel à morbo aliquo instrumentali; deindè ab obstructione, vel inflammatione jecoris, ratione cujus impeditur expurgatio bilis, eò quod obstructa & impedita sit via, vel ab humore, vel inflammatione.

Contingere etiam solet & frequenter, vitio vesicæ fellis, ut quandò trahens ejus facultas est debilis; sic enim non trahitur à vasis in sufficienti quantitate, & redundat, & ad cutem pellitur. Addit Avicenn. etiam contingere ob fortitudinem virtutis trahentis; nam cùm trahatur in magna copia, adeò redundat in vesica, ut eâ plenâ existente, non possit trahi à venis, eò quod ità distenditur, ut non possit comprimi ad tractionem ob plenitudinem in ipsa existentem; quandò autem ita contingit, ut propter nimiam distensionem non possit pellere vesica, ac proindè neque trahere, ibi est morbus compositionis si contingat ex obstructione meatuum; si verò ex debilitate facultatis expultricis contingat prædicta distensio, erit morbus in temperamento; contingit autem tunc icterus medio alio symptomate videlicet retentione illius humoris facientis distensionem.

Denique potest contingere distemperie calidâ existente in omnibus vasis, ratione cujus bilis generetur in majori quantitate, sicut de jecore diximus. Ex quo constat posse contingere icterum quin jecur vitietur, non solùm vasibus laborantibus distemperie calidâ, sed etiam quandò per crisim talis humor biliosus expellitur ad cutem.



DISPUTATIO LXII.

De vitiis lienis.



CAPUT UNICUM.

In quo de morbis lienis agitur, & præsertim de scirrho.



Lien sicut & jecur potest pati morbos tam in temperaméto, quàm in compositione, de quorum generatione in præsenti nihil dicemus; nam ab eisdem causis & eodem modo, ac in jecore generantur; tumores autem cùm sint parvi, nullo modo possunt cognosci tactu, & sic ad ratiocinium recurrere debemus, ut tam de tumoribus quàm de obstructione, & reliquis morbis integram habeamus cognitionem; quod etiam est verum adhuc in tumoribus magnis; nam licèt tactu cognoscantur, nihilominùs si ratiocinationem non conjungimus cum tactu, imperfecta evadit eorum cognitio.

Quo ergo præsupposito, licèt lien pati possit omnes tumores, frequenter afficitur scirrho, quia nutritur sanguine valde crasso: hoc autem ità est intelligendum, ut attrahat ad sui nutritionem sanguinem crassum, & nutriatur illo attracto ex tenuiori, & posteà ex crasso remanente fiant tumores scirrhosi in liene; quapropter tales solent nominari lienosi, juxta Avicennam; undè scirrhi naturam declarare operæ pretium erit. Est igitur scirrhus *tumor durus contranaturam, sine dolore & sine sensu, impediens motum*. Ubi nota durum dici quod resistit tangenti; molle verò quod cedit in se se, non ut aqua, quæ licèt cedat tangenti, non cedit in se se, sed fluendo in aliam partem, quare mollis non dicitur, quia tangenti discedit, vel refluit ad latera; undè ad hoc ut aliquid cedat in se ipso, requirit consistentiam & coalitum, & difficilem partium separationem.

Notare tamen oportet durum dici tripliciter: primò pro tenso, quâ ratione corpora quæ habent aliquam cavitatem, & replentur, tensa seu dura dicuntur, & medicamenta quæ illam tollunt, dicuntur laxantia. Secundò aliquid dicitur durum quod à siccitate adquirit quemdam modum substantiæ, ratione cujus non solùm dicitur siccum, sed durum, & medicamentum quod tollit hanc duritiem, verè dicitur emolliens. Tertiò aliquid dicitur durum quod concretum est à frigore, & medicamentum quod tollit concretionem dicitur liquans. Ex his autem acceptionibus solùm illud dicitur propriè durum quod à siccitate habet qualitatem prædictam, & illud molle quod ab humiditate eam habet. Hoc constat ex communi omnium usu; nam lapidem appellant durum glaciem concretam & utrem plenum & tensum, & sic propriè dicitur emolliens quod duritiem contractam à siccitate tollit, ùt contingit in scirrho, licèt etiam à frigiditate possit fieri in liene, ac proindè quandò in definitione ponitur tumor, duritiès debet intelligi de duritie facta à frigore, & siccitate, non de illa quæ fit tensione solùm.

Dividunt deindè schirrhum omnes Autores in exquisitum, & non exquisitum: vocant primum qui est sine sensu & dolore, quia frigiditas materiæ tollit id quod est necessarium ad sensum, & hunc vocat Galen. incurabilem: secundus dicitur qui est sine dolore, aut exiguo, tamen cum aliquo sensu, est tamen curabilis, licèt difficile, quilibet tamen ex his vocatur scirrhus. Dicitur tamen in definitione impedire motum secundum partem oppositam, quia ratione tensionis, musculi non possunt moveri.

Tandem circa causas dicimus non solùm fieri ex humore melancholico, sed etiam ex humore pituitoso crassiori & lento, frigidóque, ut passim docet Galen. pluribus in locis: dicitur autem exquisitus qui solùm ab uno humore fit; nothus autem seu spotius qui ex his permistus fit.



DISPUTATIO LXIII.

De lapide renum, & vesica.



CAPUT PRIMUM.

Lapis qui in his partibus generatur quid sit præternaturam.



Supponere tanquam certum in hac re debemus, quod licèt nephritis propriè de lapide renum dicatur, tamen largiori significatione pro qualibet affectione illorum sumi solet; certum est etiam in pluribus partibus corporis posse lapidem generari, sed frequentiùs in renibus, aut vesica hominis, in reliquis verò animalibus non nisi rarò contingit, licèt utantur crassioribus & turbidis aquis, quia satis patentem viam habent per quam crassa illa materia ex qua lapis fit, expurgatur; in hominibus verò cùm anfractus & viæ sint angustiores, mirum non est, quòd frequenter contingat in renibus aut vesica lapidis generatio.

Sed tedeamus ad dubium quod quærit quid sit præternaturam in nostro corpore genitus lapis. Et dicimus cum Pett. Garcia esse morbum in numero aucto, & etiam secundum aliam considerationem esse symptoma tertij generis, quia supponit alium morbum à quo generetur, nempè distemperiem aliquam contra naturam. Similiter secundum aliam considerationem habere potest rationem causæ, quatenùs valet excitare dolorem. Sed ut intelligamus à quo morbo ortum ducat quandò habet rationem symptomatis in tertio genere, explicare oportet à qua causa fiat lapis. Et quantùm ad materialem ex qua fit, certum est esse materiam crassam & lentam quæcumque illa sit. Et cùm hæ conditiones frequenter in pituita reperiuntur, ideò sæpè Autores illius fecerunt mentionem, & meritò, quia habet crassitiem, & lentorem ut detineatur, & fiat lapis.

De causa efficienti est major controversia; sed dicimus esse calorem qualitas instrumentalis, media

mediâ quâ lapis generatur, quatenùs per resolutionem totius humidi existentis in materia crassa facit indurationem in remanente, & sic lapidem efficit. Hæc sententia est expressa Galen. & Avicenn. & Hippocr. quamplurihus in locis, ubi expressè id fatentur. Neque credendum est à frigore & calore simul fieri lapidem, neque à frigore solùm vivo animali potest fieri. Totum quod impugnat satis doctè Pett. Garc. *in hoc cap.* Quod autem à solo calore fiat in nostro corpore probatur, quia solùm sunt duæ causæ facientes concretionem, calor scilicet & frigus: sed à frigore nequit fieri illa concretio, utpotè vivo animali tanta frigiditas non potest esse quæ valeat facere concretionem: ergo non à frigiditate: sed à calore fit lapis; cum hoc tamen est verum quod etiamsi concretio fiat à calore excedenti, & præternaturam, nihilominùs non oportet esse igneum, & valde urens; nam cùm effectus non solùm nascatur vi efficientis, sed etiam ad illum dispositio materiæ coadjuvet, indè est quod cùm materia ex qua fit lapis, fit valde crassa & lenta, valde conducit ad concretionem, & sic non est necesse calorem esse igneum, nisi dum materia non est ità disposita, ut conducat ad concretionem ipsam.

Dices: si lapis fit per actionem calidi humidi resolventis existentis in materia, & siccitatem producentis in ea: ergo in curatione optimè procedet Medicus si utatur medicamentis humidis emollientibus. Respondetur his medicamentis non uti Medicos, non quia non prosunt calculis; nam in externis videmus lapidem, aquæ guttulis reddi mollem longissimo temporis spatio, & sic idem continget in lapide renum: tamen quia requirit longum spatium temporis, ideò Medici, medicamentis habentibus partes tenues utuntur, quibus fit destitio lapidis.

De parte affecta dicere est necessum, idest de parte ubi lapides generantur. Et dico generari in carne & in cavitate renum, licèt faciliùs in hac quàm in illa; neque ad hoc obstat habere hebetem sensum; nam solùm tempore quo generatur & dejicitur est dolor pungens, quod fit ratione membranæ, nam tempore quo ejicitur, cùm ad cavitatem accedat, in membrana quæ ibi est, excitat divisionem; at verò ante dejectionem & post ejus generationem solum sensum gravitatis inducit. Neque oportet cavitas ut generetur, nam solùm per adhæsionem carni, potest generari; & posteà per cavitatem ad ureteres duci; & sic per urinam excerni.

Restat tamen aliquid de generatione arenularum dicere, & dicimus generari à calore exiccante ex materia crassa, sicut lapides; contingit autem generatio arenularum discontinuarum in tam minimas partes, quia materia non habet lentorem & viscositatem, ratione cujus partes non servant continuitatem, qualem in lapide, contingit. Sed dices: si materia est continua, etiasi non habeat lentorem à quo discontinuatur; Respondetur quod quandò materia non est simul, sed successivè per minimas partes applicatur, non est dubium tunc generari arenulas, quandò verò est tota simul, ideò generantur arenulæ, quia defectu humiditatis consumptæ discontinuantur partes, non quidem quod ipse defectus sit totalis causa; sed occasio seu conditio, in ipso verò transitu continuitatem amittunt: nam amissâ humiditate, facilè discedunt partes inter se; pars autem in qua generantur, vel est ipsa renum caro, vel cavitas; nam positâ materia in qualibet parte ex his, & distemperie prædicta, non est ratio quare in qualibet parte non producantur.

CAPUT II.

De lapide vesicæ peculiariter.

Licet Medici proprium caput faciant de lapide vesicæ, non tamen defuerunt qui negarunt in ea generari, sed solùm à renibus adillam pervenire. Probant in ea non posse de novo generari, quia ut ex materia crassa & lenta fiat lapis, debet ibi detineri tempore idoneo: atqui hujusmodi humores in vesica detineri nequeunt tempore opportuno, ut lapis generetur, eò quod cervice vesicæ benè se habente, expellit simul cum urina omnem materiam grossam, & grumum sanguinis; videtur ergo ibi non posse generari. Sed si veritati & prædictis principiis stemus, non est cur non possint generari de novo lapides in vesica; nam in ea est sufficiens calor, ut materia posita idonea, & cum dispositionibus dictis *in superiori, cap.* fiat prædicta generatio, & ex alia parte potest detineri materia tempore idoneo, ut si facultas expultrix, vesicæ sit debilis, aut si meatus cervicis occlusus est tumore aut carunculà, aut si propter suum pondus humor petat fundum ventriculi; non ergo repugnat in vesica talis generatio, quod autem sufficiens fit calor, ità est certum, ut dicamus sufficere calorem naturalem suppositâ dispositione materiæ, & non solùm in vesica, id est certum, verùm in renibus etiam, quia utriusque eadem est ratio; sed non ità frequenter contingit ex calore naturali quàm ex illo qui est præter naturam, sed raò ab illo: & licèt verum sit quod quò materia est crassior, difficiliorem patiatur resolutionem, & sic videatur agens validum necessarium in majori intensione quàm calor naturalis; id tamen verum non est, quia in materia crassa minor resolutio sufficit ad concretionem; hæc autem aliquandò potest fieri à calore naturali, licèt raò; ex hoc autem non colligitur continuò in omnibus pueris debere generari lapides, quia non omnes habent æqualem calorem in intensione: neque in omnibus est similis materia in lentore & crassitie; si verò sint hæc omnia æqualia, erit generatio in omnibus. Ratio autem quare in pueris frequentiùs fit lapis in vesica quàm in senibus, est quia expulsio urinæ ex vesica fit mediis musculis operante facultate animali: facultas autem hæc est debilis in pueris; nam constat minori impetu urinam pellere; quo fit ut eorum vesica non rectè expurgetur, sed aliquid semper maneat subsidens crassum; quo detento faciliter generatur lapis: at verò expulsio urinæ ex renibus non fit facultate animali, sed naturali, hæc autem cùm robusta sit in pueris, facilè expellit, & sic raò pueri generant lapides in renibus, secùs senes.

CAPUT III.

In quo quædam explicantur quæ ex signis & differentia morbosi lapidis sumuntur.

PRÆTERMISSIS aliqoibus signis quæ circa lapides renum & vesicæ traduntur communiter, in præsenti de aliquibus erit sermo, quorum causa certa oon tovenitur : & imprimis circa distinctionem doloris renum à dolore colico ex parte temporis, tenet Avicenn. discrimen esse quod dolor renum fit fortis tempore vacuitatis, in quo alleviatur dolor colicus, quod ideò dixit Aviceoo. non quia cibo existente in ventriculo, & præsertim in intestiois dum transit, non causet aggravationem, & pondus, & sic etiam tempore repletionis, est dolor renum fortis, imò & colicus in hoc sensu : sed cùm dolor renum non solùm augeatur per repletionem cibi in ventriculo, & in intestinis, sed etiam ex repletione venarum, postquam alimentum in sanguinem mutatum est, & distribuitur, ratione cujus renes gravantur, & comprimuntur, quia vasa replentur : quo tempore colici dolores remituntur, qui erant aucti ratione excrementosæ substantię,& sic vacuatâ causâ cessant, ac proindè quaodò dixit Avicenn. *Renalis dolor fit fortis tempore vacuitatis*, debet intelligi, quandò tam ventriculus quàm intestina vacuata sunt chylo, & distributio sanguinis ex illo facti,& tunc colicus alleviatur in ea hora, quia intestina dum distributio sanguinis fit, non comprimuntur.

Sed contra conclusionem est, quia ex ea sequitur repletione, & noo repletione exacerbari dolores, probatur, quia si non est cibus in ventriculo, est dolot fortis ratione sanguinis in venis ; si verò est cibus, est dolor fortis ratione illius, & excrementi : sed quandò est cibus, non est sanguis, & quandò est sanguinis distributio, non est cibus ; ergo semper erit fortis dolot, ac pruindè ex hac patte non est differentia ut à dolore colico distinguatur.

Alterum dubium est, cùm contingat sæpè urinam supptimi, aut puriorem reddi, undè contingat hoc existente lapide in uno rene tantùm, cùm sit alter per quem possit transire æquali crassitie & multitudine.

Respondeo non posse ex alia causa contingere, nisi quia osculum per quod ingreditur urina in vesicam sit obstructum, aut aliquid ultra alterum renum quod impediebat transitum, & sic vel erat suppressio, vel pura mingebatur, aliter verò nullo ostio existente in via urinaria, & in uno rene id non continget, altero solùm vitiato.

Dubitabis ulteriùs,an ex arenulis exeretis certò possimus præsagire lapidem esse in renibus, aut vesica. Et partem negativam defendimus, nam materia ex qua arenulæ generantur est magis divulsa, & minùs unita & glutinosa quàm illa ex qua lapides generantur:ergo non hoc ipso quod est materia idonea ad generationem arenularum & excernuntur, debemus præsagire esse lapidem, præsertim cùm ad hujus generationem requiritur major mora temporis, sive à debili facultate expellente, sive ab obstructione quæ omnia possint deficere, quandò arenulæ excernuntur, solùm autem ex arenulis excretis debemus timere lapidem futurum. Prætereà, quia etiam per urinam possunt excerni arenulæ quæ geoerari possunt in venis & in jecore, in quo casu nullo modo poterunt esse præsagium lapidis. Solùm ergo possunt esse signa ut distinguamus dolorem nephriticum à colico ; nam si appareant arenulæ in subsidentiis, id debemus conjectare, præsertim si anteà urina præcesserit depurata.

Denique advertere oportet signa quæ tradunt Autores ad distinguendum,an lapis sit ex renibus, an ex vesica ; nam lapis renum est rubet, in vesica verò albus, vel cineritius, & non solùm major, sed majoris duritiei. Sed reverà hæc omnia signa non sunt ità certa ut per ea distinctio prædicta cognoscatur : nam color potest in utraque parte idem adquiri, cùm possit esse efficiens in eadem intensione, & materia eadem, & ob eandem rationem potest adquirere in utraque parte eandem duritiem: solùm ergo sunt signa distinctiva, quia frequenter eveniunt.

CAPUT IV.

An lapidis existentis in renibus aut vesica, sit aliquod signum pathognomonicum.

CUM constet ex dictis qoid sit signum pathognomonicum,in præsenti in hoc non immoramur : sed circa rem propositam dicimus non dari tale signum necessariò demonstrans lapidem esse in renibus, aut vesica, quod scilicet inhæreat perpetuò, & solis eis conveniat. Hæc conclusio manifesta fiet si pereutramus omnia signa quæ ab Autoribus tradi solent. Primum de situ partis dolentis nihil valet, cùm ob proximitatem partium, taliter cum colico deobscuretur, ut impossibile sit tales dolores distinguere ratione loci, ubi sentitur dolor. Neque signum ex specie doloris aliquid valet ; oam asserunt dolorem renum esse gravantem dum lapis est in illis : constat enim quod ii laborant inflammatione,aut obstructione,esse etiam in illis dolotem gravantem; ergo talis species doloris non est signum essentiale demonstrans lapidem.Neqoe ex arenulis potest sumi certom signum, *ut c. præcedenti* diximus. Neque urina aquosa est signum certum ; nam poterit obstrui via ab humore crasso, quo fiet ot tenuis & depurata mingatur ob humorem obstruentem & impedientem transitum illius quod crassum est in urina : ergo non est tale signum essentiale. Aliud signum ab aliis affertur,nempè quandò excernitur per vesicam saoguis aquosus. Sed id verum non est, cùm non semper excernant sanguinem, nisi quandò acutus aut exasperus est lapis, & præterea quia sanguis potest excerni per urinam ob alias causas. Neque est undè constet debere esse aquosum, cùm ruptio à lapide facta non est cur non extrahat sanguinem depuratum. Neque stupor in crure è regione positi renis calculo laborantis;neque retractio testiculi ejusdem lateris, signa essentialia sunt lapidem demonstrantia, quia hæc possunt venire ab obstructione,aut

inflamma

inflammatione renum : neque illud quod de vomitu dicitur ab aliquibus , aliquam habet vim , cùm in dolore colico hujusmodi vomitus contingat.

Denique neque ex syndrome omnium horum signorum certò possumus colligere renes à lapide laborare ; nam omnia dicta simul ferè nunquam sunt , ac proindè ex Galeni sententia in hac re existimare debemus non esse cognitionem certam talis affectus , sed solùm conjecturabilem. Gal. autem eam solùm cognovit postquam propinavit medicamentum aptum ad comminuendum lapidem , & posteà in urinis sabulosa quædam conspexit.

CAPVT V.

An lapidis existentis in vesica sit certa cognitio , & per signa pathognomonica.

Oportet sigillatim signa omnia quæ ab Autoribus traduntur ostendentia lapidem vesicæ recensere , ut videamus an ex illis aliquod sit signum essentiale , ex quo certam cognitionem possimus habere. Primum signum quod traduni est urina tenuis & subalbida : sed talem esse, non est , utpotè potest talis reddi non solùm ex lapide vesicæ obstruentis , & impedientis transitum substantiæ crassæ, sed etiam per obstructionem viæ ex alio quolibet : præterea quia existente lapide in cavitate vesicæ, & non in collo ejus, aut in foramine , urina erit crassa , quia via non est impedita : ergo tale signum verum non est : neque urinam esse arenosam , lapidem certò significat, cùm *ex suprà* dictis constet posse oriri à renibus, aut posse generari arenulas in vasis , & posteà excerni per urinam.

Neque pruritus molestus pudendi lapidem denotat ; nam talis potest procedere ex humore molestante , sicut etiam frequens erectio ipsius pudendi , ità ut irritatio , vel humoris , vel lapidis sit occasio ut laborantes contrectent pudendum manibus , & sic fiat erectio illa frequens occasionaliter tantùm à causa pruritum faciente , undè constabit talem erectionem certò lapidem vesicæ non ostendere. Similiter exitus ani ponitur ut signum , quandò lapis est adeò magnus , ad cujus expulsionem apponitur maximus conatus quo laxantur ligamenta illius partis , & sic exit anus. Sed noster Petrus Garcia asserit se vidisse hominem habentem in vesica sex lapides notatu dignæ magnitudinis , ità ut quatuor essent magnitudine nucis , & tamen nunquam passus est exitum ani : ex quo constat falsitatem signi.

Neque ex suppressione urinæ, neque ex dolore gravante id colligere debemus ; nam hic potest procedere ex alia causa , & similiter illa , præterquam potest esse lapis in vesica . & urinam non esse suppressam , imò neque tenuem , si lapis sit in cavitate , vel in parietibus vesicæ. Alterum signum aliqui ponunt , ut si anteà fuerit suppressa urina , & posteà immisso cathetere effluat : sed neque hoc tale signum non est, quia ex caruncula in via existente, aut factâ ibi obstructione à crassis humoribus , aut grumo sanguinis , idem possumus experiri , ac proindè cùm nullum signum ità essentiale sit, ut ex eo certam cognitionem habere possimus de lapide existente in vesica ad conjecturas fugere debemus , & sic Medicus debet respicere vitam & causas antecedentes , & comitantes , ex quibus meliori quo poterit indicio conjectare poterit de hoc malo.

CAPUT VI.

An cùm Medicus ignorat aliquem morbum , possit commodè aliquod remedium exercere.

Posse Medicum ignoratâ essentiâ morbi aliquod remedium exercere , methodicè procedendo, pro certo habemus. Probaturque imprimis ex indicatione sumpta à juvantibus, & nocentibus : nam, si ignorato morbo nihil esset agendum , perpetam esset positum medium illud ad illius cognitionem , si hujusmodi remedium exhibetur ignorato morbo, cùm sit ad ejus cognitionem inveniendam. Secundò probatur ex ipso Galen. qui *lib. 2. de locis affect. cap. 5.* fatetur se ignorasse an morbus quo laborabat, esset nephriticus , an verò colicus , & posteà aliquibus medicamentis adhibitis , cognovit neque lapidem fuisse causam, neque in ureteribus,neque in renibus locum laborantem fuisse , sed in intestinis potiùs crassioribus : posteà verò fatetur se usum fuisse clystere ex rutaceo oleo : ergo ex sententia Galen. constat posse Medicum exercere aliquod remedium ignoratâ essentiâ morbi. Et ratio est : nam ob similitudinem quam habent , solent multoties ignorati morbi;similes verò morbi habent curationem quodammodò similem,& sic per illud quod habent commune , curatio incipi debet.Deindè quia inter indicationes aliæ sunt priores , aliæ posteriores, & inter has ultima est quæ sumitur ex essentia morbi pendentis à causa ; ergo bene potest aliquod remedium exerceri in principio conveniens , etiamsi non cognoscatur qualis sit essentia. Tandem quia essentia morbi , magnitudo , & acuties , diverso modo cognoscuntur ; nam essentia cognoscitur signis pathognomonicis ; magnitudo ex magnitudine eorum, & tandem acuties ex crebritate paroxysmorum & laboribus, citò advenientibus. Ex quo patet posse nos cognoscere aliquem morbum esse acutum ignoratâ ejus essentiâ ; ergo tunc poterit Medicus consulere victûs rationem tenuem , & cognitâ magnitudine ex acutie ipsâ à qua magnitudo nequit separari ; ignoratâ etiam essentiâ morbi, viribus constantibus , poterit Medicus sanguinis missionem consulere : quandò verò dicimus acutie, cognitâ,cognosci magnitudinem morbi , debet intelligi non de magnitudine essentiæ morbi; nam hæc solùm per magnitudinem signorum essentialium quæ essentiam demonstrant , cognoscitur ; debet ergo intelligi de magnitudine secundùm malignitatem. Et licèt ibi in particulari non cognoscatur magnitudo , sufficit tamen eam in genere cognoscere, ut sanguinis missio exerceatur.

Secundò pro certo etiam habemus posse Medicum methodicè exercere remedium , non solùm

ignoratâ

ignoratâ essentiâ, sed & causâ, quod fecit Galen. historiâ *suprà* relatâ, existimavit enim ibi causam esse lapidem renum, & erat pituita vitrea. Deindè probatur:nam si aliquis corripiatur morbo comitiali,etiamsi ignoret ejus causam esse,aut bilem, aut pituitam,aut melancholiam, tunc cessandum non est; nam ex quacunque fiat causa, tooc fieri debent remedia communia revellentia à capite ob communes indicationes. Ulteriùs, quis neget etiamsi ignoretur causa doloris, posse Medicum uti remediis anodynis: ergo.Etiam ignoratâ parte affectâ potest Medicus methodicè exercere aliquod remedium, ut in prædicta historia fecit Galen. Præterea laborante quis inflammatione internâ, etiamsi ignoret esse in plevra, an in pulmone, statim debet sanguinem mittere, sumptâ ratione ab indicatione communi:ergo. Cùm hoc tamen verum est Medicum non debere ignorare omnia, sed aliquid cognoscere ad morbum pertinens; nam si omnia ignoret, absque dubio nihil debet facere curativum.



DISPUTATIO LXIV.

De symptomatibus contingentibus circa urinæ excretionem.



CAPUT PRIMUM.

De Diabete.



MISSA nominis etymologia,diversa quæ circa hunc affectum Autores adducunt, ad id quod majus est accedimus. Est igitur Diabetes celer excretio per urinam ejus quod bibitur in majori quantitate & copia, sine mutatione, aut alteratione aliqua: In qua affectione tria sunt consideranda, primum celer excretio ejus quod bibitur, in quo assimilatur lienteriæ seu lævitati intestinorum, in qua fit celer excretio ejus quod devoratur eo modo ac devoratum fuit: secundum quod debemus considerare est immodica copia substantiæ excretione. Tertium denique & præcipuum est immodica sitis, quæ procedit ex maxima attractione substantiæ potabilis, & ejusdem excretione:nã defectu hujus vasa renia sunt exiccata & arefacta, & sic trahunt à jecore & ventriculo qui exinaniti appetit potum; in quo convenit cum canina appetentia. Advertere tamen oportet quod quandò dicimus in diabete esse celerem excretionem in majori quantitate ejus quod bibitur sine mutatione aliqua, debet intelligi quod hoc semper contingat dum est in vigore summo: nam in principio hujus affectus potest contingere, ut detineatur per aliquod tempus, & posteà emittitur urina in seri formam;sed serum differt à potu, ergo non semper illud requiritur, sed quandò morbus est in summu vigore.

Ex his constabit quantum attinet ad urinam excretam, esse symptoma in tertio genere consistens in his quæ excernuntur in immodica quantitate. Quantum verò attinet ad celerem transitum, existimare oportet esse symptoma actionis læsæ facultatis renum, sicut quantum ad situm, est symptoma ventriculi. Sed dubitationem habet cujus facultatis sit symptoma ille celer transitus, cùm scilicet ità dejicitur potus ac est assumptus. Circa quod imprimis est certum facultatem trahentem renum, esse læsam, ità ut eorum actio sit depravata aucta;nam aliter substantia potabilis & serosa non veniret ad renes tam citò. Deindè certum est facultatem retentricem renum esse debilem, & ejus actionem ablatam; aliter enim ità celer excretio non esset ejus quod bibitur, si renes retinerent. De expultrice facultate renum etiam dicimus lædi, nam non sufficit trahentem immodicè trahere, nisi posteà gravatâ facultate expultrice ob nimiam copiam aquæ & serosæ substantiæ pellat statim, ità tamen patitur ut non vitietur ejus temperies, sed quasi per consensum patiatur solùm per aggravationem.

De facultate coctrice est majus dubium,an scilicet necessariò debeat lædi in diabete:& videtur dicendum sufficere attrahentem esse depravatam, & retentricem ablatam, expultricémque depravatè operari: nam his ità existentibus fit celer excretio ejus quod bibitur in majori quantitate, eo modo quo est bibitum sine aliqua alteratione; ergo non est necessarium debilem esse coctricem; sed sufficit ut coctrix non operetur quod attrahens nimis attrahat: sed licèt quantùm attinet ad potum hoc sit verum, tamen quantùm ad serum quod attrahitur ex venoso genere, videtur coctricem lædi; nam quod coctrix non sit debilis, non apparet possibile, quod serum tam crudum & incoctum attrahatur.



CAPUT II.

A quo morbo nascatur diabetes, & quæ pars afficiatur.

CERTUM imprimis est circa præsens dubium, morbum à quo procedit diabetes esse intemperiem calidam renum, rationa cujus fit nimia & inordinata attractio substantiæ potabilis & serosæ; posteáque gravatâ facultate fit excretio celer absque immutatione aliqua, ut diximus, *præcedenti cap.* Sed in præsenti dubium majus est an à distemperie frigida possit evenire prædictum symptoma. Et negativam partem defendimus; nam frigiditas non potest conducere ad attractionem illam immodicam necessariò requisitam, imò potiùs ad contrarium conducit:ergo videtur impossibile frigidam distemperiem facere diabetem. Solùm ergo possumus dicere frigiditatem solùm conducere ut si vasa irritata pellant circa renes,isti recipiant,hæc tamen non erit diabetes legitima,quia ad hanc requiritur ut fluat epota substantia statim, bene tamen erit cruda urina ob hanc causam.

Circa partem affectam docet Galen. renes esse: sed licèt hoc certum sit, etiam est certum pati vesicam urinariam debilitatem in retentrice; nam si renes laborant tali debilitate, & vesica bene se habeat secundum retentricem, non fiet excretio celer: ergo opus est retentricem vesicæ etiam lædi.

Dices sufficere gravari vesicam nimia quantitate

tate substantiæ potabilis & serosæ, & sic expelli; quo fit ut non sit necessaria debilitas retentricis in renibus. Tamen contra est, quia idem possemus dicere in renibus, nam poterant gravari quantitate attracta, & sic expellere sine vitio retentricis ullo. Sed tamen vitium in retentrice tam in renibus quàm in vesica reperiri pro certo habemus, cùm in hoc affectu non sit necessaria magna quantitas aquæ & seri gravantis has partes, ut citò expellantur, sed quælibet parva quantitas expellitur; quo fiet ut si tunc renes & vesica quoad retinentem facultatem benè se habeant, non expelletur celeriter; ergo tale vitium requiritur.

Sed restat dubium an ad diabetem sufficiat distemperies calida in renibus, an verò sit necessarium aliam partem hac distemperie affici. Et dicimus necessarium esse jecur eâ distemperie affici, & non sufficere renes solùm laborare calidâ distemperie; nam quandò inflammatione tenentur, afficiuntur magna distemperie calida: sed tunc non est diabetes; ergo aliquid aliud requiritur; hoc autem existimamus esse distemperiem calidam jecoris, ità ut ipse in hac affectione debeat pati, non solùm quandò urina sit similis potui, sed quandò excernitur in majori quantitate. Et ratio est quia jecur est pars ubi generantur humores secundum naturam, & serum etiam in eo producitur, ergo ad hoc ut in diabete copiosior sit urina, supponit copiosiorem seri generationem in jecore, ac proindè videtur in hac affectione jecur pati. Similiter ex distemperie calida renum & totius generis venosi, potest fieri diabetes per liquationem, & separationem seri à calore factam, tamen hoc non est necessarium, ità ut sine eo prædicta affectio non possit fieri.



DISPVTATIO LXV.

De his quæ pertinent ad vesicam urinæ.

CAPVT PRIMVM.

Quas actiones circa urinam habeat vesica in statu naturali.



AD perfectam cognitionem actionum quæ læduntur circa urinæ excretionem, oportet priùs examinare quas actiones habeat vesica dum est in statu naturali circa urinam. Ad quod supponere oportet tres esse genus fibrarum in vesica; aliæ enim sunt fibræ rectæ ad attrahendum destinatæ; aliæ transversæ ad expellendum, & tandem aliæ obliquæ ad retinendum. Sed adversus id quod dicimus esse in vesica fibras longas ad attractionem urinæ stat Gal. *lib. 6. de loc. aff. cap. 2.* ubi ait, *Verùm vesicam non trahere à renibus, quemadmodum neque intestina à ventriculo:* ergo videtur veram non esse nostram sententiam. Respondetur tamen ibi loqui de affectione diabetica in qua non sufficit attractio vesicæ, ut fiat illa celerrima affectio in attractione, quod est verum, non tamen negat Gal. vesicam attrahere urinam à renibus, vel saltim ab ureteris.

Dubium est an in vesica sit facultas retinens urinam, non quidem de retentione ad nutritionem necessaria; nam de hac non est dubium, sed de illa quæ fit mediis fibris, quam etiam concedimus; cùm natura dedit instrumentum ad id, nempè fibras obliquas ad hoc munus destinatas: præterquam quod hoc expressit Gal. *l. 5. de usu part. c. 11.* Neque obstat quod aiunt de musculo claudente collum vesicæ; nam si iste paralysi afficiatur, excernitur urina præter voluntatem: ergo non videtur necessaria facultas retinens; nam nunquam fit talis excretio per solum vitium talis musculi, nisi patiantur villi obliqui, vel tanta sit quantitas quæ superet virtutem retentricem, & ità fiat excretio prædicta.

Aliud dubium est an facultates quibus dicta munera exercentur, sint omninò operantes modo naturali, an etiam concurrat facultas spontè agena: Et de retentrice certum est fieri, non solum actione illa fibrarum obliquarum, sed etiam musculo claudente collo (sphinctere dicto) operante in nobis ex voluntate. Quod constat ex eo quod retineamus urinam dum volumus; & patet etiam ex usu illius musculi circundantis collum, quî talis ut adeò retineatur urina ne fluat, ut diximus, eò quod claudat orificium & meatum. Sed major est difficultas de expulsione urinæ, an scilicet fiat solùm agente facultate naturali. Et partem negativam defendimus, dicimusque esse actionem voluntariam ea parte quâ requirat laxationem musculi claudentis vesicam qui dependenter à nostra voluntate operatur, ac proindè expulsio urinæ partim est actio naturalis, partim verò voluntaria.

Sed dices: musculus tantùm habet unicum motũ scilicet contractionis qui fit dum retinetur urina: ergo si laxatio ejusdem musculi est necessaria ad expulsionem, videtur non fieri ab eodem musculo operante dependenter à nostra voluntate, cùm usus ejus sit contractio solùm. Respondetur laxationem musculi claudentis os vesicæ fieri per contractionem musculorum abdominis, & sic laxatio est actio voluntaria in nobis: præterquam hæc veritas constat, quia urinam reddimus dum volumus; vel possumus respondere prædictæ difficultati, dicendo quod etiamsi musculi oppositi non essent, per quorum contractionem laxatio in altero fieret, fieret prædicta laxatio ex impetu facto ab intra ad expulsionem, ratione cujus prædictus musculus laxaretur, seu dilataretur, ac per consequens fieret urinæ excretio.

CAPVT II.

De accidentibus quæ circa actionem urinæ contingunt.

SYMPTOMATA quæ circa actionem urinæ communiter ponuntur, sunt ischuria, stranguria, seu stillicidium, & dysuria. Ex his autem ischuria juxta Galenum est omnimoda urinæ suppressio, sive fiat vitio vesicæ, sive vitio renum. Stranguria seu stillicidium est cùm guttatim & veluti stillatim excernitur urina, sive fiat cum dolore & conatu, sive secùs; differt autem stillicidium urinæ ab incontinentia, quia hæc fit spontè citra voluntatem, illud verò

minimè, quia fit mediis musculis abdominis. Tandem dysuria est urinæ difficultas, in qua magno dolore pellitur, sed non guttatim, sed copiosè, & solet comparari dysenteriæ, sicut stranguria tenesmo. Ex dictis facilè est colligere omnia dicta sub tertio genere symptomatum contra naturam contineri, in excretis scilicet, aut retentis contra naturam.

Circa actionem læsam restat quod dicamus; & quidem de ischuria dicimus in ea actionem esse ablatam, sive nimis læsa facultate contingat, sive aliquo alio vitio morboso impediatur actio. In stranguria seu stillicidio actio est diminuta, si attendamus ad id quod exercetur; tamen si attendamus ad illam in quantum pars irritatur & conatur, est actio depravata, utpotè quia cum dolore, aut difficultate fit, semper tamen quod ex debilitate facultatis procedit, est actio diminuta.

Sed ut ea quæ de ischuria dicta sunt, apertiora evadant, & morbi à quibus procedit tale symptoma cognoscantur, aliqua sunt advertenda de suppressione urinæ; imprimis duas causas communiter enumerat Gal. suppressionis dictæ. Prima aut plenâ existente vesicâ; secunda cùm ipsa nihil continet; nam tunc existimare oportet, aut renes, aut ureteres obstructionem pati; ultra has causatur suppressio urinæ, si fit ablata actio attrahentis facultatis in renibus, tum etiamsi fit obstructio in venis emulgentibus, quæ via sunt per quam transit urina, omninò supprimitur. Denique impedita via per quam communicatur alimentum à ventriculo in jecur; nam cùm non sit materia ex qua possint humores generari in jecore, nec fit seri generatio, ac proindè supprimitur urina; si autem jam præsupponatur urina generata, suppressio tantùm fit per læsionem in aliquo instrumento necessario ad excretionem urinæ; non verò ob hanc causam ultimam, neque ob læsionem alterius partis; quo fit satis euidam autoritati Gal. ubi asserit ob ultimam causam non fieri urinæ suppressionem, quod est verum supposità jam urinæ generatione, ut diximus.

Dum verò urina est in vesica, contingit etiam suppressio, vel propter resolutionem excretoriæ virtutis, idest ob defectum expultricis virtutis, aut propterea quod urinæ fistula sit constipata, idest sit obstructa, aut impedita, quo fiet ut qualibet ex his causis positis postquam urina est in vesica supprimatur; deindè bene se habente facultate expellente naturali potest supprimi urina, eò quod deficiat sensus in vesica; nam ipso ablato à qualibet causa impediatur communicatio virtutis ad sensum, deficiet irritatio & sensatio objecti molestantis, defectu cujus deficit actio facultatis animalis, & per consequens supprimitur urina: nam ejus excretio non solùm fit facultate naturali operante, sed etiam animali. Ratio verò ob quam plenâ existente vesicâ, fiat suppressio, est quia ratione distensionis factæ, non potest contrahi vesica, impeditâ verò contractione, impeditur necessariò excretio. Aliam denique causam adducit Gal. nempè convulsio musculi circumdantis collum, sed quia hæc rarò contingit, illius non fecit mentionem inter alias causas.

DISPUTATIO LXVI.

Quæ continet plura pertinentia ad instrumentum generationis.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate & differentia utriusque sexûs.



PRÆTERMISSIS aliis difficultatibus quæ circa principia generationis poterant adduci, quia non sunt hujus loci; oportet supponere in hac re primò aliqua esse animalia quæ fiunt tantùm ex semine, aliqua verò quæ ex illo non fiunt, & tandem alia sunt quæ mediam naturam habent, & quandoque fiunt ex semine, quandoque non. His ità suppositis, dicimus necessitatem utriusque sexûs in his quæ necessariò fiunt ex semine per generationem, esse ob perfectionem prædictorum animantium; tum etiam propter propagationem eorum: nam mas institutus est ut sit origo motûs & generationis, fœmina verò ut communicet materiam, & forsan ut semine suo habente virtutem activam, concurrat ad generationem sexûs; utrumque autem principium simpliciter necessarium est ad generationem, ita ut sint in rerum natura mas & fœmina generationis gratiâ: non habent autem animalia perfecta utrumque principium activum & passivum conjunctum, sicut plantæ quæ ex semine fiunt, quia non oportebat omni tempore permixtum esse utrumque sexum, sed solùm tempore coitûs, eò quod ultra generationem est aliquod opus perfectius in animalibus perfectis, & sic opus fuit ob hanc majorem proportionem non esse generationem ità assiduam. Ex his constabit generationem fœminæ non esse monstruosam quamvis sit imperfectior viro, ut affirmavit Aristoteles; nam etsi imperfectior sit, fuit intenta à natura propter necessitatem utriusque sexûs, præsertim in opinione dicentium esse in semine principium activum ad generationem, in quo casu certum est intendi per se ab agente sicut masculus.

CAPUT II.

De Priapismo, & causa naturalis erectionis colis.



EX affectionibus quibus potest pati membrū virile, duo communiter enumerantur à Gal. scilicet priapismus & gonorrhœa: prioris explicat naturam dum dicit *3. de loc. affect. cap 6.* esse priapismum *permanentem colis auctionem, aut tumefactionem*. Similem definitionem tradit *lib. 9. de compos. medic. per locos cap. 9. Est*, inquit, *auctio pudendi stabilis in longitudinem ac orbem tumefacti, citra res venerea appetentiam*. Imò addit *citra adquisitionem caloris*; sed licèt sumptâ occasione

sione ex rebus veneris, aut ratione calefactionis contingat pudendorum erectionem, aut tumefactionem dictam, nihilominùs non vocabitur priapismus, quia solùm habentibus talem tumefactionem & erectionem stabilem, & permaneotem Galen. tale nomen imposuit. Ex dictis constabit sub quo genere morborum contioeatur, cùm sit absque dubio tumor præternaturam causatus ex flatu crasso distendente colen, cùm etiam stat colen esse partem affectam, cùm nullum aliud membrum erigatur; hujusmodi autem affectus potest contingere per propriam passionem, si ibi generetur flatus, & per consensum, si ei communicetur à venis, vel à qualibet alia parte. Aliquibus visum fuit priapismum esse communem affectionem masculis & fœminis, quod erit verum si fœminæ habeant similes partes, ac viri solùm positione dissidentes, oam in tumorem elevabitur prædictum membrum propter eaodem causam, ac in viris diximus.

Sed majoris difficultatis est, quænam sit causa efficiens naturalis erectionis membri virilis. Quidam reducunt hunc effectum ad spiritum seu flatuosam substantiam distendentem & tumefacientem virile membrum; ad quod facit valdè imaginatio; cùm ratione illius ad pudenda moveantur spiritus, ut tenet Vallesius.

Nobis tamen dicendum est, erectionem illam naturalem involuntariam in membro virili fieri ab aliqua facultate ad id connaturali data tali membro, ità ut membrum illud non quia repletur spiritu flatuoso, intumescat, sed quia distenditur à propria facultate repleatur spiritu illo flatuoso. Ex quo constabit spiritum seu flatum crassum valde conducere ad talem erectionem. Probatur hæc sententia ratione, quia quoties datur finis & instrumentum in rerum natura, debet dari facultas quæ operatur medio isto propter illud: sed finis est generatio, & instrumentum est membrum virile ad illum accommodatum: ergo debet dari facultas in hac parte quæ operatur, & faciat prædictam erectionem naturalem, necessariò conducentem ad generationem.

CAPUT III.

Quæ facultas sit, quâ talis motus fit, naturalis, an verò animalis.

Cum constet *ex superiori capite præcedenti*, priapismum fieri ab aliqua facultate in illa parte operante, restat nunc examinare an prædicta facultas sit naturalis, an animalis. Et quod non sit naturalis, videtur probari, quia si talis esset, nunquam cessaret ab opere, si non impediretur; constat autem contrarium nos experiri: ergo; quod verò sit animalis videtur probari ex eo quod illa erectio, vel tumefactio fit medio instrumento animali, scilicet mediis musculis: ergo.

Sed videtur nobis dicendum, in prædicto motu utramque facultatem reperiri partialiter, illum integrantes, animalem, & aliam quæ modo naturali operatur; quod autem sola animalis non sufficiat probatur, quia existente parte bene temperatâ, nullóque morbo laborante, non potest animal erigere, etiamsi imperet erectionem: ergo ille motus non est omninò spontaneus, neque solâ operante animali facultate fit. Quod verò facultas animalis concurrat ad prædictum motum, probat ratio *suprà* posita de musculis mediis quibus fit actio. Constabit etiam si attendamus S. Thom. & Aristoteli, talem motum erectionis non esse simpliciter voluntarium, eò quod fiunt interveniente quadam alteratione naturali, quæ non subjacet imperio rationis, & antecedit appetitum, & fit ex motione spirituum versus eam partem. Undè patebit ad rationem primò positam; nam cùm indigeat hæc facultas naturalis quæ ibi operatur aliqua qualitate naturali quâ excitatur ad opus, & hanc non habeat semper, & sic non semper operatur, quia per subitum timorem discedunt spiritus, à quibus contingit illa alteratio & erectio.

CAPUT IV.

An seminis excretio fiat ab aliqua facultate, & quænam sit.

Pro certo imprimis habeo seminis excretionem fieri ab aliqua facultate; nam si ab spiritu, vel flatu impellente fieret, ut aliqui dicunt, interrogo à quo movetur spiritus, vel flatus, nisi ab aliqua facultate: ergo si hoc ità est, verisimilius est, dicere ipsum semen à facultate moveri immediatè.

Circa secundum quod inquirit quæstio, dico primò talé facultatem quâ excernitur semen non esse animalem spontè operantem, quia in nobis expulsio seminis non est quandò volumus, tum etiam quia non operatur pars expellens solo musculo. Non autem explicat quæ sit illa facultas, sed solùm dicit etiam aliquandò in expulsione seminis operari facultatem expultricem, quia non est major ratio cur dum ex ventriculo aut jecore chylus, aut sanguis moventur, pellant, & non in motu seminis, cùm ibi sint omnia requisita, ut talis facultas operetur, ac proindè sit decisio seminis eodem modo ac dejectio cæterorum excrementorum.

Modum autem excretionis seminis oportet explicare. Et dicimus fieri per tensionem vasorum similem convulsioni, ratione cujus exprimitur semen ex vasis, non tamen citra facultatem expulsivam. Et licèt anteà non sentiretur irritatio, sentitur tamen existente tensione & erectione membri. Ratio est quia, aut tunc semen contentum in vasis magis onustum est & intensiùs operatur, aut partes sentientes de novo applicantur, undè fit ut licèt anteà non sentirent mordicationem, postea possint. Ex quo patet vasa seminaria esse partes quæ pellunt, non pudendum, quia solùm se habet ut via.

Sed quæres à quo efficienti fiat ille motus tensionis; communis modus dicendi est, fieri in viris & fœminis per modum convulsionis ex repletione facta à semine seu spiritibus; nam vasa illa distendunt secundum latitudinem, & abbreviantur secundum longitudinem, neque secundum parietes vasorum fit major applicatio, & ità pellunt; cùm hoc tamen est verum fieri à duplici illa facultate naturali & animali, eo modo quo paulò *suprà* diximus.

Constabit etiam quomodò in dormientibus & vigilantibus ratione imaginationis effundatur semen; ex eo enim accidit, vel quia ratione vehementis imaginationis movetur semen, aut quia potentia motiva executiva habet cum imaginatione quandam sympathiam, ut istâ operante illa moveatur.

CAPUT V.

De voluptate quæ reperitur in seminis emissione.

Hactenus nullus dubitavit quàm maximam esse voluptatem in excretione seminis dum morbo non laborant partes, & ex omni parte & latere bene se habent, quod fecit natura provida propter finem generationis & propagationis, ità ut homines & bruta non solùm appetant actum venereum & excretionem seminis ob deonerationem sicut appetunt excretionem urinæ, & aliorum excrementorum, sed ob voluptatem quam habent in effusione seminis recordatione facta sensationis voluptuosæ, quod non solùm in hominibus est verum, sed etiam in brutis, licèt verum sit ante primam ejaculationem solùm moverì ad coitum ob deonerationem sicut ad expulsionem urinæ, ut diximus; posteà verò cùm jam perceperunt voluptuositatem recordatione factâ ob eam moventur ad coitum. Contingit autem in his partibus hæc voluptuositas, & non in venis & arteriis, dum per eas moventur humores, & spiritus, quia dedit natura testibus & vasibus seminalibus exactiorem sensum, quæ conditio necessaria est, ut sit illa voluptuositas, ut *infrà* explicabimus.

Quæri solet in quo sit major voluptas dum effunditur semen in viro, an in fœmina. Et dicimus in hac re non posse universaliter responderi; nam ad delectationem debet respici, non solùm objectum voluptuosum, sed etiam dispositio ad perfectiorem sensationem, cùm autem hæc in omnibus non sint æqualia, ideò certa regula & universalis esse non potest. Restat tamen explicare quomodò fiat hujusmodi sensatio voluptuosa. Aliqui affirmarunt esse ob reditum ad statum naturalem, sicut expulsio urinæ dum faciebat distensionem. Hæc tamen causa nulla est, nam dum pars redit ad naturalem statum, non est quid positivum voluptuosum quod sentiatur, sed solùm deficit molestia, ut patet in excretione urinæ; nam tunc non sentitur positiva voluptas, cùm nullum sit objectum voluptuosum, sed solùm deficit sensatio molesta, & ità nobis videtur dicendum voluptatem illam in effusione seminis contingere ob qualitatem quandam secundam quæ sentitur connaturalis illis partibus, ex qua sensatione voluptas fit; illa autem qualitas non est verè pruriens, sed similis pruritui, quia pruriens qualitas est dolorosa; ad prædictam autem sensationem requiritur titillatio quædam tanquam conditio ut fiat prædicta sensatio, nam species illa non producitur nisi præcedente titillatione, & motione illa sicut in externis in motu illo quæ vulgò vocatur *coschillas*, non faceret objectum æqualem voluptatem, si omninò quiesceret, sed oportet ut moveatur, sic in effusione seminis contingit.

CAPUT VI.

An liceat Medico pro salute in aliquo eventu exhibere remedia ut excernatur semen, aut consulere.

Præsentem dubitationem breviter explanabimus si attendamus ad id quod est excretio seminis; non sunt facienda mala, ut indè eveniant bona, docet commune proloquium: sed excretio seminis est peccaminosa, & contra naturam, quia est effusio instrumenti generationis: ergo nullatenùs est consulenda, nec præcipienda à Medico, etiamsi tota salus ab ea dependeat. Si verò scissione vasorum seminalium posset extrahi semen, sicut sanguis, tunc licitè & tutò poterit Medicus uti illa evacuatione, sicut ista utitur, quia in tali casu illa effusio non erit peccaminosa.

CAPUT. VII.

De Gonorrhœa.

Galenus *lib.6.de loc.aff.cap.6.* ita eam definit, *Gonorrhœa est seminis excretio invita, quam involuntariam quoque nominare licet, citra pudendi tensionem.* Aliam tamen speciem Gonorrhœæ adducunt Autores in qua fit seminis excretio involuntaria cum pudendi tensione, hæc verò impropriè dicitur talis, & in epilepsia correptis reperiri solet; tandem aliam speciem impropriam enumerant, ut quandò irritatione præcedente fit excretio propter nimiam quantitatem, aut qualitatem aliquam præternaturam.

Advertere tamen licet, quod licèt in Gonorrhœa sit objectum voluptuosum quod sentiatur, & sit sensatio sufficiens & conditio ex parte motùs, tamen in illa non est voluptas, quandò effunditur semen, quia sicut ad dolorem requiritur subita mutatio, ità ad voluptatem requiritur subita effusio; in Gonorrhœa verò fit effusio paulatim. Ex hoc constabit esse symptoma in his quæ excernuntur contra naturam, estque actio ablata retinentis facultatis; de parte verò affecta non est dubium quin sint vasa seminalia, in quibus semen jam genitum servari oportebat; non verò hæc affectio est passio pudendorum, quia solùm se habent ut via, & non solùm in viris reperitur, sed in fœminis, quia etiam fœminæ habent vasa seminalia, imò in his frequentiùs contingit, quia semen tenuius est, & magis aptum ut fluat.

DISPU



DISPUTATIO LXVII.

De his quæ ad uterum spectant.



CAPUT PRIMUM.

An uterus verè moveatur secundum locum.



SIT in hac re prima conclusio, uterum moveri localiter secundum naturam, quod imprimis constat ex eo quod habeat fibras sicut ventriculus, & aliæ plures partes: sed omnis pars quæ fibris constat potest moveri localiter: ergo uterus movebitur. Præterea quia in conceptu adeò complectitur semen ut os uteri seu matricis sit valdè clausum, & in partu aperitur ad expulsionem fœtûs, sed clausio & apertio sunt motus locales: ergo uterus potest moveri localiter.

Dico secundò, uterum non moveri sursùm versus jecur & præcordia; nam tota ratio ob quam aliqui affirmant moveri sursùm & propter finem, quia scilicet exiccatus uterus ascendit versus jecur ut humectetur: sed ad hoc non erat necessarium sursùm ascendere, cùm habeat proximam vesicam in qua humida substantia continetur, & sic ab illa poterit accipere id quo indiget. Præterea quia cùm uterus habeat vasa per quæ possit attrahere sanguinem dum valdè exiccatus est, frustrà propter hunc finem recurrimus ad motum sursùm uteri versus jecur, & septum transversum.

Dico etiam adhuc ascensu morboso non posse uterum usque ad ventriculum ascendere: quod ex eo constat, quia si quis in mulieris dissectione conetur uterum manu sursùm trahere, non poterit usque ad ventriculum ducere, quin ligamenta disrumpantur; multò ergo minùs fieri poterit per morbosam contractionem, cùm hoc tamen bene stat ut deorsùm prolabi possit ad os pudendi, ità ut laxatis acetabulis, decidat quia ab utero in os pudendi est minor multò distantia. Illud verò quod adducunt Contrarij pro experimento nihil probat, scilicet apparitio globuli juxta ventriculum, nam talis globulus potest esse ex flatuoso corpore ascendente, aut quia aliqua pars ex ascensu uteri pellatur, & illa aliam per continuitatem usque ad ventriculum, & ità ibi appareat globulus.

Dicimus ulteriùs uterum esse partem fœminæ, & non animal distinctum ab ea, ut aliqui voluerunt, & imprimis constat à paritate de membro virili de quo nullus dixit esse animal distinctum à viro, sed partem ejus; vocatur tamen uterus quasi animal, vel ob similitudinem dicitur animal ob ejus motum, licèt sit inobediens, cùm rationi non subjiciatur: dicitur etiam animal à S. Thoma, quia est principium vitæ quod etiam convenit membro virili, nam ex membro genitali virtus exit seminis; & præterea in utero fit conceptio & vitam fœtus adquirit.

Explicare tamen oportet in præsenti quæ sit causa quare in curatione hystericæ affectionis, utero applicantur odorata, & partibus superioribus ut naribus pravè olentia, & quare etiam si valdè odorifera partibus superioribus applicentur, solent incidere mulieres in hanc affectionem. Aliqui dicunt ex eo esse quia res odoriferæ laxant & aperiunt vias suâ caliditate & tenuitate partium, & sic utero applicatis fit retractio matricis & vaporum sursùm ascendentium: sed cùm res etiam pravi odoris possint habere prædictam caliditatem & partium tenuitatem, videtur ratio infirma; affirmant deindè pravis odoribus partibus superioribus applicatis fœminas liberari à prædicta affectione, quia ad expulsionem eorum utpotè molestantium cerebrum concutitur, & ità pellit vapores, quæ ab utero in partes superiores elevantur: alij verò reducunt hoc ad peculiarem sympathiam quam habet uterus cum odoriferis rebus, & antipathiam cum pravè olentibus.

Nos autem dicimus verum esse quod quandò optimi odores apponuntur naribus sursùm, & versus eam partem uterus, vel ut meliùs dicam, vapores moventur, contrà verò si pessimi sint. Et ratio est quia habet uterus naturam valde connexam cognoscitivam odoris, quæ communiter appellatur sympathia, non est tamen propriè talis; hæc autem subordinatio in omnibus non est eadem, & sic omnibus mulieribus non contingit hæc affectio, appositis naribus rebus odoriferis.

Sed dices: si uterus non sentit odores, cur movetur illis infrà appositis; nam apposito aliquo extrinseco, si uterus eodem modo se habet sicut anteà, non est cur moveatur.

Respondetur quod licèt uterus odores non percipiat, tam bene percipit aliquam qualitatem tangibilem quæ cum illis est conjuncta, ob quam tetros illos vapores fugit, optimos verò prosequitur; quæ autem sit hæc qualitas, certò non potest explicari, neque de ea habemus proprium nomen: hujusmodi autem uteri motus usque ad partem quam petit, fit mediis fibris, neque opus est concedere aliam facultatem naturalem in utero motivam quæ sine fibris operetur.



CAPUT II.

De uteri strangulatione & hysterica affectione.

NON defuêre qui in hac re existiment uteri suffocationem, seu hystericam affectionem non esse morbum ipsius uteri, neque symptoma ab illo procedens, sed sola causa morbi laborare, ità ut sit propria passio cordis, ex eo quod ab utero in cor elevantur vapores tetri & maligni qui spiritus vitales resolvunt, & sic syncopem causant: deindè cùm à corde in singulas partes distribuantur spiritus quibus operantur, & isti sint consumpti, indè est quod cor & uterus mutuò patiuntur per consensum, cor recipiendo ab utero pessimos vapores, & uterus à corde defectum, & spirituum carentiam. Sed hæc opinio est falsa; nam si causa morbi sit in utero, necessariò debet producere morbum, & priùs in parte proxima quàm in remota, ac proindè uterus debet morbo affici, & priùs quàm cor; neque ex co quod vitio uteri patiatur cor syncopem, de-

ber vocari hysterica suffocatio, sicut non vocatur suffocatio syncope, sive fit per propriam passionem, sive per consensum cum ventriculo, aut qualibet alia parte.

Restat explicare quo morbo laboret uterus in hysterica affectione, circa quod aliqui affirmarunt esse morbum in situ mutato, eo quod uterus sursùm moveatur, vel ad latera, quo fit ut comprimatur septum, & lædatur respiratio, & præfocatio contingat, & omnia accidentia hystericæ affectionis, eò quod spasmetur, vel convellatur uterus versus superiora: sed licèt ob dictum morbum eveniant omnia accidentia dicta, tamen non esse necessarium ut prædicta accidentia eveniant, certissimum est, ut posteà probabimus.

Alij affirmarunt esse duplicem morbum, alterum in situ mutato, & alterum materialem. Alij affirmarunt esse distemperiem frigidam uteri; nam semen in utero paulatim coacervatum, aut alia materia putrefacta perfrigeratur, & frigiditatem transmittit ad cor & cerebrum, quibus refrigeratis eveniunt prædicta accidentia. Alij dixerunt morbum esse in obstructione vasorum: sed licèt multoties talis obstructio fit, tamen non est morbus necessariò præcedens prædictum symptoma; nam seclusa qualibet obstructione in vasis illis, dantur omnia signa essentialia strangulationis uteri: ergo. Antecedens constat, nam potest putrefieri semen secundum quantitatem naturalem existens, adeò pessimè, sicut quandò abundat quantitate: sed tunc erunt omnia signa hystericæ affectionis, & non erit obstructio, licèt detineatur ibi aliqua substantia ex dictis; ergo sine prædicta obstructione erit hæc affectio.

Nobis tamen dicendum est morbum à quo procedit prædictum symptoma esse ex illis qui dicuntur à tota substantia, ex quo possunt oriri tam prava accidentia qualia apparent; nam ratione putrefactionis in semine aut menstruo detento, adquiritur qualitas quædam venenosa à tota substantia operante irruente in cerebrum & cor, unde tam prava accidentia sequuntur ratione vaporum qui elevantur simili qualitate prædìti à quibus corrumpuntur spiritus, & fiunt syncopes, & alia accidentia. Cùm hoc tamen verum stat hujus putredinis dari aliquam causam, & aliquem morbum, erit aliquandò distemperies à qua semen putrefiat, vel sanguis menstruus, & posteà adquirat malignam illam qualitatem à qua immediatè fiunt prædicta accidentia; undè meritò aliqui dixerunt semen & sanguinem menstruum se habere ut symptoma tertij generis, quia retinentur præternaturam, & posteà se habere ut causam aliorum symptomatum. Tandem advertere licet id quod dixit Galen. aliquandò sanari hanc affectionem nullo remedio apposito utero, quia id quod productum est in illo à tali causa, pendebat ab illa in conservari, atque ideò illâ ablatâ aufertur.

CAPVT III.

De causis hysterici affectûs.

CONVENIT inter omnes, causas hystericæ affectionis esse duas, semen scilicet retentum, & sanguinem menstruum, eò quod affectio hæc utplurimum reperiatur in viduis, & in his qui continuò erant in usu veneris, & jam cessarunt; constat etiam ex eo quod evacuato sanguine, & semine excreto, cessat prædicta affectio. Neque ad hoc facit quod in prægnantibus non fit hæc affectio, & tamen est sanguinis retentio; nam sanguis non quomodocunque causat hystericam affectionem, sed ità putrefactus ut adquirat malignitatem aliquam, & idem est de semine.

Licèt ex dictis colligere prædicta symptomata in viris posse reperiri in retentione seminis, tamen non meretur in illis nomen hystericæ affectionis, cùm hæc ab utero qui pars affecta est, sumat denominationem. Cùm hoc tamen est verum rarissimè in viris hanc affectionem reperiri, eò quod semen eorum est calidius, & sic non ità dispositum ad putredinem, sicut semen fœminarum quod humidum est valde: Et præterea quia uterus est locus ubi excrementa totius corporis congeruntur, & sic facilè putrescunt, ac proindè frequenter contingit in mulieribus, præsertim cùm duæ sint causæ *suprà* assignatæ prædictæ affectionis, & in viris tantùm una, & sic rarissimè ob dictas rationes in viris prædicta reperitur affectio.

Advertere tamen oportet hystericam affectionem non solùm causari posse ex sanguine quarto humore, verùm ex quolibet & tota massa sanguinaria, eo quod non sit cur non possit per putredinem adquirere malignam illam venenosam qualitatem, & irruere in cor & cerebrum.

Hinc etiam constabit à flatu etiam posse causari, quia videmus plures qui hac passione laborant, in illam incidere, quia aquam frigidam intempestivè biberunt, aut aliquos flatuosos cibos gustarunt, aut acetum, aut in terra frigida sederunt, etiamsi neque tunc sanguis fuerit suppressus, aut à viris non abstinuerint. Et ratio hujus est quia flatus sua multitudine potest facere repletionem, & intumescentiam uteri, quod non solum est verum quandò flatus fiunt à causa procatarctica, sed etiam quandò citra illam generantur vi alicujus affectionis uteri, ut debili existente ejus calore; quandò autem fit à flatu, debet intelligi quantum ad uteri rettactionem, non verò quantum ad alia symptomata; nam hæc non fiunt nisi ex flatu genito & elevato ex duabus causis suprà positis putredine correptis, & malignitate adquisita in illis; semper tamen est verum dum citra occasionem externam fit hæc affectio, causas frequentiores esse tantùm illas duas à nobis positas.



CAPVT IV.

Quomodò se habeant causæ hystericæ affectionis.



X dictis constat semen & sanguinem esse frequentiores causas hujus affectus, reliquósque humores, in præsenti verò restat examinare quomodò sint tales causæ. Et quidem certum est in statu naturali non causare prædictam affectionem, sed solùm dum putredinem subeunt, ut commune est inter omnes Medicos. Restat nunc examinare quare semen & sanguis

citò

citò & promptè putrefiant; tum etiam cur adeò malignæ, ut veneni vires videantur comparare, circa primum aliqui affirmarunt quod quò aliquod corpus impermixtum est, & magis à contrarietate recedit, eò difficiliùs corrumpitur, quapropter elementa utpotè simplicia difficile corrumpuntur; hæc verò, semen & sanguis facilè corrompuntur quia multa compositione constant, & sic plura habent contraria, quæ intendant suam corruptionem, & hanc esse causam cur semen & sanguis citò putrefiant. Sed cùm omnia corpora mixta constent quatuor elementis, non est dubium quin habeant æqualia contraria quæ ex primis qualitatibus sumuntur, & sic non rectè explicatur causa ejus quod inquirimus; quapropter cùm ea corruptio de qua est sermo in præsenti sit putredo, & hæc fiat à calore præternaturam, inquirimus quæ sit causa ut sanguis & semen citò putrefiant, & dicimus prædictam causam esse reducendam ad peculiarem qualitatem secundam, ratione cujus facilè cedant corruptioni, parúmque resistant; hæc autem meo videri erit peculiaris modus substantiæ prædictarum causarum, ratione cujus parum resistunt, & sic facilè putrescunt.

Alterum quod inquirebamus majorem habet difficultatem, quæ scilicet sit causa, ut semen & sanguis dum putrefiunt & causant prædictam affectionem malignam, & adquirant venenosam qualitatem: Et quidem si juxta Galen. & aliorum Medicorum mentem loquamur, ex eo evenit quia dum aliquid est perfectius, deteriorem corruptionem adquirit, quia requirit causam potentiorem putredinem inducentem; cùm autem hujusmodi substātiæ, sanguis scilicet & semen perfectâ valde sint, mirum non est quin malignè & pessimè putrefiant. Sed si dictæ sententiæ stemus, solùm sequitur intensiorem putredinem comparare prædictas substantias, quia perfectiorem & robustiorem causam putrefacientem exposcunt; cùm autem malignitas non mensuretur penes remissionem, aut intensionem putredinis, aliâ viâ causa adquisitionis malignitatis est investiganda.

Circa hanc rem noster Petrus Garcia fatetur non posse invenire aliam rationem, nisi quia semen & sanguis sunt substantiæ similiores viventi, & sic magis patiuntur, quarum actio valde est necessaria, & ità symptomata majora apparent: cùm hoc tamen docet non esse necessarium semper quod quandò putrefiunt, adquirere illam venenosam qualitatem, sed aliquandò id contingere: meo tamen judicio possemus fortassè in hac re dicere nihil peculiare habere has substantias quàm alias ad prædictam malignitatem adquirendam si attendamus ad qualitates manifestas, & sic quod eam adquirant, frequenter contingere ob peculiarem putredinem quæ ibi producitur, ad quam valde facere debet dispositio peculiaris, vel aliqua qualitas secunda quæ reperitur in prædictis substantiis, ratione cujus sunt dispositæ ad prædictam malignitatem adquirendam per putredinem. Ad quod etiam faciet peculiaris vis efficientis sicut in febribus malignis, & pestilentibus solet contingere, in quibus vi putredinis generatur in humoribus, vel in sero eorum qualitas venefica cordi inimica, & hoc non fit semper, sed dum est talis modus putredinis & peculiaris dispositio in passo, quæ ad hoc conducat; sic ergo possumus philosophari in præsenti casu.

Hinc fit semen posse putrefieri non solùm in cavitate uteri, sed etiam in vasis seminalibus & in glandulis: nam in qualiber parte ex his potest accedere causa putrefaciens potentior quamvis naturalis conservativa, quæ est in vasis, aut qualiber ex his partibus: ergo tunc putrefiet necessariò. Advertere tamen oportet sæpè hystericam affectionem repetere per circuitus, quod potest contingere eò quod portio seminis, vel sanguinis quæ causat circuitus, excernatur, & posteà alia portio de novo putrefiat; & causet circuitum, & sic continget quin materia venenosa servetur in aliquo loco, & cessent accidentia tempore intermissionis: hoc autem modo existimamus non posse repetere per circuitus; quia non est locus in utero ubi servetur materia illa, quin causet continuò accidentia hystericæ affectionis.

CAPUT V.

De signis quæ reperiri solent in affectu hysterico, & eorum causis.

CUM in hysterica affectione experiamur varia & plura symptomata, non solùm in diversis mulieribus, sed in una & eadem, pro diversis temporibus, necesse est causas investigare, circa quod Mercatus tenet diversa symptomata fieri ob diversitatem putredinis, & hanc diversificari docet, vel ob diversitatem efficientis causantis putredinem, vel ob diversitatem loci in quo putrefiunt humores, vel tandem ob diversam substantiam quæ putrefit. Sed nobis hæc doctrina non videtur rationi consona: imprimis diversitas efficientis non sufficit ad diversitatem specificam putredinis statuendam; nam omnia quæ putrefiunt à calore tanquam ab efficiente putrefiunt agente in humido: sed omnis calor est ejusdem speciei; ergo ob diversitatem efficientis implicat diversitas putredinis. Neque ratione loci, nam invariatâ causâ efficienti & materiali, à quibus effectus patratur, parū facit quod locus varietur, cū nihil faciat præter continere: ergo sive varietur, sive non, effectus erit idem. Tandem neq; ex diversitate ejus quod putrefit potest contingere; nam omnia possunt eodem modo putrefieri tam substantiæ perfectæ, quàm imperfectæ: ergo diversitatis putredinis nulla est causa stabilis, nisi dicamus in ipsa materia quæ putrefit, quandoque prædeterminari unum humorem, quandoque alium, & sic per putrefactionem juxta prædominantem humorem diversum, diversa qualitas venefica producitur, & sic accidentium diversitas.

Etiam facit ad accidentium diversitatem multitudo materiæ; nam si pauca est materia, vapores pauci elevantur; si verò plurima, in magna copia elevantur: quo fit ut intensiora, aut remissiora accidentia fiant, ob diversam multitudinem. Etiam ad diversitatem accidentium facit diversitas partium quæ consentiunt cum utero, quia scilicet recipiunt aliquid sibi nocivum; prædictus autem consensus fit ob communionem partium; sic uterus habet communionem cum cerebro, quia pars nervosa dicitur, & cum corde, quia pluribus disseminatur arteriis, & sic utero

affecto

affecto præcipuè prædictæ partes patiuntur. Præterea cùm totum corpus sit transpirabile, non erit mirum plures partes pati per consensum, eò quod vapores eis ab utero communicentur, & præcipuæ partes vicinæ hoc habebunt, ut jecur & intestina & vesica, ut quotidie experimur in pluribus fœminis.

Sed jam opus est percurrere causas aliquorum quæ in hysterica affectione reperiuntur, & imprimis de retractione uteri ad superiora, vel ad latera; nam licèt *suprà* dictum sit ad hystericam affectionem prædictam retractionem non esse necessariam, tamen aliquandò adesse nullus negabit, ideóque in præsenti causam hujus inquirere licet; circa quod tenenda est Galen. sententia in qua asserit retractionem uteri contingere per repletionem venarum uteri, sicut convulsio, ità ut per repletionem distendantur secundum latitudinem, & abbrevientur secundum longitudinem, & sic uterum trahunt versus illam partem ad quam inclinantur, quod frequenter fit sanguine menstruo detento replente vasa, eáque distendente, & eadem retractio fiet si detineatur sanguis, vel semen clausis osculis vasorum, & sic multitudine sua causent tensionem in ligamentis uteri. Sed dubium est an hujusmodi uteri strangulatio possit fieri à siccitate, sicut etiam convulsio fit non solùm repletione, sed etiam exinanitione à siccitate: & dicimus quod licèt verum sit hanc strangulationem uteri non esse convulsionem, utpotè hæc est sola passio musculorum, tamen valde est ei similis, & ità si illa retractio fit per repletionem quemadmodum in vera convulsione, etiamsi ponatur siccitas sufficiens, in hac parte non est cur non producat suum effectum primarium & secundarium, ac per consequens si valet facere retractionem in musculis, etiamsi ponatur in utero, causabit similem retractionem.

Sed Horatius Augenius existimavit naturam hujus affectûs ad imaginationem depravatam spectare, esséque speciem melancholiæ morbi, quod probat eo quod hoc malo affecti citra causam procatarcticam timent suffocationem, & metu corripiuntur de morte. Sed hæc sententia est falsa, imprimis quia non semper hæc affectio causatur ab humore causante melancholiam; præterea quia in his imaginatio non est depravata; nam timent de suffocatione, quia comprimitur septum transversum, & sic læditur respiratio; quâ ratione timent mortem & suffocationem, sed non sine ratione, & sic nulla est depravatio in imaginatione.

Sed oportet alia symptomata perpendere: sæpè enim contingit totum corpus in hysterica passione refrigerari; causam hujus quærimus; dicimus ideò contingere, quia putrefacto semine & sanguine ibi detento, generatur qualitas venefica: & cùm ex illa materia eleventur vapores ad cor illâ qualitate infecti statim dissolvunt spiritus, & indè deficit communicatio eorum à corde in reliquas corporis partes, quo deficiente resultat frigiditas ab interno principio partium. Advertere tamen oportet, non solùm malignitate vaporis posse contingere suffocationem, sed etiam solâ multitudine; nam si vapores in magna copia irruant in cor, suâ corporaturâ illud suffocabunt, quin sit necessaria qualitas venefica.

Alterum symptoma quod invenitur in hysterica affectione, est læsio respirationis, & pulsus. Circa quod dubium est an omninò possit deficere respiratio & pulsus in hysterica affectione forti: sed de hoc *cap. de apoplexia* diximus non solùm posse deficere respirationem, sed etiam pulsum omninò, etiam insensibiliter per parvissimum tamen tempus, & quod eadem ratio militet de respiratione ac de pulsu, constat contra Vallesium: nam vivens per solùm defectum pulsûs & respirationis non deficit, cùm sit quid privativum: ergo debet deficere per causam positivam quæ consequatur ad talem defectum: hæc autem aut est nimius calor, aut multitudo fuliginum; sed quælibet ex his causis indiget tempore aliquo ut valeat interficere, nam non agit in instanti, ac proindè toto illo tempore quo indiget agens ad agendum, vivet vivens omninò ablatâ respiratione & pulsu.

Sed oportet assignare causam quare in hysterica affectione lædatur respiratio, & pulsus, ità ut deficiat saltim quoad sensum. Aliqui dicunt ideò contingere quia refrigeratur cor, refrigerato verò corde, videtur cessare finis respirationis & pulsûs, & sic ob hanc causam possunt deficere. Sed licèt hæc sit Galen. sententia, tamen difficile intelligi potest ob hanc causam deficere, licèt enim deficiat finis refrigerij, non tamen deficit finis ventilationis & regenerationis spirituum; ergo non deficiet respiratio in totum, cùm restet finis cui deserviat, ut latè *cap. de apoplexia* manet probatum. Quapropter *ibi* diximus non cessare respirationem quia cessat finis partialis, sed quia tanta est obstructio in cerebro, ut non communicetur virtus musculis quibus movetur thorax, & sic deficiat respiratio, poterat deficere etiam quia potest deficere virtus sentiendi in nervis, & sic non præcedente sensu tactûs, non potest fieri respiratio, in hysterica verò affectione læsio provenit ob compressionem magnam septi transversi quod instrumentum est respirationis, aut etiam vitio aliorum instrumentorum contingere potest.

Advertere tamen oportet hystericâ affectione laborantes pluries incidere in syncopem, & in epilepsiam per consensum cum utero, quia scilicet vapores communicat cerebro & cordi causantes talia symptomata. Similiter solent melancholiâ affici ratione sanguinis detenti crassi & melancholici prædominantis, vel resoluta parte tenuiore & crassa remanente, ratione cujus ascendunt vapores ad cerebrum, & sic per consensum causant prædictam melancholiam citra occasionem externam.

CAPUT VI.

An aliquid simile veneno possit in nostro corpore generari.

EX omnibus Medicis tam antiquis quàm modernis constat in nostro corpore posse generari aliquam substantiam similem veneno, idest quæ causet eadem accidentia, ac si venenum foret, & mortem acceleratam, idque nullo alio argumento probant quàm pluribus exemplis in quibus constat ægrotantes citò perire, & similibus accidentibus infestati, ac si venenum

nenum assumpsissent. Generatio hujus substantiæ similis veneno fit mediâ putredine, sed non quælibet, sed ex certa & peculiari, nam non quælibet febris putrida est maligna.

Sed quæret aliquis; undè contingere possit ut venenosa substantia possit latere in nostro corpore, citra aliquod damnum in eo per tempus aliquod.

Respondetur id posse fieri, vel quia latet sub membro aliquo ignobili, posteà verò dum irruit in membrum princeps, interficit statim, vel potest contingere quia est in parva quantitate, ità ut in dies per ejus augmentum valeat interficere, vel deniqne per consuetudinem partium adquisitam, possunt liberari aliquæ partes à noxa, ob quod communiter dicitur posse aliquas partes nutriri veneno.

Dubitabis ulteriùs an possit dari aliquod signum certum veneni assumpti: Et partem negativam ut veram defendimus, quia nullum symptoma potest nasci ex veneno assumpto, quod non possit etiam nasci ex veneno in nostro corpore generato; ergo nulla erit certitudo veneni assumpti. Constabit consequens si signa in particulari cujusque veneni assumpti quis perpenderit; nullum enim est quod non possit tribui causæ genitæ in nostro corpore; ut de corrosione, putrefactione, & stupefactione, & pravè olentia constat: nam omnia hæc à causis genitis in nostro corpore nasci possunt, ut constat de pluribus quæ hystericâ affectione correptæ statim moriuntur, & corpus pravè olet; & omnia dicta sequuntur signa.



DISPVTATIO LXVIII.

De his quæ spectant ad virginitatem fœminarum.



CAPVT VNICVM.

In quo consistat virginitas fœminarum, & an sit aliquod signum ejus.



I omnibus illis qui de re anatomica scripsère attendamus, constabit nullam esse membranam in ore, neque in fundo, neque in medio matricis seu vulvæ in qua virginitas consistat, neque ad ponendam talem membranam, seu paniculum fuit in natura aliqua necessitas; imò si aliquam veritatem haberet, sine dubio aliquantulum resisteret speculo, sed specillum in profundum usque ingreditur sine ulla resistentia. Videtur ergo in matrice nullum esse paniculum seu membranam in qua virginitas consistat. Neque facit contra nos dolor & sanguis qui effunditur dum membrum virile ingreditur, quia hoc potest salvari absque positione talis membranæ, eo solum quod in tali parte concedamus cohærentiam quandam partium seu contiguitatem & consistentiam, seu naturalem coalescentiam illarum partium in quarum separatione sentitur dolor, & sanguis effunditur; quod ità verum existimat Petr. Garc. ut dicat quod si fortasè in aliqua virgine sit talis membrana, est morbosa in eâ.

Secundum quod inquirebat quæstio est, utrum possit esse aliquod signum quo certo cognoscatur virginitas. Circa quod videtur esse locus sacræ Scripturæ qui habetur *Deuteronomy* 22. ubi accusatur quædam puella coram judice, eò quod vir ei odio habuerit, & accedentes pater & mater coram senioribus ostenderunt vestimentum sanguine infectum ex primo congressu cum viro. Ex quo deducebatur certò virginitas; ergo constat ex hoc loco effusionem sanguinis in primo congressu esse certum signum virginitatis. Sed nos dicimus nullum esse virginitatis certum signum, neque effusionem sanguinis; sed posse virginem esse absque illius effusione. Pro probatione adverte id quod diximus *capite præcedenti* dum membranam negavimus: suppono etiam prædictam coalescentiam partium in qua posuimus virginitatem non esse eandem in omnibus; sed in tenellis major, in annosis verò minor; nam post tempus eruptionis mensium partes magis dilatantur, & propter majus desiderium coeundi, ostium uteri magis dehiscit. Undè constat primum congressum non esse æquè difficilem in omnibus mulieribus. Hoc ergo notato sic formo rationem: nam magnitudo membri virilis potest esse proportionata ostio uteri: ergo tunc non est cur in primo congressu effundatur sanguis, etiamsi virgo fuerit; imò nullus aderit dolor. Antecedens probatur, quia in illo eventu nulla fit ruptio venarum: ergo non est cur fluat sanguis, præsertim in ostu majoribus ob dictam causam: prætereà quia non est inconveniens à principio generationis formarum esse os uteri majoris magnitudinis quàm secundum ordinem communem.

Undè ad locum Deuteronomij dicimus quod Legislator qui tulit eam sententiam, solùm habuit rationem cum eo quòd erat magis commune & universale, nihil curans de raro eventu. Prætereà quia linteum illud sanguinolentum poterat esse ex alia causa, utpotè ex sanguine menstruo illa nocte effuso, & prætereà potuit arte parari; ex quo patet tunc Legislatorem more communi judicasse, & non atteatâ naturâ rerum, solùm ex consuetudine vulgari; unde in sacra Pagina dicitur quod si puella aliunde convicta fuerit, ejiciatur foras, & in eam irruant lapidibus, & non præcisè per defectum lintei sanguinolenti. Et idem est dicendum de viri virginitate, nempè nullum de ea esse signum, nam omnia quæ reperiuntur in homine post usum veneris, possunt reperiri absque dubio sola ætatis mutatione.



DISPUTATIO LXIX.

De his quæ circa sanguinem menstruum sunt.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit sanguis menstruus.



Anguis menstruus dicitur ille qui singulis mensibus effluit in mulieribus per uterum, dum secundum naturam se habent, ut passim advertit Hippoc. & Gal. in quo conveniunt omnes; qui muliebris dicitur, eò quod in illis uberior eveniat hæc evacuatio quàm in aliis fœminis, quia scilicet homo constat temperie magis accommodata ad generationem.

Hinc non erit difficile reddere rationem ob quam redundet sanguis ille in fœminis, & non in viris: duplici de causa id contingit: prima est causa efficiens quæ in mulieribus est minor, calor qui non valet discutere & dissolvere humores, sicut ille major qui est in viris: itaque non superat in fœminis sanguis, quia in majori quantitate generetur quàm in viris (è contrà potiùs est verum, cùm viri temperamentum sit magis accommodatum ad sanguinis generationem) sed quia minùs discutiant & consumant quàm viri. Altera causa est finalis; ideò enim superat in fœminis ob generationem & humanam propagationem, quia scilicet sanguis ille attrahitur ad generationem fœtûs tanquam necessarius ad id, & hæc causa hujus finis redundat; facit etiam valde ad talem redundantiam densitas cutis, ob quàm minùs resolvitur, & vita otiosa ob eandem rationem. Cùm hac tamen doctrina est verum posse aliquas mulieres carere menstrua vacuatione citra morbum aliquem, eò quod temperie constet calidiori quæ valeat resolvere, vel quia valde exercitatæ sunt: cum quo bene stat posse concipere, eò quod à venis potest attrahi sanguis sufficiens pro formatione fœtûs, quod non frequenter contingit. Doctrina verò *suprà* tradita debet intelligi de eo quod communiter & frequenter fit. Hæc menstrua evacuatio solet nominari flos, eò quod antecedat ad conceptionem, sicut flos arborum ad fructum; frequenter enim contingit ut mulier non concipiat antequam sit tempus apparitionis menstruæ purgationis, aut sit tempus accommodatum ad illorum exitum.

CAPUT II.

An sanguis menstruus sit excrementum peccans sola quantitate, an etiam qualitate.



Vera sententia in hac re est sanguinem menstruum dum mulier sana est esse tantum excrementum quantitate peccans, & non qualitate. Probatur hæc sententia, quia sanguis ille superfluit in mulieribus, quia minùs absumitur in nutritione partium, quàm generatur pro ipsarum nutritione: ergo si illud quod fluit est quod superfluit à nutritione partium, tantùm peccabit quantitate, & non qualitate. Probatur etiam ex Aristot. *lib. 2. de generatione animalium, cap. 5.* dum reddit causam ob quam fœminæ pingues sint steriles, ait quia excrementum seminale in corpus absumitur; itaque fit ut illis menstrua desint. Ex quo clarè constat ut eadem sit materia menstrui & pinguedinis; non ergo peccat qualitate in muliere bene valente, secùs in muliere morbosa, & malum habitum habente.

Præterea quia prædictus sanguis generatur ab eodem efficienti, jecore scilicet, & ex eadem materia, sicut ille quo partes mulieris nutriuntur: ergo non magis peccat qualitate quàm alter. Denique quia ex illo fit fœtus, & nutritur in utero, & extra illum lacte ex illo facto in mammis alitur. Ex quo constat sola quantitate peccare. Vlteriùs quod venenosam qualitatem non participet, constat ex eo quod mulieres quibus per multum tempus sunt suppressæ vacuationes, non sunt venenosæ redditæ, neque in illis ullum symptoma illius experitur. Cum hoc tamen verum stat quod sanguis qui in utero servatur dum fœtus ibi existit, & tempore partûs propellitur, solet habere aliquam qualitatem præternaturam, quod ex eo est quia fœtus solùm attrahit ad sui nutritionem, sanguinem puriorem, & sic ex menstruo in uterum attracto fœtus attrahit puriorem & tenuiorem, & remanet id quod est crassum & terrestre, impurúmque.

Ex his deduco esse excrementum secundæ & tertiæ coctionis sanguinem menstruum, sicut semen, eò solùm quod redundet à nutritione jecoris, & reliquarum partium, quia superat à nutritione illarum; sed hoc ultimum verum mihi non videtur, eo quod id quod superat à nutritione aliarum partium jam non habet formam sanguinis, sed secundarum humiditatum, & sic si illud descenderet, sub illa forma deberet esse, quod non experimur. Quod autem solet objici de aliquibus effectibus sanguinis menstrui, ut exiccatio herbarum, & ortus prolis leprosæ, si accedat vir ad fœminam, tempore menstruæ vacuationis, nihil facit contra nos; nam primum est verum dum mulier non est sana; secundum est falsum, neque hujus est aliquod experimentum: Illud autem quod dicitur in sacris Literis peccatum esse accedere ad suam dum adest menstrua purgatio, non debet intelligi quia peccet qualitate, & proles fiat leprosa, sed quia dum mulier est in medio purgationis menstruæ, semen extinguitur, vel extra uterum rapitur, & hac ratione prohibitum est in sacris Literis. Illud autem quod dicitur de variolis & morbillis qui contrahuntur ex prima formatione facta ex sanguine menstruo, non est hujus loci disputare.

CAPUT III.

Quo tempore incipiant & desinant menstruæ purgationes.



Certum in hac re est non esse tempus determinatum eruptionis menstruorum in fœminis, sed pro diversa natura ante aut post fluere incipiunt, ità ut qui constant mollitie carnis, abundantia

abundantia sanguinia, & laxitate meatuum, habeant menstruam purgationem ante duodecimum annum; in aliis verò usque ad decimumquartum non incipit fluere; in aliis verò qui paucum generant sangoinem, præsertim si castæ sint, non incipiunt menstruæ dictæ purgationes usque ad decimumquintum. Qood autem utplurimum contingit est quod incipiant dum circa decimumquartum annum sunt fœminæ parum temporis ab hoc numero distantes, in quo tempore incipiunt elevari mammæ.

Quæret aliquia quænam sit causa ut à principio ortûs non sint dictæ evacuationes menstruæ in mulieribus.

Respondetur in doctrina distinguentium partes calidi innati à partibus humidi radicalia; quod usque ad principium adolescentiæ plurimus est calor nativus, & maxima evacuatio insensibilis; & sic non redundat sanguia qui possit fluere per uterum, cùm plurimum à calido innato sit resolutum. Posteà verò cùm incipiat calor remitti, redundar materia, & succedit menstrua purgatio. Alio modo possumus respondere dicendo, quod materia quæ debuit redundare consumitur in augmento, usque ad illud tempus, posteà verò minimè.

Denique neque est regula certa cessationis menstruorum; nam quibusdam cessat menstrua purgatio dum accedunt ad quadraginta annos, quibusdam verò dum accedunt ad quinquaginta, paucis verò dum ad sexaginta accedunt, quod evenit eò quod partes ficciores reddantur & frigidiores; sic enim generant paucum sanguinem, eò quod membra sint exiccata.

CAPUT IV.

An singulis mensibus fiat secundum naturam hæc evacuatio.

CONVENIUNT omnes Medici in eo quod evacuatio menstrua fiat singulis mensibus secundum naturam in fœminis bene valentibus, quod ipsa experientia testatur quotidie; dubium est cur prædicta evacuatio non fiat quotidie, ut de evacuatione reliquorum excrementorum experimur: séd in illa servatur talis ordo, ut singulis mensibua quasi per periodos & circuitus repetat. Quidam id reducunt ad solam causam finalem, idcóque affirmant quod si quotidie fieret talis evacustio, non appeteretur coitus, & sic cessaret finis generationis, ac proindè Natura provida ordinavit talem evacuationem singulis mensibus contingere.

Sed licèt in hac re plurimum valeat argumentum quod conficitur de finali causa, sicut & aliis, tamen oportet causam efficientem prædicti eventus inquirere: Et breviter dicimus ideò esse quia licèt quotidia paulatim prædictus sanguis congeratur, non tamen in qualibet quantitate est sufficiens, ut irritet ad expulsionem, & sic usquedum per spatium unius mensis jam est congesta quantitas sufficiens ad irritationem, non fit prædicta evacuatio, non aliter quàm in febribus intermittentibua contingit repetentia: nam licèt qualibet horâ congeratur in parte mittente humor, non tamen repetit qualibet horâ, sed in illa in qua jam congesta sufficiens quantitas quæ valeat irritare pro expulsione illius humoris, & disseminati per totum corpus.

Aristoteles affirmavit non esse parvi momenti Lunæ motum ad prædictas menstruas vacuationes, in decretione scilicet illius; quia tunc ob defectum lucis minor calor producitur eo tempore in aëre, & consequenter in corporibus fœminarum, & ità illius humoris credi est major copia: nam minùs absumitur ob frigiditatem quæ est in corporibus fœminarum, ac proindè tempore decrescentiæ, seu coitûs Lunæ (idest principij mensis, qui coitus Lunæ cum Sole vocatur ab Antiquis ob eorum conjunctionem) menstruæ purgationes solent fieri: cum hoc tamen bene stat posse fieri in plenilunio, eò quòd eo tempore crescat sanguis: Certum tamen in hac re est, non esse tempus determinatum in mense ad prædictam fluxionem, sed in aliquibus quandoque anticipatur, quandoque postponitur & in diversis, diversis diebus mensis fit evacuatio, eò quod diversis constent temperiebus, & viæ in omnibus non sint æquè expeditæ, ac proindè non est ratio quæ cogat naturam uno statuto tempore hanc evacuationem moliri: nam licèt verum sit naturam singulis mensibus in bene valentibus congerere certam sanguinis quantitatem & servare, tamen non est in omnibus eadem copia; neque æquale temperamentum, neque eadem expeditio viarum, ut dixi, & sic in omnibus non est in eodem tempore, licèt in omnibus fit singulis mensibus.

CAPUT V.

Quot diebus secundum naturam debeat durare purgatio menstrua.

VARIA circa præsentem disputationem fuerunt placita, ità ut Aristoteles existimet purgationem menstruam durare dum est secundum naturam per spatium trium dierum; sed cùm distinguat in tempore menstruæ purgationis principium, & medium, & finem, de aliquo ex his temporibus in quo majori impetu effluit sanguis, intelligi debet, ut in tempore medio.

Sed dices: videtur in tempore medio non effluere majori impetu; nam in principio fluit in majori copia: ergo si facultas sit fotiis, in majori quantitate erit expulsio in eo.

Respondetur ex parte illius quod fluit, & ipsius facultatis optimè probare argumentum; tamen quia in medio viæ sunt magis patentes, eo quod laxentur, & ora venarum aperiuntur à sanguine qui effluxit in principio, indè est in majori quantitate effluere in medio quàm in principio, propter lubricitatem viarum.

Sed ad rem nostram redeuntes; Vallesius affirmavit posse menstruam purgationem se extendi usque ad septem dies secundum naturam; quod colligit ex verbis Levitici 12. *capite*, ubi dicitur; *Mulier si concepto semine pepererit masculum*

immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ. Ex quo clarè colligitur ad septem dies se extendi posse omninò secundum naturam manente. Sed cùm Vallesius non legerit verba sequentia ipsius Levitici, ubi dicitur quòd *si fœminam pepererit immunda erit duabus hebdomadis, juxta ritum fluxus menstrui.* Ex quo clarè constat ad decimum quartum diem posse extendi menstruam purgationem naturalem; cùm hoc tamen benè stat quantitatem sanguinis non posse esse unam in omnibus, sed diversam, pro diversa earum natura, ratione cujus etiam numerus dierum sit major, vel minor.

CAPUT VI.

An conveniens fuerit menstruam evacuationem fieri per uterum.

SENTENTIA Averroïs asserentis fuisse convenientem menstruam vacuationem per uterum fieri, ratione finis; cùm enim dictum sit fœtum fieri ex sanguine menstruo, eóque nutriri, conveniens fuit per uterum evacuari qui locus generationis est, ut tempore fœtationis ibi detineatur, ut ex illo fiat & nutriatur fœtus; ita tamen est verum ut partes mittant sanguinem ad uterum, eò quod irritantur ab eo, non verò uterus attrahit ab omnibus partibus, ne alliceret ab eis illum qui fœminæ non esset necessarius; tempore verò quo fœtus est formatus, à fœtu ipsa fit attractio prædicti sanguinis.

Quæres quo ex dictis tribus modis effluat sanguis in evacuatione menstrua.

Respondetur fieri per apertionem osculorum venarum gracilium quæ in uterum terminantur, eò quod graventur à quantitate & laxentur ab humiditate sanguinis. Advertere tamen oportet duo esse genera vasorum in uterum desinentium, quædam in cavitate ipsius, & quædam in cervice uteri. Ex quibus per illa priora fœtus sumit alimentum, & per posteriora quandoque effluit sanguis tempore prægnationis. In fine tamen hujus capitis advertere oportet uterum consideratum in ordine ad speciem in quantum in illo fit conceptio fœtûs, posse pati tria genera actionis læsæ, ex quibus ablata, vocatur sterilitas, & diminuta, ut generatio inchoata, & tandem depravata, ut generatio monstruosa: tum etiam uterus potest considerari in ordine ad individuum, in quo casu etiam potest pati omnia genera morborum.



DISPUTATIO

DISPUTATIO APOLOGETICA DE SANGVINIS MISSIONE EX TALO.

CAPUT PRIMUM.

Vtrum materialibus marbis inchoantibus, aut partium superiorum, aut tatius, sit vena secanda ex talo.



NTIQUATAM illam opinionèm, quam Atabes machinatunt de sanguinia missione ex talo, omnibus materialibus morbis incipieotibus, etiam Horatius Augenius oostrn sæculn amplectitur, neenon mordicùs Argentetius, licèt cum pluribus limitationibus, & antiquiores ipso suffragantur mulri; novit eam Coroelius Celsus, sed oon placuit, ut constabit ex *lib.* 2. *suorum operum cap.* 10. Nnviter tamen Hispalenses Doctores intrepidè eandem opinionem stabilite conantur; adeò ut inconcussa illa doctuna de venæ sectinne in brachiia ex Priseorum monumentiș exhausta, quæ securissima fidncia à peritissimis, & cordatis Medicis exerecbatur, jam jam in execrabilem audaciam degenerat, vanam secandn in talo, ìn omoibus materialibus morbis; eo solum ducti fundamento, quia ad partea infernas ex superioribus membris detrudit humores: Et quidem hoc tantùm valuit apud plebeios, Barbitonsores, & imprndeorea, & maleficas obstetrices, ut talis sectæ sint præcones. Quorum sequaces sunt innumeri Chirurgi; Medicorum nomen, & munus arripere cupientes. Et quod derestabilins est, plores vulgares Medici haoc apocrifam, & temerariam opinionem insequuntur; nullà limitatione, non absque ægrotantium injutia, infanticidium etiam procurantes, quoties in gravidis veoam ex talo secare jubent, nullà attentâ circumstantiâ. Hinc ruralis vulgi voces, & ululatus io plausum hujus falsæ, & temerariæ assertionis, neenon etiam in contemptum venæ sectionis ex eubito, quæ fœlici pace jam metitò fruebatur, quam Doctores Hispalenses deturbare aggrediuntur. Quare omni passione penitùs destitutus in re ità gravi, quid seotiam, dicere non gravabor, in veritatis obsequium, & Christianæ nostræ Religionis cultum, Antiquorum saeraria devulveodo, necnon etiam litiginsas Controversias, quæ in hac re se offerant, dissolvendo, caliginosas ignorantiæ tenebras obumbrando, si non exactè, saltim pro viribus fideliter eliminando.

Ad arma ergo oos vocant Hispalensium Doctorum potissima fuodamenta ex Antiquorum monumentis deducta, quibus suadere conantur, partium superiorum morbis inchoantibus venam esse secandam in talo, & minin è in brachiia; veluti in capitis doloribus, phreneticis, lethargicis, apoplecticis, oculorum inflammationibus, & sic de omnibus capitalibus morbis; necnon etiam in morbis thoracis, & inflammationibus hepatis, & lienis, itémque in febribus, quæ sanguinis missionem exigunt, curationem incipiendam esse à venæ sectione ex talo.

Scrutemur igitur eorum fundamenta ex Gal. testimoniis deducta: Sit primum ex 5. *lib. method. cap.* 3. ubi sic fatur. *Revulsio verò, in his, quæ suprà sunt omnibus deorsùm semper agitur; sursum in iis, quæ sunt infra.* Ecce verba adducta planè demonstrare videntur, quod incipientibus morbis partium superiorum celebrati debeat semper venæ sectio ex inferioribus partibus, ex talo videlicet, simili modo, & eodem fundamento ac si inferiores partes fluxione, aut inflammatione aliqua tenentur, ex superioribus debet exerceri venæ sectio, ut revulsionis leges ritè serventur.

Validiùs in hujus opinionis Confirmationem adducitur authoritas ex eodem Gal. *lib.* 13. *meth. cap.* 5. perpendite verba. *Cogimur ergo aliis sanguinem mittere, idque aut venâ incisa: aut membris iis, quæ læsa non sunt scarificatis, manu enim laborante, scarificabis crura, altero crure malè habente, reliquum scarificabis.* Galenus igitur revulsionis modum præscribens, in fluxione partis superioris (manûs scilicet) ad crura jubet descendere; ut ruentes humores in partes superiores, deorsùm trahat, & inflammationis supernæ incrementum jure optimo inhibeat: Rationalis ergo Medicus, partium omnium superiorum fluxionibus inchoantibus vestigia, & præcepta Galeni sequendo, meritò venam ex talo secare jubet, ut veram, & legitimam revulsionem exerceat; quæ impetum humorum prorsùs ad infernas partes detrudat, & superiores liberet.

Fulcitur hæc assertio ex Græcorum Coryphæo *lib. de curand. ratione per sang. miss. cap.* 19. ubi posteritati sequentia verba commendavit. *Quibus autem eximiè pars quapiam (ubi priùs evacuati non fuerint) infestatur, haud æquè, liceat*

eadem celeritate, quâ sanguis extra movetur per scissuram, movetur etiam sursum per venam cavam, totus sangnis in ipsa inclusus: ergo dum emissio sanguinis duraverit magis, tantò major ipsius copia ad cerebrum convocatur, quàm illa, quæ per venæ sectionem extrahitur, quantò major sanguinis quantitas continetur in vena cava: igitur venæ sectio brachio in tali eventu potiùs erit valde nociva, cùm ad cerebrum potiùs conciter humores, & minimè ab ipso retrahat fluxionem.

Altiùs eandem partem corroborare intendit citatus Doctor: Etenim sanguis ille, qui in magna copia usque ad jugulum per venam cavam fluit delatus, & per scissuram non potuit vacuari, necesse est, quod in cerebrum tanquam in membrum debile irruat, naturâ ipsâ lacessitâ; siquidem per aliam exitum non habet; quippè non illicò, ac venæ incisæ clauditur foramen, impulsus, quo sanguis per cavam venam sursum movetur, cessat: ergo motus ille sursum durabit toto tempore, quo impulsus constiterit, ac per consequens humores illi supra commoti, cùm exitum non habeant, (nam supponimus jam esse clausum venæ foramen) neque ad aliam partem possint facile decumbere; veluti necessarium videtur, ad cerebrum irruere, tanquam partem debilem, & proximiorem, & facile recipientem, præsertim cùm non illicò iteramus venæ sectionem, sed frequenter in alterum diem, aut per plures horas differtur; quo fit, ut intermedio illo tempore, cerebrum impetentes humores, morbum adaugeant, ipsumque contumaciorem, & prorsùs indelebilem reddant: Ne igitur hæc accidant, satius erit, in his, & similibus occasionibus venam tali secare, quàm brachiorum venas incidere, ut, ex iodè fluxionem in cerebrum concitatam ad partes inferiores detrudamus.

Addamus insuper pro corroboratione hujus particularis opinionis, fundamenta abditiora, tum ex autoritatibus, tum etiam ex rationibus efficacioribus denuò machinatis: Sit primum testimonium, ex Arabum Principe Avicenna *lib. 3. fen 10. tract. 5. cap. de plevritide.* Verba perpendite. *Ex rebus communibus est phlebotomia, sed in principio ex latere diverso, & magis festina de sephena apposita in longitudine.* In cujus textus expositione tanti Principis, expositores majoris notæ eandem insequuntur opinionem. Videas obsecro Gentilem de Fulgin. & Jacobum de Partibus fidelissimos Interpretes, quos sequitur Gordonius *part. 3. c. 9.* ubi agens de curatione morbi lateralis, sic scripsit. *In Plevrisi igitur corpore pleno, & virtute forti, fiet primo phlebotomia secundum Avicennam de saphena ejusdem lateris, deindè si plenitudo adest, de basilica oppositi lateris, & tandem de basilica ejusdem lateris.* Quibus verbis manifestissimè constat apud omnes, qui Arabum doctrinam observant contra Græcorum placitum, inconcussum esse in morbis fluxionis, sive partium superiorum, sive aliarum partium, primò exercendam esse omnimodam revulsionem, venam secando in talo.

Suffragatur etiam Arabicæ opinioni doctissimos Trincavellus *lib. 2. practic. cap. de generali curatione morborum capitalium*, ubi sequentia notificavit verba. *Et siquidem velim ingenuè, ut sentio, rem explanare, mihi quidem videtur methodus hæc, quæ ab Arabibus nobis traditur, non esse absurda, sed plurimum etiam rationi consona.* Nec dissentit ab hac doctrina Galeni sectator Capivacius *lib. 2. de affectib. medii ventris*, imò ipsam quodammodò amplectitur, sic, *Quò magis enim à longinquis attrahes, tantò magis revelles; efficacior enim est revulsio, quæ fit à longinquioribus partibus, ideòque interdum sufficit removere sanguinis impetum per solam sectam saphenam.* Ecce Galeni fidelissimum sectatorem planè fateri interdum sectionem venæ in talo, sufficere solum ad inhibendam omninò fluxionem, removendo prorsùs sanguinis impetum: meritò ergo videtur celebranda nostro sæculo sectio saphenæ in omnibus morbis partium superiorum, necnon etiam in omnibus morbis fluxionis, celebrando meram, & omnimodam revulsionem, ut impetum humorum in partem contrariam avertamus, ut fuso sanguine ex parte contraria distantiori, conquiescant omninò. Tuetur etiam eandem sententiam Leonardus Jachinus acerrimus Galeni sectator, & defensor, & Arabicæ Familiæ hostis, *lib. sua praxis cap. 39.* Ubi propriam mentem propalat sic. *Quare ubi fluxio incipit, & valenter irruit, & multa est, tunc vera, & sola revulsione est utendum, quæ scilicet solum causam respicit, & quod futurum est, parum curans de jam facto morbo, quod exiguus sit, & facilè postea tollatur.* Nec minoris autoramenti est pro corroboratione hujus opinionis in Arabicæ Familiæ gloriam censura semper laudabilis Herculis de Saxonia, *part. 1. suarum prælection. c. 22.* de plevritide sermonem faciens, ubi posteros sic alloquitur. *Cum igitur hæc ità se habeant, summa cum ratione visi sunt Arabes, & qui eorum doctrinam sectantur, circà inflammationis initia uti revulsoria venæ sectione, aliquando ex pede, aliquando ex latere opposito.* Nihil clarius in favorem hujus assertionis potest adduci. Favet insuper huic sentiendi modo disertissimus, & nunquam satis laudatus Horatius Augenius *lib. 7. de sang. miss. cap. 11.* sic. *Ad hæc verò cerebrum apoplexiâ laborans, vel epilepsiâ, vel scotomiâ, revulsionem postulat in partibus maximè distantibus, ut in tibiis secta vena, sive præservare, sive curare voluerimus, modò ingens adfuerit in toto corpore plenitudo.* Quibus verbis manifestè constat, non solum præcautione morborum superiorum partium, verùm etiam in ipsorum curatione consulere omnimodam revulsionem, venam secando in talo, omninò oblitâ indicatione ejus, quod in parte affecta continetur. Undè non dubiè infertur, præferendam esse indicationem humoris fluentis, qui meram revulsionem exposcit, respectu illius, qui in affecta particula impactus est, qui evacuationem, & derivationem indicat.

Hæc est Barbaræ Familiæ communis opinio, quam *loco citato* Arabum Princeps Avicenna insinuavit, posset tamen ampliùs ab affecta particula recedere, venam in malleolo contrarii lateris primò secando, quia hæc distat per duos diametros, si majorem revulsionem præstare intenderet, forsan tamen eam omisit, rectitudinis gratiâ, & sic primò tibiam ejusdem lateris secare jubet. Hæc itaque praxis circa missionem sanguinis, Barbaræ Familiæ sectatores intendunt confirmare verbis Hippocratis *libell. de natur. hum. comm. 2. contextu 9.* ubi ità scripsit. *Curare oportet in sectionibus longissimè secare à locis,*

in

in quibus dolores fieri consuevêre, & sanguis colligi; ità enim minimè magna mutatio inopinatò fiet, & consuetudinem praeciderit, ne amplius eodem loco colligatur. Ex his constat ex Hippocratis mente, à quàm longissimis partibus vacuandum esse; ut fluentem humorem retrahamus, ad remotam magis partem, quò citiùs faciamus dissuescere, quò solebat ire, ac per consequens ex remotissimis partibus, semper vacuandum esse doces.

Ex Galeno etiam suam opinionem firmare intendunt 13. *method. cap.3. suprà cit. Altero, cruro laborante, scarificabis reliquum, altero brachiorum, crura.* Itaque à brachio ad crura, & à dextro ad sinistrum jubet sevellere; *Secundo* etiam *de art.curat. ad Glauc. c.2.* eandem methodum propalavit per illa verba satis trita. *Influentium igitur adhuc humorum retractio, eorum, qui jam partem obsedêre, derivatio, medela est.* Quibus pensitatis, & aliis à Galeno adductis Averroës irridet Galenum *lib. 7. cap. 29.* quòd aliud docuerit in sermonibus universalibus, & aliud opere exequatur. Caeterùm quidquid sis de hoc, *inferiùs* patebit; modò rationem perpendamus, quâ Barbari utuntur in validationem suae opinionis, nam ex proxima parte evacuare, pleno corpore, aut impetu fluxionis nondum sedato, non videtur posse periculo carere, quoniam humorum impetus excitatur, versus partem, quâ emittuntur: Igitur ab affecta fluxione parte evacuare, nihil aliud est, quàm juvare impetum versus partem, in quam spontè succi fluebant, praecipuè si humoribus redundantes fiot partes, quae immittunt. Videtur itaque consultius à contrariis maximè partibus evacuare, quo impetus, in contraria trahantur, & partes immittentes per praecautionem inaniantur, & fluxio omninò inhibeatur, secando venam in partibus inferioribus distantioribus, quoties fluxio superiora loca tentat.

Consonat adducto ratiocinio Hippocrates *6. lib. aphor. text.21.* ubi sic. *Insanientibus, si varices, seu hamorrhoides superveniant, insania solutio.* Quibus verbis maturè pensitatis, sic premo discursum in favorem Arabicae Familiae. Insania cerebri gravissimus morbus est, & insuper supponit causam in ipso impactam, quae sui ablationem indicat, & tamen solvitur talis morbus, sanguine crasso ad crura delato, aut ad partes inferiores distantiores, naturâ operante suâ peculiari providentiâ: Ergo Medicus, qui imitator naturae & fidelis minister est, cordatè operabitur, & juxta Hippocratis sanctiones, si in partium superiorum morbis, jubeat venam tali secare, adhuc praesente indicatione illius, quod impactum est in affecta particula, quod non dubiè desivationem, & evacuationem exposcit: Praeferenda ergo est mera revulsio, & exercenda venae sectio in malleolis in morbis partium superiorum, ut egregiè sanguinis ad crura advocatio consequatur, quandoquidem nullo alio auxilio, meliùs, & securiùs id fieri potest.

Corroboratur ulteriùs Arabum opinio; nam in principio cujuslibet morbi materia, quae ad partem laesam, & vicinas venas confluxit, adeò exigua est, ut si non continuaretur fluxio, nec nova suppeditaretur materia, morbus non increscerer sine dubio: solum ergo periculum immineret ex novo humoris accessu; sed talis sola mera revulsione ad distantiores partes praestatur, sanguine misso ex talo: ergo haec debet praeferri, ut humoris influxus omninò cohibeatur, posthabitâ indicatione humoris, qui jam fluxit, quippe urgentior censetur indicatio humoris, qui influit, à quo majus periculum impendet.

Confirmatur altiùs adhuc in morbis aliatum partium incipientibus: etenim inflammato utero in principio, gratiâ revellendi, sanguinem mittimus ex brachio, ita Galenus *2. ad Glauc. cap.2.* tum sic: Sed non minor est distantia venarum, & partium à venis uteri ad basilicam venam, quàm à thorace, ad venas tali: ergo sicuti in principio inflammationis uteri revulsionem per distantissimam partem in brachio admittimus, ità in pleuritide cum Avicenna meritò debemus secare venam tali, in ipsius principio, meram revulsionem exercendo ad partes distantiores; io qua evacuatione eadem censeri debet distantia, sicus in illâ, quae celebratur in brachio, utero in principio inflammato, ac per consequens, eo prorsus modo, & ratione, quâ in affectibus inferiorum partium per brachia revellimus, & quod jam fluxit, & impactum est in affecta particula, pro tunc omninò despicimus, vel differimus, derivatione posteà tollendum, per venas crurum; ità in affectibus partium superiorum initiantibus per talum revulsionem facere tenemur, quamvis illius, quod ad particulam laesam jam influxit, pro aliquo tempore venae sectionis providentia non adsit.

CAPUT II.

De sanguinis missione ex talo in febribus.

Usque adduximus fundamenta, quae probare videntur in morbis partium superiorum incipientibus, necnon etiam in aliis morbis fluxionis venam esse secandam in cruribus. Novo tamen, & peculiari scrutinio eget doctrina, quam addncit Hispalensis praecipuus Doctor Ludovicus Perez Ramirez, circa sanguinis missionem ex talo exercendam in omnibus morbis materialibus totius, & praecipuè in febribus venae sectionem indicantibus, in quibus omnibus citatus Doctor acerrimè tenet curationem inchoari debere in cruribus feriendo venam: Censet enim, & stabilire conatur tanquam certum, naturam peculiari providentiâ pravos humores, & deteriorem sanguinis partem ad inferiores venas depellere, quae per meseraeon desivantur, & mesaraicas communiter vocamus, per quas materia chylosa defertur ad jecur, quod ad praedictas venas sanguinem impurum, & magis foeculentum transmittit, tanquam in partes magis ignobiles, & minùs principali muneri deservientes; quo fit, ut cùm sanguis ille impurus, & foeculentus sit aptior, & valde paratus ad putredinem; omnes morbos partium superiorum, & inferiorum ab illo fermentari, & oriri pro certo habet, & praecipuè febres putridas intermittentes, ut iste Fernelius insinuavit *lib. 4. patholog. cap. 10.* per haec verba. *Omnium propria sedes & origo in prima est corporis regione circum praecordia, circum ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum*

ementium aut mesenterium. Hæ si quidem partes sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit, cumulaturque humorum colluvies, &c. Item etiam febres continuas, & ardentes; quapropter ne tales humores pravi, & fœculenti ad venas superiores deducantur, secando venas brachiorum, & ne tota massa sanguinaria coinquinetur, utilius, & necessarium judicat, potiùs feriendas esse venas in talo, quàm ad secandas brachiorum venas accedamus, quod in omni morbo, cujus causâ in genere venoso continetur observandum esse acriter defendit citatus Doctor, solo præfato ductus fundamento, quem sequitur Doctor Caldera *infrà* citandus.

Cæterùm si veritati stemus, & Antiquorum doctrinam sequamur, in pluribus claudicat hæc assertio. Primò quia in venis mesaraïcis, (seclusâ qualibet morbosâ dispositione) stabulatur chylus concoctus & depuratus, ut ad hepar accedat, & in suas venas ingrediatur, in quibus ampliùs alteratur, & concoquitur, & in formam perfectiorem sanguinis transmutatur; Porrò si chylosa illa materia in mesaraïcis contenta, fœculenta, & pravæ conditionis esset, hujusmodi partes, & vasa, non essent in statu salubri, & naturali, sed potiùs in præternaturali, & morboso, in quo dubitari nequit, quod ab illis pravis succis, seu materia chylosa fœculenta communicetur partibus superioribus, putredinalis illa dispositio, quæ totam massam sanguinariam valeat coinquinare, & hac ratione nihil particulare continet, hæc opinio, quandoquidem semper, & in qualibet parte, seu in quibusvis vasis sit materia prava, & fœculenta, sine dubio serpet, & coinquinabit omnes humores proximos, & sic per continui alterationem vitiabitur tota massa sanguinaria; in quo eventu venæ sectio in talo, minimè habet specialem prærogativam. Insuper etiam invenis mesaraïcis adest sanguinis portio ab hepate transmissa pro nutritione talium partium, necnon etiam lienis, intestinorum; & ventriculi, disposita, & præparata, talis autem sanguis nec fœculentus est, neque excrementitius, sed purus, & perfectus qualis ab hepate in naturali statu generatur, ut alimoniam idoneam præstet omnibus partibus, & hac ratione dicitur membrum princeps. Ex quo clarissimè constat vasa mesaraïca non esse receptacula pravorum succorum, & excrementorum, si in statu naturali considerentur, & per consequens ex hac parte ruit fundamentum Doctoris citati.

Insuper etiam contra ipsum insurgo, quia si in mesaraicis venis, semper, & in statu naturali humores pravi & excrementitii stabularentur, chylosam substantiam; quæ in transitu ad hepar cum ipsis permiscetur necessariò, non dubiè inficerent, ipsam alterando, & coinquinando in ipso transitu, quo fit, ut semper in jecore vitiosa evaderet sanguificatio, æquè ac si pravi illi succi in jecur transmitterentur; in quo eventu vitium primæ regionis minimè potest emendari in secunda, ut inconcussè omnes Medici proclamant, cum Gal. 5. *de sanit. tuend. cap. ult.* Unde etiam infertur clarissimè (admisso fallaci hujus Doctoris fundamento) quod si humores illi fœculenti in venis mesaræi semper, & continuò stabulantur, jecur ab ipsis continuò pravè alteraretur, eùm contineatur intra suam activitatis sphæram, ac proinde vitiabitur ipsius sanguificatio continuò, & necessariò per illam excrementorum colluviem ibi aggregatam.

Neque capere quispiam cordatæ mentis poterit, considerarâ totâ meseræi regione in statu naturali, in tono illo, & proportione debita omnium qualitatum, quod possint fœculenti, & pravi humores ibi generari: quandoquidem à præternaturali, & prava dispositione in cujusvis corporis membro, creari necessum, si Philosophis fidem præstemus, prædicantibus unanimi cõsensu, effectus præternaturales causam præternaturalem necessariò redolere: non ergo in statu naturali hujusmodi humores excrementitii in mesaraïcis venis semper generãtur, sed forsan interdum, quemadmodum in aliis membris fieri cõtingit, quoties adquirunt pravam, & præternaturalem temperiem, à qua tales pravi succi procreantur, ut sæpesæpiùs accidit in hypochondriaca affectione, reassatis humoribus, & cruditatibus, media obstructione detentis à calore præternaturali: alienum ergò à ratione est fateri, in statu naturali pravos humores generari in venis mesaraïcis in totius corporis sensibile nocumentum; quandoquidem temperies naturalis omnibus membris inest pro generatione humorum naturalium, & custodia sanitatis.

Fateri tamen libentissimè cogor sæpesæpiùs naturam lacessitam & irritatam pravos humores ad meseræi venas detrudere, & ibi detentos, diùque persistentes varias ægritudines, & affectiones toti corpori communicari, sic febres intermittentes generari cum Fernelio libenter fatemur, necnon etiam ardentes febres cum Galeno 1. *epid. comm.* 2. *text.* 10. item etiam insaniam, & hypochondriacam passionem, & innumeros capitales morbos per consensum talium partium inferiorum; quæ sæpè sola hæmorrhoidalium venarum eruptione penitùs delitescunt, ut 6. *aphor. suprà cit.* notificavit Hippocrates. Hoc autẽ perpetuum esse, firmiter negamus, & quod de omnium morborum origine intelligatur, omni probabilitate penitùs caret, quandoquidem in ipsis hypochondriis, & ubi situantur mesaraicæ venæ in statu naturali, nulla appareant signa, nec talium morborum, neque pravorum succorum demonstrantia; aliter enim si morbosus apparatus in ipsis lateret, necessariò deberet manifestari, ex his, quæ Galenus mirificè insinuat 3. *de loc. affect. cap.* 3. ubi asserit, quod ut affectus præternaturalis, aut ipsius causa, & locus in quo residet, exquisitè, & artificialiter dignoscantur; primùm ex actione præcipua deprehendi debet: si autem præternaturalis fuerit affectio, an sit idiopathicus, an sympathicus examinandum: Insuper etiam ab excretis exeuntibus colligitur, in quo loco resideat morbifica causa: item ex accidentibus à parte affecta necessariò suborsis, necnõ etiã ab ipsius partis situ, & denique à naturali ipsius partis formatione, seu figuratione planè deprehenditur. Ex his infertur, quòd si meseræon fœculentis, & pravis humoribus repleatur, ibique putrefactis, varios morbos pepererint; sine dubio ex notis à Galeno propositis; mesaraicas venas sic affici dignosceremus: Cæterùm si enumerata signa locum patientem demonstrantia penitùs lateant, minimè talem vitiosam constitutionem, nec dispositionem pravam cordatus Medicus poterit percallere. Cùm ergo à posteriori nullum appareat vestigium præternaturalis dispositionis in meseræi venis, fideliter

fideliter censendum erit, chimæricam esse hanc opinionem, & frivolum omninò hoc peculiare dictamen noviter machinatum à Doctore citato, ut suam fictitiam, & chimæricam doctrinam, pluribus calumniis plenam possit stabilire. Unde ex dictis optimè colligitur imprudenter omnium morborum originem in venis meseraici collocari, ac proindè si interdum in venis dictis clauditur ægritudinis alicujus causa, peculiares notas per accidentia demonstratur: ad libitum ergo statuitur ab illa parte morbos omnes originari; cùm tale arcanum latuit totam Procerum antiquitatem, ex qua tanquam ex limpidissimo fonte veritatem Medici omnes exhauriunt.

Altiùs confirmatur assumptum; nam licèt in primis venis, seu meseraici vasis, sanguis purissimus, & minimè excrementitius contineretur, tota massa sanguinaria poterit vitiari, & putrefieri, adstante plenitudine nimia in vasis majoribus, & ob hanc rationem impeditâ ventilatione, subortâ putredine, quæ passim fieri solet per majorem sanguinis copiam, quæ ibi solet abundare, potiùs quàm in vasis primæ regionis: quo admisso tanquam certo, deducitur manifestè, quod independenter à contagio primæ regionis, poterunt creari, & excitari febres putridæ, & ardentes, & gravissimi morbi materiales: non ergo in curatione regular. omnium febrium venæ sectionem indicantium, & aliorum morborum principio ad primæ regionis venas curatio dirigi debet, venam secando in talo; nisi forsan in ipsis sit origo fluxionis, & pravum atque excrementitium humorem abundare, certis notis fuerit deprehensum; aliter enim si in totius corporis partibus flava bilis abundaverit, seu dominetur, tertianas febres excitari certum est in Galeni doctrina *super primum lib. de vulgar. morb. text.* 20. & pluribus aliis in locis, quos longum esset recensere, & fastidiosum satis: igitur in cura regulari in talium morborum, & febrium principio, minimè tenemur semper, & præcipuè venis meseraici, seu primæ regionis providere, conando radicem morborum omnium ex illo loco evellere. Unde licèt venæ meseraici illa nobilitate non gaudeant, quâ superiores partes ornantur, quia tamen non ità assiduè plenitudine sanguinis infestantur, putredo faciliùs inducitur in partibus superioribus inter inguina, & alas locatis, ut apertè Galenus notavit 11. *meth. cap.*4. ac proindè in ipsis febres tertianæ putridæ, & ardentes sæpiùs generantur, independenter ab illis succis pravis, & excrementitiis, quos citatus Doctor credit semper in meseraici venis chimæricè contineri.

Porrò si forsitan inani, & chimærico Doctoris citati fundamento aliquis non cordatæ mentis velit assentiri, censendo, quod morbo quolibet incipiente, sive febrili, sive non febrili in venis meseraici, crudi humoris, aut fœculenti copia sanguinis sit acervata, pro cujus extractione illico à principio sit necessaria venæ sectio ex talo, quâ mediâ utiliùs prædicti humores evacuantur, & ad infernas partes revelluntur à partibus nobilibus; aliter autem si in brachiis vena secaretur, pravus ille succus ad venam cavam deductus utiliori sanguini permixtus ipsum inficeret, & coinquinaret, forsan malignitatem, seu pravam corruptionem inducendo; & ob hanc causam à principio in omnibus morbis materialibus incipientibus utiliorem, & securiorem esse venæ sectionem in talo, ut latè Doctor Gaspar Caldera de Heredia probare intendit *tomo suo Tribunal Medicum* appellatum, *quæstion. unica, fol.* 268. *conclusione* 2. *&* 3. eodem ductus fundamento *superiùs* adducto. Propterea ergo efficaciter insurgo contra Hispalenses Doctores citatos. Etenim tantum abest, ut in proposito casu, in quo fœdi, & crudi humores in venis meseraici stabulentur, vulnerari debeant venæ in malleolis; ut potiùs reprobari consultiùs sit absolutè venæ sectionem; quippè præceptum est inviolabile, & in Medicinæ sacrariis jam diù sancitum, necnon aureis laminis acutissimo acu delinearum; fœdis, & crudis humoribus in venis primæ regionis existentibus, minimè secandam esse venam, neque in brachio, neque in talo, usque dum tales humores deponantur per intestina, aut clysteribus, aut lenitivis pharmacis, si cruditas insit ità levis, quæ clysteribus cedat. Perpendite obsecro Galenum *lib. art. medicin. cap.*99. sic fantem, *Promptiùs enim evacuantur per ventrem quidem, quæcumque in primis venis continentur superfluitates.* Nihil clarius; & cùm hucusque nullus, feriendo talum, primæ regionis excrementa, & fœculentos humores evacuare tentaverit; infertur legitimè, vanum omninò esse, sanguinem ex talo mittere in omnibus morbis materialibus incipientibus, præcipuè febrilibus, in quibus cruditates, & fœculenti humores in prima regione, sive meseraici venis continentur. Et quidem hæc inconcussa doctrina altiorem considerationem habet, si sanguinis probi in corpore exigua sit copia. Audi obsecro Galenum *in lib. Hippocratis de humoribus comm.* 2. sic. *Cùm enim in corpore sanguinis probi exigua sit copia, & crudi humores sint admodum multi, tunc nec venam secare, neque purgare, neque exercere hominem oportet; imò verò neque movere penitùs, neque lavare convenit.* Prosequitur rationem reddens ad nostrum intentum. *Siquidem venæ sectiones probum sanguinem evacuant, & pravum, qui in primis potissimùm venis, quæ in jecore, & lactibus sunt, colligitur, in totum corpus attrahunt.* En quomodò planè Galen. negat venæ sectionem ubi in primis venis cruditates continentur, eâ ratione solâ ductus, quod per venæ sectionem cruditates, & fœculenti succi in totum corpus disseminantur, & attrahantur; quod verum tenet, sive vulnerentur venæ tali, sive brachiorum: amethodum ergo erit in adducto casu sanguinem mittere.

Cæterùm quia expurgare etiam præsenti cruditate in primis venis, perpetuum non est, neque omninò securum, iterum redeamus ad Galeni testimonium citatum: sic prosequitur. *Purgatio verò in his & tormina, & morsus creat, itémque animi defectiones; adde quod neque quidquam notabile educit, quod crudi omnes humores pigri ad motum inepti, propter crassitudinem, frigiditatémque sint, omnésque vias angustas obstruant, per quas id, quod purgando evacuatur, comportari ad ventrem oporteat; ex quo fit ut neque ipsi educantur, & alios, ne evacuentur, impediant.* Et concludit Græcorũ Coryphæus nobis demonstrans, quod in tali eventu operandum sit, (prosequitur litteralis textus) *Quocirca ità affectis, esculenta, poculenta, ac medicamenta danda sunt, quæ sine insigni caliditate crassitudinem humorum incidant,*

incidant, *extenuent*, *atque conficiant*. Hucusque Galenus: libuit tamen omnia verba licèt prolixa transcribere, quia locupletissimam doctrinam continent, ut cordatus Medicus minimè audeat, eo ipso quod cruditates, & humorum colluvies in prima regione continentur, expurgationem imperare, nec lenitivam si ingenti cacochymiâ ægrotans prematur, ubi probi sanguinis exigua est copia, propter rationes, quas adducit clarissimè *in textu allegato*.

Ad nostrum intentum iterum Galenus clamat *lib. de constit. art. med. cap.* 19. per sequentia verba: *Ubi autem flavæ, vel atræ bilis succus vel serosus humor adcreverint, opus quidem est evacuatione, non tamen eodem modo, etenim si ea excrementa in primis venis contineantur, purganda sunt iis, quæ alvum cieant.* Hoc & aliis testimoniis Galeni docti Classici Autores, minimè per talum, primæ regionis expurgant excrementa, sed per lenientia auxilia expurgantia.

Neque valet si Respondeas, cum aliquo ex Doctoribus Hispalensibus citatis, lenitiva medicamenta sanguinem fœculentum non evacuare; nam licèt id libenter fateamur: quia in physico rigore sanguis ut sanguis est, evacuationem per lenientia non exposcit, tamen non ex eo convincitur, lenitiva non convenire, quoties sanguis fœculentus, & excrementitius in primis venis continetur: etenim expurgantia lenitiva, sanguinem ipsum ab excrementis, à quibus fœdatum, & fœculentum erat, expurgant, quod sanguinis missione præstari nequit: rigoroso ergo sermone, excrementa non purgantur; sed sanguis, qui intùs remanet, repurgatus evadit à fœculentis humoribus, & excrementis per pharmaca lenitiva, ac proindè licèt medicamentum lenitivum sanguinem fœculentum non evacuet, quatenùs sanguis est, ipsum tamen ab excrementis, quibus fœdabatur expurgat, & sic mundus redditur, & aptior, ut à natura retineatur; rationali ergo methodo operantes in addicto casu, minimè debet vulnerare venas tali, sed potiùs uti leniente pharmaco, ne cruditatum colluvies, & fœculenti humores deducantur ad jecoris venas, ipsásque inficiant, & consequenter totam massam sanguinariam. Unde satis liquidum manet fundamentum Hispalensium Doctorum ex doctrina Fernelii mendicatum, quod in universalium morborum, præcipuè febrium principio, à sanguinis missione per talum, sit inchoanda, prorsùs esse improbabile, & à doctrina Classica alienum. Venerandum igitur est præceptum in Medicina, jam diù sancitum, fœdis humoribus in primæ regionis venis existentibus, sanguinem non extrahendum esse, usque dum fuerint depositi, ne ad principaliores, & superiores venas, incautè rapiantur.

Reformidat citatus Doctor venam sectam in brachio, quia per ipsam talis succus crudus, & fœculentus ad venam cavam deducitur, & convocatur; sed idem sequitur inconveniens, secando venam tali: ergo pariter fugienda in casibus adductis, ac si in brachio secaretur. Minor in qua est difficultas suadetur efficaciter: quia est impossibile, humorem, qui in venis primæ regionis continetur ad talum deferri, quin priùs ad truncum maximum venæ cavæ deferatur: ergo vulneratâ venâ in talo, ut per illam partem vacuetur humor ex primis venis, necessariò ad secundam regionem debet comportari; incidit ergo in foveam, quam vitare intendebat per sectionem venarum in talo, quippè nulla via à primis venis ad talum hucusque assignatur ab Anatomicis præter dictam: ergo per ipsam sine dubio ducerentur humores ad secundam regionem, & sanguinem qui in venæ cavæ principio continetur pro totius corporis alimonia, inficient, contra Galeni documentum, 4. *de sanit tuend. c.* 5. ubi de primæ regionis cruditatibus sermonem faciens, venæ sectionem omninò interdicit, per sequentia verba. *Quippe incisâ venâ bonum sanguinem emittit, malum, qui in primis maximè venis circa jecur, & quod mesentereum vocant, colligitur, in totum trahit corpus.* Ex his planè deducitur, quod majus incommodum sequitur, si ad cavam hepatis venam deducantur cruditates, & fæculenti succi in venis meseraici stabulantes, quàm si in priori loco, ubi residebant, hoc est in prima regione, absque Medici auxilio, aut providentia permansissent: meritò igitur, verebitur quisquam crudos, & fæculentos succos ad hepatis venas convocare, ut indè forsan obstructiones novas creent, sive adaugeant suo lentore, necnon etiam interdum ad pulmones, & cor deferantur, & aliquando in cerebrum subeant, ut Gal. 12 *meth. c.* 5. prædicavit.

Hucusque satis impugnatum manet fundamentum Hispalensium Doctorum ex Fernelii doctrina machinatum, circa sanguinis missionem ex talo in febribus, & aliis morbis materialibus. Attamen aliâ viâ poterit aliquis insistere, & prædictâ doctrinam invadere siquidem in principio febrium vulneratâ venâ in talo, humores deorsùm trahuntur & revelluntur a partibus principalioribus; & forsan impeditur in ipsis motus inopinatus, qui interdum in dictis febribus accidit ad partes nobilissimas, qui nullo alio auxilio meliùs impediri potest, & faciliùs, quàm venam secando in talo, per quam nullum imminuet periculum, imò potiùs commodum sequitur; quippè ex distantissimis partibus facta revulsione, iterum ad ipsas impetus humorum difficiliùs redditur, & insuper non minùs per sectionem venarum, quæ sunt in talo, minuitur plenitudo, quàm per eas, quæ in cubito aperiuntur: ergo saltim ex hac parte æquè deponimus sanguinem, & demimus causam materialem febris, qualibet ex dictis venis, sectâ: ergo initio febrium putridarum solius multitudinis ratione, meritò imperabitur venæ sectio ex talo, & ut aliàs impediatur rapidus motus, qui forsan fieri potest in partes nobiliores; sit in potiori ratione compstat venæ sectio ex talo in ipsarum principio, quàm ex cubito.

Ulteriùs suadetur eadem assertio, fundamento desumpto ex Galeno, 9 *lib. meth. cap.* 5. ubi ex professo loquitur de febribus synochalibus, seu continentibus, & de auxiliis, quibus medentur, & inter alia sequentia protulit verba. *Itaque si tempore mittendi sanguinem, menses moveri contigerit, sive etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu, ipse satis fore videbitur, qui solus quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minùs tantum ipse detrahes, quantum ex conjunctis ambobus perficiatur, quod postulas.* Hæc Galenus. Ex quo fidelissimo testimonio planè constat, sola depositione sanguinis per venas inferiores febres synochales mederi, nullâ aliâ factâ vacuatione per superiores venas: Si ergo natura suâ providentiâ utitur vacuatione sanguinis per partes distantiores in febribus continentibus, quæ sæpè sola sufficit pro

ipsarum medela; meritò rationalis Medicus qui minister, & imitator naturæ est, poterit exercere hujusmodi munus, vulnerando venas in pede in curatione febrium putridarum, aut cujusvis alterius morbi materialis, non solùm in principio, verùm etiam quolibet tempore, & occasione, quo adsit indicatio mittendi sanguinem, dummodò in primæ regionis venis causa morbifica *suprà* assignata non asservetur. Cæterùm quod pariter per inferiores, ac superiores venas plenitudo deponatur, notificavit Galen. 5. *de sanit. tuend. cap.* 11 per sequentia verba. *Vbi verò sanguinis redundantia gravat, dictum puto suprà est, optimum esse vel venam incidere, vel malleolum scarificare:* Meritò ergo febribus putridis inchoantibus, quæ venæ sectionem indicant, secabimus venam in talo, cùm per ipsam deponatur æquè plenitudo, ac si brachiorum venas tundamus.

A simili etiam de febribus malignis premitur assumptum: nam in illis, & pestilentibus febribus, sanguis utilissimè funditur ex talo; ità Galenus in peste Asiæ scarificavit crura, & sanguinem usque ad duas heminas fluere permisit. Ex Modernis Autoribus ferè omnes, in malignis & pestilentibus febribus eandem amplectuntur opinionem: vide Herculem de Saxonia *lib. de feb. cap.* 28. Videas etiam obsecro Zacutum Lusitan. *lib.* 4. *de Principum Medicor. Historiis, Histor.* 47. *quæst.* 43. *in expositione super historiam Galeni lib. de cucurbitularum scarificatione cap.* 20. *in peste Asia citata*, ubi postquam docet in pestilentibus febribus venæ sectionem convenire; dum inquirit ex qua parte debeat celebrari hujusmodi auxilium, concludit sic. *Dic, quod si universum corpus occupat affectus, nullámque natura, ad partem determinatam tentaverit vacuationem, morbúsque sit in initio, tunc citra dubium ferienda in talo est vena; nam revellit, evacuat, & ad ignobiles partes humorem malignum attrahit.* Miror tamen eximium, & adeò generosum Præceptorem nostrum Galenum venæ sectionis non meminisse adstante sanguinis plenitudine, & solùm commendasse crutis scarificationem in morbo magno, & acuto; qualis febris pestilens est, quæ generosum, & magnum auxilium exposcit, ut sanguine extracto per venas majores plenitudinem citissimè deponat; quippè quæ celeriter fiunt, celeriter peragere oportet, dictante Hippocrate 1. *acut. text.* 8. Porrò in hac hæsitatione pro Galeno Respondendum est, forsan commendasse scarificationem in constitutione illa pestilenti Asiæ, quia cæteris paribus minùs enervat vires, quàm venæ sectio, utpotè sectis amplioribus vasis, major spirituum copia exhauritur, quàm si capillares venæ incidantur; præterquam quod copiosum sanguinem permisit fundere, & cum minori dispendio spirituum, quos in peste custodire oportet, ne vires summoperè labascant; undè tutiùs judicavit scarificationem moliri, quandoquidem per ipsa plenitudo sufficienter deponebatur, dum cruor usque ad duas heminas fluere præcepit.

Suffragatur etiam Mercatus *lib.* 7. *de putridis febribus*, sermonem instituens de maligna febre, in qua venam tali secandam esse, pro ipsius medela expressè fatetur. Fracastorius etiam utitur eandem opinionem, *lib.* 5. *de febribus contagiosis cap.* 5. ubi in his febribus tutiùs esse existimat, & securiùs secari venam tali, aut hæmorrhoïdea aperire: Hoc ipsum amplectitur doctissimus Oribasius *lib.* 7. *cap.* 20. & alii quamplurimi Autores, quos fastidiosum esset recensere. His itaque suppositis à simili, sic potest formari ratio pro validatione assumpti propositi: Etenim in febribus malignis, & pestilentibus, jure optimo, & fundamento probabili venam tali secare jubent Doctores citati, quæ non solùm plenitudinem deponit, & pravos humores evacuat, verùm etiam ipsos revellit, & avertit à corde, & partibus nobilioribus; sed eadem indicatio instat in febribus putridis, in quibus non solùm plenitudinem vacuamus, & antecedentem materiam deponimus, verùm etiam inopinatos motus qui mortem sæpè inferunt per decubitum ad partes principes inhibemus, venam feriendo in talo: ergo quemadmodum in malignis, & pestilentibus febribus convenit secare in malleolis venam, sic etiam eodem jure in omnibus febribus putridis absque ulla calumnia idem debet exerceri.

Addita hæc nova fundamenta pro validatione sectionis venæ in talo in febribus putridis, nullius sunt roboris, etenim per venas inferiores non æquè deponitur plenitudo, ac per superiores, cùm certum sit inter inguina, & alas, seu intra majora vasa contineri causam materialem febris, quæ citiùs, & meliùs vacuatur secando brachiorum venas; necnon etiam uberior fit ventilatio in ipsis, & refrigeratio, & cohibitio putredinis consequitur, quàm si secaremus tali venas, in quibus non ità fervidus existit sanguis, nec ità copiosus, cùm partes inferiores exangues sint, & ipsarum vasa valde exigua, quo fit ut ipsis vulneratis juvamentum tardiùs consequatur; undè licèt per ipsas plenitudo auferatur, non tamen celeritate, & securitate, quam exposcit febrilis ardor, & putredo, quæ præcipuè in dictis febribus in vasis majoribus stabulatur.

Neque ob inopinatum motum, qui casualiter in dictis febribus ad partes nobiles, & superiores fit, debemus secare venas in malleolis, quippè talis motus est valde casualis, & omninò incertus, ideóque minimè debet præcaveri, nisi in illis febribus acutis, in quibus habemus firmum indicium & fundamentum raptûs humorum ad caput; tum ex urinis, tum etiam ex vehementi capitis dolore, & aliis signis, quæ frequenter solent præcedere; in quo eventu libenter fateor convenire sectionem venarum in talo, præcautionis gratiâ, ut raptum ad partes nobiles, & superiores inhibeamus, & ad contrarias, & longinquas partes humores depellamus. Aliter enim satiùs erit brachiorum venas aperire, ut sanguinis fervorem extinguamus, & febrem citiùs jugulemus.

Testimonium verò Galeni *ex* 9. *meth. cap.* 5. *cit.* nihil probat: nam quoties Natura provida tentat aliquam evacuationem inferiorem, qualis est menstrualis, aut hæmorrhoïdalis, ipsius providentiæ stare debemus, minimè tentantes evacuationem ex venis superioribus, quæ Naturæ motum impedire valeant: quandoquidem ipsa sagacissima Natura invenit locum ad deponendam plenitudinem convenientem; si ergo talis evacuatio satis fore videantur, ut causam morbificam deponat; jure optimo consulit Galenus non esse tentandam aliam evacuationem; verumtamen si rationaliter Medicus judicet non sufficere, debet sine dubio per artificiosam vacuationem supplere

supplere defectum naturæ ; venam tundendo in talo, ut jubet naturæ motus, per regionem ab ipsa inchoatus, & minimè per oppositam regionem impedientem naturæ impetum, ab ejus mira providentia machinatum : undè planè infertur adductum testimonium minimè convincere Adversariorum assumptum.

Neque argumentum à simili desumptum ex febribus malignis, & pestilentibus, alicujus roboris est ; quippè in malignis febribus non omnes Autores jubent secare venam in talo, & nos sæpè in ipsis venas brachiorum secavimus felicissimè, nisi alicujus raptus in cor, aut in caput sit suspicio ; in pestilentibus autem constitutionibus militat ratio illa communis avertendi, & ravellendi pestiferam materiam à visceribus, & partibus nobilibus ad membra ignobilia & cutanea ; quapropter Galenus imperavit scarificationem in cruribus *loco citato*, ubi rationem reddidimus pro Galeno. Neque in pestilenti qualibet constitutione renuam concedere utilitatem sectionis venarum in malleolis, quandoquidem malignitas, & contagium valde urget, & infestat eor ut humores infectos ab ipso prorsus revellamus ; hæc autem ratio æquè non militat in febribus omnibus putridis, quandoquidem putredo præcipuè in vasis majoribus continetur, quæ sunt inter inguina, & alas, & sanguinis fervidi ibi major copia stabulatur, quæ meliùs, & citiùs per brachiorum venas deponitur, & hac ratione citiùs extinguitur ardor, & putredo evanescit, à qua febrilis calor fovetur : non ergo argumentum à simili convincit, nec premere nos potest, ut noviter machinatæ assertioni fidem ratam præstemus, quandoquidem ab Antiquorum fonte contrarium didicimus.

Inconcussum ergo manet ex impugnatione principalis fundamenti, quod ex Fernelio Doctores Hispalenses mendicârunt, necnon etiam ex rationibus à nobis denuò machinatis in favorem novæ assertionis, minimè in febribus omnibus, quas putridus concitat humor, esse secandam venam in talo, sed potiùs in brachiis, ubi præcipua febris causa materialis recluditur.

CAPUT III.

Exponitur doctrina Doctoris Calderæ.

NEC silebo aliud peculiare fundamentum, quo movetur Doctor Gaspar Caldera *in suo Tribunal. Medic. suprà citato fol.* 262. & 263. ut firmiter tenet cum Fernelio, & sua caterva Hispalensium Doctorum, in putridis febribus, necnon etiam in principio morborum omnium materialium, feriendam esse venam in malleolis ; sic loquitur citatus Doctor. [Non ob illam rationem tantùm) adductam scilicet à Fernelio, & ejus sequacibus de fœdatione succorum in venis meseræi) sed ex alia observatione nostri sæculi propria, in hanc veni sententiam (intellige de venæ sectione in talo in dictis morbis) quam confirmavit illa Gallica lues, longè latéque dispersa in omni sexu, & in omni ætate, cujus indicibilis apparatus vergit ad melancholicum, non simpliciter tantùm, sed cum adustione, & indicibilis qualitatis energia : Et cùm ab initio primò partes pudendas coafficiat, & hepatis sanguificationem labefactet, Gallicas purgationes creat, & in infima ventris regione hypochondriacos affectus, rebelles & varicosas obstructiones parit, in pancreatis, & meseræi venis stabulatur, quo ferè accidit ut partes etiam superiores pravo, & importuno contagio coafficiat. Hoc etiam patet, venarum mesenterij usu & naturæ etiam magisterio, in hujus sanguinis expurgatione ; nam melancholicum sanguinem impurum, & fœculentum ab illo, & puto separatum in ramo epigastrico deponit, ex illo ad hæmorrhoidales transmittit, & in fœminis ad uteri venas, quoad tempus irritata natura, aut succi fœculentia, ustione contractâ, aut putredine, seu prava illius quantitate, talem per has venas expurgat, usquedum exonerata sit, & alia denuò colligatur ; & hoc perenni vitæ cursu, collectione, & expulsione mutuò alternata : in aliis plerisque, aliis expurgata per vomitum, aliis per secessum, prout humor qua dator porta, ruit, aut impellitur, naturæ magisterio. Quo planè confirmatur, hanc fœculenti sanguinis quantitatem inibi confluxisse ; quod accidit in omnibus, & sexu, & ætate perenniter, uniformiter, difformiter ; magis in melancholicis ; intemperantibus, luxuriosâ vitâ enervatis, & vitæ sedentariæ deditis, obstructis, & venarum angustia præpeditis ; minùs in tempestatis, & sobriè viventibus ; in pueris, ætatis & temperiei privilegio, & laborioso exercitio occupatis ; in mulieribus etiam, & potiori jure ex duplici principio, in meseræi venis, & eis quibus circa uterum, prava humorum colluvies asservatur, & sexûs ratione in utero, seu pro ciendis mensibus, seu fœtûs alimento in juvenibus ; & secundò, ut depuretur sanguis, seu ut pravum ad venas excretioni destinatas deponat, seu ad vias communes, ut in viris.]

Hæc omnia censet Doctor Caldera citatus esse nostri sæculi propria, ideóque non esse mirum, si illa veteres observata non dederint, quinimò etiam Antiqui non omnia æquali judicio perpenderunt ; etenim pleraque tradunt exactissimo calculo comprobata, & alia quidem leviori calamo, neque pleno veritatis examine. Quo prælibato fundamento, docet, & acriter tenet contra Antiquorum sancitam, & pacificam opinionem, in omnibus quantumvis acutissimis morbis & extremæ urgentiæ, quorum materialis causa indicat ex veterum decretis per venas superiores vacuari, ex talo celebrari debere sectionem venæ, eo solùm ductus fundamento, quod omnes morbi per consensum partium infra jecur incipiunt, & foventur, incepti ; quapropter feriendus est talus è directo, donec multitudo consensûs deponatur ; posteà verò dum affectus redditur idiopathicos, seu per essentiam, tunc vulnerandæ sunt venæ superiores, quæ sunt in brachio, & quidem certam esse hanc doctrinam affirmat ex observatione nostri sæculi propriè, olim minimè cognita ; si attendamus quod non omnis urgentia obsessi membri, licèt indè periculum minetur, petit à loco proximiori celebrari venæ sectionem, sed illa tantùm, quæ affectum inducit per essentiam ; si verò per consensum fit talis affectio, debet à loco proximiori imperari venæ sectio, non quidem ubi est affectus, sed ubi est focus, & minera consensûs : cùm ergo in partibus inferioribus infra jecur, & in regione meseraei sit minera consensûs omnium febrium, &

acutorum morborum, ob rationem commonem com Fernelio adductam, & ob commune contagium ex depravato modo vivendi in nostro sæculo superiùs descriptum, infert intrepidè ſecandam esse tali venas, in adductis morbis, donec consensus omninò cesset, & penitùs evanescat.

Prædictam suam novam opinionem stabilire, & confirmare conatur pluribus Galeni testimoniis, in quibus affirmat partes superiores pati plures affectiones, & innumeras per consensum partium inferiorum, & præcipuè hypochondriorum: Citat Galenum *5. de locis affect. cap. 6. & 2. etiam de loc. cap. 9. & 3.* deinde *de locis cap. 5.* in quibus specificat consensum partium superiorum cum inferioribus, quorum verba, quia prolixa satis, non refero, & quia minimè probant intentum: cùm certum sit, & inconcussum apud omnes Medicinæ Professores, sæpenumerò oriri affectiones capitales gravissimas, ex consensu, seu sympathia cum hypochondriis; restabat enim probare, hoc semper accidere in omni febre, & in omni morbo, quod gratis supponit, & concludit sic.

[Jam habemus quadam veluti demonstratione comprobatum, naturam ad imam ventris regionem, sanguinem fœculentum deponere, & pravam colluviem humorum; habemus etiam ad superas corporis regiones ferè inevitabilem consensum ex hypothesi cumulati humoris concitari; hoc etiam monstravit fidelissimâ experientiâ, nostra ætas, est enim natura in rebus novis quotidie producendis feracissima, & hominum errores in ordine præpostero vivendi, in cibo, & in potu, occasio gravium malorum, Addit etiam influxus cœlestes ad hæc patibilia variè terminatos, nova, & diversa in morbis, & accidentibus causæ, quorum cùm sit medendi diversa indicatio, non erit mirum, si auxilia prorsùs diversificentur; etenim naturæ vis, atque majestas, in omnibus momentis fide caret, & nova, & mirabilia quotidie parturit. Olim enim, & à longinquo ævo, Hippocr. præcepit, ne prægnantibus, & senibus sanguis detraheretur, ob citissimum mortis, & abortûs periculum; ac postea Galenus piaculum etiam judicavit, & in pueris sanguinem detrahere, ob innatam resolutionem, illius ætatis gentilitiam; & tamen nostris temporibus Celsus attentiùs perpendens, & severiori veritatis examine considerans, illam profert senteotiam; *Firmus puer, robustus senex, & gravida mulier, tutò sanguinis missione curantur.* Quod experientia postea confirmavit, & usque ad nostra tempora invaluit Celsi opinio, quam quotidie absque illa nota exercemus; non ergo erit mirum, si temporum varietas, & conditio, atque experientia in nostra ætate, in eam nos deducat opinionem, ut amplectamur sanguinis missionem ex talo, in febribus, & omnibus morbis, usquedum consensus omninò cesset, & penitùs evanescat: non ergo erit reprobanda observatio hæc, quod priscis illis temporibus à nollo fuerit observata, imò potiùs à prudentibus Medicis erit in pretio habenda; sic enim illustrantur scientiæ, & augentur, ut hodie supra fidem à se ipsis longè nobiliores videantur.]

Denique longum, & prolixum satis sermonem adducit Doctor citatus nostro idiomate Hispanico, probans per novas ætates, nova invenisse Auctores auxilia, supra illa, quæ à primis Professoribus fuerunt inventa, sic supra Hippocr. Erasistratus, & Diocles, usque ad tempus Galeni, qui plura addidit supra scripta Hippocratis experimentis qootidianis deducta, & philosophicis principiis valde consona: inde etiam post Galenum plures nova addiderunt; sæpè carpit Galenum Trallianus, necnon etiam Doctissimus Aretæus nova, & pulchra machinavit, quæ à primis Parentibus non fuerunt cognita; idcóque non reprobantur nostro sæculo, quorum omnium innumera sunt exempla, à quibus libenter supersedeo, ne vobis fastidiosa sint, & quia nihil continent peculiare. Ex quibus omnibus deducit doctrinam renovatam denuò à Doctoribus Hispalensibus, minimè esse parvi pendendam, sed potiùs amplectendam, quandoquidem pluribus experimentis confirmatam in sua regione fuère à peritissimis Doctoribus, quibus fides adhibenda est, quia prædictam consensûs rationem, veteres non observarunt, in casu adducto, ideóque de illa nihil notatu dignum tradidère. Nos verò hanc rem accuratè, & seriò collimantes, & observatione perpendentes, invenimus illam esse secundum rationem in statu hominum hujus sæculi, ut indè discat, caveatque posteritas, quæ diù nos observavimus.

Hujus Doctoris opinio superiùs manet impugnata, ex eo quod illa colluvies, & humorum pravitas, quæ in mesaræis vasis semper manet coacervata, potiùs vacuari debet per pharmacum lenitivum, quàm per venæ sectionem ex talo, quandoquidem certum est, hujusmodi humores valde distare à consortio sanguinis; imò ab ipso sanguine esse separatos, qui cacochymiam constituunt, & expurgationem solam indicant. Unde infallibiliter sequitur in omni febre, & in omni morbo semper incipiendam esse curationem ab expurgatione, saltem per exhibitionem lenientis pharmaci; quod dissonum valde rationi est, cùm sæpè videamus plures febres, & innumeros morbos, solùm ab ingenti plenitudine coadunata in vasis majoribus ortos.

Ulteriùs etiam præfata assertio falso nititur fundamento: nempe quod in omni febre, & in omni morbo, in venis mesaræi semper fœculentus humor, necnon etiam cruditates sint coacervatæ, quibus omnes partes superiores, & vasa majora omnia consentiunt, & talis consensûs ratione mitti debet sanguis ex talo, ut fomitem contagionis exhauriamus, & ab originis causa morbificam materiam revellemus: totum quod irritum omninò, & gratis dictum censeri debet: Etenim sagacissima & provida Natura suæ conservationis gratiâ, hujusmodi humores per vias sibi notas extrudit, aut forsan, quæ putrida sunt concoquit, & tenuiora resolvit; prætetquam quod ipsa Natura habet suæ peculiaria emunctoria in quæ deponat excrementa, quæ necessariò ex coctionibus resultant, sic hepar propter peculiarem finem biliosum excrementum ad fellis folliculum propulsat, necnon etiam melancholicum succum ad lienem deponit; item quidquid supervacaneum est in fœminis ad uterum detrudit; insuper etiam quælibet pars principes peculiare habet emunctorium in quod deponat excrementa molestantia in statu præternaturali, & quoties distemperie aliqua morbosa corripitur, sic cerebrum retro aures, cor sub alis, & jecor ad inguina propulsat maligna & prava excrementa: superfluum igitur judico ab ictu

in

in natura conſtituere alia membra tanquam receptacula excrementorum, ac proindè pro libitu censent Hiſpalenſes Doctores cum Fernelio providam naturam deſtinaſſe venas meſeræi tanquam ſentinam, in quam depoſitaret fœculentos humores, & colluviem excrementorum. Quâ firmatâ doctrinâ, minimè negare audeam, interdum naturam adeò eſſe gravatam à fœculentis, & crudis humoribus, ut ipſos detrudat in primam regionem, & in venas meſeræi deponat, & in hæmorrhoidales venas; præcipuè cum inveniat manifeſtas vias, & hujuſmodi partes imbecilles cernantur, & faciles ad recipiendum: in quo eventu ſi excitetur aliquis morbus, ſive capitalis, ſive febrilis, cujus focus habeat dependentiam, & conſenſum cum vaſis meſeræi, quia ibi minera contagionis, & fomes continetur; dubium non erit, quin curatio ſit inchoanda, per depoſitionem cauſæ in prima regione, ſeu in meſeræi vaſis ſtabulantis, & hoc vel per venæ ſectionem ex talo, aut lenienti pharmaco exhibito, prout nimirum alterum altero magis convenire putabitur, quod evenire conſentaneum eſt in quolibet membro, aut cavitate debili, ubi Natura gravata deponat, quidquid moleſtaverit; in quo eventu, ſi hujuſmodi excrementa fuerint alterius morbi cauſa, curatio methodica auſpicanda erit à depoſitione illius fœculenti, & pravi humoris contenti in illo membro; hoc enim ſæpeſæpiùs accidit, quoties natura detrudit excrementa ad uteri vaſa; aut ibi forſan detenta ſunt, ob anguſtiam viarum, ubi malignè putreſciunt, & præcipuè materia ſeminalis in viduis, quæ dira cauſat ſymptomata, valde ſimilia eis, quæ à veneno accidunt, viſcera omnia premendo, ſyncopem, animi deliquia, & ſtrangulationem cauſando, epilepſiam etiam per auram venenatam, quæ ab utero in caput aſcendit, & alia innumera accidentia, quæ ſolâ providentiâ uteri, omninò evaneſcunt, cauſâ evacuatâ ab ipſo, in quo fomes, & origo fluxionis continetur, hoc tamen nec perpetuum eſt, neque æternæ veritatis; ſicut quod neque vaſa meſeræi ſemper patiantur; cùm plurica ipſa conſideranda ſint in ſtatu naturali, in tono, & temperie naturali debita: undè legitimè concludimus, ſemper non eſſe in omni morbo, & in omni febre venam feriendam in talo.

Neque ex eo quod influxus cæleſtes ad patibilia variè terminentur, neque ex pravo victûs errore, colligitur vulnerandam ſemper venam eſſe in talo, niſi forſan ex illis aliqua affectio partium inferiorum oriatur, quæ ſit origo alicujus fluxionis, aut morbi capitalis, aut febrilis, in quo eventu libenter fatemur, aut ex talo venam eſſe ſecandam, aut vacuationem eſſe moliendam ex parte illa, in qua eſt fomes, & origo mali; hoc tamen non eſſe perpetuum, & æternæ veritatis, demonſtrat ratio, cùm ſæpè cauſa mali ſtabuletur in vaſis majoribus (quidquid ſit de influxu cæleſti, aut errore aliquo in aliqua ex rebus non naturalibus, aut in victu) in quo eventu, aut vena ferienda eſt in brachio, ut citiùs, & celeriùs deponatur plenitudo, & ventilatio celebretur in vaſis majoribus, aut ſi propter errorem in victu, cauſa morbi firmata ſit in prima regione, ea depoſita per leniens pharmacum; ſic enim methodicè occurrimus cauſæ morbificæ, juxta Galeni firmiſſima dogmata ſatis trita.

Firmiter etiam fateor, plura noviter eſſe adinventa auxilia experimentis comprobata, rationibus tamen confirmata; quare non quia nova ſunt reprobanda, nec ſemper amplectenda, ſi ipſis non aſſiſtat ratio: ideóque cùm venæ ſectio ex talo inviolabiliter exercenda in omnibus morbis, habeat contra ſe tot, & tam varia fundamenta, qualia à nobis ſunt adducta, & *infrà* adducenda, meritò reprobatur, non quia nova, ſed quia infirmis validatur fundamentis, quæ minimè convincunt, ſemper, & in omnibus morbis venæ ſectionem indicantibus exercendam eſſe. Inſuper etiam fateor Galenum in gravidis, ſenibus, & pueris ſectionem venæ improbare; cùm certum ſit noſtra ætate, feliciter ſæpenumerò exerceri, ſed hoc nihil contra nos probat, quandoquidem præcepta adducta potiùs doctrinalia, quàm inviolabilia cenſentur ab omnibus; at venæ ſectio in talo in omnibus morbis, minimè eſt experientiâ confirmata tanquam auxilium magis præſentaneum, & proficuum, cùm potiùs experientia demonſtret, in febribus ardentibus, & morbis capitalibus, venam ſectam in brachio mirificè prodeſſe; cùm ipſa habeat rationem revulſionis, derivationis, & evacuationis, ut latè ex *infra* adducendis conſtabit. Et quidem certè vellem à Contrariis ſcire, quod etiamſi ſæpè juvet venæ ſectio in talo in aliquibus, & pluribus morbis acut, ſi in ipſis venam ſecuerint in brachio, eandem utilitatem, & forſan ſæpè majorem non conſequerentur: ſi id negent, gratis & ſine fundamento aſſeritur, cùm rationes in contrarium clament, & nullum experimentum in contrarium adduci poteſt, niſi in caſibus, quos excipimus, & latiùs in noſtra concluſione declarabimus.

Premitur ulteriùs doctrina Hiſpalenſium Doctorum, & præcipuè Doctoris Calderæ; nam dubium non eſt, quin poſſit excitari ardens aliqua febris, aut angina, aut plevritis, abſque ullo conſenſu cum venis meſeræi, omninò inculpatâ exiſtente primâ regione, ſolùm præcisè ex putredine concitata in vaſis majoribus, aut in loco determinato, ut in plevra, aut pulmone inflammato, prorsùs ceſſante omni conſenſu cum venis meſeræi; à quo, in hac opinione, indicatur venæ ſectio ex talo. Quâ ſuppoſitâ hypotheſi, neceſſitas, & indicatio urget, ut venam in brachiis ſecemus, ventilationis gratiâ, & ut cauſam morbificam deponamus: ergo non eſt perpetuò verum, & inviolabile præceptum venam tundere in talo in omnibus morbis, & febribus ſanguinis miſſionem indicantibus.

Doctor Caldera fatetur planè, id poſſe contingere, & nihilominùs cenſet ex talo vacuandum eſſe, ſemel ſaltem, aut bis in adductis caſibus: quoniam in omnibus febrilibus morbis calor præternaturalis, per omnia corporis ſpatia diffunditur, quo fit ut licèt febris, aut alius affectus ex numeratis incipiat, inculpatis meſeræi humoribus, ſit prorsùs neceſſarium, ut illos poſteà coafficiat, extraneo calore, ſive uſtione, aut putredine, pro recipientis aptitudine: quoniam cùm illi aut ratione loci, aut propriâ naturâ ſint ad ebullitionem, aut putredinem parati; quia naturâ pravi, inutiles, inculcati, & à naturæ regimine deſerti, & indè ut à febrili calore concitentur, ut emittant vapores, aut exhalationes exuſtas, & omninò deterrimas, quo impio conſenſu, aut febris intendatur, aut in aliam naturam

turam

turam sui deteriorem degeneret, aut nova conceitent accidentia, prædictarum exhalationum gentilitia. Et ob hanc rationem firmiter tenet, semel, aut bis vulnerandum esse talum, ut impediatur ascensus pravarum exhalationum; quippè meseræi vasa coafficiuntur putredine, aut ustione; & cùm sint veluti sentina, in quam natura solet depositare humorum pravorum colluviem, fit indè, ut meritò venam tali secemus, etiamsi anteà inculpata sint meseræi vasa.

Hanc doctrinam corroborare intendit, ex eo quod provectis accidit mulieribus, quibus jam ætatis ratione, evanuerunt menses; nam si incidant in morbos acutos, ex talo sanguinem mittere incipimus, licèt in illis nulla suppressionis sit suspicio, neque adhuc uteri humores effervescant, non alia ratione, nisi quia natura solita ad has partes transmittere, aliquid in illis continet reservatum, quod febris occasione concitatum, aut febrem, aut acutum affectum, pravo illo contagio coafficiat, quo ambo in ægroti perniciem, mutuas tradant operas: quare semper dignum prudentiâ censetur, & omni ratione consultissimum, in dictis casibus incipere curationem vulnerando talum, ob timorem rationalem deterioris morbi, & ut ascensus vaporum pravorum impediatur ad superiores partes, quod accidere credendum est, communicatâ putredine, & serpente ad vasa meseræi, in quæ natura solita est etiam, transmittere pravos humores. Vnde censendum est, jure optimo, in illis esse aliquid reservatum, quod augeat febrem, aut alterum affectum generet acutum.

Solutio quidem frivola, & tanti Autoris indigna: etenim licèt calor febrilis omnibus partibus corporis communicetur, & putredo serpat usque ad vasa meseræi; inde non colligitur in ipsis deteriorem conditionem comparare, potiùs quàm in partibus aliis superioribus, in quibus potest esse deterior dispositio ad putredinem, aut ustionem, propter ventilationem prohibitam, coacervatis humoribus, in plevra, aut pulmone, & excitata inflammatione, quæ sit deterioris mali occasio, quàm si putredo augeatur in venis meseræi: in quo eventu sanguinem esse mittendum ex brachio inconcussum est apud omnes Medicos, & id fateri debere Doctor, eum in casu adducto vasa meseræi nullum præstent consensum, aut occasionem alterius morbi deterioris conditionis: ac per consequens sine fundamento asserit venam esse secandam semel, aut bis in talo, priusquam accedamus ad scissionem venarum, quæ sunt in brachiis: quandoquidem per has meliùs, & faciliùs & citiùs deponitur causa morbifica, & avertitur à jecore, aut pulmone, sive plevra, celebrando revulsionem, & derivationem, quod minimè lucramur si venam tali secemus.

Argumentum autem à simili, quod adducit de mulieribus provectis, quibus jam ætatis ratione evanuerunt menses, nullius roboris est, imò gratis assumit in ipsis morbo acuto correptis, venam esse secandam in talo, etenim contrarium exerceri debet, & id sæpenumerò experimento confirmavimus cum felicissimo eventu, venam secando in brachiis, quippè tunc in dictis mulieribus, natura cessavit à suo munere, ritè, & secundum rationem, cessante in ipsis fine propagationis, cujus ratione natura redditabat singulis mensibus: chimæricum ergo erit judicare, naturam, quia solita ad uterum transmittere; in ipsis uteri vasis esse aliquod coinquinamentum reservatum, ratione cujus febres accendantur deterioris conditionis, quandoquidem (ut fatetur Doctor iste) nullius suppressionis est suspicio; unde neque in his, neque ob hanc rationem in venis meseræi est necesse, ut aliquid sit reservatum, ut febres reddantur deterioris conditionis, neque ut affectus deterior generetur; ac proindè in caso adducto in argumento, liberè, & securè, & absque calumnia aliqua, neque novo periculo, debemus secare venas in brachiis, si methodum Galeni rationalem insequi tenemur.

Premitur ampliùs hæc doctrina, ex eo quod sæpenumerò plures homines in statu perfecto sanitatis constituti, & præcipuè Athletæ incidunt in febrem ardentem, aut synochalem, quin in ipsis sit suspicio aliqua offensionis in venis meseræi, nec præsumatur illa fœculenta colluvies in ventre adservata, præcipuè in ætate puerili robusta, & in viro temperato à tali succorum natura prorsùs alieno: in quo eventu cessat potissima illa indicatio à Contrariis machinata ex consensu cum venis meseræi deducta: & tamen persistit illa indicatio, quam consulit urgentia, quæ petit per venas communes sibi consociales proximè è directo vacuare: in febre quidem ex axillari vena; in cæteris affectibus ex illa, quæ cum parte consentit: ergo tunc frustrà erit, tali venam secare. Et si aliquis respondeat casum esse metaphysicum; frivolum est, quandoquidem plures homines, & pueros robustos perfectâ sanitate fruentes videmus, in quibus facilè experimur ipsam plenitudinem esse causam incidendi in febrem, prohibitâ ventilatione, aut ob aliquam externam causam: ergo non solùm casus adductus non est metaphysicus, imò potiùs regularis, & expertus; ac proindè methodum generalem mittendi sanguinem, ex talo omninò dirimit in omnibus febribus; neque esse regulæ generalis adductæ à Contrariis limitationem, ob peculiarem eventum: imò planè existimandum est, perverti regulam illam generalem ab Hispalensibus Doctoribus, & minimè esse solidâ veritate fulcitam, neque alicujus urgentiæ ratione limitari; quandoquidem casus adductus non est peculiaris, sed communis satis, cùm sæpè accidere possit, ideóque claudicare fundamentum Contrariorum: neque esse æternæ veritatis, credendum est; si fundamenta à nobis adducta maturè perpendamus: imò apud Hippocratem *lib. de affectionibus* legimus *text.* 19. de lienosis sermonem instituens, in quibus in regione lienis, & ipsius vasis pravi humores continentur, ubi de biliosis hæc profert verba. *Quicumque splenem habent magnum si biliosi fuerint, hi mali coloris sunt, malis ulceribus scatent & ex ore grave olent, & tenues evadunt, & splen durus est, & semper consimili magnitudine, & cibi non secedunt.* Videas, obsecro, signa depicta ab Hippocrate testificantia, pravam humorum colluviem stabulantem in liene, & ipsius vasis, à quibus accidentia ferocia accidere possunt, consentientibus partibus superioribus, aut venoso genere. Sed perpendas obsecro medelam, quam vetustissimus Senex proponit per sequentia verba: *Biliosis autem conducit, ut per victum humectantem alvum, & vesicam subducamus, & ut de vena splenitide frequenter sanguinem mittant, & medicinis urinam cientibus utantur, & per anni tempora bilem purgent.* Hæc

Hippocrates

Hippocrates ad nostrum intentum. Ubi planè consulit in his venam splenitidem frequenter esse secandam, nullâ factâ mentione de vena tali, & insuper purgandam esse bilem: si ergo nulla major copia humorum pravorum potest considerari in venis meseraei, quàm illa, quam in lienis vasis narrat Hippocrat. ut ex signis adductis constat planè: & tamen consulit venam secandam in manu frequenter ex vena splenitica, quin obstet consensus aliquis cum ipsis venis lienis: ergo quomodocumque vasa meseraei sint occupata crudis, & pravis humoribus, minimè indicant sanguinis missionem ex talo, nisi in casu à nobis *suprà* adducto, in quo affectio talium vasorum sit origo, & fomes alicujus affectus; in quo eventu ex origine esse vacuandum nemo dubitat, ut fomitem, & consensum aboleamus.

Alteram adducit prudentem cautionem, seu limitationem circa propositam resolutionem; nempè in viris, qui annum quinquagesimum attingunt, & sunt debiles, & longè extenuatis, minimè fore in morbis à sanguinis missione ex talo incipiendum, nisi morbus ex suppressione alicujus evacuationis procedat; rationem reddit, quia in senibus crudorum succorum adest abundantia, & paucis sanguinis copia & spirituum minima, quo fit ut aquae calidae balneo, & fricatione facilè exolvantur; his accedit ut artificis incuria periclitentur, dum plus sanguinis exire permittit, quàm ferat illa aetas; cùm etiam certum sit in magna copia aquae, non posse legitimè sanguinis quantitatem metiri. Certum etiam judicat, si quid in ipsis est utilis sanguinis, alterius pravi sanguinis consortio defoedari: at si celebretur in ipsis sanguinis missio ex brachio, nullum accidit periculum ex dictis. Neque hanc limitationem regulam generalem vulnerandi talum invertere judicat.

Haec peculiaris doctrina claudicat: etenim omissâ frivolâ ratione de mensura sanguinis, qui extrahitur propter incuriam artificis, & resolutione, quae accidere potest ex balneo aquae calidae, & frictione, quae nulla eget impugnatione; cùm certum sit, posse à prudenti artifice mensurari, neque resolutionem aquae calidae, & frictionem esse alicujus momenti; tamen ex nullo alio capite esse improbandam venae sectionem in talo, in quinquagenariis, juxta suam opinionem firmiter teneo: nam ipse *in appendice fol.* 283. planè fatetur sectionem venae in talo, minùs effoeminare vires. Patronum adducit Danielem Sennertum *lib.* 2. *de febribus cap.* 5. ubi refert sequentia verba Sennerti: *Major verò est militas venae sectionis in pedibus, praecipuè si simul revellendum sit: nam si vires sint debiles, & materia caput petat, & capitis dolor, & vigiliae infestent, commodissimè & cum summa utilitate vena in pede aperitur, quae evacuat, revellit, minúsque vires dejicit.* Hucusque Sennertus pro se adductus. Ex quo sic contra ipsum Calderam insurgo: nam pauci sanguinis utilis copia in senibus, & debilitas, atque extenuatio erat obstaculum sanguinis missionis ex talo; sed haec minùs effoeminat vires, quàm ea, quae ex brachio exercetur: ergo tutior erit illa, quae fit ex talo; quippè si sectionem in brachio venae ferunt, potiori ratione eam, quae celebratur in talo, cum minori dispendio spirituum ferre, & tollerare debent, cùm illa neque opponatur viribus, neque extenuationi.

Ulteriùs si impediant cruditates, quae gentilitiae in hac aetate praesumuntur, aut debilitas, & penuria spirituum, etiam erunt impedimento ad sanguinis missionem ex brachio, aut forsan eductionem per leniens pharmacum indicant. Si autem respondeat, quod crudi humores, & foeculenti sunt permixti cum sanguine, ideóque venae sectionem indicare. Contra instari potest haec solutio: nam in prima regione, & in venis meseraei foeculenti humores stabulantes, indicant sanguinis missionem ex talo, propter consensum, quem habent cum omnibus morbis: ergo potiùs in senibus secanda est vena tali in principio, quandoquidem sectionem venae in brachiis tollerare possunt, in qua est majus spirituum dispendium; & aliàs, venâ sectâ in talo impeditur consensus ille cum partibus superioribus, à quo omnes morbi pendent in hac opinione: ergo limitatio praedicta in senibus quinquagenariis, debilibus, & extenuatis, nullius est momenti; & si concederetur haec, & aliae limitationes everterunt sine dubio dogma illud generale de sanguinis missione ex talo.

Ità etiam ex alio principio praedictus Doctor Caldera deducit, sanguinis missionem ex talo convenire in omnibus morbis à principio, etiamsi venae meseraei, aut haemorrhoidales, causam non praestent, semper ad omnes morbos propter humores foeculentos in ipsis asservatur; etenim ad feriendum talium semper in principiis, sat est quòd hepar sit hujus fluxionis origo, ut sanguinis fons, & scaturigo aliorum humorum. Itaque si incipiente phrenitide, aut suffocante anginâ, ex brachio celebraretur sanguinis missio, esset inevitabilis attractio ad partem laesam; nam per venam cavam ad jugulum dilabitur, & defertur sanguis: ergo tantùm abest, ut vena secta in brachio fluxionem ad supernas partes inhibeamus, ut potiùs ad ipsa membra patientia, ipsam fluxionem convocemus; quare rationabiliùs judicat, venam secare in talo, ne affectiones prorsùs irremediabiles reddamus, & omninò desperatas; satius enim est, ex talo sanguinem extrahere, ut phrenitidem aut anginam suffocantem deleamus, quàm ex brachio, quae sanguinem ad cerebrum, & fauces commovet.

Caeterùm, omnia haec futilia & vana sunt; non enim secta in brachio vena humorem, in phrenitide, aut angina, ad cerebrum, aut fauces deducit. Etenim humor per venam cavam ad superiora praeternaturaliter delatus, priusquam ad capitis venas ascendat, seu in carotidas ingrediatur, ad jugulum pervenit. Undè ad brachium utraque, & basilica, & cephalica vena derivantur; his ergo sectis, humor, qui per jugulum ad caput impetuosè movebatur, in medio cursus distractus, ad brachij sectionem necessariò divertitur, quia ut vacuum, per venae sectionem derelictum, suppleatur, non aliundè humor fluit, quàm à vena cava, per quam humor ille sursùm rapiebatur: qui statim ad brachium movetur, ratione vitandi vacuum; unde motus quo ad cerebrum tendebat, jure optimo intercipitur, & ad distantem, & cerebro contrariam partem, non dubiè revellitur, neque ad ipsum ullo modo attrahitur. Hinc fit ut si rigorosè loquamur, talis humoris distractio à cerebro, minimè derivatio nominetur, quippè non à vicinis venis cerebri, sed potiùs à vena cava, quae jugulo inserviunt retrahitur talis humor: igitur revulsionis nomen meretur sectio venae in cubito in affectibus capitalibus: quoniam

niam per ipsam humor fluens, contrario motu movetur; etiamsi non sit ad partem distantissimam, qualiter fieret, si ex talo celebraretur venæ sectio: sufficit ergo ut revelamus per venæ sectionem brachiorum, in affectionibus adductis, ut humor, qui ab extremo venæ cavæ in jugulo implantatæ, ad caput movebatur, retrahatur ad brachium: nam tunc ab incepto motu desistit, & in contrarium locum à cerebro distantem movetur: falsò ergo & sine fundamento asserit citatus D. Caldera per venæ sectionem in brachiis humorem concitari ad partem affectam.

Nec valet si Respondeas pro citato Doctore, quod dum sanguis ex brachio emittitur, major ipsius copia per venam cavam sursum movetur, quàm per venæ sectionem vacuari possit; etenim potiùs ad pensum, quo per venam educitur, sursum usque ad jugulum movetur; undè priusquam ad capitis venas progrediatur sanguis, ad brachij incisam venam statim revellitur. Rationem suprà tetigimus; cujos doctrinæ Autor est sapientissimus Cornelius Celsus *lib. 1. cap. 10.* ubi posteritati verba sequentia commendavit. *Neque ignoro quosdam asserere, quàm longissimè sanguinem inde ubi lædit, esse mittendum, sic enim averti materiæ cursum: at illo modo (scilicet ex vena brachiorum) in id ipsum quod gravat evocari, sed id ipsum falsum est; proximum enim locum, primò exhaurit, ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur.* Quibus verbis maturè pensitatis, clarissimè constat argumentum, quod videtur militare contra nostrum placitum, minimè latuisse Cornelium Celsum, cui fecit satis, quia eo passu, quo sanguis, per venæ sectionem emittitur in brachio, eo ipso per venam cavam ad jugulum defertur, & etiam ad brachium divertitur, ut *suprà* insinuavimus; undè minimè, neque ad cerebrum convocatur, neque major quantitas in ipsum movetur. Ex quo planè constat hunc philosophandi modum, non esse novum nostro sæculo, cùm Celsus ipsum referat, & refellat.

Porrò, quod non fluat major copia sanguinis ad cerebrum, quàm per sectionem venæ extra movetur, docuit expressè Horatius Augenius *lib. 7. de missione sanguinis cap. 26.* per sequentia verba. *Primum, quod non putaverim scalpello incisa vena sanguinem educi per expulsionem; etenim aperto vase sanguis sponte fluit, haud secus, quàm perforato dolio, vinum effluere videmus: quid ergo quæso, adest in dolio, hanc expulsionem faciens, aut quæ virtus adest in vino illud foras expellens?* Planè ergo deducitur ex his majorem copiam sanguinis minimè moveri per venam cavam ad caput quàm, quæ per venæ sectionem fluit ad extrà, quippe nullus apparet finis, ob quem major sanguinis copia conciteretur ad caput, & superiores partes. Et licèt benè verum sit, interdum propter nimiam plenitudinem, aut ex eo quod sanguis irritante aliqua qualitate polleat, naturam lacessiri ad expulsionem. Hoc tamen non est perpetuò verum, cùm sæpè venam secemus, nullà existente plenitudine, & nulla qualitate irritante adjunctâ in sanguine; & tunc quidem sanguis eodem modo ad venam sectam dilabitur: non ergo semper ab expultrice facultate propulsatur, sed potiùs ad evitandum vacuum ut repleatur locus ille derelictus à sanguine, qui primò fluit sectâ venâ. Chimæricum enim judico virtutem aliquam attractivam primo sanguini fluenti inesse, quæ attrahere dicatur succedentem sanguinem; itaque eo passu quo prima guttula sanguinis movetur venâ incisâ, moventur & cæteræ, quin succedentibus aliquis communicetur impulsus.

Ulteriùs corroboratur assertio nostra: nam sanguine misso plenitudo minuitur, aut sanguinis copia in vasis, quo fit, ut ipsa aliqualiter concidant, ut repleant, necessariò sanguinis fluentis locum derelictum, gratià vitandi vacuum: ergo ut totaliter vitetur vacuum, concurrente etiam partialiter sanguine, non est necessaria tanta copia, quanta fluit per scissuram, undè nec major nec tanta copia sanguinis movebitur sectâ venâ, usque ad jugulum per cavam venam, licèt in ipsa major sanguinis copia successivè moveatur; non quidem ad eundem locum, sed ad diversos, qui ex diversis sanguinis portionibus relinquuntur, qui subsequenti sanguine occupantur.

Premitur ulteriùs solutio adducta. Nam venâ sectâ in brachio velocissimè deponitur, nimia sanguinis copia ex vena cava: sic dictabat Gal. *in comment. ad lib. 4. de victu acutor.* sequenti serie. *Velocissimè, & plurimum, ex his, quæ principes sunt partibus vena ea corpus evacuat.* Undè sic infero; si secta vena in brachio tunc sanguis ad cerebrum fluat per basilicam venam vacuatus, talem motum ad cerebrum cohibet, & meritò revulsiva dicitur venæ sectio in brachio; siquidem ab origine fluxionis exhaurit sanguinem, oempè à vena cava, saltim à medio loco fluxionis, & minimè ex vasis vicinis ipsius capitis, ex quibus derivatio celebratur: ergo si priusquam ad caput, neque ad jugulum ascendat sanguis per brachium divertitur ipsius venâ sectâ, sine dubio ab incepto motu desistit, & contrario motu movetur: ergo jure opinio poterit dici revulsiva, & minime poterit sanguinem ad cerebrum convocare, neque attrahere, & licèt unica sanguinis missione celebrata in brachio, prorsùs non impediatur, & revellatur sanguis à cerebro; indè non bene infertur ad cerebrum attrahere humorem, aut sanguinem; quia hoc ipsum accidit, etiamsi venam in talo iterum, atque iterum vulneremus: non ergo benè infertur, ex eo quod per venæ sectionem ex brachio prorsùs non revellatur motus sanguinis ad cerebrum, quod talis venæ sectio ad ipsum cerebrum sanguinem trahat.

Constat ergo ex suprà dictis nec moveri majorem sanguinis copiam, nec tantam ad partes superiores ex vi sanguinis missionis factæ in brachio, quanta per venæ sectionem extrahitur: quoniam solùm illa portio sanguinis existens in vena cava movebitur, quæ pro vacuo à sanguinis portionibus successivè derelicto adimplendo sufficiat. Præterquam quod ultra sanguinem in vena cava locatum, alia etiam corpora ad illud vacuum supplendum, occurrere possunt, qualia sunt aëris portiones, quæ necessariò in omnibus corporis cavitatibus circumferuntur, necnon etiam vaporosæ substantiæ, quæ intra corpora fumigant: non ergo vena secta in brachio tanta sanguinis copia per venam cavam movetur, quanta extrahitur.

Denique corroboratur, & validatur assertio nostra: quia venâ sectâ in brachio, sanguis à venis capitis deorsum fluit usque ad jugulares externas, & internas, & per finem venæ cavæ in jugulo sitæ: ergo à sanguine per basilicam ex brachio deorsum fluenti impeditur, quominùs altera portio sanguinis sursum per easdem venas ascendat, præsertim cùm etiam in hac peculiari

opinione

opinione ſanguinis miſſio ex beachio ſit derivativa, & non alia ratione, niſi quia ex venis capitis ſanguinem haurit, quod non alitec, niſi deorſùm ad brachij ſectionem fluendo præſtari poteſt: Si autem hoc negare auſi fuerint Adverſarij, neceſſariò fateri tenenur, ſanguinis miſſionem ex brachio eſſe omninò revulſivam; pro noſtro intento. Ex bis ergo planè conſtat venæ ſectionem ex brachio in affectibus capitalibus, ſanguioem ad cerebrum minimè deducere, imò potiùs ipſum ſanguiuem à cerebro derivare, & revelleee: ac per conſequens non ſolùm non eſſe nocivam, ſed valde vtilem pro exterminatione talium morbotum.

CAPUT III.

In quo verior ſententia eligitur.

ADVERSARIORUM fundamentis præcipuis prajactis, priuſquam litigioſam noſtris temporibus controverſiam dirimamus, ſtatuendum eſt id, quod ſine controverſia omnes Mediei fatentur: nempè ſanguinis miſſionem tripattiri in revulſivam, derivativam, & evacuativam. Ea his venæ ſectio merè revulſiva humoribus dumtaxat paratis fluere, ſeu fluere iuitiantibus debetur. ut in contrariam, & diſtantiorem partem ad quam fluunt, celerrimè, & faciliùs transferantur: Itaque hæc venæ ſectio revulſiva, quæ omninò impermixta eſt cum derivativa, & evacuativa, humorem reſpicit, qui necdum partem læſam, ſeu ut loquar rectiùs, paratam recipere, tetigit, nec morbum actu cauſat, eſt tamen pratus, utrumque facere: ſic cordatus Medicus præcavens motum prædictum ipſum compeſcit, per venæ ſectionem merè revulſoriam, quæ jure optimo, prædictum motum in partem debilem, ſeu affectam frænare valeat; undè poſtquam humoris impetus, ſeu motus protsùs ceſſavit, aut fuerit imminutus, tunc ſanguinis miſſio merè revulſiva minimè exerceri debet: quoniam humor in parte affecta locatus, & contentus & in vicinis vaſis exiſtens, peculiarem indicationem expoſcit, ſeu providentiam, quam ſanguinis miſſione merè revulſiva, nequaquam conſequimur, ſed derivatoria, & evacuatoria, de quibus *infrà* erit ſermo.

Revulſio igitur humorum fluentium ad contrarias, & diſtantes partes celebrari debet, aut ad ipſius fluxionis originem, quam mandantem Medici appellant partem. Ita Hippocr. *lib. de humoribus* docuit, ſequentia verba poſteritati commendans. *Medela evocatio, derivatio in caput, in latera, qua maximè repit, aut revulſio, in ſupernis deorſum, & infernis ſurſum.* Idem teſtificavit *6.epidem.part.2. contextu* 29. ſequenti ſerie, *Revellere*, inquit, *Si quò non oportet repit; ſi autem quò oportet his aperire, ut repunt unaquaque.*

Cæterùm contrarietatem hanc, quam ſecum affert neceſſariò revulſio juxta quatuor diametros conſiderandam eſſe, docuit Gal. *libell. de Revulſione*, Prima contrarietas compenſanda eſt (inquit Galenus) à ſuperioribus ad inferiora: ſecunda à poſterioribus ad anteriora; tertia à dextris ad ſiniſtra; quarta, & ultima ab internis ad externa, quam ſine fundamento plures Medici omittunt, niſi forſan ad aliquam ex tribus primò enumeratis ipſam reducant: etenim ſi pars, quæ in mediu corporis eſt locata, malè affecta ſit, aut morbo aliquo corripiatur, nulla ex parte poterat celebrari revulſio, ſi hæc ultima contrarietas non concedatur, quoniam nulli parti eſſet loco contraria; ſiquidem hæc pars ſuperiora ab inferioribus, anteriora à poſterioribus, & dextra à ſiniſtris ſeparat: habet igitur non dubiè aliam contrarietatem, quam communiter vulgares Medici omiſerunt. Ulteriùs etiam ex Hippocrate recipere debemus, omnes evacuationes fieri debere per communes venas, ſervatâ rectitudine cum particula affecta: Legas, obſecro, per otium Valleſium noſtrum *lib.7.controverſiarum cap.*4. de rectitudine venarum, ubi ad unguem ſolitâ acutie, & claritate, venarum, quæ à jecore oriuntur; anatomem deſcribit, necnon etiam locupletiſſimam doctrinam de revulſione, derivatione, & evacuatione adducit, à qua omnes tanquam ex limpidiſſimo fonte firmiſſimam doctrinam exhaurimus.

Hanc igitur inconcuſſam doctrinam de venarum rectitudine, natura docta, ſine Doctore, nobis quotidianis experimentis demonſtrat, etenim evacuationes, quæ ſponte naturæ fiunt; ſi ſecundum rectum celebrantur, ſublevant periculum, ſin minùs non ſublevant, eſt enim familiariſſima naturæ, hæc rectitudinis obſervatio in evacuationibus, necnon etiam in abſceſſibus; deponit enim membrum quodcumque ſua excrementa, in partes quæ ſibi lateris conſortes ſunt, potiùs quàm in adverſas: Sic ex hepatis plenitudine, in dextro inguine, frequentes excitantur bubones: ex liene affecto, in ſiniſtro: ita Hippocrates dictavit 6. *epidem parte* 2. *textu* 12: per ſequentia verba. *Secundum rectum, eſt coſtarum dolor, & hypochondriorum contentiones, & lienis elationes, & ex naribus fluxiones, & aures, ſecundum rectum.* Galenus etiam 3. *de criſib. capite* 3. Hippocratis doctrinam amplectitur, laudans evacuationes quæ ſecundum rectitudinem celebrantur ad optimi judicij fidem, perpendite verba: *Oportet autem ſanguinem recto curſu fluere ex dextra quidem nare, propter hepar, & ea, quæ ſub dextro hypochondrio ſunt, è ſiniſtra autem, propter lienem. & vicinas partes*: Cùm igitur Medicus imitari naturam debeat, conſonum erit, artis præcepta, cum operibus naturæ copulare, evacuando ſecundum rectitudinem. Sic omnes hanc doctrinam uno ore fatentur.

Aliis etiam prærogativis gaudet venæ ſectio, quibus mirificè morbis opitulatur, quarum una dicitur derivatio, & ultima evacuatio nominatur; quando ergo humor, qui dicitur morbifica cauſa ſtabulatur in vicinis vaſis affectæ particulæ, inſtat indicatio derivandi per ſanguinis miſſionem, & tunc dicitur derivatoria, quoniam ex proximis venis cum membro affecto, avertit ſanguinem, ſeu humorem, qui proximus valdè eſt, cauſare morbum. Cæterùm, quando humor jam eſt impactus in loco affecto, & in ipſo infixus, morbum actu cauſat, tunc quidem indicat, & petit extractionem per ipſam partem, quippè ex ipſa ad extra facilior fit exitus, & tunc venæ ſectio, quæ id præſtat, jure optimo dicitur evacuatio, quæ differt valdè à revulſione, & derivatione, quoniam illa per diſtantes, & contrarias partes celebrari expetit; derivatio per vicinas, ſicut evacuatio per venas, quæ ſunt in ipſa parte. Itaque per derivativam venæ ſectionem

humor minimè avertitur ad contraria loca, sed vicinas partes derivatur, & avertitur; at per evacuatoriam sanguinis missionem humor per venas, quæ ipso loco sunt conjunctæ, evacuatur meliùs, & faciliùs, quàm iterum possit ad venas temeare, & ad altiora corporis loca non sine periculo deferri. Porrò si evacuationem commodè exercere non possimus, consultius erit saltim per vicinas partes, seu proximiores venas evacuationem tentare. Audite Gal. *lib. de cur. rat. per sang. mission. cap.* 19. sic fantem. *Quòd si nequeat saltim ex vicinis. Etenim in incipientibus avertere, quod insinit, expedit; in inveteratis autem, ipsum tantum, quod affectæ parti infixum est evacuare; evacuabitur id porrò optimè per venas conjunctas cum iis, quæ in partibus ipsis sunt sitæ.* Quibus verbis totam doctrinam de revulsione, derivatione, & evacuatione ad amussim explorauit, ut indè constet, metam revulsionem præcisè sumptam omninò excludere derivationem, & evacuationem, & illam fluxutis, aut paratis fluere humoribus, aut initiantibus fluere deberi, derivationem verò jam fluxis omnes tam vacuationis species optimè copulari possunt, si metam revulsionem, & omnimodam contrarietatem omninò secludamus; quod quidem poterit accidere, ut aliquam contrarietatem, secundum aliquod diametron servemus, quæ compossibilis sit cum derivatione, & evacuatione, ut accidit quandò venam secamus in pleuritide ex brachio ejusdem lateris; in quo eventu sectâ basilicâ venâ ejusdem lateris revellimus ex partibus internis ad externa: derivamus per venas vicinas, & evacuamus etiam humorem infixum in patienti loco, quoniam omnes indicationes instant avertendi, seu revellendi in contrariam partem, saltim secundum aliquod diametron ex dictis, humorem, qui paratus est fluere, & actu fluit; derivandi etiam humorem, qui in locis vicinis stabulatur, & tandem evacuandi illum humorem, qui infixus jam est in pleura, quâ adhibitâ sanguinis missione juxta Galeni saltim opinionem, & post transactum principium, aut depositâ plenitudine juxta Avicennæ placitum, & totius barbaræ Familiæ, adimplentur omnes indicationes, quæ in pleuræ inflammatione se offerunt, nullâ oblitâ, quæ in memoria tenenda sunt, quia valdè necessaria pro resolutione nostræ conclusionis. Denique oportet adnotare præter triplicem designatam venæ sectionis speciem; aliam quidem generalissimam, exerceri sæpissimè, quæ per se neque partem determinatam, neque humoris motum, sed ex toto universum respicit exuperantiam, quæ exerceri expostulat ante omnes particulares evacuationes; & ad topica auxilia debet præcedere, & hæc dicitur à Medicis universalis evacuatio, quia totum universaliter evacuat.

His præhabitis, tempus instat, ut nostram mentem aperiamus; sit ergo nostra conclusio. Quod in omnibus febribus, & morborum capitalium principio, regulariter est secanda vena in brachiis pro legitima, & methodica curatione (exceptis limitationibus *infrà* adducendis, & explicandis.) Hæc est opinio classica, & nostris temporibus in regione nostra satis plausibilis, ab Antiquorum fonte deducta, & quidem minimè quia ab ipsis adducitur præcisè à nobis amplectitur defensanda; non enim in verbo Parentum juravimus, sed in veritatis verbo stetimus, quippè absque exquisito ipsius veritatis examine antiquitati cedere solius antiquitatis ratione, est ignaviæ timiditatis servitus, & fatua ignorantia. Nos autem in præsenti litigio veritatis semitas insequimur, & rationibus manuducimur efficacissimis ab Antiquorum doctrina illustrato intellectu; ideò certè cum illis inire competentiam erit profectò indecens æmulatio, & contra tantorum virorum decus: quare æquum jam erit, ut in plausum hujus nostræ assertionis contra Hispalenses Doctores antiquorum testimoniis, & ratiocinationibus validissimis militemus.

Sit primum testimonium pro nostræ opinionis corroboratione ex Hippocr. 6. *de mor. vulg. com.* 2. *text.* 9. ubi sequentia dictavit verba. *Dissimilia, si sursum repant elata, per inferna solvere, & contraria itidem, ut capitis purgatio, vena sectio.* Quibus verbis loquitur Hippocrates de propria revulsione, si expositionem Galeni perpendamus: audite ejus verba. *Postquam enim dixit sursum elata, deorsum solvere, & contraria itidem; elata quidem, idem quod concitata significare putandum est, ut de primo affectûs exortu, ipsi sermo fiat, jubenti ad contraria loca statim retrahere, deorsum quidem in iis, quæ superius ortum habent; sursum verò in iis, quæ inferiùs.* Prosequitur Galenus paulò infrà expositionem textûs citati. *Humores namque sursum elatos; hoc est, sublime petentes, deorsum versus detrahere, haud rectè impetum facientes oportet, & contra decurrentes in oppositum ducendi sunt, ut in capite vitiato purgatione per alvum, & sectione vena cubiti utendum est.* Hæc ultima verba, quæ mirificè probant nostrum intentum, sectatores contrariæ opinionis omiserunt, à quibus tota resolutio dependet, ideòque superficialiter ponderantes adductum testimonium, gloriantur summoperè adducentes in plausum suæ assertionis omnia prima verba; O misera hominum conditio! hac ratione judicans in affectibus superioribus; in ipsorum scilicet exortu talos esse feriendos, & inferioribus per brachij venas sanguinem esse mittendum (id enim absolutè videntur significare illa *textus citati* verba; *Superiora inferius, & inferiora patientia sursum detrahere*) Falluntur tamen planè, si ultima *commentarij citati* verba maturè velint examinare; etenim postquam revulsionis naturam, quæ in morborum principio, seu exortu requiritur, ad unguem explicuit; dubitationem resolvit per ultima verba nuper citata sic. *Vt in capite vitiato purgatione per alvum, & sectione venæ cubiti utendum est.* Constat ergo ex his evidenter, quod ut revulsionis præceptum adimpleat Galenus, & humores sursùm petentes, deorsùm deferat; humorem in caput ruentem per brachij venas revellendum esse docet, quin de sectione pedum verbum adducat, forsan quia ex capite ad brachium satis deorsùm revellere putaverit: In cujus discursus confirmationem concludit sic. *Vtrunque enim evacuat, retrahitque deorsùm.* Ergo in principio morborum capitalium ad partes contrarias, & distantes, & minimè ad distantissimas exerceri debet revulsio, & sic venam cubiti secare jubet Galenus in exortu, aut principio morborum partium superiorum, quæ contrarietatem, & communionem habet sufficientem cum partibus superioribus, ut humores sursùm vergentes deorsùm trahantur: & hac ratione interpretandi sunt Hippocr. & Gal. textus, qui de revulsione in morbis capitalibus loquuntur,

loquuntur, nisi præcavere aliquos morbos intendat Antiquitas, in quo eventu humoribus paratis fluere, & initialiter fluentibus ad locum superiorem, jure optimo perfecta revulsio, & omninò impermixta debetur præcautionis gratiâ, seu præcantoria curatione, & hac ratione in morbis capitalibus, qui timentur, tali venas vulnerato, ut *inferiùs* latiùs constabit in limitationibus pro nostra conclusione adducendis.

Cæterùm, ut Galeni mens circa propositam *textûs* expositionem planiùs capiatur, & sua expositio prorsùs absque calumnia aliqua libera sit, legatur *in com. 2. ad lib. Hip. de vict. acut. sup. textum* satis tritum, *Si verò dolor ad claviculam pertigerit*; ubi sic fatur Galenus. *Nos verò partem eam, quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum, quàm cæteras partes, magis in acutis præsertim morbis vacuare contendimus. Quod sanè vena cubiti interna facit, multóque magis ubi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint.* Aurea profectò verba in confirmationem nostræ assertionis, quibus controversiam omninò absolvit, quin vestigium interpretationis pro contraria parte relinquatur, cùm in superioribus affectibus, internam cubiti venam ferire jubet, quin de affectu jam facto, neque de sola derivatione intelligi possit, tum etiam quia corpus adhuc esse plenum fatetur, dum ait. *Multóque magis ubi sanguinis redundantia ad superiora vergere videtur.* Morbum ergo capitalem incipientem meritò enarrat, quo tempore si judicaret necessariam venæ sectionem ex talo, illam sine dubio consuleret. Ergo in casu adducto, humores supra vergentes sanguinis extractione per venam cubiti revellit Galenus; non quidem jam fluxis humoribus, sed fluere incipientibus præstabat providentiam, & sic citissimam, & celerem revulsionem, qualis acutis morbis decet, administrat. Si ergo sanguine ad superiora vergenti, adhuc redundantiâ non depositâ, revulsionem per talum non fecit, neque excogitavit, etsi per ipsam plenitudo posset deponi; jure optimo colligitur, in cujusvis morbi inflammatorij principio, seu in fluxionis principio cujusvis morbi partium superiorum, posse cordatum Medicum absque calumnia aliqua venas brachiorum secare, quibus humores sufficienter revellimus, & avertimus à partibus superioribus, quin sit necessarium recurrere ad feriendos talos.

Suffragatur Avicenna Arabum Princeps *lib. 3. fen 1. doctr. 2. cap. 3.* ubi phrenitidis curationem adducit per sequentia verba. *Communis quidem cura specierum ejus verarum est phlebotomia ex cephalica, & extractio sanguinis conveniens, imò multa valde, & incipiatur hoc loco, sicut incipiunt humores.* Neque valet effugium commune, nempè quod Avicenna adducat medelam phrenitidis jam factæ, & non incipientis, nam ultima verba contrarium demonstrant; *Et incipiatur hoc loco sicut incipiunt humores.* Loquitur ergo de morbi principio, & non de ipso, prout est in statu, in quo parum, aut nihil fluit ad cerebrum, neque credendum est, virum adeò præstantem omittere in morbo ità gravi, & acuto curationem per auxilia debita in principio, & toto tempore fluxionis, & solùm expressare remedia, quæ morbo jam facto debentur: Ruit igitur omninò evasio, & tanquam vana, & chimærica posthabenda est.

Exornat, & illustrat amplius nostram doctrinam celebre testimonium summi Dictatoris *lib. 2. de mor. vulg. text. 9. com. 5.* ubi sic loquitur. *Si capitis os fractum sit, dare potu lac, & vinum æquale æquali; si autem ulcus sit, secanda sunt vena interna, nisi febricitet.* En textum primo aspectu difficilem valde, & si quis oscitanter ipsum legat, videbitur, febrem interdicere venæ sectionem, quod alienum valde à ratione est; cùm potiùs ipsam indicet; cæterùm in hac hæsitatione Vallesius noster solitâ suâ subtilitate textûs amphibologiam absolvit; nam capite ulcerato mox ab initio mitti debet sanguis, nisi admodum sit corpus inanitum, & exangue; non enim solùm profectò cùm redundans corpus succis est, vena est secanda; sed etiam cùm est eorum moderata copia, quia oportet membra aliquam penuriam pati, ne mittant ad caput, etiamsi indè tractio agatur: verùm sanguinis missio non eadem ex parte fieri debet; ex qua ob inflammationem, sed ex aliquanto remotiori; dum ulcus solùm est, & non accessit inflammatio: ergo si in capitis fracturâ, seu ulcere, non accessit inflammatio, vena interna, seu basilica secanda est, revulsionis gratiâ, ob morbum, qui nondum est, sed timetur in capite, hoc est propter inflammationem quæ meritò timetur in capite, quoties ejus os fractum est. Quandò igitur caput tentatur inflammatione, tunc quidem jam] non est secanda vena interna, sed externa; quæ derivatoria etiam est, & minimè poterit concitari inflammatio sine febre, idcóque cordatè protulit Hippocrates; secandam esse internam venam ulcerato capite, nisi febris adsit; quoniam hæc supponit inflammationem in cerebro, quæ exposcit sectionem venæ non quidem internæ, sed externæ, quæ derivet ex capite, & revellat. En quomodò incipientibus capitis morbis, Hippocrates jubet secare venam externam capitis, & minimè neque internam, neque saphenam in talo, jubet esse vulnerandam: secanda ergo ob capitis ulcus vena interna est, seu basilica, nisi febricitet; si autem jam febricitet, externa vena vulneranda est, quia febris tentati jam exulceratam parte alio malo, veluti inflammatione, aut phrenitide indicat: Hæc est doctrina nostri Vallesij *in præfati textûs expositione.* Ubi advertas, obsecro, illud verbum *Tentari*, quod absque dubio significat principium phlegmonis, aut phrenitidis in cerebro, in quo eventu juxta Hippocratis doctrinam jubet secare externam cubiti venam: jure ergo optimo incipientibus morbis partium superiorum venam cubiti secabimus, nullâ factâ mentione de sanguinis missione ex talo. Huic sententiæ auxiliatur Cornel. Cels. *lib. 2. cap. 10.* ubi ait; *Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fractum est, ex brachio sanguinem mittendum esse.*

Premit etiam Adversariorum opinionem, & nostram dilucidat sententiam idem Galenus *lib. 13. method. cap. 11.* sic. *Si caput phlegmone laborat; humeralem incidere oportet, & si ea non cernitur mediam, ubi jecur, aut cor sic afficiuntur, internam: nam in angina, primò ex cubito, mox ex his quæ sub lingua habentur in his, quæ in occipite sunt, & eam, quæ in cubito est, & eam, quæ in fronte; renibus verò, & pudendo, & utero sic habentibus, eas quæ in craribus sunt sita.* Celebre quidem testimonium, in quo difficultatem propositam clarissimè absolvit, & non quod semel

SSs 3 agendum

agendum in adductis affectionibus pro aliquo determinato tempore erudivit, sed per totum morbi decursum, quid operandum sit declaravit: sic, in angina primò ex cubito sanguinem mittit, idest in principio morbi, sic etiam in occipitis morbis primò venam cubiti ferit, ut revellat, & derivet, posteà ex fronte, ut derivet, ut evacuet, & consequenter eâdem indicatione servatâ in affectibus inferiorum partium venam poplitis jubet scindere, ut iodè constet, neque in superiorum partium morbis venam tali esse secandam, neque in inferiorum partium affectionibus venam brachiorum esse vulnerandam, præsenti jam morbo: item *eodem loco* nuper citato *cap.* 11. dum jecoris inflammationem curare aggreditur, sic fatur Galenus. *Ergo pariter tum revellendus, tum educendus, qui ad jecur fluit sanguis est, internâ in dextro cubito sectâ venâ.* Ex his infertur planè, quòd cùm sanguis fluit pro jecoris inflammatione causanda, est tempus in quo revulsio proptiissimè convenit, & indicatur, & tamen pro hac indicatione complenda, internam venam in cubito jubet secare, & minimè in talo. Ergo præsenti jam morbo sive jecoris, sive partium superiorum indignum judicabitur, & amethodum venam in talo aperire. Et quidem forsan ex Hippocrate hanc methodum arripuit Gal. 6. *epidem. sect.* 6. *text.* 5. per illa verba. *In doloribus proximum ventrem purgare, sanguinisque ventrem scindere*, &c. ubi ex loco proximo, & minimè ex omninò contrario, ubi dolor infestat, jubet venam secare; consonat idem Galenus *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 16. ubi in plevritidis principio, morbo scilicet præsenti, & humoribus fluentibus, venam secare jubet ex cubito ejusdem lateris patientis, quia clarissimam sæpè utilitatem affert, & non ex opposito latere, quia aut nullam, aut certè post temporis intervallum, cujus expressa verba non refero, quia satis trita in ore omnium sunt.

Addit insuper robur, & vim nostræ opinioni locus Galeni 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. *Nam si splenj inflammationem patiente sanguinem vis evacuare, interiores in manu sinistra venas secato, & si hepate, eadem ratione in dextra; si quid verè ex superioribus inflammationem habuerit, veluti in his affectibus, quos Græci Synanchas, & ophthalmias vocant, & quicumque alij capiti advenerint eas, quæ extrinsecus sunt, atque è directo patientibus verò membris extremis à conjugibus evacuatio facienda est, sive retrahere velis, sive derivare, præterquam ubi passio sit inveterata.* En Galeni testimonium præ cæteris citatis suadens nostram opinionem; etenim membris patientibus venas proximas, rectitudine servatâ, consulit aperire; non quidem evacuationis gratiâ, quippè eam solis inveteratis affectibus jubet administrari; sed revulsionis, & derivationis causâ, ut verba citata ultima id planè demonstrant, dum ait, *sive retrahere velis, sive derivare.* Vnde infertur, Galenum *in hoc loco* revulsionem derivationi contraponere, necnon etiam utrumque scopum ex vicinis venis consequi, & minimè relata verba, & similia, quæ adducuntur ab eodem Autore, possunt interpretari de sola derivatione, cùm expressè proferat, *Sive retrahere velis, sive derivare*: Ergo de veta revulsione loquitur in ophthalmia, & synanche, & aliis affectibus superioribus, in quibus venam secare jubet in cubito externam, & ut simul revulsionem moliatur respectu humorum fluentium & derivationem respectu eorum, qui sunt in vasis vicinis.

Consonat etiam idem Autor *super lib. Hip. de humor. in com. ad text.* 13. ubi revulsionis naturam ostendit per modum exempli, & adducit juxta Hippocratis mentem per sequentia verba. *In quam etiam sententiam affirmamus, venæ sectionem remedio esse vehementi sanguinis profusioni, ac nos sæpè id sumus experti immodicam sanguinis fluxionem, ita evidenter cohiberi; perspicuum autem est, venam humeralem ejus brachij, quod rectà via ei nari, è quâ sanguis largè fluit, respondet, incidendam esse, sique ex utraque nare profluat, utramque venam secandam, neque enim evacuationis, sed revulsionis gratiâ, venam incidimus.* Ex his clarè infertur, quod ut sanguinem è naribus fluentem revellat Galenus, minimè distantissimam venam sitam in talo eligit, sed eam, quæ est in brachio, quæ distantiam habet sufficientem, & contrarietatem, ut revellat. Et insuper cùm per ejus sectionem vicina vasa membris patientibus inaniantur, simul etiam derivationem copulat cum revulsione, & utramque perficit indicationem. Hinc disces, revulsionem, quam sursùm & deorsùm Hippocrates commendat, minimè de venis distantioribus à Galeno interpretari; oppositum potiùs manifestè dictavit, dùm in affectibus capitis venas externas brachiorum, & in affectibus lienis internas venas secare jubet: Alienum ergo à ratione erit asserere cum Hispalensibus Doctoribus in morbis capitalibus, distantissima vasa, & omninò contraria vulnerare, quandoquidem verba Galeni contrarium planè demonstrant.

Nec valet effugium Adversariorum, affirmantium testimonia Galeni citata hucusque, in quibus venas brachiorum secare jubet, esse intelligenda de affectibus capitalibus, qui jam sunt facti, in quibus urget materia, quæ ad læsam particulam effluxit, & in ipsa est jam imbibita, seu impacta, & minimè de humoribus fluentibus actu, & paratis fluere, quibus debetur revulsio ad distantissima loca, quam videtur supponere Galenus per universalem providentiam, quæ necessariò debet antecedere ad proximam curationem affectuum capitalium, quos proponit *locis suprà citatis*, & hac ratione plevritidem venæ sectione ejusdem lateris curat, habitâ ratione materiæ imbibitæ in plevra, & non fluentis: & 13. *methe. cap.* 11. jecori inflammatione laboranti cubiti venarum apertione occurrit, quâ jecoris, & viciorum partium sanguinem pro viribus exhauriat universalioti revulsione alibi suppositâ, & sic de aliis philosophantur, ut suam opinionem noviter stabilire queant, irrationabiliter interpretantes Antiquorum mentem. Nam minimè credendum est, Galenum in morbo ità acuto, & gravi, qualis est lateralis, necessariam, & generalem providentiam tacuisse, omittendo sanguinis missionem ex contrario loco; quandoquidem plura minoris momenti auxilia non omittit, imò ex latere opposito vena secta nullam, aut longum post temporis intervallum utilitatem præstare docuit: si ergo pro aliqua temporis differentia esset utilis, ipsam non dubiè commendaret, si adæquatam medelam tanti mali adducere in animo erat, sic maturè considerantes præsentem expositionem, credere debemus, medelam adhiberi à Galeno, quæ opituletur humoribus

ribus fluentibus, & jam fluxis, quæ illicò à principio, & toto tempore fluxionis indicant revulsionem, & derivationem per venam brachij ejusdem lateris, quam tundere consulit, usquedum omninò evanescat fluxio, & solùm quod impactum est in plevra urgeat, in quo eventu scarificatæ cucurbitulam supra locum affectum consuluère omnes Medici, ut humorem impactū exhauriamus, imò etiamsi fluxio non cessaverit, & urgeat nimis, quod impactum est in plevra. Noster Vallesius in expositione illorum verborum Hippocratis. *Derivare, cedentem revellere statim, renitentem cedere. 6. epidem. sect. 2. text. 6.* in sequentia verba prorumpit. *Ità etiam sæpè in ejusdem internis inflammationibus, cum revulsioni non satis cederent, & timerem ne phlegmonis magnitudini anticiparent mori, alternatè utens missione sanguinis secundum rectitudinem, & scarificatione ab admotis parti cucurbitulis plurimos mihi videor mirificè morti eripuisse.* Quod sine dubio administravit, ut utrique indicationi satisfaceret, revellendi scilicet, quandò venam rectam ejusdem brachij secabat, & derivandi; & evacuandi, quandò scarificabat locum affectum, eodem igitur tenore procedere debemus in morbis partium superiorum; quando jam sunt facti, & non imminentes solùm; siquidem quod in particula continetur, & in vicinis venis derivationem expostulat, & evacuationem, quod verò actu fluit revulsionem, sed non per omninò contrariam, & distantiorem partem qualiter in præcautione; sed per venas brachiorum, quæ habent sufficientem contrarietatem, ut fluentes, & caput irruentes in medio itineris revellamus, sed de hoc *suprà* diximus, & *infrà* latiùs dicemus.

Insuper etiam dum de inflammatione jecoris loquitur Galenus, & ipsius medela *lib. 13. method. cit.* minimè potest interpretari de indicatione sumpta ex humoribus imbibitis in jecore, cùm suprà sequentia verba scribat. *Proponatur itaque jecur jam phlegmonem contrahere incipere, tum quænam mali ejus commodissima sit curatio, quæratur: omnium ergo primum ab his, quæ retuli incipiens, an totum corpus inanitione indigeat, considerabis; quod si indigere inveneris, venam cubiti secabis &c.* Ergo in hac curatione methodicè procedens, ut assolet, primò ad totius providentiam attendit per illa verba. *An totum corpus inanitione indigeat.* Non ergo ad conjunctam causam, & humorem imbibitum in jecore attendebat solùm; præcipuè cùm proponat curationem jecoris inflammationem contrahere incipientis, in quo eventu non omitteret, venæ sectionem omninò revulsoriam, qualis ex talo solet celebrari: si ergo secuit primò cubiti venam, sine dubio per ipsam adimpleri judicavit indicationem revellendi, & derivandi, quam consulere debet cordatus Medicus, nisi solùm præcautionem talium morborum intendat: Revulsio ergo in principiis morborum partium superiorum ad partes contrarias distantes, & minimè distantissimas est celebranda, ac per consequens in brachio est vena secanda, quæ cum affecta parte communicationem habet: Nec aliud intelligit Galenus per illa verba *sursùm, & deorsùm humorem retrahere.* Etenim ubi præsens est morbus in parte superiori deorsùm trahitur humor, si cubiti venam feriamus, quæ revellit, licèt non ex distantiori loco, qualiter in præcautione facere debemus.

Hanc nostram Antiquorum sententiam insequuntur Classicorum Doctorum principaliores, quorum unus est Paulus *lib. 3. cap. 6.* curationem phrenitidis adducens; ubi protinùs è cubito sanguinem esse mittendum tenet, & quidem copiosè, nullâ factâ mentione de sectione in talo, cùm illicò à principio phrenitidis id fieri suadeat, ut illud verbum *protinùs* apertè significat medelæ initium. Favet etiam eandem opinionem citatus Doctissimus Cornel. Cels. *loco suprà allegato*, ubi & litigium adductum proponit, & absolvit sequenti serie. *Neque ignoro quosdam dicere quàm longissimè sanguinem, indè ubi lædit, esse mittendum, sic enim averti materiæ cursum, at alio modo in id ipsum, quod gravat evocari, sed id ipsum falsum est; proximum enim locum primò exhaurit, ex ulterioribus autem eatenùs sanguis sequitur, quatenùs emittitur.* Ubi advertas, obsecro, Adversariorum opinionem de mera revulsione, & ipsorum fundamenta proponere, & contrariam viam eligere, ratione confirmatam, ut ex verbis constat.

Item ex modernis Doctoribus, & Classicis in Arte medica, tuentur nostram opinionem Vallesius Complutensis Academiæ nostræ honor & gloria *in suis controvers. lib. 7. cap. 4.* Complutensis semper laudandus Christophorus à Vega *lib. method.* Alexander Massarias, Petrus Forestus *in suis observat.* Mercurialis *in Aphor. & Consultationibus.* Sennertus & Zacutus, atque Lazarus Gutierrez Vallisoletanus *in Febrilogia curs. 9. lect. 4.* & tandem ferè tota Modernorum caterva, quos longum esset recensere.

Sufficiant adducta antiquorum, & modernorum testimonia pro corroboratione nostræ assertionis, & agamus jam rationibus, quæ suadeant id, quod ex Antiquorum dictis, tanquam ex limpidissimo fonte omnes exhauriunt, & quidem, si memoriâ teneamus id, quod *in principio hujus capitis* prænotavimus de revulsione, derivatione, & evacuatione, quæ competit humoribus paratis fluere in præcautione morborum, vel actu fluentibus in principio principiante, aut in vasis proximis laborantis particulæ stabulantibus impactis, quibus convenit retractio per derivationem, aut in ipso loco affecto, quibus debetur evacuatio per eandem partem, constabit sanè humoribus actu fluentibus in principio initiante, & paratis fluere deberi meram revulsionem ad contrariam, & distantiorem partem, quæ prorsùs impediat humorum motum, seu concitationem in partem debilem, in quam præcipitantur. Cæterùm si morbus aliquis capitalis præsens jam sit, & non solùm in parte affecta sint humores aliqui imbibiti, utrùm in proximis vasis stabulentur, maximáque sit ipsorum saburra, tanquam proxima, & immediata causa augens morbum ipsiúsque incrementum concitans, tunc quidem nullus cordatæ mentis ignorabit retractionem per derivationem esse indicatam, ne in partem affectam incidat humor, qui vi fluxionis ad vicinas venas pervenit, & ne furiosiùs præcipitetur celerem indicat retrogressum, qui sola derivatione ad proximiora loca regulariter perficitur. Denique humor, qui in partis affectæ venulis est imbibitus, & habet rationem causæ conjunctæ, evacuationem desiderat vel insensibili difflatione, vel topicis auxiliis administratis, quæ humorem impactum exhauriant. Hæc est expressa doctrina Hippocratis *lib. 8. de humor.* ubi de revulsione, & derivatione sic

Medela

Medela evocatio, derivatio in caput, in latera quà maximè repit, aut revulsio in supernis deorsùm, in infernis sursùm. Idem testificat 6. *epidem sect.* 2. *text.* 29.

Ex his deducitur argumentum satis efficacissimum pro validatione nostræ opinionis. In principio cujuslibet affectus capitalis, aut partium superiorum humor existens in vasis vicinis indicat sui ablationem, aut saltim ab affecto loco possibilem recessum: sed talis ablatio causæ minimè lucratur per meram, & absolutam revulsionem ad distantissima, & contraria loca, qualis est ea, quæ celebratur in talo. Ergo ea minimè est administranda in principiis morborum partium superiorum. Minor suadetur, quia in principio morbi præsentis partem superiorem occupantis instar retractio illa derivatoria indicata ab humoribus contentis in vasis vicinis, qui habent rationem causæ proximæ, à quibus incrementum suscipit morbus; sed hæc nullo alio modo meliùs deponitur; & evacuatur, quàm mediâ derivatione, quæ citissimè consequitur, sectâ venâ in cubito. Ergo exercenda meritò est in principio morborum partium superiorum, & minimè est secanda vena in talo. Premitur discursus quoad hanc ultimam minorem propositionem, quia si humor occupans proximas venas particulæ læsæ non diffunderetur, impossibile esset, morbum inceptum capitalem augeri, quippè aliunde morbifica materia communicari immediatè non potest, cùm sit morbi proxima, & immediata causa, quæ deleri exposcit, & si id prorsùs consequi non possit, saltim expostulat averti, & derivari à loco patienti; hoc autem merâ revulsione fieri nequit, ob partium, & venarum immodicam distantiam, quapropter aut tardam, aut nullam utilitatem affert, si fiat ex talo, citissimam autem, & claram si ex cubito celebretur venæ sectio, undè si in cujusque partis superioris, morbo præsenti fiat sectio, in talo, indicatio ab humore in vasis proximis partis affectæ petita omninò contemnitur, & morbum augeri permittimus, minimè impedito lapsu, aut præcipitio ad partem affectam, & omninò frustratâ curatione, & inutili redditâ, imò etè si in principiis segniter morbos tractamus, difficiles, prorsúsque incurabiles redduntur. Confirmatur ampliùs discursus propositus; etenim in principio morbi cujuslibet partis superioris priusquam morbus ipse cœperit partem affectam nimis labefactare, proxima ejus vasa sunt satis repleta humoribus, qui sunt proxima, & immediata causa morbi præsentis, qui ab ipsis fovetur, & continuò augetur: sed hujusmodi causa immediata solùm divertitur, & derivatur vulneratâ venâ in brachio, & minimè in talo, cùm hæc solùm revellat humores, qui parati sunt fluere, & actu præcipitantur ad venas proximas, ut per se patet. Ergo humor, qui fluxit, & stabulatur in vasis proximis, priùs, & potiori jure sui ablationem indicat, ne in partem velociter præcipitatur, idcóque celerem exposcit retrogressum, qui solâ derivatione per sectionem venæ in brachio ad proximiora spatia regulariter perficitur.

Confirmatur ampliùs nostra conclusio: nam ubi duplex indicatio curationis est ab affectu, amethodum est operari pro ratione unius, alterâ neglectâ, imò eligendum tunc temporis auxilium est, quo utraque indicatio compleatur, igitur cùm propter fluxionem aliquam venam secamus, necesse est aliquid fluere (si modò fluxionis principium est) & aliquid fluxisse; neque enim fluxionem anteà sentimus, quàm id quod fluxit, dolorem excitet: onde quod fluit revulsionem exigit, quod fluxit verò partim derivationem, partim evacuationem, nempè quod in angustis continetur meatibus evacuationem expostulat; at verò quod circa particulam affectam, seu in vasis proximis ad ipsam derivationem exigit: Ergo in omni tali affectione morborum partium superiorum incipientium, ea venæ sectione utendum est, quâ simul & revulsio, & derivatio & evacuatio celebrentur: sed hæc omnia consequuntur sanguine misso ex brachio, & minimè si talum feriamus: Ergo in dictis affectibus præsentibus rationabiliter, & methodicè Medicus procedet, venam secando in brachio; hæc enim, quia contrarietatem habet aliquam cum partibus superioribus, revellit; & cùm habeat societatem cum ipsis derivat, evacuando ex vasis vicinis immediatam, & proximam morbi causam: si verò ad venam secandam, affectu præsenti in parte superiore, descenderemus ad inferiora, feriendo talum; solùm revelleremus, perindè ac si in partem laborantem nihil incidisset, & indicatio desumpta ab eo, quod in loco affecto continetur, & in ipsius vasis proximis, omninò oblita permanebit, & morbus incrementum suscipiet, si utrique indicationi non succurramus, vulnerando venam in brachio, ut omnes indicationes compleantur pro morbis præsentis medela occupantis superiora membra. Quâ etiam ratione in morbo laterali secanda est vena juxta Galeni opinionem, quam toto corde veneramur in brachio ejusdem lateris, etiamsi primo inflammationis die accedamus ad ægrotum, quoniam etiam primo die inflammationis necesse est aliquid fluxisse in pleuram, cui occurrendum celeriter est, non quidem revellendo solùm, sed derivando, & evacuando; quod completur, secando venam in brachio ejusdem lateris, ut de morbo superiorum partium nuper dicebamus. Cæterùm si citra malum aliquod, vel saltim citra inflammationem, quæ per se curationem indicat, præcautionis solùm gratiâ venam secaremus, nihil prohiberet quamcumque alteram membrorum societatem negligere; quippè in illo tempore nulla indicatio ejus, quod fluxit adest, nec ejus, quod fluit in pleuram (idem est de morbo partium superiorum) utpote nihil adhuc fluit in proposito casu, sed ejus tantùm quod timetur, ne fluat, instat: inflammatione autem præsenti respectu humoris, qui jam in parte affecta stabulatur, debetur evacuatio, fluenti autem humori partim debetur revulsio, & partim derivatio; ei verò, qui fluxurus est, revulsio sola mera debetur, sicut in his, qui ob vulnus, aut ictum ex casu evacuantur, cùm nundum inflammatio excitata est, siquidem tunc nullum speciale membrum læsum sentitur, & sic ex quolibet latere poterit secari vena: potest verò non tantùm in iis, qui morbo laborant, sed in bene valentibus esse partis indicatio, non quidem ejus, quæ morbo affecta est, cùm sit nulla, sed ejus, quæ morbo affici solet, in quibus licet uti revulsione sola, nihil habente evacuationis, neque derivationis; in iis verò, qui jam ægrotant non licèt uti merâ revulsione, nisi forte cùm maximæ plenitudinis subessent initio fluxionis notæ, & ea pars, quæ laborat, esset ignobilis, ut si cum magna totius corporis plenitudine

dine inciperet fluxio in genu (exempli gratiâ) incumbere liceret tunc auspicari venæ sectionem à cubito lateris contrarij destituta, aut oblita rectitudioe laborantis particulæ, tamen in plevritide, aut io morbo aliquo ex capitalibus operandum est, ut *suprà* monuimus, quia à natura constituta sunt talia membra in dignitate præcipua, aut valdè utili pro vitæ custodia, & sic indicatio, quæ sumitur ab humore contento io ipsis partibus, aut in proximis, & vicinis vasis magni est momenti; quapropter debet fieri in hujusmodi morbis retractio talis, quæ vim habeat revulsionis & derivationis, & fortasiè evacuationis, ut ritè, ac completè, & methodicè curatio procedat. Ita Galen. 2. *ad Glauc. cap.* 2. dictavit.

Licet etiam à membro patienti recedere, cùm pars mittens agnoscitur, aut suppressio alicujus naturalis, vel consuetæ evacuationis mali præsentis sit occasio; tunc enim cum membro mittente potiùs, quàm cum recipiente, rectitudo debet servari, aut cùm illa evacuatio procuranda, veluti muliere plevritide laborante, cui suppressæ sint menstruæ evacuationes, aut homini, cui sunt cæcatæ hæmorrhoides, ex talo debet vena secari, quâ mera revulsio celebretur, veluti in his, quibus sanguinem mittimus, ad cohibendam aliam fluxionem; sed de his latiùs *infrà* agemus, dum limitationes, quas patitur nostra opinio, explicabimus.

Confirmat nostram resolutionem Galenus *lib. de vena section. cap.* 19. ubi in morborum imminentia meram revulsionem, & omninò impermixtam cum derivatione consulit, sic vertigioi, & epilepsiæ obnoxiis ex talo sanguinem detrahere jubet; undè planè infertur, quod quandò morbus jam incepit, & ipsius causa jam in proximas partes membrorum superiorum irruit, celeriori indiget providentiâ, & celeriorem medelam expostulat, quam minimè præstat mera, & impermixta revulsio, nisi accedamus ad derivationem, venam feriendo, in brachio: aliter enim præcautionem, & curationem prorsùs confundes, quasi non urgeret magis præsens morbus periculosus, quàm ille, qui timetur, & non est præsens: Vt igitur occurras præsenti morbo, minimè est omittenda indicatio, quæ sumitur ab ejus causa proxima in vasis vicinis stabulante juxta membrum, quod actu patitur: aliter ergo quàm præcautione trsctandi sunt morborum insultus ad partes superiores, non quidem ex talo venam secando, sed in brachio venam feriendo, ut methodicè omnibus indicationibus succurramus.

Verumtamen contra dicta se offert difficultas non contemnenda: nam si dictis stemus, in principio cujuslibet morbi capitalis præsentis illicò se offert, & urget indicatio auferendi causam conjunctam in cerebro stabulantem, quæ exposcit evacuationem, necnon etiam instat indicatio derivandi causam imminentem, & proximam morbificam occupantem vicina cerebri vasa, & tamen in principio phrenitidis, aut cujuslibet inflammationis cerebri (exempli gratia) minimè cordatus Medicus applicat auxilia localia evacuatoria, neque derivatoria, qualia sunt incisio venæ in fronte, aut applicatio hirudinum, aut appositio medicamenti resolventis; etenim licèt morbus adsit, & ipsius causa conservans, quorum ablatio statim indicatur, tamen omninò despicitur in principio, ne fiat major humorum convocatio ad locum affectum, & incrementum morbi celeriùs accidat, & inemendabile damnum suscitetur: Erit ergo applicatio prædictorum auxiliorum intempestiva, & periculis plena: Ergo prudens artifex in Arte Medica potiùs humoribus fluentibus, & ad vicinas venas concurrentibus debet occurrere per revulsionem, & derivationem, & in posterum debet differre auxilia topica, quæ opponuntur causæ conjunctæ, & imbibitæ in cerebro. Ex quo non invalidè infertur, quòd, licèt in principio morborum capitalium sit indicata derivatio, & evacuatio pro humoribus existentibus impactis, in membro affecto, necnon etiam pro illis, qui sunt in proximis venis, tamen priùs debemus oti revulsione, sectâ venâ in talo, ut fluentium humorum impetum compescamus, & imposterum debemus secare venas in brachio, ut cæteris indicationibus satisfaciamus: Itaque licèt in intentione sit priùs morbum, & ipsius conjunctam, & proximam causam præscindere, tamen in executione tota curatio ad humores fluentes per meram revulsionem dirigi debet, ut fluxionem humoris distantis priùs cohibeamus, venâ sectâ in talo, ut posteà ad derivationem & evacuationem securiùs & artificiosè accedamus pro morbi exterminatione.

Præfatum argumentum minimè evertit vim nostræ conclusionis; nam licèt à principio morborum partium superiorum vigeat indicatio auferendi morbum, & causam conjunctam, seu conservantem, attamen ipsius satisfactio à principio valde impeditur ex eo quod si à parte affecta Medicus aliquid detrahere vellet per manifestam aliquam evacuationem, immedicabile damnum suscitaret, quia & parum, aut nihil detraheret, & majori humoris morbifici concitatione præternaturalem affectum celeriter augeret; quam ob rem licèt pro tunc talis indicatio non contemnatur, in aliud tempus ipsius satisfactio cordatè differtur, & interim succurritur repercutientibus auxiliis, si locus ea non prohibeat, & contemperantibus, ut compressus humor, & impactus io membro paticoti aliqualiter retrocedat, & ut non facilè recipiat, dictâ corroboratione factâ in parte affecta, & attemperata, ut sic pro statu possibili temittatur aliquantulum morbus: tamen certum est in principio morbi prædictarum partium revulsionem, & derivationem humorum fluentium, tanquam urgentiorem exequendam esse, quæ optimè luctatur, sectâ illicò à principio venâ in brachio, per quam optimè præstatur revulsio humorum fluentium, & eorum qui in venis proximis partis superioris affectæ occurrunt: etenim vena sita in brachio, sive communis sit, sive basilica, si scindatur, sufficientem à capite distantiam habet pro revulsione, neque adeò distantem, ut derivationi etiam non inserviat: Itaque unicâ venæ sectione in brachio, revulsio, & derivatio simul exercentur, si verò meram revulsionem morbo partium superiorum, præsenti etiam, in principio inteoderemus, venam secando in talo, causam immediatam actu morbificam non evacuabimus, omninò

neglectâ derivandi indicatione, simul & revellendi, sic meritò secanda est vena in brachio, quæ simul derivat, & revellit, quippè mera revulsio solùm præcautionis gratiâ humoribus paratis fluere, & in principio initiante fluxionis solùm est exercenda: at si in principio talium morborum capitalium frontis venam secaremus, aut hirudines fronti applicaremus, licèt aliquantulum derivatio humoris à loco affecto fieret; tamen omninò contemneretur revulsio, & morbus præsens magnum, & immedicabile capesseret incrementum: jure optimo igitur evacuatio à membro affecto in ultimum differtur, quandò præsumitur rationabiliter fluxionem jam evanuisse, & non esse necessarism revulsionem ullam: meritò ergo in principio morborum partium superiorum contemnimus venæ sectionem ex talo, & probamus eam, quæ secatur in brachio.

Iterum objicies contra adductam doctrinam; nam factâ venæ sectione in talo, & per ipsam revulsione merâ factâ, licèt impulsus ad supernas partes non accedat, nec proximus effluat humor, qui ad venas proximas affectæ particulæ accessit, tamen successione ad humorem, qui evacuatur per talum, sanguinem existentem, in partibus superioribus evacuari & moveri est necesse, quippè inferiores venæ cum superioribus, & totus sanguis in ipsis contentus omnimodam servant continuitatem, cùm omnes ex caudice uno, trunco nempè cavæ venæ primò prosiliant: ergo in principio morborum partium superiorum etiamsi inster indicatio derivandi humores decurrentes ad venas proximas, & ipsas revellendi simul, tamen factâ merâ revulsione ad distantissimas partes, per talum sanguine misso consequemur revulsionem simul, & derivationem; siquidem per ipsam non solùm inferior sanguis evacuabitur, verùm etiam ille, qui juxta superiores partes continetur, movebitur deorsùm, successione dicta ejus, quòd primò fluit per vulnus tali, ac per consequens jure optimo, completis ambabus indicationibus revellendi, & derivandi, in morborum partium superiorum principio secabimus venam tali, & non eas, quæ sunt in brachio.

Respondeo verum esse per sanguinis missionem ex talo posse corpus prorsùs inaniri, necnon etiam fateor successione ejus, quod primò evacuatur, id fieri, non tam æquè, nec ità celeriter, sicut indicatio, & affectûs urgentia postulat partium superiorum fieri indicamus, sectâ venâ in talo, aut in distantioribus membris à loco affecto, siquidem proximioribus vasis incisis clarior, & celerior utilitas cernitur, dummodò salvetur revolsio, & derivatio, qualiter accidere monuimus, sectâ in brachio venâ in affectibus partium superiorum; sectâ autem venâ in talo, humores, aut sanguis non æqualiter moventur, sed potiùs evacuationis vis penitùs evanescit, quia utilitas non percipitur clara, quippè humores longinqui insensibiliter quoad Medicum moventur, ex eo quod sanguine ex talo misso, ille, qui parum supra talum est, deorsùm movetur, & qui in superioribus membris residet, motu illo per revulsionem illato, manebit immunis, nec poterit effrenari: utiliùs ergo erit secare venam in brachio ut utiliter, & celeriter, atque tutò curatio perficiatur, completis omnibus indicationibus ab affectu, & causis petitis. Neque evertit vim nostræ ratiocinationis, si respondeas, moveri celeriter sanguinem in superioribus vasis stabulantem, venâ incisâ in talo gratiâ vitandi vacuum, nam hæc evasio *supra* est impugnata ex eo, quod alia sint corpora, quæ etiam moventur, ut sanguinis vapor, & partes aëteæ, necnon etiam vasa ipsa nimis plena concidunt sanguine evacuato, & replent etiam vacuitatem relictam à sanguinis multitudine; quapropter citiùs, & celeriùs evacuatio, & revulsio celebratur, sectâ in brachio venâ, quàm in talo.

Insuper etiam fulcitur nostra conclusio, quia sæpenumerò accidunt plurimi morbi in partibus superioribus, quorum causa à capite descendit, tanquam à parte mittente, quæ est talium fluxionum origo. Ità docuit Hippocrates 4. *de vict. acut. text.* 30. per sequentia verba. *Synanches, seu angina fit, cùm hyeme, veréque fluxio multa, & viscosa à capite ad jugulares defluxerit venas.* Quâ suppositâ doctrinâ, tanquam regularissimâ, sic premo assumptum in favorem nostræ assertionis: nam præsenti acutissimo morbo, qualis est angina in casu adducto, si talum vulneremus, nullam utilitatem lucramur, quia humorem fluentem nequaquam revellimus; nam revulsio ad fluxionis originem fieri debet: & cùm supponatur originem fluxionis esse caput, versus eam partem celebrari debet sectio venæ, tundendo in brachiis venam. Ità Hippocrates *allegato loco text.* 30. *citato* notificat loquendo de angina sic. *Ita ut citò suffocet, nisi quis citò auxilium ferat, sanguinem ex brachiis detrahens.* Jubet ergo illicò à principio, venas in brachiis aperiendas esse, ut celeriter, & citiùs suffocationem inhibeamus, quòd si id facere valerent sectiones in talo, minimè tacuisset: ergo quoties humor à capite in subjectas partes decumbit, solâ sectione venarum in brachio fieri debet retractio, ut ab origine fluxionis sanguinem detrahamus, & tandem ad sectionem in venis, quæ sub lingua sitæ sunt deveniemus, ut causam conjunctam tempore opportuno demamus.

Suffragatur etiam Galenus *in exposit. sup. text.* illum satis tritum Hippocratis a. *acut.* qui incipit. *Si verò ad claviculam pertigerit dolor, aut molesta sit vel brachio, vel mamma, vel partibus septo transverso superioribus gravitas, internam cubiti venam secare expedit.* Prosequitur Galenus confirmans Hippocratis placitum sic. *Cùm igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam oportet, qua sanguinem ab affecta parte, & magis, & velociùs tum revellere tum vacuare possit.* Sensit igitur expresè Galenus cum Hippocrate, venam cubiti incisam simul revellere, & evacuare in plevræ inflammatione, præcipuè quando ad claviculam signum fecerit dolor, seu partium superiorum condolentia signum fecerit, ut nobis demonstraret quanta sit urgentia humoris, qui continetur in plevra, & ejus vasis proximis, ut cordatus

tus Medicus non contemnat indicationem derivandi ſimul, & revellendi humorem fluentem, ut ſimul mixtæ, & duplicatæ indicationi ſatisfaciat, venam ſecando in cubito, quæ habet vim ſimul revellendi, derivandi, & evacuandi. Et quidem hæc doctrina præcipuè habet locum in affectibus capitalibus, qui celerem, fatalem, atque funeſtum eventum prænunciant, ſi citò non ſuccurramus derivando, & evacuando ſimul, & revellendo ob dignitatem, & præſtantiam partis principis, quam occupans: Et quidem hanc urgentiſſimam indicationem contemnentes Medici talares, venam tali ſecare jubent in principio morborum partium ſuperiorum indicantes identificatam eſſe cum revulſione ſciſſionem in talo, quaſi non eſſet alia revulſio niſi es, quæ celebratur per ſectionem prædictæ partis: quapropter omiſsâ indicatione humoris, qui continetur in cerebro, & ejus vaſis vicinis, ſolâ celebratâ merâ, & abſolutâ revulſione ægrotantes præcipitant, ipſorum obitum accelerando, aut ſaltem morbum augendo, protervè negantes revulſionem, quam præſtat ſectio venæ in cubito in morbis partium ſuperiorum.

Exornat ampliùs noſtram concluſionem Galenus *libro 3. de loc. capite 7.* ubi ſermonem inſtituens de melancholia morbo per conſenſum cum toto, ſic medelam inſpit. *Cùm ſperaveris in univerſi corporis venis melancholicum ſanguinem contineri quo certiorem habeas notitiam cubiti venam ſeca.* Et *infrà* proſequitur in contextu ſic. *Quòd ſi tum fluens ſanguis melancholicus non videatur, ſtatim ſupprimatur; ſi verò talis appareat, vacua quantum pro laborantis corporis habitu ſatis eſſe conjeceris.* Quibus verbis maturè perpenſis clarè infertur in affectu capitali non ſolùm imminenti, ſed præſenti Galenum conſuluiſſe venam in cubito ferire, & ſic de aliis affectionibus capitalibus idem ſentire cenſendum eſt, ut ex *ſupra* citatis teſtimoniis planè conſtat.

Nec diſtat ab hoc ſentiendi modo fideliſſimus Galeni interpres Arabum Princeps Avicen. *ſen 1. libr. 3. tract. 1. capite 9.* ubi adducens regulas curandi affectiones capitales, ſequentia verba poſteritati reliquit ſcripta. *Cùm materiam vacuare voluerimus, contemplamur tunc, ſi ſignificatio oſtendit ſanguinem cum ipſa abundantem eſſe, aut in ſanguine non eſt imminutio, quæcumque ſit materia, incipiemus à phlebotemia cephalica, & venarum capitis, &c.* Ex his infertur in quolibet affectu capitali incipiendam eſſe curationem ſecando venam cephalicam. Et *inferiùs* ſubdidit ſic. *Si ſanguis quidem in toto eſt corpore, & in capite materia exuberans continetur, phlebotometur cephalica.* Vt diſcas, exiſtente adhuc plenitudine in toto, ſolùm præcisè quia in capite eſt materia exuberans, conſulit ſecare venam cephalicam. Cæterùm quandò non eſt materia contenta in capite, ſed timetur fluxio, aut incipit fluere materia, jubet ſecare venam communem per ſequentia verba. *Sed ſi nondum continetur, ſed eſt in hoc ut contineatur, minuatur nigra, ſeu media.* Et tandem proſequitur, & concludit ſic *in eodem textu citato: Et ſi timetur comprehenſio antequam incipiat pervenire ad hoc ut contineatur, ſicut ſi contingat propter cauſam attrahentem humores in circuitu capitis ex calore extrinſeco, aut percuſſione, aut reliquis phlebotometur baſilica.* Deducitur ergo ex his, incipere Avicennam à ſectione venæ in cubito, incipientibus morbis partium ſuperiorum, & capitis, & adhuc quandò timetur fluxio ob aliquam externam cauſam ſecandam eſſe baſilicam, tanquam revulſivum auxilium; quod ſpeciale eſt in hac doctrina: eſt enim amethodum in urgentibus morbis ſimplicem revulſionem moliri, cùm ſemper urgeat ſuo modo, quod in parte affecta mortalem paſſionem generat, & mortem minatur, ſin minùs morbi incrementum. Vnde jure optimo ſugillantur Medici, qui accipientes præcepta univerſalia, omnibus caſibus illa accommodant, nullâ adhibitâ providentiâ, & diſtinctione cum certa ægrorum pernicie: Feſtinare ergo tenemur in adimpletione indicationis, quæ deſumitur ab humore impacto in capite, ſeu cerebro, necnon etiam in ipſius vaſis proximis, non omittendo indicationem inhibendi fluxionem; quod perficitur, venam ſecando in brachio in præſentia morborum partium ſuperiorum incipientium. Itaque in morbis fluxionis, licèt prima indicatio ſumatur ab eo quod fluit, & regulari curatione utamur merâ revulſione: tamen hæc doctrina locum habet, quando non urget, quod in capite continetur, cujus indicatio minimè eſt contemnenda, ſed potiùs tanquam principalis attendenda: nam ratione humoris contenti in cerebro (exempli gratiâ in phrenitide) æſtuat valde, & calore, & ſenſatione continuâ ſanguinem rapit ad ſe, & ocyſſimè implerur, unde celerem expoſcit evacuationem, quæ fit ſectâ venâ in cubito, quæ habet ſufficientem diſtantiam, ut revulſiva dicatur, & inſuper derivat, & evacuat materiam, ſeu cauſam proximam, & immediatam morbi.

Limitatione tamen indiget Avicennæ doctrina nuper adducta; nam quandò in principio phrenitidis primò jubet ſecare venam cephalicam, eſt ſolâ attentâ indicatione phreniridis, & cauſæ conjunctæ, & impactæ in cerebro, quæ ad ſe rapit totam curationem, quandò valde urget talis indicatio; in quo eventu non ſilebo ſudsciam Euſtachij Rudij affirmantis, quod in præſentia ſuppreſſionis menſtruæ convenit primò ſecare venam cephalicam in phrenitidis urgentia, eo quod inter initia magis poteſt capitis inflammatio ad indicandum: hoc autem temerarium eſſe judicamus: fortaſsè tamen curationem ſecuriùs perficiemus ſi ſimul talum & cephalicam venam vulneremus, ut completè ſatisfaciamus, & adæquatè utrique indicationi. Cæterùm ſi cum phrenitide complicetur indicatio cohibendi fluxionem, debemus occurrere mixtæ indicationi, & duplicatæ, eò quòd fluxio auget materiam imbibitam in cerebro, & quod impactum eſt, auget etiam fluxionem: itaque reciprocâ actione mutuò ſuſcipiunt incrementum, quare in hujuſmodi ægrotantibus, exiſtente plenitudine, optimè ſecatur primò communis vena, quæ reſpicit totum, & cerebrum, mox verò ad cephalicam veniendum, ut extrahatur, quod phlegmonem generat, & hoc faciendum eodem die, ut ad amuſſim ſatisfaciamus urgentiſſimo capitis morbo, ratione materiæ contentæ, & imbibitæ in ipſo, quæ incrementum morbi prænuntiat, & minatur mortem. Hac ratione noſter

Pettua Michaël Heredia Antecessor Primarius Complutensis noster, & Archiater, convictua asserit intrepidè in expositione historiæ epidemicæ Hippocratis uxoris Dealcis contra Phrygium, venam frontis esse secandam, etiamsi non cessaverit fluxio, propter urgentiam delirij melancholici; quo premebatur: quapropter contra prædictum Autorem consulens venam tali esse secandam, sequentia adducit verba. *Doctrina quidem perniciosa, & falsa, quia si quod cerebrum recepit, periculum mortis afferre poterit, secanda vena frontis est, quomodocumque pars mittens, aut totum se habeat. Ratio est, quia aperta vena in fronte, aut narium venis internis incisis, directè evacuatur quod urget, & præsentaneum periculum trahit, & falsum indicat asserere, quod semper trahatur, plusquam evacuetur à cerebro per localem evacuationem, quia quod superest mittendum, potest esse minus, quàm illud quod evacuatur, & necat, nec si multum supersit mittendum* (inquit Heredia) *impediet venam frontis secare, si urgeat, quod cerebrum possidet, quia pars mittens non pellit perpetuò & continenter, sed quandò gravatur à portione mittendâ, ut novam causet accessionem, ut in omnibus febribus repetentibus constat, in quarum declinatione non mittit febrium origo (alioquin non declinaret) ergo tunc evacuabitur, quod in parte continetur absque ulla suspicione, quoniam partem lædit sine nova transmissione, quippè mittens membrum non mittit, quia recipiens inaniatur, sed quia gravatur copiâ, & corruptelâ, quæ non adsunt, quando accessiones declinant; sed potiùs quandò repetunt novi circuitus.* Hucusque noster Heredia.

Hæc tamen doctrina, quia tanti Autoris veneranda, neutiquam tamen omninò firma, & à calumnia libera mihi videtur, nec censeo Phrygium ità acriter esse reprehendendum; nam in expositione historiæ citatæ tenet non esse secandas venas narium, aut frontis in phreniticis, sed potiùs talum esse feriendum, quando cerebrum per consensum patitur cum partibus inferioribus, qualiter id accidere censet in uxore Dealcis, & noster Heredia probat sectionem venæ in talo per sequentia verba. *Et ego sic censeo, nam mutabilitas deliriorum indicabat clarè cerebrum per consensum pati cum toto, & fortassis etiam cum utero, ut est in fœminis communissimum, & in melancholicis cum hypochondriis, quibus occasionibus sectio in cruribus maximè convenit, & hoc facto hirudines mariscis applicandæ sunt, antequam venæ superiores secentur; præsertim si probabilius sit, hypochondriacam passionem præcessisse, &c.* Quibus præjactis, sic premo Herediæ opinionem, siquidem planè fatetur cum Phrygio venam tali esse feriendam in uxore Dealcis; quia cerebrum patitur phreneticam passionem per consensum, cum partibus inferioribus hypochondriorum, & uteri: non ergo ferienda est vena in fronte perseverante consensu, etiamsi urgeat delirium, & causa, quæ in capite, seu cerebro continetur, periculum, & mortem minetur, quippè causa fovens, & pars mandans, seu mittens, quæ est origo fluxionis, stabulatur in hypochondriis, aut in utero: ergo quemadmodum præsente delirio in primo occursu ob adductam rationem consulit sanguinis missionem ex talo, etiam crescente phrenitide, aut delirio, dummodò consensus, & fluxio non evanescat, penitùs cessante actione partis mittentis, debet fieri venæ sectio versus originem fluxionis, & per consequens ex talo: sic Phrygius concludit, advertens minimè esse secandam venam frontis, quandò cerebrum per consensum patitur, etiamsi urgeat delirium; siquidem tale auxilium utile valde est, tempestivè administratum, nempè evacuato bene corpore & non delatâ materiâ ab infernis partibus: quapropter vena frontis non est vulneranda, nisi in phrenitide propria, & primaria, & minimè quandò cerebrum per consensum graviter delirat, quia tunc plus trahitur, quàm evacuatur. In cujus dictaminis confirmationem, testem adducimus Galenum 11. *lib. meth. cap.* 18. ubi favere videtur huic opinioni, sic in limine capitis. *Eâdem ratione, neque in cerebri, & ejus membranarum phlegmonis cucurbitulis in morbi initio utemur; verùm ubi nec influit adhuc quicquam, & totum corpus prius est evacuatum*: Sentit ergo Galenus, venam frontis non esse aperiendam in phreneticis fluxione perseverante, & influente membro mandanti, usque dum cesset fluxio, & corpus prius sit evacuatum, in quo eventu tutum erit, localia præsidia adhibere, ut causam conjunctam, & humorem impactum in cerebro, & ejus membranis vacuemus.

His ergo maturè à me pensitatis, audeam asserere in litigio adducto, venam tali esse secandam in principio mali uxoris Dealcis, & toto tempore, quo fluxio vehementer irruit in cerebrum per consensum cum hypochondriis, aut cum utero, quia sic revellimus humores irruentes versus originem fluxionis, & interdicimus quominus cerebrum magis gravetur. Cæterùm ubi impetus fluxionis vehemens non est, imò aliquantulum remittitur, & aliàs valde urget contentus humor in cerebro, quia delirium crescit, & distemperies cerebri calida fluxionem potest adaugere, tunc securiùs judico secare venam mediam, seu communem in brachio, quâ aliquantulum revellatur, quod adhuc fluit in medio itineris, & insuper derivetur humor, qui in vasis vicinis cerebri, & ejus membranis continetur, tanquam proxima causa, & immediata fovens delirium, & eâdem die, si nimis urget delirium, venam frontis secare alternando revulsionem, & derivationem cum evacuatione, aut forsan simul secando, & in eodem tempore venam tali, seu communem in brachio, & venam frontis, aut internas venas narium, aut loco sectionis talium venarum, applicando hirudines retrò aures, & supra frontem, prout nimirum magis, aut minùs urgeat indicatio, aut omnimodè revulsionis, aut revulsionis permixtæ cum derivatione, aut evacuationis localis, & hac ratione optimè perficiemus medelam absque calumnia aliqua; aliter enim vehementer irruente humore in cerebrum per consensum cum utero, aut hypochondriis, suspectum valde erit revulsionem omninò contemnere, & venam solam frontis aperire, etiamsi vehementissimum sit delirium, & valde urgeat indicatio evacuandi humorem distemperantem cerebrum, quoniam attendere etiam debemus ad indicationem desumptam ex fluxione actuali, ut ipsam, quantum fieri possit cohibeamus, & simul etiam aut alternatim humorem in parte affecta periculum minantem evacuemus; interim etiam illicò à principio auxiliis repercutientibus utendum, ut Galenus advertit *loco nuper citato methodi cap.* 18. ut sic quantum possibile fuerit impediatur fluxio, corroborato cerebro per vim adstringentium, seu

reper

repercussivorum auxiliorum, & insuper attemperato, ut avidiùs non trahat, & concitetur nova fluxio, & posteà elapso impetu fluxionis, miscebimus aliquantulum resolventis medicamenti, ut lucremur aliquam evacuationem materiæ, seu humoris contenti in cerebro, per insensibilem transpirationem, dum penitùs fluxio cessaverit, solis medicamentis resolventibus utamur, ut prorsùs vacuationem causæ conjunctæ consequamur; hæc enim methodus rationalis est, quam etiam in omni inflammatione observant Chirurgi, ut latè *nostro Tractatu Tom.* 1. docuimus; Hanc doctrinam *supra* stabilitam, & corroboratam adduximus exemplo morbi lateralis super illa verba, *Derivare, cedentem revellere, renitentem cedere.* Ubi cum Vallesio nostro ostendimus, quid operandum sit, quando valde urget pleuræ inflammatio, & dolor; quapropter humorem imbibitum in ipsa, periculum mortis impendet, quod in casu proposito similiter exequendum esse probat eadem ratio; ideóque non esse semper, & perpetuò insistendum revulsoriis auxiliis, sed soliciti esse debemus ad vacuandos humores, qui sunt priùs ad partem deducti. Itaque fluentibus adhuc humoribus ab infernis ad supernas partes, & urgente adhuc, quod in membro recipienti contentum est, non debemus sistere perpetuò in revulsione, nec illicò ad localem evacuationem debemus accedere, oblitâ penitùs revulsione, sed potiùs alternatim debemus uti revulsione, secando saltim venam mediam in brachio, & evacuando ex fronte, quod in cerebro urget, & continetur, & si fuerit affectus in principio irritante per consensum cum hypochondriis, aut utero, secabimus talum, & alternatim ad locum affectum accedemus, evacuando ex naribus, aut fronte, aut simul utramque evacuationem exequemur in urgentissimo casu, ut *suprà* insinuavimus, sic etiam in pleuritide procedere debemus.

Neque urget nostram resolutionem id, quod adducit noster Heredia, nempè quod falsum sit, quod attrahatur ad cerebrum, & ad ipsum convocetur, magis quàm ex vena frontis evacuatur. Rationem reddit, quia quod superest mittendum, potest esse minus; sed contra ipsum retorqueri potest argumentum, quoniam quod superest mittendum potest esse magis: ergo suspecta erit in principio venæ sectio in fronte, aut perseverante vehementi fluxione ad caput ex partibus infernis, quia poterit esse magis, quod restat fluendum.

Si respondeas cum Heredia, quod etiamsi multum supersit mittendum, non esse obstaculum, quominùs debeat secari frontis vena si urgeat, quod cerebrum possidet, quia pars mittens non pellit perpetuò, & continenter; sed quando gravatur à portione humoris mittenda pro nova accessione causanda, ut in omnibus febribus repetentibus per circuitus constat, in quorum declinatione non mittit febrium origo (alioquin non declinaret) ergo tunc evacuabitur absq; ullo metu, aut suspicione, materia contenta in parte recipiente, quippè lædit partem sine nova transmissione; etenim pars mittens non mittit, quia recipiens inaniatur, sed quia gravatur copiâ, & corruptelâ humorum, quæ non adsunt, quandò accessiones declinant: Cæterùm hæc solutio, minimè solvit, neque convincit propositam doctrinam à nobis; siquidem supposito principio fundamentali, quo nititur Doctor citatus, contrarium sine ipsius injuria inferre jure optimo possumus: nam ex eo quod pars mittens non mittit perpetuò, & continenter ad cerebrum, sed accessionaliter & per intervalla, deducitur optimè, præcautione per revulsoriam venæ sectionem utendum esse, ut impediatur novæ accessionis, quæ timetur impetus fluxionis ad partem affectam, eam retrahendo ad originem versus partem mandantem: ergo licèt quod fluxit, virtute accessionis antecedentis in cerebrum, urgeat, & exposcat ipsius evacuationem, non tamen ità ac si primariò afficeretur cerebrum, & continuò, & incessanter fluxione perenni premeretur: remanet ergo locus, ut tempore intermissionis revellamus, & alternatim à loco affecto evacuemus, non solam venam frontis secando, sed aut venam in talo, aut communem in brachio, & simul frontis venam, aut alternando hujusmodi sectiones modo, quò nuper dicebamus: non ergo aliquid contra nostram resolutionem probat Heredia, quippè attendentes ad id, quod urget in membro principe impactum, minimè debemus sistere in revulsione mera, imò potiùs utramque mixtam indicationem adimplere, modo nuper explicato.

Adductis ergo rationibus, & fundamentis Medici Rationales contra Hispalenses Doctores meritò pugnant, atque intimius gladium immittentes, efficaciúsque, & veriùs difficultatem attingentes, Galeni doctrinam, & communem sententiam à nobis adductam comprobarunt: Talares autem Doctores contrariam opinionem tuentes, irrationalem experientiam colunt, ac hæresim methodicam, omnia artis præcepta destruentem, rationes quasdam dogmaticas quidem, sed multis erroribus plenas amplectuntur: meritò igitur tantorum virorum doctrinam collaudabimus, sacrariúmque tantæ antiquitatis per totum orbem disseminabimus, quin temporum varietas obscuret suas solares luces: scimus enim, aiebat vetustissimus Senex *in calce suorum operum de prognosticis*, hæc vera esse in Lybia, & in Scythia, & in Delo, non ergo Hispalensis civitas neque errores in modo videndi, neque in victûs ratione perturbatio generalia præcepta ab omnibus colenda prorsùs debet pervertere novam, & inutilem machinando methodum.

CAPUT IV.

In quo limitationes, & exceptiones, quæ in nostra opinione observari debent, expenduntur.

NULLUM præceptum inviolabile prorsùs est, nec apud peritissimos, nec apud vulgares Medicos; nam licèt in nostra Arte sint plura dogmata legitima, & regularia; perpetua tamen nulla sunt, & qui illa habet pro perpetuis, & inviolabilibus methodicus dici potest; Rationalis verò minimè, nam rationalis non curat ex libello, aut commentario, sed ut in re quavis exercitata, id, quod ratio dictat, nec legibus tanquam pragmaticis se obligat, dictavit nostræ Scholæ Complutensis luminare majus eruditissimus Vallesius 4. *lib. meth. cap.* 2. nos igitur tanti Autoris placitum venerantes pro nostræ opinionis clariori intelligentia, limitatio-

nes sliqoas addocemus, ut graves, turpes, & vulgares errores penitùs vitemus.

Sit ergo prima exceptio nostræ tegularis opinionis, quod in principio morborum partium superiorum, necnon etiam in aliquali ipsorum augmento, qui originem habent à partibus inferioribus, & à vena cava descendenti, aut à vena porta, sanguis est mittendus ex talo: etenim si quodlibet membrum superiùs incidat in morbum, cujus causa stabuletur in mesenterio, aut hypochondriis, ab his partibus inferioribus foveatur superior affectus per perennem, & continuam transmissionem vaporis, aut humoris in cerebrum: jura optimo cordatus Medicus censere tenetur, originem fluxionis occupare inferiora membra. Quo stabilito, tanquam, fidei medicæ dogmate, sic premo assumptum: etenim inconcussum est in cujusvis morbi initio, pendentis à fluxione, convocandam esse morbificam materialem causam ad originem, aut versus fluxionis originem: sed totum hoc mirificè præstat sectio venæ in talo in casu adducto, ut per se patet: ergo temerarium censebitur, tunc venam ferire in brachio; quippè per illam partem nulla utilis fieret revulsio, sed potiùs juvaret præternaturales morbificæ causæ insultus, & augeret fluxionem; humores præcipitando in locum affectum, ex qua non dubiè accelerabitur mors: jure ergo optimo vulnerabimus venam in talo, usque dum aliquantulum dometur fluxionis impetus, ut posteà non urgente fluxione à partibus inferioribus demandata, possimus ad venas brachiorum accedere, ut succurramus indicationi desumptæ à causa conjuncta, dummodò magis urgeat, ex qua etiam periculum impendet, ut *suprà* docuimus.

Hac eâdem ratione mulieribus, quibus ex utero à menstruis non satis repurgatis, aut alia quavis occasione, seu morbo aliquo, aut prava dispositione in utero subnata, ex quo oriatur morbus aliquis in partibus superioribus per transmissionem humoris, aut vaporis in caput: statim tali venam vulnerare debemus, ut scilicet humores sursùm repentes ad fluxionis originem retrahamus, sic in epilepsia ab aura venenata ab utero in cerebrum immissa, venam tali fœliciter sæpiùs secavimus.

Suffragatur Hippocr. *lib. 5. epid. ad fin. sectionis quarta* in historia *stymargi famula, qua Idumea erat, qua cùm peperisset filiam, os uteri contortum est, & in coxam & crus dolor: liberata est juxta talum secta vena, etiamsi tremores secundum corpus eam tenebant, sed ad occasionem oportet venire, & ad occasionis initium.* Hæc sunt vetustissimi Senis aurea verba, quæ planè demonstrant occasionem incidendi in morbum, necnon etiam initium ipsius, erat exigua partûs purgatio, ut symptomata demonstrabant, quapropter liberatam fuisse tenet Hippocrates, sectâ venâ in talo, quia passio erat os uteri contortum à plenitudine, ex qua dolore coxæ, & cruris premebatur, nervis oppressis; atque adeò cùm oporteat in curatione rationem habere priùs causæ primæ, quàm affectûs, meritò secare debemus venam in talo occurrendo ad diminutam lochiorum purgationem, quæ judicatur prima causa, & origo mali: sic ergo in quolibet affectu partium superiorum, cujus occasio, aut causa prima est suppressio, aut diminutio menstruorum, citra dubium debemus secare talum, ut causam morbificam revellamus versus originem fluxionis.

Favet etiam hanc curandi methodum Galen. *in expositione citati textus:* perpendite ejus verba de famula *suprà* adducta. *Ne sanguis quidem prodit, nam ut filiola hac peperit, illicò os ad vertebras coxarum detortum est; porrò dolor ex vena prope talum secta cessavit, quamvis tremores totum corpus jam occupassent.* Nihil clarius pro hujus limitationis corroboratione. Idem tenendum esse arbitror de his, qui ob suppressum hæmorrhoidarum sanguinem, in morbum aliquem fuêre delapsi. Ita Galen. *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19.* quem sequitur, Arabum Princeps *fen 9. lib. 3. tract. 1. cap. 51. §. sicut necessarium est*: & cum ipsis omnes Classici Autores venam in talo jubent vulnerare, ut fuso sanguine, evacuationi suppressæ consuetæ, quæ est origo mali satisfaciamus; supplendo naturæ defectuosæ motum consuetum versus infernam sedem.

His igitur morbis partium superiorum præsentibus, qui ab inferioribus partibus foventur, sive per vaporum transmissionem, sive per humoralem substantiam in cerebrum delapsam, per talum celebranda est venæ sectio, dum illa communicatio ab inferioribus ad superiora adhuc vigeat, morbis partium superiorum etiam sensibiliter augescentibus, eò quòd eo tempore, si venam in brachio secemus, nimia humoris copia ad superiora concitabitur, & morbus incrementum forsan immedicabile suscipiet, fluxione vigente. Cæterùm aliquantulum imminutâ fluxione, seu humoris impetu vehementi cessante, si quod influxit ad superiora membra, & in ipsis vasis vicinis, necnon etiam in parte affecta imbibitum est, urgeat; non dubiè indicabit revulsionem aliqualem retractoriam, simúlque derivationem, & evacuationem, & tunc quidem ad venas aperiendas in brachiis tutò licet accedere, necnon etiam ad venam frontis; si valde urgeat, quod in capite continetur, à quo periculum mortis celeris solet impendere, ut *suprà* latiùs demonstravimus, alternatim utens revulsione secundum rectitudinem, & derivatione, & evacuatione pro urgentia indicationum, quando mixtæ cernuntur, quarum una exposcit revulsionem, & altera evacuationem; quare affectus capitales, qui ab inferioribus partibus ortum habent, & foventur, mediâ transmissione humorum, aut vaporum, si adeò urgeant ob multitudinem causæ, quæ ad particulam læsam, & vicinas venas effluxit; tunc quidem si citissimum periculum vitæ immineat, cum urgentiori teneamur occurrere, & majori, seu instanti periculo providere, ad brachii venas oportet accedere tanquam ad sacrarium: priùs tamen (paucis videlicet horis) occasionem arripies administrandi venæ sectionem ex talo, ut indè ad sectionem dictam brachiorum majori fiduciâ, & cum minori attractionis periculo maturiùs accedere possimus.

Videtur tamen adductam limitationem nostram doctrinam prorsùs pervertere; nam si in affectibus partium superiorum pendentibus ab inferioribus membris, ut ab utero, aut aliquo ex hypochondriis, quod habeat rationem partis mandantis, & originis fluxionis, venam secamus in talo, etiamsi in cerebro, aut faucibus (exempli gratiâ) præsens sit affectus, & in ipsius vicinis vasis; jam contemnimus indicationem

deri

derivandi, & evacuandi à parte affectâ: Cùm ergo etiam in caſu adducto mixta ſit indicatio revellendi, & derivandi, potiùs videtur, vulnerandam eſſe venam in brachio, quàm in talo: hæc tamen argutio minimè noſtræ aſſertionis vim effœminat, quandoquidem diſpar valdè ratio militat, in caſu, in quo cerebrum, aut membrum ſuperius, patitur per conſenſum cum partibus inferioribus, quippe tunc venâ ſectâ in brachio (præcipuè inchoante fluxione & urgente impetu ipſius) ab inferiori regione in partem affectam humores majori impetu, & inexpugnabili præcipitio, irruerent, juvante, & concurrente ſectione venæ in brachio, ut ab origine fluxionis, inchoatis humoribus ad ſuperiora membra, & actu fluentibus, citiùs ad cerebrum, & impetuoſiùs præcipitarentur, & ſic jure optimo venam ſecamus in talo in principiis, & adhuc augeſcentibus dictis morbis, vigente fluxione partis mandantis inferioris; cæterùm imminutâ ipsa, aliquantulúmque ceſſante, aut remittente, ſi urgeat, quod in cerebro continetur, & morbus etiam cerebri incrementum ſuſcipiat magnum, à quo celeris mortis periculum immineat; tunc quidem ad feriendam venam brachiorum accedere conſentaneum eſſe diximus rationi, quoniam jam ceſſavit metus tractionis humoris ad partes ſuperiores, corpore evacuato per talum priùs, & retractis humoribus fluentibus, verſus fluxionis originem, necnon fræuato ipſorum impetu, in quo eventu tenemur, ſuccurrere urgentiori indicationi, qualis eſt ea, quæ expoſtulat derivationem, & evacuationem à cerebro: at in caſu, in quo quodlibet membrum ſuperius corripiatur morbo aliquo, cujus origo in partibus ſuperioribus etiam ſtabuletur, prorsùs illæſa omni parte inferiori, nullum affert periculum tractionis ſectio venæ in brachio, cùm nulla pars inferior mittat, ad ſupernas, imò potiùs per ipſam humor divertitur, & derivatur à membro ſuperiori affecto; ut anteà latiſſimè probavimus: inde ſecura ab hac calumnia manet opinio noſtra.

Sit ſecunda limitatio: quòd ſi morbus aliquis capitalis ſit in principio principiante, & præcipuè corpore exiſtente valde pleno, & parum urgeat, quod in capite continetur, ex eo quod minima copia humoris fluxerit, & morbum remiſſum cauſet; cerebri actionibus parum læſis: tunc quidem etiamſi nulla pars inferior ſit fluxionis origo, licebit cordato Medico, ſi in morbi exordio fuerit accerſitus, primam ſaltim venæ ſectionem celebrare ex talo. Ratio eſt, quia tunc contemni omninò debet indicatio derivandi, & evacuandi à parte affecta, cùm in ipſa morbus ſit parum ſenſibilis, & decubitus ſit remiſſus, aut non valde manifeſtus, & ſic præcipuè corpore pleno totum curantis conſilium dirigi debet in revulſionem meram; & totalem retractionem ad partes inferiores, ne irritata natura, & gravata nimis præ humorum plenitudine, avidiùs, & furioſiùs mittat in partem debilem; quare rationabiliter procedet, ſi illicò, & abſque ulla mora, vulnerato talo, & depoſitâ nimiâ plenitudine, accedat ad feriendam venam brachiorum, inſtante jam ſenſibili læſione, & fluxione morbi occupantis cerebrum.

Inſuper etiam in acutis morbis, in quibus rationabiliter timet Medicus propter vagum humorum motum, raptum aliquem ad cerebrum, quoad celerem præcautionem inſtimulatur, methodicè poterit venam in talo ſecare, ut humores parati fluere in cerebrum, aut in aliam partem ſuperiorem facilè, & celeriter in partes ignobiles, & inferiores detrudantur, & ſuperiores ab illo crudeli, & inſolenti decubitu penitùs liberentur; movemur autem ad hujuſmodi auxilia præcautoria ſæpe ſæpiùs in acutis, & malignis morbis, ex quibuſdam ſignis raptum ad ſuperna minantibus, ſic ex urinis perturbatis, & valde agitatis timetur capitis dolor, aut alter decubitus capitalis, teſtificante Hippocrate 4. *aphor.* 60. ſic. *Quibus febricitantibus urinæ ſunt perturbatæ, quales ſunt jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit*: ſic enim in morbis bilioſis accidere ſolet, ut urinos flava ſubitò alba reddatur, & perſpicua, ad partem principem, humorem decumbere prudens Artifex facilè ſuſpicabitur, præcipuè ſi talia urinæ permutatio in delirantibus appareat. Ità Hippocr. 4. *aph.* 62. in cujus expoſitione Galenus ſic fatur. *Aquoſa verò urina* (ejuſmodi enim ſunt pellucentes albæ) *maximam oſtendunt cruditatem, & propterea totius bilis flavæ motum ſurſum in caput factum eſſe denuntiant.* Quibus accedit Galenus ipſe *ſuper lib. prognoſt. com.* 1. *text.* 28. ubi ait. *Si verò pulſus in hypochondrio inſit, perturbationem ſignificat, aut delirium.* Et *in lib. de morb. vulg.* idem teſtificat per illa verba ſatis true. *Vbi vena in cubito pulſat, inſanum, furibundúmque eſt.* Ecce generalia præcepta, quibus capitis decubitus prænoſci facilè poſſunt, ad quos graviſſimi morbi capitales ſubſequi poſſunt, & aſſiduè accidit poſt elationem vaporum, humoribus nimia caliditate agitatis, ſupra repentibus: quandò igitur Medicus prædictis, aut aliis ſignis humoris raptum ad caput ſuſpicatus fuerit, & futurum malum prænoverit, meritò vulnerando talum, ſubitam, & maximam revulſionem adminiſtrabit, præcavendo tantorum malorum imminentiam.

Hippocrates etiam hoc ipſum innuit 4. *aphor.* 67. per illa verba. *In febribus per ſomnum pavores, aut convulſiones, malum portendunt.* In cujus textus expoſitione, & examine Galenus hæc ſubſcripſit. *Sed & ipſi ſæpè vidimus in morbis pernicioſis, & vapores, & labores, & convulſiones ex ſomno profectas fuiſſe, quod accidere videtur, quum in cerebrum humor noxius aſcenderit.* Rationabiliter ergo procedet, qui his attentis ſignaculis, in febribus pernicioſis, & malignis, ſecaverit venam tali ad præcautionem imminentis mali, qui à methodo plurimi à dictis, & truculentis accidentibus liberantur; ſic etiam in his, qui per conſenſum delirare incipiunt, aut comatoſi fiunt per concurſum vaporum aſcendentium ab inferioribus membris, quia affectus nondum factus præſumitur, ſed potiùs in fieri, ſeu imminens cernitur, venæ ſectio in talo mirificè propitiatur, quoniam tunc ſolùm præcautoriè operatur Medicus, cui indicationi, mera, & impermixta revulſio debetur, quæ per diſtantiora, & contraria loca celebratur, & eâdem ratione, in quibus per conſenſum cum hypochondriaca paſſione excitatur affectus aliquis in partibus ſuperioribus ex venis meſeraei ad caput vaporibus repentibus, præcedenti evacuatione primæ regionis excrementorum, ſi ea opus ſit, venam in talo ferire erit conſonum rationi, aut per hæmorrhoidales venas ſanguinem fundere, ut aſcendentium humorum, aut vaporum impetum coërceamus.

Ex dictis planè infertur, quod in morborum partium ſuperiorum initio initiante ſanguinis

missio

missio revulsiva debet administrari, secando venas in brachiis; etenim ità se habent partes superiores cum inferioribus, sicut inferiores cum superioribus: sed in principio principiante morborum partium superiorum, & quando patiuntur per consensum cum inferioribus revulsionis gratiâ venam secamus in talo: ergo pari, & simili ratione in initio morborum partium inferiorum, & quando patiuntur per consensum cum partibus superioribus, vena est secanda in brachio, quæ merè revulsoria est, & debita humoribus paratis fluere, & actu fluentibus in principio initiante: at quæ fieret ex talo, sanguinem versus partem affectam sine dubio conciliaret, præternaturalem motum deorsùm coadjuvando: Cæterùm si partes superiores sint mandantes, & in ipsis origo fluxionis stabuletur, & inferiores patiuntur per consensum cum superioribus, sectio venæ in brachio erit administranda, quousque fluxionis impetus minuatur, & posteà derivationis gratiâ venam tali secabimus, servato eodem ordine, quo in affectibus partium superiorum docuimus, ut omnes indicationes revellendi, & derivandi, atque evacuandi suâ occasione præcisa exequantur. Totam hanc doctrinam notificavit Galenus *lib. de hum. ad text.* 13. per sequentia verba. *Veluti in utero, ut diximus, revulsio erit, si venam cubiti secueris, ut cucurbitlas prope mammas affixeris, aut manus calefeceris, aut fricueris, & deligaveris: derivatio autem erit si venas poplitis, aut malleolum incideris.* Ex his planè colligitur in affectibus partium inferiorum revulsionem perficiendam esse, venâ sectâ in brachio, & derivationem, talum vulnerando, ut hinc discas, quod quando Galenus docet, juvare in affectibus inferioribus sectionem in talo, debet intelligi de solâ derivatione, seu vacuatione; revulsione tamen suppositâ per venæ sectionem in brachio. Eandem doctrinam docuit *lib.* 10. *de comp. med. sect. loc. cap.* 2. ubi de Ischiade sermonem faciens sic scripsit. *Iamque igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis evacuatio, ab ipsa incipiendum est, non solum à cruribus, sed a cubito, primùm sanguinis detractione factâ.* Vlteriùs etiam suffragatur idem Autor *lib. de hum. text.* 13. dum sic loquitur. *Itaque si dextra uteri pars malè affecta sit, ex dextero brachio, dextróque crure sanguis mittendus est.* Sancitum ergo est in Galeni doctrina, quòd si partes inferiores, morbo aliquo indicante venæ sectionem corripiantur, sit priùs secanda vena in brachio revulsionis gratiâ, ut deindè derivationis, & evacuationis prætextu ad venam feriendam in talo descendamus.

Hanc eandem doctrinam insinuare videtur Hippocr. 6. *aphor. text.* 36. per illa satis trita verba. *Difficultatem urinæ venâ sectâ juvat, secare verò interiores. In cujus textus commentario* Galenus sugillat Hippocratem, & quia dysuriam illam, quæ fit ex plenitudine, aut inflammatione solvit venæ sectio, & sic judicat necessarium addere aphoristicæ sententiæ illam particulam *etiam*, ut constet auxilium esse venæ sectionem ad dysuriam, quæ fit ex plenitudine, aut inflammatione: reprehendit insuper Hippocratis edictum, eò quod jubeat secare venas internas, seu superiores in urinæ difficultate per sequentia verba. *Illud verò secandas esse interiores; si de manuum venis dicatur, verum non est, neque Hippocrati consentaneum. Siquidem videtur in omnibus suis scriptis, in partibus iis, quæ supra jecur sunt affectis ex manibus sanguinem mittere; inferiorum verò partium morbis, poplitis, aut malleoli venas pertundere jubet, de quibus si quis ipsum, illum dixisse arbitretur, secare autem interiores, parvi id est momenti; ab unâ enim eâdemque vena, utraque tam interior, quàm exterior nascitur in poplite trifariam divisa, quia unica etiam vena ad hoc membrum pervenit, non sicuti ad manum duæ.* Et concludit. *Melius itaque fuerit hunc aphorismum inter ascititios habere.*

Noster tamen Vallesius *in expositione hujus textus* aliter intelligendum esse Hippocratem censet; nempè non ad omnem difficultatem urinæ opus esse secare venas, neque contrarium dictare Hippocratem; sed solùm quando urinæ difficultas oritur ex inflammatione, aut inflammationi simili affectu in collo vesicæ, & tunc quidem secare oportet, non externas solùm venulas (scarificatâ cute) sed internas aliquas, & majores venas, quæ crassum sanguinem copiosè exhauriant. Itaque quod Hippocrates dixit *secare interiores*: ideo dixit, ne sic scarificatione cutis esses contentus, quod non intelligens Galenus, negavit facilè, aphorismum esse Hippocratis. Cæterùm in hac hæsitatione licèt Galenus negaverit in inflammatione vesicæ venæ sectionem in brachio; Vallesius tamen ipsam non reprobat, sed potiùs eam fateri videtur quandò internas, & majores venas, quæ copiosum, & crassum sanguinem fundunt, jubet aperire; de his, quæ sunt in brachiis potiori ratione intelligi debet, non de illis, quæ in malleolo sunt sitæ, cùm angustiores sint illis, quæ in brachio sunt. Quare securior opinio in proposito casu est, quam ferè omnes Classici admittunt: quòd si urinæ difficultas, quæ ab inflammatione oritur, in vesica, aut affectu inflammationi simili, supponat corpus plenum, primò sit secanda vena in brachio revulsionis gratiâ, & deindè ad talum accedere, ut derivationem consequamur, & hâc ratione componitur doctrina Galeni cum aphoristica sententia, & nostra doctrina firmata manet, & à calumniis libera, nempè quod in affectibus partium inferiorum revulsionis gratiâ vena est secanda in brachio. Cæterùm si urgeat, quod in vesica continetur, & non sit timor convocandi sanguinem à superioribus ad inferiora pro ratione urgentiæ, derivationem moliri debemus in affectibus renum, & vesicæ, venam secando in talo: Et licèt Galeno demus gratis, quod ipse intendit, nihil obstat nostræ adductæ conclusioni, quia Hippocrates non dixit inflammationem vesicæ, sed *difficultatem urinæ vena sectio solvit*; etiamsi difficultas urinæ oriatur ab inflammatione, quo casu censendum est, jam inflammationem non incipere, sed valde increvisse, adeo ut urina difficulter reddatur, & tunc quidem venæ sectio ex brachio non juvaret, sed ex talo, cùm vesicæ morbus jam esset nimis adauctus, & ob ipsius urgentiam necesse est derivare, potiùs quàm revellere, & sic meritò tunc venam in talo secamus, quoniam magis urget indicatio derivandi.

Illicò tamen pullulat scrupulus contra nostram præcipuam conclusionem: nam si morbis partium inferiorum incipientibus sanguinis missio revulsoria per venas brachiorum administratur, etiam morbis partium superiorum inchoantibus, sanguinis missio revulsiva debet ex talo administrari,

ſtrari, nullâ adhibitâ exceptione neceſſariâ, quippè in utroque caſu eadem militat ratio, ac proindè in his morbis minimè venam in brachio ſcindere debemus, ſed in talo revulſionis gratiâ, quemadmodum in inferioribus partium morbis venam brachiorum ferire demonſtravimus.

Reſpondeo facilè, quod in utroque caſu ſimul indicatur revulſio cum derivatione, quia indicatio eſt mixta; attamen in affectibus partium inferiorum non adeſt commodus locus, ut utraque indicatio, revellendi, ſcilicet, & derivandi adimpleatur ſimul; quare ſi unus, aut alter ſit omittendus, ſatius erit derivationem in aliquod tempus differre, quàm revulſionem penitùs relinquere, etenim ſi à derivativâ venæ ſectione inciperemus in morbis inferioribus, humoribus fluentibus, tota copia ipſorum impetuosè convocaretur ad locum affectum, & ſic debet omitti derivatio pro tunc, & revulſio debet præferri, quippè partibus inferioribus patientibus, non adeſt commodus locus, ut ſimul revulſio, & derivatio exequantur, ut per ſe patet, etiamſi morbi principium regulariter id expoſtulabat. Cæterùm quis ſectâ venâ in talo ſolam derivationem molimur, & potiùs humores verſus partem affectam, attrahimus, oportet, ut attractio vitetur; ad ſectionem brachiorum priùs accedere, & revulſionem moliri derivatione poſteriùs relictâ. At in affectibus partium ſuperiorum locum præſtant commodum brachiorum vaſa, ut ſimul revulſio, & derivatio celebrentur, humoribus fluentibus, retrahendo; & qui ſunt in vicinis venis jam fluxis derivando, quapropter in affectibus ſuperioribus locum tenet venæ ſectio in brachio revulſiva & derivativa, ſecùs in principio morborum partiū inferiorum, in quibus ſolùm revulſio per venas brachiorum poteſt exerceri, ut impetum humorum fluentium ad infernas partes coërceamus in poſterum, relictâ ſectione in malleolis, niſi, ſuppreſſa ſit menſtrualis evacuatio, aut hæmorrhoidalis, quæ ſit occaſio morbi in partibus inferioribus, in quo eventu adhuc in principio fluxionis venam tali ferire debemus, ut ſuppreſſam vacuationem provocemus, quæ propria medela eſt juxta Galeni doctrinam *lib. de ven. ſect. adverſ. Eraſiſtr.* etenim menſtruis ſuppreſſis, fœminam quolibet malo impleari facile eſt, huicque rurſus evacuationes per uterum medentur, (aiebat Galenus) & in aphoriſtica ſententia menſibus non fluentibus ab utero morbi contingere dictavit Hippocrates. *In cujus textus expoſitione* Galenus uteri tumores cancroſos timendos eſſe pronunciavit. Quapropter qualibet evacuatione inferiori ex dictis ſuppreſſâ, ſolicitus miniſter eam debet illicò provocare in vulnerando talum, ut cauſam, ſeu occaſionem morbi deponat, præcipuè cùm in partibus ſuperioribus fluxionis origo tunc non ſit, ut exinde nullus ſit timor, ut ſectâ venâ in talo, humores impetuosè fluant in locum inferiorem patientem, quoniam per ipſam potiùs ab origine fluxionis, ſeu parte mandante, quæ inferior eſt, celeriter detrahimus humores, iterum evocatâ per uterum, aut hæmorrhoidas, ſuppreſſâ vacuatione: ſi autem actualiter expurgentur menſtrua, aut hæmorrhoides, & fluxionis origo in ſuperioribus adjaceat, etiam ſanguis ex talo poterit mitti, quoniam majus incommodum ſubſequitur ex detentione menſtrualis ſanguinis, qui impurior, & pravior cenſetur, quàm ex purioris ſanguinis ad læſam particulam decubitu.

Ambigua tamen apud Medicos reſolutio verſatur, an in principio inflammationis uteri, aut veſicæ actu fluentibus menſibus, vel enixarum lochiis, vena ſit ſecanda in talo in parva quantitate, ſæpiùs repetitâ, uſque dum celebretur ſufficiens evacuatio pro toto corpore: quâ ratione ſanguis in inferioribus venis exiſtens optimè derivabitur, quin ex membris ſuperioribus parum, aut nihil deorsùm trahatur; etenim parva ſanguinis quantitas vix, priuſquam ad ſuperas partes aſcendat, deliteſcit; attamen ſi magna foret per talum vacuatio, ſanguinem in ſuperioribus partibus exiſtentem ad motum concitaret deorsùm in magnum affectæ particulæ detrimentum. Ex alia verò parte (ſi ſtantibus viribus) ſemel immodicam ſanguinis copiam detrahamus per talum, quâ non ſolum ſanguis in inferioribus partibus exiſtens derivetur, ſed qui neceſſariò ex ſuperioribus fluit ad inferiora, & ad locum affectum vacuetur. Videtur eſſe magis rationi conſonum, ità vacuare; nam aliter ſi per parvas ſanguinis extractiones humores deorsùm inclinatos, cùm non evacuentur celeriter per talum in morboſam partem affectam inferiorem decumbere erit neceſſarium, & ſic majus nocumentum, quàm præſidium lucrabimur, ſi repetitas, & parvas miſſiones ſanguinis faciamus. In hac hæſitatione in adducto caſu ſecurius eſſe putamus ſimul ſecare venam in talo, & in brachiis, ut fluentes humores in partem læſam inferiorem revellantur, & confluxi jam occupantes partem affectam, & vicinas venas deriventur, & ut utilis expurgatio à Natura inſtituta non impediatur. Hac etiam ratione in acutiſſimis fœminarum morbis, anginâ ſcilicet, phrenitide, & plevritide, menſtruis actu fluentibus, ſimul venam in talo, & in brachio vulneramus fœliciſſimo ſucceſſu, ſimul occurrendo morbo acuto partium ſuperiorum, & convocando naturæ motum ad uterum, aut ſaltem ipſum non impediendo.

Sit altera limitatio, & animadverſio: in mulieribus menſtruantibus, & in quibus tempus menſtruationis jam inſtat, necnon etiam in viris, in quibus aliqua inferior evacuatio habitualiter moleſtat, etiamſi actualiter non fluat menſtruum, neque defecerit, ſed potiùs ſingulis menſibus, nimia ſanguinis copia fluat, ſive parcè, & diminutè expurgaverint, morbis quibuſlibet ſuperiorum partium, & totius corporis incipientibus, medela per venæ ſectionem in talo debet incipere, dummodò non inſtaverit valde alicujus affectus urgentia, ex qua periculum mortis timeatur.

Hæc concluſio apud Claſſicos Autores recipitur unanimi conſenſu. Ratio hujus aſſerti fundamentalis ex eo deducitur, quod ſanguis menſtruus non colligitur totus ſimul in uteri vaſis, ſed ſenſim, & paulatim ibi acervatur, ut deſtinato tempore, natura inſtimolata, & laceſſita, ſanguinem illum, coinquinatum per uterum propulſet; itaque menſes uſque ad tempus excretionis continentur in vaſis circa uterum, & ſenſim illic coacervantur quotidie, non tamen quotidie excernuntur. Ità ſentit Petr. Garcia noſtræ Complutenſis Scholæ decus *lib. de loc. affect. diſputat.* 68. *capite* 4. necnon etiam Iacobus Primeroſius, *in animadverſ. ad diſputationem pro ſanguinis circulatione*, quem ſequitur Zacutus Luſit. *lib.* 3. *ſua prax. cap.* 6. & plures alij Autores noſtri ſæculi, quos longum eſſet recenſere: undè planè infertur, quod non ſolùm dum men-

strua actu fluunt, sed antequam fluere incipiant, veluti in medio mensis jam vasa uteri considerabilem illius excrementij sanguinis copiam in se continent, usque ad statutum excernendi tempus; in quo jam vasa luxuriant, & ad expulsionem insimulatur natura, & hoc præcipuè fit in illis fœminis, in quibus copiosæ fiunt menstruales evacuationes, quippè major in ipsis talis excrementosi sanguinis copia præsumitur coacervata in diebus intermediis, seu in medio mense. Quo præsupposito, infertur non dubiè, quòd si in febre putrida, exempli gratiâ, aut in affectu aliquo partium superiorum, quo fœmina corripiatur, sanguinem mittamus ex brachio, quocumq; tempore id fiat, sanguis ille pravus in uteri venis contentus, & ibi tanquam excrementitius repositus, sursùm ad majora vasa, & nobiliora membra deferatur, ibique gravissima, & dira accidentia causentur, & morborum incrementa seviora non solùm per copiam sanguinis ad superiora devehant, verùm etiam ratione qualitatis virulentæ, quâ sanguis menstruus pollet, Hippocr. autore *lib. de Virgin. morb.* ergo in quovis tempore utiliùs erit, & magis securum in mulieribus, & in viris, in quibus aliqua præsumitur suppressa evacuatio in partibus inferioribus venam tali secare, per quam sanguis ille inutilis, & à natura separatus pro consuetudine expurgetur per uteri regionem, aut per sedem inferiorem, ubi hæmorrhois sit reclusa, talo vulnerato, ut superiora non petat, nisi ut dictum est, affectus adeò urgeat, quod ad se convertat totam curationem, & urgente causâ cogamur ex brachio sanguinem fundere, ut celeriter succurramus indicationi sumptæ ab urgentiori, cui curantis consilium dirigi debet.

Hæc tamen doctrina, licèt plausibilis sit, limitationem aliquam meo judicio patitur: nam si fœminæ (exempli gratiâ) quibus menses ritè, & commodè, & secundum tempus consuetum, & durationem consuetam fluxerint, & nuper sedatâ prorsùs vacuatione per uterum, incidat in febrem putridam quamlibet, quæ expostulet venæ sectionem, tunc quidem sine dubio censeo tundendam esse venam in brachio, quippè in tali casu nulla præsumitur sanguinis copia coacervata in uteri venis, quia supponimus ritè, & commodè fœminam esse repurgatam, neque mediare tempus, nec dies considerabiles, in quibus paulatim coacervetur sanguis in utero: ergo meritò secabimus venam brachiorum sine timore retractionis alicujus sanguinis ab utero in partes supernas.

Ex dictis ergo constare jam censeo, propositionem illam universalissimam de sanguine extrahendo ex talo in omnibus morbis incipientibus, neque veram absolutè esse, neque Artis principiis consonam, imò potiùs in praxi pluribus erroribus obnoxiam, neq; enim ex tam incerta digladiatione Medica nostra Facultas honorem aliquem lucratur, sed vilipendium apud vulgares, cùm videant, Professores insignes novitatibus, & contradictionibus implicari. Unde hæc nobilissima Sciētia penitùs contemnitur. Audite circa hoc vetustissimi nostri Oraculi querelam in *proœmio ad lib. de vict. acut.* ubi sic fatur. *Atqui calumniam hanc ars tota magnam apud populares, ut videatur, neque esse quidem omninò medicinam, quia in acutissimis morbis tantoperè differunt invicem artifices, ut quæ alius exibet, optima esse putans, hæc existimet alius mala esse.* Eia ergo, ô viri doctissimi, honoremus Medicinam, ipsam enim creavit Altissimus, neque abhorrebit medicamenta vir prudens, & sapiens; liberemus eam à vulgaribus calumniis, & ipsam veneremur, tanquam de manu Altissimi donatam, ut jure optimo cum Marsilio Ficino alta voce dicamus de Apollinea Facultate: *Fas sit tibi ducere ab orco extinctos homines, iterúmque animare sepultos.*

CAPUT V.

In quo Contrariorum argumenta (si quæ militant) contra nostram sententiam solvuntur.

Si memoriâ teneamus omnia ea quæ à nobis superiùs dicta sunt, minimè erit onerosum adversariorum jacula dissolvere: etenim testimonia pro contraria parte adducta, si de principio principiante intelligantur, in quo nihil considerabile in parte superiori laborante continetur, præcipuè corpore existente pleno, ex limitationibus à nobis adductis constat, tunc venam tali primo occursu semel posse tutò secari, cùm nihil urgeat, quod in parte contineatur, sed potiùs sanguis, qui paratus est fluere.

Item: si partes superiores patiantur per consensum cum hypochondriis, ubi origo fluxionis stabulatur, etiam est certum, auspicandam esse curationem, vulnerando venam in talo: unde, si quæ sunt adducta testimonia, quæ pro talaribus Medicis videantur consona, solvuntur facilè, si doctrinam in limitationibus adductam perpendamus.

Cæterùm, ut ad particularia magis descendamus, ut nihil intactum pro cōtraria parte relinquamus, locus Gal. 5. *lib. meth. c. 3.* adductus nihil probat; nam sectio venæ in cubito deorsùm retrahit humores, qui ad caput repunt, & sic optimè verificatur, quod sit revulsio deorsùm in his, quæ supra sunt, & sursùm in his, quæ sunt infra, modo *suprà* à nobis exposito: videas, obsecro, iterum pro satisfactione hujus loci expositionem Gal. 6. *lib. de morb. vulg. com. 2. text. 9.* super illa verba *superiùs* à nobis adducta pro corroboratione nostræ conclusionis, nempè, *Dissimilia si sursùm vergunt elata per inferna solvere.* Et in quorum verborum expositione, sic cecinit Galen. *Humores námque sursùm elatos, hoc est sublime petentes deorsùm versus detrahere, aut rectè impetum facientes oportet, & contra decurrentes in oppositum ducendi sunt ut in capite vitiato purgatione per alvum, & sectione venæ cubiti utendum est.* Hucusque Gal. ubi fateri videtur, revulsionem à superioribus ad inferiora explicatam per illa verba Hippocr. *dissimilia si sursùm vergant elata, &c.* celebrari venâ sectâ in cubito; ruit verò fundamentum Medicorum Talarium affirmantium illud verbum *Deorsùm solvere*, semper significare venæ sectionem in talo, quasi non esset alia contrarietas, neq; alia revulsio, quæ fiat ad inferiora, licèt non ad distantissimas partes. Quo fundamento omnia Antiquorum, & Classicorum testimonia, quæ contra nos militare videntur, manent soluta, quia venæ sectio in cubito, deorsùm etiam trahit, & revellit humores sursùm petentes, ut latè *suprà* ostendimus.

Textus adductus ex 13. *method. cap. 5.* ubi manu laborante, crura scarificare jubet, & altero crure malè habente, reliquum, nihil probat contra nostrum intentum, nam in casu adducto, revulsio cū derivatione indicata erat, attamen simul exerceri non poterat, quippè apta pars mediocriter distans,

distans, utrique deserviens, inveniri non potest. Ne igitur in principio affectûs ad manum læsam accederet, & plenitudinis depositio, & quæ pro tunc posset administrari revulsio, omninò dimitteretur, crura saltim scarificare innuit, ut si non ex toto pro possibili indicationibus satisfaceret, revellendo, aut ex crure directè opposito; aut ea manu contraria. Etenim ex utraque parte celebrabitur revulsio juxta diametros diversos, seu diversas contrarietates; elegit tamen pro revulsione Galenus scarificationem in cruribus, forsan, ut suppleret vicem venæ sectionis ob defectum virium, & etiam, quia crus est aptior locus ad scarificationem, quàm brachium, ubi minor carnis portio, & arteriarum, venarum, musculorum, nervorúmque copia reperitur; quapropter, & quia nondum cognita erat pars mandans ad deponendam plenitudinem, non magis intererat revulsionem à dextris ad sinistra, quàm à superioribus ad inferiora facere, eligit scarificationem pro revulsione affectûs manum occupantis in cruribus, omissa indicatione derivandi in posterum propter defectum loci, cujus sectio deserviret simul revulsioni, & derivationi, quæ celebrari exposcebat, ubi jam fluxio occupavit manum, sic ergo necessitate coactus solam revulsionem exercuit; non quidem, quia affectus jam factus non expostulabat derivationem, & revulsionem simul præterquam quod si litteram textûs maturè inspiciamus, certum est Galenum non excludere sanguinis missionem dum jussit scarificare crura; etenim si vires adessent, sanguinem absque dubio priùs extraheret: & cùm virium jacturam non expressit, censendum est, priùs sanguinis missionem, quàm scarificationem Galenum exercuisse, aut simul cum venæ sectione ex superioribus vasis facta, meram etiam revulsionem in partibus inferioribus minoribus auxiliis consuluisse, qualia sunt scarificationes, frictiones, & ligaturæ, quæ assiduè à nobis exercentur pro revulsione, tanquam leviora remedia, simul majora exequendo ex partibus superioribus, quæ adimpleant utrumque munus revellendi, simul & derivandi, sequuntur Galeni verba ad nostrum intentum *lib. 2. de compos. medic. sect. loc.* ubi sic loquitur. *Si verò velut debile existens caput ad se sublatos vapores, ac humores susceptet, materiam revellere oportet in totum corpus, atque ità particula mederi per clysteres, itaque revulsio fit & ligaturis extremitatum, & pluribus infernarum partium confrictionibus; interdum etiam sanguini ex cubito detractione.* Ergo Galenus dum ex partibus superioribus per brachium simul derivat, & revellit; in partibus inferioribus levioribus auxiliis meram revulsionem simul consulit exercendam, & communiter apud Methodicos id exerceri didicimus.

Eâdem etiam ratione altero crure laborante (revulsionis etiam gratiâ) alterum crus jubet scarificare Galenus, & non brachium oppositum, utpotè non censetur pars idonea ad auxilium prædictum ob rationem *suprà* adductam. Sic etiam laborante manu alteram non scarificat, sed potiùs ad crura descendit, tanquam ad membrum magis idoneum; unde planè infertur, quod revulsio non secundum longitudinem tantùm; sursum scilicet, & deorsùm, debet procedere; verùm etiam versùs latitudinem, à dextris nempè ad sinistra, & è contra, jure optimo & juxta Galeni dogmata administratur; etenim ut utraque revulsio utilis crederetur, utriusque *in eodem textu* ponit exemplar, quasi nos moneat, revulsionem æquè fieri, laborante manu, ex cruris scarificatione ejusdem lateris, aut in altero crure facta scarificatione: Præterquam quod cùm affectio morbosa in manu urgens non sit, nec periculosa, nec celerem, nec citissimam curationem exposcit; quare etsi per meram revulsionem incipiamus medelam, nihil obstat, quandoquidem etsi differatur, indicatio derivandi, nullum imminet periculum mortis: neque altero crure laborante alterum crus scarificare inviolabiliter censendum est in Galeni doctrina exequendum. Perpendite, quæso, testimonium ejusdem Autoris 2. *ad Glauc. cap.* 2. de affectu cruris loquendo, cujus verba sunt sequutia. *Veluti in ea, de qua nunc agitur dispositione ad genu fluxus deferatur, atque hoc subitò, plurimum attollatur, tibi verò totum corpus plenum sanguine appareat, & valida laborantis vis, is sanguinis evacuatione ex superioribus partibus indiget, oportétque incidere ejus in cubito venam, aut scilicet interiorem, aut mediam.* Videas ergo dum sanguinis missionem consulit revulsivam, ipsam non in opposito crure, sed in ejusdem lateris brachio fieri admonet: quia ergo revulsio utroque modo administratur; perpetuò & inviolabiliter non debet scarificari alterum crus, sed pro libito revulsionem commendat, vel in brachio ejusdem lateris, aut in altero crure.

Cæterùm *in lib. de curat. rat. per sanguin. miss. cap. 19. cit.* Galenus contrarium non docuit: nam præcautionis gratiâ podragicos ex cubito venam secat; comitialibus verò morbis, & vertiginibus obnoxios ex cruribus; & insuper in iis, qui pati jam incipiunt capitales morbos: Hæc doctrina locum habet, si intelligatur de principio initiante, & præcipuè corpore pleno, ut in limitationibus ostendimus; eadem ratione intelligendus est Galenus *lib. de scarificatione cap.* 4. necnon etiam 13. *meth.* per illa verba. *Siquidem longissimè à parte tentata fluxione, &c.* ubi illud *tentata*, videtur significare principium initians morbi capitalis, in quo eventu ad contrariam, & distantiorem partem potest fieri revulsio, quia parum, aut nihil urget tunc derivandi indicatio. Et eadem ratione solvuntur textus Avicennæ, qui loquuntur de ægritudinibus declinantibus ad caput, in quibus convenit venæ sectio in talo, quia illud verbum *Declinantibus*, fieri fluxionis, & ipsius principium initians planè denotat, alter locus immediatè post adductus solùm significat, quod major fit retractio in ægritudinibus capitalibus, si secemus venam pedis, attamen si talis sectio fiat tempore, in quo instet indicatio derivandi à capite, licèt fiat major retractio venam tali secando, tamen contemnitur derivatio, quæ plurimum instat, & postulat venæ sectionem in brachio, quæ simul revellit, & derivat: *Locus autem ex 6. epid. sect. 2. text. 7.* eodem modo est intelligendus de his, quæ in principio initiante fluxionem patiuntur, nam si sursum repant, clara deorsùm solvere oportet: præterquam quod deorsùm solvuntur vena secta in cubito, ut latiùs ostendimus *suprà*, & Galenus planè id testificat secando venam cubiti in expositione textus citati: Neque argumentum à Doctore Ramirez machinatum alicujus roboris est: etenim, ut *infrà* constabit, venæ sectio facta in brachio minimè convocat fluxionem ad superna, potiùs revellit, & in sua opinione de-

rivat à cerebro, & vasis ei proximis humorem: Si ergo sectio in brachio est derivatoria in affectious capitis: ergo non trahit ad cerebrum, neque ullo modo convocat humores ad ipsum, ot latè ex dictis, & dicendis paret.

Ulteriùs etiam tota Arabum familia cum suo majori Principe non evertunt nostram conclusionem secando venam tali in plevritidia principio, aut in brachio opposito: nam intelligi debet hæc doctriua de principio initiante in corpore præcipuè pleno, in quo parum aut nihil urget, quod in plevra continetur, alioquin cum Galeno, & Græcorum omnium familia illicò venam ejus brachij patientis cum clarissimâ utilitate tundimus, quâ & revellimus, & derivamus simul & evacuamus: quæ methodus adeò plaosibilis est; ut nova suasione non indigeat Et licèt Trincavellua, & Leonardus Iachinua sectatores Galeni videantur, & in plevritide venam in talo secant, in sensu à nobis explicato sint intelligendi, cùm doceant interdum sufficere, & prodesse sectionem saphenæ in laterali morbo: quod minimè oppositum est nostræ conclusioni, ut constabit si testimonium adductum Iachini attenro animo legas, obi totam nostram doctrioam in limitationibus adductam ad unguem invenies enodatam: Neque Herculea de Saxonia aliud voluit, cùm asserar circa inflammationis initia revulsoriam venæ sectionem convenire aliqoaodò ex pede, aliquandò ex latere opposito, quandò scilicet in particula oihil continetur, qood periculum immineat, & quandò iogens in corpore adfuerit pleoitudo.

Hippocrates etiam *lib. de nat. hum.* de præcautione apertè loquitur, per ista verba: *Enitendum est autem, ut sectiones quàm longissimè à locis faciamus, ubi dolores fieri solent.* In qua doctrina non supponit dolorea actuales, sed dispositionem partium facilè recipientium, in quibus dolorea excitari assolent: Testimonium Galeni 2. *de art. cur. cap.* 2. solùm probat, quod influentium humorum revulsio est medela, quod nos libenter fatemur; nam venæ sectio, quæ fit in cubito, homoribus fluentibus, revulsiva etiam dicitur. Neque putaodum est, idem significare revulsionem, ac retractionem per talum, hoc enim vanum esse, & satis frivolum demonstravimus; & si forsan Galenus amphibologicè videatur loqui, credamus Averroi *lib.* 7. *cap.* 29. *citato*, qui irridet Galenum, eò quòd aliud docuerit in sermonibus universalibus, & aliud opere exequatur.

Fundamentum quo Barbari Scriptores nituotur contra nos, ex dictis debellatum jam manet; etenim etiamsi non sit fluxio sedata, venam in cubito secare tenemur, dum, quod in capitali affectu contioetur, orget, quippè ea revellit, & derivat à capite, quin metus sit coucitandi fluxionem versus partem in quam succi nituntur; quandoqoidem est certum derivatoriam esse sectionem in brachio, & revulsotiam; attamen si plenum valde sit corpos, fluxione initiante, valentérque irruentibus humoribus, ubi parum urget, quod in membro superiori continetur non abs re primo occursu venam tali inscindere, & immediatè ad brachiorum sectionem accedere, ut sic utrique muneri inserviamus, derivando, & revellendo.

Majua facescit negotium solvere edictum illud Hippocratis 6. *aphoristica sententia text.* 21. *citato*, ubi insanientibus prænunciat restitutionem mentis si varices, aut hæmorrhoides superveniant in quorum verborum confirmationem, & in favorem talarium Medicorum, & Arabicæ familiæ formavimus rationem satis efficacem, quâ nostra opinio videtur claudicare: Attamen solvitur textûs amphibologia, si perpendamus delirium, seu maniam, de qua Hippocrates loquitur, esse delirium melancholicum, & minime furorem à bile ortum; ità dictavit Galenus in expositione *textus citati.* Quo præsupposito, constat probabilissimè bujusmodi delirium melancholicum foveri à venis meseræi, tanquam ab origine & primo foote, quo fit, ut natura protrudente humores melancholicoa insaniam illam causantes, ad crura, & hæmorrhoidales venas sequitur talium affectionam generatio, & melancholici delirij solutio, quam insaniam vocat Hippocrates, convocatis humoribus ad infernas partes, per quarum consensum patiebatur cerebrum; Et licèt in ipso supponatur aliquid imbibitum, ratione cujus indicatio derivandi videatur exposcere vacuationem per superiores brachiorum venas; tamen natura provida, quasi per crisim totam colluviem humoris melancholici decumbentis ad cerebrum, separatione, & segregatione facta à puro sangoine deponens in crura, & in hæmorrhoidales venas, solvit delirium, utpotè fluxionem penitùs cohibens, ità ut nec vestigium in proximis venis cerebro melancholici humoria remaneat, quo fit, ut delirium non habeat causam immediatam foventem. Et si forsan temperies, aut vapor, aut quantitas pauca humoris impacti in cerebro remaneat, natora ipsa proprio, & nativo calore resolvit, & aliis auxiliia topicis, quin sit necessaria venæ sectio in brachio. Aliter enim si citra naturæ excretionem sanguinem mittamus ex talo, gravato admodum cerebro, & urgente bumore melancholico ibi impacto, necessaria est venæ sectio in brachio, quæ revellat, & deriver: Cæterùm ubi affectus per consensum cum hypochondrio censetur, primo occursu venam tali secare debemus, & deindè urgenti capitali morbo, seu delirio melancholico ad sectionem brachiorum accedere debemus juxta ea, quæ in limitationibus nostris docuimus, ex quo modo in contrarium adducta soluta manent.

Ad corroborationem pro Arabum sententia coostat, quod si materia contenta in cerebro adeo sit exigua, ut si non continuaretur fluxio neque nova suppeditaretur materia, morbos non increscerer, tunc qnidem per venam tali revellere erit rationi consonum, contemnendo indicationem derivandi, & amplectendo indicationem revellendi, præcipuè ubi nimia corporis plenitudo accusat, & morbua capitalis est per consensum cum infernis partibus, aut est in principio initiante, in quo parum, aut nihil instat indicatio derivandi, aut forsan para superior recipiens ignobilia est, in quibus occasionibus posse tutò vulnerari talum, docuimus *suprà.* Tandem ad confirmationem argumento à simili facto de partibus ioferioribus, & utero, in quibua venam secamus in brachio pro revulsione, *infrà* constabit solutio, & disparitas, quæ fundatur in defectu loci accommodati pro revulsione, & derivatione simul exequenda, ideóque revellimus primò, & differimus derivationem usque dum fluxionis impetus cessaverit.

Denique argumenta, quæ à Doctore Caldera adducta

adducuntur, ut probent in omnibus febribus venam secandam esse in talo, ex impugnatione prædictæ doctrinæ abundè soluta manent, & nostra opinio magis corroborata ex impugnatione fundamentorum à prædicto Doctore adductorum, quæ obsecro iterum videas, ut veritas nostra magis elucear.

Scrutinio tam speciali eget celebris illa controversia ab Hispalensibus Medicis etiam agitata, scilicet an in malignarum, & pestilentium febrium principio, in quibus venæ sectio est indicata, conveniat secare venam in talo, an verò in brachio. In quo litigio satis digladiantur Doctores, inter quos Doctor Ludovicus Perez Ramirez, qui apud Hispalenses palmam arripuit, *Conclusione sexta suorum operum* acerrimè defendit, & probare intendit in omnium febrium malignarum, seu pestilentium principio semper venam secandam esse in talo. Doctor Ludovicus Rodriguez Lusitanus Primarius Medicinæ Professor Salmanticensis Scholæ, necnon etiam Doctor Granatus Primarius Professor Hispalensis Universitatis eandem sequuntur opinionem, quorum sunt plures sequaces, & graves Medicinæ duces, qui in præsenti difficultate satis insudarunt, opinantes cum Doctore Ramirez sectionem in talo in principio dictarum febrium satis esse opportunam, & felicibus experimentis confirmatam, inter quos peculiari indagine, & firmioribus fundamentis absolvit litigiosam controversiam propositam Iosephus Galeanus Medicus Siculus *Epistola de febre epidemica fol.63.* à qua citati omnes Hispalenses Medici forsan efficaciora jacula mendicarunt. Ex Classicis nostri sæculi Autoribus Galeano videntur adhærere Ludovicus Mercatus doctissimus *lib.7. Praxis Med. de curat. febr. malign. & pestilent.* Eustachius Rud. *lib. 3. de febribus pestil. & malign. cap.30.* Zacut. Lusitan. *lib.3. observ.44.* Horat. Augen. *lib.3. epist. & consult. medic.* Sennert. *lib.4. prax. cap.11. de curat. febr. pestilem. & malignarum in genere*, quos sequitur Doctor Marosa Vallisoletanus *lib. de febrib. cap. de curat. febr. malign.*

Perpendamus ergo fundamenta, quibus nititur hæc assertio à Iosepho Galeano, & omnibus sequacibus adducta: Sit primum. In principio malignarum febrium, & pestilentium venæ sectionem indicantium debemus coërcere raptum, & humoris venenosi motum versus nobiliora membra: sed hoc meliùs & securiùs fit per venæ sectionem revulsoriam ad distantiora, & ignobiliora membra detrudentem materiam pravam, malignam, & veneficam, quæ talium febrium est causa, & mortem infert diram, & violentam per decubitum, quem præstat versus cor, & cerebrum. Ergo Medicus scientificus accedens ad pestilentium, & malignarum febrium medelam, illicò in principio debet secare venam in talo, ut coërceat raptum humorum irruentium ad partes principea, ipsum convocando ad membra distantiora, & ignobiliora, & simul morbificam materiam deponendo, & evacuando.

Secundò fulcitur eadem assertio: nam minera hujus venenatæ putredinis stabulatur in venæ cavæ trunco, atrabilario sanguine, & pestifero repleto; qui origo, & fomes pestilentis febris censetur ab omnibus; sed tutiùs evacuatur, & meliùs per scissionem venarum pedis, quàm brachij: ergo illæ potiùs sunt secandæ: Minorem, in qua totius ratiocinationis stat difficultas, sic ostendere conantur; etenim sive respiciamus venam cavam, quæ est terminus à quo, sive cor, quod est terminus ad quem sanguis venenosus movetur, meliùs & securiùs fit revulsio, & retractio ad partes infernas, & ignobiles per sectionem venæ in talo, quàm per sectionem venarum brachij, quippè ex vena cava longius est iter ad pedes, quàm ad brachia: Vlteriùs etiam ex corde, & cerebro longissima est via ad pedes; brevis autem ad brachia: ergo sive respiciamus terminum à quo, sive terminum ad quem, revulsio major, & evacuatio materiæ morbificæ celebratur, vulnerando venam in talo, quàm brachiorum venas inscindendo, per quas ichores maligni & venefici deferuntur in cor, & cerebrum, ut sectione facta in talo ad infimas articulorum extremitates, & ignobiliora membra meritò detruduntur. Rationabiliùs ergo erit vacuare, & deponere in pestilentibus febribus materiam morbificam per scissionem venæ in talo, per quam celebratur etiam revulsio ad distantiores partes, toties repetita, & celebrata à Galeno *libris methodici*, necnon etiam *lib. art. medicin. cap.95.* quia feliciori fortuna per ignobiles partes propulsatur materia maligna, & pestilens, præcipuè cùm facillima sit via à vena cava ad pedes per ejus descendentem truncum, qui (si Anatomicis credimus) ad ilia tendens in ramos iliacos finditur, à quo surculi quinque emergunt, adiposus, renalis, spermaticus, lumbaris, & musculosus: Ramus autem iliacus, qui extra abdominis cavitatem porrigitur sex efficit propagines, quarum prima est saphena, idest vena malleoli, quæ ad inguinis glandulas innata per internam cruris partem inter cutim, & membranam fertur, & ad malleolum externum descensa, in pedis superni cutim variè absumitur. Cæterùm si ex brachiorum qualibet vena sanguinem fundimus, periculosiùs erit; nam semper per coronariam venam, vel ad cor trahitur, aut per cor transit venefica qualitas in sanguine sepulta, & hoc fit sive à vena cava, sive à corde principium vacuationis, sumatur; unde non solùm non fit revulsio à corde, verùm & ipsum magis inficitur, & venosis vaporibus circumducitur. Accedit etiam in confirmationem adductæ doctrinæ, quod ichores maligni, in quibus pestifera qualitas frequenter deponitur, naturâ suâ leves & tenues sunt, & sic facilè superna loca petere solent; sed hujusmodi motus sectâ venâ in talo prohibetur, & scissa brachiorum vena juvatur: ergo quandocumque cum putredine sepulta est maligna, & pestifera qualitas in sanguine, aut humoribus; tutius erit vulnerare tali, quàm brachij venas. Hæc sunt fulcita fundamenta, quæ Iosephus Galeanus adducit pro hac opinione, & ipsius asseclæ.

In favorem etiam talis assertionis adducere possumus rationem non contemnibilem; etenim in principio febrium malignarum, & pestilentium natura est indifferens ad motum humoris venenosi, vel ad cutim, vel ad emunctoria, vel ad viscera, cor scilicet, cerebrum, aut jecur: sed talis indifferentia securiùs aufertur, & motus ad viscera impeditur, inclinando naturam, & ejus pravum motum ad pedes, quàm ad brachia: ergo satius erit venam in talo apetire, quæ hoc præstat citra timorem, & suspicionem ullam, cujus contrarium accidere credendum est inclinatam venefico humore ad partes supernas circa cor, & caput per sectionem venarum in brachio;

cùm autem in pestilentibus febribus, & malignis plerumque venenatus humor caput petat, & ferè semper cor: ejus remotio, & distractio ad distantiora membra ad ignobiliora debitè celebrabitur, scissâ venâ in talo. In cujus rei confirmationem *suprà* adduximus Galenum, & in præsenti magis ad nostrum intentum *lib. de cucurb. scarificat. cap.* 10. ubi refert quandam constitutionem pestilentem per totam Asiam divagantem, quæ eum apprehendisset Galenum, illico jussit crura scarificare sibi, & aliis, & usque ad duas heminas sanguinem effundere, quo imperiali, & celebri auxilio liber evasit ab insidiis diri, & valde crudelis, ac pestiferi mali, quod citissimam & violentam satis mortem prænuntiabat, ex quo tanquam fidelissimo experimento jure optimo possumus inferre in principio febrium malignarum, & pestilentium feriendam esse venam in talo, quæ validiùs revellit humores pestiferos ad partes inferiores, & ignobiles, qui forsan celerem, & repentinam mortem inferre possunt, si in caput, & cor repant, convocati per venæ sectionem in brachiis.

Contrariam opinionem, videlicet quod in principio febrium malignarum, & pestilentium vena sit secanda in brachio, plures Autores non infimæ notæ contra Galenum, & ejus sequaces defensandam suscipiunt, támque antiquitùs esse observatam asseverant toto corde: Ex his noster Socius Gaspar Bravo prædictam opinionem suadere intendit *in suis resolution. disput.* 1. *sect.* 7. *resolut.* 21. Probat primò sanguinis missionem revulsoriam minimè indicari à febre maligna, aut pestilenti ut tali; etenim sectio venæ revulsoria debet indicari à morbo magno pendente ex vitio sanguinis in motu versus partem, in quam repere non debebat; sed febris pestilens, aut maligna non pendet à vitio sanguinis in motu ut tali, sed in quali: ergo ab illis minimè indicatur venæ sectio revulsoria, sed potiùs evacuatoria. Minorem suadere conatur ex eo quod febris pestilens, & maligna distinguuntur à putridis, vel ob majorem intensionem putredinis, vel ob specialem corruptionem, per quam est adjuncta venenosa, seu deleteria qualitas simul cum ipsa febre; sed totum hoc est vitium in quali: ergo hujusmodi febres pendent à vitio in quali, & non à vitio in motu, ac per consequens in ipsis non debet secari vena in talo, quæ per revulsionem coërceat vitium in motu, sed in brachio ut per ipsam fiat evacuatio materiæ putridæ, & morbificæ commodiùs, & faciliùs.

Si respondeas cum ipso dari in febribus putridis pestilentibus, & malignis motum vaporum, & ichorum malignorum ferentium deleteriam, & veneficam vim versus cor, & sic indicari revulsoriam venæ sectionem in talo, ut per ipsam inhibeamus, & prorsùs vitemus raptum illud, & decubitum versus cor. Contra instat Socius noster; nam si propter motum vaporum malignorum in cor indicaretur revulsoria venæ sectio in talo; potiùs exercenda esset in augmento, & statu morbi, quàm in principio, cùm in illis temporibus vigeat magis ille motus versus cor: atqui citati Autores pro contraria opinione solùm in principio pestilentium, & malignarum febrium venam aperiunt in talo, revulsionis gratiâ: ergo vel in augmento, & statu etiam id debent præstare, aut nullo modo in principio. Ulteriùs premere intendit contrariam opinionem, ex eo quod ratione materiæ fluentis diversa auxilia revellentia indicantur; etenim si humor qui decumbit, sit cacochymus, indicat expurgationem: si autem sit sanguis, qui actu fluit, indicat venæ sectionem revulsoriam si sunt vapores, indicatur frictio, aut cucurbitula, quæ fuligines revellere valeat: ergo non sanguinis missio revulsoria semper indicatur. Tandem arguit, quia illa materia indicat averti per venæ sectionem, quæ per ipsam revellitur, sed vapores, & fuligines venenati minimè avertuntur per venæ sectionem, sed potiùs sanguis humores commixti cum ipso: ergo ex nullo capite convenit venæ sectio in talo in principio febrium malignarum, & pestilentium.

Respondebis iterum, per sanguinis missionem evacuari causam, ex qua elevantur venenati fuligines, & sic bene stare, quòd conferat vena sectio revulsoria, quippè causa morbifica retracta ad infernas partes, retrahi etiam vaporosum concursum fuliginum malignarum necesse est. Contra tamen instatur hæc evasio; etenim illa venæ sectio exercenda est pro inhibitione vaporum, seu fuliginum cor apprehendentium juxta indicationem causæ, per quam faciliùs causam morbificam depunamus, ex qua fuligines venefici elevantur; sed venâ sectâ in brachio faciliùs, & commodiùs evacuatur humorum, & sanguinis copia, quæ in vasis majoribus abundat; quippè evacuatur per vias ampliores, habentes majorem communionem cum cava vena ascendente: ergo quomoducumque intendamus avertere fuligines a corde, potiùs venam brachiorum ferire tenemur, & minimè vulnerare talum, ex quo non lucratur tanta communicatio cum venæ cava ascendente jecoris, in qua stabulatur causa morbifica; etenim si ex pede tentaremus revulsionem per longum tempus, & prius ex manitis ramis venæ descendentis possemus lucrari beneficium venæ sectionis, & forsan jam esset morbifica causa impacta in membro affecto, in quod fluit, & cùm venæ pedis non habeant eam communionem, quæ requiritur ad depositionem causæ conjunctæ in partibus superioribus; superfluè, & absque lucro aliquo tentabitur venæ sectio in pede; *Nam si venas, quæ nihil parti affectæ communicant inciderls, neque affectæ medeberis, & sanam semper offendes*: aiebat Galenus *in com. ad hist. famulæ Stymargi in lib. epid.* 5. Ulteriùs etiam hanc opinionem sancire conatur; nam ex illis vasis debet celebrari sanguinis effusio in pestilentibus, & malignis febribus, quæ majorem habent communionem cum parte affecta, sed hæc invenitur præcipuè in venis brachiorum: ergo ex illis debet celebrari sanguinis missio: Minorem ostendit ex Galeno *lib. de sang. miss. cap.* 19. per sequentia verba. *Sed major est consensus in brachy venis cum venis cavæ ascendentis, in quibus maximè continentur humores, à quibus febres pestilentes foventur, quàm in crurum venis, cùm hæ sint propagines venæ cavæ descendentis, in qua minor copia causæ morbificæ reperitur.* Ex quibus deducit in pestilentibus febribus potiùs ex venis sitis in brachio, quam in crure sanguinem esse mittendum. In cujus confirmationem adducit sagacissimæ naturæ opera: etenim quando providè succurrit pro salutis beneficio, quando vivens torquetur pestilenti febre, tentat evacuationes per superiores partes criticè evacuando humores per fluxum sanguinis narium, & per sudores:

Cùm

cum ergo Medicus sit naturæ fidelis Minister, & imitator, in operibus artis debet exercere sanguinis vacuationes ex superioribus partibus brachiorum vasa feriendo, & minimè talum vulnerando.

Ampliùs etiam suadet assumptum ex eo quod pestilens febris, & maligna solum indicant sanguinis missionem quatenùs putridæ sunt, sed ut tales potiùs indicant sanguinis missionem ex brachiis, in quibus sunt vasa majora, quæ continent morbificam causam, ibi præcipuè putrescentem: ergo cùm per hujusmodi vasa citiùs, & celeriùs evacuetur causa morbifica pro celeritate tantæ febris, quæ velociter, & valde periculosè movetur, consonum erit in febribus pestilentibus, & malignis venam secare in brachio, potiùs quàm in cruribus.

Resolvit secundò Socius noster, quod quando timetur, febrem putridam, & malignam foveri ex vitio sanguinis in ramis venæ cavæ descendentis stabulantis, tunc evacuationis causâ venam esse secandam in cruribus. Rationem reddit, nam febris orta ex materia putrida contenta in vena cava ascendente, evacuatur meliùs, & citiùs per venas brachiorum: ergo quandò materia morbifica continetur in propaginibus cavæ descendentis, debet meritò celebrari evacuatio ex cruribus, quæ immediatiùs, & citiùs educit causam ab ea parte, quæ fovet febrem: æqua enim videtur ratio deducta ex paritate, quando materia morbi continetur in vena cava ascendente. Confirmat assumptum; nam si mulieri accidat febris pestilens, originem ducens à materia prava contenta in utero putredini apta, sine dubio vena debet secari in cruribus, quia habet majorem communionem cum parte affecta: ergo ità similiter quandò maligna, & pestilens febris fovetur à materia contenta in ramis venæ cavæ descendentis, debet secari vena in talo, quæ majorem communionem habet cum foco, & minera, à qua fovetur. Et tandem suadet eandem conclusionem ex eo quod in bubonibus malignis ortis ex materia contenta in vena cava descendenti, jure optimo venam secamus in talo: ergo pariter quandò febris pestilens fovetur ex materia putrida & maligna contenta in cava descendente, vena in pede secanda est. Hæc Socius.

Cæterùm quidquid sit de veritate hujus opinionis, de qua posteà judicium faciemus; Rationes à nostro Socio adductæ minimè convincunt assumptum; nam cùm febre pestilenti, aut maligna simul invenitur putredo, sive specialis corruptio, quæ parit deleteriam, & pestiferam qualitatem modificantem ipsam putredinem, nec non etiam vitium in motu versus cor, aut partem principem; undè licèt febres quatenùs putridæ indicent sanguinis missionem vacuatoriam ex brachio, tamen ratione motûs versus cor indicant etiam revulsionem: undè cùm vitium in quale, quod reperitur in speciali corruptione modificet putredinem, in his febribus reperitur aliquid speciale, ratione cujus non solùm indicent vacuationem; sed etiam revulsionem humoris putridi venenati, qui plerumque irruit in cor: cùm ergo sit in pestilentibus febribus non solùm putredo, sed pestifera qualitas ab ea dimanans, necnon etiam motus humoris, videtur pro libito supponere nostrum Socium solam putredinem indicare vacuationem ex brachio, & minimè revulsionem ex talo.

Neque argumentum, quod adducit de motu vaporum malignorum aliquid probat; etenim si in augmento, & statu fiat motus humoris, aut vaporis versus cor, tunc temporis debet cohiberi, factâ revulsione ad partes distantiores. Prætérquamquod in augmento, & statu quoad coctionem, aut quoad accidentium intensionem potest reperiri principium quoad motum, quod ex se exposcit revulsionem vaporis, & humoris venenati ad distantiora membra. Falsò etiam affirmat vapores solùm indicare revulsionem per cucurbitulas, frictiones, & ligaturas; nam revulsione factâ ad distantiora loca, materiæ pravæ, ex qua elevantur vapores, per sanguinis missionem jure optimo revelluntur saltim mediatè: non ergo convincit, ex eo quod per frictiones, & ligaturas etiam revellantur, quod non celebretur ipsorum revulsio per venæ sectionem factam ex partibus distantioribus à corde, in quod repunt vapores, & humores, ex quibus elevantur, tanquam ex materia immediata. Ulteriùs etiam videtur extra rem asserere, quòd si humor, qui fluit, sit cacochymus, indicat potiùs expurgationem tanquam remedium revulsorium, quippè ex eo non probat quod, quando venæ sectio est indicata, non sit exercenda revulsoria in pestilentibus febribus, quandoquidem instat in ipsis necessitas revellendi humores pestilentes concitatos versus cor, qui commodè avertuntur ab ipso per sanguinis missionem ex talo.

Contra nostrum Socium licet etiam notare, quod etsi per venas majores faciliùs, & citiùs evacuetur causa morbifica putrida; non tamen indè benè infertur in malignis, & pestilentibus febribus semper feriendam esse venam in brachio, quippè ex venis tali sufficienter etiam, & copiosè evacuatur, & cum majori securitate quando movetur ad cor venefica materia, quia tunc temporis lucratur magis natura ex revocatione materiæ pestilentis ad loca distantiora, factâ venæ sectione in cruribus, quam ex eo quod ex amplioribus vasis citiùs evacuetur, secando venam in brachiis, quæ proximior est cordi, & ea ex parte citiùs periculum minatur. Alterum argumentum de providentia naturæ, quæ in his febribus ritè operans sanguinem per nares detrudit, & plerumque sudores movet, nullius roboris est, quippè etiam provida natura rectè, & criticè operans materiam deponit in inguinibus bubones excitando, & sæpè in hæmorrhoidas sanguinem fundendo: ergo si sequamur naturæ discordes motiones, poterit etiam secari vena in cruribus in febribus pestilentibus, in quibus plerunque deponit materias pestiferas in partes inferiores, quandocumque criticè, & ritè operatur in sui ipsius beneficio. Ex his planè videtur constare diversam esse rationem putridæ febris, ac pestilentis, & malignæ, quia in his venenosus humor longissimè à corde distrahi exposcit, & licet in valde acutis, & periculosis febribus auxilia celeritatem exposcant in sua executione: totum hoc sufficienter salvari potest, feriendo venam tali, ex qua impeditur, & cohibetur securiùs decubitus ad cor, & aliàs sanguis ab ipsa copiosè deponitur, & eo pacto sanguis, qui venas majores occupat successione ad id, quod evacuatur, quin sit timor (ita Adversarij ajunt) ut febres deterioris conditionis reddantur, sectâ venâ in brachio penè motum humoris venenosi circa cor.

Præcipuum

Præcipuum fundamentum ad secandam venam in brachiis io pestilentibus febribus deducit ex Galeni testimonio *suprà* ab ipso allegato *lib. de sang. miss. cap.* 19. in quo expressè fatetur Galenus esse majorem consensum in venis brachiorum cum cava ascendente in qua continentur humores, à quibus pestilentes febres foventur, quàm in venis crurum, quæ sunt propagines venæ cavæ descendentis, in qua minor copia causæ morbificæ reperitur. Cùm ergo in dictis febribus debeat celebrari evacuatio ex vasis, quæ majorem habent communionem cum parte affecta, ubi causa pestifera morbifica stabulatur: infert optimè ex venis brachiorum, & minimè ex illis, quæ in cruribus sunt sitæ, fundendum esse sanguinem in pestilentibus, & malignis febribus Certè verba citata videntur Galenica, & credam certè communionem majorem dictarum venarum, cum vena cava ascendente, quàm quæ sita sunt vasa in brachio: attamen codicem meum sæpè legi, & perlegi, neenon etiam totum librum *de vena sectione*, & insuper alios libros *de vena sectione adversus Erasistratum*, & adversus eius discipulos, qui Romæ degebant, & non potui invenire in Galeno talia verba citata, & relata; forsan enim ea transcripsit ex alio Auctore mendoso: sed demus gratis ea esse Galeni verba; tunc sic poterit in febribus pestilentibus considerari alia peculiaris indicatio revellendi à corde per partes distantiores ab ipso veneficam, & pestiferam illam materiam, etiamsi in illis non sit tam immediata communicatio cum cava ascendente vena, & cùm ex altera parte causa morbi evacuetur, & simul revellatur à corde, videtur à Contrariis posse salvari vim ratiocinationis à Doctissimo Socio adductæ.

Hanc eandem doctrinam de sectione venarum, quæ sunt in brachiis in febribus malignis, & pestilentibus fulcire intendit Recentior quidam, duplici ratione ductus, & quia venæ pedum sunt frigidiores, & strictiores, quapropter illarum sectio plenitudini evacuandæ non sufficiet, cùm ex Galeno constet *lib. art. med. cap.* 95. evacuationes minimè per exiles, & angustos meatus, sed per latiores, & amplos fieri debere. Ratio quidem frivola satis, & quod experimento refragatur quotidiano, cùm videamus ex talo copiosas satis vacuationes celebrari pro depositione magnæ pleoitndinis, præcipuè balneo aquæ calidæ præcedente, & sectâ venâ io malleolo, & non in digitis in quibus angustissima sont vasa. Præterquam quod Galenus *lib. suprà citato de cucurbit. scarif.* in parte Asiæ crura propria jussit sacrificare, & sanguinem extraxisse testatur usque ad duas heminas: sequitur Galenum Oribasius, qui scarificatione etiam duas sanguinis libras ferè ex pedibus extraxit, & absque balnei quidem calidi præcedentia: liquidò ergo constat per venæ sectionem ex talo optimè deponi posse plenitudioem, quæ febris pestilentis, & malignæ causa esse possit, ac proinde dicta ratione oon esse vituperandam venæ sectionem in talo io febribus dictis, ut *infrà* constabit pleniùs; etsi forsan antiquitas sæpè scarificationibus utatur; fuit quidem propter penuriam artificis, quæ nostro seculo non est, cùm sint plures adeò periti in hac arte, ut citra periculum venam feriant, & sic sanguinem fundant.

Secundò, sancire intendit eandem opinionem ex eo, quod in febribus pestilentibus, & malignis vires summoperè dejiciuntur, & enervantur, quas custodire toto corde debemos, sed venæ sectiones, quæ io talo fiunt, debilitant magis, & vires effæminant, quàm si venas in brachiis secemus: ergo istæ securiùs in pestilentibus febribus, & malignis secari debent. Minorem hujus discursûs probat ex Galeno *lib. de ren. affect. dign. & curat. cap.*4. ubi sic fatur. *Sed quia affectus renalis est, & materia, ex qua generatur crassa, materiamque crassam sursum revellere promptum non est: magis verò ad ipsius lationem expectantibus deorsum vacuare, expeditum: ob id si valida sit virtus, venam qua in poplite est aperiemus, vel qua ad malleolos, sin imbecillis, qua est in cubito*, Ex mox prosequitur sic. *Quapropter cùm firma virtus est, convenit ex vena qua in poplite est sanguinem mittere, cum debilis ea est, revellere ad superiora.* Eandem opinionem videtur amplecti Avicenna *fen* 4. *lib.* 1. *cap.* 20. per sequentia verba. *Et ad summum phletomia venarum pedis confert ægritudinibus, quæ fiunt ex materiebus ad caput declinantibus, & ægritudinibus melancholicis, & ipsa quidem magis debilitat, quàm phlebotomia venarum manus.* Ex quibus deducitur in febribus pestilentibus, & malignis in quibus effœminata, & fatigata virtus censetur, & virium dispendium ob spirituum ingentem dissipationem cernitur, meritò eligendam esse illam sanguinis effusionem, quæ minùs debilitet; cúmque ea, quæ ex talo celebratur magis enervet vires, & ea, quæ ex cubito exercetur, eas magis conservet, meritò deducitur securiùs esse in prædictis febribus venas brachiorum ferire, quàm malleolum vulnerare, præcipuè cum venæ tali defectu caloris strictæ, & angustæ sint, proindéque cogimur illas calido balneo fovere, neenon etiam ligaturis, & frictionibus calefacere, ut sanguis fluat scissâ venâ in sufficienti quantitate, quæ omnia fiunt cum spirituum dispendio magno, contrarium autem contingit, quandò sanguis funditur in brachio, quia cùm cordi sit proximior, tenuis, & ad fluendum paratus est, & insuper vasa ibi latiora sunt, & calidiora, nullo indigentia balneo, nec ligaturis, ac frictionibus ita validis, ac per consequens sectio talium vasorum fit cum minori dispendio spirituum, proindéque præferenda in medela prædictarum febrium.

Cæterùm adducta fundamenta nullius roboris, & valdè futilia; sunt etenim testimonium ex *lib. de ren. affect.* tanquam Galeni censetur ab Interpretibus; Et licèt verba Galeni essent, minimè probant intentum, nam ipse *lib. de sang. miss. cap.* 18. in renum affectionibus io ordine ad sanguinis missionem ambiguitatem habere fatetur propter medium ipsorum situm, quem in corpore habent, & ambiguitatem propositam dirimens sic resolvit: *Itaque misso ex cubito sanguine auscultant, ubi videlicet recens fuerit phlegmone, copiáque sanguinis adfuerit.* Quâ suppositâ doctrinâ, quæ ab omnibus inconcussè amplectitur, sic instatur: nam in casu adducto virtus valida supponitur, & nihilominùs ex brachio, & non ex talo sanguinem mittere jubet Galenus revellendi causâ: ergo cum virtute valida omisit venæ sectionem ex talo, quin adsit metus debilitatis, aut languoris virtutis. Si autem aliter voluerit aliquis solvere propositam difficultatem, inveniet fundamentum in Galeno *libro citato*, ubi solùm loquitur de debilitate facultatis retentricis

venarum,

veoarum, & non de debilitate facultatis vitalis earum. Perpendite verba. *Nam si virtute debili infra evacuavimus, retentrix, quæ est imbecillis non retinebit, sed universa in praceps rapietur, & partem assiduè de fluxu impetet succis videlicet in locum imbecillem perpetuò procumbentibus, quapropter, cum firma virtus est, convenit ex vena quæ in poplite est sanguinem mittere, cum debilis ea est, revellere ad superiora.* Ex quibus verbis planè constat sermonem non esse de constantia virtutis vitalis, quam in sanguine mittendo desideramus; sed retentricia, nec doeere somniavit vires magis, vel minùs ex una, aut altera sectione prosterni, sed potiùs humores magis, vel minus ad locum affectum ratione unius, aut alterius venæ sectionis duci, unde admisso adhuc testimonio primò adducto tanquam Galenico, nihil probat, oec suadet assumptum propositum.

Avicennæ etiam autoritas transcripta censetur ex *lib. de anatomia vivorum*, qui Galeni non est, sed prorsùs spurius, unde in hoc Avicennæ autoritas parvi pendenda est, & ratio clamat, & contrarium dictat, nisi supponamus in hac sectionum comparatione omnia débere esse æqualia, nempè idem numero affectus, idem corpus, idem tempus, eadem regio, necnon etiam quantitas sanguinis extrahendæ par, & solùm disparitas debet versari inter venas, quæ vulnerari debent. Quibus suppositis, validatur assumptum: ex illa venæ sectione debilior reddetur vitalis facultas, ex qua celeriùs spiritus, & optimus sanguis à corde, & partibus præcipuis vacuatur, sed citiùs, & faciliùs fit evacuatio ex corde, & venæ cavæ trunco per brachiorum venas, quàm per venas pedis: ergo potiùs sectâ venâ in brachio vires prosternuntur, quàm in malleolo, nisi sanguis largè ex pede, & parcè ex brachio fundatur, in quo casu solùm potest tenere opinio Avicennæ (si forsan illius censeatur, & non transcripta ex lib. de anatom. vivor.) attamen tunc cætera non sunt paria & sic nihil probat: Hac ergo ratione inefficaciter impugnatur venæ sectio in talo in febribus malignis, & pestilentibus.

Sit nostra conclusio. In febribus pestilentibus, & malignis venam tali secandam esse, ubi causa fovens febres in vasis meseraici, aut in venæ cavæ trunco descendente stabulatur, quod agnoscitur ex tensione, gravitate, aut molestia circa hujusmodi membra. Hæc conclusio ex his, quæ superiùs diximus satis probata manet, quippe semper in his febribus cor, & partes superiores patiuntur per consensum prædictarum partium, ubi putredo, & specialis corruptio sedem habet propriam; unde cordatus Medicus semper ex fluxionis origine debet evacuare materiam morbificam, & ad ipsam revellere, si Galeni dogmatibus stemus, quibus sæpè nos monet vel ad partem distantiorem esse revellendum, vel ad eam, quæ est origo fluxionis; cúmque putredo maligna & pestilens circa hypochondria habeat suam mineram, in trunco venæ cavæ descendentis, meritò versus ipsam debemus detrudere materiam morbificam, vulnerando talos, ut à corde, & versus suam originem ipsam revellamus. Et in hoc casu talarium Hispalensium Doctorum opinionem non solùm in pestilentibus febribus, sed in affectibus capitali-

bus amplectimur, ut ex *suprà* adductis à nobis latissimè constat.

Insuper addimus tali venæ sectionem etiam esse utilem in dictis febribus, quoties menstrua, hæmorrhoides aut altera quolibet evacuatio inferior sit suppressa, quæ sine dubio est causa talium febrium, aut saltim alias causas fovet, quapropter illicò convenit ad partes inferna advocare consuetam purgationem sectâ venâ in talo, & reliquis auxiliis revulsoriis adhibitis, quemadmodum in hæmorrhoidalis sanguinis suppressione utiliter sanguisugæ admoiftrantur venis hæmorrhoidalibus applicatæ, quæ vires habent sanguinis missionis, & aliàs fœculentum sanguinem educunt cum minori virium dispendio: Et quidem de suppressione menstruorum satis claré Galenus docuit *libro de vena sectione adversus Erasistratum*, per illa verba satis trita. *Verùm menstruis suppressis, fœminam cuilibet malo implicari facile est, huicque rursus evacuationes medentur.* Cordatè igitur Medicus in febribus malignis, & pestilentibus, quibus menstrua suppressa cernuntur, sanguinem mittere ex talo jubent, ut pestilens, & virulenta materia per sentinam à natura instituram, vacuetur, & à corde revellatur.

Similiter etiam talum secare debemus in principio talium febrium, priusquàm ipsa materia invadat caput, aut cor, si decubitus sit in fieri, aut in principio initiante, in quo parum, aut nihil urgeat quod in partibus superioribus continetur, & solùm urgeat venenosa & pestilens materia, quæ fluere est apta, & io primo motu censetur, priusquàm veneni signa manifesta agnoscantur per accidentia venenum comitantia, in quo casu detivationis indicatio contemnenda est, & mera revulsio toto animo amplexanda sectâ venâ in talo, quæ humores pestilentes, & venenosos ad distantiora membra detrudat, & per ipsa revellat, & evacuet, aut etiam per hirudinum applicationem id rectè fieri poterit, præcipuè si materia fovens pestilentes febres sit in vena porta, aut ejus ramis, aut in liene, aut ventriculo, aut mesenterio contineatur: in quo eventu, levi præsuppositâ purgatione, pro regione prima defœcanda, referatis hæmorrhoidibus internis applicatione hirudinum, etiamsi assueta non sit talis evacuatio, humorum spurcitia, & venenositas vacuatur; etenim sanguisugæ non solùm cutaneum, & tenuem sanguinem evacuant, sed crassum, feculentum, & in corporis profundo existeotem, ita Mereatus tenet *lib. 1. de rect. præsid. usu cap. 4.* & Zacut. *lib. 1. hist. super hist. 4.* necnon *lib. 4. hist. 47. quæst. 43. de peste* agens, & quod attinet ad venæ sectionem ex talo idem Mercat. *lib. 7. de febr. pest. & malign. fol. mihi. 593.* docet crura scarificanda esse, aut venam tali inscindendam, maximè in principio talium febrium aut ad inguina vergente humore, & rationem reddens ait, id fieri debere, quo distantiùs à præcipuis membris secedat venenatus humor, & hac ratione, & in hoc tempore amplectenda est doctrina Galeni ab Oribasio adducta, qui in peste Asiæ in cruribus scarificavit cucurbitulas, permisitque sanguinem usque ad duas heminas fluere, quo auxilio liber evasit, quonism io fluxione indicatio revellendi solùm instabat, in quo eventu per inferiora, & distantiora loca revellere, & sanguinem fundere erat opportunum, & verba Galeni, *suprà* adducta demonstrant pestiferam fe-

btem esse in principio initiante, si quis ea attentè perpendat. In quo etiam sensu loquitur Zacut. *lib. 3. de praxi med. admir. observ. 45. de febre pestif.* in qua saphenæ sectio utilissima fuit, ubi etiam refert Oribasij historiam *lib. 7. collect. cap. 20.* qui contestatur in peste Asiæ citatæ, in qua scarificavit crura.

Sed circa historiæ expositionem illicò se offert difficultas, cur Galenus in plenitudine, & peste Asiæ scarificavit crura, & sectionis venæ non meminit, quæ in morbo acuto fuso sanguine per majores venas plenitudinē citissimè deponit? Sed fortè Galenus magis commendat scarificationem in peste, quia hæc cæteris paribus minus enervat vires, quàm venæ sectio, & sic tutiùs, & securiùs judicavit hanc copiosam evacuationem exercere per scarificationem, quàm per venæ sectionem, quoniam sectis amplioribus vasis major spirituum copia exhauritur, quàm si capillares venæ inscindantur, præcipuè cùm in peste soliciti esse debeamus, ne vires tantoperè dissolvantur, cùm semper languidæ cernantur.

Pullulat tamen Galeni doctrina contra nuper stabilitam conclusionem, nam *lib. 2. ad Glauc. cap. 1.* docet affecto liene, secandam esse internam brachij sinistri venam, & *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 15.* idem testificat de affectione ventriculi. Licèt tamen hæc verè adducta sint à Galeno, nihilominùs non probant contra adductam doctrinam, quippè ipse loquitur de affectione inflammatoria utriusque partis propter decubitum humoris à jecore, aut ex vena cava in quo eventu revulsionis gratiâ in principio meritò jubet secare internam venam brachiorum. Et ut responsionis veritatem discas, perpende, obsecro, Galeni verba 2. *ad Glauc.* citata. *Nam si splene inflammationem patiente sanguinem vis evacuare, interiores in manu sinistra venas secato.* Insuper etiam *lib. de sang. miss.* sic fatur. *Dolente verò latere, aut pulmone, aut jecore, aut ventriculo, ea, quæ per alas ad cubiti juncturam pertingit, hoc autem casu maximè interior secanda venit.* Accuratè igitur in adductis casibus, & jure optimo in fluxionis, aut inflammationis initio venam secat Galenus in cubito, liene, aut ventriculo inflammatione laborante, revellendi causâ, quemadmodum etiam in principio initiante fluxionis ad caput, aut ad superiora membra meritò talum vulneramus revellendi gratiâ, æqua enim militat in utroque casu ratio. Aliter autem ubi in regione mesetæi adest minera corruptionis malignæ, & pestiferæ, à qua diffunduntur in cor vapores, & per consensum patitur, meritò talum secamus, ut ad originem fluxionis venenosam materiam revellamus.

Sit secunda conclusio. In febribus pestilentibus, & malignis, exceptis casibus nuper adductis, sanguinem ex brachio mittere debemus pro celeri evacuatione, quæ in dictis febribus instat, ad deponendam causam morbificam, ipsámque movendam quàm citissimè à corde. Hæc conclusio firmatur validissimo fundamento *suprà* à nobis adducto contra talares Medicos Hispalenses, & præcipuos hujus opinionis sectatores, Doctorem scilicet Ramires, & Gasparem Caldera. Nam in principio febrium pestilentium, & malignarum, ubi jam signa pestifera apparent, & cor manifestè sensibiliter patitur, adest indicatio revellendi humorem fluentem ad partem nobilem, necnon etiam evacuandi humorem parti affectæ infixum & inhærentem, ergo tunc non est indicata simplex revulsio ad distantiora, cùm hoc solum incipientem, vel paratum fluere humorem respiciat: ergo tunc indicatur auxilium, quod fluxionem inhibeat, & humorem impactum, & contentum in parte evacuet per derivationē, sic ab omnibus Medicis appellatam, ac per consequens derivatio erit exercenda. Tunc sic; sed derivatio minimè fit per distantiora loca, veluti simplex revulsio, neque per partem ipsam veluti simplex evacuatio: ergo debet celebrari per partem inter utramque mediam, quæ vim habeat revellendi, & derivandi; sed hæc est brachij vena, ex qua fuso sanguine revellit humores à corde, & ab ipso derivat per vasa vicina, salva contrarietate juxta diametrum, quod dicitur intus ad extra: meritò igitur utramque indicationem adimplendo in dictis febribus venas brachiorum scindimus.

Corroboratur ampliùs nostræ ratiocinationis fundamentum; nam humor venenatus, & pestilens residet in trunco venæ cavæ, unde in cor irruit, & ipsum apprehendit; sed talis humor indicat revulsionem, & derivationem à corde, quæ fit sectâ venâ in brachio, & minimè in talo, utpotè per hanc solùm revellimus, & non derivamus, cùm pedes non sint proxima membra cordi, nec consonum est rationi tantoperè timere venenosum humorem, ut necesse sit confugere ad distantiora loca, quandoquidem ex proxima expulsionis via vulnerando brachiorum venas, quæ citiùs, & securiùs pestiferos humores, & ichores venenatos evacuant per ductus ampliores, ipsos revellendo, & derivando à corde. Etenim si solùm malleoli venas secemus, prorsùs contemnimus indicationem derivandi, ità necessariam, ut eâ omissâ possimus timere rationabiliter vitam deficere priùs, non evacuata protinùs, & celertimè materia venefica, quæ cordi insidiatur, & infestat ipsum. Nec valet si respondeas, per sectionem tali evacuari proximum sanguinem, & ejus loco succedere non evacuari humorem venenosum, sed à corde separari. Nam contra instatur solutio, quia sectâ venâ in talo venenum adhuc intra corpus latebit, etiamsi aliquantulum à corde separetur: securiùs ergo erit per venas brachiorum venenosam materiam non solùm removeri à visceribus, sed evacuari per vias ampliores.

Falluntur quidem talares Medici, & præcipuè Doctor Caldera *suprà* à nobis citatus, dum aiunt, sanguine fuso ex venis brachiorum, humorem venenosum potiùs ad cor trahi, quàm ab ipso separari; etenim vena cava ascendens priusquàm dextro cordi ventriculo annectatur; & coronariam venam pariat, sursum iugulum versus serpit axillares venas producere. Hoc Galenus docet *libro 6. de usu part. capit.* 17. & cum eo Anatomici sentiunt idem; undè minimè ad cor, sed per vicinum cavæ ascendentis truncum sanguis ad brachij venas ducitur, & ab ipso corde removetur, & derivatur, necnon etiam celerrimè evacuatur. Liquidò ergo constat variari modum extrahendi sanguinem juxta indicationum varietatem, quia aut revellere, vel derivare, aut evacuare in animo Medici est: primùm ad distantissimas partes faciendum; secundùm à proximis vasis; tertiùm ab ipsamet affecta particula; sicpro mera revulsione sanguinem mittimus per loca distantiora, ubi autem composita cernitur indicatio

revellendi,

revellendi, & derivandi per vasa proximiora. Meritò ergo dum febris pestilens invadit cor, venas brachiorum tundimus, ut simul indicationem revellendi, & derivandi adimpleamus, & tandem dum evacuationem intendimus sinistram mamillam scarificamus, & simili ratione in morbis capitalibus priùs venam brachij secamus; deinde venam frontis, vel hirudines venulis aurium, aut narium affigere imperamus, ut hac ratione omnibus indicationibus satisfaciamus. Si autem per sectionem venarum in brachiis sanguis venenosus deduceretur ad cor, nunquàm in febribus malignis, & pestilentibus sanguis mitteretur ex brachiis, etiam præmissis inferioribus evacuationibus ex talo ob timorem delationis veneni ad cor: At Sectatores talares id non faciunt, imò potiùs factâ venæ sectione in talo, & eâ repetitâ accedunt ad sectionem venarum, quæ sunt in brachiis animo derivandi morbificam, & venificam causam à corde: ergo si sectio venarum in brachiis derivatoria ab illis censetur, minimè potest convocare venenum ad cor, sed potiùs ab illo divertere per derivationem: hæc enim ità clarè demonstrant nostrum intentum, & adversariorum fallaciam, aut ignorantium, ut supervacaneum sit in hoc litigio insistere.

Ex his, & aliis, quæ *suprà* scripsimus, constat nostræ opinionis veritas: nam quamvis omnia omnibus in nobis consentiant, at venæ cavæ truncum faciliùs brachiis, quàm pedibus consentire nemo sanæ mentis negabit, præcipuè cùm motus ichorum veneratorum cor irruentium debeant prohiberi, & non juvari: at per venæ sectionem ex brachio faciliùs prohibentur, eò quòd ichores propter suam tenuitatem faciliùs per supernas partes evacuentur, & non per infernas, ad quas crassi, & fœculenti succi suo pondere inclinant: cùm ergo frequenter hujusmodi febres pestilentes in tenuibus ichoribus subjectentur, meritò fundimus in ipsis sanguinem ex venis brachiorum.

Insuper etiam asserimus, quod si in febribus malignis, aut pestilentibus appareant. Maculæ, parotides, bubones, aut carbunculi cum conferentia, & tolerantia ægrotantium, ità ut rationabiliter censeamus, indicari per dictos abscessus febres enumeratas, tunc totum negotium naturæ relinquendum, & solùm Medicus solicitus esse debet in conservatione abscessuum, ne fiat ipsorum retrocessus ad viscera, juvando naturæ motum, & propensionem, vel ad suppurationem, vel ad resolutionem, ut nec vestigium malignitatis remaneat. Cæterùm, si natura pigrè, & diminutè procedit in expulsione, cùm vires permittant, & consentiant vacuare per sanguinis missionem opus erit, ut levatâ naturâ faciliùs perficiat inceptum motum ad ambitum corporis, vel ad eam partem, inquam cœpit bubones, aut carbunculis fabricare; præcipuè si debilitas, aut langnor non sit essentialis (nam tunc solùm adest indicatio restaurandi vires) sed per aggravationem, etenim tunc medela est evacuatio, quæ saburram, & oppressionem ab ipsa causatam deponat: Neque acquiesco doctrinæ Massariæ, qui *libro 2. de febr. pestilent.* seu *de pest.* affirmat, tales naturæ motiones juvandas esse, si coctionis præcesserint signa, siquidem hoc præceptum magis urget ad purgationem exercendam, quàm ad venam secandam, etsi regulariter quælibet evacuatio, aut naturæ motus per abscessum utilis censetur, quando præcesserunt coctionis signa; tamen sæpè vidimus naturam juvari per symptomaticas evacuationes; ac proinde in hac re censemus omnes abscessus cutaneos præcipuè ad ignobilia membra in febribus pestilentibus, & malignis, etiamsi non appareant coctionis signa esse juvandos quia per ipsos venenosa materia à visceribus avertitur in membra ignobiliora. Ità Hippocr. *7. epid. in hist. Simonis*, qui latas pustulas habebat: in cujus *textus expositione* Galenus, latas pustulas, quales Simon habebat, per aurem esse vacuandas, & ad ipsam revocandas, docet; cujus doctrinæ innumeræ sunt apud Hippocratem historiæ *in libro de mor. vulgar.* quas fastidiosum esset recensere.

Porrò in parotidibus, & apparentibus bubonibus sub axillis ex cubito sanguinem mittere est rationabile; in parotide quoque ex brachio ejusdem lateris, & in bubonibus sub axillis, si in una sit, ex altero cubito vena secanda, ita placuit Galeno *2. art. curat. cap. 2.* & *lib.: de nat. human. com. 2. tex. 15.* & *lib. de sang. miss. tex. 15.* neque irrationabile judico in bubone axillari, factâ prima venæ sectione ex brachio contrario, venam ejusdem brachij tundere, à simili ratione formata; nam quemadmodum bubone in inguine apparente, ex eodem crure evacuamus, sic operandum in axillari bubone ex eodem cubito venam secando; etenim Medicus intendit juvare motum naturæ per vacuationem; sed illa, quæ ex eodem brachio, aut crure exercetur, non solùm deonerat virtutem; sed etiam ad partem affectam humorem advocat: ergo dum non fuerit ingens plenitudo, ex qua timeri possit inflammatio, quæ sustineri, & gubernari à natura non possit, optimum erit consilium, venam ejusdem lateris vulnerare, & hoc totum est verum, dum non fuerit aliqua vacuatio inferior suppressa, nam tunc in parotidibus, & superioribus bubonibus vena in talo secanda est ad provocandam suppressam evacuationem.

Nec silebo peritissimi Massariæ opinionem *lib. 2. de pest. fo. mihi* 84. ubi apparente bubone in inguine, si plenitudo adsit, sanguinem primò ex brachio mittendum esse, suadet more Galeni qui *lib. de art. curat. ad Glauc.* in inflammatione incipiente in genu ex cubito sanguinem esse mittendum docet *cap. 2. cit.* revulsionis gratiâ.

Securior tamen sententia est, venam secare in pede, incipientibus bubonibus in inguine in febribus malignis, pestilentibus, etiamsi plenitudo adsit in corpore: etenim talis materia est venenosa, & maligna à natura separata, & extra sanguinis consortium, unde sanguine misso ex brachio, etsi revellatur fluxio, sine dubio ad superiores partes convocatur materia maligna, & venenosa, quam viscera interna in inferiora deponebant, ut vivens servaretur, & forsan natura assuescet in contrarium motum, aut à primo cessabit, & apprehendet cor aut aliam partem principem, impedito motu incepto, & salutari ad partes inferiores, & ignobiles; quare tutius erit in his casibus, venam secare in talo servata rectitudine, tametsi carbunculus malignus in altero crure extuberet, inflammationem, & dolorem ingentissimum excitans, imò & interdum gangrænam, sanguinem extrahere ex altero crure consentaneum erit ratio-

ne forsan, rectitudine servatâ, vehementiorem fluxionem excitemus, & valde periculosiorem; melius ergo erit altero crure laborante carbunculo, ex altero sanguinem fundere, juxta Galeni præceptum *suprà* traditum. Altero crure laborante, alterum scarificare. Ità Sennert. *t. 2. lib. 4. cap. 6.* tenet.

Nec valet, si respondeas cum Massaria, sanguine ex brachio misso, in bubone apparente in inguine, minimè fieri retractionem veneni ad interiora, & superiora, neque id timendum esse, quia tunc non solum revellitur humor venenosus, sed evacuatur à corpore: Cæterùm cùm hoc idem evacuato, & fuso sanguine ex altero crure sequatur, nullatenùs Massariæ responsio secura est, sed periculo plena, & sic à nobis non amplectitur, & hæc eadem adducta doctrina de bubonibus, & carbunculis apparentibus in febribus malignis, & pestilentibus religiosè observanda est in utero gerentibus, de quibus latiùs *infrà* erit sermo.

Tandem in re ita necessaria minimè omittere decrevi Ludovici Mercati opinionem, qui *lib. 2. de mor. Gal. c. 10.* de gallica gonorrhœa sermonem instituens, in ejusdem affectus curatione expressè tenet, quòd si vel cum tentigine, aut cujusvis alterius plenitudinis præsentia, gonorrhœa sit, verendum non est ex axillari utriusque brachij, sanguinem mittere. Hæc tamen doctrina similis valde est opinioni *suprà* adductæ Alexandri Massariæ: attamen licèt à tanto viro, & à me venerando sit adducta, non tamen amplectenda: ratio *superiùs* est relata contra Massariam, quapropter in hac re immorandum magis non est, utpotè quia in communi praxi nostris temporibus usitata tanquam temeraria censetur.

CAPVT VI.

An liceat utero gerentibus venam secare in talo.

CRIMEN execrabile valde erat olim, utero gerentibus venam secare in talo; etenim reverà abortivum auxilium putabatur, detestabile quidem delictum, & punitione dignum contra religionis christianæ sanctiones, si nostræ Apollineæ Facultati fidem præstemus, in illo publico & aphoristico edicto satis trito, & vulgari *5. aphor. 31.* *Mulier utero gerens sanguine misso abortit.* Quod præcipuè vulnerato talo in ipsis locum habet, quippè sanguinem ad uterum convocat, mensea movet, Galeno autore, & sic fœtura evidentiùs periclitatur. Nostro tamen seculo Raphaël Mexius primò novam in hac re suscitavit opinionem, quem sequitur Zacut. Lusit. *lib. 2. prax. admir. obs. 160.* necnon & *lib. 1. de MM. PP. hist. 32.* interim tamen quid de ipso, & sua opinione Joan. Riol. jun. scribit *lib. de sanguin. circulat. fol. 93.* dicere non pigebit. *Zacutus*, inquit, *Iudæus Christianorum hostis conjuratus more istius nationis, ut procuret infanticidium instar Herodis, istam quæstionem movit, atque obstinatè tuetur levibus ratiunculis.* Sed de illis, & hac opinione operæ pretium judicavi scrutinium rigorosum, & putissimum examen ad unguem facere, omni passione destitutus, ut in re tanti momenti quid verius, & securius sit appareat, quare animus meus est in Palestram hanc litterariam descendere, ut quemadmodum ex motu silicis, & ferri attritu, seu collisione, lumen exurgit, sic ex Autorum litigio allatis omnium concertationibus, & rationibus pro utraque parte maturè pensitatis, ex profundis tenebris sepulta eruatur veritas.

Audiamus Zacutum *lib. 2. prax. admir. obs. 160.* ubi in utero gerentibus sanguinis missionem ex talo suadere intendit, tanquam securissimum, & tutissimum auxilium, potiùs præcautorium abortûs quàm abortivum, quoties plenitudo particularis in utero adest in gravidis. In cujus rei testimonium proponit binas fœminas, quæ dum utero gerebant, menstruales purgationes habebant, & infantes sanos, & perfectos in lucem dederunt, & rursùs fœminæ ipsæ in aliis gestationibus, menstruis non supervenientibus, fœtum perficere non potuerunt, & abortus subsecutus fuit, in cujus eventus infelicitate illicò consuluerunt Medicos, ut deinceps à tanto agone liberarentur, & maturè discurrentes circa causam abortûs, defectum menstruorum certò indicantes causam, sanguine misso ex cubito supplere naturæ defectum tentaverunt, ut fœturam incolumem servarent. Verùm frustrà id factum esse demonstravit abortus, qui ut anteà secutus fuit quinto, & sexto mense, hinc jam fœminæ eventus infælicitatem plorantes, Zacutum vocant, & ipse omnia prædicta accuratè perpendens à secundo mense gestationis usque ad quintum, in quo abortierunt, quolibet mense secando venam in cruribus, particularem uteri plenitudinem deposuit, à qua, ut ipse opinabatur, fœtus suffocabatur, & iis factis venæ sectionibus. In aliis tribus gestationibus fœtum perfectum, maturum, & omninò incolumem pepererunt non sine magna Medicorum admiratione, qui venam cubiti secarunt. Zacutus igitur judicavit non dubiè præcavendum fore aborsum, sanguinem fundendo, utpotè quia menstruis emanantibus, perfectos fœtus excludebant, contrarium autem accidebat ipsis suppressis: at verò depositâ plenitudine per venas superiores abortiebant, quapropter ipse audacter talum vulneravit, ideóque ipsas præservavit, aborsûs infælicitatem præcavendo, depositâ particulari plenitudine uteri. Verba sunt ipsius Autoris, *Vel copia sanguinis ad uterum fluentis ad originem fluxionis vacuati, nono mense ter pepererunt.*

In qua doctrina illud specialiter notandum contra Zacutum, plenitudinem illam particularem uteri, testificare uterum esse originem fluxionis, quòd protsùs alienum à ratione judico, nam in casu adducto uterus premebatur, aut congestione plurima sanguinis, aut ipsum aliundè recipiebat: si primum minimè mittebat, nec poterat esse origo fluxionis, sed potiùs sanguinem in se ipsum cumulando suffocabat fœtum; Insuper si uterus mitteret, pateretur sine dubio membrum, in quod sanguinis copiam pellebat, & hac ratione, & uterus, & fœtura liberarentur, deposito sanguine suffocante, & gravante in aliam partem, quin esset opus educendi cruorem per venas tali. Si Respondeas pro Zacuto, quod uterus recipiebat ex toto, turpiter venam in talo secuit, quippè hac ratione plenitudinem ad uterum cóvocabat, & minimè revellebat aut evacuabat ab origine fluxionis, sed potiùs inaniebat priùs uterum, tanquam partem recipientem, quod valde absurdum est in principiis fluxionis ad

uterum,

uterum, in quibus potiùs sanguis est mittendus ex superioribus partibus juxta communem Medicorum consensum, quare taxandus est Zacutus, & credendum est, suam observationem vim habere, quando in solo utero erat plenitudo suffocans congesta in ipso nimiâ sanguinis copiâ, quin reciperet ab alio membro mandante, neque à toto corpore fluxionem aliquam, in quo eventu verè conjecturavit fusionem sanguinis ex partibus superioribus inutilem valde esse ad præcavendum aborsum; quippè nihil ex utero evacuare poterat ob nimiam distantiam, & sic suffocationem imminentem impedire non poterat; proptereàque fuso sanguine ex cruribus plenitudinem deposuit particularem, quâ uterus premebatur, & aborsum audaciter hoc peculiari auxilo vitavit.

Militat tamen contra fundamentum Zacuti, ex observatione adducta machinatum, non levis calumnia: nam in binis fœminis adductis, in quibus per totum tempus gestationis menstruus sanguis redditabat, credendum rationabiliter est, uterum non trahere sanguinem, sed quod totum corpus sanguine gravatum per uterum se exonerabat, & pellebat ad ipsum majorem sanguinis quantitatem, quam fœtus consumere poterat in sui alimoniam, quippè quolibet mense cruenta erat fluxio, velut si utero non gestarent, signum profectò testificans totum corpus mittere in uterum sanguinem redundantem, sicut ante graviditatem, quod nisi in fortissimis, & validissimis fœminis fieri poterat citra fœtûs perditionem, si vatustissimo nostro Seni credere debeamus *sect. 5. aphor. 6.* per illa verba. *Si mulieri utero gerenti purgationes procedant, impossibile est fœtum esse sanum*: & Gal. *in cit. loc. exposit.* idem confirmat, & rationem adducit citati eventus, per sequentia verba. *Siquidem fortis fœtus ad sui alimentum abutitur illo sanguine, qui ex toto corpore ad uterum fertur.* Ex his constat clarè in relatis fœminis & totum corpus mittere in uterum sanguinem exuperantem, & insuper robustissimas, sanguineas valde esse, necnon fœtus esse fortissimos, qui ad sui alimonism, & robur conservandum, plurimam & sufficientem sanguinis quantitatem consumebant, servata valetudine, & insuper sanguinem abundare, ut ipsum natura singulis mensibus pelleret per uterum citra fœtûs languorem.

Ratione nuper adducta contra Zacutum asserere audeo, quod in citata observatione rationabilius esset primis mensibus gestationis cruorem educere ex superioribus vasis, ut plenitudinem totius deponeremus versus originem fluxionis revulsionem faciendo, & postea in ultimis mensibus gestationis, circa quintum scilicet, & sextum (conjectura factâ rationali de plenitudine particulari uteri prorsus cessante jam fluxione ad uterum ex partibus superioribus) venas tali vulnerare in utero gerentibus erit consentaneum rationi, & Medicis præceptis pro derivatione à vasis uteri, in quibus nimia quantitas sanguinis erat coacervata, fœtum suffocatura, nisi Medicus Rationalis suâ providentiâ eam deponat per venas malleoli: undè deducitur, Medicos illos, qui in relatis fœminis sanguinem ex partibus superioribus haurierunt, forsan diminutè processisse in depositione sanguinis, & sic abortierunt, quia adhuc instabat plenitudo, quæ si ulteriùs repetitis vicibus singulis mensibus deponeretur, forsan vitaretur aborius, & securiùs quàm singulis mensibus fuso sanguine ex talo, præcipuè si plenitudinis particularis uteri non fuit suspicio; aliter enim depositâ primò plenitudine totius per venas superiores, tandem ad secandas venas inferiores devenire erit necessum, ut nuper dicebamus.

Porrò si judicaverit Medicus Magisteriosus nullam in toto adesse plenitudinem in utero gerentibus, & solùm in vasis circum circa uterum stabulare copiam sanguinis impuri, ex qua fœtus suffocatio possit timeri, credam, & acquiescam doctrinæ à Zacuto adductæ, licèt casus sit metaphysicus, qui requirit Medicum doctum rationalem, & Christianum satis in Arte Medica exercitatum, ut prudens de hac re judicium ferat, atque citra calumniam, & dedecus in gravidis sanguinem fundat ex talo. Nec silebo circa hanc rem observationem propriam in nostro Oppido Matriti, in quo dum cum Socio nostro inviserem Dominam Augustinam de Valdiviesso utero gerentem circa sextum mensem, ætate florentem duplici tertianâ continuâ subintrante laborantem; in qua ritè facta venæ sectione ex brachiis, & quarta vice repetitâ, non cessante morbo, nec remittente, sed potiùs invalescente conjecturavimus, focum, & mineram putredinis esse in vasis circundantibus uterum, ibique adesse plenitudinem specialem, & decrevimus venam secare in talo, quâ repertâ, meliùs se habuit, & tandem libera à morbo citra aborsûs periculum. Hæc adduco in confirmationem doctrinæ relatæ. Est etiam rationabile in utero gerentibus, pestilenti febre oppressis, quarum inguina, genua, aut tibias, bubones pestiferi obsederunt, venam secare in cruribus. Hujus rei observationem adducit Zacutus *lib. 1. hist. observ. 29.* ubi fideliter narrat, quod in peste, quæ anno 1600. Europam, & Hispaniam præcipuè, oppressit, secando venas tali in utero gerentibus, in quibus bubones in inferioribus partibus apparuerunt, utilitatem manifestam senserunt, fueruntque à tam exitioso, desperato, & sævissimo malo liberatæ. Et quidem esset summè periculosum in dictis fœminis cruorem ex brachiis fundere, quoniam venenum, quod viscera interna in inferiores, & ignobiles partes, ut vivens servaretur, pellebant, convocaretur ad partes superiores, quo etiam motus inceptus à natura impediretur, & viscera labefactarentur ab hostis virulentia. Quare jure optimo censendum est, fœminas periclitari, & Medicum saltim occisoris calumniam effugere non posse: In talo autem celebrato auxilio natura deoneratur, & avidiùs deponit veneficam materiam in partes ignobiles, & adenosas, sic bubones, & abscessus incrementum suscipiunt, quod à Medicis desideratur, collocantibus totam vitæ spem in ipsorum accrescentia, & omni genere auxiliantibus, attractoriis, rubrificantibus, & vesicatoriis medicamentis cum alexipharmacis mistis, ut validiùs venenum circa illam partem avocetur, ipsam reddendo debiliorem, ut promptiùs recipiat, quod viscera pellere inceperunt: meritò igitur in adducto casu temeraria censeri debet sectio venæ in brachiis, quæ impedit sine dubio inceptum naturæ motum in salutis beneficium matris simul, & prolis; contrarium autem si exequatur fœtum simul cum matre interficeret, neq; Christianus Medicus potest imperare remedium aborsivum directè, & si aborsus censeatur infallibile, & certum remedium pro salute matris, quia erit occisor directus prolis, ut mater salvetur; undè eadem ratione ut non succedat aborsus, minimè est occidenda mater, si auxi-

lia majora omittatur propter metum abortus, sine quibus lethales, & acuti morbi superari non possunt, etenim occisa matre, fœtus etiam evanescit, atque adeò consulo nullum auxilium omittendum esse in utero gerentibus, quando in ipsis salutis spes collocatur, etiamsi ad abortum conducant; nam omninò per accidens est, & præter Medici intentum abortus, quando auxilia imperantur directè à morbo indicata, & ob salutem matris, sine quibus prudenter judicatur morbum acutum, & perniciosum matris superari non posse.

Inviolabile tamen censeri non debet edictum illud, quod communiter promulgatur de sanguinis missione in gravidis, esse scilicet abortivam, & præcipuè eam, quæ in talo exercetur: nam præterquam quod Hippocrates partem vulnerandam non determinavit in sua aphoristica sententia, doctrinalis tantum, & minimè perpetua censeri debet. Audiamus, precor, ipsum in historia Lyciæ utero gerentis 2. *epid. sect. 2. text. 23.* & expendamus ejus mentem, si forsan ignea vis in corporibus flagrat, ut veritas integra, nondum à peritissimis junioribus ad amussim explorata, in re tam seria patefiat. *Sanata est veratri potione Lycia* (inquit Oraculum in medio historiæ) *postremò splen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores, & vena quæ in splene est in cubito secabatur, &c.* Pro cujus historiæ enodatione illud advertas, obsecto, Lyciam à veratri purgatione verè sanam non fuisse, sed aliquantulum levatam: imò potiùs in utero gerentibus expurgationem esse causam inflammationis hypochondriorum, præcipuè in corpore pravis succis pleno, ut in gravidis frequenter accidit propter recollectionem excrementorũ, & impuri sanguinis, qui tẽpore gestationis coacervatur, & detinetur: in præsenti ergo forsitan lienis inflammatio fuit excitata in Lycia, ob quam Hippocrates venæ sectionem tanquam præsentaneum auxilium consulit exercendam: non igitur juniores edicto allato ex 5. *aphor.* perterriti indelebile omninò præceptum sancire debent, affirmando Divinum Hippocratem primum Medicinæ Magistrum in gravidis nunquam venæ sectionem exercuisse, cujus contrarium clamat historia adducta. Fateor equidem rem esse arduam vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, sicut & dubiis fidem; attamen si novitatis clarissimum fundamentum invenimus apud Hippocr. non miremini, si præconibus hujus particularis conclusionis Hippocratis mentem publicemus.

Sed forsan scrupulus restat contra nostri Oraculi doctrinam propositam, siquidem Lycia ante partum mortua est, ut ex ultimis verbis historiæ constat, ex quo calumniatores inferre posse jactitant, Lyciam periisse ex vi sectionis venæ: firmiter ergo jurat in edicto Hippocr. non igitur erit juxta ipsius mentem exercenda venæ sectio in gravidis.

Certè omnia dicta non evertunt propositam opinionem; nec verum erit asserere, Hippocratem per eventûs infœlicitatem palinodiam posse recantare; quandoquidem Lycia factâ venæ sectione non abortivit, sed ante partum fuit mortua, & hoc quidem non ex vi sectionis venæ; etenim factis auxiliis necessariis, ægri sæpenumerò occumbunt, neque enim Medicus omnes, quos præ manibus habet, sanos potest facere: ità Hippocr. 1. *prognost. text.* 3. dictabat; sufficit enim id, quod ratio, & experientia suadent, exercere Gal. autore 6. *epid. sect. 8. com. ult.* consequentes etiam refert 3. *epid. sect. 2. com. 8.* suo tempore Medicos consuevisse secare venas in gravidis, & non omnes abortum facere, quamvis constet sæpenumerò abortire non ex vi remedij, sed potiùs ex vi morbi, & ex sævitie caloris febrilis; ità Gal. 5. *aphor. com.* 30. Judicandum ergo rationabiliter est, Lyciam mortuam fuisse à sævitie morbi, & minimè à venæ sectione tempestivè, & opportunè imperata ab Hippocrate. In cujus favorem apprimè loquitur Cornel. Cels. nulli secundus *lib. 2. cap.* 10. cujus sunt verba sequentia. *Nam licèt in gravidis videretur periculosum non tantùm ad fœtum, quàm ad partum sustinendum, sanguinem emittere, tamen cùm nostra Ars conceptionem solam non videat, sed vires æstimet; non dubitandum, in gravidis constantibus viribus sanguinem exhaurire, quoniam usus ostendit non esse perpetuum, gravidam phlebotomia curatam abortum esse facturam.* Hinc patet tempore Celsi Medicos fœcundissimâ doctrinâ Hippocratis instructos, meritò consuevisse in utero habentibus hoc generosum auxilium exercere citra metum abortûs, quotiescumque necessitas id exposcit, ut in adductis casibus, & in aliis pluribus, quorum innumeræ sunt observationes apud Zacutum, & plures Classicos Autores, atque dictorum casuum etiam nostris temporibus plures possemus narrare; ab ipsis tamen supersedemus libenter, ne forsan fastidiosi videamur, & nostrum sermonem prolongemus.

Sed ultra pergamus: Idem Hippocr. *lib. 1. de mor. mul. num.* 100. sanguinem in gravidis ex cruribus imperat emittendum ad accelerandum partum: certè ità esse demonstrant sequentia ejus verba. *Si verò prægnans, multo tempore cohibeatur, & parere non possit, sed diebus pluribus ex partûs doloribus laboret: sit autem in venis in vigore, & multo sanguine referta: secare oportet venas in malleolis, & sanguinem detrahere, virium respectu habito.* Nihil clarius, neque ad facilitandum partum celebrius auxilium excogitari potuit. Ità affirmat Mercat. *lib. 4. de nutric. & puerper. affect. c.* 3. ubi hanc sententiam miris celebrat encomiis, ut discas ex hac doctrina venæ sectionem in gravidis celebratam ex talo, interdum non solùm non abortivam, sed ad facilitandum partum summoperè proficuam. Accedit etiam in controversia esse positum, si certiùs sequatur abortus vulnerando talum in gravidis, quàm brachiorum venam, etenim contrarium Cardanus docuit, rationem reddit, quoniam sectio in brachiis retrahit sanguinis plus ab utero, & fœtu, quàm si in cruribus celebretur, hæc autem vulneratio, etsi ab utero evacuet, convocat etiam sanguinem versus uterum, secus autem brachiorum sectio: undè infertur juxta hunc Autorem per venam tali minimè subtrahi alimentum fœtui, & hac ratione non esse ità abortivam, sicut fusio sanguinis ex brachio. Ratio quidem subtilis satis, licèt scrutinio egeat, nec à magna impugnatione sit libera: quandoquidem ratione convocationis ad uterum potest fœtum suffocare venæ sectio ex talo: sufficiat tamen hujus Autoris opinionem adducere, ut non admodum terreat venæ sectio in gravidis ex talo, præcipuè in casibus prolatis peculiaribus, & *infra* dicendis, etsi absolutè hæc doctrina reproba valde sit, ut *infrà* in nostra conclusione pleniùs cõstabit.

In bubone etiam Gallico inguinum venam tali secat Zacutus in gravidis, & nos simili ratione esse operandum censemus si gonorrhœâ Gallicâ opprimantur, dummodò urgeat necessitas mittendi

di sanguinem, in morbis scilicet auctis gravidarum, ex quibus periculum mortis impendet; etenim si in ipsis appareat, interdum bubo Gallicus, aut gonorrhœa, sine fibre, aut altero morbo gravi, semper omittam venæ sectionem, & auxilium aliud magnum, & post partum adhibebo medelam, quæ citra dubium tutior, & securior erit. Ratio hujus assertionis est eadem cum ea quam de bubone pestilenti docuimus: nam causa bubonis est maligna à tota substantia, ut inconcussum est apud omnes Medicos; undè si in his affectionibus superiores venæ secarentur, inceptus naturæ motus materiæ malignæ ad partes inferiores prorsùs impediretur, & sævissima accidentia sequentur, convocatis pravis succis, & malignis ad viscera, & forsan sequetur mors, nisi provida, & robusta, natura ad partes extimas, & inferiores protrudat malignam causam morbi: tuberculos excitando, & maculas varias in cute, quod tanquam miraculum naturæ reputandum erit, per cujus specialem providentiam interdum ægrotantes à tam feroci hostilitate liberantur.

Solet etiam excitari epilepsia, aut apoplexia, aut uteri suffocatio ab utero, tanquam à parte mittente, in quo casu jure optimo censetur uterus autor prædictorum malorum, & in hoc eventu Zacutus in gravidis consulit, fundendum esse sanguinem ex cruribus, *lib. 3. prax. hist. q. 22. in expos. hist.* 13. refert etiam hoc ipsum *lib. 1. hist. observ.* 29. & aliis pluribus, in quibus planè fatetur in acutis dictis gravidarũ morbis celebre hoc auxilium audaciter tentatum esse, & fœliciter absq; abortus periculo. Cur ergo si hæc vera sunt, & ex veterum monumentis exhausta, in morbis acutis ab utero pendentibus, tanquam à minera mali, & parte mandante, venam in talo vulnerare tecusamus; præterea sancitum est tanquam dogma in Hippocratis doctrina inviolabile, evacuandam esse, & retrahendam morbificam causam versus originem fluxionis; cùm ergo hujusmodi suptà positi affectus sæpenumerò dependeant ab utero, à quo tanquam ab origine, & fœcundissimo ipsorũ malorum fonte constituuntur: jure optimo Medicos, ut illis methodicè occurrat, vulnerare talum, aut hæmorrhoidales venas aperire, si occlusæ forsan sint, ut indè intrepidum naturæ motum cohibeamus ad partes superiores, & ipsius ferocem velocitatem dememus. Cæterùm si non solùm uterus causet epilepsiam, aut apoplexiam; sed etiam concurrat plenitudo totius, ea priùs erit deponenda per venas superiores, & deindè ad inferiores debemus accedere, ut coërceamus fluxionem versus suam originem; cùm autem apoplexia à vaporibus pendens sit valde familiaris, quando uterus est malè affectus, ut etiam familiarior epilepsia ab aura dependens, tunc quidem perniciosa censetur venæ sectio ex partibus superioribus, & securior quæ ex inferioribus celebratur. Ratio est, quia scissâ brachiorum venâ, pars mittens non inanitur, & insuper prava illa inclinatio, absurdúsque motus mittendi ad supera fovetur, inanoiendo superiora membra, undè frequentiores, & graviores valde accessiones excitabuntur, exitialiorésque adducti morbi reddentur.

Conjecturam tamen rationalem tenetur accuratè Medicus facere, ut agnoscat, apoplexiam à flatibus pendere, & non ab humorum corporamra: hoc autem percallere debet; ex eo quod fœmina uterinis passionibus molestari solear, idest si hystericis accidentibus frequenter corripiatur, utero, & venire inferiori flatibus abundantibus: quibus signis perpensis, si mulier apoplexiâ laborer, conjecturandum est à flatibus fieri, & uterum esse partem mandantem, præcipuè si facies, & oculi non turgeant, nec vivido colore ornentur, io quo eventu venter inferior tensionem habet magnam si tactu exploretur, ad cujus exactiorem cognitionem murmur ventris conducit, & flatuũ per sedem inferiorem propulsio frequens; neque negare audeam flatuosam substantiam cerebrum irruentem interdum secum ducere sanguinis aliquam portionem, & sic mixtam esse passionem ex humore & flatu, perturbatâ massâ sanguinariâ à flatuosa substantia ipsam commovente. Et hac ratione intelligere debemus testimonium Hippocr. 2. *epid. sect.* 5 *sext.* 21. nempè, *Anemien vena* *sectio*. Nam etsi *Anemien* flatum significet, & sic venæ sectionem interdicat, attamen quatenùs habet conjunctam sanguinis perturbationem, quam flatus causat, humores præcipitat, & periculosos decubitus causat, qui fuso sanguine conquiescunt, fervore quiescente: sic etiam vasorum interceptiones securè medemur venâ sectâ juxta Hippocrat. 4. *de vict. rat.* sanctiones.

Restat tamen investigare, quod etsi interdum apoplexia fiat per consensum uteri, cui opitulati diximus venæ sectionem ex talo cum Zacuto, ut pars mittens inaniatur, & ut cohibeatur motus ad superiora, attamen si factâ, & iteratâ sanguinis missione ex talo, incrementum suscipiat apoplexia, ità ut urgeat quod in capite continetur, non semper sistendum io illa inanitione, sanguinem fundendo ex venis inferioribus, sed potiùs ad venas brachiorum supernas recurrere erit opportunum, quippè in malo ità atroci urget valde causa conjuncta, quæ cerebrum occupat ob suffocationis periculum; præcipuè cùm per primas evacuationes ex cruribus factas, pars mittens, uterus scilicet, præsupponatur deonerata, & insuper posset impediri vaporum convocatio ad superiora per cucurbitulas femoribus appositas, ut simul uterus avidiùs non mittat, & per venæ sectionem ex brachiis, quæ urget, suffocatio vitetur, etenim si semper sistamus in evacuatione per crura, omninò contemnimus, quod impactum est in ventriculis cerebri, & vasis vicinis, ex quo brevissima mors accidere solet. Quæ doctrina superiùs à nobis diffusè satis adducta est, quod ex difficili respiratione, quæ in apoplexia forti valde urget rimari debet, & ex eo, quod non cedat per veoæ sectionem in talo.

Itaque ut uno verbo difficultatem absolvam, si quod uterus transmittit in cerebrum urgeat magis, ex talo vacuabimus: si autem prævaleat, quod continetur io cerebro, ex cephalica sanguinem fundemus, & si forsan ex hac evacuatione meliùs respiret vivens, & accidentia apoplectica minuantur, iterum ferire tali venam non erit abs re, cùm semper supponatur uterus vitiatus, tanquam pars transmittens ad supera. Interim tamen adverte in favorem venæ sectionis ex venis superioribus, quando urget magis, quod caput occupat in apoplexia ut per difficultatem respirandi evidenter agnoscitur, quod cum fœtura sit quædam evacuationis species, ut Galenus dictavit *lib. de ven. sect. adv. Eras. cap.* 5. Interim, inquam, dum exercetur venæ sectio ex vasis superioribus succurrit, quod fœtus consumit io sui alimoniam, quodammodò pro evacuatione circa uterum, tanquam per membrum mandans moliendo, & ob id in gravidis ve-

nas

næ sectio, & quantitas sanguinis, quæ funditur debet aliquantulum moderari. Et quoniam ob compressionem quam causat gravidatio in septo transverso, faciliter incidunt in inspirandi difficultatem, tota respirationis læsio in apoplexia ipsatum non debet refundi in fortitudinem apoplexiæ, undè interdum deonerata regione uteri per sectionem tali, meliùs se habent gravidæ, etiamsi nihil per superiores venas sit evacuatum.

Nec longè distare videtur ab hac opinione Hippocrates in urgente necessitate, quando scilicet gravida periculoso corripitur morbo; & facto à simili argumento, suadere possumus in favorem Zacuti, si edictum illud satis publicum ab Hippocrate ipso prolatum *4. lib aphor.* 1. perpendamus, ubi nos monet utero gerentes esse medicandas, seu purgandas si materia turgeat à quarto mense usque ad septimum. Quâ præhabitâ doctrinâ sic formo argumentum à simili: non minùs periculosa, & abortiva censetur in gravidis expurgatio, quàm sanguinis missio ex talo, sed in morbo acuto gravidarum, in quo materia morbifica turget, pleno ore Præceptor noster monet, & consulit expurgationem: ergo nec terrere nos debet, quod ipse interdum in gravi, & acuto morbo utero gerentium, qualis censetur quilibet ex narratis à Zacuto circumstantiis ab ipso adductis maturè perpensis, quod possimus venam secare in talo, quin præcepta hujus Medici violemus. Major, in qua totius nostri discursus robur consistit suadetur efficaciter, si consulemus peritiores in Arte de periculo abortûs in gravidis, si purgans medicamentum assumpserint. Accedat primo loco Vallesius noster acutissimus, & fidelissimus Hippocrates Interpres in expositione citatæ aphoristicæ sententiæ. In utero gerentibus (inquit Hispanus Galenus solutâ eruditione) non solùm expurgatio; sed etiam quodvis aliud auxilium, quod magnum sit, tentatur cum periculo abortûs, nam omne auxilium magnum debilitat facultatem; expurgatio tamen peculiari quadam ratione nocet; nam debilitat fœtum, qui debilitatus fit, ut pondus alienum, atque pondere rumpit acetabula. Accedit irritatio uteri, & ipsius fœtus, quam duplici ratione facit medicamentum, primum qualitate deleteria, deindè extractione succorum, irritatur enim vis uteri expultrix, & aliorum omnium membrorum, cum fit eorum quæ retinentur vehemens agitatio: facit etiam medicamentum expurgans abortum, ut Averroës dicit, provocans menstrua: est enim omne expurgans diureticum, atqui quod diureticum est menstrua ciet; omnia verò moventia menstrua abortûs faciunt, itaque multis, magnisque causis periculosum est expurgare gerentes utero quovis gestationis tempore. Ubi adverte quovis tempore periculosum esse expurgationem in gravidis Vallesium censere, ut discas adhuc à quarto usq; ad septimum esse periculosum expurgare in gravidis; in aliis autem temporibus magis periculosum. Sic Hippocr. *5. epid. n.* 18. adducit historiam uxoris Antimachi, quæ cùm esset prægnans secundi mensis exhibito catapotio ex elaterio mortua. *In cujus textus* expositione Vallesius hæc subdidit. *Mirum sanè est, hanc non abortisse dato pharmaco vehementi, cum neque expurgans quidem ullum, nisi in maximo discrimine dari debeat secundo pragnationis mense; sed id fortasse factum est, quia pravenit mori, alioquin non potuisse non corrumpere fœtum.* Hinc disces expurgationem esse auxilium non solùm periculo plenum in gravidis, sed abortivum: si ergo ipsum non recusat Hippocrates in illis, urgente necessitate, neque venæ sectionem ex talo reformidabit, etiamsi morbo acuto corripiantur in casibus adductis, quippè expurgatio, non minùs quàm venæ sectio ex talo movet humores ad uterum, provocat urinam, & menstrua, & acetabulis disruptis abortum concitat. Vide etiam circa hanc rem Petrum Salium doctissimum *lib. de affect. lib. particul. cap.* 22. qui inter omnes rectiùs de morbis acutis mulierum utero gerentium disseruit, & nullo modo, nisi humore turgente, pharmaca etsi benigna admittit; nam hæc quamvis priventur malignitate, agitant tamen humores, & eos convocant ad partes utero vicinas, sicque naturam deorsùm præcipitant, quare cogente necessitate, factâ priùs periculi prædictione sunt offerenda, non solùm in mediis, sed in aliis mensibus, sic Avicenna testificat *fol.* 22. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 10. Constat ergo tantorum virorum decreto adhuc in mediis mensibus assignatis ab Hippocrate, & adhuc turgente materiâ, expurgationem in gravidis esse valde periculosam, & abortivam; & nihilominùs eam esse exercendam dictavit Oraculum nostrum, urgente necessitate: ergo sic etiam poterit exerceri venæ sectio ex talo in morbo acuto gravidarum quolibet ex *suprà* assignatis, sic enim matri, & fœtui providebimus, quoniam satius est hoc auxilium exercere, aut expurgationem, quàm morbo non victo, ac superato matrem & fœtum ex vi morbi perire, ut rectè notavit Mercurialis *lib. 2. de morb. mul. cap.* 1. Nec viros famigeratissimos terreat, me amplecti hanc opinionem cum limitationibus adductis, cùm nihil in ea sit adversus Principes, & Veteranos duces, quos summoperè veneror.

Peculiaris tamen se offert dubitatio de uteri inflammatione in gravidis, ex qua scilicet parte sit vena secanda. In qua hæsitatione Zacutus acerrimè defendit, semper venas superiores esse feriendas *lib. 3. de M. M. PP. hist. quæst.* 22. in responsione ad argumenta Fortunati Plempij *fol. mihi* 493. ubi intendens satisfacere argumento de uteri inflammatione, quod proponit doctissimus ille vir, ait esse extra institutum proprium, etenim uteri inflammatio ab utero non emanat, sed potiùs ex sanguine à toto corpore in uterum confluente, quare si accidat utero gerenti talis inflammatio, basilica vena tundenda est, quippe semper febris ardentissima comitatur uteri inflammationem ex humore fervido in vasis ebulliente, cui sectio venæ in cubito mirificè opitulatur, quod etsi Gal. *lib. de ven. sect. cap.* 18. & 13. *meth. cap.* 11. doceat utero affecto venam in cruribus esse secandam, id præcipit prout major, vel minor est in toto corpore vel utero plenitudo. Hæc Zacutus pro satisfactione argumenti à simili facti à Fortunato Plempio de inflammatione uteri.

Hæc evasio à Zacuto adducta non cohæret Galeni doctrinæ: nam *cap.* 18. nuper citato sequentia verba refert. *Porrò uteri inflammationes, magis etiam quàm renum à venis in crure sectis juvantur.* Idem testatur 13. *meth. c.* 11. *cit.* perpendite verba. *Renibus verò, & vesicâ, & pudende, & utero sic habentibus, quæ in cruribus sunt sita, ac pracipuè qua circa poplitem sunt, sin minus eas, qua juxta malleolos.* Planè ergo fatetur Galenus in uteri inflammatione, venam in poplite esse secandam. Doctrina tamen Zacuti fundamentum habet in Gal. *lib.* 13. *meth. cap.* 6. sic fante. *Neque si mulieri in utero, vel pudendo insedit, menses huic provocabis, sed ad par-*

tes

tes qua maximè longinqua sunt semper revulsionem faciet, astimatâ scilicet tum phlegmonis magnitudine, tum corporis totius statu. Quæ doctrina verissima est, & à nobis amplectitur, licèt pro Zacuto stare videatur, tamen ipse *citato loco* conciliat Galenum forsan ductus verbis quæ adducit *libr. de humor. com. 13.* ea perpendite. *Itaque si dextera uteri pars malè affecta sit, ex altero brachio, dextróque crure mittendus sanguis.* Ex quibus disces clarè ex utraque parte venam secare Galenum utero inflammato, aut malè affecto. Sed quâ ratione possint in optima Medicina prædicta testimonia conciliari, audias; nam cùm medela inflammationis prior sit revulsio, quàm derivatio, aut evacuatio, debemus providere causæ fluxionis, & nimiùm patti recipienti, unde initio fluxionis vena secanda est in brachio, ut fluxionem initiantem per revulsionem cohibeamus; quando verò indicatio prævalet causæ conjunctæ, & imbibitæ in utero, tunc quidem vulnerate talum erit necessarium pro indicatione derivandi & evacuandi ab utero, tanquam à parte recipiente. Hanc solutionem approbat Zacutus pro conciliatione doctrinæ Galeni, qua admissâ, planè contra ipsam infertur in uteri in inflammatione non semper esse secandam venam in cubito, imò esse feriendam in poplite deducitur manifestè ex sua conclusione; nam in plenitudine particulari uteri, nullâ urgente indicatione revellendi in gravidis, secat venam in talo citra periculum abortûs, imo ad fœlicem partum, quia tunc solum instat indicatio derivandi, & evacuandi ab utero: ergo in uteri inflammatione, sedata majori ex parte fluxione à vasis majoribus per revulsionem factam ex venis superioribus ad sectionem tali jure optimo devenire debemus, ut instantem indicationem, & urgentem derivandi, & evacuandi ab utero compleamus: non ergo semper in uteri inflammatione venam in partibus superioribus secare debemus. Si autem respondeas in plenitudine particulari utori nullam adesse fluxionem ex partibus superioribus ad uterum, ideóque feriendam solùm venam tali. Eadem ratione fateri debes, quod saltim in uteri inflammatione sedatâ prorsùs fluxione à partibus superioribus ad uterum venam esse feriendam in cruribus, & uterum à sarcina quâ premitur inaniamus, & indicationi derivandi, & evacuandi eo tempore solùm urgenti succurramus.

Falsum etiam asserit Zacutus dum tenet, inflammationem uteri, ab ipso non dimanare, sed potiùs ex sanguine à toto corpore in uterum confluente: nam licèt sæpè, & frequenter ità accidat, tamen poterit contingere, quod sanguis in ipsis uteri vasis abundans possit inflammare uterum, cùm vasa ipsius, quæ valde magna censentur à Galeno, possint se exonerare in venas minores, & ad poros carnis transmitti, in quo eventu non dubiè erit uteri inflammatio, & in perniciem ægrotantis, aut saltim inutiliter secabuntur venæ in brachiis, quæ nihil de uteri plenitudine adimere possunt; è contra verò venâ sectâ in talo uterus inanitur, & materia in ipso imbibita derivatur, & evacuatur: & idem argumentum conficitur, si uteri inflammatio fiat per congestionem, etenim tunc inutiliter prorsùs venam superiorem aperiemus, cùm nihil de materia conjuncta evacuet, neque derivet, ac per consequens uteri vitium indelebile omninò erit nisi feriamus talum. Sed demus gratis Zacuto, uteri inflammationem semper causari à sanguine à toto corpore in uterum fluente, tunc sic premo ejus doctrinam: nam eo in casu sanguis qui continetur in utero, & rationem habet causæ conjunctæ indicat derivari, & evacuari, saltim præsuppositâ revulsione, quæ ex vasis superioribus fieri debet: ergo quando solùm urget indicatio derivandi, & evacuandi ab utero, debet citra dubium celebrari venæ sectio in cruribus, tanquam à partibus vicinioribus, quæ communionem habent cum utero: non ergo semper in uteri inflammatione vena in cubito secanda est; sed solùm quando urget revellendi indicatio, præcipuè cùm inflammatio uteri adeò potest ingravescere, ut si non fiat derivatio per venas inferiores, & evacuatio ab ipso utero, manifestè periclitatur gravida, suffocata ab ipsa plenitudine: debet igitur cordatus Minister si divini Numinis cultor est, inanire uteri vasa per vacuationem factam in cruribus, ut sic non pereat fœtus cum matre.

Addimus etiam, quod in fœmina utero gerente, & ejus inflammatione laborante, tenetur Medicus secare venas inferiores, postquam secaverit superiores revulsionis gratiâ, ut ab origine fluxionis deponat sanguinem fluentem, & paratum fluere, similiter, & potiori jure id exercere debet in utero gerente, & præcipuè quando uterus erysipelate vexatur, quod eadem indicatione debet succurri, quâ uteri inflammatio. Perpendite precor summum Dictatorem, *lib. 5. aphorism. 43.* sic dictantem. *Si in utero gravida mulieri fit erysipelas, lethale.* In cujus textûs expositione Galenus sic loquitur; *Quod enim existente in utero erysipelate fœtum moriatur ex necessitate manifestum est, siquidem & febres acutæ aliquando sine inflammatione ipsum interficiunt, an verò utero inflammatione patiente possit aliquando fœtus vivere dignum inquisitione est.* Liceat ergo (perpensis adductis verbis) inferre, prorsùs prolem conservatione æquè, imò & magis indicare venæ sectionem ex talo, quando instat, & urget indicatio derivandi, & evacuandi, quam ipsa matris tutela non gravida, & uteri erysipelate, aut inflammatione correpta. Est enim ponderatione dignum, quod Galenus de sola fœtûs prædictione loquatur, quando dictat, quod uteri erysipelas necessariò prolem occidit, nullam de matre facta mentione. Ex quo meritò inferre possumus, pro salvanda prole magis urgere venæ sectionem ex talo, quàm pro salvanda matre in uteri inflammatione, adeò ut dubitet Galenus, si cum uteri inflammatione sit possibile, quod fœtus servetur: Neque hanc doctrinam ignorasse Zacutum credendum fideliter censeo, cùm ipse in præsagio *capite citato* de uteri inflammatione sequentia verba proferat. *Nam ex his febres validæ, & perurentes, delirium, convulsio; eas tandem ad interitum deduxit, maximè si erysipelatosa affectio sit, & fæmina gravis.* Si ergo hæc dicit Zacutus, inconstans valde est, quando absolutè negat venæ sectionem ex partibus inferioribus, saltim quando urget indicatio derivandi in gravidis uteri inflammatione, aut erysipelate correptis; quandoquidem & ipse fœtus non potest resistere æquè ac mater, propter teneram ipsius naturam, necnon etiam quia magis cruciatur ab ardore inflammationis; aut erysipelatis, propterea quod prohibita magis est

est ventilatio ob loci oppressionem, & involucrum, quo circundatus est fœtus; jure ergo optimo & ut fœtus, & mater à faucibus orci liberentur, christianus & cordatus Medicus debet vulnerare talum pro derivatione, & evacuatione causæ morbificæ, ut sic inaniatur uterus à tanta oppressione, & ventilatis vasis ipsius, à tanto incendio liberetur, quod citissimam, & violentam suffocationem minatur, prolis præcipuè, & matris. Irrita ergo fiet venæ sectio semper ex partibus superioribus, nam quod uterum inflammat, & intra poros occlusum est inaniri & evacuari debet, venâ sectâ in talo, derivationis, & evacuationis gratiâ; alioquin prolis interitum accelerabis. Debet ergo etiam in casu proposito Zacutus proclamare sicut *lib. 1. hist. q. 22.* de plenitudine uteri particulari sermonem faciens, in ipsa suadens sectionem in talo, sic neque in hoc loco celebrata phlebotomia ex se aborsiva est, & tantum abest (inquit Zacutus) ut sequi possit aborsus, ut potiùs demptâ plenitudine, quia fœtus non indiget, vegetior fiat, & robustior: Idem ergo debet sentire, & asserere in inflammatione, aut erysipelate uteri gravidæ, si suæ doctrinæ semitas fideliter insequatur.

Vesicæ etiam inflammatio in gravida muliere eadem methodo curanda, ac uteri, & erysipelatis inflammatio, quippè non minùs lethalis acutus, & periculosius morbus censetur ab omnibus cum summo Dictatore *in prognosticis* per hæc verba. *Vesica dura, & dolentes graves quidem omninò, & mortales, & maxime mortales, quæ continua febre fiunt, nam dolores, qui ab ipsis fiunt, satis sunt ad interimendum.* Et in calce concludit sic. *Si verò neque quidpiam cedant, neque vesica mollescat, & febris continua sit in primis morbi periodis, putandum est ægrotum moriturum.* Cùm ergo Hippocrates, & Galenus fateantur in affectibus partium infra jecur esse secandam venam in malleolo, deducitur manifestè sectionem in talo in gravidis, quando vesica est inflammata, eadem ratione tutò esse exercendam, citra abortûs periculum, ut forsan servemus fœtum, & matrem à morbo ità acuto, & periculoso. Porrò doctrina adducta de sectione venæ in gravidis, in quibus aut inflammatio uteri, aut vesicæ apparet, intelligenda est quando urget indicatio derivandi, & evacuandi ab utero; nam in principio, in quo instat indicatio revellendi, secanda est communis vena; sed in non gravidis basilica: At si ingravescat inflammatio, ut doloris vehementia demonstrat, intensióque febris, necnon urinæ suppressio, tunc quidem crimen erit grave non secare talum ad salvandam matrem, quæ jus primum habet in ipsa medela pro vitæ custodia.

Peculiarem aliam rationem in favorem Zacuti invenio ad exercendam venæ sectionem ex talo in gravidis, in uteri peculiari plenitudine, inflammatione, aut erysipelate; & similiter in vesicæ inflammatione, siquidem in dictis casibus venæ sectio non est aborsiva, etsi celebretur in talo; primò quia quando urget necessitas, & indicatio derivandi (cùm priùs supponamus satisfactionem factam per revulsionem ex vasis superioribus) minimè convocatur ad uterum sanguinis copia, quæ possit causare fœtûs suffocationem. Vlteriùs vena secta in gravidis, sive ex brachio, sive ex talo dicitur ab Hippocrate aborsiva *5. aphor. cit.* Rationem reddit Galen. *in expositione*, quia fœtui subtrahitur alimentum, quo indiget ad sui alimoniam pro vita conservanda: sed factâ venæ sectione in gravidis, sive ex superioribus, sive ex inferioribus partibus, minimè fit aborsus per sanguinis defectum: ergo fideliter credendum est fieri ex vi morbi, aut alterius causæ aborsivæ. Minorem præfatæ ratiocinationis, in qua tota stat difficultas, suadent quamplurima experimenta depravatarum mulierum, & observationes plurimæ, quas Zacutus adducit, & nos præ manibus habemus, in quibus miseræ fœminæ ad celandum proprium delictum sæpè repetitâ missione sanguinis ex talo, suam turpitudinem, & nequitiam cooperire non potuerunt, & legitimo, & naturali tempore partûs finito, incolumis fœtus evasit, & promulgavit turpe facinus, quod mater commiserat, signum profectò testificans per sanguinis defectum aborsum non causari, nec per alimenti penuriam, ut Expositores nostri Oraculi proclamant.

Fulcitur altiùs minor propositio; etenim quando aborsus sequitur sive in primis, sive in mediis, aut ultimis mensibus anteactâ venæ sectione, fœminæ, sive matris vasa non sunt inanita sanguine; sed potiùs sufficientem copiam illius habent, ex qua non solùm dies plurimos, sed & menses nutriri poterat fœtus: ergo non propter sanguinis defectum provocatur fœtur, & fit aborsus; cujus rei confirmatio est lochialis sanguinea evacuatio enixæ per plures dies, quæ si non fluat, vitæ periculum ex gravi morbo ad suppressionem lochiorum subsecuto, vitari non potest, id quotidiano experimento testante: non ergo ob sanguinis defectum, seu propter alimenti penuriam aborsus sequitur, vena incisa in gravidis: aliter enim enixis, quibus lochia ritè non procedunt, venam methodicè non secaremus, cùm ergo in matre post aborsum sit tanta sanguinis copia, quantum quotidie redundare experimur, credendum est aborsum nõ concitari propter sanguinis defectum, & alimenti penuriam in prole, sed aut ex vi morbi præcipuè febrilis, & æstuosi, ratione cujus fœtus suffocatur inspirando aërẽ calidissimum, aut ob alias abortûs plurimas causas, præcipuè quia Hippocrates minimè secuit venam directè propter aborsum (contrarium enim in Iusjurando monet, quasi Catholicus & fidelis loquens) si ergo sectâ venâ aborsus secutus fuit, inde non colligitur necessariò sectionem venæ fuisse aborsivam, sed quod ex vi morbi forsan acciderit: non ergo inviolabile præceptum est, quod in gravidis vitanda omninò sit venæ sectio, imò potiùs edictum tanquam doctrinale accipiendum, juxta id quod regulariter contingit. Premitur discursus, nam si ob alimenti inopiam perderetur fœtus, venâ sectâ in gravidis, esset quidem paulatim exsiccatus, & tabescens per defectum pabuli, & sic paulatim fieret, & intenderetur causa aborsiva: atqui sæpè post venæ sectionem illicò sequitur aborsus: aliâ ergo de causâ, & non propter defectum alimenti aborsus excitatur.

Adducta argumenta contra Hippocratis communem, & ferè inconcussam doctrinam proponit noster Michaël de Heredia de morbis mulierum loquens *disp. 10. cap. 5.* nihil tamen respondet in Procerum defensionem, nam omittit solutionem, & solùm aggreditur ad scrutinium peculiare, nempe quod concessa Hippocratis, & Galeni doctrina de aborsu propter sanguinis defectum, frequentiorem causam non esse in morbis præcisè sanguinis defectum, aut alimenti, ut Galenus *in expositione aphorismi* annotavit, &

probans

probant efficaciter suprà adductæ rationes : Et concludit quod si causa aborsus sanguinis defectus puretur, id fieri propter debilitatem contractam in fœtu, & in ipsa matre ob sanguinis defectum, & propter spirituum inopiam, qua ratione non potest sublevari, & sic ponderat magis, & vincula uteri disrumpit, seu acetabula, atque hoc modo aborsus sequitur, ad quem etiam conducit sensus famis, & anxietas contracta ob alimenti defectum, sic calcitrare posse ratione doloris non est dubium, & accelerare aborsum, ut hinc discas in febribus, doloribus, vigiliis superfluis, animi passionibus, alvi fluxionibus præsertim dolorificis aborsus frequenter fieri; in febribus quidem propter suffocationem ab ingenti calore, si fœtus respiret in utero, ut latissimè nostro *tom. 2. cap. de causa suffocationis* demonstravimus. Vlteriùs etiam per febres ardentes acria excrementa, & mordacia generantur, à quibus infans molestè compunctus, aut ulceratus movetur irritatus & compulsus, & sic vincula disrumpit, & uteri acetabula, & fit aborsus, idem faciunt dolores, & vigiliæ, & alvi fluxiones excrementa prava ad uterum moventes, sic & ira facit ebullire sanguinem, & effervescere : timor etiam & subitus sonus idem causant per retrocessum sanguinis ad intra, & alia plura, de quibus passim agunt Autores.

His tamen adductis aborsûs causis, insoluta manent argumenta, seu dubiola contra Hippocratis & Galeni doctrinam, unde omissionis taxandus est noster Heredia, aut censeri debemus, edictum illud commune prorsùs esse falsum in sua opinione. Doleo ergo, atque vehementer doleo, virum ità doctum in ea obduruisse opinione adversus Medicinæ Principes, & veteranos duces; quare nos ipsorum dogmata venerantes in favorem citati edicti pro Hippocrate, & Galeno dicimus, adducta argumenta nullius roboris esse; nam etsi post aborsum enixa per plures dies lochia repurget, minimè id indicat sanguinis abundantiam, ex qua nutriebatur proles, sed potiùs esse pravam redundantem & excrementitiam toto tempore gestationis suppressam, nam fœtus laudabilem, & meliorem partem sanguinis ad se attrahit pro sua nutritione, ut Hippocr. *lib. de nat. fœt.* testificat per hæc verba. *Trahit enim à sanguine ad se id quod dulcissimum.* Ex quo fit, ut cessante gravidatione, quæ causa erat suppressionis illius sanguinis fœcalis, natura insurgat ad illius expulsionem per lochiales purgationes in defensionem, & tutelam salutis matris, & forsan hoc depravato sanguine per aborsum inundatur fœtus, non quidem quia ab ipso allevatur, sed quia jam cessante gravidatione ex vi aborsûs illicò natura se exonerare incipit ab excrementis congestis in toto corpore : eadem ratione in lactantibus, in quibus menses deficiunt excrementa prava intra totum corpus retinentur toto tempore lactationis usque dum menses superveniant, cessante lactatione. Audias precor Oraculum *2. epid. text. 17. Lactans quædam papulas per totum corpus habebat, cum autem cessavit lactare, sedata sunt æstate.* Fluentibus mensibus juxta nostri Vallesij expositionem, ubi apprimè, & perdoctè satis subtilitate sua advertit, non esse eandem materiam lactis, & menstruæ evacuationis, etsi cessent menstruæ purgationes tempore lactationis, ac perinde fœminas illo tempore repleri pravis succis. Legas rogo per otium Vallesium *in expositione hujus loc.* Sed redeamus ad rem nostram. Ergo in gravidis cùm sit eadem ratio suppressionis menstruorum, jure optimo eo ipso, quod fit aborsus natura per uterum mittit sanguinem pravum, & fœdum, qui toto tempore gestationis erat suppressus, quin ex evacuatione lochiorum cordatus Medicus possit inferre, superare sanguinem pro nutritione fœtûs, quod quidem sæpe adbibitâ venæ sectione in gravidis, quæ non sunt valde plenæ fiat aborsus ob defectum sanguinis laudabilis, & penuriam alimenti, etsi superest excrementitius sanguis, qui post aborsum fluit per lochia mirâ naturæ providentiâ, ut liberetur fœmina ab imminentibus aliis morbis, quos lochiorum suppressio causare solet.

Argumentum aliud, & observationes plurimæ, quas habemus, tum de honestis fœminis in gravidationibus, tum etiam de turpibus, & depravatis, quæ ob verecundiam, aut metum celare intendût gravidationẽ, aborsum solicitando per sanguinis missionem ex talo, & non abortientibus, & honestis fœminis, in quibus sæpè repetitâ venæ sectione ex brachio aborsum non fecerunt, nihil probat contra Antiquorum doctrinam, nam in iis totius ingens plenitudo, & robur fuit causa ut non sequeretur aborsus, neq; fœtui non deficeret alimẽtum pro sui conservatione. In aliis, in quibus ex talo iterata sæpiùs fuit sanguinis missio, servata fuit proles, & ob infantis summum robur, & quia plenitudo particularis uteri ipsas accusabat, quâ depositâ non fuit aborsus subsequutus, imò potiùs servatus fuit fœtus firmioribus redditis vinculis per ponderis depositionem. Prǽterquam quod Hippocratis aphoristicæ sententiæ infallibiles censeri non debent, sed doctrinales, juxta id quod regulariter accidit, quare particulares eventus, qui in cõtrarium accidunt nõ evertunt veritatẽ dogmatum.

Tandem quod adducit Heredia de tabe, extenuatione, & exsiccatione fœtûs per defectum alimenti, verum est; attamen priusquam sensim hæc eveniant debili facto fœtu ob inopiam spirituum, & per sanguinis defectum gravitat magis, & sic fit aborsus, priusquam tabe afficiatur, & extenuetur, & ob alias rationes, quas doctè satis dictus Heredia *loco citato*, quas libenter admitto, utpotè à tanto Magistro à me semper venerando dictatas. Interim tamen addo, venæ sectionem juxta Avicennæ doctrinam *fol. 4. lib. 1. cap. 20.* esse commotoriam per hæc verba. *Phlebotomia est conturbans, donec quiescat.* Vnde eâ factâ in gravida, sanguis commovetur versus uterum, & accidere solet aborsus, & hinc disces agere directè contra vitam prolis, qui matri morbo acuto oppressæ non medetur omnibus auxiliis, quæ morbo opponuntur, etenim peccat occidendo matrem, & per consequens fœtum, aut saltim morbus matris non rectè medebitur, & ingravescet, & poterit esse occasio aborsûs omissio magnorum remediorum, nullâ factâ evacuatione à morbo magno, & acuto indicata. Consulite Riolanum *lib. de circul. sang. fol. mihi 91.* ubi ait. *Itaque non est dubium detrahendum esse sanguinem pragnanti mulieri acuto morbo laboranti, etiam fœtus damno, & periculo, quia præstat studere, & advigilare matris saluti, & incolumitati, quàm fœtus, cùm ejus vita à matre dependeat, atque toties mittendus erit sanguis, quoties magnitudo morbi id remedium efflagitabit.* Est igitur causa aborsûs venæ sectio in gravidis modo explicato edicto Hippocratis publico juxta Galeni expositionem, quia fuso sanguine defraudatur fœtus passu suo, & quod fœtus est major

eo faciliùs sequitur abortus per venæ sectionem, si solùm attendamus ad pabuli defectum, nam quò major est fœtus, copiosiori indiget pabulo; si autem attendamus ad commotionem, quam præstat venæ sectio ex Avicenna *suprà citato*, cùm nec sit major io primis mensibus, quàm alimenti defectus, quia parvo eo tempore indiget pabulo, faciliùs fit abortus in primis mensibus propter conturbatiooem, quam causat veoæ sectio, quàm per defectum alimenti.

Admissis suprà dictis casibus, in qoibus tutò, & securè potest Medicus in gravidis venam secare in talo ob rationes validas superiùs adductas, constat intrepidè Riolanum absolutè contra Zacutum verba infamatoria *suprà* adducta promulgasse; quaodoquidem in epilepsia, & erysipelate ab utero in gravidis negat venæ sectiooem in talo, oblitus doctrinâ Classicorum, qui ad originem fluxiovis retrahendom esse humorem proclamant ergo si pleno ore fatetur ab otero pendere epilepsiam, & cephalicum morbum, necnon etiam hystericam affectionem per evaporationem ex utero, falsò, & sine fundamento negat sectionem in talo, quippè contra ipsum militant rationes omnes, quas *suprà* latè attulimus. Magis tamen displicet, quod *infrà* addncit, nempè, *Quod si prima, vel secunda vena sectio fieret ex pede plenis adhuc vasculis uterinis* (hæc sunt ejus verba) *tolerabilis fieret; sed non adhibetur, nisi jam exhaustis superioribus partibus, ideòque sanguis, qui concluditur circa locos mulsebres in hypogastricis vasis revellitur, atque præripitur fœtui, inde potest abortus succedere, si defraudetur suo pabulo.* Hæc Riolanus. Contrarium potiùs mihi videtur esse ioferendum, nam plenis vasis uterinis, nec prima, nec secunda venæ sectio fieri debet ex pede, nisi priùs exhaustis superioribus vasis, ne plenitudo tota corporis convocetur in uterum, & suffocetur fœtus. Vndè duo noto contra Riolanum, primum asserere, tolerabilem esse in dictis affectibus gravidarum primam, & secundam venæ sectionem ex pede; forsan non recordatur libelli infamatorij contra Zacutum: & quidem jure optimo possemus contra ipsum proferre infanticidium procurare si consulat tunc secare talum, plenis existentibus vasis uteri, nisi fateatur ejus plenitudinem particularem: in quo eventu Zacutum sequitur. Temerariè ergo ipsum reprehendit. Secundò insto contra ipsum; nam jam exhaustis superioribus partibus minùs periclitatur fœtus venâ sectâ in talo, cùm ipsa sit derivatoria illius materiæ, quæ continetur in utero, forsánque ex illa impeditur suffocatio prolis; nam defraudatio pabuli tunc timenda non est, cùm supponat oteri vasa plena, & sic abortus non debet timeri: non ergo conseotaneè loquitur cũ his, quæ adducit contra Zacutum.

Quibus omnibus præjactis, sit nostra conclusio, exceptis casibus particularibus *suprà* adductis, temerarium esse, & puoitione dignissimum in gravidis venam secare in talo; nam vulnerato pede subducitur pabulum fœtui, & coovocatur ad uterum ex toto nimia sanguinis copia, à qua suffocatur, quippè hoc auxilij genus ex talo celebratum provocandis mensibus destioatum est, Galeno autore, atque ad exonerandum uterum conducit, & ab eo loco detrahendum quidquid continetur molestum: ergo urgente necessitate ratione morbi expostulantis sanguinis fusionem in gravidis satiùs, & securiùs est sanguinem educere quantum expedit ex brachio, quàm ex pede, præcipuè si circulationem sanguinis concedamus; etenim sic totus sanguis ab inferois partibus supernè recurrit ad cor, atque supra jecur majori copiâ contioetur, quàm iofra ratione partium thoracicarum, & capitis, quam citiùs, & commodiùs deplet sectio in brachiis, & sic succurrimus per ipsam morbo acuto utero gerentes citra manifestum abortûs periculum.

Validatur ulteriùs eadem assertio, nam venarum pedis sectio propinquior est utero, quàm sectio venæ in brachio ad abortum provocandum. Adde quod quantũ sanguinis detrahitur per veoas brachiorum propter recursum sanguinis ad cor per truncum venæ cavæ tantundem affluit juxta cor. Tandem venæ sectio in pede proximè trahit per venas, & arterias ab utero, quod ooo facit veoæ sectio facta in superiorihus partibus: quare Medicus prudeos, & in Religione Christianæ firmatus debet in gravidis, si necessitas exposcat, vulnerare venas in brachio, & minimè in talo, à quo periculum impeodet abortûs. Est enim nostra ætate dogma novum, & perniciusum satis vagans apud obstetrices, & vulgares Medicos, qui ob talem metum passim homicidia committunt, quoties in gravidis sanguinem educunt per talum: falsum tamen assumunt fundamentum ab experimentis meretricum, quæ abortum provocare oituntur, sæpè venas pedis secando, ot votum assequantur: insuper etiam frivolum est fuodameotum ab observationibus pluribus, quibus constat, fœmioas plures per totum tempus gestationis menstruantes abortum nõ fecisse, etenim hoc sæpè fit in plethoricis, & robustis mulitribus, in quibus sanguis ille menstruus per veoas cervicis oteri fluit guttatim, quin ex prædicta menstrua evacuatione fiat injuria fœtui, qui tunc præsumitur valde resolutus, sicut & mater, quare successibus careat octo, quisquis ab eveotu facta notanda putat, quaodoquidem innumeras etiam habemus historias, & observationes in nostra ætate plures mulierum gravidarum, quæ ex hoc remedio intempestivè celebrato abortieruot: præstat ergo semper securè agere, quàm experiri auxilium suspectum, & valde periculosum, nullâ orgente necessitate: si autem gravida mulier esset in summo periculo constituta, & citra intentionem abortûs, indigeret venæ pedis sectione, viribus valentibus, satius esset à sextu mense usque ad nonum inclusivè detrahere, quamvis fœtus sit grandior, quia intra substantiam uteri fuogosam, & intra placentam jam crassam, & amplam magnâ oaturæ providentiâ sanguis continetur ad nutritionem fœtûs per aliquot dies. Cæterùm aliis mensibus præcedentibus cum placenta sit exigua, oeque firmiter adhæreat parietibus uteri, qui nondum crassitiem satis capacem obtinuit ad sorbendum, & continendum sanguinem adhuc fluidum circa locos muliebres in vasis hypogastticis, potest per venæ sectionem ex talo instar menstruæ purgationis revocari, sicque præripi ab utero, ac proindè abortus consequetur si in primis mensibus talum vulneraremus in gravidis. Hanc censuram adducit Ioan. Riolanus ex qua videtur simulare aliquantulum hostilitatem cootra veoæ sectionem iu gravidis ex partibus inferioribus.

Plura argumenta propooit Fortuoatus Plempius, necnon etiam Nicolaus Fontaoos, quibus venæ sectionem ex talo acerrimè evertere conantur, quæ latissimè referuntur à Zacuto *loco citato*, ubi etiam satisfacere intendit locupletissimis doctrinis, sed quia facilè quivis ea videre potest, in huoc

locum

locum tranſcribere ſupervacaneũ judicavi, ne oratio noſtra longior, & moleſta vobis ſit. Aliqua tamen, quæ involvunt difficultatem in Zacuti reſponſionibus *ſuprà* ſunt à nobis adducta: Ex quibus tradita doctrina firma ſatis manet, & libera ab ſpiculis contra ipſam iojectis.

CAPUT ULTIMUM.

De vena ſectione in lue venerea oppreſſis.

LUes venerea adeò communis eſt noſtro ſæculo in omni regione, ætate, & ſexu, adeóque ſortis, faſtidioſa, horribilis, & rimoroſa paſſio, ut puſtulas, cutis defœdationes, & ingentiſſimos ereet dolores, interdum naſum erodit, oculos, & oſſa; bubones, & gonorrhœas virulentas gignit, item ulcera formidoloſa in pudendis, & valde moleſta, & inſtrumenta gignendi penitùs abſumit, vitam etiam ærumnoſam facit, ita ut homines prædicto morbo infecti potiùs mori, quàm ſic miſerabiliter, & crudeliter vivere deſiderent.

De hoc igitur ſæviſſimo, & horrendiſſimo morbo, utpotè communiſſimo, plures Auctores paſſim agunt ipſius eſſentiam, dignotionem, & curationem perdoctè ſatis ſcribentes, necnon etiam appropriata auxilia ad amuſſim examinátes; noſtri tamen inſtituti ratio minime poſtulat, ut ſpecialiter de ipſo agamus; ſed ſolùm de auxilio magno, quo ferè omnes indigent, nempè de venæ ſectione, & quidem non abſolutè, de ipſa quippe clamat ipſius indigentia, ſed de loco, ex quo debeat exerceri, erit noſtra oratio, litigioſa ſatis noſtris temporibus ob vulgi ignorantiam, necnõ etiam Tonſorum, & vulgarium Medicorum imperitiam, metum, & terrorem in auribus eorum, qui miſerè degent, inducentium, ſi talum non ſeriant, quapropter tanquam dogma indelebile conſulunt ſemper, & in omni occaſione, ſexu, & ætate, nullâ prorsùs facta diſtinctione, venam eſſe ſecandam in cruribus, dummodò venerea lues reluceat. Certè tamen quantum ſuſpicor, hujus ſectæ infectionem ab Hiſpalenſibus Doctoribus fuiſſe mendicatam, tanquam ab hujus erroneæ doctrinæ Ducibus, ut *ſuprà* copiosè ſatis à nobis eſt demonſtraſum: interim tamen pro complemento noſtri operis Adverſariorum futilia proponam fundamenta, ut quod utilius in medela hujus morbi circa locum, ex quo venæ ſectio ſit exercenda, clariùs eluceat.

Priùs tamen quàm ad palæſtram accedamus, ſupponimus luem veneream ſedem propriam habere in jecore, ibíque implantari & characterem proprium imprimere, ratione cujus tota maſſa ſanguinaria perennitet (durante tali morbo) manet defœdata, & maligno & venenoſo ſigillo munita, ſic contaminantur humores, ſpiritus, & ſolida membra, ſerpente alimento ad ipſa: cùm autem vitia, quæ luem veneream oſtendunt, & ſymptomata pathognomonica ipſius ſint toti corpori communia: infertur non dubiè rationabiliter implantari hunc morbum, ſive ipſum à tota ſubſtantia nomines, ut communis fert opinio, ſive à manifeſta qualitate, calida ſcilicet & ſicca diſtempetie, ut acerrimè id ſuadet Alexander Maſſar. *ſuo tract. de mor. gal.* de quo non diſputo; in principio communi, nempè jecore, quod omnes generat humores, & omnibus partibus corporis alimentum præbet. In jecore ergo tanquam in membro principe ad generationem humorum deſtinato reſidere luem veneream ferè ioconcuſſum apud omnes Scriptores habetur.

Inſuper etiam circa cauſam luis venereæ effectricem ferè convenit inter omnes, eam venenatam, & contagioſam eſſe, ac lentâ quadam, & inexplicabili ratione per coitum, per oſcula, amplexum, ac lactationem, necnon etiam ex principiis generationis induci. Hanc luis venereæ cauſam Fernelius inter cæteros elegantiſſimè deſcripſit per ſequentia verba. *Efficiens cauſa venenata eſt, ac maligna qualitas, atque pernicioſa labes, quæ in quacumque corporis parte primùm inſederit, eam contaminat, indeque continuatione in totum corpus ſpargitur, & ex parvo initio paſſim invaleſcit, dum non modò ſpiritus, atque humores, ſed & carnes, & partes omnes pervagatur.* Hæc Fernelius.

Suppoſitâ ergo hac doctrinâ, quam omnes admittunt, & quotidianum confirmat experimentum, inſtat jam validum fundamentum aſſerentium in lue venerea ſemper eſſe ſecandam venam in talo, ſive in viris, ſive in fœminis; nam luis venereæ cauſam auferre debet Medicus, indicationẽ ſumpta à morboſo apparatu, qui ſi ſanguinis miſſionem indicet, eam illicò debet exercere; ſed ſectio venæ in brachio eſt valde pernicioſa, & periculo plena: ergo potiùs debet fieri in malleolis. Minorem propoſiti diſcursûs ſuadet efficacitet natura cauſæ luis venereæ nuper deſcripta à Fernelio, quæ cùm maligna, venenoſa, & contagioſa ſit, ſuſpectum erit eam evacuare per partes ſuperiores cordi vicinas, imò pernicioſiſſimum, & valde exitioſum cenſeri debet, advocare venenoſam materiam ad ſuperiora, & principalia membra: cùm ergo per ſanguinis fuſionem ex vaſis ſupernis id accidat, vereri eam ſemper debemus, & amplecti ſectionem in talo tanquam ſecuriorem, & utiliorem, revellentem quidem ad partes ignobiles, & inferiores malignam illam, & veneficam materiam, ipſamque à corde, & à ſuperioribus membris avertentem: ſi ergo his omnibus prærogativis, & beneficiis gaudet crurum vulneratio, ſeu ſanguinis fuſio per loca inferna, ubi omnes abſceſſus, quos natura ſuâ providentiâ creat, utiliſſimi & ſecuriſſimi judicantur ab Hippocrate *in prognoſticis*, jure optimo Medicus, qui naturæ fidelis miniſter, & imitator eſt, ſecabit venam tali in omnibus, qui lue venerea infeſtantur.

Confirmatur aſſumptum, quoniam ſæpè natura ipſa, ut ſe liberet ab inimico itâ diro, & crudeli ſua ſpeciali providentia detrudit humores venereos maligno illo charactere ſigillatos ad inguina tanquam ad emunctoria, in quæ jecur ſolet deponere quidquid excrementitium moleſtat, & bubones creat, malignos, & ſigna ſunt germina habentia juxta Oraculi doctrinam in epidemicis hiſtoriis; ideſt fideliter ſignificare diſtemperiem, & malignitatem reſidentem in jecore, in quo tanquam in radice ſtabulatur maligna, & venenoſa qualitas: ſi ergo natura liberare conatur à tanta moleſtia deponendo morbificam, & contagioſam materiam in partes inferiores, meritò cordatus artifex in ſubſidium naturæ tentabit in lue venerea venæ ſectionem ex cruribus ſemper pro naturæ defectu in ſui beneficium, & pro ſalute ægrotantium comparanda.

Ulteriùs etiam corroboratur aſſumptum; nam in febribus peſtilentibus, & malignis communiter ſecantur venæ inferiores, ut materia venenoſa, &

pestifera revellatur à corde per distantiora loca: sed venereæ lues est etiam venenosa, & contagiosa, & insuper humores, quos gignit jecur defœdatum morbo ità crudeli, & sævissimo, secum afferunt sigillum illud, & characterem: ergo simili ratione quando adest indicatio secandi venam, ea est eligenda, quæ situm habet in cruribus, ut sanguine ex ipsa exhausto, maligna, & contagiosa materia revellatur à corde, & à partibus superioribus, in quibus si stabulatur, gravissima causat accidentia, qualia fuere quæ *suprà* depinximus.

Zacutus Lusit. *lib.2. prax. hist. & de morb. Gal. fol. mihi* 270. videtur hanc eandem opinionem amplecti, ubi asserit, quod ante purgationem in lue venerea ad levandam naturam & transpirandum corpus, si plenitudo adsit, sanguis est detrahendus in quantitate modica ea parte dextra, si laboret jecur, ex sinistra, si lien sit oblæsus; quod si pustulæ adsint, aut etiam scabies infestet, hirudines venis hæmorrhoidalibus apponere non erit abs re, quarum usu fœcalis sanguis ad distantissimas propellitur corporis partes, ad quas ipse gravitate sua promptissimè ruit; ex qua doctrina inferunt aliqui juxta ipsius mentem, venam in crure dextro, aut sinistro scindendam esse, prout jecur, aut lien appareat malè affectum: rationem inferunt ex prætextu, quo jubet applicare hæmorrhoidalibus venis hirudines, ut scilicet fæcalis sanguis, & infectus ad distantissimas propellatur corporis partes.

Insuper etiam in assumpti hujus confirmationem adducere possumus observationem raram, quam adducit Zacutus *lib.1. de MM.PP. hist. fol. mihi* 134.*observ.* 18. in qua Dux Hispanus à læva lue venerea evasit immunis, fontanellis in inguine spontè apertis: ipse enim sævis, dolosisque miserabiliter ulceribus vexatus quæ totum corporis ambitum conspurcabant, sæpiùs unctus hydrargiro, & sudorificis auxiliis immaniter cruciatus, ex iis ullum vix sensit commodum: apertis tamen spontè in utroq; inguine fontanellis, per quas veluti per emunctoria putores illi, corruptique humores paulatim vacuari ceperunt, omninò à tantis malis immunis evasit. En celeberrimam, & satis raram historiam, in qua sagacissima natura, quid faciendum est in luis venereæ medela satis clarè demonstrat, ut hinc discas, imitandam fideliter, & sagaciter esse in evacuationibus, quas ars docet, & ab ipsis partibus, in quas natura deponit humores, ut à tam crudeli liberetur hoste: Si ergo ad partes infernas detrudit fæculentos, & malignos humores immanes, & crudeles dolores causantes, & hac ratione miseri ægroti immunes evadunt, jure optimo Medicus evacuationes tentare debet per crura, ipsa vulnerando, ut lues illa venefica, & contagiosa ad inferiora membra detrudatur à natura, partibus superioribus immunitate, & indulgentia illa fruentibus, ut à tanto malo liberæ evadent.

Adductis rationibus non convincor, & asserere firmissimo animo audeo in lue venerea affectis basilicam venam esse feriendam, dummodò virulenta materia nullum peculiarem modum seu decubitum fecerit ad inferiora membra, ut sæpenumerò accidit, quando bubones venerei in inguinibus oriuntur, aut gonorrhœa virulenta, aut in pudendo ulcera apparent, seu inflammatio; & in summa si natura deponat per motum peculiarem malignam, & fœdam materiam in partes, quæ sunt infra jecur; nam in his casibus vena est secanda in poplite. Conclusio nostra duas continet partes; prima est, quod absolutè in lue venerea, nullo existente peculiari motu venenosæ materiæ ad partes inferiores est secanda vena basilica in brachiis. Secunda est, quod quando natura morbificam causam propulsat ad partes inferiores infra jecur, in casibus propositis secanda est vena poplitis. Cæterùm si ad caput materia ruat, & ibi dolores vehementissimos excitet, praváque ulcera & capillorum defluvium, tunc quidem ex qua vena sanguis sit hauriendus libenter proferam, distinctione quadam adhibitâ.

Properemus ad probationem primæ partis; nam humores venerei, & venenosi firmissimam sedem habent in jecore, in quo generantur, tanquam à primo fonte venereo illo sigillo, & charactere impresso in ipsis, indéque ab ipso jecore disseminantur per omnes venas majores, minores, & capillares usque ad porositates, ut ex ipsis fiat partium solidarum alimentum; quâ suppositâ doctrinâ, tanquam indelebili, & inconcussâ; constat clarè, quod si in lue venerea urget necessitas secandi venam, eam esse eligendam, quæ in brachiis dicitur basilica; hæc namque demit citiùs plenitudinem, magis etiam attemperat jecur, ut ventilatio in vasis majoribus celeriùs cōsequatur, quin sit timor aliquis, nec suspicio convocandi humores illos venenosos ad cor, neque ad supernas partes, in quo tota Adversariorum ratio fundatur: Suadetur ergo efficaciter hæc ultima propositio; nam jecur ex proprio munere mittit hujusmodi humores venenosos, & malignos ad omnes partes corporis per omnes venas ipsos disseminans propter principatum, in quo est constitutus à natura: ergo venæ sectio celebrata in brachio ex basilica vena, nihil influit in talem motum, cùm jecur teneatur illum præstare, sive secetur vena basilica, sive non, imò potiùs forsan ex sectione talis venæ effrenantur humores, & magis attemperati, & non ita fervidi, & adusti disperguntur per omnia vasa usque ad penitiora loca, ac per consequens vulneratâ in lue venerea venâ basilicâ, citiùs opitulamur plenitudini, quin nec timor rationalis, nec ulla quamtumvis minima suspicio adsit convocandi tales humores ad superiora membra, cùm talis venæ sectio id non præstet, ut ex *superioribus capitibus* contra tales Medicos constat: imò & dato casu, quod humores convocaret, nihil noceret, cùm nulla major ipsorum convocatio ad omnia membra, quàm illa, quam ex proprio munere, & officio præstat jecur, & cùm aliàs prærogativis aliis gaudeat sectio basilicæ *suprà* adductis, fit manifestum, ipsam sine dubio esse feriendam in luis venereæ medela, quidquid vulgaris imperitia clamet in plausum venæ sectionis in cruribus, cùm solus ruralis timor eam permittat, si rationali methodo stemus.

Audaciùs hanc nostram tuetur opinionem Doctissimus Mercat. *sup. cit. lib.2. de mor. Gal. cap.* 10. de venerea gonorrhœa sermonem instituens, ubi, existente plenitudine cum prædicta gonorrhœa venerea & virulenta, acerrimè tenet verendum non esse ex vena axillari utriusque brachij sanguinem fundere: hæc tamen doctrina licèt à tanto viro in se præcipuè practica venerando, limitatione indiget, nec ipsam pleno corde amplecti mihi visum fuit *præcedenti capite*, dum de vena secanda in febre pestilenti, & maligna egimus, quare omninò superfluum erit iterū in hoc capite transcribere, quæ ibi à nobis explorata sunt circa propositum litigium.

Hanc etiam nostram patrocinatur sententiam Sennertus

Sennertus *lib.6.de indicationibus tom.3. part.4.cap.10. de curatione morbi Gallici*, & primò de venæ sectione, ubi in primis basilicam esse feriendam docet, dummodò ad inguina, seu partes inferiores non sit peculiaris motus naturæ trudentis materiam virulentam, & malignam, de quo *infrà*: Addit etiam insuper Sennertus *citato capite*, quod si prædicta materia ad caput ruat, & ibi dolores vehementissimos excitet, & prava ulcera, atque capillorum defluvium, in brachio cephalicam venam communissimè secandam esse. Hoc tamen præceptum sūma cautione observandum esse censeo, nempè quando corpus in caput non mittit materiam separatam malignam, qualiter accidit, quando in inguinibus bubones constituit, & gonorrhœā causat, & pudēdorum prava ulcera; nam tunc ratione urgentiæ illius materiæ communis virulentæ contentæ in cerebro poterit Medicus venam cephalicam tundere, dum in parte inferiori non sit bubo, aut gonorrhœa, aut peculiaris naturæ motus in partes inferiores, nam tunc ab illo divertere non erit rationabile, ut capiti succurramus; etenim præferenda semper est sectio in talo juvans naturæ auxiliarem motum ad partes inferna; cæterùm si particularis motus sit ad caput, natura mittēte, & trudente materiam malignam, & separatam à cōsortio optimi sanguinis, tunc derivationis, & evacuationis indicatio à capite, tanquam à membro nobili, magis urget, quare tunc urgentiæ ratio nos cogit venam cephalicam secare, ut discas non esse adeò formidabile venas superiores in lue venerea vulnerare ut vulgus, Medicique vulgares, & imperiti putant, quandoquidem Sennertus id absque ulla suspicionis nota probat, & nos idem esse exequendum judicamus, dictâ cautione naturæ pensitatâ.

Suffragatur etiam Doctus Alexander Massarias *lib.de mor.Gall.pag.mihi* 889. ubi non solùm utilē, sed necessariam esse censet venæ sectionem in medela luis venereæ, & hanc esse exercendam docet in brachio dextro, secando venam basilicam, nisi peculiaris aliquis morbus partium inferiorum alterius venæ sectionem videatur postulare; in quo casu post sectionem venæ jecoris, licèt ad alias quoque sectiones devenire: undè perpendas magni momenti esse apud hunc Doctorem in lue venerea sectionem basilicæ venæ; & quidem magis urget hæc assertio in sua doctrina (cui assentiri non erit abs re) in qua acerrimè conatur suadere luem veneream nō aliud esse, quàm intemperiem, atque eam quidem calidam, & siccam in jecore firmatam, licèt plura accidentia, variáque symptomata appareant in lue venerea, & partes diversæ consētiant in ipsius progressu, tamen semper, & indelebiliter comitatur exustio, & ipsi perpetuò copulatur; nam ulcera, & pustulæ in quacumq; corporis parte existunt, quicumque redundent in corpore humores, & sorditiem lividi, vel nigri coloris, & callositatem, & alia manifesta ex ustionis indicia contrahunt; sic erosiones gingivarum, palati, oris, faucium, nasi, manuum, pedum, & omnium partiū, item casus dentium, defluvium capillorum, non aliter quàm ab humoribus acribus generentur, insuper etiam gonorrhœa, ustionem tum in substantia, tum calore seminis solet demonstrare: item etiā bubones ducti ad suppurationem habēt labia duriora, & callosa, atq; sanies manās manifestè acris, & adusta conspicitur, itaque nihil est in lue venerea, si omnia accidentia diligenter perpendantur, quod insignem caliditatem, & ustionem non demonstret. Unde vulgares Medici, imperiti Chirurgi, & Barbitonsores bubones, gonorrhœas, ulcera & pustulas, & reliqua adducta mala signa exustionis tanquam proprio charactere luem veneream, ab eáque talis non est, solent distinguere: ita ut quicumque in corpore redundent humores, sive frigidi, sive calidi, semper aliqua insignis caliditatis signa, & ustionis apparent in lue venerea affectis, cúmque dicta ustio ab intemperie jecoris calida, & sicca semper oriatur, constat planè, luem veneream in dicta intemperie manifesta collocari. Cæterùm quia non omnis calida, & sicca distemperies jecoris, nec certa quædam ejus intensio constituit luem veneream, ut per se patet, tenetur recurrere Massarias ad diversitatem causæ, & ipsius putredinem, & inquirens qualis sit hujusmodi, luis venereæ causa effectrix? Respondet convenire inter omnes Medicos eam venenatam, & contagiosam esse, ac latente quadā, & inexplicabili ratione per coitum, per oscula, amplexum, lactationem, & alias impudicitiæ occasiones induci. Quâ suppositâ doctrinâ, censeo nihil peculiare ab hoc Autore afferri, distinctum ab eo quod cōmuniter dicitur; nam sive morbus sit à tota substantia jecoris, sive lateat in causa, & occulta qualitas in ipsa concedatur, idem significatur, etiamsi in accidentibus reluceat ustionis & caliditatis signa; quapropter parum refert ad luis venereæ cōstitutionem, seu cognitionem, si dicamus occultam qualitatem, & substantiæ proprietatem relucere, aut in morbo jecoris, aut in causa venerea lues, & contagionis venereæ: sed quidquid sit de hoc, cujus examen ad nos in præsentiarum non attinet, si concedamus cum Massaria in accidentibus luis venereæ relucere ferè semper caliditatem, & ustionem, firmiùs in hac opinione dum accedimus ad medelam, basilicam venam secamus, ex cujus cruoris eductione citiùs, & celeriùs attemperatur jecur, & tota massa sanguinaria ventilatur magis, & corrigitur prædicta intemperies, ac per consequēs dum affectio peculiaris non creatur in partibus inferioribus, vena ferienda est in brachio.

Tempus jam instat, ut accedamus ad secundam partem conclusionis, in qua tanquam certum statuendum, est quod si sit peculiaris naturæ motus ad partes inferiores materiæ venenosæ luis separatæ, ratione cujus aut bubones in inguinibus procreantur, aut gonorrhœa virulenta accidit, aut ulcera in pudendis formidabilia, vena semper secāda est in talo, duplici de causa, prima, quia illa materia est malignior, & magis venenata, utpotè separata à cōsortio aliorum humorum, aut optimi sanguinis, & sic eam ad ignobiles partes oportet convocare: secunda quia si aliter, scilicet secando basilicam, procederemus, inceptum naturæ impediremus motum ad partes adenosas, & ignobiles, cohibendo talem decubitum, & inclinando naturam ad contrariam partem, nobilem magis, ex quo manifesta sequitur pernicies, symptomatum omnium ingravescentia, & tandem funesta mors. Ut igitur hæc omnia, si possibile sit, impediantur, securiùs erit auxilium in dictis casibus venam tali vulnerare.

Nostrum assertum de venæ sectione in partibus superioribus, exceptis dictis casibus, innumeros fere habet Patronos, tū Antiquos, tum neotericos de lue venerea scribentes, & ipsius medela; & quidem præter recentiores citatos, plures sunt antiqui, qui nostram exornāt opinionem. Sic Sebastianus Aquilanus *tract. de mor.Gall.* Nicolaus Massa, & Natalis Montesaurus Veronensis *de mor. Gall.* specialiter scribens *cap.* 6. medelam hujus morbi instituens,

instituens, ait. *Quantum ad primam indicationem dico, quod habitis signis dominij sanguinis, aut quod tales humores sint sanguini permixti, aut quod sanguis fluere consuetus est retentus, sine mora à phlebotomia incipere debemus, etsi repletio fuerit, & sanguis de naribus sit consuetus fluere, phlebotomabimus à cephalica, sin autem urina fuerit rubea, grossa. & in splene nullum fuerit necumentum, neq; hamorrhoides, qua fluere solebant, aut sanguis menstruus fuerint retenti, phlebotomabimus de basilica partis dextra; sin autem in parte splenis fuerit aliqua durities phlebotomabimus à basilica vel salvatella sinistra, sin autē hamorrhoides, aut sanguis menstruus fuerint retenti, phlebotomabimus de saphena.* Hucusque Autor iste, quibus verbis rem nostram claritate, & brevitate mirificè exploravit cautione illa universali, quam nos libenter amplectimur, nempè quòd si fuerit aliqua inferior evacuatio suppressa, qualis quædam ex oatratis, initio sectâ venâ in talo auspicanda est medela, ut oatura assuescat evacuationi suppressæ. Hoc consilium ità certum est, ut oullâ indigeat approbatione.

Jacobus Cataneus *tr. de mor. Gall. c. 2.* hæc habet *Institnas itaque cum à principie videris signa exuberantis sanguinis, & robur, & atas ipsa consentiant, antequam indurescat sanguis, ut fiat phlebotomia de vena nigra, vel basilica dextri lateris.* Inter omnes autem Scriptores palmam attipuit Hieron. Fracastorius vir eximius, qui totam descriptionem & medelam luis venereæ, carminibus heroicis delineavit mirificè, inter quæ dum de sanguinis missione loquitur, sequentia protulit.

Vere novo, si quem morbus tenet: aut & in ipso
Autumne, si firma atas: si sanguis abundat:
Regalem, mediamve lacerti incidere venam.
Proderit; atque extra fœdatum haurire cruorem

Suffragatur Petr. Andr. Matthiolus & Uvendelinus per hæc verba. *Et debet fieri phlebotomia de basilica dextra, aut saltim mediana, quia quamvis divertat ipsam materiam ab exterioribus ad interiora; talis tamen materia non est sic venenosa sicut materia variolarum & morbillorum.* Hæc Doctor iste. In cujus confirmationē addimus, quod experimento comprobatissimo habemus, nempè quod io variolis, & morbillis tutissimè, & absque calumnia aliquam venam in brachio tundimus, quantumvis malignissima sit ejus materia: ergo ita in lue venerea apparentibus, aut non appatentibus pustulis, tundere venam basilicam in brachiis tutò possumus, quin sit impedimentum malignitas materiæ, neque ipsius venenositas, imò neque motus ad extimas, & cutaneas partes, sicut accidit in variolis, & morbillis. Quod fundamentum solvet argumentum primum Adversariorum, quod in venenositate materiæ fuodabatur ad feriendum talum, de quo, *capite de loco in quo vena sit ferienda in febribus pestilentibus*, abundè egimus.

Curadious Gilinus *in opusc. de morbo Gallico* idē sentit sic. *Circa secundùm instrumentum dico quòd phlebotomia in principio ex communi venain corpore tamen multum plethorico.* Idem testificat Gaspar Tortella *consil. 2. de curand. pudend. sang. miss.* io qua sanitatē brevi tempore comparandam ægtoto cuidam pollicitus fuit, & primò præcepit phlebotomare basilicam venam ad minuendam plenitudinem. Suffragatur Leon. Fuchs. *de mor. Gall. in appendice ad l. 5. de cur. rat.* per sequentia verba. *Quod si corpus ejus, qui hoc malo recens laborare cepit, plethoricum existit, modo atas, anni tempus, & alia non impediant, vena secanda erit in gibbere media.* Bened. Victor. Favent, de hujus morbi coratione agēs sic scripsit. *Igitur morbi Gallici curationis scopus primus initium capies à sanguinis missione, vel ex nigra vena cum universo corpori vitium communicetur, vel ex jecoraria cum omnes humores, aut ex se, aut per consensū vitiosi sint, & jecur humorum generationis fons existat.* Alex. Petron. Hier. Card. auxiliares sunt, & ferè quadraginta primæ classis Autores in unico tomo collecti nostram thesim confirmant, quos longum satis, necnon fastidiosum esset recensere.

Eia ergo, ô vos omnes Apollineæ Facultatis fidelissimi Alumni, methodum rationalem sedulò, atq; maturè illuminantes Divino Æsculapio venerabilem, & majestuosum cultum reverenter offerentes, cùm audieritis rurales vulgi clamores, prælia, & seditiones inter imperitos Medicos in plausum venæ sectionis ex talo in lue venerea affectis, nolite terreri; sed firmiter, & fideliter antiquorū dogmata venerantes, id, quod ratio dictat in animos infūdere, ut sic hallucinati in erroribus à tenebris quibus obumbraotur, io lucem veritatis resurgant.

Nec Contrariorum jacula *suprà* contra nos adducta feriunt, si dictis *suprà* stemus; etenim vuloerata vena in brachio minimè retrahit, neque cōvocat humores venenatos ad partes superiores, quandoquidem jecur ipsum disseminat totam massam venenatam per omoes veoas usq; ad penitiora loca, præterquam constat io febribus pestilentibus, & variolis sæpè rentari, & communiter venæ sectionem ex partibus superioribus citra periculum absque olla suspicioo e, imò & cum fælicissimo successu. Non ergo tecusaodaio lue venetea, quandò noo adest peculiaris motus naturæ, quo materiam veoenosam, & separatam detrudit ad infernas partes, etenim tuoc tali venam feriendam esse docuimus *suprà*.

Zacutus antem *suprà* citatus minimè facit cootra nos, siquidem oon determioavit locum, ex quo veoa esset secanda, & licèt hirudinum applicatio in partibus inferioribus, tanquam proficuum auxilium afferat, nihil contra nos docet, quippe viribus effœmioatis in lue venerea affectis, id nos libenter exercemus, & quando aliqua affectio peculiaris hypochondria vexat, aut io sanguinis hæmorrhoidalis suppressione, aut subjecto valde melancholico, cui talis evacuatio valde opitulatur, hoc tamen non evertit generale præceptum à oobis statutum, nam nullo præseote peculiari affectu inferiorum partium, semper io lue venerea venam in brachiis debemus secare, quæ citò, & velociter deponat pleoitudinem, securiùs attemperet jecur, & deponat causam morbificam citra ullam suspicionem.

Potuissem plura, & hæc ipsa locupletiùs, atque comptiùs in medium afferre; sed hæc ad posteritatem mitto, qualiacumque sint, oon quidem veluti rem taoto lectore dignam (absit profectò à me omois superbia) sed ceu pigous quoddam sancitæ inter antiquos doctrinæ; necnon etiam inter nostri ævi Doctores; non aliud ex his quærens, quàm ut veritatem discant imperiti, & rationalem methodum adipiscant: præstet igitur ut vincat veritas propriis viribus nixa & Deus Optimus Maximus tantùm huic præsidio, & omnibus, quæ à me illustrata sunt aspiret, ut optata inde sequatur sanitas universæ Christianæ Reipublicæ profutura. Et hæc pro oostra Apologia dicta sufficiant.

INDEX



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
quæ in hoc Tomo Tertio continentur.

Prior numerus Paginam, secundus Columnam notat.

A

Quæ

Beta.

Borrago.

Boulimos.

Brassica.

Bubones.

Butyrum.

C

Cachexia.

Cepa.

Calor.

Conservatio.

Crocus.

Cruditas.

Cucurbita.

Cucumeres.

Curatio.

Cutis.

D

Definitio.

Deglutitio.

E

Ebrius.

Effectus.

Elementum.

Empyema.

Endivia.

Epilepsia.

Evacuatio.

Evacua

G

Est

Iecur

Index

Mors.

Motus.

O

Pro

Pira

Potus

Q

Qualitas.

Quali

Sensus

Symptoma

Tinnitûs

V

Ventriculus.

Ventriculus

ex

F I N I S.

